Migne, Jacques-Paul (1800-1875). Patrologiae cursus completus, sive Bibliotheca universalis, integra, uniformis, commoda, oeconomica omnium s. s. Patrum, doctorum scriptorumque ecclesiasticorum qui ab aevo apostolico ad usque Innocenti III tempora floruer.... 1841.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation  s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

## QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS. PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

## SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

---

## PATROLOGIÆ TOMUS XXXII.

S. AURELII AUGUSTINI TOMUS PRIMUS.

---

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
*IN VIA DICTA* D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER.
ou PETIT-MONTROUGE.

1845.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SANCTI AURELII

# AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

# OPERA OMNIA,

## POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

ACCURANTE MIGNE, CURSUUM COMPLETORUM EDITORE.

ARCHIGYMNASII INSULENSIS CATH

## TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,

VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO *MONTROUGE*, JUXTA PORTAM GALLICE DICTAM, BARRIÈRE D'ENFER, A PARIS.

1841.

# ELENCHUS OPERUM

## QUÆ IN HOC TOMO PRIMO CONTINENTUR.


| | | |
|---|---|---|
| Vita S. Aurel. Augustini, Hipponensis Episcopi, auctore Possidio. | Pag. | 33 |
| Vita S. Aurel. Augustini, Hipponensis Episcopi, ex ejus potissimum scriptis concinnata. | | 65 |
| Retractationum libri II. | | 583 |
| Confessionum libri XIII. | | 659 |
| Soliloquiorum libri II. | | 869 |
| Contra Academicos libri III. | | 905 |
| De Beata Vita liber unus. | | 959 |
| De Ordine libri II. | | 977 |
| De Immortalitate animæ liber unus. | | 1021 |
| De Quantitate animæ liber unus. | | 1035 |
| De Musica libri VI. | | 1081 |
| De Magistro liber unus. | | 1193 |
| De libero Arbitrio libri III. | | 1221 |
| De Moribus Ecclesiæ catholicæ, et de Moribus Manichæorum libri II. | | 1309 |
| Regula ad servos Dei. | | 1377 |


### CONTENTA IN APPENDICE.


| | |
|---|---|
| De Grammatica liber. | 1383 |
| Principia dialecticæ. | 1409 |
| Categoriæ decem. | 1419 |
| Principia rhetoricæ. | 1439 |
| Regulæ cleris traditæ fragmentum. | 1447 |
| Regula secunda. | 1449 |
| De Vita eremitica ad sororem. | 1451 |



EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisiorum, Gallice : *près la barrière d'Enfer de Paris.*

# MONITUM

## DE HAC BENEDICTINÆ EDITIONIS NOVA RECUSIONE.

Immortalem Patrum Benedictinorum gloriam temerarium profecto foret prætendere; minime vero impossibile est lucubrationes eorum meliorare, introductis mutationibus aliquantulis quas ipsimet, si nostra viverent ætate, judicassent necessarias. Cæterum hodie convenit apud eruditissimos viros, imprimis extra Galliam, Benedictinam editionem, licet omni dignam æstimatione, cæterisque antecedentibus multo præstantiorem, nonnullas tamen negligentiæ notas præ se ferre, sive quod editores laborem per viginti integros annos protractum impares fuerint indefessa attentione sustinendi, sive quod pensum tot collaboratoribus devolutum unitatem non admitteret. Sic interdum videntur veterum editionum collationem neglexisse; sic etiam, variis lectionibus nunc in utraque margine positis, nunc ad calcem tomi rejectis, accuratam textuum recensionem, unitatis detrimento, prosequuntur; sic denique, ut omissa repararent, aut lectiones citationesve mendosas complures imprudenter introductas quocumque modo emendarent, *addendis* et *corrigendis* singula volumina exoneravere.

Duobus igitur potissimum invigilavimus, scilicet ne quid antea vulgatum in editione nostra omitteretur, utque convenientissimo ordine res quælibet institueretur. Præter manuscriptos codices, editiones plerasque, tum veteres, tum recentiores tanta diligentia comparavimus, ut nostra locupletior necessario debuerit emergere, jureque asseremus omnino nihil hactenus prodiisse, quod in ea non abundet. Attamen nequicquam suppeteret tot coegisse divitias, nisi recte ordinarentur; neque vero nobis animus est quidquid in hoc præstiterimus minutatim exponendi. Pauca solum exempla referemus.

1° Nihil nobis antiquius fuit, quam ut in locis a reverendis ipsis Patribus indicatis suus textui nitor restitueretur. Quoties in aliquem errorem ultro impegisse visi sunt, atque defuerunt eorum consilia, genuinam lectionem stabilivimus tum manuscriptorum, tum librorum auctoritate.

2° Præter textus nitorem quo, qualiscumque sit, editio Benedictina cæteras omnes longe superat, hoc præstat potissimum, quod præfationibus eximiis magnaque adnotationum et variantium lectionum copia locupletata sit. Quæ omnia sedulo servavimus, imo variantes adauximus lectiones; non omnes vero admisimus quæ nobis undequaque occurrebant. Libenter fatebimur, non isto incendimur philologiæ studio quod editionis excellentiam lectionum variantium numero metitur. E contra, dubiæ plerumque erunt utilitatis, si attendatur quam tenuis sint momenti, quantum sermonis seriem impediant, quantumque apud multos lectores auctoritas librorum illis labefactetur; duplicem enim lectionem veritas non patitur. Expedit igitur, nostra sententia, tot inter manuscriptorum et librorum varietates, non molli brachio cunctas excutere, sagaci negligentia quasdam prætermittere, easque tantum admittere quæ ad rectam auctoris intelligentiam vel leviter inserviunt.

Quod de lectionum varietatibus, id de suppositititiis operibus dictum esto.

Vulgo contigit clarissimis antiquitatis scriptoribus, ut, temporum obscuratione, bibliopolarum avaritia, aliisque de causis, fœtus eorum genuini indigna spuriorum caterva stiparentur. Haud difficile certe fuisset Augustinianæ editionis molem duplicare triplicareve ad libitum, adjunctis suppositititiis operibus quæ sub magni Doctoris nomine circumferuntur. Nulla prope est bibliotheca quæ non istiusmodi thesauris se jactet. Quid vero? nonne liquet zizania debilitari triticum, verarumque gemmarum decrescere famam, si cum adulterinis misceantur? Attamen ne quid in editione nostra desideraretur, nullum ex spuriis vel dubiis operibus quæ PP. Benedictini publici juris fecerunt, prætermittendum duximus; quinetiam eorum recensioni nonnulla addidimus recens inventa, quæ omnia in Sermonum collectionem incidunt. Verum hac augendi licentia parce usi sumus, non obliti Patribus Benedictinis, prout consiliis opibusque erant circumdati, compertam sane fuisse

maximam partem fallacium istarum divitiarum, quas se effodisse nonnulli coætanei asseverant, meritoque suspicionem et dedecus incurrere quidquid viri tanta doctrina pariter ac judicio commendandi repulerunt.

3° Res est utique gravissimi momenti et ad facilem textuum comparationem aptissima, ut lectiones variantes quas PP. Maurini haud unimode distribuere, semper, notarum modo, textui proximæ subsint. Nuperrimæ exstant editiones Parisienses, quæ neque hanc, neque PP. Maurinorum agendi rationem secutæ, omnes lectionum varietates procul a textu ad finem uniuscujusque voluminis agglomerant, aut, parum sollicitæ, prætermittunt. Quantum inde nasceretur incommodi, quantaque temporis jactura, non semel experti, speramus fore ut methodus nostra, sub respectu commoditatis æque ac utilitatis, potior videatur.

4° Quod ad chronologicam Augustinianorum operum seriem attinet, paululum ab ordine PP. Maurinorum deflexímus, ut eum sequeremur quem rerum analogia, proindeque ratio ipsa suggerebat. In primo itaque tomo duo Soliloquiorum libri, qui apud PP. Benedictinos libris de Ordine proxime succedunt, statim post Confessiones, quibuscum ob manifestam argumenti similitudinem apprime conveniunt, a nobis collocati sunt. Duo etiam libri de Genesi contra Manichæos e primo tomo in tertium rejecti, eo scilicet loco quo duplex aliud in Genesim opus item instituitur. Præterea librum de vera Religione, qui in editione Benedictina librum de Moribus Manichæorum excipit, ad tertium similiter tomum revocavimus, nempe post opus de Doctrina Christiana, cujus absque dubio complementum cuique legenti apparebit. Varia tandem opuscula, qualia Epistolæ, Sermones, etc., quæ PP. Maurini et post eos cæteri editi ipsis nimium insistentes passim disseminant, ad classem suam primigeniam, prout res postulabat, accurate reducta sunt.

5° Ambæ præfationes quæ paulo inferius Mabillonii dedicatoriam Epistolam sequuntur, undecimum ultimumque editionis Benedictinæ tomum inchoant; nec mirum, siquidem venerandi editores, curriculum adeo longum ingressuri, quidquid in toto decursu esset peragendum ex ipso limine prævidere non potuerint. Nobis autem opera eorum recudentibus cum nulla sit causa cur talem toleremus anomaliam, utramque præfationem suo loco naturali, id est, initio operis, primi posuimus. Eadem prope ratio nos impulit ut in tomum primum transferremus duas D. Augustini Vitas, quarum prior a PP. Benedictinis ad calcem tomi decimi, posterior vero usque ad tomum undecimum relegata est. Nemo inficiabitur hasce gestorum scriptoris narrationes esse quoddam præfationis genus ea mente contextum, ut anticipata variarum circumstantiarum revelatione, lectores ad intimos et quasi generatores operis sensus jam tum initientur. Haud aliter sentiebant ipsi PP. Benedictini, ut testantur prima verba *Admonitionis* Confessionum libris præpositæ : « Quæ « causa, inquiunt, fecit ut scriptoris cujusque Vita emittendis in publicum ejus libris solem- « ni more præfigeretur, eadem etiam primos S. Augustini operum editores haud dubie mo- « vit, ut Confessiones ipsius statim post Retractationum libros... in tomo primo colloca- « rent. *Nempe interest plurimum ut auctoris genium, studia, mores, probitatem, fidem, alias- « que dotes perspectas habeat qui ejus scripta cum voluptate, tum profectu perlegere in « animum inducit.* » Post talem declarationem, difficile intelligimus quamobrem propriæ editioni Vitam S. Doctoris PP. Benedictini non præfixerint, præsertim ex omnibus ejus scriptis concinnatam. Nulli igitur molestum fore putamus si in his et in quibusdam aliis ejusdem naturæ, sed perpaucissimis, et de quibus obiter monebimus, discesserimus ab inclytis ducibus, quorum alioquin vestigia nos religiose trivisse gloriamur.

N. B. 1° *Lectionum varietates quæ PP. Benedictinos primum effugerant, textui, ut ipsi suadent, aliquoties intertexuimus, priori eorum lectione hisce uncinis* [ ] *signata.*

N. B. 2° *Quod si quando textum qualem habemus a PP. Benedictinis concinnatum tantisper immutare visum est, propriam eorum lectionem ferunt adnotationes hisce signis,* In B., *distinctæ.* M. (1)

(1) Quæcumque PP. Benedictinorum editioni addiderimus, hocce signo, M., distinguentur.

# REGI CHRISTIANISSIMO

# LUDOVICO MAGNO,

## VICTORI, TRIUMPHATORI, PACIFICO.

Augustinum, Ecclesiæ lumen et oraculum, Caroli Magni quondam delicias, Rex Christianissime, novo cultu, novisque typis adornatum tibi sistimus, sub immortalis nominis tui præsidio immortalitate altera donandum. Hunc aliquando Basileæ veluti renascentem Germania excepit; Lovanii recognitum, auctumque fovit Belgium; eumdemque genuinæ (quantum in nobis fuit) integritati restitutum nunc tandem exhibemus: adeo ut collatis quasi dexteris et officiis, Belgæ cum Germanis, cum utrisque Galli ad perficiendum munus Ludovico Magno dignum conspirasse videantur. Nimirum victori ac triumphatori conveniebat tot pacatorum populorum commune hoc monumentum; planeque decebat, ut Augustinum integrum, purum atque tersum, Ecclesiæ doctorem maximum, perpetuum hæreticorum flagellum, Regum augustissimo, maximo, invictissimo, ac religiosissimo consecraremus.

Neque vero de Majestatis tuæ favore, Rex Augustissime, dubitare nobis licet, quandoquidem amplissimum illud privilegium a teipso nobis concessum, obsignatum et assertum; scripti codices e Regia Bibliotheca te jubente affatim suppeditati; litteræ ad exteros nomine tuo in rem nostram missæ; ad hæc Augustini meritum, fama et auctoritas certissimam spem nobis ingerunt, te hujusce editionis fautorem, patronum, ac vindicem fore. Enimvero quis Principis Christianissimi studio et existimatione dignior Augustino, quem Hieronymus, et sui temporis cum eo Catholici, velut *antiquæ rursum fidei conditorem* suspexere? Ipse est Doctorum lumen, antiquiorum Patrum humilitate ac religione discipulus, æqualium doctrina facile princeps, subsequentium dux et magister: quem viventem Africani Patres uti Spiritus sancti interpretem secuti sunt in condendis sanctioribus Ecclesiæ regulis, veneratus est inter Pontifices maximos Innocentius I, litteris dignati Honorius et Theodosius Imperatores Augusti: cujus mortui doctrinam concilia, sanctissimi quique pontifices et episcopi, Cœlestinus papa cum primis et Gregorius Magnus honorificentissime prædicarunt.

Nefas sit hoc loco præterire Christianissimos Francorum Reges, antecessores tuos, Maxime Princeps, quorum non impar exstitit in tantum virum observantia. Inde est, quod cum munus regia majestate haud indignum exquireret Engelbertus Corbeiensis Abbas, non aliud Ludovico Regi magis acceptum, quam Augustini de Doctrina Christiana libros existimavit: et Carolus V, cognomento Sapiens, libros de Civitate Dei gallice redditos sibique nuncupatos, singulari dignatione complexus est. Sed illud in primis memorandum, quod sancti Doctoris lectionem non modo Rotberto regi Adalbero Laudunensis episcopus commendavit; verum etiam in deliciis habuit qui unus plurimorum instar esse debet, Carolus vere Magnus. Is enim, teste Eginhardo, *delectabatur libris sancti Augustini, præcipueque his qui de Civitate Dei prætitulati sunt.* Intelligebat quippe sapientissimus Princeps, Imperium cum Sacerdotio, Majestatem cum Religione, cum pace bellum, magnanimitatem cum moderatione, nullo melius post Litteras sacras auctore conciliari posse, quam Augustino: cujus lectione atque usu, cum privatas, tum regias virtutes, religionem, fortitudinem, prudentiam cum aliis acquiri, aut certe perfici, ornarique persuasum habebat.

Has dotes, Regibus tantopere expetendas, sed tam raro in unum coeuntes, singulari beneficio Deus in te sic profudit, Regum Maxime, ut non alio quam ipso duce ac præceptore ad fastigium perveneris earum virtutum, quæ illustre Magni cognomentum Majestati tuæ compararunt. Aliis regibus, etiam iis, quos passim præcellentes existimant, satis fuerit eminere in singulis, nimirum esse aut religiosos, aut bellicosos, tranquillitatisve publicæ amatores. In te omnes istæ virtutes cum aliis ita conveniunt, ut te religione, justitia, moderatione, sapientia, tam bello, quam pace præstantissimum efficiant. Multi principum dum nomen suum armis celebrare ambiunt, constituendi regni abjiciunt curam, aliisque committunt: nonnulli unius pacis studiis intenti, rem bellicam insuper habent. Tu inter pacis studia bellicas artes animo agitas, et inter arridentes bellorum eventus pacem meditaris. Sed, quod paucissimis Regibus contingit, cum sis pace ac bello exercitatus, nulla unquam regni tui felicitatem interturbavit adversitas: ut omnes ultro agnoscant, te summis virtutibus cumulatum, providentia felicem esse, ubique Magnum.

Quam primum regni habenis manum admovit Majestas tua, Rex optime, religionis caput existimasti, ut teipsum tuosque regeres, et de componendis subditorum moribus, ac disciplina sedulo cogitares. Hinc oppressos ab infensissimis hostibus Christianos submissis auxiliis relevare ac tutari cœpisti; tum ad Ecclesiæ exstinguenda discidia, finesque propagandos intendere animum; abrogatas revocare leges, novas sancire; faciles

interpellantibus præbere aditus, jus ore proprio dicere; renovare artes ac scientias; bonis præmia, malis supplicia proponere. Nec instabilia, ut fit, aut quasi momentanea fuerunt edicta legum tuarum, in quibus eadem, quæ in dictis promissisque tuis, constantia viget ac religio. Quantis minarum terroribus olim cautum est in furiosos ac perditissimos homines, qui singulari condicto certamine, mutuam in cædem passim ruebant? Nec tamen grassantem labem compressit ista legum varietas, quas facilis in reos indulgentia et pudendæ gloriolæ nomen irritas reddebant. Id servatum erat constantiæ tuæ, Justissime Princeps, qui ejusmodi gladiatoribus condignissimum supplicium cum æterna infamiæ nota inexorabilis infligi jubes. Sic efficacius quam olim Trajanus, *quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva;* uti *quæ bona præstas, efficis ne caduca sint.* At quam scite in judiciis tuis observasti semper illud Augustinianum : *Nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter!* Namque ita rei sentiunt justitiæ tuæ gravitatem, ut severitatem causari non possint, et in ipsis etiam suppliciis æquitatem clementiamque tuam agnoscant. In his pacis studiis, Rex Prudentissime, bella præveniebas animo, tacitusque rem grandem agebas, ut ne alio, quam te imperatore esset opus, cum belli necessitas instaret.

Jam accedimus attoniti ad illa memoranda, in quibus caput illud toti orbi venerandum tot objecisti periculis, tot curis distraxisti animum, tot prodigiis stupentem distinuisti Europam. Et illa sola cogitatione assequi, nedum oratione explicare quis sufficiat? Simul ut nata est belli occasio ac materia, tum primum amice rem agis, ne ferias; minaris, ut terreas; terres ac mones, ne hostes imparatos invenias. Hinc procedis cum insigni militum delectu : mox decedit Rhenus Majestati tuæ, Rex Invictissime, arces atque urbes munitissimæ præsentia famaque tua exanimatæ turmatim veniunt in deditionem; ac demum conjurata in te Europa fere omnis, virtuti tuæ nonnisi victorias palmasque accumulat. Inter hæc, adversantium dolis, machinis, viribusque superatis, dum tibi ad votum succedunt omnia, dum paratæ sunt ad deditionem integræ provinciæ; tanta est moderatio tua, ut ex Augustini sententia, glorioso bello pacem modestam præferas. Confœderatos hostes de conditionibus disceptantes ad concordiam adducis; et qui belli dederas leges, das etiam pacis.

Quis in mediis tot tantarumque victoriarum tropæis mille triumphos Ludovico Magno repensos non existimet? Verum longe alia est mens tua, Rex ubique Victor, quam priscorum imperatorum, qui postquam hostes armis leviter attigerant, triumphis, triumphorumque impendiis subditos suos fatigabant. Majestatis tuæ iter a bello, imo a victoriis, placidum ac modestum, quasi plane a pace redeuntis : ut de hostium ferocitate ac superbia, de ipsa triumphorum pompa, non de patientia subditorum triumphare videaris. Hoc solo advertimus te victorem esse, Rex Christianissime, quod inter medios bellorum undequaque frementium impetus tranquilli ac securi sumus; et quod omnium Ecclesiarum festivos concentus, linguas ac voces Sacerdotum provocas ad celebrandum Dei numen, cui victoriarum tuarum gloriam acceptam referri jubes.

Mirabuntur sine dubio posteri, Rex maxime, tantam felicitatem cum ea moderatione conjunctam, ut nulla unquam cujusquam incondita locutio aut actio, impatientis animi motum a te excusserit. Mirabuntur profecto, et tantæ prosperitatis rationes a nobis exigent. At, si Ausonio credimus, *rationem felicitatis nemo reddit.* Imo vero facile est reddere, si non de aliorum principum, certe de tua, Fortunatissime Princeps, felicitate, quam non incerti casus rerumque eventus, non cæca fortuna regit; sed certissima et inconcussa ratio. Si religionem tuam consulimus, hanc felicitatem totam refundes in singularem Dei providentiam, e cujus nutu pendent imperia, imperantiumque conditio. Si Augustinum, eam tribuet etiam justitiæ tuæ : quippe qui christianos imperatores hoc nomine felices dicit, *si juste imperant, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt.* Denique si nos ipsos interrogamus, hanc felicitatem insuper ascribemus incomparabili genio cœlitus tibi concesso : cujus ea vis est ac magnitudo, ut dubiorum eventuum causas dirigas ad destinatum finem, ipsosque eventus præoccupes, et incursuris obicibus aditum præcludas. Hæc est vis, qua res pene infinitas, longe dissimiles ac intricatas, sine molestia, quasi otiosus, animo complecteris. Hac merita discernis præstantium virorum, quos publicis rebus tanto cum delectu præficis. Hac ades etiam locis omnibus, et factis omnium. *Tu simul omnia perfundis; ut Sol, non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.* Inde procedunt rectissima de rebus omnibus animi tui judicia, illa oris majestas, graves illæ sententiæ, dicta illa nunquam non ad rectæ rationis limam ex tempore prolata, qualia vix assequatur sapientum meditata oratio.

Verum illud cumulum addit felicitati tuæ ac nostræ, Rex Augustissime, quod Natum instituas similem tui. Quod talem genueris, naturæ est : quod similem tui efficias, sapientiæ tuæ. Nam Serenissimum Delphinum non tantum assiduis selectissimorum Virorum præceptis, sed maxime paternis monitis exemplisque ad bene regnandum informas; et reviviscentibus in te uno omnium heroum præclare factis palam demonstras, nihil magis gloriosum contingere posse Ludovici Magni filio, quam parenti morem gerere, et quam proxime accedere imitando.

Postremo imperii tui felicitati, Rex Pacifice, ascribimus, quod sancti Augustini operibus emendandis, restituendis, illustrandis incumbere nobis licet. Quietis hæc per te mediis in bellis partæ otia ac negotia sunt. Neque enim inter armorum strepitus operosa hæc studia terere vacaret, aut vero reflorescerent artes omnes, nisi sub tuo principatu esse tutis liceret. Nunc autem quid non Augustino, quid non bonis litteris, quid non omnibus de communi pace sperandum? Nobis unum superest simplexque votum; nimirum ut Deus Optimus Maximus continuis rerum secundarum successibus, quos beata demum claudat immortalitas, Majestatem tuam

diutissime fortunare pergat. Interim tua bonitate confisi, Regiæ tutelæ præsidium, quod jam inde ab initio regni tui toties experti sumus, in posterum etiam nobis impendi obnixe postulamus, Rex Clementissime, quidquid perinde habuerimus, quidquid ipsi fuerimus, tuum id omne reputaturi.

Sacræ Majestati tuæ

Devotissimi ac fidelissimi
clientes et subditi,

Parisiis, e Monasterio S. Germani a Pratis,
cal. januarii, an. 1679.

MONACHI BENEDICTINI CONGR. S. MAURI.

---

IN NOVISSIMAM

# S. AUGUSTINI OPERUM

EDITIONEM

# Præfatio generalis.

Cum primum Congregationis nostræ Præpositi fratres nostros ad studia litterarum applicare censuerunt, ea potissimum ab eis delecta sunt studia, quæ plus utilitatis præ se ferrent, quam ostentationis; et quæ religiosæ solitudini et conversationi magis convenirent. In eo genere nihil aptius aut opportunius eis visum est, quam recognitio et editio nova sanctorum Patrum, cum Latinorum, tum Græcorum: propterea quod et exercitatio ipsa per sese maxime conduceret ad lectitanda et meditanda eorum scripta, in quibus vera et sincera Ecclesiæ doctrina ac pietas consistit; et non pauca nobis adjumenta suppeterent ad id operis suscipiendum et exsequendum. Atque ut quibusdam veluti gradibus ad hunc laborem, magis arduum certe ac difficilem, quam splendidum, fratres nostri idonei et parati sensim redderentur, a quibusdam veluti rudimentis initium ductum est, scilicet ab editione selectorum Opusculorum sanctorum Patrum; dein ab integris scriptis aliorum, donec tandem ad opera sanctissimi doctoris Augustini ventum est: quibus emendandis et recognoscendis ut operam impendercmus, multi Ecclesiæ illustrissimi præsules, necnon etiam togæ principes viri auctores nobis et instigatores fuere. E primis fuit illustrissimus Franciscus Harlæus Parisiorum nuper archipræsul, qui hujus operis patronum et fautorem semper se præstitit: e secundis Guillelmus Lamonius Senatus Parisiensis quondam princeps, qui, pro sua in litteras litteratosque benevolentia, typographicam nobis domesticam officinam a Rege impetrare et procurare voluit, ut hæc editio in privatis ædibus commodius et facilius procuraretur. Verum hac conditione, quantumvis in speciem opportuna, ob varias causas, quas commemorare nihil juvat, minime admissa, institit nihilominus Præses illustrissimus, institere et alii quam plures diversorum Ordinum spectatissimi viri, ut tantæ molis opus subire ne refugeremus.

His incitamentis commoti Superiores nostri, vix tamen ad vastum illum laborem subeundum, ut erant perspicaces, adduci potuere; rati, id quod docuit eventus, rem esse aleæ ac difficultatis plenam, cujus, si minus ea succederet, incauta et imprudens molitio nobis probro verteret; si bene, invidia forte in nos redundaret. Deinde temerarium videbatur, secundum Lovanienses Theologos doctissimos, de Augustino, totaque republica christiana optime meritos, novam sancti Doctoris Operum editionem meditari: quippe vix fieri posse, ut a nobis eorum diligentia æquaretur, nedum superaretur.

Ad hæc recurrebant animo veteres controversiæ ac rixæ, quæ ex sancti Doctoris scriptis et doctrina identidem in Ecclesia excitatæ fuerant; verebanturque illi, ne, dum Ecclesiæ hoc fratrum suorum labore consulere optarent, novarum altercationum semina inde orirentur, uti experientia non semel probatum est: nempe quod tanti viri doctrina et humano ingenio captu sit difficilis, et mortalium cupiditati ac superbiæ parum favens et accepta.

Verum has aliasque difficultates prorsus discussit ac removit summa dignatio Ludovici Magni, qui novam hanc editionem augustissimo suo nomine illustrari, ac patrocinio regio muniri permisit.

Accessit insuper amplissimum Regis privilegium in gratiam novæ editionis, illustrissimi Franciæ cancellarii Michaelis Tellerii auctoritate, regioque edicto assertum, reclamantibus et obsistentibus incassum nonnullis bibliopolis, quos occulti quidam adversarii ad avertendum novæ editionis propositum clanculum instigabant. Tantis fulti præsidiis, nullum obicem insuperabilem, nullam invidiam nobis formidandam esse existimavimus.

Jam vero ne hoc consilium nimis audax ac temerarium videretur, præiverat exemplum Petri Morini Vaticanæ typographiæ præfecti, aliorumque almæ Urbis eruditorum virorum, Adriani abbatis, atque Obrii doctoris

Parisiensis, et aliorum, qui primum Sixto V, dein Clemente VIII, summis Pontificibus, novam sancti Augustin- commentationum editionem post illam Lovaniensem aggressi fuerant, rati scilicet egregios esse Vaticanos libros, quos Lovanienses minimè consuluerant, magnumque eorum esse numerum, unde variæ lectiones excerperentur; *pleraque item, quæ in Lovaniensibus libris, quantumvis accuratis, desiderantur, unde hæc editio christianæ doctrinæ lucem allatura sit*, ut Petrus Morinus scribit in epistola decima quinta ad cardinalem Cajetanum, qui prædicto consilio plurimum suffragabatur. Factum est : collati sunt Lovanienses libri cum codicibus Vaticanis perquam accuratissime, et ad marginem appositæ variantes lectiones ad editionem adornandam, cui cardinalis Veronæ sacri Collegii princeps præfectus fuit. Verum cum res effectu caruisset, omnes illæ variationes jussu Clementis X Pontificis a piæ memoriæ cardinale Bona nobiscum communicatæ sunt, ut iis in nova nostra editione uteremur.

Comparatis itaque eam in rem his et aliis undequaque veterum codicum subsidiis, cum e nostris, tum ex alienis bibliothecis, continuo manus operi admovimus, adhibitis ad conferendos codices pluribus sodalibus nostris, non solum in sancti Germani Parisiensi, sed et in aliis aliarum provinciarum Congregationis nostræ monasteriis; ac demùm intra viginti circiter annorum spatium, non sine multis expensis et curis, certe maximo cum labore, tota hæc editio, Deo favente, omnino absoluta est, et ab omnibus nullo præjudicio affectis, eo plausu ac successu accepta, qualem nec sperare poteramus.

Ut vero munus nostrum impleremus, et publicæ de nobis exspectationi pro modulo responderemus, quatuor præcipua in nostra editione præstare conati sumus : videlicet ut hæc accurata esset, commoda, rite illustrata, nullisque partium studiis addicta.

Ut esset quam maxime accurata, tres conditiones nobis necessariæ visæ sunt : nempe ut contextui genuina integritas ad veteres codices et sinceriores editiones restitueretur; ut certa et germana sancti Doctoris opera secernerentur a dubiis et spuriis; et ut editio ipsa a typographicis mendis, quantum in nobis esset, repurgata prodiret.

Ut vero perquam commoda redderetur, quatuor potissimum a nobis curata sunt : nimirum operum ordo, sectiones, summaria, et indices. Ordo, ut secundum tempus quo singula opera ab Augustino scripta fuere, disponerentur : quo fit, ut lector cum Augustino ipso sensim progrediatur et proficiat, et priorum cognitio ad posteriora intelligenda lucem præferat; quo de ordine plura inferius dicturi sumus. Sectiones, ut non modo capitulis veterum editionum, quæ subinde prolixiora erant, cujuslibet operis contextus et corpus distinguatur; sed etiam ipsa capita in minutiores dividantur sectiones, numericis distinctas notis : tum ut indicata cujuslibet operis sectione facilius inveniatur indicatus locus : tum etiam ut in legendo his veluti intervallis et morulis lectoris levetur labor et attentio. Ad hæc etiam juvant summaria non modo contextus, ad marginem singulis passim sectionibus apposita, quæ summam rei, qua de agitur, paucis exhibeant; sed etiam omnibus libris et plerisque capitulis præmissa, quæ argumentum cujusque libri et capituli breviter explicant. Illa vero summaria marginalia ex ipsis contextus verbis, quoad ejus fieri potuit, expressimus, vel ipsa Lovaniensium summaria retinuimus.

Ad Indices quod attinet, quorum commoda et utilitates nemo non novit, non tantum singulos singulis tomis, et quidem uberrimos, subjicere curavimus; verum etiam generales seu universales in posteriori hocce volumine contexuimus, ut uno conspectu tota Augustini doctrina de quovis argumento facilius indagari possit.

Quod attinet ad ordinem a nobis in hac editione institutum, ejus rationem reddere non admodum operosum fuerit. Nam totius illius ordinis tenor adeo naturalis et genuinus videtur, ut sufficiat ad eum probandum nuda ejus expositio.

In primo tomo, præmissis duobus Retractationum libris et tredecim libris Confessionum, quæ subsequentium operum veluti præludia sunt, subsequuntur ea Opuscula, quæ sanctissimus Doctor adhuc catechumenus, aut nondum presbyter elucubravit.

Succedunt in secundo tomo Epistolæ, numero ducentæ septuaginta, secundum ordinem temporum, quoad fieri licuit, dispositæ, et in quatuor distributæ classes. In prima reponuntur illæ epistolæ, quas Augustinus nondum episcopus scripsit : in secunda, quas jam episcopus, ante Collationem Carthaginensem et ante detectam in Africa Pelagii hæresim dictavit : in tertia, quæ ab eo tempore ad ipsius obitum scriptæ sunt : in quarta denique, quarum tempus minus compertum est. Cur autem receptum Epistolarum ordinem mutaverimus, quidve in commodum lectorum à nobis huc præstitum sit, docet ipsius tomi peculiaris Præfatio.

In tertio tomo continentur Opuscula exegetica, secundum Scripturarum ordinem disposita, præfixis in ipso tomi limine quatuor libris de Doctrina Christiana, quos subsequentium Opusculorum fundamentum esse nemo nescit.

Rejectæ sunt in tomum quartum Enarrationes in Psalmos.

In tomo quinto habentur Sermones ad populum, in quatuor tributi classes, nimirum in Sermones de Scripturis Veteris et Novi Testamenti, in Sermones de Tempore, de Sanctis et de Diversis : quibus in quinta classe Sermones dubii accedunt.

Tomus Sextus Opera moralia comprehendit cum aliquot Quæstionum libris.

Ab hinc incipiunt Opera polemica, quorum primas tenent in tomo septimo libri viginti duo de Civitate Dei, contra Paganos.

Tomus octavus, præmisso in fronte libro de Hæresibus, exhibet opera polemica adversus Judæos, Manichæos, Priscillianistas, et Arianos : quibus Opusculis adjuncti sunt libri quindecim de Trinitate.

Tomus nonus continet Opera polemica contra Donatistas.

Denique tomus decimus Opera itidem polemica contra Pelagianos : quibus scriptis subjunguntur varia monumenta, quæ ad ea illustranda possunt conducere. Hactenus de ordine.

Jam vero illustrandis sanctissimi Patris operibus Præfationes singulis tomis præmittere necessarium duximus, in quibus res potius historicas, quam dogmaticas explicare studuimus, ad juvandam lectorum industriam. Ad hæc plerisque opusculis Admonitiones præfiximus ad explicandum eorum argumentum. Insuper breviores subinde notulæ in margine inferiori a nobis appositæ, quibus vel variantes lectiones indicentur, vel obscura loca, maxime aliorum locorum comparatione, explanentur.

In his omnibus id alte nobis animo infixum fuit, et a Præpositis nostris inculcatum, ut partium studia in explicanda Augustini doctrina sedulo caveremus. Quæ res in causa fuit, ut a prolixioribus commentariis et observationibus abstinuerimus, ut ne cuiquam vel minimum offendiculi præberemus, ullive catholicorum theologorum sententiæ præjudicaremus.

Verum quantumvis id curaverimus, curandumque mandaverint Præpositi nostri ; difficile tamen fuit, ut ne quid in tam vasto opere nobis incaute non subreperet, vel, ut sunt mortalium animi varie affecti, ne quid secus quam intenderemus, in sequiorem partem non acciperent nonnulli. Et re quidem ipsa sic accidit.

Nam etsi plerique omnes nostram editionem accuratam, commodam, satisque illustratam, denique Augustinianæ doctrinæ omnino consentaneam esse censuerint, eamque his nominibus suffragio suo comprobaverint ; insurrexere tamen contra, post decem fere annos ab edito ultimo tomo, anonymi quidam censores, qui furtivis scriptis hanc editionem, et tantum-non fidem nostram suspectam reddere moliti sunt.

Ejusmodi scriptiunculis in vulgus sparsis, commune prudentium fere omnium consilium fuit, ut leviores id genus libellos aspernaremur : quippe non decere, ut cum larvis et umbris luctaremur, ne respondendo pondus et auctoritatem furtivis illis libellis præberemus : neu Ecclesiæ pacem editis ultro citroque, ut fit, scriptionibus perturbaremus. Hoc consilium unanimi assensu comprobavere Præpositi nostri : quod tamen minime impedivit quominus, illis inconsultis, quidam e nostris novam sancti Augustini editionem defendendam tuendamque pro virili susceperint : ex quibus unus, qui tum Romæ versabatur, hujus editionis Vindicias in alma Urbe, sub auctoritate sacri Palatii Magistri, Romanis approbantibus vulgavit.

Jam eo res devenerat, ut furtivæ illæ utrarumque partium velitationes in apertum fere bellum prorumperent, cum Præpositi nostri, mutato demum pro rei statu consilio, eamdem editionem approbata ab se publica scriptione, Congregationis nostræ nomine, adversus latentes adversarios palam propugnandam censuerunt. Jamque propemodum affecta, typisque parata erat hæc scriptio, quæ et editionem, et fidem nostram ab iniqua suspicione et criminatione, tametsi privati quidam e nostris id jam satis præstiterant, omnino vindicaret.

Verum dum id meditaremur, his jurgiis intercessit Ludovici Magni auctoritas, qui, ut Ecclesiæ paci ab se conciliatæ indefessa sollicitudine semper invigilat, gliscenti in dies dissensioni, imperato utrisque partibus silentio, modum imposuit : sicque tanti Principis auctoritate repressa est ardens illa contentio, quæ sopitos jamdudum ignes excitatura videbatur. Hanc autem redintegrare, cum longe abest a moribus nostris, tum vetat in primis summa nostra erga Regem, regiaque jussa obtemperatio : dein Ecclesiæ pacis studium alte animis insitum nostris : denique charitas adversus omnes, quos turbulentis ejusmodi concertationibus offendere nobis religio fuerit.

Suppressis itaque, quæ ad nostram nostræque editionis defensionem adornatæ erant, commentationibus, ad objecta adversariorum respondere supersedimus, ne respondendo novas contra mandata regia lites serere videremur.

Verum ne forte adversariorum iniquæ criminationes piorum quorumdam et benevolorum etiam virorum animis quosdam scrupulos ingeneraverint ; hos paucis verbis curare in animum induximus, rati, id neque regiæ jussioni, neque Ecclesiæ paci contrarium, imo utrique omnino consentaneum fore. Etsi enim nihil non catholice, certe nihil non catholico animo a nobis dictum sit ; malumus tamen dare aliquid teneræ ac piæ illorum circa fidem affectioni, quam superbo fastidio eorum scrupulos dissimulare. Aliorum vero, si qui erunt qui contentioso animo rixas denuo redintegrare pergant, dicas et cavillationes deinceps prætermittemus, et pro nihilo habebimus.

In primis toties repetita a nobis omnibus et singulis professio, qua Constitutionibus summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII nos sincere et ex animo adhærere publice contestati sumus, nostram circa famosas quinque Propositiones fidem ab omni prorsus suspicione debet eximere. Si enim tot argumentis fulta fides in tuto non est, nulla erit a suspicione immunis ; et si cui non sufficiat tam sincera professio, nulla alia quantumvis jurata, quantumvis explicatior sufficeret. Has quippe Constitutiones et ex primis cum debita reverentia et submissione exceperunt in comitiis suis generalibus Præpositi nostri, easque ab omnibus et singulis, qui in cœtum nostrum admittendi essent, subscribi præceperunt.

De cætero ultro profitemur, nos sincere adhærere ecclesiasticis de Gratia Institutionibus, quas nuper ediderunt illustrissimi Archipræsules Carolus Mauritius le Tellier Remensis, et Ludovicus Antonius de Noailles Parisiensis; quorum ut dignitatem et auctoritatem veneramur, ita etiam doctrinam nos sequi palam agnoscimus et gloriamur.

Dum sic Romanis Pontificibus, aliisque Ecclesiæ præsulibus, quos Christus Dominus doctrinæ arbitros et judices constituit, demissis animis obsequimur; nemini obscurum esse debet, nos penitus abhorrere a quibusvis partium studiis, et in edendo Augustino sic in ejus doctrinam intendisse animum, ut ejus verba et sententias sincere ac genuine repræsentaremus.

Atque ut ad singula veniamus: in contexendis marginalibus summariis ipsissima passim verba Augustini, et quidem Augustiniano sensu, adhibere curavimus.

Hinc est quod ubi Gratiæ homine in illis summariis usi sumus, id intellectum volumus ipso contextus sensu et Augustini, qui Gratiæ Christi et Gratiæ proprie dictæ nomine, maxime post exortum Pelagii errorem, gratiam veram et interiorem, qualem iste negabat, in primis vero illam quæ victrix est et efficiens, designare solet: quod intelligitur ex omnibus fere libris quos contra Pelagianos conscripsit; quales sunt libri de Gratia Christi, de Correptione et Gratia, et, ut alios omittamus, libri quatuor contra Duas Epistolas Pelagianorum; in quorum postremi capite quinto, gratiæ, *quæ proprie gratia est*, nomine interpretatur sanctus Doctor *inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus*. Ubi clarum est vocabulis *gratiæ quæ proprie gratia est*, vel *quæ propria gratia est* (ita enim variant manuscripti codices), interiorem gratiam propugnari; quam malo dolo et clanculum subvertere nitebantur novi hostes gratiæ, dum vel ad legem, vel ad dilutiora et exteriora subsidia ipsam revocarent. Mentem hanc fuisse Hipponensis Præsulis, liquido docet locus ipse quem attingimus: eodem nimirum capite notat, *Nusquam istos gratiæ inimicos ad gratiam vehementius oppugnandam occultiores moliri insidias, quam ubi legem laudant*, . . . . . *Legem quippe diversis locutionum modis et varietate verborum, in omnibus disputationibus suis velle intelligi gratiam, ut scilicet a Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus*. Hæc retulimus paulo prolixius, ut de mente sancti Doctoris apertius constaret, ad eamque regulam exigerentur loca complura, quæ ad marginem adnotare visum est editoribus.

Igitur ut tota ista res facilius explicetur, duo breviter animadvertere placet, quæ magni sunt momenti ad fidem nostram ab omni suspicione exsolvendam.

Primum est, quod jam ex Augustino insinuabamus, ipsum inter alia christianæ pietatis capita quæ sibi defendenda sumpsit, isti probando diligenter incubuisse, gratiam veram, interiorem, propriamque christianæ legis, et diversam ab lege, doctrina, illuminatione, quo solo genere gratiæ contentos nos volebat Pelagius, Christianis omnibus agnoscendam. Id verò ipsi propositum fuisse in diuturna contra Pelagianos concertatione, libri fere universi, ut ante notatum est, adversus ipsos editi loquuntur; sed in primis liber de Gratia Christi, tum textus supra relatus ex capite quinto libri quarti contra Duas Pelagianorum Epistolas.

Isti autem primæ observationi adjungenda est alia: nempe sanctum Præsulem sic dedisse operam probandæ gratiæ interiori generatim sumptæ, ut tamen creberrimè memorarit speciem illam gratiæ, quæ perfectior vegetiorque habetur, et quæ ab potiori virtute et ab effectu, quem ex natura sua certo consequitur, efficax appellatur. Id vero cur faceret sanctus divinorum auxiliorum præco, causas habuit veras et graves.

Primo, disputabat adversus homines, qui cum possibilitatem solam adjuvari à Deo dicerent, negabant voluntatem et actionem ab ipso perinde juvari. Errori autem isti confutando quid magis aptum, quam afferre illud auxilii genus, quo ipsa efficitur actio? Secundo, cum disputatio potissimum ferveret de christianæ pietatis operibus, iisque ad salutem necessariis; annon æquum fuit afferri gratias illas, quibus christiana pietas et bonorum operum fructus ex ipsa efflorescunt? Demum, uti jam diu notatum est ab doctissimo Petavio, viro Augustinianæ doctrinæ magis perito quam tenace, non raro veteres, sed præ cæteris S. Augustinus, cum de gratia verba faciunt, de ea loquuntur, *quæ plena est, perfecta, et in suo genere perfectissima* (*Dogm. Theol. t. 1, p.* 749) etc.; quod subinde vir eruditus argumentis aliquot et comparationibus approbat. Quanto magis igitur qui de divinæ gratiæ subsidiis data opera disputat contra eos qui virtutem illorum elevant, gratias operis sui efficaces in medium producere debuit?

Ad hæc si æquus lector intendat animum, næ haud difficulter ille probabit fidem et sedulitatem nostram, tum in prædicto summario ad librum quartum contra Epistolas duas Pelagianorum, tum in aliis plerisque marginalibus notis. Et ut de priore aliquid dicamus, notavimus ab Augustino gratiam dici *inspirationem dilectionis*. Quis vero ita esse neget, cum omnis gratia tendat ad dilectionem? Dein inspiratio alia efficax, alia inefficax. Nos, generatim ipsa verba sancti Doctoris usurpando, diximus gratiam esse inspirationem dilectionis. Ubi crimen? ubi malus animus? Si de inspiratione generatim sumpta noster auctor, nos itidem de ipsa: si de efficace, quod multo credibilius, perinde nos quoque de ista. Quemadmodùm igitur gratiam Dei legem ipsam intelligi à Pelagianis advertimus ad illud ipsum caput, sic et gratiam ab sancto ejus defensore inspirationem dilectionis: quo scilicet interius auxilium opponeretur externo, quod unum Pelagiani admittere videbantur. Atque hac ipsa de causa gratiam *proprie* aut *propriam* vocat Augustinus, quoniam nec vera, nec propria erat Christi gratia, quam lege vel exteriore adjumento concludebant *liberi arbitrii inflatores*, ut aliquando ipsos vocat doctus Magister.

Cæterum ut solam gratiam victricem et actuosam vocabulis istis, *quæ proprie gratia est*, hoc loco et similibus designarit Augustinus, falso quis inde colligeret locum non relinqui ullis aliis adjutoriis, qualia sunt inefficacia et sensu Thomistarum sufficientia. Hujus generis gratias haud dubie agnoscit sanctus Præsul, nosque cum ipso veras et proprie dictas profitemur. Nec refert quod rarior illi de istis posterioribus mentio, aut quod nominibus aliis ipsas plerumque appellet; scilicet quandoque *voluntatem parvam*; quandoque *parvam charitatem, minorem, invalidam*; *imperfectam*. Vocabula nihil de re ipsa detrahunt. Certe charitatem parvam et imperfectam in Petro de se præsumente donum Dei constanter vocat, libro de Gratia et Libero Arbitrio, capite decimo septimo. Ut omittam interim, quod omnis bona voluntas sancto Doctori non possit esse absque gratia: quod et ad oram codicis, ubi se tulit occasio, notare non prætermisimus.

Neque vero æquiori de causa lis adversum nos movetur, quod *universam divinæ gratiæ œconomiam* oculis subjici libro de Correptione et Gratia admonuerimus. Primo id mutuali sumus ab clarissimo et eruditissimo Augustinianæ doctrinæ vindice et interprete (*a*), cujus verba et sensum reddidimus. Secundo, nullo alio in opere majori cum luce explicuit Hipponensis Præsul discrimina hominis stantis et innocentis, et hominis lapsi et noxii. Tertio, causas perseverandi vel non perseverandi in utroque statu nusquam diligentius expressit. Denique prædestinationis æternæ circa electos inconcussam doctrinam admirabili compendio pertexuit in dicto libro. Cur igitur vitio vel crimini datur dici, hunc librum universam gratiæ œconomiam complecti? Ubi et obiter illud profitemur, Opusculi ejusdem analyticam synopsim insciis Præpositis nostris publicatam: in quo flagitantium illam quorumdam voluntati morem gerere se posse arbitratus est unus e nostris, cum tamen nec illi nec nobis consilium fuisset particulam istam universo operi præmittere, a cujus proposito alienam esse, et ad id quod agebatur minime pertinentem non inviti agnoscimus. Neque enim commentarios aut analyticas summas edere animus fuit in opera sancti Doctoris. Cæterum de prædictæ analyseos, quæ cum auctoritate olim prodierat, utilitate, pretio, fide, ad nos dicere non attinet; cum harumce rerum præsulum arbitrium esse debeat, non privatorum, quales sumus.

Post ea vero quæ diximus, morari quemquam non debet, sive quod libro de Correptione et Gratia, ad marginem capitis secundi, gratiæ efficaci nomen *gratiæ Christi* præcipua quadam ratione tribuisse visi sumus: sive quod in libro de Gratia Christi insinuaverimus eam esse *definitionem gratiæ Christi*, quam illic affert S. Augustinus, scilicet, *Inspirationem luminosissimæ et ardentissimæ charitatis*: sive demum quod ad caput decimum tertium ejusdem libri notatum sit, *Quod qui per gratiam didicit, agat omnino quidquid agendum didicit*; et, *Qui per gratiam didicit, venit; qui non venit, non didicit*. Hæc enim et alia hujusmodi, quæ gratiæ efficaci maxime conveniunt, dicta sunt absque detrimento alterius veræ et interioris gratiæ, sed effectu suo carentis, qualem post sanctum Augustinum schola Thomistarum propugnat. Hinc solius gratiæ victricis et maximæ inopiam aut subtractionem significare voluimus ad librum secundum de Peccatorum Meritis et Remissione, ubi cum sanctus Doctor inquirit, *cur victricem delectationem non omnibus, vel non semper sanctis det Deus*; breviori forte compendio sententiam in margine sic expressimus: *Gratia cur non omnibus, vel non semper sanctis detur*. Ubi addita vocula *victrix*, offensionis ansam omnem ablatam cupiemus: licet Augustini sensu, eoque minime ambiguo, nomen gratiæ simpliciter pro efficaci gratia sumpserimus, cum et in sanctis et in peccatoribus cum sancto Antistite minores gratias, easque Thomistico sensu sufficientes, admittamus.

Revera ejus generis gratias passim experiuntur etiam peccatores, maxime in sua ipsorum conversione: multo minus justis eas denegat Deus; quippe qui justos *non deserit, nisi prius ab eis deseratur*. Hoc enim discrimen Augustinus inter Deum justificantem et medicum sanantem statuit, *quod medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cætero sustentandum elementis et alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, Deo dimittit*. At Deus postquam impium justificaverit, *eum non deserit si non deseratur, ut pie semper juste que vivatur*, inquit sanctus Doctor in libro de Natura et Gratia, capite vigesimo sexto.

Cum his itaque subsidiis justus perseveraret, si vellet: quod vero nolit, ejus culpa est, tametsi nunquam plene et efficaciter velet, nisi ampliori et fortiori gratiæ adjutorio fulciatur.

Ex his facile intelligitur, sinceram in Deo esse omnes salvandi homines voluntatem: quam voluntatem etsi aliquando ad electos, aut ad genera singulorum restringere videatur Augustinus, ut Pelagianorum pravis quibusdam in hoc capite sensibus occurrat; non tamen improbat alio quolibet sensu voluntatem istam explicari; *dum tamen credere non cogamur*, inquit, *aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse*, voluntate nimirum absoluta, *factumque non esse* (*Ench. c.* 103). Unde alio loco generalem quamdam Dei de omnium hominum salute voluntatem non obscure innuit, cum docet, *Sic velle Deum omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, ut tamen non adimat eis liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur: quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt* (*De Spir. et Litt., cap.* 33).

De præceptorum possibilitate tot et tam aperta sunt sancti Augustini testimonia, ut ea huc afferre otiosum fuerit: negat tamen ea possibilia esse ad mentem Pelagianorum, qui ea solis naturæ viribus, absque interioris

(*a*) Eminentissimus cardinalis Norisius, Historiæ Pelagianæ libro 1, pag. 145, editionis Patavinæ anni 1673.

gratiæ auxilio, possibilia esse contendebant. Hinc manifestum est cuivis sincero et æquo lectori, quo sensu dixerimus in sectione septima Præfationis ad tomum septimum, Bedam in Commentariis super Cantica canticorum commonstrasse reconditum virus in locis Pelagianæ ad Demetriadem epistolæ, cum in aliis, tum in his ejus verbis, *quod Deus nec impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est; nec damnaturus est hominem pro eo quod vitare non potest, qui pius est.* Quo in loco, cujus sensus jam aliunde satis exploratus erat, antidotum adhibere necessarium non duximus, ad præcavendum abusum illius effati, quod sine dubio verum et catholicum est tum apud beatum Augustinum, tum apud universos fidei catholicæ cultores. Quin etiam in Appendice ejusdem tomi integrum Bedæ locum retulimus, qui duplicem ejus effati sensum diserte exprimit : quanquam et vellemus illum utrumque in præfatione ipsa repræsentatum, ut vel levissimam offendiculi occasionem amoveremus.

Nos quoque, ut Catholicos decet, liberum in homine etiam lapso arbitrium incunctanter agnoscimus, et hujus catholicæ veritatis assertorem Augustinum secuti, cum ipso et omnibus Catholicis sentimus, voluntatem hominis sufficere sibi ad malum, non vero ad bonum absque gratia : cum e contrario Pelagiani asserent, integram nec peccato primi hominis vitiatam libertatem æqua lance ferri sive ad bonum, sive ad malum. Hinc cum sancto Antistite notare et rejicere libuit libertatis definitiones a Juliano in gratiæ præjudicium adductas, quibus æquilibris ad bonum et malum facilitas statuitur. Ubi tamen ingenue profitemur, de libero arbitrio secundum se spectato forte parvam aut nullam inter Catholicos et Pelagianos exortam esse quæstionem.

Non absimili cautione cum beato Antistite repudiavimus Julianeas peccati definitiones, quoniam mala mente proferebantur, scilicet in damnum gratiæ ad vitanda peccata necessariæ, et in incrementum liberi arbitrii. Julianus nempe peccatum aiebat, *a quo abstinere liberum est*, ea videlicet libertate, cui nihil ex se desit ad vitandum peccatum. Quæ tamen definitio si ab alio proferretur, quam ab doloso hæresiarcha, non esset de ipsa tantopere litigandum.

Sed utcumque disputarit Hipponensis Antistes cum Juliano de libertatis et peccati definitionibus, illud nobis omnino certum, indifferentiam activam, sive libertatem, ut vocant, contradictionis ad agendum vel non agendum, sive etiam ad merendum et demerendum in homine lapso, constanter agnitam et probatam a sancto Antistite; sive in bonum ex gratia victrici voluntas feratur, sive ad malum ex se ipsa et proprio defectu. Atque istud fidei catholicæ dogma tum ante, tum post exortam Pelagii hæresim ex æquo professus est clarus gratiæ defensor. Et quidem de peccato agens, libro tertio de Libero Arbitrio, capite decimo octavo : *Quæcumque ista causa est voluntatis*, inquit, scilicet malæ, *si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur : si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* Scimus quidem librum hunc a sancto Doctore scriptum fuisse ante ventilatam de gratia controversiam contra Pelagianos. Verum cum hic locus a Pelagio ipsi objectus fuisset, agnoscit verba sua, nec ea improbat, modo intelligatur posse caveri peccatum cum gratia Dei; nec prorsus eadem conditione censeantur quæ ita peccata sunt, ut sint etiam pœnæ peccati (*De Nat. et Grat., n.* 80). Hæc enim quanquam libere committantur, attamen non ea libertate qua cætera, quæ ante omnepeccatum committi potuerunt. Hac igitur adhibita cautione admittit S. Augustinus in ipso actu peccati veram ad non peccandum potentiam, id est activam indifferentiam, qualem in bonis actibus ex gratia factis admisit.

Non recessit ab ista doctrina sanctus Episcopus, sive primis, sive postremis contra Pelagianos operibus, quam cum Pelagio et Juliano decertans apertissime propugnat. Neque vero necesse est super ea re locorum indicem contexere, qui jam ab aliis est confectus. Id solum observabimus, liberum nonnunquam latiori et generaliori significatu ab Augustino usurpari pro voluntario etiam necessario : quo sensu amorem justitiæ in Deo, et innatum in homine beatitudinis generatim sumptæ desiderium, liberum esse dixit, id est voluntarium. Quapropter in libro de Natura et Gratia, allato Pelagii hoc dicto, *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privari quidquid naturali necessitate constringitur*, id non omnino probat S. Augustinus, dum subdit, *Et hic nonnulla quæstio est.* Quo loco significat nimis diffuse et indistincte, imo etiam inconsiderate, locutum esse Pelagium, atque in ejus dicto nonnihil adhuc superesse quæstionis, eo quod non id omne quod voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, naturali necessitati obnoxium sit : quippe id absurdum, nec satis accurate aut provide dictum esse, probat exemplo innati in nobis beatitudinis appetitus, et voluntatis justitiæ in Deo; quod utrumque necessarium est, sic tamen ut suo quodam modo ad voluntatis arbitrium, saltem quoad hujus exercendi modum, pertinere posse videatur. Unde verbis ipsius contextus adhærentes, eo loco ad marginem apposuimus hoc summarium : *Necessitas non pugnat cum arbitrio voluntatis.* Durius quidem id aliquibus dictum videri posset, nisi ex ipso contextu satis intelligeretur, illic voluntatis arbitrium, si ad rem ipsam attendas, sumi pro ipsa voluntate, sive pro voluntario. Quanquam et dici posset, cum hic Augustinus nolit tantum quavis necessitate perimi in homine liberum arbitrium, contra quod volebat Pelagius; cautius fortasse futurum fuisse summarium adjectione unius vocis, in hunc modum, *Non quævis necessitas pugnat cum arbitrio voluntatis.* Revera enim necessitas infallibilitatis non adversatur veræ libertati, ut plerisque in locis S. Augustinus explicuit, qui et vocabulum necessitatis non raro usurpavit pro vehementi quadam propensione ex naturæ vitio

orta : quo sensu in homine post lapsum non veretur agnoscere *duram peccandi necessitatem;* sed quæ sit generalis duntaxat : quoniam in præsenti conditione omnia et singula, etiam levia, peccata vitare homo non potest ob naturæ infirmitatem ; vel quæ sit moralis tantum , et fere similis isti necessitati , quam affert prava consuetudo crebris actibus progenita. Ea vero consuetudine simplicem et absolutam inferri necessitatem non existimarunt S. Augustinus aut Julianus, quod ex utriusque disputationibus promptum foret ostendere.

Occasione autem loci superius adducti, non ab re fuerit observare, vulgatum Augustini ex libro de Correptione et Gratia, capite undecimo, effatum ad manuscriptos codices a nobis emendatum fuisse in hunc modum : *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono :* ubi superiores etiam Lovaniensium editiones habent *nihil est.* Quod etsi Augustinus habet in Epistola centesima octogesima sexta, ad Paulinum, numero trigesimo quarto, ubi ait, *sine gratia ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere;* priori tamen loco, qui ex libro de Correptione et Gratia desumitur, melius quadrat *parum* quam *nihil :* siquidem illic agitur de primo homine innocente , quem Deus noluit esse sine gratia, quam libero ejus permisit arbitrio; quoniam *liberum arbitrium*, ait sanctus Doctor, *ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Bono.* Certe ut dici possit de hominis lapsi libero arbitrio, quod ex se absque gratia nihil sit ad bonum operandum; minus congrue dici posse videtur de homine innocente, cujus liberum arbitrium, utpote sanum, ad bonum sine ullo obice ferri poterat.

Hæc minutiora persecuti sumus, ut *verborum controversias auferamus* (*De dono Persev. n.* 11). Quanquam eorum, qui veterum Patrum opera recensere student, misera esset conditio, si in ipsas etiam notas eorum marginales, ut contra nos in hac editione actum est, impune animadvertere, et singulas earum syllabas ad severam immitis censuræ trutinam discutere quibusvis iniquis censoribus liceret. Quotus enim quisque est, qui in re tam lubrica et difficili non aliquando vel leviter cespitet; qui sententiam auctoris semper ad apicem assequatur, aut perfecte reddat; qui denique tam brevi verborum compendio pagellam quandoque integram ad amussim explicare possit?

Verum quantumvis injusta futura sit quorumdam in nos hominum censura, institutum nihilominus nostrum, Deo favente, constanter persequemur : et si quidem nobis esse molesti pergent, illud nobis solatio erit, quod eadem sors olim contigerit veris Augustini discipulis, in primis Cæsario Arelatensi episcopo, cujus fides ob prædicatam sanctissimi Viri doctrinam a quibusdam obtrectatoribus infamata est.

Hinc collecta Valentiæ synodus episcoporum, quibus Cæsarius fidem suam approbavit. Quin etiam Bonifacius Pontifex Romanus, *calcata jurgantium malevola intentione, prosecutionem sancti Cæsarii apostolica auctoritate firmavit,* ut Cyprianus Tolonensis antistes in ejus Vita tradit.

Quanquam melius fortasse nobis de hominum æquitate sperandum sit. Forte enim, ut verbis Augustini utamur, si qui aliter senserint, *quando secum ipsi paululum sine certandi studio cogitaverint, quam sit absurdum nec dignum disputatione quod dicunt, continuo sententiam commutabunt. Quod si noluerint, non usque adeo de humanis sensibus desperandum est, ut metuamus ne hoc cuipiam persuadeant* (*De Peccatorum Meritis lib.* 1, *n.* 22).

Quid jam nobis aliud restat post diuturni ac laboriosi operis optatum finem, quam ut tutelam ac præsidium illustrissimorum Galliæ antistitum demisso, sed alacri tamen, animo deposcamus?

Scilicet cum admirabili divinæ Providentiæ consilio factum sit, ut sanctissimi Ecclesiæ doctoris Augustini novæ operum editioni suprema tum a nobis imponeretur manus, cum ad generalia Comitia ex omnibus Regni partibus una convenirent ad fanum sancti Germani : nihil nobis opportunius, fortunatiusve contingere potuit, quam ut eos appellaremus qualiscumque laboris nostri judices et arbitros, qui et dignitate sua constituti sunt a Deo pastores ad regendam Ecclesiam, et ad catholicæ doctrinæ sacrosanctum depositum vigili cura apostolicaque auctoritate tutandum.

Atque hoc præcipue nomine, Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Augustinum adducimus ad vos, qui totus quantus est, sub unius veluti tabellæ conspectu oculis vestris contemplandus objicitur. Neque vero conspectum vestrum reformidare potest veteris et avitæ fidei propugnator acerrimus, qui causam Ecclesiæ toties a se defensam, majorum quoque vestrorum præsidiis toties suffultam haud ignorat, quam et a vobis, qui ipsorum vestigiis lubenter insistitis, non dissimili animo atque studio sperat hodie propugnandam.

Hinc in nobis oritur non dubia spes, vos nuper elaboratæ Augustinianorum operum editioni propitios fore; neque vestrum illius viri lucubrationibus defuturum patrocinium, quem *specialem fidei patronum* (*S. Prosp. epist. ad. August. n.* 1) vos universi cum beato Prospero incunctanter agnoscitis.

Nihil hic necesse est a nobis commemorari, quanta fuerit olim Gallicanorum cum Romanis præsulibus consensio in sancti Viri commendandis operibus. Exstant tum Sedis apostolicæ Pontificum Innocentii, Cœlestini et aliorum; tum Gallicanarum synodorum Arausicanæ, Valentinæ et aliarum consignata litteris monumenta, quibus Hipponensis Antistes et inter optimos Ecclesiæ magistros annumeratur, et tanquam antiquæ fidei custos integerrimus ex omnium communi voce et sensu declaratur.

Isthæc æquissima veteris Ecclesiæ judicia de sancti Præsulis doctrina et fide ut animos addidere nobis ad immensi laboris onus subeundum, ita effecere ut ea qua par erat religione doctissimi Antistitis scripta attingeremus; pia nimirum sedulitate religiosaque cautione opus esse rati, ut qua mente, quo consilio, qua fide primum profecta essent ex sanctissimi Doctoris ore et manu utilissima opera, rursum ederentur a nobis pari

fide, animo atque proposito, in universalis Ecclesiæ decus, commoda, atque præsidium.

Quis conatuum nostrorum in tam arduo incœpto fuerit successus, palam edicere cum vetat pudor, tum pene universorum in Ecclesia ordinum, in primis vestrum omnium benignissima de illo judicia. His amplissimum labori nostro præmium, certe exspectatione nostra et merito nostro longe majus, non sine grati ac demissi animi tacita significatione experti sumus.

Istis autem bonarum vestrarum voluntatum testificationibus freti atque confisi, querimonias obtrectantium nonnullorum facile insuper habuimus. Id enim nobis certo persuasum fuit, navatam a nostris in Augustino illustrando operam calculis universorum comprobandam, cum iis placuerit, penes quos istarum rerum et judicium et arbitrium esse universi confitentur.

Neque vero exspectatio ista nos fefellit. Novum ecce et ingens operi nostro præsidium accedit ex nupera per apostolicam Sedem damnatione libellorum quibus invidia gravare nos moliebantur haud æqui laborum ac fidei nostræ æstimatores. Palmarium adversus istos defensionis nostræ incrementum afferet augustissimi Cœtus vestri auctoritas et suffragium : atque hanc communis vestræ sententiæ atque judicii significationem eo impensius liberiusque deposcimus, quo totum hoc vigiliarum nostrarum opus sub Ludovici Magni auspiciis, regioque insignitum nomine publicam in lucem emisimus.

Quod si religiosissimi Principis in recognoscendo isto munere benignitati et humanitati addideritis commendationis vestræ pondus, erit omni præsidii genere vallatum opus, quod nec ulla delebit ætas, nulla lacessere in posterum audebit manus atque protervia : pro quo insigni favore atque benefacto, Clarissimi sanctæ Religionis Antistites, et vobis singulis, et universo Sacrosancto Ordini vestro acturi atque habituri sumus immortales gratias.

# IN APPENDICES AUGUSTINIANAS

## ET ALIA HOC IN VOLUMINE CONTENTA

## Brevis præfatio.

Quandoquidem seorsum et in angulum rejecta sunt spuria illa Opuscula, quæ variis temporibus S. Augustino supposita fuere; eumdem quoque modum et ordinem hoc loco tenere visum est, adeoque peculiarem ejusmodi scriptis Præfationem assignare a generali sejunctam, quæ operæ in hac etiam parte a nobis impensæ rationem contineat : tum ut ne quis ea a nobis neglecta fuisse forte suspicetur; tum ut lector ad eorum lectionem informetur, moneaturque de aliis rebus, quæ in hoc postremo volumine continentur.

Ut ad rem veniamus, singulæ singulis Augustini tomis subjiciuntur Appendices, eas complectentes scriptiunculas, quas vel stili quædam imitatio, vel argumenti affinitas, vel casus, vel temporum ignorantia, vel denique fraus auctorum bibliopolarumve Augustino affinxit. Ex stili nonnulla imitatione factum putamus, ut Cæsarii Arelatensis episcopi plurimi sermones Augustinianis accenserentur. Quod vero Pelagii ad Demetriadem epistola, et Fastidii ad Fatalem viduam de Vidua christiana liber sancto Doctori adscriptus sit, haud scio an argumenti affinitate, an dolo contigerit auctorum, qui vel ut scriptioni suæ auctoritatem pretiumve accerserent, vel quod nomini diffiderent suo, tanti nominis titulum supposuerint. Non aliud certe in causa fuit, cur editores et bibliopolæ subdititiis illis scriptis idem nomen præfixerint, nimirum ut majoris pretii haberentur, et carius venirent spuriæ illæ merces. At fatendum est casu vel temeritate amanuensium et editorum plerumque factum fuisse, ut hoc speciosō titulo ejusmodi adulterina opuscula honestarentur. Nam sæpius contigit, ut cum librarii aliquos Augustini libros exscripsissent, nec eis ex sancto Doctore suppeteret unde æquum volumen conficerent; ex quovis anonymo opere, quod fortuito esset ad manum, supplerent quod justo volumini deesset. Idque subinde ansam præbuit tum exscriptoribus, tum incautis editoribus, ut posteriora hæc opera eidem auctori adscriberent, cujus nomen priora præferebant. Quæ res eo usque progressa est, ut nullum fere sæculum sit, ex quo adulterinæ ejusmodi aliquæ scriptiones genuinis Augustini operibus non accesserint.

Hinc natum est triplex incommodum : unum quod genuinorum ejus operum dignitas et lectionis gratia ex hac farragine nonnihil minueretur; alterum, quod inde traditionis veritas quodammodo etiam obscuraretur, dum posteriorum temporum scripta ad superiorem ætatem pertinere putantur; tertium denique, quod suppositi illi fetus incautos lectores inducant ad sectandas sinistras opiniones, quas splendido Augustini nomine obtectas deprehenderint. Quapropter ut his incommodis occurreretur, ejusmodi spurias scriptiones a genuinis et sinceris Augustini Operibus segregare, et in angulum quemdam rejicere plurimum intererat.

Hoc negotium ab eruditis nonnullis primum inchoatum, a Lovaniensibus deinde, tum a Joanne Verlino et a Bernardo Vindingo, Augustinianis, multum promotum, et magna ex parte confectum, necdum tamen penitus

absolutum, operam etiam nunc aliquam exigere videbatur. Nihil vero a nobis prætermissum, ut ei fieret satis. Ejus rei causa veteres manuscriptos codices, in quibus sua cuique auctori adscribuntur, quam plurimos adhibuimus : viros doctos, qui ex familiari sancti Doctoris lectione et frequenti usu stilum ejus ac genium persentire assuefacti sunt, consuluimus; nosque ipsi cum indubitatis Augustini Operibus ea quæ dubia et non ita certa erant, diligenter contulimus; et stilo, sententiis, doctrina, Scripturarum citationibus et explicandi ratione invicem comparatis, rem eo a nobis perductam existimamus, ut nullum, aut fere nullum inter genuina Augustini opera rejiciendum supersit, quod non rejectum sit; nullum, aut fere nullum rejectum, quod non æquis censoribus rejiciendum videatur.

Verum quia notha hæc opera discernere haud sufficiebat, nisi etiam veri eorum auctores indicarentur; id quoque, quantum nobis licuit, præstare conati sumus, rati nullius fere pensi a lectoribus haberi ea scripta, quorum scriptores ignorantur. Neque certe nos operæ nostræ pœnituit. Datum quippe est detegere bene multos, quorum seriem inferius exhibituri sumus. In aliis haud paucioribus auctorum superiorum fragmenta observavimus, quæ vel asteriscis, vel etiam uncinulis distinximus, notatis locis, ex quibus hæc translata et accepta erant. Unde fit ut facili negotio deprehendatur tempus quo unaquæque hæc opera conscripta sint. Hinc traditionis ecclesiasticæ curiosus indagator perspiciet, sæculo duodecimo superiores non esse, nedum ad Augustini tempus revocandos, libros de Spiritu et Anima, de Diligendo Deo, Manuale, ubi in eis adverterit fragmenta ex Anselmo, Bernardo, et Hugone Victorino. Cæterum ne ejusmodi spuriis opusculis Augustini doctrina quodammodo contaminaretur, si res de quibus in eis agitur, in eumdem indicem permixtim conjiceremus; peculiarem Appendicibus indicem generalem rejecimus in ultimum huncce tomum, de quo in præsens agendum est.

In postremo hocce tomo post hanc Præfationem sequitur Vita sancti Augustini, ex ipsius scriptis a nobis concinnata : qua in re magno nobis usui fuere commentarii piæ memoriæ Sebastiani Le Nain Tillemontii, qui nobiscum suos in hanc Vitam commentarios liberaliter communicavit, nullo alio animo, quam ut Ecclesiæ Dei consuleret, cui universos labores suos, maximos sane et utilissimos, unice consecravit, ab inani vani nominis gloriola supra communem modum alienus. Hæc Vita erit instar Augustinianorum, imo ecclesiasticorum ejus temporis, Annalium quorum sanctissimus Doctor pars magna fuit; singulisque annis ad marginem adnotatis, sua facta, quantum veterum rerum longinquitas patitur, assignabuntur. Aliam breviorem vitam a Possidio compositam habes in fine tomi decimi.

Prolixiori illi Vitæ succedent tres indices Operum S. Augustini. In primo exhibetur series et ordo cujusque tomi Operum, cum Lovaniensi, cui Erasmianus fere concordat, comparatus : in secundo, ordo antiquus cum novo collatus : in tertio denique, singula Opuscula ordine alphabetico referuntur. Horum Indicum auxilio qui antiquis editionibus assuefacti sunt, facili negotio unumquodque Opusculum reperturi sunt (*a*).

Triplicem hunc Indicem excipiet Index universalis, et quidem copiosissimus omnium rerum, quæ in decem Augustini Operum tomis continentur; tum Index itidem generalis omnium Scripturæ sacræ locorum, quæ in illis operibus sparsim explicantur. In priori illo Indice concinnando non tantum singulorum tomorum Indices a nobis consulti sunt, sed nova insuper diligentia adhibita ad supplenda ea, quæ forte in peculiaribus illis Indicibus desiderabantur. Diu anceps fuit animus, quamnam methodum in adornando hoc generali Indice sequeremur. Principio venerat in mentem, quamdam Augustinianæ doctrinæ Summam, sive quoddam Theologicum corpus ad mentem sancti Doctoris ex selectis fusioribusque ejus sententiis contexere secundum methodum sancti Thomæ vel Magistri sententiarum. Verum consultius demum visum est generalem rerum Indicem ordine alphabetico de more adornare; ex quo haud operosum fuerit prædictam conficere Summam; quæ alias si e re publica esse videbitur, fieri poterit, et seorsim in lucem emitti.

Extremum denique locum tenebit Index alius generalis omnium spuriorum Opusculorum, quæ in Appendicibus cuique tomo subjunctis continentur. Hic Index omnino necessarius visus est ad levandum lectorum laborem, qui Augustini scriptis lectitandis assueti, vix ac ne vix quidem alienis ejusmodi scriptiunculis, quas inter multæ quisquiliæ sunt, tempus et otium terere sustinerent. Tametsi non pauca in his reperiuntur scripta veterum quorumdam insignium auctorum, lectorum studio haudquaquam indigna : qualia sunt Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Maximi Taurinensis, Fulgentii Ruspensis, et aliorum ejusmodi opuscula, uti et sermones Cæsarii episcopi Arelatensis; sed quæ vel solo auctorum nomine lectorem alliciant. Horum omnium auctorum et aliorum, quantumvis ignobilium vel ignotorum, Indicem generalem, ab Augustiniano sejunctum, conficere quoddam operæ pretium duximus : ut hoc compendio, absque magno dispendio temporis, lectores dispicere possint, quidquid in illis opusculis lectu aut scitu dignum reperiatur. In tanta vero, tamque varia diversorum auctorum et opusculorum congerie fieri non potuit, quin diversæ subinde pugnantesque de una eademque re occurrant sententiæ, imo etiam errores et exoticæ opiniones. Quod qui in malam rapiat partem, nec ille contra rectæ rationis leges pugnaverit. Paulo minus ab æquitate aberraverit, qui nos marginalium notarum fecerit approbatores aut fidejussores. In his enim nostri tantum muneris est, non nostra, sed aliena indicare et proferre; neque contextum ad amussim repræsentare, sed notas quasdam et signa extra lineas ponere,

(*a*) Translata huc utraque Bened. præfatione, tres tamen Indices, de quibus agitur, in ultimo tomo videre est. M.

quæ lectorem properantem, et cui per otium integra illa Opuscula perlegere non vacet, admoneant argumenti de quo agitur, invitentque ad ea penitius discutienda quæ e re sua esse intellexerit.

His absolutis, tria duntaxat a nobis insuper desiderari posse videntur : nempe indicatio variarum sancti Augustini editionum, quæ ab inventa arte typographica factæ sunt : deinde commemoratio virorum omnis ordinis clarissimorum, qui nobis veterum codicum suppetias contulerunt ad hanc editionem adornandam : denique collectio testimoniorum ex vetustis saltem auctoribus, qui sanctissimum Doctorem ejusque scripta elogiis exornarunt.

Ad primum quod attinet, res propemodum infinita esset omnes commemorare Augustinianorum Operum, sive omnium, sive singulorum, editiones. Post libros de Civitate Dei, qui novæ typographicæ artis primos fere honores lucemque meruerunt, alia sanctissimi Doctoris Opera subinde vulgavit Joannes Amorbachius, eaque omnia in unum tandem corpus redigere cœpit anno 1504, quod undecim in partes distinctum intra biennium absolvit : dum interim Jodocus Badius Ascensius quædam sancti Doctoris Opuscula variis annis tum Parisiis, tum Lugduni, typis imprimi curavit. Majorem collectionem decem tomis, anno 1529, Basileæ in lucem emisit Desiderius Erasmus : cujus editionem multæ aliæ variis in locis subsecutæ sunt usque ad annum 1577, quo Doctores Lovanienses auctiorem et longe accuratiorem Antwerpiæ publici juris fecerunt.

Jam vero quoties hæc Lovaniensis editio recusa sit, si quis percensere vellet, res abiret in longum, nec forte tanti esset. Quis porro singulorum Opusculorum singulas editiones enumeret ? In his Joannes Ulimmerius novum volumen, cui titulum inscripsit *de Diversis*, constans Sermonibus centum triginta duobus, partim antea ineditis, partim ab ipso castigatis, anno 1564, cum Vita Augustini a Possidio scripta et ejus Operum Indiculo in vulgus emisit. Alios sermones nostro tempore e tenebris eruerunt Jacobus Sirmondus, et Hieronymus Vignerius, quorum posterior Opus imperfectum contra Julianum primus vulgavit.

Has in primis suppetias habuimus ad nostram editionem conficiendam : quibus accessere infiniti propemodum veteres codices, e plurimis deprompti bibliothecis, quas commemoravimus suis locis, ubi singulorum Operum collationes ad veteres codices factas notavimus. Singulorum virorum nomina, qui ejusmodi subsidia nobis contulerunt, recensere cuperemus : verum ab hac enumeratione hoc loco abstinere visum est, ne quem aut illaudatum præteriremus, aut suo non commemoraremus ordine, aut debito denique elogio fraudaremus. Omnibus et singulis gratiam habebunt, ut speramus, lectores benevoli, cum eorum bibliothecas suis locis commemoratas viderint.

At sine ingrati animi vitio silere non possumus, quantam habeamus gratiam tum eminentissimo Ecclesiæ principi Antonio Ludovico de Noailles archiepiscopo Parisiensi, quem sanctissimus Pontifex Innocentius XII ob pietatem et doctrinam sibi notam et probatam, sacra purpura, dum hæc absolveremus, gratanti animo, universis applaudentibus decoravit; tum illustrissimo Carolo Mauritio le Tellier archiepiscopo duci Remensi : qui ambo, pro eximio suo in Augustinum studio, novam hanc editionem suo patrocinio dignati sunt, suaque auctoritate roborarunt : quibus illustrissimus Meldarum antistes, Jacobus Benignus Bossuet, non minus propenso in sanctum Doctorem animo ultro accessit.

Postremo veterum de Augustino testimonia congerere haud operæ pretium fuerit : cum illustriora ejus elogia cuivis erudito lectori aliunde obvia sint; nec alia necessaria videantur ad tantum virum commendandum, quem in exponendis fidei dogmatibus, et morali doctrina christiana explicanda, Doctorem maximum, integerrimum, et puriori Christi doctrinæ maxime inhærentem universa agnoscit Ecclesia.

# VITA POSSIDII.

Possidius, urbis Calamensis in Numidia episcopus electus anno 397, discipulus fuit D. Augustini, quocum quadraginta prope annis, ut ipse narrat, vixit familiariter. Magistri sui extremum excepit spiritum, Vitamque scripsit quam infra referimus, non stili quidem splendore, sed suavi quadam simplicitate necnon factorum veritate pretiosam. Cui Indiculum adjunxit librorum, tractatuum et epistolarum D. Augustini (1). Inter varias quæ prodierunt hujus Vitæ editiones, primum locum facile tenent, propter annotationum excellentiam, duo quas vulgavere PP. Benedictini in collectione operum sancti doctoris, et seorsim Joannes Salinas Neapolitanus, regularis canonicus Lateranensis. Hæcce posterior editio Romæ data est anno 1731. Utramque consuluimus. M.

(1) Indiculus de quo agitur, in tomo ultimo opportune veniet.

# VITA
# SANCTI AURELII AUGUSTINI,
## HIPPONENSIS EPISCOPI,
### AUCTORE POSSIDIO CALAMENSI EPISCOPO.

*Variis lectionibus quas PP. Maurini tum e sex codicibus, scilicet duobus Floriacensibus, Germanensi, Vedastino, Fossatensi et Cisterciensi, tum ex editionibus antiquis eruere, complures alias adjecimus depromptas ex Joanne Salinas, de quo supra in Vita Possidii. Eruditus ille vir, cui nonnullæ debentur ejusdem generis lucubrationes et imprimis Commonitorii Lirinensis exquisitissima editio, ut bene noverunt nostri* Theologiæ Cursus Completi *lectores, Vitam D. Augustini auctore Possidio Romæ vulgavit, anno* 1731. *Hi sunt fontes unde variantes sibi proprias hausit : Duo codices in Bibliotheca Suecorum Reginæ inscripti numeris* 541 *et* 1025, *tresque alii codices Bibliothecæ Vaticanæ,* 1188, 1190 *et* 1191 *numerati.* M.

PRÆCIPUARUM ABBREVIATIONUM EXPLICATIO.

Cd. Codex.
Cdd. Codices.
Ms. Manuscriptus.
Mss. Manuscripti.
Edd. Editi.
Vatic. Vaticanus codex. M.

## PRÆFATIO.

Inspirante rerum omnium factore et gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Salvatoris omnipotenti ac divinæ per fidem Trinitati servire decrevi, et antea in vita laicorum, et nunc in officio episcoporum, studens ex qualicumque accepto ingenio et sermone ædificationi [1] prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini catholicæ Ecclesiæ, de vita et moribus prædestinati, et suo tempore præsentati [2] sacerdotis optimi Augustini, quæ in eodem vidi, ab eoque audivi, minime reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatum fuisse a religiosissimis sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ viris legimus et comperimus, qui divino afflati Spiritu, sermone proprio atque stilo, et auribus et oculis scire volentium, dicendo et scribendo similia studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia [3] in rebus humanis, et vivere, et usque in finem obitus perseverare meruerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta, qua Domino dominantium omnibusque bonis serviendum et placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis viri et exortu, et procursu, et debito fine [4], quæ per eum didici, et expertus sum, quam plurimis annis ejus inhærens charitati, ut Dominus donaverit, explicandum suscepi. Verum summam quæso majestatem, quo munus hujusmodi a me arreptum ita geram et peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Ecclesiæ filiorum ulla ex parte fraudare videar charitatem. Nec attingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis Confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam sumpta viveret, designavit. Hoc enim facere voluit, ut ait Apostolus, ne de se quisquam hominum supra quam se esse noverat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret (II *Cor.* XII, 6), humilitatis sanctæ more utens, et jam nullum fallens [1], sed laudem non suam, sed sui Domini, de propria liberatione ac munere quærens, ex iis videlicet quæ jam perceperat; et fraternas preces poscens, de iis quæ accipere cupiebat. *Sacramentum* igitur *regis*, ut angelica auctoritate prolatum est, *bonum est abscondere : opera autem Domini revelare et confiteri, honorificum est* (*Tobiæ* XII, 7).

CAPUT PRIMUM. — *Augustini ortus, conversio et baptismus. Ambrosii doctrina revocatur ab errore Manichæorum. Baptizatur ab eodem.*

Ex provincia ergo Africana [2], civitate Taga-

[1] Veteres Cdd. Germanensis, Fossatensis et Cisterciensis habent *ædificationis*.
[2] Salinas, ex Cd. Reginæ Suecorum, *prælecti*. M.
[3] Vedastinus Cd. et unus ex duobus Floriacensibus Mss. : *Per communis Domini gratiam*. — Salinas ex Cd. Reginæ : *Ex communi Dominica gratia*. M.
[4] Ulimmeriana editio, *et vitæ fine*, corrupte. Alludit hic Possidius ad Augustini verba, de Civitate Dei, l. 11, cap. 1.

[1] Tres Mss. : *Humilitatis sanctæ more utique nihilo fallens*. — Salinas ex Cd. Reginæ : *Humilitatis sanctæ memoria utens, utque nihil fallens*. Alter Cd. Reginæ : *Utique nihil fallens*. M.
[2] Salinas : Libentius legerem : *Ex provincia ergo Africæ*, ut manuscripti tres codices Vaticani ferunt; præsertim quia cum absolute Africana provincia nominatur, proconsularis intelligitur, ut in concilio Carthaginensi, de iteratione baptismi, sub Cypriano habito. « Cum in unum, inquit, Carthagini convenissent episcopi plurimi ex provincia Africa » (seu Africana, ad designandam proconsularem), « Numidia, Mauritania. » Unde, cum Augustinus non sit in proconsulari

stensi, de numero curialium parentibus honestis et christianis progenitus erat ; alitusque ac nutritus eorum cura, et diligentia impensisque, secularibus litteris eruditus apprime, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant [1]. Nam et grammaticam prius in sua civitate, et rhetoricam in Africæ capite Carthagine postea docuit. Consequenti etiam tempore trans mare in urbe Roma, et apud Mediolanum, ubi tunc imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus. In qua urbe tunc episcopatum administrabat acceptissimus Deo, et in optimis viris præclarissimus sacerdos Ambrosius. Hujus interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus astans in populo, intendebat suspensus atque affixus. Verum aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescens fuerat errore seductus : et ideo cæteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa, vel contra ipsam hæresim diceretur. Et prævenit [2] Dei liberatoris clementia sui sacerdotis cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes legis solverentur quæstiones : atque ita edoctus, sensim atque paulatim hæresis illa miseratione divina ejus ex animo pulsa est; protinusque ipse in fide catholica confirmatus, proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quo propinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam perciperet. Et factum est divina præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium, et doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ, et divina perciperet Sacramenta [3].

### CAPUT II. — *Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.*

Moxque ex intimis cordis medullis spem omnem quam habebat in sæculo, dereliquit; jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores sæculi quærens ; sed Deo [4] cum suis servire statuit, et in illo, et ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens : *Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam : facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cœlis* (*Luc.* XII, 32), et cætera. Et illud quod dicit iterum Dominus, idem vir sanctus facere cupiens : *Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis ; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Et super fidei fundamentum ædificare desiderans [1], non ligna, fenum, et stipulam; sed aurum, argentum, et lapides pretiosos. Et erat tunc annis major triginta, sola superstite matre [2], sibique adhærente, et de suscepto ejus proposito serviendi Deo amplius quam de carnis nepotibus exsultante. Nam ejus pater antea defunctus erat. Renuntiavit etiam scholasticis, quos rhetoricam docebat, ut sibi magistrum alium providerent, eo quod servire Deo ipse decrevisset.

### CAPUT III. — *Secessus Augustini. Quidam ab Augustino conversus.*

Ac placuit ei percepta gratia [3] cum aliis civibus et amicis suis Deo pariter servientibus ad Africam et propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, et in quibus constitutus, ferme triennio, et à se jam alienatis curis sæcularibus [4], cum iis qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de iis quæ sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat; et præsentes et absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit forte eodem tempore, ut quidam ex iis quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem-Regium constitutus, bene christianus, Deumque timens, comperta ejus bona fama atque doctrina, desideraret atque optaret eum videre, promittens se posse mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod cum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare [5] animam cupiens ab hujus vitæ periculis morteque æterna, ad memoratam ultro atque confestim venit civitatem, et hominem visum allocutus frequentius atque exhortatus est, quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat reddidisset. Ac [6] se ille de die in diem facturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præsentia : sed vacare utique [7] et inane esse non potuit, quod per tale vas mundum et in honore, utile Domino, et ad omne opus bonum paratum (II *Tim.* II, 21), in omni loco divina gerebat providentia.

### CAPUT IV. — *Capitur ad presbyterii gradum.*

Eodem itaque tempore in Ecclesia Hipponensi catholica Valerius sanctus episcopatum gerebat. Qui cum, flagitante ecclesiastica necessitate [8], de provi-

provincia ortus, sed in Numidia, cujus opulentum ac nobile erat oppidum Tagaste, propterea rectius diceretur ex provincia Africæ natus ; accepta nimirum Africa, ut olim a Pomponio Mela, Ptolomæo, antiquitusque ex ecclesiastico more, in tres dividebatur partes, nimirum in Mauritaniam, Numidiam ac Africam stricte sumptam, quæ erat proconsularis provincia. At Isidori Hispalensis reverentia prohibuit ne in textum immitteremus conjecturam nostram, quia ipse in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 8, vocat Possidium Africanæ provinciæ episcopum, licet in Numidia urbs Calamensis sita esset. M.

[1] Salinas, ex Cdd. duobus Vatic. : *Alitusque atque nutritus eorum cura et diligentia, impensius sæcularibus litteris eruditus, apprime omnibus disciplinis imbutus, quas liberales vocant.* Nam etsi parentes eum impensis quibus poterant juverint, ex ipso tamen S. Doctore, libro 2 contra Academicos, n. 3, constat sumptibus Romaniani, in sua urbe primatis, profecisse in litteris; hisque verbis gratum testatur animum : « Tu me adolescentulum pauperem, inquit, ad peregrina studia pergentem, et domo et sumptu, et, quod plus est, animo excepisti. » M.

[2] Plures Mss., *et provenit.*

[3] Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *Et divinum perciperet Sacramentum.* M.

[4] Edd., *soli Deo.* Abest *soli* a Mss. — Salinas, ex Cd. uno Vatic. : *Sed Deo servire constituens.* Alter Cd. Vatic. : *Sed Deum, cui servus esse constituit.* M.

[1] Salinas, ex Cd. Reginæ : *Et super fidei fundamenta ædificare desiderans.* Alter Cd. Reginæ, *desiderabat.* M.

[2] Juxta Salinas, quidam Cdd. addunt nomen matris, *Monnica*; et paulo post patris nomen, quod est *Patricius.* M.

[3] Edd. : *Percepta Baptismi gratia;* sed vocem Baptismi non habent Mss.

[4] Omnes Mss. omittunt *curis sæcularibus*, et ex his unus Floriacensis pro *alienatis* præfert *alienatus.* — Salinas, ex duobus codicibus, servat *curis sæcularibus;* ex Cd. Reg. 1025 : *Et a se jam alienatis pristinis vitiis;* ex uno Vaticano, qui omittit *curis sæcularibus*, legit *alienatus.* M.

[5] Salinas, ex Cdd. duobus Vatic., *liberari.* M.

[6] Editio Lugdunensis, *hæc.* M.

[7] Edd. : *Sed vanum utique.* — Idem Salinas ex uno Cd. Reg. M.

[8] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Flagitante Ecclesiæ necessitate.* M

dendo et ordinando presbytero civitati [1], plebem Dei alloqueretur, et exhortaretur; jam scientes catholici sancti Augustini propositum et doctrinam, manu injecta ( quoniam et idem in populo securus et ignarus quid futurum esset astabat : solebat autem laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantum ecclesiis quæ non haberent episcopos, suam abstinere præsentiam) eum ergo tenuerunt, et, ut in talibus consuetum est [2], episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu et desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio et clamore flagitantibus, ubertim eo flente : nonnullis quidem lacrymas ejus, ut nobis ipse retulit, tunc superbe interpretantibus, et tanquam eum consolantibus ac dicentibus, quia et locus presbyterii, licet ipse majore dignus esset, appropinquaret tamen episcopatui; cum ille homo Dei, ut nobis retulit, majori consideratione intelligeret et gemeret, quam multa et magna suæ vitæ pericula de regimine et gubernatione Ecclesiæ impendere jam ac provenire spectaret [3], atque ideo fleret. Et eorum, ut voluerunt, completum est desiderium.

CAPUT V. — *Monasterium instituit. Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se prædicandi verbum Dei.*

Factus ergo presbyter monasterium intra ecclesiam mox instituit; et cum Dei servis vivere cœpit secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam [4] (*Act.* IV, 32) : maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, et distribueretur unicuique sicut opus erat; quod jam ipse prior fecerat [5], dum de transmarinis ad sua remeasset. Sanctus vero Valerius ordinator ejus, ut erat vir pius et Deum timens, exsultabat, et Deo gratias agebat, suas exauditas a Domino fuisse preces, quas se frequentissime fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei et doctrina salubri Ecclesiam Domini ædificare : cui rei se homo natura Græcus, minusque latina lingua et litteris instructus, minus utilem pervidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissime tractandi; contra usum quidem et consuetudinem Africanarum Ecclesiarum : unde etiam ei nonnulli episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac providus in Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri sciens et certus [6], et utilitati Ecclesiæ consulens, obtrectantium non curabat linguas, dummodo factitaretur a presbytero, quod a se episcopo impleri minime posse cernebat. Unde accensa et ardens elevata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant lucebat (*Matth.* V, 15). Et postea currente et volante hujusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei.

CAP. VI. — *Conflictus August. cum Fortunato Manichæo.*

Sane in illa tunc Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia quam plurimos vel cives vel peregrinos et infecerat [1] et penetraverat, seducente et decipiente ejusdem hæresis quodam presbytero nomine Fortunato, ibidem conversante atque manente. Interea Hipponenses cives et [2] peregrini Christiani tam catholici quam etiam Donatistæ adeunt presbyterum [3], ac deposcunt, ut illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, et cum eodem de Lege tractaret. Quod idem, ut scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide et spe quæ in Deum est (I *Petr.* III, 15), potensque exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere (*Tit.* I, 9), minime renuit. Sed utrum etiam ille hoc fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes et exhortantes ac flagitantes, quod id minime recusaret. Sane quoniam idem Fortunatus jam apud Carthaginem sanctum noverat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum; cum eodem congredi pavitabat. Verumtamen suorum maxime instantia coactus ac verecundatus, promisit in comimus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die et loco convenerunt in unum, concurrentibus quam plurimis studiosis turbisque curiosis, et apertis notariorum tabulis [4], disputatio cœpta primo, et secundo finita est die. In qua ille Manichæus præceptor, ut gestorum continet fides, nec catholicam assertionem potuit vacuare, nec Manichæorum sectam veritate subnixam valuit comprobare : sed responsione deficiens [5], ultimo collaturum se cum suis majoribus ea, quæ refellere non potuit, prosecutus est; et si sibi forte de his satis minime fecissent, suæ animæ consulturum : atque ita ab omnibus apud quos magnus et doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, et sequenti tempore de Hipponensi civitate profectus, ad eam amplius non remeavit : ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quæ gesta sunt cognoverant, error ille ablatus, catholica est intimata ac retenta sincera religio.

CAPUT VII. — *Libri et tractatus Augustini contra fidei hostes ab ipsis etiam hæreticis ingenti ardore excepti.*

Et docebat ac prædicabat ille privatim et pu-

[1] Edit. Lugd., *civitatis.* M.

[2] Salinas, ex Cd. Vatic. 1190 : *Et ut in talibus consuètudo est.* M.

[3] Cdd. Mss., *speraret.*

[4] Salinas, ex Cd. Vatic. 1188 : *Et regulam ab Apostolis constitutam.* M.

[5] Salinas, ex Cd. Vatic. 1190 : *Quod jam ipse prius fecerat.* M.

[6] Addidimus ex Mss., *et certus.*

[1] Sic Mss. Editi vero : *Quam plurimos cives et peregrinos infecerat.*

[2] Salinas ex Cdd. Vatic., *vel.* Adoptavit tamen vocem *et*, cujus rei dat rationem sequentem : « Nihil in textu immutavimus, Parisiensem secuti editionem, quamvis non absurde legi possit, ut hi duo codices legunt, favente loco paulo ante. » M.

[3] Editi : *Adeunt Augustinum presbyterum.* Abest *Augustinum* a Mss.

[4] Cdd. Mss. : *Et apertis notarii tabulis.*

[5] Salinas : *Sed responsione deficiens ultima, collaturum se*, etc. Hanc subjicit notationem : Ita legunt Mss. quatuor Cdd., et quidem recte. Aliæ vero editiones : *Sed responsione deficiens, ultimo collaturum se*, etc. Codex unus : *Ultime collaturum se*, etc. M.

blice, in domo et in ecclesia, salutis verbum cum omni fiducia adversus Africanas hæreses, maximeque contra Donatistas, Manichæos et Paganos [1], libris confectis, et repentinis [2] sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis et collætantibus [3], et hoc ipsum ubi poterant non tacentibus, sed diffamantibus. Sicque, adjuvante Domino [4], levare in Africa Ecclesia catholica exorsa est caput [5], quæ multo tempore illic [6] convalescentibus hæreticis, præcipueque rebaptizante Donati parte majorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa jacebat [7]. Et hos ejus libros sive tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes, instructos rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant : et quisquis, ut voluit, et potuit, notarios adhibens, etiam ea quæ dicebantur excepta descripsit. Et inde jam per totum Africæ corpus præclara doctrina odorque suavissimus Christi diffusus et manifestatus est, congaudente quoque, eo comperto, Ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut dum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; ita etiam cum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra [8] (I *Cor.* XII, 26).

## CAPUT VIII.— *Designatur episcopus, vivo Valerio, et à Megalio primate ordinatur.*

Ille vero beatus senex Valerius cæteris ex hoc amplius exsultans, et Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, ut est humanus animus, ne ab alia Ecclesia sacerdote privata, ad episcopatum quæreretur, et sibi auferretur : nam et id provenisset, nisi et hoc idem episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curasset [9], atque occultatum a quærentibus minime inveniri fecisset. Unde amplius formidans idem venerabilis senex, et sciens se corpore et ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud primatem episcoporum Carthaginensem[10], allegans imbecillitatem corporis sui ætatisque gravitatem, et obsecrans ut Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur episcopus, quo suæ cathedræ non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Et quæ optavit et rogavit satagens, rescripto impetravit. Et postea petito ad visitandum et adveniente [11] ad Ecclesiam Hipponensem tunc primate Numidiæ Megalio Calamensi episcopo, et Valerius antistes episcopis qui forte tunc aderant, et clericis omnibus Hipponensibus, et universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatem : omnibusque audientibus gratulantibus, atque id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, episcopatum suscipere contra morem Ecclesiæ suo vivente episcopo presbyter recusabat [1]. Dumque illi fieri solere, ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis et Africanis Ecclesiæ exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, et episcopatus curam [2] et majoris loci ordinationem suscepit. Quod in se postea fieri non debuisse, ut vivo suo episcopo ordinaretur, et dixit, et scripsit (*Epist.* 213, *n.* 4), propter concilii universalis vetitum (*a*), quod jam ordinatus didicit : nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Unde etiam sategit (*b*), ut conciliis constitueretur episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

## CAPUT IX. — *Pugnat cum Donatistis.*

Atque ita factum est, ut episcopus multo instantius ac ferventius, majore auctoritate, non adhuc in una tantum regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac gnaviter pullulante [3] atque crescente Domini Ecclesia prædicaret, paratus semper poscentibus reddere rationem de fide et spe, quæ in Deum est. Et ejus dicta atque excepta, maxime Donatistæ in eadem Hipponensi [4] vel vicina manentes civitate, ad suos episcopos deferebant. Quæ cum audissent, et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter ac leniter, et, ut scriptum est, cum timore et tremore salutem omnium [5] operabatur (*Philipp.* II, 12) : ostendens, quam nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quamque verum manifestumque sit quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem jugiter agebantur. Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos, et eminentes scilicet laicos dedit [6], ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi causæ diffidentia [7] ne quidem unquam

[1] Editi, *et Pelagianos*; reluctantibus manuscriptis, et merito quidem; Augustino enim presbytero nondum orti erant Pelagiani.

[2] Editi, *et repetitis*. At Mss. : *Et repentinis*; id est, extemporaneis.

[3] In Mss., *collaudantibus*.

[4] Codices Mss., *diffamantibus. Atque Dei dono, levare*, etc.

[5] Salinas, ex Cod. Reg. 541 : *Sicque dono Dei pax in Africana Ecclesia orta est, apud quam multo tempore*, etc. M

[6] Codices Mss., *illis*.

[7] Salinas, ex Cd. Vatic. 1188 : *Et oppressa tacebat*. M.

[8] In editis additur : *Per idem tempus coram episcopis hoc illi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hippone agebant, de fide et symbolo presbyter adhuc Augustinus disputavit*. Verba ex libro primo Retractationum, cap. 17, temere huc translata; nam absunt omnino a manuscriptis.

[9] Salinas, ex uno codice : *Eum transmittere curasset*. M.

[10] Duo manuscripti : *Apud primatem episcopum Carthaginensem*.

[11] Sic Mss. Editi vero : *Postquam petitionem ad visitandum adveniente*,

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Religiosus presbyter recusabat*. M.

[2] Veteres codices prætereunt, *et episcopatus curam*.

[3] Edd., *ac suaviter pullulante*.— Ita etiam Cd. unus apud Salinas; alter omittit, *gnaviter pullulante*. M.

[4] Salinas, ex uno Cd. : *In eadem Hipponensi Ecclesia, vel*, etc. M.

[5] Unus Floriacensis Cd., *hominum*. — Idem unus e Vatic. apud Salinas. M.

[6] Salinas, ex quatuor Mss. : *Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos eminentes scilicet et laicos dedit*. M.

[7] Hic sequimur Joannem Salinas qui, relata lectione editionis Parisiensis, scilicet : *At illi causa diffidentiæ*, addit : Verior tamen nostra apparet lectio, cum paulo post subdat Possidius, juxta Parisiensem editionem : *Et ut eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret elaboravit*; ubi Patres S. Mauri emendant Lovaniensem editionem legentem : *Causa diffidentiæ*. Adstipulatur nostræ lectioni codex Vaticanus 1190. M.

(*a*) Concilii Nicæni.

(*b*) In concilio Carthaginensi tertio, anno 397, can. 3.

rescribere voluerunt : sed irati furiosa loquebantur [1], atque seductorem et deceptorem animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant ; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes [2]. Et ut eorum causæ diffidentia [3] cunctis innotesceret, elaboravit : et publicis gestis conventi, non sunt ausi conferre.

### CAPUT X. — *Circumcellionum furor.*

Habebant etiam iidem Donatistæ per suas pene omnes Ecclesias inauditum hominum genus perversum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes [4], qui Circumcelliones dicebantur [5]. Et erant in ingenti numero et turbis per omnes pene Africanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus, audacia superba et temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra jus fasque incautis interdicentes hominibus [6] : et nisi obedissent, damnis gravissimis et cædibus afficiebant [7], armati diversis telis, bacchantes per agros villasque, usque ad sanguinis effusionem accedere non metuentes [8]. Sed dum verbum Dei sedulo prædicaretur, et cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur ; illi loquentem [9] debellabant gratis. Et cum adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant et poterant, sese inde vel eripiebant vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles [1] persecutiones unitati Ecclesiæ compacti [2] faciebant; ipsisque sacerdotibus catholicis [3] et ministris aggressiones diurnas [4] atque nocturnas, direptionesque rerum omnium inferebant. Nam et multos Dei servos cædibus debilitaverunt. Aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Unde etiam suis iidem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant.

### CAPUT XI. — *Profectus Ecclesiæ per Augustinum. Monasteria per ejus alumnos instituta.*

Proficiente porro doctrina divina, sub sancto et cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt [5]. Ac deinde innotescente et clarescente de die in diem Ecclesiæ catholicæ prædicationis veritate [6], sanctorumque servorum Dei proposito, continentia, et paupertate profunda [7], ex monasterio quod per illum memorabilem virum et esse et crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere episcopos et clericos pax Ecclesiæ atque unitas et cœpit primo, et postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse novi, sanctos ac venerabiles viros continentes et doctissimos [8], beatus [9] Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus [10] dedit. Similiterque et ipsi ex illorum [11] sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt; et studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei, spei, et charitatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Africæ partes, verum etiam in transmarinis, et per libros editos atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine, et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt. Atque hinc, ut scriptum est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat [12], et tabescebat (*Psal.* CXI, 10) : servi autem Dei [13], ut

[1] Salinas, ex uno Cd. : *Nihil rescribere voluerunt, sed irati furiose loquebantur*. M.
[2] Salinas, ex uno Cd. : *Nec homines reverentes*. M.
[3] Editio Lovaniensis præbet : *Causa diffidentiæ*.
[4] Salinas, ex Cd. Vatic. 1190 : *Velut sub professione continentiæ ambulantes*. M.
[5] Aliquot Mss. : *Qui Circelliones dicebantur*.
[6] Veteres codices : *Contra jus fasque in causis interdicentes hominibus* : et ex iisdem Mss. quidam loco *interdicentes*, habent *intercedentes ;* alii, *intercidentes*. — Salinas : *Contra jus fasque in causis hominibus interdicentes*, hac addita notatione : Codices Reginæ ac duo Vaticani præbent : *Contra jus fasque in causis interdicentes hominibus ;* consentientibus etiam veteribus codicibus, qui, ut testantur Patres S. Mauri, ferunt, *in causis*, licet ex iisdem manuscriptis, quidam loco *interdicentes*, habeant *intercedentes ;* alii *intercidentes*. Doctissimi tamen Patres in textum hæc referre voluerunt : *Contra jus fasque incautis interdicentes hominibus*. At melior nostra apparet lectio, si sequentia Optati Milevitani verba considerentur. Exponens enim quæ a Circumcellionibus contra jus fasque agebantur, sic ait, libro tertio de Schismate Donatistarum, n. 4 : « Debitorum « chirographa amiserant vires : nullus creditor illo tempore « exigendi habuit libertatem. Terrebantur omnes litteris « eorum qui se Sanctorum duces fuisse jactabant ; et si in « obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat « subito multitudo insana, et præcedente terrore creditores periculis vallabantur ; ut qui pro præstitis suis rogari « debuerant, metu mortis humiles impellerentur in preces. « Festinabat unusquisque debita etiam maxima perdere, et « lucrum computabatur ab eorum evasisse injuriis. » Hoc igitur erat quod contra jus et fas Circumcelliones operabantur, ne scilicet causæ hominum qui sua dederant discuterentur ; et propterea Possidius eorum notat crudelitatem et injustitiam, dum in causis interdicebant ne homines suum repeterent jus. Hinc suspicor ad hunc Optati locum respexisse Possidium ; nam quæ hic subdit : *Et nisi obedissent, damnis gravissimis et cædibus afficiebantur*, prorsus similia sunt his Optati : « Et si in obtemperando eorum jussionibus tardaretur, advolabat subito multitudo insana, » etc. M.
[7] Salinas, *afficiebantur*. Subjicit hanc notulam : Sic uterque Reg. Cd., et duo Vaticani ; respondentque his Optati : « Creditores periculis vallabantur. » M.
[8] Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *Usque ad sanguinis Ecclesiæ effusionem non metuentes*. Omittitur, *accedere*. M.
[9] Apud Salinas fert Cd. unus : *Illi loquentes*. M.

[1] Plerique Mss. : *Gravissimas et intolerabiles*.
[2] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Cum pactis*. M.
[3] Salinas, ex Vatic. Cd. 1190 : *Justis catholicisque sacerdotibus*. M.
[4] Salinas, ex uno Cd., *diversas*. M.
[5] Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *Proficientes porro doctrina divina sub sancto et cum sancto Augustino in monasterio Deo servientes et Ecclesiæ Hipponensi, clerici ordinari cœperunt*. Sic etiam Cd. Vatic. 1190, nisi quod habet : *In doctrina divina*, addito *in*. M.
[6] Cisterciensis codex : *Ecclesia catholica prædicationis veritate*. Vox autem *prædicationis* ab uno ex Floriacensibus Mss abest. — Omittitur etiam in Cd. Vaticano 1191, juxta Salinas. M.
[7] Duo Mss. : *Proposito continentiæ et poupertate profunda*. Cisterciensis Cd. : *Proposito continente paupertatem profundam*.
[8] Salinas, ex duobus Cdd. : *Et doctos*. M.
[9] Salinas, ex uno Cd., *beatissimus*. M.
[10] Apud Salinas, Cd. unus haud habet vocem, *rogatus*. M.
[11] Salinas, ex duobus Vatic., *illo*. M.
[12] Salinas, ex uno Cd., *fremebat*. M.
[13] Salinas, ex duobus Cdd. : *Servi autem tui, ut dictum est*, etc. M.

dictum est, cum his qui oderant pacem, erant pacifici; et cum loquerentur, debellabantur gratis ab eis (*Psal.* CXIX, 7).

CAPUT XII. — *Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris devitat. Multa auraria hæreticis indicta.*

Aliquoties vero etiam vias armati iidem Circumcelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum forte iret rogatus ad visitandas, instruendas et exhortandas catholicas plebes; quod ipse frequentissime faciebat. Et aliquando contigit, ut illi succenturiati hactenus perderent captionem : evenit enim Dei quidem providentia, sed ducatoris [1] hominis errore, ut per aliam viam cum suis comitibus [2], sacerdos quo tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognovit errorem, manus impias evasisset. Et cum in omnibus liberatori Deo gratias egisset, omnino suo more illi [3] nec laicis nec clericis pepercerunt, sicut publica contestantur gesta [4].

Inter ea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregii in Ecclesia viri studium domusque Dei zelum adversus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum et perfectum est. Cum forte unus ex iis quos de suo monasterio et clero episcopos Ecclesiæ propagaverat, ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret, et quæ didicerat pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, factum est ut medio itinere eorum insidias incurrisset, et pervasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus et rebus, injuriis et cæde eum gravissima affecissent. De qua re, ne pacis Ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit. Et præceptus est Crispinus, qui eisdem Donatistis in Calamensi civitate et regione episcopus fuit, prædicatus scilicet et multi temporis, et doctus ad mulctam teneri aurariam publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus præsentatus cum apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi recedente Ecclesiæ defensore, a catholico episcopo resisteretur (*a*), et convinceretur eum esse, quod se fuisse negaverat : quoniam si ab eodem dissimularetur, forte catholicus episcopus ab ignorantibus hæreticus [5] crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses episcopi venerunt, et de ipsa diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum christianorum multitudine causæ exitum, et apud Carthaginem, et per totam Africam exspectante : atque ille Crispinus proconsulari et libellari sententia est pronuntiatus hæreticus. Pro quo ille apud Cognitorem catholicus episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur; et ei est beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum Principem [1] provocasset, et ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consecutum est præceptum [2], nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, et eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum ubique [3] teneri debere. Ex quo et Judex, et Officium [4], et idem Crispinus, quod minime fuerit exactus, præcepti sunt denas auri libras fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos episcopos, præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia : et Domino adjuvante perfectum est. Qua diligentia et sancto studio multum crevit Ecclesia.

CAPUT XIII. — *Pax Ecclesiæ per Augustinum.*

Et de his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus et hic palmam dedit, et apud se justitiæ coronam reservavit : ac magis magisque, juvante Christo, de die in diem augebatur et multiplicabatur pacis unitas, et Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maxime factum est post collationem [5], quæ ab universis episcopis catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum episcopis postmodum facta est, id jubente gloriosissimo et religiosissimo imperatore Honorio; propter quod perficiendum etiam a suo latere tribunum et notarium Marcellinum ad Africam judicem miserat. In qua controversia illi omnimodis confutati, atque de errore a Catholicis convicti, sententia Cognitoris notati sunt; et post eorum appellationem, piissimi Regis responso juste inter hæreticos [6] condemnati sunt. Ex qua ratione solito amplius eorum episcopi [7] cum suis clericis et plebibus communicaverunt, et pacem tenentes catholicam, multas eorum persecutiones usque ad membrorum amputationem et internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, ut dixi, per sanctum illum hominem, consentientibus nostris episcopis et pariter satagentibus, et cœptum et perfectum est.

CAPUT XIV. — *Emeritus episcopus Donatista superatus.*

Porro autem quoniam post illam, quæ cum Donatistis facta est, collationem, non defuerunt qui di-

[1] Sic Mss.; editi vero : *Ductoris.* — Posteriorem hanc vocem legit Salinas ex Cdd. Reg. 541 et Vatic. 1188. M.

[2] Salinas, ex Cd. Vatic. 1188 : *Cum suis ductoribus vel comitibus.* M.

[3] Salinas addit, *furentes*, subjicitque hanc notam. : Voculam *furentes* auctoritate Cd. Reg. 541 posuimus, nec recedit à Possidii genio, ut qui cap. 9 ait : *Irati furiosa loquebantur.* M.

[4] Salinas, ex uno Cd. : *Sicut publica continent gesta.* M.

[5] Lovanienses vocem *hæreticus* expunxerant renitentibus manuscriptis.

(*a*) Catholicus ille episcopus ipse est qui rem narrat Possidius, nomen suum præ modestia silentio tegens, sed ab Augustino proditus in Epistola 105, n. 4, et in libro tertio contra Cresconium, capp. 46, 47.

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Ad piissimum judicem.* M.

[2] Salinas, ex tribus Mss. : *Et consequenter præceptum;* ex alio : *Et etiam est consecutum præceptum.* M.

[3] Salinas ex uno Cd. Reg. : *Ibique.* M.

[4] *Officium* hoc loco ponitur pro rei forensis administris, quales sunt exceptores qui judici operam suam præstant, ut in libro 3 contra Cresconium, cap. 29, et Breviculo Collationis die 1, cap. 8, et die 3, cap. 1, et cap. 17, n. 32, et libro post Collationem, cap. 24, nn. 41, 42, et libro de Unitate Ecclesiæ, n. 54, necnon in Actis Collationis Carthaginensis passim. Quare male correctum hic à Lovaniensibus : *Et judex propter officium.* Et pejus ab Ulimmerio sic : *Ex quo et idem Crispinus, et cæteri sibi compares hæretici præcepti sunt denas,* etc.

[5] Editio Lov., *per collationem.* Et infra, pro *id jubente*, substituit *adjuvante.*

[6] Codices Mss. : *Piissimi Regis responso injusti inter hæreticos.*

[7] Salinas, ex Cd. Vatic. 1188, *episcopis.* Sic Erasmi edit. 1529 : *Ex quâ ratione notati sunt solito amplius eorum episcopi qui cum suis clericis et plebibus non communicaverunt, et pacem tenentes catholicam,* etc. M.

cerent, permissos non fuisse eosdem episcopos apud potestatem, quæ causam audivit, dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicæ communionis Cognitor suæ favebat Ecclesiæ : licet hoc deficientes et victi ad excusationem jactarent, quandoquidem et ante controversiam iidem hæretici catholicæ communionis eumdem esse noverant, et cum ab eodem convenirentur publicis gestis, quod ad collationem occurrerent, se esse facturos prosecuti sunt. Poterant utique suspectum eum habentes, recusare congressum. Tamen omnipotentis Dei præstitit auxilium, ut postea in Cæsareensi Mauritaniæ civitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quo eum venire cum aliis ejus coepiscopis Sedis apostolicæ litteræ (*a*) compulerant, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates : hac ergo occasione provenit, ut Emeritum ejusdem loci Donatistarum episcopum, quem suæ sectæ præcipuum in illa collatione habuerunt defensorem, videret, et cum eodem publice in ecclesia populo astante diversæ communionis, ex hoc ipso disputaret, et provocaret gestis ecclesiasticis, ut quod forte, sicut dicebant, prosequi potuit in collatione, sed permissus non erat, in præsenti sine alicujus potestatis prohibitione aut potentia securus dicere minime dubitaret, et in sua civitate suis omnibus præsentibus civibus fiduciáliter propriam defendere communionem non denegaret. Ille neque hac hortatione, nec suorum parentum et civium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur, se ad ejus redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum salutisque suæ temporalis, si modo catholicam superaret assertionem. At ille amplius dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantum : *Jam illa,* inquit, *gesta continent apud Carthaginem inter episcopos confecta, utrum vicerimus, an victi fuerimus.* Et alio loco, dum a notario, ut responderet, admoneretur, et reticeret [1], ejus cunctis manifestata diffidentia, Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta provenerunt. Quisquis ergo diligentiam et operam beatissimæ memoriæ Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat gesta (*b*) : et inveniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem, et prædicatum hominem provocarit, hortatusque fuerit ut pro suæ defensione partis quod vellet ediceret; illumque victum cognoscet.

### CAPUT XV. — *Digressione concionantis conversus negotiator, nomine Firmus.*

Scio item non solus ipse, verum etiam alii fratres et conservi, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse : *Advertistis hodie in ecclesia meum sermonem, ejusque initium et finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim quam proposueram, sed pendentem reliquerim?* Cui respondimus : *Ita nos in tempore miratos fuisse scimus et recognoscimus.* At ille : *Credo,* ait, *quod forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem et errorem doceri et curari voluerit, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri. Nam cum propositæ quæstionis latebras* [1] *pertractarem, in aliud sermonis excursu perrexi, atque ita non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminavi, magis adversum Manichæorum errorem, unde nihil dicere decreveram, disputans, quam de iis quæ asserere proposueram.* Et post hæc, nisi fallor, ecce alia die vel post biduum venit quidam Firmus nomine, negotiator, et intra monasterium sedente sancto Augustino, nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit, lacrymas fundens, et rogans ut pro suis delictis sacerdos cum sanctis [2] Dominum precaretur, confitens quod Manichæorum sectam secutus fuisset, et in ea quam plurimis annis vixisset, et propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis quos dicunt electos, incassum erogasset : ac se in ecclesia, Dei misericordia, fuisse ejus tractatibus nuper correctum atque catholicum factum. Quod et ipse venerabilis Augustinus, et nos qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, et referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes et stupentes, glorificavimus sanctum ejus nomen, et benediximus; qui cum voluerit, et unde voluerit, et quomodo volucrit, et per scientes et per nescientes salutem operatur animarum. Et ex eo ille homo proposito servorum Dei adhærens, negotiatoris dimisit actionem, et proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterii quoque Dei voluntate petitus et coactus accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem : et forte adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitutus.

### CAPUT XVI. — *Manichæorum exsecrandæ turpitudines detectæ. Felix Manichæus conversus.*

Apud Carthaginem quoque, dum per quemdam domus regiæ procuratorem, nomine Ursum, fidei catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum, quos electos vel electas dicunt, præsentes perveniretur, atque ad ecclesiam ab eodem deducerentur et perducerentur, ab episcopis ad tabulas (*a*) auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ cæteris illam exsecrabilem sectam noverat, et eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, usque ad confessionem earumdem blasphemiarum eos perduxit : et quæ inter se illi suo more malo indigna et turpia facere consueverant, feminarum illarum velut electa-

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Dum a notario, ut responderet, admoneretur, tacuit : et cum reticeret,* etc.; et ex Cd. Reg. 1025 : *Dum a notario, ut responderet, admoneretur, nihil ait. Et cum reticeret,* etc. M.

(*a*) Zosimi papæ. Vide Augustinum, Epist. 190, n. 1, et Epist. 193, n. 1.

(*b*) Gesta cum Emerito Cæsareensi Donatistarum episcopo, in tomo 9.

[1] In Mss., *latera.* — Salinas, ex Cd. Vatic. 1188, *latebram.* M.

[2] Sic Mss. At editi : *Cum suis.*

(*a*) *Ad tabulas,* id est, notariis excipientibus et in tabulas inferentibus interrogata et responsa : sicque notariorum opere confecta sunt illa gesta, quæ hic ecclesiastica dicuntur, et in libro de Hæresibus, hær. 46, episcopalia.

rum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est. Atque ita pastorum diligentia, dominico gregi et augmentum accessit, et adversus fures atque latrones defensio competens procurata est. Cum quodam etiam Felice, de numero eorum quos electos dicunt Manichæi [1], publice in Hipponensi ecclesia notariis excipientibus disputavit populo astante : et post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus frustrata vanitate et errore ipsius sectæ, ad nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura (*a*).

CAPUT XVII.—*Pascentius comes Arianus in collatione revincitur. Collatio cum Maximino episcopo Ariano.*

Præterea cum quodam etiam Pascentio comite domus regiæ Ariano, qui per auctoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, et quam plurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat, et perturbabat, interpositis [2] honoratis et nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo provocatus, coram contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque stilum, quod magister noster [3] et ante congressum et in congressu instantissime fieri volebat, ne adessent omni modo recusabat. Et dum id pernegasset, dicens quod metu legum publicarum periclitari tabulis scriptis nollet ; atque interpositis id placere Augustinus episcopus cum suis qui aderant consacerdotibus videret, ut absque ulla scriptura privatim disputarent, collationem suscepit : prædicens, ut postmodum contigit, quod post solutum conventum esse cuiquam posset liberum [4] forte dicere, nullo scripturæ documento, se dixisse quod forte non dixerit, vel non dixisse quod dixerit. Et miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit quid crederet, et ab illo quid teneret audivit, et vera ratione atque auctoritate Scripturarum probata docuit [5], et ostendit nostræ fidei firmamenta : illius autem asserta nulla veritate, nulla Scripturarum sanctarum auctoritate suffulta docuit, et frustravit. Et ut a se invicem partes digressæ sunt, ille magis magisque iratus et furens, mendacia multa pro fide sua falsa jactabat, victum esse a se ipso proclamans, multorum ore laudatum Augustinum. Quæ cum [6] minime laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium ; et in eis litteris quidquid inter partes dictum vel gestum fuerat, fideliter intimavit : ad ea, si negarentur, probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, unum vix reddidit rescriptum [7], in quo magis injuriam facere, quam suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod a volentibus et a valentibus legere comprobatur.

Cum ipsorum quoque Arianorum episcopo quodam Maximino cum Gothis ad Africam veniente, apud Hipponem quam plurimis volentibus atque petentibus, et præclaris interpositis viris contulit : et quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt [1], vel quid callida et irrationabilis hæresis ad seducendum et decipiendum profiteatur, vel quid Ecclesia catholica de divina teneat et prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse jactavit, et mentitus est ; quæ utique non facile a divinæ legis ignaris examinari et dijudicari possent : a venerabili Augustino sequentis temporis stilo, et illius totius collationis de singulis objectis et responsis facta est recapitulatio, et quam nihil ille objectis referre potuerit, nihilominus demonstratum est, additis supplementis, quæ in tempore collationis angusto cuncta inferri et scribi minime potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, ut sua novissima prosecutione multo longissima, totum quod remanserat diei spatium occuparet.

CAPUT XVIII.—*Pelagianistæ novi hæretici, expugnati et condemnati. Ecclesiæ catholicæ quantum profuerint labores Augustini. Hæretici et Pagani deficiunt. Augustini operum quam ingens copia.*

Adversus Pelagianistas quoque novos nostrorum temporum hæreticos et disputatores callidos, arte magis subtili et [2] noxia scribentes, et ubicumque poterant publice et per domos loquentes, per annos ferme decem laboravit [3] (*a*), librorum multa condens et edens, et in ecclesia populis ex eodem errore frequentissime disputans. Et quoniam iidem perversi Sedi apostolicæ per suam ambitionem eamdem perfidiam persuadere conabantur, instantissime etiam conciliis Africanis sanctorum episcoporum gestum est, ut sancto papæ Urbis [4], et prius venerabili [5] Innocentio, et postea sancto Zosimo ejus successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica et abominanda et damnanda fuisset. At illi tantæ sedis antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiæ præcidentes, datis litteris et ad

[1] Hic editi addunt, *quippe Hipponem venerat eumdem seminaturus errorem.* Verba sunt Augustini in libro secundo Retractationum, cap. 8.
[2] Editi, *præsentibus.*
[3] Floriacenses duo manuscripti, *quod magis noster.*
[4] Editio Lov. addit, *arbitrium.*
[5] Plerique Mss., *prolata docuit.*
[6] Hic editi addunt : *Illum venerabilem virum.*
[7] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Quod audiens hæreticus, ad duo scripta sibi directa, unum librum reddidit scriptum.* M.

(*a*) Acta cum Felice Manichæo, in tomo 8.

[1] Salinas : Servavimus in textu lectionem Parisiensem ; codex tamen Reg. 1025 : *Judicabunt.* M.
[2] Particulam, *et*, restituimus ex Mss.
[3] Salinas, ex Cd. Reg. 1025, *elaborabat.* M.
[4] In editis additur *Romæ.*
[5] Apud Salinas, ab uno Cd. abest vox *venerabili ;* in altero, voci *venerabili* additur vox *pio.* M.

(*a*) Annos a Pelagiani erroris exortu ad illius per Zosimum condemnationem computat. Nam alioqui contra eum errorem disputavit scripsitque S. Doctor ab anno Christi circiter 411 aut 412 ; quo anno 412 libros de Peccatorum Meritis et Remissione confecit, cum eumdem errorem sermonibus prius aggressus esset ; usque ad annum 430, quo morte occupatus est scribens ultimum opus in Julianum. Hinc Prosper, in libro quem anno 433 contra Collatorem edidit, cap. 1, n. 2, in appendice tomi decimi nostræ Edit.: « Viginti amplius anni sunt, » inquit, « quod contra inimicos gratiæ Dei, catholica acies hujus viri ductu pugnat et vincit. »

Africanas Occidentis, et ad Orientis partis Ecclesias [1], eos anathemandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, et adhuc alii redeunt, innotescente et prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.

Et erat ille memorabilis vir, præcipuum dominici corporis membrum, circa universalis Ecclesiæ utilitatem sollicitus semper ac pervigil. Et illi divinitus donatum est, ut de suorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere provenisset, prius quidem in Hipponensi Ecclesia et regione [2], cui maxime præsidebat, unitate ac pace perfecta ; deinde in aliis Africæ partibus, sive per se ipsum, sive per alios, et quos ipse dederat sacerdotes, pullulasse, et multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam pervidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, et Paganos ex magna parte defecisse, et Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens : profectibus quoque et studiis favens erat et exsultans bonorum omnium; indisciplinationes pie ac sancte tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, sive eorum qui intra Ecclesiam, sive eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, dominicis, ut dixi, lucris semper gaudens, et damnis mœrens.

Tanta autem ab eodem dictata et edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta atque emendata, vel adversus hæreticos conscripta, vel ex canonicis Libris exposita ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum perlegere et nosse sufficiat. Verumtamen ne veritatis verbi [3] avidissimos in aliquo fraudare videamur, statui, Deo præstante, in hujus opusculi fine etiam eorumdem librorum, tractatuum, et epistolarum indiculum adjungere : quo lecto qui magis Dei veritatem quam temporales amant divitias, sibi quisque quod voluerit ad legendum et cognoscendum eligat, et id ad describendum, vel de bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, ubi emendatiora exemplaria forte poterunt inveniri, vel unde valuerit inquirat, et inventa describat et habeat, et petenti ad describendum, sine invidia etiam ipse tribuat.

CAPUT XIX.— *In causis audiendis quomodo se gesserit Augustinus. Partes, facta opportunitate, docet quæ ad æternam vitam spectant. Merces operæ judiciariæ.*

Secundum Apostoli quoque sententiam, dicentis, *Audet quisquam vestrum adversus alterum negotium habens judicari ab iniquis, et non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicatur mundus, indigni estis judiciorum minimorum* [1]*? Nescitis quia angelos judicabimus, nedum sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis inter vos, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad judicandum* [2]*. Ad reverentiam vobis loquor : sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum dijudicare? sed frater cum fratre dijudicatur* [3]*, et hoc apud infideles* (I *Cor.* VI, 1-6) : interpellatus ergo a Christianis, vel a cujusque sectæ hominibus, causas audiebat diligenter ac pie cujusdam sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quam inter amicos causas audire : eo quod de incognitis, pro quo arbitra [4] æquitate judicaretur, amicum posset acquirere; de amicis vero unum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando [5] usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, semper tamen noscebat et dirimebat : intendens in eis christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque moribus [6] proficeret, vel ab iis deficeret; atque compertis rerum opportunitatibus, divinæ legis veritatem [7] partes docebat, eamque illis inculcabat, et eas quo adipiscerentur vitam æternam edocebat et admonebat : nihil aliud quærens ab iis quibus ad hoc vacabat, nisi tantum obedientiam et devotionem christianam, quæ et Deo debetur et hominibus : peccantes coram omnibus arguens, ut cæteri timorem haberent (I *Tim.* v, 20) : et faciebat hoc tanquam speculator a Domino constitutus domui Israel, prædicans verbum atque instans opportune, importune, arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate et doctrina ( II *Tim.* IV, 2); præcipueque operam dans instruere eos qui essent idonei et alios docere (*Id.*). Rogatus quoque a nonnullis in eorum temporalibus causis, epistolas ad diversos dabat. Sed hanc suam a melioribus rebus occupationem tanquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis quæ Dei sunt vel allocutionem vel collocutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.

CAPUT XX. — *Pro reis quomodo intercesserit.*

Novimus quoque eum a suis charissimis litterarum intercessum apud sæculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cujusdam sapientis servandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quod multa suæ famæ contemplatione amicis non præstitisset : et illud nihilominus suum addens, quoniam plerumque potestas quæ præstat, premit [8]. Cum vero

[1] Sic habent Mss.; editi vero ferunt : *Datis litteris ad Africanas Orientis et Occidentis Ecclesias*, corrupte.—Paulo inferius edit. Lugd. Salinasque, ex duobus Cdd. pro : *Anathemandos*, ferunt : *Anathematizandos*. M.

[2] Carnutensis codex : *In Hipponensis Ecclesiæ regione.*

[3] Apud Lov. et Lug. hic omissum est, *verbi*. Apud Ulimmerium vero legitur : *Verumtamen ne veritatis et verbi Dei.* —Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *Verumtamen ne veritate verbi.* M.

[1] Fossatensis Ms. : *Judicio minorum.* — Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Judicio minimorum;* et hæc sequuntur : *Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis secularia?* M.

[2] Germanensis Ms. non habebat *ad judicandum;* neque græcus textus Apostoli id præfert. — Eædem voces desunt in Cd. Reg. 1025, juxta Salinas. M.

[3] Lov.: *Judicio contendit.* Salinas, ex Cd. Reg. 1025, loco vocis *dijudicatur* legit etiam *contendit.*

[4] Editi, *arbitrata;* veteres autem Cdd., *arbitra.*

[5] Salinas, ex Cd. Reg. 541, non legit *aliquando*, sed simpliciter : *Et eas usque in horam refectionis.* M.

[6] Editi : *Bonisque operibus.* Cdd. Mss. : *Bonisque moribus.*

[7] Editor Lugd. et Salinas, ex Cd. Reg. 541, *veritate.* M.

[8] Salinas, ex uno Cd. : *Potestas quæ petit, premit;* ex altero autem Cd. : *Potestas quæ petitur, premit.* Sic etiam Lov. in margine. M.

intercedendum esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperate agebat, ut non solum onerosus aut molestus non videretur, verum etiam mirabilis existeret. Nam dum exorta necessitate suo more apud quemdam Africæ vicarium, Macedonium nomine, pro supplici litteris interveniret, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum misit : *Miro modo afficior sapientia tua, et in illis quæ edidisti, et in iis quæ interveniens pro sollicitis* [1] *mittere non gravaris. Nam et illa tantum habent acuminis, scientiæ* [2], *sanctitatis, ut nihil supra sit ; et hæc tantum verecundiæ, ut nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse, dijudicem, domine merito venerabilis, et suscipiende pater* [3]. *Non enim instas* (*quod plerique homines istius loci faciunt* [4]), *ut quodcumque sollicitus petitor* [5] *voluerit, extorqueas ; sed quod tibi a judice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones* [6] *subserviente verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim commendatis effectum desiderii tribui : nam sperandi viam ante patefeceram* (*Maced., in Epist. inter Augustinianas*, 154, *n.* 1).

CAPUT XXI. — *Conciliis quo animo interesse soleret. In ordinandis sacerdotibus major consensus et Ecclesiæ consuetudo inquirenda.*

Sanctorum concilia sacerdotum per diversas provincias celebrata, cum potuit, frequentavit ; non in eis quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærens ; ut vel fides sanctæ Ecclesiæ catholicæ inviolata maneret, vel nonnulli sacerdotes et clerici, sive per fas sive per nefas excommunicati, vel absolverentur vel abjicerentur. In ordinandis vero sacerdotibus et clericis consensum majorem [7] (*a*) Christianorum, et consuetudinem Ecclesiæ sequendam arbitrabatur.

CAPUT XXII. — *In vestitu et victu qualis fuerit Augustinus.*

Vestes ejus et calceamenta vel lectualia ex moderato et competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum : quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere ; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes : at iste, ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensa usus est frugali et parca, quæ quidem inter olera et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat. Quia noverat [1], et docebat, ut Apostolus dicit, quod *omnis creatura Dei bona sit, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (I *Tim.* IV, 4, 5). Et, ut idem Augustinus sanctus in suis Confessionum libris posuit, dicens : *Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne genus carnis quod cibo esset usui, manducare permissum ; Eliam cibo carnis refectum ; Joannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est locustis, in escam cedentibus non fuisse pollutum. Scio et Esau lenticulæ concupiscentia deceptum ; et David propter aquæ desiderium a se ipso reprehensum ; et Regem nostrum, non de carne, sed de pane esse tentatum* [2]. *Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmuravit, meruit improbari* (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 31, *n.* 46). De vino autem sumendo Apostoli exstat sententia ad Timotheum scribentis, ac dicentis : *Noli usque adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (I *Tim.* v, 23). Cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea fuerunt : non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed et hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. Et contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea scriptum ita habebat :

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi [3].

Et ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus [4] sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit, commotus ut diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego et alii, qui illi mensæ interfuimus, experti sumus.

CAPUT XXIII. — *In usu redituum ecclesiasticorum qualis.*

Compauperum [5] vero semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus [6] ; hoc est, vel ex reditibus pos-

[1] Sic Mss. ; at editi, *pro reis*. — In tomo 2, initio epistolæ Macedonii (154), dicitur : *Pro sceleratis*, ex Mss. M.

[2] Salinas, ex uno Cd. : *Tantum habent acumen scientiæ*. M.

[3] In tomo 2, epistola Macedonii (154) editum est : *Et vere suspiciende pater*. M.

[4] Lov. : *Istius loci vi faciunt*.

[5] Veteres codices quidam omittunt *petitor*. Plerique, pro *sollicitus*, ferunt *sollicitius*.

[6] Hic editi addunt *et rogas*. Abest a Mss.

[7] Tres Mss., Fossatensis, Vedastinus et Cisterciensis, *majorum*. — Sic Lov. ad marginem ; item Salinas, ex Cd. Vatic. 1190, qui fert : *Consensum majorum Christianorum ex consuetudine Ecclesiæ sequendum arbitrabatur*. M.

(*a*) De sacerdotum ordinatione Cyprianus in Epistola ad clerum et plebem Hispaniarum scripta, quæ novæ editionis est ordine 67 : « Sit ordinatio, » inquit, « justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata. » Et ibidem Sabini episcopi ordinationem laudat « de universæ fraternitatis suffragio » factam.

[1] Joannes Ulimmerius ex Augustinensi ordine canonicus Lovaniensis locum hunc sic edidit : *Propter hospites habebat, vel quosque infirmiores. Semper autem vinum bibebat, quamvis modice et temperanter, quia noverat*, etc. Eum Lovanienses Theologi castigarunt hoc pacto : *Propter hospites vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat, quia noverat*, etc. Attamen nostri omnes manuscripti carent verbo *continebat*, uno forte excepto Vedastino, qui postea loco, *vinum habebat*, præfert, *vinum bibebat*. — Sic Salinas, ex Cd. Reg. 1025 ; sed ex Cd. 541 : *Vel quosque infirmiores gestabat. Semper autem vino utebatur, quia noverat*, etc. M.

[2] Salinas, ex duobus Mss. : *Sed de pane tantum esse tentatum*. M.

[3] Tres Mss. hunc versum sic referunt : *Hac mensa indignam noveri esse suam*. Ulimmerius edidit : *Hanc mensam vetitam noverit esse sibi*. — Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Hanc mensam indigne noverit esse suam*. M.

[4] Deest in Mss. : *Et detractionibus*.

[5] Sic habent Mss. ; at editi *pauperum*. — Sic etiam Salinas, ex uno Cd. Vatic. : *Pauperum*. M.

[6] Hic editi addunt *erogabatur*.

sessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte (ut assolet) de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus magis plebis Dei vivere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati; et paratum se esse illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi et ministri viverent, quo in Vetere Testamento leguntur (*Deut.* XVIII, 1), altari deservientes de eodem comparticipari [1]. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt.

CAPUT XXIV. — *In re domestica qualis. Donata et legata Ecclesiæ quænam suscipiebat aut recusabat. A rerum temporalium curis liberum semper animum habere volebat.*

Domus Ecclesiæ curam omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat et credebat. Nunquam clavem, nunquam annulum in manu habens : sed ab eisdem domus præpositis cuncta et accepta et erogata notabantur : quæ anno completo eidem [2] recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quid dispensandum remansisset [3]; et in multis titulis magis illius præpositi domus fidem sequens, quam probatum manifestatumque cognoscens [4]. Domum, agrum, seu villam nunquam emere voluit. Verum si forte Ecclesiæ a quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi jubebat. Nam et aliquas eum hæreditates recusasse novimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum et æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis vel parentibus vel affinibus magis possiderentur, quibus ea deficientes dimittere noluerunt. Quidam etiam ex honoratis Hipponensium apud Carthaginem vivens Ecclesiæ Hipponensi possessionem donare voluit, et confectas tabulas, sibi usu fructu retento, ultro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit : cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei quod æternæ suæ memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus constitutis, ecce ille donator litteras per suum filium mittens, rogavit ut illæ donationum tabulæ suo redderentur filio; pauperibus vero erogandos direxit solidos centum : quo ille sanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere pœnituisse, et quanta potuit Deo suggerente cordi ejus cum dolore animi [5] ex eadem refragatione dixit [6], in illius scilicet increpationem et correctionem : et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit, pecuniamque illam respuit; atque rescriptis eumdem, sicut oportuit, et arguit et corripuit, admonens ut de sua simulatione vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de sæculo exiret.

Frequentius quoque dicebat, magis securius et tutius Ecclesiam legata a defunctis [1] dimissa debere suscipere, quam hæreditates forte sollicitas et damnosas; ipsaque legata magis offerenda esse, quam exigenda. Commendata vero quæque ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos non prohibebat. In iis quoque quæ Ecclesia habebat et possidebat, intentus amore vel implicatus [2] non erat : sed majoribus magis ac [3] spiritualibus suspensus et inhærens rebus, vix aliquando se ipsum ad illa temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat et deponebat. Quibus ille dispositis et ordinatis, tanquam a rebus mordacibus ac molestis, animi recursum ad interiora mentis et superiora faciebat; quo vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de jam inventis aliquid dictaret, aut certe ex jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, et in nocte lucubrans. Et erat tanquam illa religiosissima Maria typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptum est, quod sederet ad pedes Domini atque intenta ejus verbum audiret : de qua soror conquesta, quod ab eadem circa multum ministerium occupata non adjuvaretur, audivit : *Martha, Martha, meliorem partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* x, 39-41). Nam fabricarum novarum nunquam studium habuit, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali : non tamen illa volentes et ædificantes prohibebat, nisi tantum immoderatos. Interea dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo christiano denuntiabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam et de vasis dominicis, propter captivos et quam plurimos indigentes [4], frangi et conflari jubebat, et indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorumdam fieri perviderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, et dixit, et scripsit (*Offic. lib.* 2, *cap.* 18). Sed et de neglecto a fidelibus gazophylacio et secretario, unde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens admonebat : quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in ecclesia tractavisse, nobis aliquando retulerat.

CAPUT XXV. — *Disciplina domestica. Pœna jurantis.*

Cum ipso semper clerici, una etiam domo ac mensa sumptibusque communibus alebantur et vestiebantur. Et ne quisquam facili juratione etiam ad perjurium decidisset, et in ecclesia populo prædicabat, et suos instituerat, ne quis juraret [5], ne ad

[1] In Mss., *compartiri.*
[2] Salinas, ex Cd. 1188, *eodem præsente.* M.
[3] Sic Mss. Editi vero : *Vel quidquid indispensatum, vel indispensandum remansisset.* — Sic etiam Salinas, ex uno Cd. M.
[4] Salinas, ex duobus Cdd. : *Quem probatum manifestumque habebat.* M.
[5] Editi ferunt, *condolenti animo.*
[6] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *De eadem defraudatione dixit.* M.

[1] Salinas : In codice Vatic. 1190 deest, *a defunctis.* Cd. Reg. 541 sic legit : *Legata antea defuncti debere suscipere, quam hæreditates forte sollicitas et deminoratas.* M.
[2] Hic in editis additur *cupiditate;* sed abest a Mss.
[3] Editi omittunt *ac.*
[4] Duo Mss. : *Et plurimum indigentes.* Unus ex Floriacensibus : *Nam et vasa dominica quam plurima frangi et conflari jubebat.* — Sic etiam Salinas, ex Cd. Vatic. 1191. M.
[5] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Et suis instituebat dictis ne quis juraret.* M.

mensam [1] quidem. Quod si prolapsus fuisset [2], unam de statutis perdebat potionem : numerus enim erat suis secum commorantibus et convivantibus poculorum præfixus. Indisciplinationes quoque et transgressiones suorum a regula recta et honestate [3], arguebat, et tolerabat quantum decebat et oportebat : in talibus præcipue docens, ne cujusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis (*Psal.* CXL, 4), et dum quisque offerret munus suum ad altare, et illic recordatus fuisset quod frater suus haberet aliquid adversus illum, relinquendum esse munus ante altare, atque eundum quo fratri reconcilietur [4], et tunc veniendum, et munus ad altare offerendum (*Matth.* v, 23, 24). Si vero ipse adversus fratrem suum aliquid haberet, corripere eum debere in parte ; et si eum audisset, lucratus esset suum fratrem : sin minus, adhibendum esse unum aut duos : quod si et ipsos contemneret, Ecclesiam adhibendam : sin vero et huic non obediret, esset illi ut ethnicus et publicanus. Et illud addens, ut fratri peccanti et veniam petenti, non septies, sed septuagies septies delictum relaxetur (*Id.* XVIII, 15-17, 21, 22), sicut quisque a Domino quotidie sibi postulat relaxari.

CAPUT XXVI. — *De convictu feminarum.*

Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, ne quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit. Sed nec patrui sui filiæ, et [5] fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant : quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore et neptibus secum commorantibus nulla nasci posset mala suspicio ; tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent, et quod ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci ; et illos qui cum episcopo vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis posse una commorantibus vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari [6]. Ob hoc ergo dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis, una manere domo, ne, ut dictum est, aliquod scandalum aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus : et si forte ab aliquibus feminis ut videretur vel salutaretur, rogabatur ; nunquam sine clericis testibus ad eum intrabant [7], vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset [8].

CAPUT XXVII. — *Officium erga destitutos et ægrotantes. Ambrosii in extremis præclarum dictum. Altera episcopi morti propinquantis eximia sententia contra vitæ hic prolixioris cupiditatem.*

In visitationibus vero modum tenebat ab apostolo definitum, ut nonnisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas [1] visitaret (*Jacobi* I, 27). Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret ; sine mora pergebat [2]. Feminarum autem monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat.

Servandum quoque in vita et moribus hominis Dei referebat, quod in instituto [3] sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivium. De singulis rebus reddens causas, scilicet ne dum inter se conjugati casu jurgarent, ei maledicerent per quem conjuncti essent : sed plane ad hoc sibi jam illis consentientibus petitum interesse debere sacerdotem, ut vel eorum jam pacta et placita firmarentur [4], vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus ac male agens, ejus culpa suffragatori tribueretur [5]. Et ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus temperantiæ amitteretur modus.

Indicaverat quoque nobis se prædicti beatæ memoriæ viri in ultimo vitæ constituti audisse sapientissimum et piissimum responsum, et multum laudabat ac prædicabat. Nam cum ille venerabilis ultima jaceret ægritudine, et a fidelibus honoratis lecto ejus astantibus, et videntibus eum de sæculo ad Deum migraturum, et ob hoc mœrentibus tanti ac talis antistitis Ecclesiam posse privari verbi et sacramenti Dei dispensatione, rogaretur cum lacrymis, ut sibi a Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse : *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere ; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus* (*a*). Et in his noster Augustinus senex elimata ac librata admirabatur et laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum esse, *Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus ;* ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse [6], *Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere.* Hoc enim dixerat ad illud quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examen [7] æquitatis divinæ, de bono se dixit Domino magis [8] confidere : cui etiam in oratione quotidiana dominica dicebat, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12).

Cujusdam quoque coepiscopi, et familiarissimi

[1] Editi, *ad modicum ;* et omnes Mss. præbent *ad mensam.* — Salinas, ex Cd. Vaticano 1190, *ad modicum.* M.

[2] In Mss., *fecisset.*

[3] Salinas, ex duobus Cdd., *et honesta.* In uno deest *honestate.* M.

[4] Editi : *Atque eumdem fratrem esse reconciliandum.* Castigantur ex Mss.

[5] Nostri non habent : *Patrui sui filiæ et.* — Voces eædem suppressæ sunt in Cdd. Salinas. M.

[6] Vetustissimus Cd. Fossatensis : *Aut adventantibus pessime diffamari ;* et præterit : *Aut tentationibus,* etc.

[7] Editio Lov. : *Ad eas intrabat,* dissentientibus Mss. et Ulmmerio.—Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Ad eam intrabat.* M.

[8] Salinas : *Vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset ;* adjecta hac notula : Codex Reg. 541 : *Nisi secretorum aliquid interfuit.* Cd. Vatic. 1190 : *Nisi secretorum aliquid interesset ;* prius tamen habet : *Nec si secretum aliquid interesset.* M.

[1] Ulmm. et Mss., *constitutos.*

[2] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Sine mora peragebat.* M.

[3] Editi, *in institutis.* — Salinas, ex uno codice, *quod instituto.* M.

[4] Veteres Cdd. : *Jam facta placita firmarentur.*

[5] Sic omnino Mss.; at editi : *Suam culpam male agens suffragatori tribueret.*

[6] Tres Mss., *præmisisse.*

[7] Aliquot Mss., *nam ad examen.*

[8] Hic editi addunt : *Quam de meritis suis ;* sed abest a Mss.

(*a*) Idem in Ambrosii Vita narrat Paulinus presbyter.

sui amici, in extremis vitæ de talibus frequentissime referebat dictum : ad quem cum visitandum jam morti propinquantem ventitasset, et ille manus gestu se de sæculo exiturum significaret, atque a se illi esset responsum, adhuc eum Ecclesiæ necessarium vivere posse ; illum, ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, ei respondisse : *Si nunquam, bene ; si aliquando, quare non modo ?* Et talem sententiam mirabatur et laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, verumtamen in villa natum et nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia : contra illum scilicet sensum ægrotantis episcopi, de quo sanctus in epistola sua quam de Mortalitate scripsit martyr Cyprianus, ita retulit, dicens : *Cum quidam de collegis et consacerdotibus nostris infirmitate defessus, et de appropinquante morte sollicitus, commeatum sibi precaretur, astitit precanti et jam pene morienti juvenis honore et majestate venerabilis, statura celsus, et clarus aspectu, et quem astantem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre jam poterat de sæculo recessurus : atque ille non sine quadam animi et vocis indignatione infremuit, et dixit, Pati timetis, exire non vultis ; quid faciam vobis ?*

CAPUT XXVIII. — *Quæ proxime ante mortem ab Augustino edita. Retractationum libri. Barbarorum irruptio. Hipponis obsidio.*

Ante proximum vero diem obitus sui a se dictatos et editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore conversionis suæ adhuc laicus, sive quos presbyter, sive quos episcopus dictaverat : et quæcumque in his recognovit aliter quam sese habet ecclesiastica regula a se fuisse dictata et scripta, cum adhuc ecclesiasticum usum minus sciret, minusque sapuisset [1], a semetipso et reprehensa et correcta sunt. Unde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, *De recensione librorum* (*a*). Præreptos etiam sibi quosdam libros (*b*) ante diligentiorem emendationem a nonnullis fratribus conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam suorum librorum prævertus morte dereliquit. Quique prodesse omnibus volens, et valentibus [2] multa librorum legere, et non valentibus, ex utroque divino Testamento, Vetere et Novo, præmissa præfatione præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit ; ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo inobediensve esset, agnosceret : et hoc opus voluit Speculum appellari.

Verum brevi consequenti tempore divina voluntate et potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata et bellis exercitata, immanium hostium Vandalorum et Alanorum commixtam secum habens Gothorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset et irruisset : universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est ; nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. Et hanc ferocissimam hostium grassationem et vastationem, ille Dei homo, et factam fuisse et fieri, non ut cæteri hominum sentiebat et cogitabat : sed altius et profundius ea considerans, et in his animarum præcipue vel pericula vel mortes prævidens, solito amplius (quoniam, ut scriptum est, *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (*Eccle.* I, 18) ; et, *Cor intelligens, tinea ossibus*) fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 4), amarissimamque et lugubrem præ cæteris suæ senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum ædificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos ; Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos ; et in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate, perdita animi et corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire ; hymnos Dei et laudes de ecclesiis deperisse, ædificia ecclesiarum quam plurimis locis ignibus concremata, solemnia quæ Deo debentur de propriis locis desiisse sacrificia, sacramenta divina vel non quæri [1], vel quærenti qui tradat non facile reperiri ; in ipsas montium silvas et cavernas petrarum et speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuisse expugnatos et interfectos [2], alios ita necessariis sustentaculis evolutos atque privatos, ut fame contabescerent ; ipsosque Ecclesiarum præpositos et clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia quibus fulciendi essent subveniri posse : vix tres superstites ex innumerabilibus Ecclesias, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, et Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, et earum permanent civitates, et divino et humano fultæ præsidio ; licet post ejus obitum urbs Hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala cujusdam sapientis sententia consolabatur, dicentis : Non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales [3].

Hæc ergo omnia ille, ut erat alte sapiens, quotidie ubertim plangebat. Accrevitque mœroribus et lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu con-

[1] Sic Mss. ; at Edd., *intelligeret*. — Salinas, item ex uno Cd., *minusque intelligeret ;* ex altero Cd., *minusque saperet*. M.
[2] Editi, *et volentibus ;* contra Mss., *et valentibus*.

(*a*) Retractationum libri.
(*b*) De Trinitate.

[1] Sic aliquod probæ notæ Mss. ; at editi : *Solemnia quæ Deo debentur de propriis locis desiisse, sacrificia et sacramenta divina vel non quæri*, etc. — Salinas : *Solemnia quæ Deo debentur de propriis locis desiisse, sacrificia ac sacramenta divina vel non quæri*, etc. ; adjecta hac notula : sic Lov. legunt, et recte, consentientibus Mss. M.
[2] Tres Mss. : *Et interceptos* ; atque ex istis unus prosequitur : *Alios sic a necessariis*, etc.
[3] Sola editio Lov. : *Non erit magnum quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales*.

sistentem ad eamdem Hipponensium-Regiorum [1] civitatem ab iisdem hostibus veniretur obsidendam : quoniam in ejus tunc fuerat defensione constitutus comes quondam Bonifacius cum Gothorum fœderatorum exercitu [2], quam urbem ferme quatuordecim mensibus conclusam obsederunt : nam et littus illi marinum interclusione abstulerunt [3]. Quo etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris coepiscopis confugeramus, in eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. Unde nobiscum sæpissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia præ oculis nostris posita considerabamus, dicentes : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII, 137). Pariterque dolentes, gementes et flentes orabamus miserationum Patrem et Deum omnis consolationis (II *Cor.* I, 3), ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur.

CAPUT XXIX. — *Morbus extremus Augustini.*

Et forte provenit, ut una cum eodem ad mensam constitutis, et inde confabulantibus nobis diceret : *Noveritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe ut me de hoc sæculo ad se accipiat.* Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem et nos, et nostri omnes, et ipsi qui in eadem fuerant civitate, a summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit febribus fatigatus, et illa ultima exercebatur ægritudine. Nec suum sane Dominus famulum fructu suæ precis fraudavit. Nam et sibi ipsi et eidem civitati, quod lacrymosis depoposcit precibus, in tempore impetravit. Novi quoque eumdem et presbyterum, et episcopum, pro quibusdam [4] energumenis patientibus ut oraret [5] rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogasse, et dæmones ab hominibus recessisse [6]. Itemque ad ægrotantem et lecto vacantem quemdam cum suo ægroto venisse, et rogavisse ut eidem manum imponeret, quo sanus esse posset : eumque respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc utique primitus præstitisset : et illum dixisse visitatum se fuisse, sibique per somnium dictum esse : *Vade ad Augustinum episcopum, ut eidem manum imponat, et salvus erit.* Quod dum comperisset, facere non distulit, et illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit.

CAPUT XXX. — *Consilium an hostibus adventantibus ex Ecclesiis episcopis recendum sit.*

Interea reticendum minime est, cum memorati impenderent hostes [1], a sancto viro quoque nostro coepiscopo Thiabensis [2] Ecclesiæ Honorato, litteris fuisse consultum, utrumnam illis adventantibus, ex Ecclesiis episcopis vel clericis recedendum esset, necne : eique rescriptis insinuasse quid magis ab illis Romaniæ eversoribus esset metuendum. Quam ejus epistolam huic scripturæ inserere volui : est enim sacerdotum Dei et ministrorum moribus valde utilis et necessaria. Isto modo rescriptum est ad eumdem ab eodem : *Sancto fratri et coepiscopo Honorato, Augustinus, in Domino salutem. Charitati tuæ misso exemplo epistolæ* (non exstat) *quam fratri Quodvultdeo nostro coepiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse quod mihi imposuisti, quærendo consilium quid in his periculis quæ tempora nostra invenerunt* [3], *facere debeatis. Quamvis enim epistolam illam breviter scripserim, nihil me tamen prætermisisse arbitror, quod et respondenti dicere, et quærenti audire sufficeret : quandoquidem dixi nec eos esse prohibendos qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant ; et ministerii nostri vincula, quibus nos Christi charitas alligavit, ne deseramus Ecclesias quibus servire debemus, non esse rumpenda. Ista quippe verba sunt quæ in illa epistola posui : Restat ergo, inquam, ut nos quorum ministerium quantulæcumque plebi Dei ubi sumus manenti, ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino,* « *Esto nobis in Deum protectorem, et in locum munitum* » (*Psal.* XXX, 3). *Sed hoc consilium tibi propterea non sufficit, ut scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de civitate in civitatem monet. Recolimus enim verba dicentis,* « *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam* » (*Matth.* X, 23) : *quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit? Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit* (*Id.* II, 14), *qui nondum Ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Numquid quando apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, et effugit manus ejus* ( II *Cor.* XI , 33), *deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio , et non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Faciant ergo servi Christi, ministri verbi et Sacramenti ejus, quod præcepit sive permisit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est episcoporum, clericorum et laicorum* [4] *est commune periculum, hi qui aliis indigent , non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent remanendi ne-*

[1] Editi : *Hipponensium-Regionum*, corrupte. Notum est civitatem hanc Hipponem regium dictam, ut supra, c. 5, quo videlicet ab Hippone diarrhyto secerneretur.

[2] Sic nostri omnes Mss.; editi autem : *Comes quidam Bonifacius cum Gothorum quondam fœderatus exercitu.* — Salinas legit ut editi, quoniam hæc lectio magis historicæ veritati respondet. M.

[3] Unus ex Floriacensibus Mss. : *Nam et littus illi marina interclusione abstulerunt.* — Salinas, ex Cd. Vatic. : *Nam et littus illa marinum interclusione abstulerunt.* Cd. Reg. 541 : *Nam littus illi marinum in conclusione abstulerunt.* M.

[4] Salinas, ex Cd. Vatic. 1191, *pro quibusque.* M.

[5] Salinas, ex Cd. Vatic. 1190 : *Energumenis petentibus ut rogaret.* M.

[6] Salinas, ex Cd. Vatic. 1191 : *Deum rogasse ut dæmones ab hominibus recederent.* M.

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Cum Mauritaniæ imminerent hostes.* M.

[2] Editi , *Thabennensis ;* at Mss., *Thiabensis*, aut *Thiavensis.*

[3] Apud Lov. : *Quæ in tempora nostra venerunt.*

[4] Editi omittunt, *laicorum*, quod restituitur ex Mss.

*cessitatem, non relinquantur ab eis per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant quod eos Paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit ut sive alii minus, alii majus, sive omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui pro aliis patiuntur, apparet; illi scilicet qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa charitas quam Joannes apostolus commendat, dicens : «Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere» (I Joan.* III, 16). *Nam qui fugiunt vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt; si comprehensi pâtiuntur, pro se ipsis, non pro fratribus, utique patiuntur : qui vero propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt. Unde illud quod episcopum quemdam dixisse audivimus, Si Dominus nobis imperavit fugam in eis persecutionibus, ubi potest fructus esse martyrii; quanto magis debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus et hostilis incursus? verum est* [1] *quidem et acceptabile, sed his quos ecclesiastici officii non tenent vincula. Nam qui clades hostiles ideo non fugit, cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi* [2], *sine quo non possunt homines vel fieri vel vivere christiani, majorem charitatis invenit fructum, quam qui non propter fratres, sed propter se ipsum fugiens, atque comprehensus non negat Christum, suscipitque martyrium. Quid est ergo quod in epistola tua priore posuisti? dicis enim, Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, feminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos ipsi in tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur quod non habemus. Potens est quidem Deus audire preces familiæ suæ, et hæc, quæ formidantur, avertere; nec ideo tamen propter ista, quæ incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, sed alterius incomparabiliter diligentius sollicitiusque curandæ. Nam si certa essent ista mala, quæ timentur ne in locis in quibus sumus, forte contingant, prius inde fugerent omnes propter quos ibi manendum est, et nos a manendi necessitate liberos redderent : non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis : sed multo plures, illic manentibus propter quos manerent, sub eorumdem periculorum densitate manserunt. Et si aliqui deseruerunt plebes suas, hoc est quod dicimus fieri non debere : neque enim tales docti auctoritate divina, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi. Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum; et mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus (Joan.* x, 12, 13)? *Cur non istas duas dominicas verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur quod jam superius disputavi, tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur; aut etiam fuerit, et potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi : sicut in sporta submissus, quod supra memoravi, fugit Apostolus, cum a persecutore proprie ipse quæreretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesiæ; sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe catholica quæ in Alexandria commanebat? Cum autem plebs manet, et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur; quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium dominici corporis defuit; et peribit infirmus in tua non scientia* [1], *sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est* (I Cor. VIII, 11). *Quod autem ad eos attinet, qui in hac re non falluntur errore, sed formidine superantur; quare non potius contra suum timorem Domino miserante atque adjuvante fortiter dimicant, ne mala sine comparatione graviora, quæ multo amplius sunt tremenda, contingant? Fit hoc ubi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit :* Quis infirmatur, et non ego infirmor? quis scandalizatur, et non ego uror (II Cor. XI, 29)? *Sed charitas ex Deo est. Oremus ergo ut ab illo detur, a quo jubetur : et per hanc magis timeamus ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio in corde, quam ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocumque, quocumque mortis genere, morituri sunt. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto, pereat castitas fidei, quam ne feminæ violenter constuprentur in carne : quia violentia non violatur pudicitia, si mente servatur; quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur. Magis timeamus ne lapides vivi exstinguantur deserentibus nobis, quam ne lapides et ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necentur, quam ne membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur. Non quia ista non sunt vitanda cum possunt; sed quia potius ferenda sunt, quando vitari sine impietate non possunt : nisi forte quisquam contenderit non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium. An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus; aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ*

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541, *utile* est. M.
[2] Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *Ne deserat ministerium Christo.* M.

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 541, *conscientia.* M.

*ipsius actionem, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati! quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt! quantus denique gemitus omnium, et quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum* [1]*! Vide quid faciat malorum temporalium timor, et quanta in eo sit acquisitio malorum æternorum. Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur : alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli* [2] *dominici corporis communione fraudantur, omnes consolantur, ædificantur, exhortantur, ut Deum rogent, qui potens est omnia quæ timentur, avertere; parati ad utrumque, ut si non potest ab eis calix iste transire, fiat voluntas ejus* (*Matth.* XXVI, 42) *qui mali aliquid non potest velle. Certe jam vides quod te scripseras non videre, quantum boni consequantur populi Christiani, si in præsentibus malis non eis desit præsentia ministrorum Christi : quorum vides etiam quantum obsit absentia, dum sua quæruut non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21); *nec habent illam de qua dictum est :* Non quærit quæ sua sunt (I *Cor.* XIII, 5); *nec imitantur eum qui dixit :* Non quærens quod mihi utile [3], sed quod multis ut salvi fiant (*Id.* X, 33). *Qui etiam persecutoris principis illius insidias non fugisset, nisi se aliis quibus necessarius erat, servare voluisset : propter quod ait,* Compellor autem ex duobus : concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis optimum; manere autem in carne, necessarium propter vos (*Philipp.* I, 23) (*a*).

CAPUT XXXI. — *Mors et sepultura Augustini. Psalmi pœnitentiales. Sacrificium pro mortuo oblatum. Bibliotheca. Monasteria. Epitaphium poetæ cujusdam.*

Sane ille sanctus in vita sua prolixa pro utilitate ac felicitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ divinitus condonata, vixit annis septuaginta et sex, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme quadraginta. Dicere autem nobis [4] inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum Baptismum, etiam laudatos Christianos [5] et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit, ultima qua defunctus est ægritudine : nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos [6] diebus suæ infirmitatis intuebatur, et legebat, et jugiter ac ubertim flebat : et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent [1], vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est : et omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter et fortiter, sana mente, sanoque consilio in ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis astantibus, et videntibus, et cum eo pariter [2] orantibus obdormivit [3] cum patribus suis, enutritus [4] in bona senectute; et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Dei non habuit. Ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero Ecclesia, vel in sumptibus, vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri [5], qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit. Nec suos consanguineos, vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit : quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris, erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum, continentibus [6] cum suis præpositis plena, Ecclesiæ dimisit, una cum bibliothecis, libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in Ecclesia fuerit noscitur, et in his semper vivere a fidelibus invenitur. Juxta quod etiam sæcularium quidam poetarum, suis jubens quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, programmate finxit, dicens [7],

Vivere post obitum vatem vis nosse viator,
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est.

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus et charus sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, recte ac sane, fidei, spei, et charitatis catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur : quod agnoscunt qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in ecclesia præsentem audire et videre potuerunt [8], et ejus præsertim [9] inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno cœlorum, de thesauro suo proferens nova et vetera, et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit (*Matth.* XIII, 52, 45, 46) : verum etiam ex iis ad quos scriptum est, *Sic loquimini, et sic facite* (*Ja-*

[1] Salinas, ex Cd. Reg. 1025 : *De absentia mysteriorum et ministrorum.* M.
[2] Salinas, ex Cd. Reg. 541, *non multi.* M.
[3] Salinas, ex utroque Cd. Reg. : *Non quod mihi utile est.* M.
[4] Codices Mss. : *Nam vixit annis... dicere nobis* ; omisso, *autem.*
[5] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Etiam laudabilis conversationis Christianos.* M.
[6] Salinas, ex Cd. Vatic. 1188 : *In lecto contra parietem posito.* M.

(*a*) Cætera videre est in tomo secundo, epist. 228, nn. 10, 11, 12, 13 et 14.

[1] Salinas : Tres Mss., *intrabant* ; unus pro sequitur : *Vel cum ei refectio offerebatur.* M.
[2] Nostri omnes Mss. omittunt *cum eo pariter.*
[3] Editio Lov. addit, *in pace.*
[4] Germanensis codex præterit *enutritus* ; et infra, loco : *Et nobis coram pro ejus*, præfert : *Et a nobis pro ejus.* — Salinas, ex Cd. Reg. : *Et nobis coram positis.* M.
[5] Sic habent Mss.; at editi : *Fideli presbytero.*
[6] Editi præbent, *continentium.* — Sic etiam Salinas. M.
[7] Editi : *Pro epigrammate finxit, dicens.* Omnes Mss. : *programmate* ; et ex iis plerique præbent, *fixit dicens.* — Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Pro epigrammate finxit dicens.* M.
[8] Germanenses Mss. : *In Ecclesia audire præsentialiter et videre potuerunt.*
[9] Salinas, ex Cd. Reg. 541 : *Et ejus præsentem.* M.

*cobi* II, 12) ; et de quibus Salvator dicit, *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V, 19).

Peto autem impendio vestram charitatem, qui hæc scripta legitis, ut mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, ut hæc in notitiam et præsentium et absentium præsentis temporis et futuri hominum, et vellem deferre, et valuissem ; et mecum ac pro me oretis, ut illius quondam viri, cum quo ferme annis quadraginta Dei dono [1] absque amara ulla dissensione familiariter ac dulciter vixi, et in hoc sæculo æmulator et imitator existam, et in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar. Amen [1].

[1] Fossatensis Mss. : *Dei domo.*

[1] Salinas : In codice Reginæ 541 hic additur finis cum nonnullis aliis verbis ad translationes corporis S. Doctoris pertinentibus : *Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Insititius hic finis est, nec ad Possidii pertinet textum. Notum est enim ecclesiasticæ antiquitatis studiosis, in fine tum Sermonum, tum Vitarum, quæ a Veteribus editæ sunt, aliqua addi et inseri, sicut et frequenter detruncari, tum pro dicentis scribentisque arbitrio, ac pro solemnitatis ratione, tum pro temporum necessitate. Quod, cum accurate non advertitur, in graves ac turpes errores impellit. M.

# VITA
# SANCTI AURELII AUGUSTINI,
## HIPPONENSIS EPISCOPI,
## EX EJUS POTISSIMUM SCRIPTIS CONCINNATA.

## *LIBER PRIMUS.*

De primis viginti novem annis Augustini, ab ejus ortu ad profectionem ejusdem in Italiam.

### CAPUT PRIMUM.

1 *Augustini patria.* 2 *Natalis dies.* 3 *Nomen.* 4 *Parentes et consanguinei.*

1. Aurelius Augustinus, vir divino munere Ecclesiæ donatus, Tagastam obscurum Africæ oppidum in Numidiæ mediterranea parte, haud procul Madauris et Hippone-Regio situm, ortu suo nobilitavit (*Poss., in Vita August., c.* 1 ; *August., Epist.* 7, *n.* 6 ; *Confess. lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 5 ). Ea civitas nefario Donatistarum schismati tota olim adhæserat : sed anno circiter trecentesimo quadragesimo nono Cæsarearum legum terrore compulsa ad communionem catholicam, tanto deinde animorum studio in eam coaluit, ut anno post sexagesimo illius incolæ iis erroribus nunquam impliciti fuisse viderentur ( *August., Epist.* 93, *n.* 17).

2. In lucem editus est Augustinus idibus novembris, anno Christi ( quantum ex Prospero et Possidio intelligimus (*Prosp., in Chron.; Poss., in Vita August., c.* 30) trecentesimo quinquagesimo quarto : quippe qui vita cesserit quinto kalendas septembris, anno salutis quadringentesimo trigesimo, ætatis suæ septuagesimo sexto prope absoluto. Quod quidem pluribus eo loco discutiendum erit, ubi de tempore conversionis ejus acturi sumus.

3. Cum celebrari per orbem cœpit, jam tum eidem erat prænomen Aurelio : quod profecto ille, sive id infans acceperat ipsis ab incunabulis, sive post vitæ doctrinæque merito sanctus Doctor adeptus erat, semper retinuit. Nam hoc ipsum prænomine Paulus Orosius in suæ Historiæ *Ad Aurelium Augustinum* inscriptione insignivit. Eodem illum exornavit ipsius fere æqualis Claudianus Mamertus ( *Mamer.*, *de Statu animæ, lib.* 2, *cap.*10); eodem venerabilis Beda (*Bed., in Vita S. Cuthb.*) ; eodem præclara quæque et antiquiora opusculorum ipsius visa nobis volumina decorant augentque Augustinum.

4. Honestis eum prognatum parentibus tradit Possidius, de Curialium numero, hoc est, eorum qui in municipiis curiæ officium administrabant, et munia procurabant civilia ( *Poss., in Vita August., c.* 1 ). Pater ei Patricius fuit, municeps Tagastensis admodum tenuis, virque animo magis quam opibus pollens, ut ipse Augustinus summa animi demissione memoriæ prodit ( *Confess. libro* 2, *cap.* 3, *n.* 5 ) : qui eadem modestia adductus, publica in concione fassus est aliquando, vestem pretiosam forte episcopum decere, minime vero Augustinum, hominem pauperem, de pauperibus natum parentibus ( *Serm.* 356, *n.* 13 ). Erat Patricio liberalis et propensus in omnes animus, at iracundus multum et ferox. A christiana fide alienus diu cum fuisset, sub extrema vitæ tempora conversus, una cum fide castos et christianos mores induit ( *Confess. libro* 9, *cap.* 9, *nn.* 19, 22 ). Patricii conjux nomine Monnica ( sic enim ejus nomen ubique in antiquis codicibus pingebant librarii ) Augustinum spiritu non minus quam carne parturivit. Multos ex Patricio peperit liberos : nam Augustinus matri ad Ostia Tiberina obeunti anno trecentesimo octogesimo octavo fratrem suum adfuisse testatur ( *Ibid., cap.* 11, *n.* 27 ). Is porro non alius videtur a Navigio, qui una cum Augustino fratre suo nondum regenerato in villa

Verecundi degens, philosophicis ejus dissertationibus intererat, laborans splene vitioso (*De Beata Vita, nn.* 7, 14) : quo haud dubie patre procreatæ fuerant illæ Augustini ex fratre neptes, quæ Deo pariter serviebant ( *Poss., in Vita August., c.* 26 ), cum ejusdem, ut videtur, sancti Antistitis germana sorore, quæ vidua relicta multos annos in diem usque obitus sui Christo serviens ancillarum Dei cœnobio præfuit ( *August., Epist.* 211, *n.* 4 ). Meminit quoque Augustinus Patricii nepotis sui, Hipponensis Ecclesiæ subdiaconi ( *Serm.* 356, *n.* 3 ), cui et sorores erant complures, et mater pertinentium ad eumdem possessionum usufructuaria. In suo apud Verecundum secessu duos etiam e consobrinis suis secum habuit, Lastidianum et Rusticum. Eadem consanguinitatis necessitudine devinctus erat Augustino Severinus ille, quem epistola officii et charitatis plena, ad Ecclesiæ catholicæ unitatem, ex Donatistarum factione traducere conabatur ( *Epist.* 52). Licentius denique filius Romaniani illius civis Tagastensis genere atque opibus insignis, se eadem, quam Augustinus, stirpe prognatum videtur innuere ( *Epist.* 26, *n.* 3 ). At Paulinus uno eodemque loco scribit, Alypium Licentii fratrem esse consortio sanguinis, Augustinum vero ejusdem in scientiis magistrum et ingenii satorem existere. Quamobrem Licentius adolescens, quo impensius præceptori adblandiretur, poetica licentia locutus videri potest, qua nonnunquam unius urbis cives uno sanguine prognati dicuntur. Hæc sunt quæ de Augustini genere comperimus. Quod ad ipsius matrem Monnicam attinet, omni profecto dignam laude mulierem, longior de illa instituendus est sermo, quam ut hoc loco possit comprehendi.

## CAPUT II.

1 *Augustinus infans catechumenis adscribitur.* 2 *In pueritia morbo correptus Baptismum flagitat.* 3 *Deum puerulus invocat, ne in schola vapulet.* 4 *In scholas datus ut litteras discat, latinas amat.* 5 *Græcas odit.* 6 *Pueritiæ ipsius errata.*

1. Sanctissima atque optima femina cum primum infantem enixa est, nihil potius habuit, quam ut eum inter catechumenos signaculo crucis Christi obsignandum, et mystico sale condiendum curaret ( *Confess. libro* 1, *cap.* 11, *n.* 17 ) : qui ritus catechumenum initiandi inter solemnes Baptismi cæremonias semper retentus, summa etiamnum religione servatur. Hinc certe Augustinus christianam religionem sibi puerulo a parentibus insitam, et se christianum catholicum ante fuisse profitetur, quam in Manichæorum errores incidisset ( *De Utilit. credendi, n.* 2 ). Audierat adhuc puer de vita æterna nobis promissa per mysterium Incarnationis Domini Dei nostri, qui superbiam nostram humilitate sua sanaturus advenit ( *Confess. libro* 1, *cap.* 11, *n.* 17 ). Itaque jam tum credebat in Christum, ut et ejus mater, et omnis domus, uno excepto patre ; cujus tamen iniqua consilia et hortamenta jus maternæ pietatis evincere in ejus animo nunquam valuerunt. Porro suavissimum Jesu Christi nomen, quod una cum lacte matris imbiberat, sic alte tenero ejus cordi inhæsit, ut nulla exinde quantumvis facundi et expoliti sermonis lenocinia eum totum raperent, quæ non ejus nominis dulcedine condirentur ( *Ibid., libro* 3, *cap.* 4, *n.* 8 ).

2. Hac igitur fide a teneris imbutus, nobile illius documentum puer parvulus dedit tum, cum stomachi pressu correptus repentino tamque vehementi, ut prope animam acturus videretur, Baptismum quanto potuit fidei et mentis ardore a piissima matre flagitavit : quæ festinabunda dedit operam, ut sacro quam primum fonte ablueretur. Verum cum interea vis morbi remisisset, provida in futurum mater Baptismum in aliud tempus differendum putavit ; verita scilicet ne per impendentis ætatis lubricum novis se ille delictis inquinaret, reatuque ob violatam salutaris lavacri sanctitatem majore multo obligaretur. Quanquam eam dilationem haud satis approbat Augustinus : *Quanto melius*, inquit, *et cito sanarer, et id ageretur mecum, meorum meaque diligentia, ut recepta salus animæ meæ tuta esset tutela tua, qui dedisses eam ?* (*Confess. libro* 1, *cap.* 11, *nn.* 17, 18. )

3. Præter institutionem, quam habebat optimam a matre, etiam ab hominibus quibusdam piis, in quos ipse puer incidit, didicit Deum, quantum de illo pro ætatis captu sentire poterat, *esse magnum aliquem, qui posset, etiam non apparens sensibus nostris, exaudire nos et subvenire nobis.* Unde sub hæc Deum sic alloquitur : *Puer cœpi rogare te auxilium et refugium meum ; et in tuam invocationem rumpebam nodos linguæ meæ ; et rogabam te parvus, non parvo affectu, ne in schola vapularem : peccabamus tamen, minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur a nobis. Non enim deerat, Domine, memoria vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate satis ; sed delectabat ludere : et vindicabatur in nos ab eis qui talia utique agebant. Sed majorum nugæ negotia vocantur ; puerorum autem talia cum sint, puniuntur a majoribus. Peccabam faciendo contra præcepta parentum et magistrorum illorum. Poteram enim postea bene uti litteris, quas volebant ut discerem quocumque animo illi mei. Non enim meliora eligens, inobediens eram, sed amore ludendi* (*Ibid., cap.* 9, *nn.* 14, 15 ; *cap.* 10, *n.* 16 ).

4. Uterque parens eum litterarum peritum esse ac ingenuis expolitum artibus, vehementer cupiebat : pater quidem, quod Dei propemodum immemor, inania sibi de filio polliceretur ; mater vero, quod doctrinæ atque optimarum artium studia plurimum ipsi ad Deum adipiscendum adjumenti crederet allatura ( *Ibid., lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 8 ). Quapropter cum ingenii sui specimen cito præbuisset, ludimagistro traditus est, primis imbuendus litterarum elementis, quibus videlicet legere et scribere ac numerare discitur (*Ibid., lib.* 1, *cap.* 9, *n.* 14) : atque ubi per ætatem licuit, Madauras vicinam urbem, litteraturæ atque oratoriæ artis percipiendæ gratia missus est (*Ibid., lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 5). Verum deterrebant inde animum pueri, ingenio licet ac memoria prævalentis, insitæ primis

litterarum rudimentis difficultates; sed ab illis præsertim, in quibus scribendi, legèndi et numerandi præcepta traduntur, ipse valde abhorrebat; quamvis istæ multo plus utilitatis afferant, quam quæ honestiores et uberiores litteræ putantur (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 13, *nn.* 20, 21.) Postea tamen cùm ex his difficultatibus emersisset; aliquanto propensiore studio ad latinas litteras animum appulit, seu quod jam inde a teneris unguiculis inter arridentis nutricis blandimenta iis utcumque imbutus esset, seu quod poetarum in primis delectaretur figmentis, fabulisque, quibus nobilissimi quique Romanæ linguæ auctores libros suos sparserunt. Didonis mortem non sine lacrymis lectitabat, et hac sibi lectione interdici tulisset molestissime. Qui autem eis rebus delectabatur, licet hoc ipso miser, ob hoc tamen bonæ spei puer appellabatur (*Ibid.*, *cap.* 16, *n.* 26). *Quid enim*, ait, *miserius misero non miserante se ipsum, et flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam; non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te, Deus lumen cordis mei?* Et tamen inde illi acclamabatur in schola præ multis coætaneis et condiscipulis. *Non te amabam et fornicabar abs te, et fornicanti sonabat undique, Euge, Euge. Amicitia enim mundi hujus fornicatio est abs te; et Euge, Euge dicitur, ut pudeat, si non ita homo sit* (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 21; *cap.* 17, *n.* 27).

5. Tametsi vero Græci texendarum fabularum peritissimi sint, ab iis tamen linguæ ipsius peregrinitate longissime abalienabatur, et Homerum quoque, lepidis licet deliriis animos oblectantem, prorsus respuebat. Sævis terroribus ac pœnis urgebatur puer, ut græcas litteras condisceret : sed cum in ea re, quam quis invitus agit, parum proficiat, hisce litteris leviter imbutum se fuisse fatetur Augustinus. Hujus quoque linguæ inopia, se suosve populares Africanos legendis libris de divina Trinitate græce scriptis impares fuisse non dissimulat (*De Trinit.*, *lib.* 3, *n.* 1). Ea tamen quantulacumque græci sermonis notitia, quam sibi comparaverat, usque adeo feliciter usus est, ut nisi ipse pro innata modestia ejus se rudem professus esset, litteris græcis apprime eruditus videri potuisset. Nam legit Epiphanii Commentarium de hæresibus, aut certe breviarium ejus, nondum latinitate donatum. Deinde aliorum Patrum græcorum libros pervolvit, e quibus testimonia non pauca deprompsit adversus hæreticos. Denique crebra græcarum vocum interpretatio, quæ passim in ejus opusculis occurrit, ac complurium Scripturæ locorum ex collatione codicum græcorum cum latinis restitutio, documento esse possunt, Augustinum haud ita mediocriter græce scivisse.

6. Vitam illa ætate suam agnoscit justa reprehensione non caruisse, quando nimirum in vanitates ferebatur et a Deo suo ibat foras; qui magis timebat barbarismum facere, quam cavebat non facientibus invidere : ac nihilominus in ejuscemodi studiis laudabatur ab iis, quibus placere, tunc erat illi honeste vivere. Non prætérit silentio Vir sanctus cætera puritiæ suæ errata : verum nihil habet in his admodum singulare aut a vulgatis puerorum moribus abhorrens, quod nos remoretur.

## CAPUT III.

*1 Madauris domum remigrat, ibique per annum ab studiis feriatur. 2 Ex otio in luxuriam incidit. 3 Furti sese astringit.*

1. Hæc fere sunt, quæ de se ipso refert Augustinus ad annum usque decimum quintum exeuntem, hoc est, usque ad litterarias ferias, ut quidem videtur, anni trecentesimi sexagesimi noni. Tunc Madauris Tagastam reversus decimum sextum ætatis annum, qui reparatæ salutis erat trecentesimus septuagesimus, in paterna domo transegit, intermisso per id tempus studiorum cursu, dum longinquioris peregrinationis sumptus pararentur. Patricius enim gloriæ filii cupidus, atque animo magis quam divitiis pollens, eum academiæ Carthaginènsi destinabat. Nemo tunc Patricium non impense laudabat, quod sumptus filio necessarios ad prosequendum dissita illa in urbe studiorum curriculum, supra quam domesticæ paterentur facultates, prolixe suppeditaret. Neque enim ullus e communicipibus, eo longe opulentioribus, ad liberorum studia promovenda tantum curæ atque operæ conferebat. Verum non perinde sollicitus erat, ut filius pro ætatis progressu in Dei timore proficeret, castitatemque coleret. Id unum spectabat, ut ille disertus evaderet, atque ad persuadendum concinnus, perfectus et politus (*Confess. lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 5). Quid, quòd cum illum ex prudentiæ et mansuetudinis præscripto moderata severitate coercere teneretur, laxas in ludis et oblectamentis habenas illi permittebat, et libertate licentiaque ultra modum indulta variis cum effrenatisque cupiditatibus obsequentem sinebat in præceps abripi (*Ibid.*, *n.* 8).

2. Sub hæc ille tempora, quibus ab omni scholæ feriatus otio diffluebat, fœdæ libidinis aculeos experiri, et quemadmodum fere adolescentes otiosi omnes, tyrannicam voluptatis pati servitutem. Quæ quidem spinæ subito excrescentes caput ejus excessérunt : nec erat medica manus quæ illas evelleret. Imo pater filium forte in balneis conspicatus pubescentem, quasi ex ejus conjugio nepotes brevi speraret, id Monnicæ gaudens indicavit. Non ita pridem catechumenus erat Patricius : at uxor ejus pietate provectior, ad hæc trepidatione ac timore sancto concussa exsilivit, verita scilicet ne rueret adolescens in flagitia. Hinc eum sevocatum admonuit cum sollicitudine ingenti, ut ab obscœnis amoribus, maxime autem ab alieni tori violatione abhorreret. At hos ille monitus, certe a Deo ipsi per mulierem datos, muliebres reputabat, quibus obtemperare probrosum sibi esse duceret. Tanta cæcitate ibat in præceps, ut inter coætaneos flagitia sua palam jactitantes, et de illis eo procacius, quo magis propudiosa erant gloriantes, minoris eum dedecoris reum esse puderet : et ubi decrat, quo profligatissimos quosque adæquaret, ne quo castior et innocentior, eo abjectior et vilior haberetur, illud idem quoque se commisisse fingebat (*Ibid.*, *nn.* 7, 8). Morum suorum sordes, in quibus

interea jacuit, multis ipse verbis deplorat : quo quidem tempore, ut loquitur, satiari inferis exarsit (*Ibid.*, *cap.* 1, *n.* 1). Nec de nimia tantummodo licentia sibi concessa queritur ; sed etiam quod mater ex quo virum supra memorata referentem audiisset, satis esse putaverit, ipsi colendæ castitatis monita tradidisse, neque diligentiam adhibuerit, quo pestilentiosa ac in posterum periculosior libido, si resecari ad vivum non poterat, injecto legitimi conjugii freno coerceretur. Verum ea solummodo cura fuit parentum ipsius, ut artem bene dicendi persuadendique addisceret ; ac metus erat, ne filio conjugii vinculis tunc astricto, spes omnis de illo concepta vanesceret. In ipso adolescentiæ suæ exordio, ut ipse scribit, petiit a Deo castitatem, sed futili quodam et ambiguo voto. *Dixeram*, ait, *Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri quam exstingui* (*Confess. lib.* 8, *cap.* 7, *n.* 17).

3. Per idem tempus quo domi feriabatur otiosus, cum in consuetudinem pravorum aliquot adolescentium pariter otiosorum se dedisset, ab iis in furti societatem adductum se fuisse memorat, quod solo justitiæ fastidio ac velut exaggeratæ iniquitatis cumulo admisisse confitetur ; cum in hoc furto aliud nihil quam furtum quæreret, ac vitii potius turpitudine, quam emolumento frui peroptaret. *Arbor*, inquit, *erat pirus in vicinia vineæ nostræ, pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus ; et abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel projicienda porcis, etiamsi aliquid inde comedimus, dum tamen fieret a nobis, quod eo liberet, quo non liceret* (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 4, *n.* 9). Coram Deo expendens, quis tandem in furto tam iniquo animi sui affectus exstitisset : *Risus*, ait, *erat quasi titillato corde, quod fallebamus eos qui hæc a nobis fieri non putabant ; et vehementer nolebant. Illud solus non facerem, non facerem omnino solus : me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis ; ex ludo et joco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus ; nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine ; sed cum dicitur, Eamus, faciamus ; et pudet non esse impudentem !* (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 17.)

## CAPUT IV.

1 *Carthagine studens Rhetoricæ, a perditis scholasticorum moribus abhorret.* 2 *Ibi impuro amore capitur.* 3 *Modum in eo quemdam tenet.* 4 *Adeodatum ex concubina suscipit.* 5 *Adeodati mirabile ingenium, morsque immatura.*

1. Comparato viatico, litterarium studium peracturus Carthaginem petiit : ubi non pecunia modo quam pater ad id paraverat, sustentatus est ; sed opibus etiam Romaniani, civis Tagastensis primarii, qui eum adolescentulum pauperem ad peregrina studia pergentem, et domo, et sumptu, et quod plus est, animo excepit (*Contra Acad.*, *lib.* 2, *n.* 3). In hac eloquentiæ palæstra primas confestim tenuit, unde non sine fastu et elatione animi, gaudio triumphabat. Cæteris tamen scholasticis moderatius se gerebat, et ab insana eorum abhorrebat licentia, qui Eversorum nomen, infamiæ causa sibi merito impositum, velut urbanitatis insigne petulanter ostentabant (*Confes. lib.* 3, *cap.* 3, *n.* 6). Fœda et intemperans illorum licentia eo usque progrediebatur, ut in aliorum præceptorum scholas os ferreum procaciter inferrent, et in eas ingressi, ordinem ad profectum discipulorum a magistris institutum, furiosa quadam fronte perturbarent. Multa id genus injuriosa perpetrabant mira hebetudine et fœda rabie cæci, legibus certe vindicanda, nisi ea consuetudo patrona comprobasset (*Ibid. lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 14). *Inter quos*, ait Augustinus, *vivebam pudore impudenti, quia talis non eram : et cum eis eram, et amicitiis eorum delectabar aliquando, a quorum semper factis abhorrebam, hoc est ab eversionibus quibus proterve insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo, atque inde pascendo malevolas lætitias suas* (*Ibid.*, *lib.* 3, *cap.* 3, *n.* 6). Inter hos ergo imbecilla tunc ætate discebat libros eloquentiæ, in qua præcellere cupiebat prava illa et infelici succensus ambitione, quæ solius gloriæ causa desudans solidiora sua gaudia in aura ventosa vanitatis humanæ collocat (*Ibid.*, *cap.* 4, *n.* 7). Hæc enim studia eum per se ducebant ad forum, quod ille jam tum spectabat, ut ibi clarus eo majorem sibi gloriam compararet, quo melius nosset etiam oppressa veritate mendacio patrocinari. *Tanta est*, ait hanc in rem, *cæcitas hominum de cæcitate etiam gloriantium !* (*Confes. lib.* 3, *cap.* 3, *n.* 6.)

2. Sed quid silentio præterimus quæ prius in eodem Confessionum suarum libro probrosa de se prodidit memoriæ ? Scilicet virum sanctum ad ea insuper quæ vix citra ruborem legi possint, in oculis omnium confitenda, singularis impulit animi demissio. *Veni Carthaginem*, inquit (quod sub exitum anni trecentesimi septuagesimi accidisse videtur), *et circumstrepebat me undique sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, et amare amabam, et secretiore indigentia oderam me minus indigentem. Rui etiam in amorem quo cupiebam capi* : non amorem, opinamur, alterius ab ea quam unam sibi ad cubilis societatem adlegit : nam continuo prosequitur : *Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam, et quam bonus adspersisti ! quia et amatus sum et perveni occulte ad vinculum fruendi, et colligabar lætus ærumnosis nexibus, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, et suspicionum, et timorum, et irarum, atque rixarum* (*Ibid.*, *cap.* 1, *n.* 1). Sic nempe super peccantem circumvolabat fidelis a longe misericordia Dei, et in omnibus factis ipsius malis eum flagellabat. *Ausus sum*, ait, *etiam in celebritate solemnitatum tuarum, intra parietes ecclesiæ tuæ concupiscere et agere negotium procurandi fructus mortis : unde me verberasti gravibus pœnis ; sed nihil ad culpam meam* (*Ibid.*, *cap.* 3, *n.* 5). Theatrica spectacula, quibus summopere deditus erat, et in quibus libidinum suarum exprimi cernebat imagines, illius mores magis ac magis labefactabant (*Ibid.*, *cap.* 2, *n.* 2). Multis post annis

in publica concione, quam Carthagine habuit, fassus est se hac potissimum in urbe malam duxisse vitam, fuisseque aliquando ex iis quos dicit Apostolus stultos et incredulos, et ad omne opus bonum reprobos (*Enarr. in Psal.* 36, *serm.* 3, *n.* 19).

3. Attamen iis concupiscentiæ sordibus inquinatus, elegans atque urbanus adolescens videri volebat, insita nimirum virtuti pulchritudine tanta, ut qui eam minime colunt, ejus speciem præ se ferre omnium maxime ambiant. *Fœdus atque inhonestus*, inquit, *elegans et urbanus esse gestiebam abundanti vanitate* (*Conf. lib.* 3, *cap.* 1, *n.* 1). Erat certe ad omnem urbanitatem natura compositus, adeoque tum etiam cum eloquentiæ studebat Carthagine, turpi licet amore captus, honestatis cultor nihilominus habebatur. Cujus extat illustre testimonium Vincentii apud eamdem civitatem Rogatistarum episcopi, in iis litteris quas ad Augustinum jam pariter episcopum dedit, ubi eum laudat in hæc verba : *Cum optime noverim te longe adhuc a fide christiana sepositum, et studiis olim deditum litterarum, quietis et honestatis fuisse cultorem* (*Inter August., Epist.* 93, *n.* 51). Enim vero non ita pudorem exuerat adolescens, ut vago eum ac promiscuo amore passim contaminari liberet; sed profecto in immoderata libidine quemdam modum tenuit, eo contentus, quod tum in homine nondum christianam religionem professo haud indecorum videretur : uni siquidem concubinæ adhærens, tori fidem illi non imparem conjugali servabat. Quam primo anno suæ apud Carthaginem peregrinationis assumptam, nonnisi Mediolani passus est a se divelli, cum ad uxorem ducendam animum adjecisset. Illa vero in Africam reversa perpetuæ continentiæ voto se obstrinxit (*Conf. lib.* 6, *cap.* 15, *n.* 25). Sua nihilominus infelicitate experiebatur Augustinus quid sit discriminis inter sacrum conjugii fœdus, quod sobolis suscipiendæ causa initur, et libidinosi amoris pactum, ubi proles etiam contra parentum votum nascitur, quamvis jam nata vel ab invitis amorem extorqueat.

4. Anno suæ in dicta urbe peregrinationis forte secundo sustulit ex ea filium, cui nomen fuit Adeodato. Nam ipsum anno trecentesimo septuagesimo secundo natum essè, decimum octavum ætatis annum agente Augustino, vel ex eo constat, quod anno trecentesimo octogesimo septimo quo ipsis Paschalibus feriis fuit sacris christianis initiatus, annorum erat ferme quindecim (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14).

5. Augustinus nihil in eum contulisse se, præter delictum agnoscit. Verum præclaris eum donis cumulaverat Deus, et adeo præcoci ditaverat ingenio, ut decimum quartum aut decimum quintum annum agens, permultis gravibus et doctis viris jam tum antecelleret. Jam inde ab anno trecentesimo octogesimo sexto optimæ spei puer patri videbatur. Eum ad erudita illa colloquia, quæ cum amicis habere consueverat, jam tum admittebat. Cumque aliquando quæreretur, quisnam Deum in se possideret, et suam quisque super ea re sententiam protulisset; pronuntiavit Adeodatus eum esse, qui spiritum immundum non haberet. Quod pronuntiatum Monnica responsis aliorum omnium prætulit. Quærenti postridie Augustino explanationem illius sententiæ, quam fortasse aliquanto sereniore et purgatiore spiritu puer dixisset : *Is mihi videtur*, respondit, *immundum spiritum non habere, qui caste vivit.* Cum instaret pater, quem castum vocaret, eumne qui nihil peccaret, an qui ab illicito tantum concubitu temperaret : *Quomodo*, inquit, *castus potest esse, qui ab illicito tantum concubitu abstinens sese, cæteris peccatis non desinit inquinari? Ille est vere castus, qui Deum attendit, et ad ipsum solum se tenet.* Quod Augustino sic placuit, ut ipsissima pueri verba perscribenda censuerit (*De Beata vita, nn.* 12, 18). Testatur pariter, ea quæ in libro de Magistro inseruntur ex Adeodati persona, illius sensa esse omnia, quamvis tum decimum sextum solummodo annum ageret. Addit plura se in hoc puero admiratione digniora expertum, sibique horrori fuisse illius ingenium (*Conf. lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14). Sacramento regenerationis initiatus est una cum Augustino patre, qui filium sibi in gratia Christi coævum in societatem susceptæ a se vitæ sanctioris assumpsit, quo eum christianæ disciplinæ præceptis magis ac magis imbueret. Monnicæ morienti apud Ostia Tiberina adfuit Adeodatus : cumque illa supremum spiritum efflavisset, repentino doloris impetu exclamavit in planctum; sed astantium verbis statim coercitus tacuit (*Ibid.*, *cap.* 12, *n.* 29). Remigrante in Africam patre trajecit quoque filius : hic siquidem partes suas sustinet in libro de Magistro, quem in Africa edidit Augustinus. Illum in adolescentia cœlo jam maturum, terris præmature Deus abstulit. Hinc pater : *Securior eum*, inquit, *recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi* (*Ibid.*, *cap.* 6, *n.* 14); quod scilicet illum suscepti Baptismatis sanctitatem nunquam violasse, animo reputaret.

## CAPUT V.

*1 Augustinus patre orbatus alitur Carthagine sumptibus matris, et ope Romaniani. 2 Lecto Ciceronis Hortensio, sapientiæ studio incenditur. 3 Scripturas sacras ob demissiorem stilum fastidit. 4 Aristotelis categorias et omnes artes liberales suopte ingenio percipit.*

1. Jam inde ab anno ætatis suæ decimo septimo, qui quidem numerabatur a reparata salute trecentesimus septuagesimus primus, Augustinus patre orbatus erat : magnum adolescenti damnum, quo in apertam studiorum, atque adeo fortunarum, jacturam adductus esse videbatur. Attamen (quæ erat Monnicæ animi magnitudo) mater in filii profectus sollicite intenta, illum quibus potuit modis Carthagine alere perseveravit : indeque ille maternis mercedibus emptam filii esse eloquentiam dicit (*Conf. lib.* 3, *c.* 7, *n.* 7). Suppeditavit tunc quoque sumptuum partem Romanianus, qui luctuosam eximii adolescentis orbitatem benevolentia, consiliis, facultatibus sustentare solarique non destitit. *Tu patre orbatum*, ait Augustinus, *amicitia consolatus es, hortatione animasti, ope adjuvisti* (*Contra Academicos, lib.* 2, *n.* 3).

2. Annum ætatis undevigesimum attigerat, anno

Christi trecentesimo septuagesimo tertio, cum juxta receptum discendi ordinem in Ciceronis librum pervenit, qui Hortensii nomine inscriptus, hortationem ad sapientiam continebat (*Conf. lib.* 3, *cap.* 4, *n.* 7 ; *lib.* 6, *cap.* 11, *n.* 18; *Soliloq. lib.* 1, *n.* 17). Etsi vero in eo libro summa eloquentia cum admirabili eruditione conjuncta esset ; non eo tamen legebatur ab Augustino, ut verborum lenocinia aucuparetur, sed abjecta sermonis cura in res solummodo atque sententias animum intendebat. Ejus ergo libri lectione tanto sapientiæ desiderio flagrare cœpit, ut præ illa cupidine spes omnes mortales abjiceret, fastidiretque: surgere jam cœperat ut rediret ad Deum. *Quomodo*, ait, *ardebam, Deus meus, quomodo ardebam revolare à terrenis ad te?* Hoc uno illius flamine defervescebat, quod Christi nomen in illa Ciceronis exhortatione non exstaret. *Quoniam hoc nomen*, inquit, *secundum misericordiam tuam, Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum præbiberat, et alte retinebat ; et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat* (*Conf. lib.* 3, *c.* 4, *n.* 8).

3. Quamobrem instituit animum adjicere ad Scripturas sacras, ut quales ipsæ essent, exploraret. Sed hic illum offendit impervia illa magnis et altis spiritibus simplicitas, indigna, se judice, quæ Tullianæ dignitati compararetur. Neque vero is tum erat, qui ad eam animi modestiam, quâ patet ad illas aditus, demitti posset. Dedignabatur esse parvulus, et turgidus fastu sibi ipse grandis videbatur (*Ibid.*, *c.* 5, *n.* 9).

4. Quanto majore ingenii solertia et sagacitate scientias omnes percipiebat citra ullam magistri operam, tanto proniore in arrogantiam impetu ferebatur. Annos ferme viginti natus in Aristotelis categorias incidit, quas à rhetore Carthaginensi magistro suo, aliisque qui docti habebantur, tanta verborum pompa commendari audierat, ut eas tanquàm quid magnum et divinum legere peroptaret : sed has tamen cum solus legisset, adeo plene intellexit, ut postquam cum illis qui easdem a peritissimis magistris, cum voce, tum figuris in pulvere depictis expositas vix didicerant, sermonem contulisset, aliud nihil ab eis quam quod ipse suopte ingenio cognovisset, acceperit. Ex hac tamen lectione non leve dispendium passus erat, ob falsam Dei speciem quam animo imbibit. Procedente tempore legit pariter omnes artium liberalium libros, quotquot in illius manus venerunt ; et quidquid de facultate dicendi et disserendi, quidquid de geometricis rebus, quidquid de musicis et de numeris legere potuit, per seipsum, facili negotio, nullo hominum tradente intellexit. Quapropter non sentiebat illas artes vel ab studiosis quibusque ac ingeniosis difficillime percipi, nisi cum easdem illis conabatur exponere ; atque erat ille excellentissimus in eis, qui ipsum exponentem non tardius sequeretur. *Scis tu* ; inquit, *Domine Deus meus, quia et celeritas intelligendi, et dispiciendi acumen, donum tuum est : sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat* (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 16, *n.* 28-30).

## CAPUT VI.

1 *In Manichæorum hæresim delabitur.* 2 *Complures ex familiaribus suis in eam pellicit.* 3 *In auditorum gradu sese apud Manichæos continet.* 4 *Novem annos totos illos audit.* 5 *Filii sui casum deflet Monnica, et de ejus salute bene sperare divinitus jubetur.*

1. Augustinum jam sapientiæ vehementer cupidum utque eam adipisceretur, quo se verteret nescientem, interceperunt Manichæi, genus hominum superbe delirans, carnale ac loquax, cætera vero speciem pietatis præ se ferens (*Conf. lib.* 3, *c.* 6, *n.* 10). Portentosas horum hæreticorum seu magis incredibiles deliriones, quæ satis ex sancti doctoris adversus eos lucubrationibus compertæ sunt, referre hic nihil interest : sed quod ad susceptum negotium attinet, quibus illi artibus adolescentem excellenti ingenio præditum pellexerint, implicuerintque sua hæresi ac societate, juvabit ipsomet narrante cognoscere. In primis vero lenocinabantur animis multa pollicitatione docendæ veritatis, catholicam Ecclesiam eo maxime nomine criminantes, quod fidem imperaret, non doceret. Ea vel sola spe delusum se testatur Augustinus, eo quod veri inveniendi cupidus esset, et quod insito animi tumore ceu aniles fabulas computaret quæcumque ratione non constitissent. *Quid enim me aliud*, inquit, *cogebat annos fere novem, spreta religione quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire ; nisi quod nos superstitione terreri, et fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus et garrulus : qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, et ab eis promissum, apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem (De Utilitate credendi, n.* 2)? Haud levior erat ad hæresim illecebra species pietatis ac decus insigne continentiæ, quod falso præ se ferebant Manichæi, *in quorum ore laquei diaboli, et viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui et Domini Jesu Christi, et Paracleti consolatoris nostri Spiritus sancti. Hæc nomina non recedebant de ore eorum, sed tenus sono et strepitu linguæ ; et cæterum cor inane veri. Et dicebant, Veritas, et veritas : et multum eam dicebant* ipsi Augustino, *et nusquam erat in eis* (*Confes. lib.* 3, *c.* 6, *n.* 10). Nempe hæc fere insita est nostris animis opinio, virtutem veritatemque magna inter se necessitudine devinciri, neque hanc inde abesse, ubi castimoniæ virtus eluceat. Hinc Augustinus scribit duas maxime esse illecebras Manichæorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores : altera, cum vitæ castæ ac memorabilis continentiæ imaginem præferunt ; altera, cum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt, vel quas male intelligi volunt (*De Moribus Eccl. cath. lib.* 1, *n.* 2). Commovebant sane ejus animum etiam quæ adversum Christi Domini genealogiam a Matthæo et Luca de-

scriptam ab hæreticis effutiebantur, e quibus cum se expedire non posset rudis adhuc et Litterarum sacrarum imperitus, in eorum sententiam facile concidebat : qua de re exstat hæc illius ad plebem sermonem habentis sincera confessio : *Loquor vobis, aliquando deceptus, cum primo puer ad divinas Scripturas ante vellem afferre acumen discutiendi, quam pietatem quærendi: ego ipse contra me perversis moribus claudebam januam Domini mei : cum pulsare deberem, ut aperiretur ; addebam, ut clauderetur. Superbus enim audebam quærere, quod nisi humilis non potest invenire. Hæc enim me perturbaverunt, quæ modo vobis securus in nomine Domini et propono* ( De concordia Matthæi et Lucæ in texenda Christi genealogia ), *et expono* (*Serm.* 51, *n.* 6). Scripturas quoque veteris Testamenti, et eas potissimum solebant Manichæi vituperare, ac ea vituperatione infirmos et parvulos, non invenientes quomodo illis responderent, irridere atque decipere (*De Gen. contra Manichæos, lib.* 1, *n.* 2). Præterea difficultas, quam in mali, præsertim quod agimus, origine detegenda patiebatur, eum in hanc hæresim induxit (*Conf. l.* 3, *cap.* 7, *n.* 12) : nam mens ejus hac inquisitione defatigata, cum nulla ipsi ad eam lux affulgeret, facile adducta est, ut malo verum æternumque principium , Deo tanquam solius boni principio contrarium cum insanis illis deceptoribus affingeret. Scientiæ quippe præsidio destitutus, captiosis illorum argumentis, cum ab eo quærerent, unde malum, non poterat obsistere.

2. Post ubi Manichæis nomen dederat Augustinus, nihil illi antiquius fuit, quam ut susceptæ a se hæreseos placitis atque institutis animum affatim imbueret. Illos igitur sedulo audiit, eorum figmenta omnia curiose indagavit, iis fidem temere præbuit; quin etiam instanter ea, quibus potuit, persuasit, et adversus alios pertinaciter animoseque defendit. Nec defuit consilio et conatui temerario successus secundus, usque adeo ut fidem catholicam miserrima ac furiosissima loquacitate vastasse se, lugens agnoscat (*De Dono perseverantiæ, n.* 53). Complures imperitos futilibus quæstionum argutiis exagitavit (*Conf. lib.* 3, *cap.* 12, *n.* 21), et amicorum plurimos decepit : præcipuum inter eos Alypium, de quo infra sæpius, et Romanianum Mæcenatem suum, iisdem erroribus involvit. Honoratum quoque, hominem nondum quidem christianum, sed veri inveniendi studio flagrantem, Manichæis, quos vehementer exsecrabatur, conciliavit tandem et adjunxit (*De Utilitate credendi, n.* 2).

3. Ceterum ex consuetudine et familiaritate, quam cum hæreticis illis contraxerat Augustinus, eos in aliorum opinionibus destruendis magis disertos, quam in suis astruendis firmos esse cognovit (*Ibid.*). Id ipsum obstitit, quominus eis penitus adhæreret : adeo ut eos caute ac timide sequeretur, seque in numero Auditorum contineret, qui gradus apud illos infimus erat, idemque prope qui Catechumenorum in Ecclesia (*Contra Litt. Petil., lib.* 3, *n.* 20). Neque enim Manichæorum presbyter fuit, ut illi postea non nemo exprobravit (*Ibid.*) ; nec Electus, hoc est, eorum mysteriis initiatus ( *Contra Fortunatum, n.* 3). Quapropter eum latebant flagitia quorum insimulabantur Manichæi : hæc enim ad Electos spectabant. Eorum solummodo interfuerat orationi, in qua nihil turpe animadverterat, nisi quod semper ad solem se converterent. Illos quoque Eucharistiam recipere audierat ; quid autem acciperent, et quando acciperent, ignorabat : quamvis omnia sectæ hujus flagitia quidam ex adversariis in eum contulerint, Catechumenos sive Auditores Manichæorum, baptisma eorum recepisse falso arbitrati. Singularem solemnitatis Paschalis cultum hauserat ab Ecclesia catholica Augustinus, quem diem festum Manichæi nulla propemodum celebritate, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio, nullo denique festiviore apparatu colebant (*Contra Epist. Manichæi, n.* 9). Cujus rei causam sæpius ab eis sciscitabatur : sed cum illi sub idem tempus Manichæi sui mortem insigni pompa celebrarent, religionem et venerationem, qua sacrum Pascha prosequi consueverat, in hanc ipse transfundebat.

4. Cum in Manichæis parum præsidii et firmitatis reperiret, spem et negotia mundi non dimisit ; cujus amore teneri non destitit, quamdiu eos sectatus est (*De Utilitate credendi, n.* 2 ). Passim testatur se totos novem annos Manichæorum sectæ fuisse addictum. Videbimus eum infra Mediolani tantummodo ab illis discessisse anno trecentesimo octogesimo quinto. Ita dicendum esset, eum in hanc hæresim incidisse anno trecentesimo septuagesimo sexto. Ipse Augustinus novem his annis, quibus Manichæos audiit, se Fausti adventum exspectasse testatur (*Conf. lib.* 5, *cap.* 6, *n.* 10 ) : Faustus iste jam advenerat, Augustino annum ætatis undetrigesimum agente (*Ibid., cap.* 3, *n.* 3), qui Christi erat trecentesimus octogesimus tertius. Hos itaque novem annos numerare debemus ab anno ætatis illius vigesimo, Christi trecentesimo septuagesimo quarto ; et de iisdem annis intelligere quod ipse scribit, se per novem annos, nimirum ab undevigesimo ætatis suæ anno ad duodetrigesimum usque ( completum ) fuisse seductum et alios seduxisse (*Ibid., lib.* 4, *cap.* 1, *n.* 1). Ita videre licet, eum, cum primum Ciceronis Hortensium legit anno ætatis decimo nono aut vigesimo, in Manichæorum hæresim fuisse prolapsum. Neque vero statim ab anno vigesimo octavo aut vigesimo nono se ab illis omnino disjunxit, sed eos plurimum fastidiit ; neque sic sectatus est, nisi dum quidpiam melius ipsi occurreret (*Ibid., libro* 5, *cap.* 7, *nn.* 12, 13 ).

5. Monnicam Augustini lapsus in hæresim adeo nefariam gravissimo dolore perculit. Aberrantem a fide filium mater non mitius deflebat, quam si supremo funere extulisset : imo tanto acerbius, quanto intelligeret vitæ mortali præstare immortalem, cujus ille spem lethali hæreseos vulnere in se peremisse videbatur : *Cum pro me fleret ad te mater mea,* inquit, *fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera* (*Ibid., lib.* 3, *cap.* 11, *n.* 19). Illius conversionem plurimis a Deo lacrymis postulavit. Precabatur, quotquot idoneos inveniebat, ut cum filio sermonem conferrent ad errores illius refellendos, utque eum veritatis doctrina imbuentes a falsitate revocarent. Sed nimium adhuc

indocilem illum faciebat arrogantia, qua hæresis hujus novitas eum inflabat. Hinc sanctus quidam episcopus ab ea rogatus ut cum filio colloqueretur, recusavit, eumque perlectis Manichæorum libris suos tandem errores deprehensurum affirmavit. Cumque illa magis ac magis instaret, *Vade*, inquit, *a me ; ita vivas : fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Quod illa responsum divini instar oraculi accepit(*Ibid.*, *cap.* 12, *n.* 21). Eam adhuc super filii salute Deus cum aliis pluribus modis, tum maxime somnio consolatus est. Cum enim esset mœrore confecta, juvenem splendidum, hilarem, et renidenti vultu ad se venientem vidit, qui cum ab ea mœstitiæ causas quæsiisset, jussit illam securo esse animo, simulque monuit, videret et attenderet, secum filium eodem loci consistere. Quod cum illa filio narrasset, et ipse somnium ad se trahere conaretur, diceretque hoc viso significari matrem in suam aliquando tractum iri sententiam ; illa continuo citra hæsitationem, *Non*, inquit ; *non enim mihi dictum est, Ubi ille, ibi et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille* (*Ibid.*, *cap.* 11, *n.* 20). Hoc extemporali matris responso, quæ speciosa ipsius interpretatione turbata non fuerat, vehementius quam ejusdem viso permotus est. Contigit istud novem propemodum ante annis, quam Augustinus ex limo profundi ac tenebris falsitatis in quibus jacebat, emergeret. Sæpe tentavit exsurgere, sed altius semper immergebatur. Haud scimus an hi novem anni, ut alii supra, adventu Fausti terminentur, ante cujus accessum, illius ad emergendum conatus non legimus : an vero eo tempore, quo a Manichæis discessit anno trecentesimo octogesimo quinto ; an denique illo, quo perfecte ad Deum conversus est, anno videlicet trecentesimo octogesimo sexto.

## CAPUT VII.

*1 Tagastæ grammaticam docet, ubi auditorem habet Alypium. 2 Amici morte incidit in maximum luctum, et Tagasta dolore premente excedit. 3 Regressus Carthaginem, ibi rhetoricam profitetur.*

1. Tum Augustinus Tagastam forte redierat, cum somnium supra memoratum mater habuit : quam scribit hoc viso adeo fuisse recreatam, ut ipsum sub eodem tecto degere, et eidem mensæ accumbere siverit ; quod quidem Monnica nolle aliquanto ante cœperat, tantum illam hæresim exhorrescebat (*Confes. lib.* 3, *cap.* 11, *n.* 9). Ad illa itaque tempora revocandum videtur, quod ipse refert, se in patriam reversum, à Romaniano susceptum fuisse hospitio, et usque adeo ejus amicitia et familiari consuetudine honestatum, ut illius honoris et dignitatis eadem in urbe Tagastensi socius ac particeps esse videretur (*Contra Academicos*, *lib.* 2, *n.* 3). Suorum haud dubie studiorum metam attigerat, dum Carthagine discessit, spectabantque studia illa forum litigiosum. Eum tamen aut causas egisse, aut artem suam in alia re, quam in discipulis erudiendis, collocasse non legimus. Cœpit itaque docere in patria (*Confes. lib.* 4, *cap.* 4, *n.* 7) : scribit Possidius eum ibi docuisse grammaticam (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 1). At cum ipsemet Augustinus se in illis annis rhetoricam professum esse memorat (*Confes. lib.* 4, *cap.* 2, *n.* 2), si hoc dictum ex serie narrationis interpreteris, videbitur eam Tagastæ docuisse. Non desunt tamen gravissimarum rationum momenta, quæ id de Carthagine intelligendum persuadeant, ut inferius ostendemus. Tempus certe, quo grammaticam docebat, non obscure indicat, dum scribit se, instar adolescentis prodigi, exclusum fuisse a siliquis porcorum, quos de siliquis pascebat (*Ibid. lib.* 3, *cap.* 6, *n.* 11). Ubi mox de grammaticorum et poetarum fabulis loquitur ; quas etiam Hieronymus porcorum seu dæmonum cibum nuncupat (*Epist. ad Dam. de Filio prodigo*). Eodem pertinet, nisi nos fallimur, quod ipse Augustinus dicit : *Seducebamur et seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus; et palam per doctrinas, quas liberales vocant, occulte autem falso nomine religionis. Hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani. Hac popularis gloriæ sectantes inanitatem, usque ad theatricos plausus, et contentiosa carmina, et agonem coronarum fenearum, et spectaculorum nugas, et intemperantiam libidinum : illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes cum eis qui appellarentur Electi et Sancti, afferremus escas, de quibus nobis in officina aqualiculi sui fabricarent angelos et deos, per quos liberaremur ; et sectabar ista atque faciebam cum amicis meis, per me ac mecum deceptis* (*Confes. lib.* 4, *cap.* 1, *n.* 1). Dum Tagastæ doceret, auditorem habuit Alypium, præclaræ indolis et optimæ spei adolescentem, ex primatibus Tagastæ municipalibus oriundum : quem ut ipse eximia charitate complectebatur, ob ea virtutum specimina, quæ jam tum in eo elucebant ; sic ab illo vicissim multum dilectum se dicit, eo quod illi bonus et doctus videretur.

2. Mortuo per id tempus amico, cujus nomen reticet, longe charissimo, Tagasta migrare Carthaginem dolore opprimente compulsus est. *In illis*, inquit, *annis, quo primum tempore in municipio quo natus sum, docere cœperam, comparaveram amicum, societate studiorum nimis charum, coœvum mihi et conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creverat, et pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum erat sic amicus, quanquam ne tunc quidem, sicuti est vera amicitia ; quia non est vera, nisi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed tamen dulcis erat nimis, coacta fervore puerilium studiorum. Nam et a fide vera, quam non germanitus et penitus adolescens tenebat, deflexeram ego eum in superstitiosas fabellas et perniciosas, propter quas plangebat me mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu imminens dorso fugitivorum tuorum, Deus ultionum et fons misericordiarum, simul, qui convertis nos ad te miris modis ; ecce abstulisti hominem de hac vita, cum vix explevisset annum in amicitia mea, suavi mihi super omnes suavitates illius vitæ meæ. Quis laudes tuas enumerat unus in se uno quas expertus est? Quid tunc fecisti, Deus meus, et quam investigabilis abyssus judiciorum tuorum? Cum enim labora*

*ret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore lethali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, et præsumente id retinere potius animam ejus, quod à me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat; nam recreatus est, et salvus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox ut ille potuit, quando non discedebam, et nimis pendebamus ex invicem), tentavi apud illum irridere, tanquam et illo irrisuro mecum Baptismum, quem acceperat mente atque sensu absentissimus, sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili et repentina libertate, ut si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, esseique idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem quod vellem. Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies me absente repetitur febribus, et defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meum, et quidquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, et paterna domus mira infelicitas; et quidquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem verterat. Solus fletus erat dulcis mihi et successerat amico meo in deliciis animi mei* ( *Confes. lib.* 4, *n.* 7-9 ). Pluribus adhuc acerbissimum dolorem, quo tum perculsus est, prosequitur. Illum divinitus curari posse non erat nescius; sed neque voluntas, neque facultas opis implorandæ aderat, quia Deus animo ipsius, cum de eo cogitabat, non erat aliquid solidum et firmum, sed vanum phantasma (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 7, *n.* 12). Nimius tandem mœror eum mutare solum, et Carthaginem redire compulit. *Fugi de patria,* inquit. *Minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant, atque a Tagastensi oppido veni Carthaginem* (*Ibid.*) : ubi tempus et amicorum consuetudo dolorem ipsius sensim mitigarunt (*Ibid.*, *cap.* 8, *n.* 13).

3. Nec vero solus de amici morte dolor eum Tagasta coegit excedere : scribit enim alibi, se illustrioris professionis gratia Carthaginem remeasse (*Contra Academicos, lib.* 2, *n.* 3) ; sive quod oratoriæ artis ibi docendæ studio incitatus sit, cum antea grammaticam Tagastæ traderet ; sive quod ejusdem artis professio Carthagine urbe primaria, quam Tagastæ obscuro municipio, foret honoratior. Initi a se consilii, conceptæque spei unum ac solum Romanianum conscium et participem fecit ; qui quidem Romanianus amore patriæ ductus in qua tunc docebat Augustinus, illum primo ab hac sententia dimovere conatus est ; sed ubi evincere adolescentis cupiditatem ad ea quæ videbantur meliora tendentis, nequivit, ex dehortatore in adjutorem mira benevolentiæ moderatione conversus, commeatum illi necessarium suppeditavit ; et qui ibidem cunabula et quasi nidum studiorum ejus foverat, jam volare audentis sustentavit rudimenta (*Ibid.*). Venit itaque Carthaginem rhetoricam illic professurus ( *Possidius, in Vita August., c.* 1 ) ; et artem animorum victricem victus ipse commodi et honoris cupiditate vendebat (*Confes. lib.* 4, *cap.* 2, *n.* 2). Haud ita tamen quæstu et lucro ducebatur, quin præ hoc mallet bonos habere discipulos, ut vulgo appellantur boni : cum consuetam scholasticorum Carthaginensium licentiam ferre non posset (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 14 ). Illos artis rhetoricæ dolos sine dolo docebat, non quibus innocentem in capitis discrimen adducerent, sed quibus aliquando nocentem e judiciorum laqueis eximerent (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 2, *n.* 2 ). Sic dum in lubrico vacillaret Augustinus, ipsius fides, quam in illo magisterio exhibebat, velut in densissimo fumo scintillabat. Nactus porro est Carthagine nobiles auditores Romaniani Mæcenatis sui filios in primis, Licentium videlicet, atque ejus fratrem natu, uti videtur, minorem ; siquidem is puer nuncupatur ab Augustino cum Licentio, utpote paulo ætate provectiore, disputante (*Contra Academ.*, *lib.* 2, *nn.* 16, 19). Eulogius quoque insignis rhetor Carthaginensis ad hanc addiscendam artem, quam in illa civitate circa annum trecentesimum octogesimum sextum profitebatur, Augustino magistro usum fuisse reperimus (*De Curâ pro mortuis gerendâ, n.* 13). Denique Alypius, qui eidem docenti Tagastæ operam dederat, Carthagine quoque illum audire perseveravit : tametsi enim verecundia patris sui, cui cum Augustino forte erat quædam simultas, aliquantum ejus excipiendis prælectionibus abstinuerit ; nihilo secius in ejus auditorium veniebat, et eo tantisper audito discedebat (*Confes. lib.* 6, *cap.* 7, *nn.* 11, 12). Contigit autem aliquando, ut Augustinus in exponenda lectione similitudinem a ludis circensibus ductam adhiberet, arreptaque occasione, non consulto, huic amentiæ deditos mordaci scommate subsannaret : Alypius ea peste infectus id in se rapuit, et sibi uni, quod Augustinus de industria non dixerat, dictum credidit. Id tamen honestus adolescens non ad ei succensendum, sed ad eum ardentius diligendum accepit, et a circo deinceps abstinuit ; ac demum a patre reluctante impetravit, ut Augustino magistro uti sibi liceret : hoc solo infelix, quod ejus, quam ostentabant Manichæi, continentiæ specie delusus, eorum se superstitione per id tempus involvit.

## CAPUT VIII.

*1 Augustinus quam longe abhorret a magia. 2 De Albicerio ariolo stupendum quidpiam memorat. 3 Astrologiæ judiciariæ plus nimio tribuens, ab ea per Vindicianum et Nebridium avocari non potest. 4 Firminus eum hoc errore nesciens exsolvit. 5 Libri de Pulchro et Apto ad Hierium scripti.*

1. Priscis litteratorum moribus acceptum erat, ut proposito publice præmio, coram atque in theatro, carmine decertarent, adinventa exercitatione ad liberales artes fovendas, alenda studia, ac præclara quæque ingenia honesta æmulatione acuenda stimulandaque. Hic ludus solemnis cum esset Carthagine, Augustinus seu ratione ejus quod capessiverat muneris, seu ostentandi ingenii aut ventitandæ artis causa, ludicrum illud certamen inire constituit. Hoc secum meditanti quidam aruspex mandat, quid sibi dare mercedis vellet, ut se procurante vinceret. Verum Augustinus fœda illa sacramenta detestatus et abominatus,

respondit, nunquam se, licet corona illa foret aurea et immortalis, vel muscam victoriæ suæ gratia necari permissurum (*Conf. lib. 4, cap. 2, n. 3*). Quod ideò dixit, quia in exsecrandis illis sacrificiis ariolus animalia necaturus erat, ut hisce impiis honoribus dæmones Augustino suffragaturos invitaret. Attamen hac contempta superstitione, ingenii viribus coronam agonisticam reportavit, quam a Vindiciano medico, tum proconsule, capiti suo non sano impositam fuisse scribit. Et hæc quidem ex narrandi ordine, quem tenet Augustinus, in illud tempus quo Tagastæ docebat, referenda putaremus, nisi Possidius aperte significaret eum solam grammaticam Tagastæ fuisse professum (*Possidius, in Vita August., c. 1*); et nisi constaret Numidiam, in qua sita est Tagasta, non a proconsule, ut Carthaginem, sed a consulari fuisse administratam. Accedit illud, quod ejusmodi certamina primariis civitatibus magis conveniant. Ita videtur Augustinus prioribus hisce quarti libri Confessionum capitibus ordine rerum ac temporum minime servato, passim atque indiscriminatim narrare, quæ ipsi acciderunt ab anno ætatis undevigesimo ad duodetrigesimum usque, ut ipse innuit initio capitis primi : quorum pleraque haud dubie contigerunt post ejus reditum Carthaginem; cujus tamen nulla exstat mentio prius quam capite libri ejusdem septimo.

2. Vidit in illis annis Carthagine hominem, cui Albicerio nomen, tanta divinandi solertia celebratum, ut eam ob causam non solum ab imperita multitudine, sed etiam ab eruditis viris conveniretur. Quidpiam inter alia de hoc ariolo memoriæ prodit Augustinus, quod insolentia sua et magnitudine fidem superare videatur. Nam uno ex Augustini discipulis eum lacessente ac petulanter rogante ut ediceret Albicerius, quid ipse qui rogabat secum animo tacitus volveret : Virgilii versum eum cogitare respondit. Quod cum inficiari non posset adolescens, perrexit quærere, quisnam is versus esset : Albicerius quamvis grammaticæ scholam vix transiens vidisset aliquando, versum ipsum continuo fidenter et jocunde decantavit. Flaccianus quoque vir clarissimus, qui proconsulari munere in Africa functus est, cum de fundo emendo cogitaret, quæsivit ex eodem Albicerio, possetne initum à se de re gerenda consilium aperire : ille statim et negotii genus, et ipsum fundi nomen pronuntiavit; cum ita esset absurdum, ut vix ejus Flaccianus ipse meminisset. Flaccianus tamen, alta mente præditus, illud divinationis genus deridebat, quod cuipiam abjectissimo spiritui tribuebat; quo ille afflatus, hæc respondere solitus esset : quippe cum sat acuminis et subtilitatis insit dæmonibus, etiam ad ea quæ in memoriam nostram incurrerint, cognoscenda. Quamobrem hortabatur eos qui de hoc fatidico loquerentur, animos ut suos illi divinationi præferrent, eosque ita roborarent, ut horum invisibilium aeris spirituum naturam possent transcendere. Eoque facilius id omne credi poterat dæmonis esse ludibrium, quod non omnium modo scientiarum imperitissimus erat iste Albicerius, sed etiam flagitiis atque omni dedecore infamis; et si quandoque veritati congruenter respondebat, sæpe tamen allucinabatur (*Contra Academicos, lib. 1, nn. 17, 18*).

3. Non perinde ab astrologia, quam judiciariam vocant, atque a magia abhorrebat Augustinus; quod illa nullas ad divinandum adhiberet preces, nullas immolaret hostias, omni cum dæmone commercio, omnique demum superstitioso ritu carere sibi videretur. Ea propter planos illos, quos olim mathematicos appellabant, consulere non desistebat : quod tamen christiana et vera pietas repellit et damnat. Grata erat haud dubie adolescenti trita illa eorum hominum oratio, qua pravis cupiditatibus egregie adblandiebantur : *De cœlo tibi est inevitabilis causa peccandi;* et, *Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars : scilicet ut homo sine culpa sit, caro et sanguis et superba putredo; culpandus sit autem cœli ac siderum creator et ordinator* (*Conf. lib. 4, cap. 3, n. 4*). Atque ut erat ingenio ad omnem cui sese applicuisset disciplinam prompto expeditoque, tantum in nugatoria illa divinandi arte profecisse videbatur, ut veluti peritissimus illius ab curiosis futurorum eventuum inquisitoribus interdum consuleretur. Agebat per id tempus Carthagine Vindicianus, qui pro consule erat, eoque nomine victori Augustino coronam supra memoratam imposuerat (*Ibid., n. 5*), vir sagax medicæ artis peritissimus, atque in ea nobilissimus, de quo disertis id verbis affert : *Consultus à quodam*, inquit, *dolori ejus adhiberi jussit quod in tempore congruere videbatur; adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus corporis causa commota, hoc idem ille putavit adhibendum; adhibitum vertit in pejus. Miratus recurrit ad medicum, indicat factum. At ille, ut erat acerrimus, ita respondit : Ideo male acceptus es, quia ego non jussi; ut omnes qui audissent, parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Unde cum esset a quibusdam postea stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati jam non hoc se fuisse jussurum* (*Epist. 138, n. 3*). Hæc de Vindiciano Augustinus : qui cum in hujus viri familiaritatem sese penitius insinuasset, eique suum erga Genethliacorum libros studium in colloquio aperuisset, nihil ille reliquum fecit, quo adolescentem ab ludificatoria arte avocaret; benigne ac paterne (erat enim vir id temporis admodum ætate provectus) eum adhortatus, ut ne curam atque operam rebus utilibus necessariam, vanitati illi frustra impenderet. Aiebat se quoque inani huic studio usque adeo jam inde a prima ætate deditum, ut etiam ex eo quæstum facere deliberaret : verum retecta ejus artis fraude animum ad medicinam appulisse; quod indignum judicaret, deludendis decipiendisque hominibus victum sibi parare : tametsi huic qualicumque disciplinæ percipiendæ haud imparem se fuisse existimaret, qui libros Hippocratis captu longe difficillimos sine magno negotio legisset, atque intellexisset : quo magis illi videbatur, Augustinum ea abjicere debere, ad quæ sectanda nulla rei familiaris necessitate adigeretur; quippe cui præsto esset ars rhetorica, cujus

honestissima professione non modo vitam sustentare, sed et dignitatem augere posset. Atqui ut erat Vindiciani sermo, sine verborum cultu, vivacitate sententiarum jucundus et gravis; assiduus intentusque ex ejus ore pendebat Augustinus, æquis, uti par erat, auribus excipiens quæcumque ab venerando sene, non solum monitore, sed, id quod majus est, experto doctore dicerentur. Sed illud in primis obstabat argumentum, quominus ab sententia pristina decederet Augustinus: Quæ causa ergo faceret, ut multa inde vera pronuntiarentur. Diluebat quidem illud Vindicianus quibus poterat modis, illud quodcumque erat divinationis in arcanam quamdam vim sortis naturæ rerum inditam refundens. *Si enim de paginis poetæ cujuspiam longe aliud canentis atque intendentis, cum forte quis consulit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret; mirandum non esse dicebat, si ex anima humana superiore aliquo instinctu, nesciente quid in se fieret, non arte, sed sorte sonaret aliquid, quod interrogantis rebus factisque concineret* (*Conf. lib.* 4, *cap.* 3, *n.* 5).

4. Ingerebantur hæc ejus animo haud dubie Dei nutu: sed neque Vindicianus acutus ille senex, neque Nebridius illi in primis charus, atque, ut ipse habet, mirabilis animæ adolescens, valde bonus et valde cautus, qui totum illud divinationis genus irridebat, persuadere illi tum potuerunt, ut hujusce artis studium abjiceret repudiaretque (*Ibid.*, *lib.* 7, *cap.* 6, *n.* 8). Scilicet eum multo amplius movebat eorum auctoritas, qui ipsam artem tractassent, quam eorum opinio qui eam criminarentur nullis certis fulti argumentis, quibus quidem liquido ipsi appareret, temeritate sortis potius, quam ulla certa ratione, ex siderum positu conspectuque futura interdum prænuntiari (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 3, *n.* 6). Hærebant tamen pervicaci licet atque obfirmato tum animo, sermones Vindiciani, quibus veluti ad pleniorem imbuebatur inquisitionem, qua se ipse aliquando errore liberaret: jamque in Nebridii sententiam flecti cœperat, qui non asseveranter quidem, sed crebro nihilominus atque identidem dicebat, non esse ullam artem futura prævidendi, conjecturas autem hominum habere sæpe vim sortis: et multa dicendo, dici pleraque ventura, nescientibus eis qui dicerent, sed in ea non tacendo incurrentibus. Ac demum Deo aspirante, omni errore casu potius quam consilio solutum se gratulatur: quod hac occasione contigit. Firminus vir liberaliter institutus et eloquentia non mediocriter excultus, astrologiæ quidem parum peritus, percuriosus tamen mathematicorum consultor, Augustinum tanquam charissimum convenit, ut eum certis de rebus, quibus in magnam florentis fortunæ spem adducebatur, consuleret quid ipsi secundum suas constellationes videretur. Non abnuit quidem Augustinus, quid conjectura augurare-tur, Firmino aperire: subjecit tamen prope jam sibi esse persuasum, totum illud prædictionis genus merum esse ac inane ludibrium. Tum ille narravit Augustino reipsa patrem suum hujusmodi libris inhiasse, et amicum habuisse eorum non minus studiosum, tantoque illos harum ineptiarum amore flagrasse, ut etiam animalium quæ apud ipsos nascebantur, ortum observarent, cœlique positionem in hoc momento ad colligenda suæ artis experimenta pariter explorarent. Itaque dicebat, audisse se a patre suo, quod cum de se Firmino prægnans mater esset, paterni quoque amici famula quædam uterum ferebat; quod latere dominum non potuit, qui vel canum suarum partus tam accurate observaret; atque ita contigisse, ut cum iste conjugis, ille autem ancillæ diem, horam, et momentum diligenter explorarent, eodem ambæ temporis puncto parerent: ita ut easdem constellationes ad easdem usque minutias utrique nascenti describere coacti fuerint, iste filio, ille servulo. Nam cum eæ mulieres parturire cœpissent, indicaverunt sibi ambo quid in sua cujusque domo ageretur, et paraverunt quos ad se invicem mitterent, simul ac illæ partum edidissent. Addebat eos, qui ab utroque missi fuerant, adeo ex paribus domorum intervallis sibi obviam esse factos, ut aliam positionem siderum, aliasque momentorum particulas in horum infantium ortu notare non potuerint. Et tamen Firminus nobili loco natus, magni apud omnes nominis erat, divitiis in dies affluebat, et honoribus augebatur: servus autem ille conditionis jugo nullatenus relaxato dominis serviebat. His ab idoneo teste relatis fidem cum sine cunctatione adjunxisset Augustinus, quidquid ei dubitationis superat, evanuit, et omnis illius reluctatio resoluta concidit. Et primo quidem Firminum ab illa curiositate, quam res per ipsum narrata futilem et ridiculam esse monstrabat, tentavit avocare. Deinde cum ab hujus historiæ narratione magna lux ejus animo affulsisset ad hujus artis fallacias penitus detegendas, mentis aciem in eos potissimum intendit, qui gemini nascuntur: quorum plerique, velut Jacob et Esau, post invicem tam cito funduntur ex utero, ut intervallum temporis observare mathematicus non possit, nec diversas eorum constellationes litteris signare; quorum tamen sors longe dissimilis futura sit. Verum æquissimus et sapientissimus universi moderator Deus, consulentibus, consultisque nescientibus, occulto instinctu agit, ut dum quisque consulit, hoc audiat quod eum oportet audire occultis meritis animarum, ex abysso justi judicii Dei (*Ibid.*, *lib.* 7, *cap.* 6, *n.* 8-10). An istud Firmini cum Augustino colloquium Carthagine contigerit, an vero postquam in Italiam trajecit, non liquet: extra controversiam positum est, illud ante conversionem ejus accidisse; necdum enim ita se omni errore exsolverat, quin etiam tum mali originem investigaret (*Conf. lib.* 7, *cap.* 7, *n.* 11).

5. Anno ætatis vigesimo sexto aut septimo animum appulit ad lucubrandos libros duos aut tres de Pulchro et Apto (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 15, *n.* 27). In his definiebat Pulchrum id esse quod per se ipsum, Aptum autem id quod ad aliquid accommodatum deceret (*Ibid.*, *n.* 24). Nam cum non amemus aliquid, nisi pulchrum seu decorum; quippe cum res quas amamus, nisi esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent: demonstrabat in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo Pulchrum; aliud

autem quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad universum suum (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 20). Inde ad animi quoque naturam sese convertebat : sed falsa opinio, quam de spiritualibus habebat traditam sibi a Manichæis, verum cernere non sinebat (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 24). Jam tum interciderant hi libri, cum confessiones suas scriberet; nec quot scripsisset, ipse meminerat (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 20). Illos ad Hierium Romanæ urbis oratorem scripserat, qui cum græcas apprime litteras excoluisset, latinæ facundiæ doctor mirabilis, et simul clarissimus ætatis suæ philosophus evaserat. Eum de facie non noverat Augustinus, sed amabat ex doctrinæ fama et claritate nominis; ac quædam illius verba audierat, quæ ipsi arriserant. Cum itaque Hierium plurimi faceret, secum præclare agi putavit, quod lucubrationes suæ ad tanti viri notitiam possent pervenire (*Ibid.*, *cap.* 14, *n.* 21).

## CAPUT IX.

1 *Perditos Manichæorum mores deprehendit Augustinus.* 2 *Horum Auditor Constantius eos emendare frustra conatus, se in Ecclesiæ catholicæ sinum recipit.* 3 *Errores quoque illorum ab Augustino comperti.* 4 *Quis quantusve Faustus ille a Manichæis tantopere prædicatus.* 5 *Ejus inscitia ab Augustino deprehensa.* 6 *Manichæorum imbecillitatem audito Fausto intelligit.*

1. Etsi magna animi propensione Manichæorum sectæ se adjunxisse videretur Augustinus, neque minori studio eam tueri atque propagare conaretur; haud ita tamen ei sese dediderat, quin traditæ in ea doctrinæ interdum diffideret. Quam suspicionem solerti ingenio mox obortam esse vel ex eo apparet, quod, ut superius a nobis observatum est (*Supra*, *cap.* 6, *n.* 3), Auditorum ordinem prætergredi noluit, ac tum demum magnopere auctam firmatamque, cum paulo serius licet, intellexit Manichæos in refellendis alienis, quam in suis asserendis dogmatibus, esse eloquentiores. Neque enim latere eum posset, quam expeditum foret cuivis mediocriter erudito, in aliorum errores multo verborum strepitu invehi; quo uno hæreticorum eorumdem robur omne continebatur. Cum enim hoc pacto efficerent, ut nulli opinioni adhærescere liceret, in ipsorum sententiam erat necessario transeundum. *Itaque nobis faciebant*, inquit Augustinus, *quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos propter aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant. Obruunt enim, et quoquo modo cooperiunt alias quæ circa sunt aquas, vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos, non electione, sed inopia decidant* (*De Utilit. credendi*, *n.* 2). Multæ præterea gravissimæque concurrebant causæ, quæ susceptæ hæreseos fastidium illi ingererent : sed nullæ eum vehementius commovebant, quam quod obscenos deprehenderat Manichæorum mores, et a Christi legibus, et a suis ipsorum institutis longissime aberrantes. *Novem*, inquit, *annos totos, magna cura et diligentia vos audivi, nullus mihi Electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta non aut deprehensus in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit. Multi in vino et carnibus, multi lavantes in balneis inventi sunt. Sed hæc audiebamus. Nonnulli alienas feminas seduxisse approbati sunt, ita ut hinc plane dubitare non possim. Sed sit et hæc magis fama quam verum. Vidi ipse non solus, sed cum iis qui partim jam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto ut liberentur; vidimus ergo in quadrivio Carthaginis, in platea celeberrima, non unum, sed plures quam tres Electos simul, post transeuntes nescio quas feminas tam petulanti gestu adhinnire, ut omnium trivialium impudicitiam impudentiamque superarent. Quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita vivere, satis eminebat, quandoquidem nullus socii præsentiam veritus, omnes aut certe pene omnes eadem teneri peste indicabat. Non enim erant hi ex una domo; sed diverse prorsus habitantes, ex eo loco ubi conventus omnium factus erat, pariter forte descenderant. Nos autem graviter commoti, graviter etiam questi sumus. Quis tandem hoc vindicandum, non dicam separatione ab ecclesia, sed pro magnitudine flagitii, vehementi saltem objurgatione, arbitratus est? Et hæc erat omnis excusatio impunitatis illorum, quod eo tempore, quo conventicula eorum lege publica prohiberentur, ne quid læsi proderent metuebatur. Id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus conquestam nobis esse mulierem, quod in conclavi, ubi cum aliis feminis erat, de illorum scilicet sanctitate secura, ingressis Electis pluribus, et ab uno lucerna exstincta, incertum cujus eorum, in tenebris appetita esset amplexu, et coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris evasisset. Hoc nobis quoque notissimum nefas, de quanta consuetudine venisse arbitrandum est? Et hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrantur* (*De Moribus Manich.*, *n.* 68-70). Quod attinet ad interdictionem, qua Manichæi vetiti sunt conventus agere, exstat ea de re lex a Valentiniano imperatore lata anno trecentesimo septuagesimo secundo: quamvis hic princeps ita ingenio comparatus esset, ut cuique liberam religionis optionem ejusque usum facile relinqueret. *Suspicionibus vero januæ quantæ aperiebantur*, pergit Augustinus, *cum eos invidos inveniebamus, cum avaros, cum epularum exquisitarum avidissimos, cum in jurgiis frequentissimos, cum de rebus exiguis mobilissimos? Non utique arbitrabamur eos temperare posse, a quibus se temperare profitebantur, quando latibula et tenebras invenirent. Duo quidam erant existimationis satis bonæ, facili ingenio, atque in illis suis disputationibus principes nobis amplius quam cæteri familiariusque conjuncti. Quorum unus, qui propter studia etiam liberalia nobis arctius adhærebat, hic nunc ibi esse presbyter dicitur : hi sibi graviter invidebant, et objiciebat alter alteri, non accusatione manifesta, sed sermone apud quos poterat, et susurris, ab eo violenter attentatam cujusdam Auditoris uxorem. Ille autem se purgans, interim apud nos alium ejusdem sceleris Electum criminabatur, qui apud eumdem Auditorem, quasi amicus fidissimus habitabat : quem quoniam subito ingrediens cum muliere deprehenderat, dicebat*

*mulieri et àdultero ab illo inimico atque invido consilium datum, ut illa sibi conflaretur calumnia, ne si quid proderet, crederetur. Angebamur nos, et molestissime ferebamus, quod etiamsi de appetita muliere incertum erat, livor tamen in illis duobus, quibus meliores ibi non inveniebamus, apparebat acerrimus, et alia conjicère cogebat. Postremo in theatris Electos et ætate, et, ut videbantur, moribus graves, cum sene presbytero sæpissime invenimus. Omitto juvenes, quos etiam rixantes pro scenicis et aurigis deprehendere solebamus; quæ res non mediocri argumento est, quomodo se possint continere ab occultis, cum eam cupiditatem superare non possint, quæ illos Auditorum suorum oculis ostentat et prodit erubescentes atque fugitantes. An vero illius etiam sancti, ad cujus disputationes in ficariorum vicum ventitabamus, tantum illud flagitium proderetur, si virginem sanctimonialem mulierem tantum, non et prægnantem facere potuisset? Sed occultum et incredibile malum crescens uterus latere non passus est. Quod cum mater fratri juveni prodidisset, acerrime dolens, religionis tamen nomine ab accusatione publica revocatus est; perfecitque ut ille (non enim hoc ferre quisquam posset), de illa ecclesia pelleretur : et ne impunita res omnino esset, cepit consilium, ut adjunctis sibi amicis, hominem pugnis calcibusque concideret* (*Ibid.*, *nn.* 71, 72).

2. In hanc rem adhuc maxime insignem refert historiam, quæ quidem usque adeo percrebuerat, ut ad absentes etiam longeque positos fama vulgante perveniret. Contigit illa Romæ cum ab ea urbe abesset Augustinus, qui rem omnem gestam, a familiari suo probæ fidei viro, oculato ejus teste, cognovit: nonnullisque insuper idem eadem serie referentibus, cum Romam postea venisset, compertam omnino exploratamque sibi fuisse testatur. Illam ipse narrat hunc in modum: *Quidam vester Auditor* (Manichæos alloquitur) *in illa memorabili abstinentia nihilo Electis cedens, qui et liberaliter institutus esset, et vestram sectam copiose vellet et soleret defendere, molestissime ferebat, quod ei vage pessimeque habitantium passimque viventium Electorum mores perditissimi sæpe disputanti objiciebantur. Cupiebat itaque, si fieri posset, omnes qui secundum illa præcepta vitam degere parati essent, congregare in domum suam, et suis sumptibus sustinere. Erat enim et non mediocris pecuniæ contemptor, et non mediocriter pecuniosus. Querebatur autem impediri tantos conatus suos episcoporum dissolutione, quibus adjuvantibus implere debebat. Interea vester episcopus quidam, homo plane, ut ipse expertus sum, rusticanus atque impolitus, sed nescio quomodo, ea ipsa duritia severior in custodiendis bonis moribus videbatur. Hunc diutissime desideratum, et aliquando præsentem arripit iste, exponit homini voluntatem suam : laudat ille atque consentit, placet ut in domo ejus prior ipse incipiat habitare. Quod ubi factum est, eo congregati sunt Electi omnes, qui Romæ esse potuerunt. Proposita est vivendi regula de Manichæi epistola. Multis intolerabile visum est; abscesserunt : remanserunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita vivi ut placuerat, et ut tanta præscribebat auctoritas : cum interim Auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad id quod non prior ipse susciperet. Interea rixæ inter Electos oriebantur creberrimæ, objiciebantur ab invicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabatque operam, ne se ipsos in jurgando incautissime proderent : prodebant nefanda et immania. Ibi cognitum est quales essent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum subeundam sibi esse putaverunt. Jam de cæteris quid suspicandum erat, aut quid potius judicandum? Quid plura? Coacti aliquando murmuraverunt; sustineri illa mandata non posse : inde in seditionem. Agebat Auditor causam suam complexione brevissima : Aut illa omnia esse servanda, aut illum qui talia sub tali conditione præcepisset, quæ nullus posset implere, stultissimum existimandum. Vicit tamen, non enim aliter poterat, unius sententiam effrenatissimus plurium strepitus. Postea etiam ipse cessit episcopus, et cum magno dedecore aufugit : cujus sane cibi præter regulam clanculo accepti, et sæpe inventi ferebantur, cum ei de proprio sacculo diligenter occultato pecunia copiosa suppeteret. Hæc si falsa esse dicitis, nimis apertis et pervulgatis rebus obsistitis. Sed utinam hoc dicatis. Cum enim sint ista manifesta, et iis qui scire voluerint cognitu facillima; intelligitur quam vera dicere soleant, qui hæc vera esse negaverint* (*De Morib. Manich.*, *nn.* 74, 75). Non est dubium quin Auditor ille Manichæus sit Constantius, quem Augustinus alibi scribit, Manichæorum quam plurimos in domum suam congregasse, ut eos ad implenda Manichæi præcepta cogeret: quibus illa graviora viderentur, alios alio fuisse dispersos; qui vero in his servandis perseverarunt, a cæteris Manichæis discessisse, facto schismate, quod quia mattis dormiebant, Mattariorum appellatum est (*Contra Faustum*, *lib.* 5, *cap.* 5). Tandem Constantius iste catholicam fidem amplexus est, et adhuc superstes erat, cum Augustinus contra Faustum scriberet circa annum quadringentesimum quartum.

3. Non flagitiosi tantum Manichæorum mores offensioni erant Augustino : sed ipsa quoque doctrina suspicionem ei præbere cœperat, maxime postquam audivisset Helpidium adversum eos palam ac publice Carthagine disputantem, proferentemque aliquot ex Scripturis argumenta, a quibus Manichæi sese male expedirent. Respondebant tamen ad ea, ut poterant, ne causam deseruisse videri possent : sed ipsa eorum responsio suspicionem augebat, nedum amoliebatur. Causabantur scilicet, Scripturas Novi Testamenti falsatas fuisse a nescio quibus codicum corruptoribus, queis Judæorum leges Christianis institutis inserere visum esset. Sed præterquam quod eam quamcumque responsionem occulte magis Auditorum suorum auribus insusurrabant, quam publice promerent; nullum porro exemplar incorruptum ab iis proferebatur, in quo quidem non exstarent quæ falsi redarguebantur (*Confess. lib.* 5, *cap.* 11, *n.* 21). Quamobrem imbecilla et futilis videbatur illa responsio, non solum Augustino aut Honorato, sed et omnibus qui paulo majorem in judicando diligentiam adhiberent, quam turba credentium (*De Utilitate credendi*, *n.* 7). Minime vero omnium intelligere poterat, stante Manichæi doctrina, cur tandem Deus animas in mortalium corpora innumeris calamitatibus obnoxia detrusisset. Qua difficul-

tate cum sese expedire sectatores illius non possent, inde se divinitus admonitum scribit, ut ejurato errore, ad Ecclesiæ fidem se converteret (*Contra Fortunat., disput.* 2, *n.* 37). Erat istud perpetuum validissimumque Nebridii argumentum, quod unum errori repellendo satis erat, si satis animum advertisset. Quærebat scilicet acutus adolescens a Manichæis, quid erat Deo factura gens illa tenebrarum, quam ex adversa mole solerent opponere, uti principium mali, si Deus cum ea pugnare noluisset. Si enim responderetur, aliquid fuisse nocituram; violabilis Deus et corruptibilis foret: si autem nihil eam nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi, et ita pugnandi, ut quædam portio et membrum vel proles de ipsa substantia Dei, anima scilicet, misceretur adversis potestatibus, et non a Deo creatis naturis; atque in tantum ab eis corrumperetur et commutaretur in deterius, ut a beatitudine in miseriam verteretur, et indigeret auxilio quo erui purgarique posset (*Confess. lib.* 7, *cap.* 2, *n.* 3). Movebat eum præterea, quod nullam substantiam malum esse a quopiam audierat. Neque vero hunc scrupulum ejus animo amoliebatur Manichæorum ille antesignanus, qui egregie quæstionem puerili ea cavillatione dissolvere se putabat: *Vellem*, inquiebat ille, *scorpionem in manu hominis ponere, ac videre, utrum non subtraheret manum : quod si faceret, non verbis, sed re ipsa convinceretur, aliquam substantiam malum esse; quando quidem illud animal esse substantiam non negaret. Respondebat ergo*, ait Augustinus, *pueriliter pueris. Quis enim meliuscule imbutus et eruditus, non videat per inconvenientiam corporalis temperationis hæc lædere, ac rursus per convenientiam non lædere, sæpe etiam commoda non parva conferre. Nam si illud venenum per se ipsum malum esset, eumdem scorpionem magis priusque perimeret (De Moribus Manich., n.* 11). Jamque eo ventum erat, ut placita philosophorum, queis animum diligenter excoluerat, longissimis Manichæorum fabulis non compararet solum, sed et anteferret (*Confess. lib.* 5, *cap.* 3, *n.* 3). Videbat scilicet homo perspicax motuum cœlestium causas, æquinoctiorum, solstitiorum, defectuum denique solis ac lunæ, multo melius a philosophis explicari, quam a Manichæo; tametsi is in eam rem copiosissime delirasset (*Ibid.*, *n.* 6). Quamvis enim ea rerum naturalium cognitio non pertineat ad veræ pietatis institutionem: quod tamen Manichæus hac in parte fallebatur sive fallebat, fidem auctoritatemque omnem in reliquis ei abrogabat. Non dubia quippe exinde suspicio oboriebatur, eum multo magis in rebus a sensu remotioribus pertractandis aberrare; neque porro eum vera sinceraque sapientia instructum esse, qui ea quæ non intellexisset, temere doceret. Quanto vero minus credi poterat, eum Spiritu divino afflari, aut quod ipse omnium maxime existimari cupiebat, Spiritum sanctum auctoritate plenaria personaliter in eo residere (*Ibid.*, *cap.* 5, *n.* 8), qui in rebus cuique mediocriter erudito perviis adeo turpiter allucinabatur, ut cæcutire potius quam caligare videretur? Interim ei credere jubebatur Augustinus, etsi eis rationibus, quas et numeris et oculis suis exploratas habebat, neutiquam cohærerent Manichæi fabulæ, imo prorsus ab eis discreparent. Nondum tamen satis compererat, utrum etiam secundum Manichæi verba, vicissitudines longiorum et breviorum dierum atque noctium, et ipsius noctis et diei, et deliquia luminum, et si quid ejusmodi in aliis libris legerat, posset exponi (*Ibid.*, *n.* 9). Quapropter adventum Fausti, qui honestarum omnium disciplinarum peritissimus et apprime disciplinis liberalibus eruditus habebatur, ardenti studio exspectabat (*Ibid.*, *cap.* 6, *n.* 10). Cæteri enim Manichæi solvendis ejus quæstionibus impares, hunc ipsi assidue promittebant, cujus adventu collatoque colloquio, non solum omnes rerum astronomicarum nodi, sed etiam quicumque, vel istis longe intricatiores, ipsius animo possent occurrere, planissime expedirentur.

4. Faustus iste gente Afer, civitate Milevitanus (*Contra Faustum*, *lib.* 1, *cap.* 1), obscuro et egeno patre natus (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 5), Manichæorum sectam amplexus, inter eos episcopi nomen obtinuit (*Conf. lib.* 5, *cap.* 3, *n.* 3). Jactabat se dimisisse patrem, matrem, uxorem, liberos, et cætera omnia, quæ lex evangelica jubet relinquere; aurum et argentum rejecisse, æs in zonis non habere; se quotidiano contentum cibo, de crastino non curare, nec esse sollicitum unde ventrem impleret, aut corpus operiret: denique se pauperem esse, mitem, pacificum, puro corde, lugentem, esurientem, sitientem, persecutiones et odia sustinentem propter justitiam, prædicabat. At notior erat Fausti mollities, iis maxime qui Romæ familiariter eo usi essent, quam ut longa confutatione egeret. Redarguebant scilicet hominis inverecundiam delicatæ illæ plumæ quibus indormiebat, caprinæ lodices quibus operiebatur, deliciarum denique affluentia omnis, qua non modo Mattariorum severiorem disciplinam, sed etiam domum patris sui hominis pauperis Milevitani fastidire videbatur. Nunc quod attinet ad eam partem vanæ commendationis, qua se ob præstitum veritati patrocinium, persecutiones et odia sustinuisse gloriabatur; dissimulari quidem non potest, pios aliquot viros hæreseos actionem illi intendisse, eoque nomine in jus vocatum, convictumque aut confessum, mitissima pro meritis pœna, eis ipsis qui vocaverant Catholicis intercedentibus, in quamdam insulam sententia proconsulis Africani cum nonnullis suis gregalibus deportatum esse, unde non multo post, ut erat solita per id tempus erga damnatos indulgentia principum, revocatus fuit (*Contra Faustum*, *lib.* 5, *capp.* 1, 5, 7, 8). Et hæc quidem contigisse videntur ad annum trecentesimum octogesimum sextum, cum ingens Manichæorum multitudo coram Messiano proconsule causam dicere jussa est, atque, uti videri potest, ab eo damnata.

5. Ut Faustus ob mores suos præ cæteris non eminebat; sic aliis Manichæis doctrina et eruditione superior non erat. Nam omnium liberalium disciplinarum, præterquam grammaticæ, rudis atque expers erat; eamque ipsam, in qua excellere videbatur, non

quæsitam ex occulto aliquo genere litterarum, sed de medio sumptam tenebat. Verum quia Tullii orationes aliquot, unaque paucissimos Senecæ libros, poetarum etiam nonnulla, ac si quæ essent a suæ sectæ tractatoribus eleganter et ornate scripta, lectitaverat, usu atque exercitatione continua non mediocrem indeptus erat dicendi facultatem, eo ad decipiendum incautos aptiorem, quo magna animi moderatione et naturali quodam lepore condiebatur (*Conf. lib.* 5, *cap.* 6, *n.* 11). Tametsi enim serius ad dicendi artem accessisset; ut erat tamen ingenio acer et callidus (*Contra Faustum, lib.* 21, *cap.* 10), vultu ad modestiam composito, eloquio dulci ac blando (*Conf. lib.* 5, *cap.* 6, *n.* 10), vulgaria quæque ac trita multo suavius multoque jucundius garriebat. Ob eam suaviloquentiam non paucis magnus diaboli laqueus exstitit Catholicis (*Ibid.*, *cap.* 3, *n.* 3); suisque multo maximus magister est habitus, quibus eo sapiens ac prudens, quo disertus atque eloquens videbatur. Ilis quibuscumque eloquentiæ præsidiis instructus, librum scribere ausus est, quo adversum Legem et Prophetas et eorum Deum, et Incarnationem Christi lingua sacrilega impie invehitur: ac ne Scripturis Novi Testamenti revincatur, eas quoque falsatas esse his locis, quibus præpediri se posse sentit, præfidenter asseverat. Cum autem liber in Augustini manus pervenisset, eum continuo de verbo ad verbum confutavit: quo factum est ut eumdem librum etiam nunc haberemus. En qualis quantusve fuerit nominatissimus ille Faustus, quem Augustinus toto ferme novennio adeo cupide exspectavit, futurum sperans, ut is quem veluti cœlo delapsum hominem celebrabant Manichæi, scrupulum omnem, quo dudum pungebatur, animo evelleret. Quod quidem multo felicius contigit, quam ab eo putabatur: ille enim ipse Faustus, *qui multis laqueus mortis exstitit*, inquit, *meum, quo captus eram, relaxare jam cœperat, nec volens, nec sciens* (*Ibid.*, *cap.* 7, *n.* 13).

6. Jam Faustus Carthaginem venerat, cum Augustinus annum ætatis ageret undetrigesimum, quem idibus novembris anno Christi trecentesimo octogesimo secundo inierat. Et si vero quam ille de se concitarat exspectationem, haud omni ex parte sustinere tuerique posset; erat ei tamen eloquentia famæ non impar, qua se quoque primo auditu magnopere delectatum fuisse non diffitetur Augustinus. *Delectabar autem*, ait, *et cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam* (*Ibid.*, *cap.* 6, *n.* 11). Quanquam, ut erat æquus rerum æstimator, uberem illam dicendi facultatem, quam meritis laudibus prosequebatur, acri judicio ab rerum veritate discerneret. Moleste interea ferebat, nullam sibi esse copiam, hominem publica in concione dicentem interpellandi, atque alternis cum eo familiariter disserendi, quo oborientes animo difficultates invicem excuterent. Cum primum vero hujus sese dedit opportunitas, illum cum familiaribus suis frequens convenit, eosque scrupulos qui se angerent, cum eo communicavit. *Protuli*, inquit, *quædam quæ me movebant: expertus sum prius hominem expertem liberalium disciplinarum, nisi grammaticæ, atque ejus ipsius usitato modo* (*Conf. lib.* 5, *cap.* 6, *n.* 11). Desperatio exinde ingens, fore unquam ut Faustus eos animi æstus, quibus laborabat Augustinus, sedaret, aut nodos quæstionum quibus præpediebatur exsolveret. Vehementer scilicet cupiebat, rationes mathematicas, quas quidem in philosophorum commentariis legisset, cum iis quæ Manichæi libris continebantur, conferre, explanarique sibi an motus cœlestes conversionesque siderum, æque certo ex illius sectæ opinione atque ex astrologorum disciplina explicari possent. Sed ad ea cum ventum esset, Faustus tenuitatis suæ conscius, ac, quod habet Augustinus, non usquequaque imperitus, imperitiæ suæ modeste se excusavit, neque disputationis aleam subire ausus est. Gratior fuit atque acceptior Augustino modesta illa confessio, quam aliorum ejusdem sectæ inverecunda temeritas, conantium ea docere quæ nescissent unquam. Quam animi moderationem in cæteris quoque subtilioribus ac difficilioribus quæstionibus præ se tulit, constanterque retinuit Faustus; indeque multo plus gratiæ iniit ab eodem Augustino, quam si vel garrula loquacitate Manichæi mendaciis veri speciem induisset, aut etiam inquisitioni plane satisfecisset. Pulchrior enim recte judicanti videbatur ea animi temperantia, quam ipsa rerum de quibus quærebat, aperta cognitio (*Ibid.*, *cap.* 7, *n.* 12). Officiose nihilominus atque humaniter Fausto morem gerens Augustinus, aut cum eo familiariter de arte rhetorica disceptare cœpit, aut insimul legere quæ ille in primis audire optaret, aut quæ ejus ingenii facultati magis congruere sibi viderentur. Deferbuit subinde studium illud ingens, quo flagraverat in Manichæi doctrinam, omnisque illico spes concidit reperiendorum in ea secta hominum, qui eas quæstiones enodarent, quibus solvendis celebratissimus ille Faustus impar fuisset. Quamobrem eo cognito, omnem in ea hæresi proficiendi curam abjecit. Fluctuabat animo cunctabundus in eodem luto hæsitans, eaque cunctatio major in dies oboriebatur, ex quo Faustus copiam illi fecerat secum colloquendi, neque porro exspectationi responderat (*De Utilitate credendi*, *n.* 20). Atque hæc videri potest meta novem illorum annorum quibus Manichæis adhæsisse se scribit, uti a nobis superius observatum est (*Supra*, *cap.* 6, *nn.* 4, 5). Quanquam id ætatis haud omnino se ab eorum societate sejunxerit: *Sed quasi melius quidquam non inveniens*, inquit, *eo quo jam quoquo modo irrueram, contentus interim esse decreveram, nisi aliquid forte quod magis eligendum esset eluceret.* (*Confess. lib.* 5, *cap.* 7, *n.* 13). Sic animo affectus erat, cum relicta Africa Romam petiturus trajecit in Italiam: quod iter cum statim ab habito cum Fausto sermone commemorat (*Ibid.*, *cap.* 8, *n.* 14), indicare videtur, id se anno ætatis suæ vigesimo nono vergente, per litterarias forsitan inducias anni trecentesimi octogesimi tertii, suscepisse: quanquam revera nihil obstet quominus susceptum ab ipso sub ineuntem hunc eumdem annum Christi existimetur.

# LIBER SECUNDUS.

De Augustini profectione in Italiam, et de rebus ibi ab eo gestis usque ad suum in Africam reditum.

## CAPUT PRIMUM.

1 *Augustinus Romam proficiscitur.* 2 *Occulte ac invita matre.* 3 *Ibi in morbum incidit periculosum.* 4 *Inter Manichæos versatur, quænam eum in illorum adhuc secta distinebant.* 5 *Rhetoricam in Urbe docet.*

1. Cum in Italiam transmittere Augustinus animum induxit, eum profecto, quem ex illa navigatione fructum, Deo aspirante, capturus erat, haudquaquam ipse sibi pollicebatur. Romam contendebat, rhetoricam ibi professurus, non spe ductus amplioris emolumenti et majoris honoris, tametsi et isthæc incentiva, quæ amici adhibebant, nonnihil moverent animum : sed hac præcipua causa et pene sola impulsus, quod audierat quietius Romæ quam Carthagine studere adolescentes, et ordinatiore disciplinæ coercitione sedari. Verum si rem altius repetamus, peculiari Dei nutu dirigebatur, qui occulto consilio et stimulos ei admovebat quibus Carthagine avelleretur, et illecebras quibus Romam attraheretur adjiciebat, ut per varios demum anfractus, ad salutis portum errantem deduceret. Quod ipse agnoscens Augustinus : *Et in his*, ait, *altissimi tui recessus et præsentissima in nos misericordia tua cogitanda et prædicanda est* (*Confes. lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 14). Eum Messiani proconsulis in Manichæos lata sententia percussum ex Africa profugisse, postmodum objectarunt adversarii (*Contra Litt. Petiliani, lib.* 3, *n.* 30) : quo commento nullum absurdius. Messiani quippe sententia dicta fuit anno Christi trecentesimo octogesimo sexto : Augustinus autem Mediolani procul dubio erat ante annum trecentesimum octogesimum quintum; cujus rei documentum in promptu habebat ipse, ad eam, ubi necessitas posceret, multorum illustrium virorum testimonio comprobandam instructissimus.

2. Hoc sane iter clanculum suscepit; cum navigarit inscio ipso Romaniano, quicum sua consilia communicare solitus erat, cujus etiam liberos relicta Carthagine deserebat. Eum tamen cui tot tantisque beneficiis obstrictus erat, nisi tum abfuisset, id celaturus fuisse non videtur : quamobrem nec ei vel leviter succensuit Romanianus, nec de pristina benevolentia remisit aliquantum (*Contra Academ.*, *lib.* 2, *n.* 3) : quippe cui perspectior erat Augustini animus, quam ut adversum se ingratum atque immemorem suspicari posset. Non latuit Monnicam quod Augustinus animo volvebat proficiscendi consilium ; quæ cum more matrum, ac multis multo amplius filii consuetudine delectaretur, neque ab eo divelli se æquo animo pati posset (Tagasta an Carthagine decedentem, dubium est), illum insequi constituit, vel ut una secum domum illum reduceret, aut si porro is animum in proposito obfirmaret, comes itineris ei adjungeretur. Finxit tum quidem Augustinus velle se solummodo amico mox navigaturo adhærere, usque dum portu solvisset : sed eo astu delusa non est pia matris sollicitudo, neque eo adduci potuit, ut sola domum remigraret : quin vehementer redire recusanti vix persuasum est, ut in loco navi proximo ac Cypriani martyris memoriæ sacro eam noctem transigeret. Ea dum ibi orationibus intenta Deum enixius deprecaretur, ut filium navigatione inhiberet, is se clanculo subduxit, atque obsecundantibus ventis Romam navigavit. Quod illa mane cum deprehendisset, tota in miserabiles fletus effusa, mœstis vocibus littus omne implevit, nunc suam ipsius orbitatem deplorans, nunc filii fraudem, nunc crudelitatem animo obversans suo. Attamen mitigato aliquantulum animi dolore, sedatior facta, inanibus quibus se defatigabat omissis querelis, rursus ad filii salutem Deo precibus commendandam conversa domum se recepit (*Confess. lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 15).

3. Vix Romam adventarat Augustinus, cum ecce gravissimum in morbum incidit; jamque in dies ingravescente mortis periculo proximus erat. Nequidquam tamen de salutaribus undis quibus animæ sordes abluuntur, ab eo cogitabatur : eo enim vesaniæ processerat, ut divinum hoc medicamentum irrideret. Ignara licet pia mater ejus, in quod inciderat filius vitæ discrimen, nihilo segnius pro illo Deum precabatur; cujus precationis interventu convaluisse se, ac vitali lavacro reservatum, non sine memoris animi testificatione, memorat. *Non satis eloquor*, ait hanc in rem, *quid erga me habebat animi, et quanto majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat* (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 16).

4. Diversabatur per id tempus Augustinus apud unum ex Manichæorum secta Auditorem, neque solum ejus ipsius aut aliorum Auditorum, sed etiam Electorum consuetudine familiarius utens, quam reliquorum hominum, qui illi hæresi non adhærerent. Etsi vero Manichæorum deliramenta minus, quam ante solitus erat, animose defenderet; eorum tamen familiaritate, quos magno numero Roma occultabat, ab inquisitione veri non parum retardabatur. Necdum vero eum errorem exuerat, quo sibi ex eorum sententia videbatur, non se esse qui peccaret, sed quamdam aliam in ipso naturam. Quo figmento sacrilego superbiæ ipsius blandiente, se extra omnem culpam esse, lubenter reputabat. *Adhuc enim mihi videbatur*, inquit, *non esse nos qui peccamus, sed nescio quam aliam in nobis peccare naturam ; et delectabar superbiam meam extra culpam esse; et cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam, quoniam peccabat tibi ; sed excusare eam amabam, et accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, et ego non essem* (*Ibid.*, *cap.* 10, *n.* 18). Erat vero istud longe maximum ac prope solum impedimentum, quominus ex profundo emergeret, quod Deum cogitare non posset ab omni mole

corporea secretum; neque quidquam omnino esse existimaret, quod corpus non esset: ex quo principio errores permulti veluti ex corrupto fonte impuri rivuli scaturiebant. Hinc suos adversus Faustum libros hac salubri admonitione conclusit: *Dei naturam atque substantiam incommutabilem omnino, omnino incorruptibilem cogitate, vel credite, et Manichæi continuo non eritis, ut aliquando et Catholici esse possitis* (*Contra Faust., lib.* 33, *cap.* 9). Retinebat eum insuper desperatio inveniendæ in Ecclesia catholica veritatis, quam Ecclesiam, conflictis ad invidiam mendaciis, eo usque suspectam ei reddiderant Manichæi, ut persuasum sibi ab iis fuisse innuat, Catholicos homines credere Deum forma corporea nostræ consimili constare, membris humanis coagmentari, ac carnis lineamentis finiri condecorarique; quod ei turpe creditu cogitatuque videbatur (*Conf. lib.* 5, *cap.* 10, *n.* 20; *lib.* 6, *cap.* 2, *n.* 4). Quæ etiam illum cum Manichæis conjungebat amicitia, segniorem ad aliud certius investigandum efficiebat: cum eorum doctrina contentus esse decrevisset, dum aliquid melius et exploratius occurreret (*Ibid., lib.* 5, *cap.* 10, *n.* 19). Deinde quæ Manichæi in Scripturis divinis reprehendebant, ab Catholicis defendi posse non arbitrabatur: tametsi vehementissime cuperet cum aliquo illorum librorum peritissimo singula conferre, quæ quidem in controversia versarentur; ut quæ esset illius ea de re sententia dispicere posset (*Ibid. cap.* 11, *n.* 21). Atque ut spem omnem in ea secta proficiendi dudum abjecerat; ea ipsa quibus, si nihil melius apertiusque reperiret, stare decreverat, jam remissius negligentiusque retinebat: usque adeo ut suum ipsius hospitem fabulis, quas Manichæus in libris suis sparsit, nimio plus tribuentem fidentemque, ab ea credulitate reprimere non dubitarit (*Ibid., cap* 10, *n.* 19). Vixdum tamen bene discussa nube, quam Manichæorum errores ejus animo circumfuderant, sævior rursus incubuit tempestas, conversis ipsius ad Academicorum philosophorum sectam hæsitationemque studiis, quos omnium longe sapientissimos habebat, seu quod ab omni assensu sese cohiberent, seu quod nihil veri ab homine comprehendi posse decrevissent (*De Beata vita, n.* 4). *Ita enim*, inquit, *et mihi liquido sensisse videbantur, ut vulgo habentur, etiam illorum intentionem nondum intelligenti* (*Confes. lib.* 5, *cap.* 10, *n.* 19).

5. Cæterum uti oratoria professio una aut maxima illi causa fuerat Romam adeundi; ubi e morbo recreatus est, in illud studium sedulo incumbere cœpit, congregatis primum domi discipulis, quibus et per quos jam innotuerat. Brevi didicit, juvenum Carthaginensium licentiam Romæ non vigere; sed alteram non leviorem ibi grassari. Certior enim de scholasticorum fraude factus est, qui ne mercedem penderent, a suo præceptore plerumque transfugæ, facta conspiratione ad alium se transferebant. Turpis illius fraudis, aliunde sibi exitialis, indignitate procul dubio impulsus est, ut de suscipienda, quæ se alibi offerebat, provincia cogitaret (*Ibid.*, *cap.* 12, *n.* 22).

## CAPUT II.

1 *Ab Urbis præfecto mittitur Mediolanum ad docendam artem oratoriam.* 2 *Benigne suscipitur ab Ambrosio, ejusque auditis concionibus a Manichæis discedere, atque in Ecclesia catholica catechumenus manere constituit, donec aliquid sibi certi eluceat.*

1. Cum itaque civitas Mediolanensis eloquentiæ professore destituta esset, missum est a Mediolano Romam ad Symmachum urbis præfectum, ut illi civitati professorem provideret, impertita etiam evectione publica. Hanc Augustinus provinciam per eos ipsos Manichæos *quibus*, ait, *ut carerem ibam*, ambivit (*Conf. lib.* 5, *cap.* 13, *n.* 23): nec frustra; postquam enim periculum sui fecisset, ac recitata publice oratione Symmacho sese approbasset, votis potitus, Mediolanum missus est; ubi tum temporis Valentinianus junior aulam habebat (*Possid., in Vita August., c.* 1). Eo pervenit ante Bautonis consulatum, hoc est, ante annum Christi trecentesimum octogesimum quintum; ac si forte Romam non adventarat nisi exeunte anno trecentesimo octogesimo tertio, Mediolanum commigrare non potuit ante annum trecentesimum octogesimum quartum; quo anno Symmachum præfecturam Urbis gessisse reperimus. Cæterum Alypius, qui præ Augustino Romam ierat (*Conf. lib.* 6, *cap.* 8, *n.* 13), ibique veterem cum eo amicitiam renovarat firmaratque arctiore vinculo, Mediolanum quoque eum insequi constituit: *Ut nec me desereret*, inquit Augustinus, *et de jure quod didicerat aliquid ageret, secundum votum magis parentum, quam suum* (*Ibid. cap.* 10, *n.* 16).

2. Mediolanensem Ecclesiam Ambrosius episcopus magna cum sapientiæ tum probitatis fama procurabat (*Possid., in Vita August. c.* 1): qui Augustinum ad officiosæ salutationis munus ipsum adeuntem paterno excepit animo, et episcopali charitate complexus est. *Ad eum autem*, inquit, *ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me.* Audiebat eum exinde frequens atque assiduus sermonem ad populum habentem, non eo animo quo par erat, sed ut experiretur an ejus eloquentia infra vel supra famam esset: rerum ipsarum incuriosus, verborum lenocinia, quorum suavitate mirifice delectabatur, solummodo captabat. Etsi vero Fausti oratio aliquanto elegantior atque ad mulcendas aures dulcior illi appareret; nulla tamen, se judice, de gravitate atque eruditione inter utrumque comparatio erat (*Conf. lib.* 5, *cap.* 13, *n.* 23). Itaque sensim sine sensu veritas ejus animo illabebatur. Attentiorem eum reddebat illa ipsa hæresis, cujus præceptis imbutus erat: et ideo cæteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa vel contra ipsam diceretur. Et prævenit Dei liberatoris clementia, sui sacerdotis Ambrosii cor pertractantis, ut contra illum errorem incidentes Legis quæstiones dissolveret (*Possid., in Vita August., cap.* 1). Narrat hæc ipse fuse atque eleganter Augustinus in hunc modum: *Cum enim non*

*satagerem discere quæ dicebat, sed tantum quemadmodum dicebat audire (ea mihi quippe jam desperanti ad te viam patere homini, inanis cura remanserat), venicbant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipsa defendi posse mihi jam cœperant videri; et fidem catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes Manichæos putaveram, jam non impudenter asseri existimabam; maxime audito uno atque altero, et sæpius ænigmate soluto de Scriptis veteribus: ubi, cum ad litteram acciperem, occidebar. Spiritualiter itaque plerisque illorum librorum expositis locis, jam reprehendebam desperationem meam, illam duntaxat qua credideram Legem et Prophetas detestantibus atque irridentibus resisti omnino non posse. Nec tamen jam ideo mihi catholicam viam tenendam esse sentiebam, quia et ipsa poterat habere doctos assertores suos, qui copiose et non absurde objecta refellerent; nec ideo jam damnandum illud quod tenebam, quia defensionis partes æquabantur. Ita enim Catholica non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret. Tunc vero fortiter intendi animum, si quo modo possem certis aliquibus documentis Manichæos convincere falsitatis. Quod si possem spiritualem substantiam cogitare, statim machinamenta illa omnia solverentur et abjicerentur ex animo meo; sed non poteram. Verumtamen de ipso mundi hujus corpore, omnique natura quam sensus carnis attingeret, multa probabiliora plerosque sensisse philosophos, magis magisque considerans atque comparans, judicabam. Itaque Academicorum more, sicut existimantur, dubitans de omnibus atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos esse decrevi: non arbitrans eo ipso tempore dubitationis meæ in illa secta mihi permanendum esse, cui jam nonnullos philosophos præponebam: quibus tamen philosophis, quod sine nomine salutari Christi essent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recusabam. Statui ergo tamdiu esse catechumenus in catholica Ecclesia, mihi a parentibus commendata, donec aliquid certi elucéret, quo cursum dirigerem* (*Conf. lib.* 5, *cap.* 14, *nn.* 24, 25). Idipsum rursus scribit ad Honoratum in hæc verba : *Rationem ipse mecum habui, magnamque deliberationem, jam in Italia constitutus, non utrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat; sed quoniam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius quam tibi nota sunt. Sæpe mihi videbatur, non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum suffragium ferebantur. Sæpe rursus intuens, quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret, eumdemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quærere quænam illa esset auctoritas, cum in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inseri multum pigebat, atque inter hæc sine ulla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam. Et jam fere me commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis episcopi, ut non sine spe aliqua de ipso Vetere Testamento multa quærere cuperem; quæ, ut scis, male nobis commendata exsecrabamur. Decreveramque tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus a parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi persuaderem non esse quærendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset qui posset docere* (*De Utilitate credendi, n.* 20).

## CAPUT III.

1 *Monnica Mediolanum venit.* 2 *Augustino nulla copia datur sciscitandi quæ cupit, ab Ambrosio episcopo.* 3 *Conciones ejus ad populum audire perseverat, ex iisque magis in dies veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam intelligit.* 4 *Fidei necessitatem et salubrem Scripturarum auctoritatem agnoscit.* 5 *Adhuc laborat in quæstione de mali origine.* 6 *Platonicorum lectione proficit in cognitione Dei, non autem Verbi incarnati.* 7 *Commiserationis sensu afficitur in eos qui Manichæorum errore sunt implicati.*

1. Periculi plena erat illa inveniendi veri desperatio, in qua versabatur Augustinus, quod ex ea torpor ac negligentia ejus inquirendi nasceretur. Verum hæc animi constitutio, aut potius instabilitas et anceps fluctuatio, ad quam audito Ambrosio perductus erat, fuit instar accessionis criticæ, per quam ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente acriore periculo, erat transiturus (*Confes. lib.* 6, *cap.* 1, *n.* 1). Et eo quidem loco positus erat, cum Monnica terra marique filium insecuta, Mediolanum pervenit. Quæ ubi totius rei certior ab eo facta est, tametsi voluptatis exinde aliquid cepit, quod falsitati ereptum cerneret : non tamen, quasi inopinatum aliquid audierit, in turbulentam se lætitiam extulit; sed mente placida et fiduciæ plena dixit, confidere se in Christo, fore ut priusquam ex hac vita migraret, eum visura esset fidelem catholicum (*Ibid*).

2. Interea vero temporis cum Augustinus ad ingemiscendum ac Deo supplicandum assiduus esse debuisset, quo ei subveniret; erat animus ejus ad quærendum intentus, et ad disserendum inquietus. Nec vero ulla erat ei copia communicandi cum Ambrosio dubia æstusque suos, secludentibus illum ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. Ac nemo quidem unquam ad Ambrosium accedere prohibebatur, neque ei nuntiari mos erat, si quis ad se veniret; cum omnibus liberam sui copiam homo bono publico natus devotusque ultro faceret : sed cum ad eum Augustinus frequens ventitaret, feriatum licet ab strepitu causarum alienarum interdum reperisset, religioni tamen habebat lectioni intentum alio avocare (*Ibid., cap.* 3, *n.* 3). Quamobrem nulla dabatur occasio percunctandi quæ vellet, nisi si quæ forsitan paucis explicari possent : quemadmodum illud de relaxando sabbati die jejunio (qua de re am-

bigebat Monnica), quæsivisse se adhuc catechumenum isthæc parum curantem scribit (*Epist.* 36, *n.* 32). At illi, quibus dies noctesque angebatur, scrupuli altius animo hæserant, quam ut facile ac cito evelli possent. Varii illi cogitationum fluctus, quibus æstuabat, otiosum atque omnibus curis expeditum, cui refunderentur, doctorem exigebant : neque porro ita comparatum Ambrosium unquam nanciscebatur. *Erumpebat sæpe numero sacer antistes in Monnicæ laudes gratulans mihi*, inquit Augustinus, *quod talem matrem haberem ; nesciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, et inveniri posse viam vitæ minime putabam* (*Confes. lib.* 6, *cap.* 2, *n.* 2). Non suppetebat vero ipsi pecunia coemendis libris, quorum se ope erudiret, non facultas commodato ab amicis accipiendi, non, etiamsi præsto fuissent, legendi tempus : antemeridianas enim horas occupantibus discipulis, quod reliquum diei supererat, aut prælectionibus adornandis, aut curando corpusculo, aut reficiendo animo ab intentione curarum, aut denique officiose salutandis amicis magnatibusque, quorum favore ad rerum suarum commodum indigebat, absumebatur (*Ibid.*, *cap.* 11, *n.* 18). Etsi vero Philastrium Brixiensem doctrina tum ætatis celebrem, visum a se Mediolani scribat (*Epist.* 222, *n.* 2) ; non apparet tamen ullam ipsi cum eo episcopo necessitudinem intercessisse, aut cum eo de religione unquam egisse.

3. Quod igitur unum supererat vulneri remedium, audire Ambrosium per diem quamque dominicam coram ac publice ad populum disserentem sedulo perseverabat : quo magis ac magis tanti viri sermonibus persuasum sibi fuisse testatur, omnes versutarum calumniarum nodos, quos quidem adversum divinos Libros Manichæi innecterent, non magno negotio ab Catholicis posse dissolvi. Ubi vero comperit hominem ad imaginem Dei factum non sic a Catholicis intelligi, ut humani corporis membris Deus terminari crederetur, quemadmodum Manichæi calumniabantur (*De Hæresibus, hær.* 46), quanquam spiritualem substantiam nondum mente assecuto res ea haud satis aperta esset ; gaudium tamen pudore mixtum exinde sensit, quod tandem aliquando cerneret, se adversum cogitationum suarum figmenta magis, quam adversum Ecclesiæ catholicæ fidem oblatrasse temere ; cum humiliter ac religiose investigare debuisset, quemadmodum res se haberet (*Confes. lib.* 6, *cap.* 3, *n.* 4). Hinc eo ardentiori dignoscendæ veritatis desiderio flagrabat, quo se vanis Manichæorum pollicitationibus turpiter delusum esse verecundabatur. Nondum liquido compererat, an quæ ab Ecclesia Dei traderentur, vera essent : sed sine ulla dubitatione tenebat, illic non doceri quæ ipse falsa existimatione tam acerbe olim criminatus esset. *Itaque confundebar*, inquit, *et convertebar : et gaudebam, Deus meus, quod Ecclesia unica, corpus Unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas ; neque hoc haberet in doctrina sua sana, quod te creatorem omnium, in spatium loci quamvis summum et amplum, tamen undique terminatum, membrorum humanorum figura contruderet. Gaudebam etiam, quod vetera scripta Legis et Prophetarum jam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea videbantur absurda, cum arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos ; verum autem non ita sentiebant : et tanquam regulam diligentissime commendaret, sæpe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam, « Littera occidit, Spiritus autem vivificat »* (II *Cor.* III, 6) : *cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento spiritualiter aperiret non dicens quod me offenderet, quamvis ea diceret, quæ utrum vera essent, adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitium ; et suspendio magis necabar. Volebam enim eorum quæ non viderem, ita me certum fieri, ut certus essem quod septem et tria decem sint. Neque enim tam insanus eram, ut ne hoc quidem putarem posse comprehendi ; sed sicut hoc, ita cætera cupiebam, sive corporalia quæ coram sensibus meis non adessent ; sive spiritualia, de quibus cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, ut purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, et ex nullo deficientem. Sed sicut evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere ; ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat, et ne falsa crederet, curari recusabat : resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, et spursisti super morbos orbis terrarum* (*Confes. lib.* 6, *cap.* 4, *nn.* 5, 6.)

4. Tum porro intelligere cœpit, sincerius ac modestius Ecclesiam agere, dum earum rerum fidem postulat, quæ neque sensu percipi, neque certa ratione commonstrari possent, quam Manichæi, qui eam credulitatem irridentes, magnifice quidem pollicerentur, nihil se nisi apertum ac perspicuum tradituros ; sed id postea cum præstare non valerent, eo demum devolvuntur, ut sua ipsorum fide, confictas a se fabulas stare atque accipi velint (*Ibid.*, *cap.* 5, *n.* 7). Postea cum mitissima Dei manus cor ejus pertractatum paulatim emolliisset, consideravit quam innumera ex aliorum testimonio indubitanter crederet, quibus nisi fides haberetur, tollenda foret e vita vitæ societas. Hinc intellexit argui non posse, qui sacris Codicibus fidem tribuerent, quorum nempe auctoritatem Deus ipse in omnibus propemodum orbis terrarum partibus tam potenter stabilivit. Cum enim ad veritatem liquido investigandam natura simus infirmiores, et ad hoc divina auctoritate indigeamus ; tantam Deus illi Scripturæ, quam Ecclesia reveretur, non contulisset, nisi et per ipsam sibi credi, et per ipsam se quæri voluisset, humillimo genere loquendi usus, ut omnes populos alliceret. Si qua vero Scripturæ loca nondum animo perciperet, hanc sententiarum caliginem ad sacramentorum altitudinem referendam esse facile intelligebat : qua occasione sic Deum alloquitur : *Cogitabam hæc, et aderas mihi ; suspirabam, et audiebas me ; fluctuabam, et gubernabas me ; ibam per viam sæculi latam, nec deserebas* (*Ibid.*, *n.* 8). Eo vero promptius Scripturis sacris primas auctoritatis deferendas esse judicabat, quo variæ illæ pugnantesque invicem variorum philoso-

phorum sententiæ, quibus ingenium imbuerat, insitam opinionem, qua et Deum esse, et rerum humanarum administrationem ad eum pertinere credebat, ejus animo nunquam depulerunt. *Id credebam*, ait, *aliquando robustius, aliquando exilius; semper tamen credidi, et esse te, et curam nostri gerere; etiamsi ignorabam vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te* (*Ibid*). Hærebant insuper animo timor mortis, futuri divini judicii formido, spes immortalitatis, atque actæ vitæ meritorum futura dispunctio ac merces nulla opinionum diversitate ejus pectore submotæ : quibus veluti frenis coercitum se, atque a profundiore obscenarum voluptatum gurgite revocatum scribit (*Ibid.*, *cap.* 16, *n.* 26).

5. Etsi vero Deum cogitatione non complecti aliter posset, quam ceu nobilissimum aliquod corpus immensa mole quaquaversum diffusum, extensumque; incontaminabilem tamen, incorruptibilem, ac nulla ex parte mutabilem ejus, quæcumque tandem illa esset, naturam inconcusse tenebat (*Ibid.*, *lib.* 7, *cap.* 1, *n.* 2). Quo insanius delirare arbitrabatur Manichæos, qui divinam substantiam malo patiendo obnoxiam, quam suam ipsorum malo perpetrando ream teneri, satius existimarent (*Ibid.*, *cap.* 3, *num.* 4). Nihilominus tamen quænam esset mali origo, nondum dilucide perspicere poterat. Occurrebat interea quidem solerti animo, quod identidem auditu accipiebat, liberum voluntatis arbitrium, ejus quod faceremus, rectum vero Dei judicium, ejus quod pateremur, mali causas esse; sed nec liquido intelligere poterat cur ita res se haberet : etsi enim sentienti se libero pollere voluntatis arbitrio, nonnihil lucis oboriretur, quo illud esse fontem eorum peccatorum, quæ libens ac volens admisisset, non difficulter agnosceret; attamen rursus inextricabilis erat quæstio, unde libero arbitrio a Deo optimo condito insita ad malum proclivitas esset; unde illi male velle, et bene nolle (*Ibid.*, *n.* 5). His ac consimilibus cogitationum æstibus exagitatus, curis conficiebatur excruciabaturque eo magis, quo eas familiaribus suis minus explicare atque explicando partiri poterat. Sed tacita illa cordis tormenta erant velut clarissimæ voces, quæ divinæ misericordiæ solium pulsabant. Sua tamen eum arrogantia inde removebat; et qui faciem ejus inflaverat tumor, sic oculos claudebat, ut veritatis lucem admittere non posset (*Ibid.*, *cap.* 7, *n.* 11). *Tu Domine*, inquit, *stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses. Et residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesque conturbata et contenebrata mentis meæ, acri collyrio salubrium dolorum de die in diem sanabatur* (*Ibid.*, *cap.* 8, *n.* 12).

6. Ad id plurimum ipsi subsidii contulit lectio quorumdam librorum Platonis et ejus sectatorum, qui a Victorino urbis Romæ rhetore clarissimo latine redditi, per quemdam hominem præter modum arrogantem et elatum, in ejus manus venerunt (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 13). Nam cum cæteri philosophi, qui solis rebus corporeis inhærentes non altius assurgunt, fallaciarum et deceptionum pleni sint; Platonici cunctis suis ratiocinationibus mentem ad cognitionem Dei et Verbi ejus æterni conantur evehere. Reipsa in eorum libris reperit, non iisdem quidem verbis, quidquid Joannes ipse Evangelii sui exordio de Verbi gloria, et quod Paulus de ejusdem æqualitate cum Patre, docent. Ibidem reperit Filium Patri suo esse coæternum, ante omnia et supra omnia tempora incommutabiliter permanere : animas de plenitudine ejus accipere, ut beatæ sint, et participatione manentis in se Sapientiæ renovari, ut sint sapientes. *Inde admonitus*, inquit, *redire ad memetipsum, intravi in intima mea, duce te; et potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem incommutabilem; non hanc vulgarem et conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram; sed superior, quia ipsa fecit me; et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem novit eam : et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam* (*Ibid.*, *cap.* 10, *n.* 16). Postea fuse ac mirifice describit, quo pacto ad cognoscendam æternam veritatem, creaturarum conditionem ac statum, veram quoque mali originem, divinitus fuerit illustratus. Nec vero in solis Platonicorum libris reperit, cum de Deo et de anima cogitaretur, nihil omnino corporis esse cogitandum : id ipsum didicit ex sermonibus sacerdotis Ambrosii, et Mallii Theodori, viri non eruditi modo, sed etiam religione christiani. Hic ipse est haud dubie, qui consulatum gessit anno trecentesimo nonagesimo nono. Ubi fuse retulit Augustinus, qua ratione per Platonicorum libros a Deo fuerit edoctus, hæc subjungit : *Mirabar quod jam te amabam, non pro te phantasma. Et non stabam frui Deo meo, sed rapiebar ad te decore tuo, moxque deripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu : et pondus hoc, consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui, neque ullo modo dubitabam esse cui cohærerem; sed nondum esse me qui cohærerem* (*Ibid.*, *cap.* 17, *n.* 23). Quærebat itaque viam, qua idoneum ad fruendum Deo robur sibi compararet, nec inveniebat nisi in cognitione et amore Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi Dei et hominis. Verum neque Jesum Christum tenebat humilem, qui humilis non erat; neque cujus rei magistra esset ejus infirmitas, noverat. Præterquam quod non aliud de Domino Christo sentiebat, nisi eum esse hominem cæteris similem, ex corpore, anima et mente rationali constantem, excellente solummodo sapientia præditum, cui nullus possit æquari : quem Deus singulari erga nos providentia ex Virgine mirabiliter nasci, summamque in universos auctoritatem et magisterium obtinere voluerat, ut ejus exemplo, ad immortalitatem adipiscendam, temporalia contemnere disceremus. Quid autem sacramenti lateret sub hisce verbis, *Verbum caro factum est* (*Joan.* 1, 14), ne le-

viter quidem suspicari poterat : nec nisi aliquanto posterius didicit, qua ratione super hoc mysterio catholica veritas ab errore Photini discreparet. In libris quidem Platonicorum majestatem et divinitatem Verbi repererat : sed nihil de illius depressione, nihil de incarnatione, nihil de ejusdem morte et cruce legerat.

7. Quo plus autem operæ ac laboris consumpserat Augustinus in investiganda veritate, eo postmodum teneriori commiserationis sensu afficiebatur erga eos, quibus id beneficii Deus nondum contulerat. Sic enim Manichæos compellat : *Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremo, illi in vos sæviant, qui nunquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem qui diu multumque jactatus tandem respicere potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur; qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus erroribusque collectas vix miser merui Domino opitulante convincere; qui me ad detergendam caliginem mentis tam tarde clementissimo medico vocanti blandientique subjeci; qui diu flevi ut incommutabilis et immaculabilis substantia, concinentibus divinis Libris sese mihi persuadere intrinsecus dignaretur; qui denique omnia illa figmenta, quæ vos diuturna consuetudine implicatos et constrictos tenent, et quæsivi curiose, et attente audivi, et temere credidi, et instanter quibus potui persuasi, et adversus alios pertinaciter animoseque defendi, sævire in vos omnino non possum, quos sicut me ipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et cæcus errarem* (*Contra Epist. Manichæi, nn.* 2, 3).

## CAPUT IV.

1 *Sic veritatem consectatur Augustinus, ut nihilominus terrenis adhuc inhiet.* 2 *Ex mendico jocante et lætante, miseriam ambitiosorum intelligit.* 3 *In eligendo vitæ genere fluctuat.* 4 *Concubina ab se, ut uxorem ducat, dimissa, aliam assumit.* 5 *De vitæ communitate ineunda consilium frustra cum amicis habitum.* 6 *Ejus amorem erga sapientiam augent Platonici.* 7 *Plurimum proficit ex Apostoli lectione.*

1. Non sola ignoratio veri obstabat quominus in philosophiæ sinum celeriter evolaret Augustinus : conjugii adhuc et honoris illecebra detinebatur. Utrumque vero primum consequi ac tum demum totis velis omnibusque remis ad hunc securum portum properare, ibique conquiescere peroptabat. In hæc aliquando verba erumpebat, familiares suos compellans : *Quid cunctamur, relicta spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum et vitam beatam? Sed exspecta : jucunda sunt etiam ista, habent non parvam dulcedinem suam : non facile ab eis præcidenda est intentio; quia turpe est ad ea rursum redire. Ecce jam quantum est, ut impetretur aliquis honor? et quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum majorum copia : ut nihil aliud, et multum festinemus, vel præsidatus dari potest : et ducenda uxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum gravet; et ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri et imitatione dignissimi sapientiæ studio cum conjugibus dediti fuerunt* (*Confess. lib.* 6, *cap.* 11, *n.* 19). Nimis enim se miserum fore arbitrabatur, si cœlibem vitam duceret. Hinc episcopum Ambrosium, qui ab ipsis orbis principibus impense coleretur, felicem secundum sæculum reputabat : unus illius cœlibatus ei laboriosus et molestus videbatur; cum quod ille spei gereret, quid adversus ipsius excellentiæ tentamenta luctaminis, quidve solaminis in adversis haberet, et quam sapida essent ejus gaudia, ne conjicere quidem posset (*Ibid., cap.* 3, *n.* 3). Honoribus igitur, opibus, conjugio inhiabat (*Ibid., cap.* 6, *n.* 9). Verum Deus illius vota deludens, in ipso cupiditatum æstu, amarissimis eum difficultatibus cruciabat, tanto magis propitius, quanto minus ei aliquid extra se dulcescere sinebat, ut omnibus posthabitis ad ipsum converteretur.

2. Notat ipse, qua data occasione miseriam perspicue suam intellexerit, cum ad panegyricum se compararet, Valentiniano juniori Augusto dicendum. Loquitur alibi de panegyri, quam pro sua rhetoricæ artis professione in frequentissimo consessu kalendis januariis habuerat (*Cont. Litt. Petil., lib.* 3, *n.* 30) : sed ea oratio panegyrica Bautoni tum consuli anno trecentesimo octogesimo quinto, dicta fuit. De hoc autem Imperatoris panegyrico sic loquitur : *Cum pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, et mentienti faveretur ab scientibus, easque curas anhelaret cor meum, et cogitationum tabificarum febribus æstuaret; transiens per quemdam vicum Mediolanensem, animadverti pauperem mendicum, jam credo saturum, jocantem atque lætantem : et ingemui, et locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum; quia omnibus talibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, et trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud nisi ad securam lætitiam pervenire, quo nos mendicus ille jam præcessisset, nunquam fortasse illuc venturos! Quod enim jam ille pauculis et emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus et circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed et ego illis ambitionibus multo falsius quærebam* (*Conf. lib.* 6, *cap.* 6, *n.* 9). Hæc erat gemituum, in quos ipse cum amicis erumpebat, assidua materies; de qua et frequentius atque confidentius cum Alypio et Nebridio colloquebatur. Nebridius enim matre, patria, prædiis relictis, Carthagine Mediolanum non aliam ob causam se contulerat, quam ut Augustino conviveret, et pariter cum eo ad veritatis ac sapientiæ indagationem omni studio incumberet, beatæ vitæ inquisitor

ardens, et quæstionum difficillimarum scrutator acerrimus. *Erant*, ait Augustinus, *ora trium egentium, et inopiam suam sibimet invicem anhelantium, et a te exspectantium ut dares eis escam in tempore opportuno. Et in omni amaritudine, quæ nostros sæculares actus de misericordia tua sequebatur, intuentibus nobis finem cur ea pateremur, occurrebant tenebræ; et aversabamur gementes, et dicebamus : Quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebamus; et dicentes non relinquebamus ea : quia non elucebat certum aliquid quod illis relictis apprehenderemus* (*Ibid.*, *cap.* 10, *n.* 17).

3. *Et ego*, subjicit Augustinus, *maxime mirabar, satagens et recolens quam longum tempus esset ab undevigesimo anno ætatis meæ, quo fervere cœperam studio sapientiæ, disponens ea inventa relinquere omnes vanarum cupiditatum spes inanes et insanias mendaces : et ecce jam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans, aviditate fruendi præsentibus, fugientibus et dissipantibus me, dum dico : Cras inveniam; ecce manifestum apparebit, et tenebo* (*Ibid.*, *cap.* 11, *n.* 18). Pergit sub hæc eximie describere, quibus ipse dubiis distraheretur circa vitæ genus, quod sibi foret ad inquirendam veritatem opportunum eligendumque. Ipsi quippe lumen veritatis vix primum affulserat hoc tempore, quo videlicet nondum Platonicorum libros legerat. In hoc multiplici æstu motuum et cogitationum, quibus simul jactabatur, et navis instar contrariis ventis abreptæ, huc atque illuc impellebatur, effluebant tempora, et ipse semper animi dubius suam quotidie conversionem procrastinabat. Beatæ vitæ amans, eam in ejus ipsius sede, quæ est rerum omnium contemptio ad inhærendum uni Deo, sic timebat, ut eamdem cum quæreret, fugeret (*Ibid.*, *n.* 20). Infirmitatis suæ conscius, et gratiæ vim nondum expertus, inducere animum non poterat, ut cœlibem vitam coleret. Alypius castissimus adolescens omni studio enitebatur, quo eum averteret à conjugio; cum causaretur fieri nullatenus posse, si uxorem duceret, ut tranquillam vitam simul in amore sapientiæ degerent, sicut jam pridem expetebant. *At deligatus morbo carnis, mortifera suavitate*, inquit, *trahebam catenam meam, solvi timens, et quasi concusso vulnere repellens verba bene suadentis, tanquam manum solventis.* Hinc Alypius, qui de Augustini ingenio bene existimabat, curiositate stimulatus et ipse, conjugium expetere; et aliena servitute obstupefactus, in eamdem ultro propendere (*Ibid.*, *cap.* 12, *nn.* 21, 22).

4. Cum itaque sic animo constitutus Augustinus esset, nihil mirum si Monnica dabat operam, ut ante susceptum Baptisma, ad quod illum se in dies comparare gaudebat, matrimonio jungeretur (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 23), ne scilicet post sacram regenerationem incontinentiæ periculo foret adhuc obnoxius. Deum illa frequenter oravit, etiam a filio sollicitata, ut sibi de hoc matrimonio aliquid per visum indicaret; sed nunquam exoravit. Quæsita tamen est puella, transactumque negotium : verum cum illa nonnisi post biennium nubilis futura esset, placuit idoneum tempus exspectari, quod illa conditio non spernenda videretur. Interim cum illius concubina impedimentum afferret conjugio, ab ipsius latere avulsa est. In Africam illa rediit, vovens Deo alium se virum nesciturum. At ille ne mulierculam quidem virili animo imitari valuit : et cum biennium præstolari non posset, in locum illius quæ discesserat, aliam ascivit (*Ibid.*, *cap.* 15, *n.* 25); quasi animæ suæ morbum aut semper producere, aut proritare statueret. Nec ipse diffitetur, se à profundiore libidinum gurgite, solo mortis et divini judicii metu fuisse revocatum : *Qui metus*, ait, *per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo* (*Ibid.*, *cap.* 16, *n.* 26). Cum de finibus bonorum et malorum cum Alypio et Nebridio interdum disputaret, dicebat se daturum fuisse palmam Epicuro, nisi credidisset ipse, quod Epicurus credere noluit, post mortem restare animæ vitam et tractus meritorum. Qua mente suam ipse miseriam satis aperte monstrabat, seque cœlestis illius pulchritudinis, quæ propter se adamanda est, purissimum lumen non posse perspicere.

5. *Multi amici*, ait, *agitaveramus animo, et colloquentes, ac detestantes turbulentas humanæ vitæ molestias, pene jam firmaveramus remoti a turbis otiose vivere : id otium sic moliti, ut si quid habere possemus, conferremus in medium, unamque rem familiarem conflaremus ex omnibus : ut per amicitiæ sinceritatem non esset aliud hujus, et aliud illius; sed quod ex cunctis, fieret unum, et universum singulorum esset, et omnia omnium.... Placuerat nobis, ut bini annui, tanquam magistratus, omnia necessaria curarent, cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit cogitari, utrum hoc mulierculæ sinerent, quas et alii nostrum jam habebant, et nos habere volebamus, totum illud placitum quod bene formabamus, dissiluit in manibus atque confractum et abjectum est. Inde ad suspiria et gemitus, et gressus ad sequendas latas et tritas vias sæculi, quoniam multæ cogitationes erant in corde nostro; consilium autem tuum manet in æternum. Ex quo consilio deridebas nostra, et tua præparabas, nobis daturus escam in opportunitate, et aperturus manum tuam, atque impleturus animas nostras benedictione* (*Ibid.*, *cap.* 14, *n.* 24). Congregandi videbantur circiter decem, quibus hæc vitæ societas arridebat : inter quos erant quidam prædivites, Romanianus in primis Augustino a teneris familiarissimus; nec erat qui hanc vitæ communitatem aut eo ardentius expeteret, aut ad eam suadendam majori auctoritate polleret, cum res ei familiaris amplior quam cæteris esset. Id temporis Mediolani degebat, ut intentas sibi a præpotente adversario lites persequeretur, quibus quidem eum divina providentia quodam somno hujus vitæ veternoque sopitum excitabat. De hoc fortasse vitæ communis consilio, quod inierant, cum eo agit Augustinus, dum sic illum alloquitur : *Quidquid de otio meo modo gaudeo, quod a superfluarum cupiditatum vinculis evolavi, quod depositis oneribus mortuarum curarum, respiro, resipisco, redeo ad me, quod quæro intentissimus veritatem, quod invenire jam ingredior, quod me ad summum ipsum modum perventurum esse confido; tu animasti, tu impulisti, tu*

*fecisti. Cujus autem minister fueris, plus adhuc fide concepi, quam ratione comprehendi. Nam cum præsens præsenti tibi exposuissem interiores motus animi mei, vehementerque ac sæpius assererem, nullam mihi videri prosperam fortunam, nisi quæ otium philosophandi daret; nullam beatam vitam, nisi qua in philosophia viveretur; sed me tanto meorum onere, quorum ex officio meo vita penderet, multisque necessitatibus, vel vani mei pudoris, vel ineptæ meorum miseriæ, refrenari: tam magno es elatus gaudio, tam sancto hujus vitæ inflammatus ardore, ut te diceres, si tu ab illarum importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia mea vincula etiam patrimonii tui mecum participatione rupturum. Itaque cum admoto nobis fomite discessisses, nunquam cessavimus inhiantes in philosophiam, atque illam vitam, quæ inter nos placuit atque convenit, prorsus nihil aliud cogitare. Atque id constanter quidem, sed minus acriter agebamus; putabamus tamen satis nos agere. Et quoniam nondum aderat ea flamma, quæ summa nos arreptura erat; illam qua lenta æstuabamus, arbitrabamur vel esse maximam* (*Contra Acad., lib.* 2, *nn.* 4, 5).

6. Post hæc legit Platonicorum libros, ut hisce verbis testatur: *Cum ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celsinus, bonas res arabicas ubi exhalarunt in nos, ubi illi flammulæ instillarunt pretiosissimi unguenti guttas paucissimas, incredibile, Romaniane, incredibile et ultra quam de me fortasse et tu credis; quid amplius dicam? etiam mihi ipsi de me ipso incredibile incendium concitarunt. Quis me tunc honor, quæ hominum pompa, quæ inanis famæ cupiditas, quod denique hujus mortalis vitæ fomentum atque retinaculum commovebat* (*Ibid., n.* 5)? Cæterum tam incredibile istud incendium, quantumcumque erat, nunquam Augustinum sic afficeret, ut is ad sapientiæ cultum a vitæ pravitate converteretur, nisi aliæ quoque commoverent eum causæ præter philosophorum sermones, qui ad erigendum cor hominis in Deum haud vim ullam habent, non adjuvante Christo mediatore. Hinc alio loco, ubi Platonicorum lectionem ad frangenda vincula, quibus sæculo illigabatur, plurimum sibi profuisse dicit, simul testatur, hunc se fructum percepisse collata cum iisdem auctoritate illorum qui divina mysteria tradiderunt, puta, Prophetarum et Apostolorum (*De Beata Vita, n.* 4). Deinde quamvis in philosophorum libris sublimia quædam deprehendisset, ex his tamen solummodo garrire didicerat, quasi jam peritus evasisset; qui nihilominus nisi in Christo Salvatore nostro viam Dei quæreret, non peritus, ut loquitur, sed periturus esset (*Conf. lib.* 7, *cap.* 20, *n.* 26). Jam inde enim cœperat, licet peccatorum pœnis ac mole oppressus, eruditionis famam aucupari, et doctrinæ opinione inflatus magis efferri, de diluendis interea peccatis minime cogitans. Erat ergo id temporis ex eorum numero, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt (*Rom.* 1, 21). Is, ut videtur, status est ab eo expressus in libro de Beata Vita, quem statim a sua conversione composuit, in quo ubi mortales omnes velut in procelloso mari, ex quo ad philosophiæ portum appellere debeant, fluctuantes exhibuit, præclare admonet, quibusdam qui quocumque modo ad beatæ vitæ regionem feruntur, unum immanissimum montem, qui ante ipsum portum constitutus sit, quique etiam magnas ingredientibus gignat angustias, vehementissime formidandum, cautissimeque vitandum esse. Neque hunc *montem alium vult intelligi ratio, propinquantibus ad philosophiam ingressisve metuendum, nisi superbum studium* (verba sunt Augustini) *inanissimæ gloriæ: quod ita nihil intus plenum atque solidum habet, ut inflatos sibi superambulantes succrepante fragili solo demergat ac sorbeat, eisque in tenebras revolutis, eripiat luculentissimam dominum, quam pene jam viderant* (*De Beata Vita, n.* 3).

7. In hunc se montem Augustinus Platonicorum libris evehi videbat, qui nunquam eum charitatem illam docere potuissent, quæ nostræ salutis ædificium ab humilitatis fundamento, quod est Christus Jesus, constituit stabilitque. Cum igitur ad se quamprimum redire cogitaret, mentis oculos conjecit in catholicam religionem, quæ puero sibi insita erat, et medullitus, ut dicit, implicata, quæve ipsum ad se vel nescientem revocabat (*Cont. Acad., lib.* 2, *n.* 5). *Verum in hos libros*, ait Augustinus, *me propterea, priusquam Scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere, ut imprimeretur memoriæ meæ, quomodo ex eis affectus essem: et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, et curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea, discernerem atque distinguerem quid interesset inter præsumptionem, et confessionem; inter videntes quo eundum sit, nec videntes qua, et viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed et habitandam. Nam si primo sanctis tuis litteris informatus essem, et in earum familiaritate obdulcuisses mihi, et postea in illa volumina incidissem; fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis, aut si in affectu, quem salubrem imbiberam, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset* (*Conf., lib.* 7, *cap.* 20, *n.* 26). Itaque sacros codices avidissime arripere, et divina illa Spiritus sancti oracula revereri: verum non alia magis quam Epistolarum Pauli apostoli lectione afficiebatur: et statim evanuerunt eæ difficultates, quibus in hanc opinionem ante fuerat adductus, ut cum quibusdam in locis pugnantia loqui, et illius verba Legis ac Prophetarum testimoniis non congruere putaret. Agnovit casta illa minimeque fucata eloquia uno Spiritu animari, eadem arcana complecti; et in iis suspiciendis exsultare cum tremore didicit. Primo etiam aspectu cognovit, quidquid in profanis libris verum legerat, in his inveniri: sed hos ita verum tradere, ut et gratiæ vim commendent, et variis nos mysteriis imbuant: quod illæ paginæ non habent, ut nec piæ illius humilitatis, quæ in sola christiana religione reperitur, notitiam ingenerant. Enimvero aliud est e summo silvestris et inculti montis cacumine patriam pacis aspicere, iter ad eam non reperire, ac frustra conari per invia circumobsistentibus desertoribus angelis: et aliud eam, quæ ad beatam illam patriam ducit, viam

bonorum Angelorum præsidio munitam tenere. Hæc miris et arcanis modis in illius animum, cum Apostolum legeret, alte descendebant; et admiranda Dei opera considerans stupore percellebatur (*Ibid.*, *cap.* 21, *n.* 27). Cum alibi Romanianum alloquitur : *Titubans*, ait, *properans*, *hæsitans*, *arripio apostolum Paulum. Perlegi totum intentissime atque cautissime. Tunc vero quantulocumque jam lumine asperso, tanta se mihi philosophiæ facies aperuit, ut, non dicam tibi, qui ejus incognitæ fame semper arsisti, sed si ipsi adversario tuo a quo nescio utrum plus exercearis quam impediaris, eam demonstrare potuissem ; næ ille et Baias, et amœna pomœria, et delicata nitidaque convivia, et domesticos histriones, postremo quidquid eum acriter commovet in quascumque delicias, abjiciens et relinquens, ad hujus pulchritudinem blandus amator et sanctus, mirans, anhelans, æstuans, advolaret* (*Cont. Acad.*, *lib.* 2, *nn.* 5, 6). Hæc insignis morum mutatio, quam sacrorum codicum lectio in Augustini animo peperit, non videtur contigisse ante paschalem festivitatem anni conversionis ejus, quam anno trecentesimo octogesimo sexto reponimus; imo nec ante junii exitum. Cum enim Ambrosium Justina circa festum Paschæ persequeretur, nondum Deus glaciem cordis ejus vitali Spiritus sui calore dissolverat; licet ipse turbatæ civitatis tumultu vehementer excitaretur (*Conf. lib.* 9, *cap.* 7, *n.* 15) : nec adhuc post Deum currebat, cum Ambrosius martyrum Protasii et Gervasii detexit corpora (*Ibid.*, *n.* 16), die junii, ut videtur, decimo octavo.

## CAPUT V.

1 *Rebus omnibus Dei causa renuntiare vult, nec valet.* 2 *Simplicianum consulit.* 3 *Antonii vitam narrante Pontitiano discit, simulque aulicorum duorum conversionem.* 4 *Conflictus in Augustini mente ac voluntate audito Pontitiano.* 5 *Pauli codicem insolitæ vocis monitu aperit, lectoque loco repente convertitur.*

1. Cum sacra Dei eloquia, ut diximus, Augustini animo penitus insiderent, non jam de illo certior, sed in illo stabilior esse cupiebat. Animi tamen pendebat, et quid de vitæ suæ instituto statueret, ignorabat. Cor ejus a veteri fermento, quo infectum fuerat, mundandum erat. Et licet gauderet ipsum Salvatorem viam esse, quæ nos ad salutem duceret, nihilominus tamen per hujus viæ angustias ire adhuc pigebat. Turbulentis sæculi negotiis adhuc se tum implicari ægre gravateque ferebat. Neque enim, ut ante, spes quæstus et honoris comparandi erigebant animum ad hanc molestissimam servitutem ferendam. Jam cum illa non oblectabant præ dulcedine, quam ex divino fonte sitienter hauriebat. Sed ei moram afferebat cura studiumque vitandi offensionem nonnullorum hominum, eorum forte, quorum liberos imbuebat ingenuis artibus. Conjugii præterea desiderio vehementer tenebatur; et ob id unum in cæteris languidus, curis animum corrodentibus tabescebat; quod nimirum vita conjugalis, ad quam tanta propensione ferebatur, varia secum traheret incommoda, quæ pati nolebat (*Conf lib.* 8, *cap.* 1, *nn.* 1, 2).

2. Sic affecto mentem Deus injecit, ut Simplicianum adiret, tunc spiritualem Ambrosii patrem, ejus deinde successorem. Elucebat in eo gratia Dei, cujus se cultui a juventute dediderat. In summa semper pietate vitam duxerat, tum ætate confectus. Quod Augustinum adduxit, ut crederet (et ita se res habebat) cum post tot annos in virtutis exercitatione transactos, spiritualis vitæ scientiam diuturno usu sibi comparasse. Huic igitur decrevit omnes sui animi æstus fluctusque detegere : ut sibi sic mente constituto Simplicianus modum, quem aptiorem duceret, ad viam Dei tenendam demonstraret. Eum itaque adiit, et errorum suorum anfractus eidem aperuit. Ubi audivit Simplicianus, eum Platonicorum libros a Victorino in latinum conversos legisse, gratulatus est; et inde arrepta occasione, ejusdem Victorini, quem Romæ familiarissime noverat, conversionem illi retulit. Hæc illi narrabat, ut eum ad humilitatis Jesu Christi, quæ absconditur sapientibus et revelatur parvulis, studium hortaretur, et ille se ad tanti viri, eadem in arte, quam ipse profitebatur, adeo illustris, imitationem accenderet : ac re quidem ipsa ad eum imitandum exarsit Augustinus. Cumque subjecisset Simplicianus, edicto Juliani prohibitos fuisse Christianos litteraturam et oratoriam artem docere, Victorinumque huic legi obsequentem scholæ suæ nuntium remisisse : *Non mihi*, ait Augustinus, *fortior quam felicior visus est*, *quia invenit occasionem vacandi tibi.* Mox in hæc verba erupit : *Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam, in me ipso experimento, id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.... (Galat.* v, 17). *Et non erat jam illa excusatio, qua videri mihi solebam, propterea nondum me contempto sæculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis : jam enim et ipsa certa erat, ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recusabam, et impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est* (*Confessionum lib.* 8, *cap.* 5, *nn.* 10, 11). Pergit adhuc vim tyrannidis, quam inveterata peccandi consuetudo in ipsum exercebat, graphice describere.

3. Sed tandem omnia ejus vincula disrupit Deus, visibili simul et invisibili miraculo. Solitæ illius curæ et sollicitudines magis ac magis in dies recrudescebant : Deo continenter suspirabat : ecclesiam frequentabat, quantum ipsi licebat per negotia, sub quorum pondere gemebat. *Quodam die*, inquit, *venit ad me et*

*Alypium Pontitianus quidam civis noster in quantum Afer, præclare in palatio militans : nescio quid a nobis volebat. Et consedimus ut colloqueremur, et forte supra mensam lusoriam quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, invenit apostolum Paulum, inopinate sane : putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum vero arridens meque intuens, gratulatorie miratus est quod eas et solas præ oculis meis litteras repente comperisset. Christianus quippe et fidelis erat, et sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in ecclesia crebris et diuturnis orationibus. Cui ego cum indicassem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio Ægyptio monacho, cujus nomen excellenter clarebat apud servos tuos ; nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, et admirans eamdem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, et prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide recta et cathólica Ecclesia. Omnes mirabamur : et nos, quia tam magna erant ; et ille, quia inaudita nobis erant. Inde sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, et mores suaveolentiæ tuæ, et ubera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore ; et non noveramus. Pertendebat ille et loquebatur adhuc, et nos intenti tacebamus. Unde incidit ut diceret, nescio quando se et tres alios contubernales suos, nimirum apud Treveros, cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos ; atque illic ut forte combinati spatiabantur, unum secum seorsum, et alios duos itidem seorsum pariterque digressos : sed illos vagabundos irruisse in quamdam casam, ubi habitabant quidam servi tui, spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum (Matth. v, 3), et invenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonii. Quam legere cœpit unus eorum, et mirari, et accendi, et inter legendum meditari arripere talem vitam, et relicta militia sæculari servire tibi : erant autem ex eis quos dicunt Agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto et sobrio pudore, iratus sibi conjecit oculos in amicum, et ait illi : Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? quid quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quando istuc erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, et turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus ubi tu videbas, et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, et discrevit, decrevitque meliora ; jamque tuus, ait amico suo : Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui ; et hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socium tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia sua, et sequendi te (Luc. XIV, 26-35). Tum Pontitianus, et qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos devenerunt in eumdem locum, et invenientes admonuerunt ut redirent, quod declinasset dies. At illi narrato placito et proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiverunt ne sibi molesti essent, si adjungi recusarent. Isti autem nihilo mutati a pristinis, fleverunt se tamen, ut dicebat, atque illis pie congratulati sunt, et commendaverunt se orationibus eorum ; et trahentes cor in terra abierunt in palatium ; illi autem affigentes cor cœlo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas : quæ posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem tibi (Conf. lib. 8, cap. 6, nn. 14, 15).*

4. Narrante hæc Pontitiano, prosequitur Augustinus. *Tu autem, Domine, inter verba ejus retorquebas me ad me ipsum ; auferens me a dorso meo ubi me posueram, dum nollem me attendere ; et constituebas me ante faciem meam, ut viderem quam turpis essem, quam distortus et sordidus, maculosus et ulcerosus. Et videbam, et horrebam ; et quo a me fugerem non erat. Et si conabar a me avertere aspectum, narrabat ille quod narrabat, et tu me rursus opponebas mihi, et impingebas me in oculos meos, ut invenirem iniquitatem meam et odissem. Noveram eam, sed dissimulabam ; et connivebam et obliviscebar. Tunc vero quanto ardentius amabam illos, de quibus audiebam salubres affectus, quod se totos tibi sanandos dederant, tanto exsecrabilius me comparatum eis oderam. Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forte duodecim anni, ex quo ab undevicesimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ ; et differebam contempta felicitate terrena ad eam investigandam vacare... Ita rodebar intus, et confundebar pudore horribili vehementer, cum Pontitianus talia loqueretur. Terminato autem sermone et causa qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur ; recusabat, et non se excusabat. Consumpta erant et convicta argumenta omnia, remanserat muta trepidatio ; et quasi mortem reformidabat restringi a fluxu consuetudinis quo tabescebat in mortem. Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tam vultu quam mente turbatus, invado Alypium et exclamo : Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, et cœlum rapiunt ; et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi, et non pudet nec saltem sequi? Dixi nescio quæ talia, et abripuit me ab illo æstus meus, cum taceret attonitus intuens me. Neque enim solita sonabam, plusque loquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quam verba quæ promebam. Hortulus quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur, sicut tota domo. Nam hospes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abstulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem, quam mecum aggressus eram, donec exiret qua tu sciebas ; ego autem non : sed tantum insaniebam salubriter, et mo-*

*riebar vitaliter, gnarus quid mali essem, et ignarus quid boni post paululum futurus essem. Abscessi ergo in hortum, et Alypius pede post pedem. Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat : aut quando me sic affectum desereret? Sedimus quantum potuimus remoti ab ædibus. Ego fremebam spiritu, indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum et pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, et in cœlum tollebant laudibus.... Si vulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu ; quia volui feci. Potui autem velle et non facere, si mobilitas membrorum non obsequeretur. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle quod posse : et non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et mox ut vellem possem ; quia mox ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea quæ voluntas, et ipsum velle jam facere erat* (*Ibid., cap.* 7, *n.* 18; *cap.* 8, *nn.* 19, 20). Multis deinde docet pugnam in hominis ad Deum redire, cupientis voluntate inde oriri, quod voluntas a se ipsa dissidens, plena non sit in eo quod imperat; non autem quod duarum mentium duæ sint naturæ invicem contrariæ, ut falso asserebant Manichæi. Refert postea quomodo hinc voluptates turpiter lenocinantes cunctantem retardabant ; illinc autem casta dignitas continentiæ honeste blandiens attraheret ; cum interim Alypius ejus lateri affixus, tam insoliti motus exitum tacitus opperiretur.

5. Sed tandem conversionis suæ miraculum his verbis exponit : *Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit, et congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alypio. Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur ; et secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Sic tunc eram, et ille sensit : nescio quid enim puto dixeram, in quo apparebat sonus vocis meæ jam fletu gravidus, et sic surrexeram. Mansit ergo ille ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia, multa dixi tibi : Et tu, Domine, usquequo ? usquequo, Domine, irasceris in finem ? ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim eis me teneri, jactabam voces miserabiles : Quamdiu, quamdiu cras et cras? Quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ ? Dicebam hæc, et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, et crebro repetentis, quasi pueri an puellæ, nescio : Tolle, lege ; tolle, lege. Statimque mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid ; nec occurrebat omnino audivisse me uspiam. Repressoque impetu lacrymarum, surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, et legerem quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit tanquam sibi diceretur quod legebatur, « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus ; et habebis thesaurum in cœlis : et veni, sequere me » (*Matth.* XIX, 21) ; et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alypius : ibi enim posuerum codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei : « Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione ; sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis » (*Rom.* XIII, 13, 14). Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto aut digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alypio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit : Petit videre quid legissem : ostendi ; et attendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero : « Infirmum autem in fide recipite » (*Rom.* XIV, 1). Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius jam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur : indicamus ; gaudet. Narramus quemadmodum gestum sit, exsultat et triumphat ; et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quærerem, nec aliquam spem sæculi hujus...* (*Confess. lib.* 8, *cap.* 12, *n.* 28-30). *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum ! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas ; ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior* (*Ibid., lib.* 9, *cap.* 1, *n.* 1).

## CAPUT VI.

*1 Quare magisterii sui onus non ante vindemiales ferias prope instantes abjiciat. 2 In Verecundi villam cum amicis secedit.*

1. Uni jam Deo vivere gestiens Augustinus faciendum sibi putavit quam primum, ut publicæ professionis onus poneret. Verum ad id vindemiales ferias, quæ opportune imminebant, opperiri visum est, quod non plures quam viginti circiter dies ad eas usque superessent, quibus elapsis jam solemni more abscedens nuntium rhetoricæ magisterio sine strepitu remitteret. *Quin etiam*, inquit ipse, *quod ipsa æstate litterario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, et difficulter trahere suspiria, doloribusque pectoris testari se saucium, vocemque clariorem productioremve recusare, primo perturbaverat me, quia magisterii illius sarcinam pene jam necessitate deponere cogebat ; aut si curari et convalescere potuissem, certe intermittere. Sed ubi plena voluntas vacandi et videndi quoniam tu es Dominus, oborta*

*mihi est atque firmata ; nosti, Deus meus, etiam gaudere cœpi, quod hæc quoque suberat non mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret, qui propter liberos suos me liberum esse nunquam volebant* (*Confess. lib.* 9, *cap.* 2, *n.* 2-4). In hunc pectoris morbum sui secessus causam refundit in prioribus libris tum a se scriptis, ea quæ sibi in horto evenerant, silentio prætermittens (*Contra Academicos, lib.* 1, *n.* 3; *de Beata Vita, n.* 4; *de Ordine, lib.* 1, *n.* 5), ex eadem haud dubie animi modestia, qua suum propositum nonnisi familiarissimis communicare, atque cæteris clausum tenere constituit (*Conf. lib.* 9, *cap.* 2, *n.* 2). Cor ejus sat alte amoris divini sagittis confixum erat, et ignitis carbonibus sat valide communitum, ut subdolas eorum linguas non timeret, qui pravis eum sermonibus a proposito deterrere voluissent. Quid, quod sanctorum hominum exempla, quibus ad serviendum Deo excitatus erat, tam ardentes ei faces subjiciebant, ut contrarius obtrectationis flatus accensum in ejus animo ignem acrius inflammare posset, non extinguere? Verum ut defuturi non erant boni, qui ejus consilium laudarent: sic jactantiæ simile illi videbatur, si ante litterarias ferias, quæ appetebant, professionem rhetoricam abjiceret ; omnia in se ora conversurus, qui hanc immaturam magisterii abdicationem ostentationi palam tribuere potuissent. Tot vero temerariis judiciis et falsis sermonibus ansam dare, causamve tam sancti operis arguendi præbere, et inquirendi quonam id animo faceret, a prudentia videbatur alienum (*Ibid.*, *n.* 3). Toleravit igitur illud temporis intervallum, donec decurreret; quod exiguum licet, ægre tamen toleravit. Jam enim recesserat illa gloriæ cupiditas, quæ in partem oneris cum eo venire consueverat : et solus illud sustinere coactus, succubuisset ponderi, nisi in pristinæ ambitionis locum patientia subsidio venisset. Quantumvis prudenter in hoc se negotio gesserit, non audet tamen ab omni se culpa vacuum asserere, quod firmum Deo serviendi propositum amplexus, adhuc in cathedra mendacii vel breve tempus sedere se passus fuerit (*Ibid.*, *n.* 4).

2. De Augustini proposito bono macerabatur anxietudine Verecundus (*Ibid.*, *cap.* 3, *n.* 5), familiaris ejus, civis et grammaticus Mediolanensis (*Ibid.*, *lib.* 8, *cap.* 6, *n.* 13) ; cujus cum in omnes, tum vero in Augustinum erat benevolentia singularis (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 5) : scilicet ægre admodum ferebat, quod multis sæculi laqueis irretitus, se tam jucunda societate prope diem orbandum videret. Nondum christianus erat : et licet uxorem fidelem duxisset, ea tamen arctissima compede ab itinere, quod inibant amici, retardabatur. Illud siquidem alia lege nolebat aggredi, quam ea, qua minime poterat ; nempe ut se ab uxore sua disjungeret, quo terrenis omnibus dimissis totum se Deo manciparet. Quapropter eum Augustinus et Alypius solabantur, et ut in vita conjugali, qua implicatus erat, Deo serviret, hortabantur. Nihil de Verecundi erga eos benevolentia mœror animi detraxit. Villam suam Cassiciacum eis benigne obtulit, ut quamdiu ibi morarentur, in ea degerent. Oblatam illi sedem grato animo susceperunt. Hinc Augustinus in ea villa residens, per jocum dixit, se incuriose uti grammaticorum verbis, qui res suas ipsi ad utendum dedissent (*De Beata Vita, n.* 31). *Retribues illi, Domine,* ait Augustinus, *in resurrectione justorum, quia jam ipsam sortem retribuisti ei. Quamvis enim absentibus nobis, cum Romæ jam essemus, corporali ægritudine correptus, et in ea christianus et fidelis factus, ex hac vita emigravit : ita misertus es non solum ejus, sed etiam nostri, ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem, nec eum in grege tuo numerantes, dolore intolerabili cruciaremur. Gratias tibi, Deus noster, tui sumus ; indicant hortationes et consolationes tuæ : fidelis promissor, reddes Verecundo, pro rure illo ejus Cassiciaco, ubi ab æstu sæculi requievimus in te, amœnitatem sempiterne virentis paradisi tui ; quoniam dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi* (*Conf. lib.* 9, *c.* 3, *n.* 5). Hæc itaque Verecundi villa inter montes sita fuisse videtur. Effluxerunt tandem dies illi, qui ad litterarias ferias supererant; illi nimirum dies, qui præ amore libertatis otiosæ ad requirendum vultum Dei, et longi et multi Augustino videbantur. Illuxit igitur dies, quo rhetoricæ professionem reipsa deseruit, et quo linguam ejus eruit Deus, unde cor illius prius eruerat (*Ibid.*, *cap.* 4, *n.* 7). Sic lætus et Deo gratias habens statim cum omnibus suis, hoc est, Monnica matre, Navigio fratre, Trygetio et Licentio discipulis, Lastidiano et Rustico consobrinis, Adeodato filio et Alypio, se ad villam Verecundi contulit (*De Beata Vita, n.* 6).

## CAPUT VII.

1 *De anno in quo conversio Augustini contigit, controversia unde potissimum exorta.* 2 *Anno* 387 *illam adscribunt opiniones duæ, quibus alio atque alio detorquentur Possidii Augustinique hanc in rem dicta.* 3 *Nihil obstare quominus hisce dictis in germano sensu acceptis illum anno* 386 *conversum, eumdemque anno* 387 *baptizatum asseramus.* 4 *Huic sententiæ robur accedit ex quodam Augustini loco, comparato cum tempore quo Ambrosius exagitabatur ab Justina.* 5 *Diluitur contraria argumentatio petita ab observatione temporis, quo Imperatori laudes recitavit.* 6 *Opinio quædam conversionem Augustini ponens anno* 385 *minime probabilis.*

1. Paucos adhuc in ea villa dies transegerat, cum libros suos de Academicis exorsus (*Contra Academicos, lib.* 1, *n.* 4), eos intermisit, ut librum de Beata Vita scriberet (*Retractationum lib.* 1, *cap.* 2), tridui opus, ipso natalitio illius die incœptum (*De Beata Vita, n.* 6), qui in idus novembris incidebat. Itaque secessus ejus in villam Cassiciacum nonnisi mense octobri ejusque conversio septembri, aut saltem exeunte augusto videtur contigisse : Mediolani enim, prælectionibus suis absolutis, aliquot adhuc dies potuit commorari. Tunc vero temporis trigesimum et tertium ætatis annum agebat, ut ipsemet testatur sub finem librorum, quos de Academicis scripsit (*Contra Acad., lib.* 3, *n.* 43), et post idus novembres absolvit. Id ipsum asserit in Soliloquiorum libris (*Soliloquiorum lib.* 1, *n.* 17), quos

sub idem tempus edidit. Et cum Monnica mater paulo post ejus Baptismum ex hac vita migravit, nondum trigesimum et tertium ætatis annum exegerat (*Conf. lib.* 9, *cap.* 11, *n.* 28). His ita constitutis conficitur, eum trigesimo secundo ætatis suæ anno exeunte fuisse conversum; anno autem trigesimo tertio baptizatum, octo aut novem post conversionem mensibus, cum Baptisma in Paschali solemnitate susceperit. Jam autem Possidius annos eum sex et septuaginta natum obiisse tradit (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 31): nullusque in dubium revocat ejus obitum in quintum kalendas septembris anni quadringentesimi trigesimi, juxta Prosperi chronicon incidisse. Illum igitur natum fuisse oportet idibus novembris anni trecentesimi quinquagesimi quarti; conversum mense augusto anni trecentesimi octogesimi sexti; baptizatum vero Paschate anni trecentesimi octogesimi septimi, octavo kalendas maii. Eo enim anno Pascha septimo kalendas maii celebrandum esse docuerat Ambrosius (*Ambros., Epist. ad Æmilium*). Nullam hæcce chronologia controversiam admitteret, nisi Augustinus matrem suam tum ex hac vita migrasse diceret, cum ipse Africam repetens, se ad Ostia Tiberina navigationi instauraret (*Conf. lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17; *cap.* 10, *n.* 23). Constat enim, hinc quidem, obiisse illam, ut diximus, trigesimum et tertium ætatis annum agente Augustino; hoc est, juxta calculum nostrum, ante idus novembres anni trecentesimi octogesimi septimi. Illinc autem certum habemus, Augustinum non repetiisse Africam nisi post necem Maximi tyranni (*Contra Litteras Petiliani, n.* 30), qui mense julio exeunte, vel augusto anni trecentesimi octogesimi octavi interfectus est.

2. Difficultas duo ista conciliandi doctissimos quosque in diversas opiniones distrahit. Quidam enim nolunt a Possidio, cum Augustinum annos septuaginta sex vixisse scribit, ipsius annos per consulatus numerari; et pro primo anno sumi temporis spatium quod ab idibus novembris ad kalendas januarias, ac pro ultimo anno, id quod a kalendis januariis ad quintum kalendas augusti extenditur. Sic Augustinum natum esse contendunt idibus novembris anni trecentesimi quinquagesimi quinti; conversum anno trecentesimo octogesimo septimo, baptizatum anno trecentesimo octogesimo octavo; et re ipsa vixisse annos, non septuaginta sex, sed septuaginta quatuor, adjectis super novem aut decem mensibus. Volunt alii Augustinum in libro sive contra Academicos tertio, sive Soliloquiorum primo, annos suos tantum absolutos, non autem inchoatos numerare. Sic eum natum esse anno trecentesimo quinquagesimo quarto, conversum porro non fuisse nisi anno trecentesimo octogesimo septimo, nec baptizatum nisi anno trecentesimo octogesimo octavo, trigesimo tertio ætatis expleto, hoc est, trigesimo quarto inchoato. Utraque hæc opinio profecto vim infert verbis Augustini aut Possidii; ut dicere cogamur Possidium, qui una cum Augustino quadraginta annorum tempus traduxit, quique ipsius ætatem ab eo solo acceperat, illam tamen aliter ac ipsum Augustinum computavisse. Nec enim Augustinus, si annos per consules notaret, libros suos de Academicis, mense novembri conscriptos, reponeret anno ætatis suæ trigesimo tertio; nec pariter eidem anno adscriberet ipsam mortem Monnicæ, quæ tam longo post tempore contigisset. Et si absoluti tantum illius anni numerati sunt, ei quinque et septuaginta vitæ anni, non plures, tribui debuerunt. Observare adhuc licet contra priorem sententiam, haud fuisse quidem omnino insolens, episcoporum urbis et imperatorum annos per consulatus numerare (lice hoc ipsum infrequenter evenerit); quod scilicet eorum creatio et obitus in actis publicis, quibus consules erant adscripti, notarentur, et annum nullus ignoraret. Non sic porro de ortu filii municipis Tagastensis admodum tenuis existimare licet. Quod spectat ad alteram sententiam, tametsi fatendum est, cum quispiam dicitur annos triginta tres natus, de inchoatis aut absolutis id posse intelligi; quemadmodum cum reges anno ætatis decimo quarto, cæteros autem vigesimo quinto sui juris esse dicimus, quamvis illi anno decimo quarto inchoato, isti autem vigesimo quinto exacto in suam tutelam veniant: attamen a vero prorsus alienum videtur, hanc nominis ambiguitatem ad omnia loca, in quibus ætatis suæ meminit Augustinus, extendere; et ad eum præcipue locum, qui nobis regulæ instar esse debet ad illius Baptismi tempus statuendum: *Die nono*, inquit de matre, *ægritudinis suæ, quinquagesimo et sexto anno ætatis suæ, trigesimo et tertio ætatis meæ, anima illa religiosa et pia corpore soluta est* (*Conf. lib.* 9, *cap.* 11, *n.* 28). Nullæ hic verborum ambages. Nemo rem unquam ad annum ætatis suæ trigesimum tertium retulit, ut progrediente trigesimo quarto, eoque plus dimidia parte jam elapso, evenisse eam significaret. Quis etiam putet Augustinum, cum se anni ætatis suæ undetrigesimi historiam aggressurum sic diceret, *Proloquar in conspectu Dei mei annum illum undetrigesimum ætatis meæ* (*Ibid., lib.* 5, *cap.* 3, *n.* 5); persuasisse sibi, hoc a suis lectoribus de anni sui trigesimi historia intelligendum? Quod autem scribit, se decimo sexto ætatis anno pubescentem, libidini luxuriæque parere cœpisse (*Ibid., lib.* 2, *cap.* 2, *n.* 2); haud scimus, an operosum sit credere, Afrum adolescentem igneo animi vigore, ad id jam satis fuisse ætate provectum: quanquam videatur, non corruisse penitus in vitium, nisi Carthagine (*Ibid., lib.* 3, *cap.* 1), hoc est, anno ætatis suæ decimo septimo.

3. Cum duæ igitur sententiæ in tantas difficultates incurrant, ut qui unam sequuntur, alteram vi detortam et omnino improbabilem existiment; nihil obstare videtur, quominus stemus Augustini verbis, et ipso asserente agnoscamus Monnicam diem obiisse, quando ipse in Africam rediens, instaurabat se navigationi; nec inde inferamus illum statim ab obitu matris perfecisse iter, navimque conscendisse; cum id minime asserat. Neque vero alienæ sunt a narrationibus hujuscemodi loquendi formulæ: Proficiscebamur, cum iste advenit; parabamus nos itineri. Atque id quidem videtur ad munus diligentiamque historici spectare,

ut memorata re, quæ capto consilio moram attulit, doceat quoque subinde dilatumne tantummodo, an omnino dissolutum consilium fuerit. Sed perspicuum est Augustini propositum non fuisse, eo usque vitæ suæ historiam in prima Confessionum suarum parte perducere : hoc forte solum erat in animo, ut ad laudem gloriæ gratiæ Dei in omnium aspectum proferret suos ipsius mores ab infantia ad conversionem suam et Baptismum : quo fit ut narrata matris morte, ne verbum quidem de suo Romam reditu faciat; licet cum aliquandiu Romæ substitisse, et aliquot illic scripsisse libros in confesso sit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 7-9). Quid, quod nos ipse admonet, se multum festinantem multa silentio præterire (*Conf. lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17)? Ejus igitur verbis nullatenus adversamur, cum cum mortua matre consilium in Africam remeandi distulisse, et postero solum anno perfecisse dicimus. Quibus porro de causis distulerit (quæ multæ esse potuerunt), nos latet; nobis eum potuisse differre sufficit : quanquam dilationem et moram ipsi allatam esse suadet ratio non levis. Scribit enim se, cum mater in morbum incidit, Ostiæ fuisse, ubi post longi itineris laborem vires reficiebat priusquam in navem conscenderet : *Instaurabamus nos*, ait, *navigationi* (*Ibid.*, *cap.* 10, *n.* 23). Igitur ad Ostia Tiberina conquiescens, itineris labore, quem Mediolano rediens toleraverat, supersedebat. Ac sic profecto Romæ non tantum temporis commoratus erat, quantum sat esse posset ad tria sive quatuor opuscula, quæ ibi post Baptismum edidit, conscribenda (*Retract. lib.* 1, *cap.* 7-9). Quapropter ejus in Urbe commoratio non ante, sed post obitum matris reponenda est; et fatendum quidpiam ei fuisse impedimento, quominus in Africam tam cito remearet. Et vero non improbabiliter dici posset, Monnicam sub initium novembris e vita migrasse, per ejus obitum destinatam profectionis occasionem Augustino excidisse, nullam deinde opportunam reliquo anno se obtulisse; aut eum jam adverso tempore ac infesto mari navigare noluisse; tandem anno sequenti quibusdam de causis eum adhuc ad mensem augustum Romæ fuisse detentum. Porro navigationem a tertio idus novembris interclusam fuisse legimus : et ipse Gratianus edixit anno trecentesimo octogesimo, ut naves, quæ frumentum Romam advehebant, non ultra idus octobris deinceps e portu solverentur (*Cod. Theod. Gotf. tom.* 5, *pagg.* 107, 108). Ipsa etiam temporis historia commodam satis conjecturam nobis suppeditat, ex qua colligere liceat, quid Augustinum Romæ ad necem usque Maximi distinere potuerit. Hoc ipso enim anno trecentesimo octogesimo septimo tyrannus ille circa mensem augustum irrupit in Italiam, et pulso ex ea Valentiniano, Africam pariter occupavit, teste Pacato. Fieri ergo facile potuit, ut Augustinus de his certior factus, cum ad Ostia Tiberina propter obitum matris detineretur, mutato subinde consilio, hujus tumultus exitum opperiri Romæ statuerit, ubi a civilis belli cladibus tutior, quam Tagastæ, degere poterat. Hinc satis, opinamur, perspicuum est nullam subesse causam, quæ exigat ut Augustini et Possidii verba detorqueamus a germano sensu : quin etiam aliquot non deesse rationes, quæ nos a præpostera illa interpretatione revocent. Nam si conversionem Augustini referimus in annum trecentesimum octogesimum septimum, dicere cogemur eum suo in secessu ruri prope Mediolanum habitasse illo ipso tempore, quo Maximus, ut constat ex temporis illius historia, cunctam Italiam invadebat, et ex ea Valentinianum expellebat, hoc est in medio belli turbine, qui non immanius alibi, quam in Mediolanensi tractu fremebat : quippe cum Imperatori domicilium ac sedem præbere Mediolanum soleret. Quo fit, ut ex Ambrosii verbis colligi Baronius arbitretur, Mediolanenses cives tunc de fuga cogitasse (*Baronius*, *ad annum.* 387, *n.* 62).

4. Cum Augustinus Baptismum suscepit, annus intercesserat aut amplius, ex quo Psalmorum in ecclesia Mediolanensi modulatio cœperat; cum videlicet Justina Valentiniani regis pueri mater ab Arianis seducta persequeretur Ambrosium (*Confessionum lib.* 9, *cap.* 7. *n.* 15). Unde Baronius infert illum baptizatum fuisse anno post sedatam hanc persecutionem proximo (*Baronius*, *ad annum* 388, *n.* 74). Et recte quidem, ut Baptismum Augustini reponamus anno trecentesimo octogesimo septimo, si modo Sermo Ambrosii de Basilicis non tradendis habitus fuerit Dominica Palmarum, quæ anno trecentesimo octogesimo sexto incidebat in ultimum diem martii. Nam sub id tempus, quo sermo hic habitus est, aut paucis ante diebus, populus Mediolanensis psalmos cœpit concinere. Sic ergo dum Augustinus baptizatus est octavo kalendas maii anno trecentesimo octogesimo septimo, annus et mensis circiter intercesserat. Isthæc persecutionis in Ambrosium concitatæ chronologia confirmari potest ex lege, quam Justina contra orthodoxos ferendam curavit pro Synodo Ariminensi, data duodecimo kalendas februarii, anno trecentesimo octogesimo sexto. Nam in epistola decima quarta Ambrosii, ad Marcellinam sororem, quæ ad primum persecutionis annum (biennio enim illa desæviit) videtur spectare, ne verbum quidem exstat illius legis. Contra vero frequens ejus habetur mentio in Sermone de Basilicis non tradendis, qui haud dubie ad alterum annum pertinet. Verisimile est igitur hanc legem adulta persecutione sancitam. Quod si ita sit, inchoanda est illa necessario anno trecentesimo octogesimo quinto, et terminanda anno trecentesimo octogesimo sexto. Atque adeo Baptismus Augustini reponendus anno trecentesimo octogesimo septimo. Operæ pretium est pariter observare, Justinæ persecutionem adhuc viguisse, dum martyrum Protasii et Gervasii corpora inventa sunt, hoc est, exeunte junio. Cum enim constet ex Augustino (*Serm.* 286, *n.* 4) hujus translationis solemnitatem, quæ hac ipsa die in veteri Carthaginensis Ecclesiæ Kalendario memoratur (*Mabillonius*, *Annalium tomo* 3, *pag.* 398), in Africa fuisse celebratam, nec aliunde sanctos illos martyres tunc temporis innotuisse; verisimile omnino est, decimum nonum junii diem, qui sacer illis

est, diem esse translationis eorumdem. Itaque hinc consequitur, Justinæ persecutionem non quievisse, nisi sub finem junii illius anni, qui Augustini Baptismum præcessit. Hæc omnia optime inter se cohærent, si ejus Baptismum anno trecentesimo octogesimo septimo, et conversionem anno trecentesimo octogesimo sexto reponimus : sed in difficilem nodum incidemus, si ejus conversionem anno trecentesimo octogesimo septimo statuamus. Eo enim anno Maximum in Italiam irrupisse certum est, et neminem in dubium revocare existimamus, quin Ambrosius datam sibi a Valentiniano legationem ad Maximum secundam paulo ante obiverit. Ex ipsius Ambrosii relatione patet, Maximum Treviris tunc degentem se ad bellum comparasse : et juxta Zosimum, Domninus post Ambrosium a Valentiniano ad Maximum legatus est (*Zosimus*, *lib.* 4). Hæc autem omnia post mensem junium reponere, non est adeo facile et expeditum. Accedit illud, quod juxta hunc calculum, Augustam a vexando Ambrosio non ante destitisse oportet, quam cum illum de pace acturum ad Maximum misit : licet vix credi possit, Justinam extemplo tantum spei ac fiduciæ in eo homine posuisse, ad quem expellendum tot modo machinas adhibuisset, quique ad hoc negotium obeundum non adeo idoneus videbatur; cum ex ejusdem relatione constet, conquestum esse Maximum, quod ab eo fuisset in prima legatione deceptus.

5. Qui Augustinum anno solum trecentesimo quinquagesimo quinto natum esse, aut ipsum annos suos expletos numerare contendunt, locum alium afferunt, in quo se, ut quidem putant, cum Imperatoris panegyricum recitavit, tricenariam ætatem egisse testatur (*Confessionum lib.* 6, *cap.* 6, *n.* 9, *et cap.* 11, *n.* 18). Nempe pro certo ponunt hanc panegyrim eam esse, quam Bautoni consulatum ineunti dixit (*Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 30) kalendis januarii anni trecentesimi octogesimi quinti. Unde colligunt eum, cum trigesimum ætatis suæ annum numeret anno trecentesimo octogesimo quinto, aut natum esse anno trecentesimo quinquagesimo quinto, aut non numerare initium anni sui trigesimi primi. Observavimus supra, in hisce numerandi modis quosdam esse dubios et ancipites, quosdam unico sensu definitos. Arbitramur hunc loquendi modum, Ago trigesimum ætatis annum, ad postremum genus pertinere, nec aliud significare quam, Nondum trigesimum ætatis annum absolvi. Sin dicas, Annos triginta natus sum; fatemur id ex æquo significare posse, te annos triginta natum esse, sive inchoatos, sive absolutos. Hac ergo ratione haud inficias ibimus, panegyrim illam, cujus Augustinus meminit, siquidem eam ipse annos triginta et unum natus habuerit, pertinere ad annum trecentesimum octogesimum quintum. Et re quidem ipsa cum varii æstus animi, quibus tunc jactabatur, ab Ambrosii concionibus concitati esse videantur (*Confessionum lib.* 6, *cap.* 4, *n.* 6); conjici potest eum jam pridem Mediolanum venisse, nec tamen ante idus novembres anni trecentesimi octogesimi quarti, si modo ad hanc urbem non venit, nisi ut peractis ejusdem anni vindemialibus feriis publicas scholas instauraret : quod quidem non omnino perspectum est ac exploratum; fieri enim potuit, ut Mediolanum anno trecentesimo octogesimo quarto ineunte venerit. Quin etiam Rivius in sua chronologia eum anno trecentesimo octogesimo tertio venisse statuit; nec est quod in contrariam partem afferamus. Faustus enim Carthaginem venire potuit ante annum Augustini undetrigesimum; et id indicari videtur his verbis : *Proloquar in conspectu Dei mei annum illum undetrigesimum ætatis meæ. Jam venerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus Faustus nomine* (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 3, *n.* 5). Potuit igitur videre Faustum, et ab eo abalienari, jam inde ab anno trecentesimo octogesimo secundo exeunte; sub ejusdem anni exitum, aut anno trecentesimo octogesimo tertio ineunte Romam venisse; et ante peractas vindemiales anni trecentesimi octogesimi tertii ferias mitti Mediolanum. Nam si desunt argumenta, quibus probetur Symmachus Urbis præfecturam gessisse anno trecentesimo octogesimo tertio; desunt pariter nobis in contrariam partem. Juxta quem calculum panegyricum, quem videtur innuere a se trigesimo ætatis anno habitum, recitare potuit aut ineunte anno trecentesimo octogesimo quarto, aut alio ejusdem anni tempore. Nullis enim probari potest argumentis eumdem esse, quem Bautoni consuli dixit; et longe similius vero est aliam fuisse panegyrim, cum eam Imperatoris laudes nuncupet (*Ibid.*, *lib.* 6, *cap.* 6, *n.* 9). Cur autem Augustinus (quæ etiam nonnullis errandi causa extitit) ostensurus se ab Africa, cum ibi damnati sunt Manichæi, anno trecentesimo octogesimo sexto abfuisse, priorem illam panegyrim Imperatoris tacitus præterit (*Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 30), tantumque se Mediolanum venisse testatur ante consulatum Bautonis (*Ibid.*), cui magistratum ineunti panegyricum dixerat; ejus rei facilis et prompta responsio est : quia cum frequens se præbere potuerit occasio laudandi Imperatoris, novis oportuisset eum argumentis commonstrare, panegyrim illam Imperatori dictam fuisse anno trecentesimo octogesimo quarto, non autem anno trecentesimo octogesimo septimo. Sat igitur habuit afferre idoneam probationem minime dubiam, et eo magis perspicuam, quod Manichæorum damnatio videtur his verbis fuisse subscripta : *Anno post consulatum Bautonis*, etc. Et ob eamdem haud dubie causam tacet, se Romæ fuisse commoratum etiam priusquam Mediolanum proficisceretur. Maluimus tamen adventum Augustini Mediolanum anno duntaxat trecentesimo octogesimo quarto consignare, cum ea sententia magis recepta sit, et Augustini verbis apprime consentanea; quæque non ponat Symmachum præfecturam Urbis gessisse jam inde ab anno trecentesimo octogesimo quarto, quamvis hujus rei nulla cernantur vestigia. Quod si anno trecentesimo octogesimo quarto ineunte advenit; statui potest, eum ante trigesimum ætatis suæ annum absolutum panegyrim Imperatori dixisse.

6. Alio quoque ex loco exsurgere scrupulus potest :

nimirum cum ad Christum conversus est, multi jam, ut in Confessionum libris tradit, effluxerant anni, *forte duodecim*, ex quo Ciceronis Hortensium undevicesimo ætatis suæ anno legerat (*Confessionum lib.* 8, *cap.* 7, *n.* 17). Hujus porro scrupuli amovendi ratio nulla est potior, quam quæ ab ipso Augustino suggeritur, qui voce adjuncta *forte*, satis indicat eo loci se accurate et ad amussim non loqui; ut nec eodem fere loco, cum illud ipsum tempus *decennio et amplius* exprimit (*Confessionum lib.* 8, *cap.* 7, *n.* 18). In suis autem Soliloquiis, quæ, ut diximus, paulo post suam conversionem scripsit, quatuordecim fere annos effluxisse testatur (*Soliloq. lib.* 1, *n.* 17). Attamen Baronius hoc uno Confessionum loco innixus, Augustini conversionem anno ætatis ejus primo et trigesimo, Christi trecentesimo octogesimo quinto reposuit. Unde biennium et aliquot insuper menses inter conversionem ejus et Baptismum interponere coactus est. Verum ex dictis perspicuum relinquitur, id nequaquam posse propugnari; sicut nec illud quo asserit Monnicam non obiisse nisi quarto nonas maii, anni trecentesimi octogesimi noni, id est, anno et amplius post Augustini conversionem elapso; et Augustinum non remeasse in Africam nisi eodem anno trecentesimo octogesimo nono. Quo ex calculo sequeretur, ut non plus quam biennium inter ejus reditum et presbyteratum intercessisset; cum tamen Possidius triennium interponat.

## CAPUT VIII.

1 *Quibus exercitiis ruri vacarit Augustinus.* 2 *Qua ratione duos ibi adolescentes instituerit.* 3 *Librum adversus Academicos primum conscribit.* 4 *Hinc aliis quibusdam opusculis manum admovet.* 5 *Redit ad Academicos, et librum de iisdem secundum ac tertium perficit.* 6 *De Romaniano cui hos de Academicis libros dedicavit.* 7 *Liber de Beata Vita scriptus ad Theodorum.* 8 *Libri de Ordine duo.* 9 *Æmulationis et inanis jactantiæ motus in discipulis suis comprimit.* 10 *Opus de Ordine cur Zenobio dedicatum.*

1. Ut seriem historiæ Augustini repetamus: *Renuntiavi*, inquit, *peractis vindemialibus, ut scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium providerent, quod et tibi ego servire delegissem, et illi professioni præ difficultate spirandi ac dolore pectoris non sufficerem. Et insinuavi per litteras antistiti tuo viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de Libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. At ille jussit Isaiam prophetam; credo quod præ cæteris Evangelii vocationisque Gentium sit prænuntiator apertior. Verumtamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totamque talem arbitrans, distuli repetendum exercitatior in dominico eloquio* (*Confessionum lib.* 9, *cap.* 5, *n.* 13). Monnica eorum, dum in villa Cassiciaco degerent, curam ut par est credere susceperat, eisque parabat cibaria (*Contra Academicos, lib.* 2, *n.* 13; *Confessionum lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 8, *et cap.* 9, *n.* 22): Augustinus laborem rusticis partiebatur, et eorum operibus præerat (*Contra Academicos lib.* 1, *n.* 15, *et lib.* 2, *n.* 10). In hisce domesticis curis, scribendisque epistolis magnam diei partem vel illubenter aliquando insumebat (*Ibid., lib.* 2, *n.* 25, *et lib.* 3, *n.* 2). Tantum alimenti sumebat, quantum compescendæ fami satis esset (*Ibid., lib.* 2, *n.* 14); et prandii ejus idem initium qui finis erat (*Ibid. lib.* 3, *n.* 7). Non ante surgebat a lectulo, quam luceret. Sed cum in tenebris id temporis ageret, quod in Italia etiam pecuniosis prope necessarium fuisse testatur; jam pridem consueverat, veri perquirendi studio, aut primam, aut ultimam, certe dimidiam fere noctis partem secum meditando pervigilem ducere. Id quoque præcipiebat adolescentibus, ut suo exemplo aliquid secum agerent, et secum habitare consuefacerent animum (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 6). E lectulo surgens quotidiana Deo vota persolvebat (*Ibid., n.* 25), et humiles ignorantiæ suæ et vulnerum suorum querelas exhibebat (*Ibid., n.* 13). Inde cum suis de re utili sermone conferens, quod ejus oculis occurrebat, materiem ipsi de altissimis rebus disserendi aliquando ministrabat (*Contra Acad, lib.* 3, *nn.* 33, 34).

2. Secum inter alios adduxerat Trygetium et Licentium, ambos Tagastenses (*De Beata Vita, n.* 6). Licentius Romaniani filius, jam tum auditor Augustini erat, cum ille Carthagine doceret (*Contra Academicos, lib.* 2, *n.* 3). Hos adolescentes singulari benevolentia complectebatur, et in eorum mores informandos omni cogitatione curaque incumbebat (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 29): operam quoque conferebat ad eos ingenuis ac humanioribus litteris imbuendos; quia eos idcirco secum habebat. *Nam eruditio,* inquit, *disciplinarum liberalium, modesta sane atque succincta, et alacriores et perseverantiores et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritati, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant postremo dulcius, quæ vocatur, Licenti, beata vita* (*Ibid., n.* 24). Postea tamen in hoc liberalium disciplinarum encomio se modum excessisse animadvertit. Jam tum etiam nonnisi timide ac dubitanter ad eas excitabat Licentium, quem licet adhuc adolescentulum, ad amorem ipsius veritatis et sapientiæ, quod utrumque vere Christus est, inflammare magis studebat (*Contra Academicos, lib.* 3, *n.* 7; *Paulinus, inter August. Epist.* 32, *n.* 5). Cum eo socioque ejus Trygetio sæpe ipse disserebat de gravibus seriisque admodum rebus, quo et eorum eruditionem exploraret, ac meditata disputatione excitatos roboraret proveheretque ad altiora. *Nam et maximæ res,* aiebat, *cum a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere* (*Contra Academicos, lib.* 1, *n.* 6). Quamobrem cum illi quos ad disputandum non inveniendi veri cupiditas, sed puerilis ingenii jactantia impellit, vix ad ea quæ temere ab adversario sint concessa, redire patiantur; contrariam ipsis legem præscribebat, ut ea quæ incautius forte dicta essent, de integro discuterentur. Sic inducti sunt, ut non parvum in philosophia profectum putarent, cum in comparatione recti verique inveniendi contemnitur a disputante victoria (*Ibid., n.* 8). Miram super hac re coram eis orationem ha-

buit, quam adscribimus inferius (*Infra*, *n.* 9). Porro hæc instituendi ratio, quam Augustinus iniit, tantum Trygetio et Licentio profuit, ut qui prius eos noverant, vix crederent sic illos ad res magnas investigandas exarsisse, et id ætatis adolescentes bellum indixisse voluptatibus (*De Ordine*, *lib.* 2, *n.* 29). Non immerito itaque Licentius felicissimos illos dies, quos cum sancto Doctore in Italiæ medio inter jucundissima otia transegerat, sibi postea revocari peroptabat (*Carmine ad August. præceptorem*, *vers.* 52 *sqq.* *in tomo* 2, *Epist.* 26). Quidquid in his diceba tur colloquiis, adhibito notario statim stilo excipiebatur (*De Ordine*, *lib.* 1, *n.* 5). Quod semper usurpabat Augustinus, tum ne quid boni perire permitteret, tum quod id valetudini suæ conducere videret : aliqua enim loquendi difficultate laborabat, et eum tunc tenebat incommoda valetudo, quæ nec eum sua manu scribere patiebatur (*Soliloquiorum lib.* 1, *n.* 16).

3. Ex his colloquiis varia prodiere opuscula Augustini in modum dialogorum edita, in quibus familiares eruditique illi congressus, nativo prorsus et jucundo sermone exponuntur. Refert ipsissima verba, quibus in iisdem colloquiis tum ipse, tum Alypius usi fuerant ; aliorum autem solummodo sententias reddidit (*Contra Academicos*, *lib.* 1, *n.* 4). Eorum omnium quæ per id temporis, cum se omnibus abdicatis ad christianæ vitæ otium contulisset, nondum baptizatus elaboravit, primum est opus contra Academicos, vel de Academicis scriptum (*Retractationum lib.* 1, *cap.* 1). In illorum, ut diximus, philosophorum errores inciderat, qui sapientem cuiquam rei, ut certæ et manifestæ, assentiri prohibebant, et omnia nobis obscura et dubia volebant videri : quique hoc pacto veri inveniendi desperationem multis ingerebant. Opinio illa, quam falsa eorum argumenta in illius animo impresserant, necdum penitus oblitterata fuerat. Sed tamen quod operis hujus quodam loco ait, se nihil certi adhuc habere quod sentiat, nisi quod illis probabile visum est non posse inveniri veritatem, sibi autem inveniri posse probabile est (*Contra Academicos*, *lib.* 2, *n.* 23) ; quis non intelligat ab ipso dictum figura quadam, solemni dialogorum more : quandoquidem jam ipsi, ut alibi disertis verbis dicit, certa erat perceptio veritatis (*Confessionum lib.* 8, *cap.* 5, *n.* 11)? Cæterum cum ea res maximi esset ad salutem momenti, hosce philosophos, qui veritatis ostium, omni spe illam inveniendi adempta, ipsi præcludebant, quantis posset rationibus aggredi constituit. Paucis ergo a suo in villam secessu transactis diebus, Trygetium et Licentium secum invicem contendere de hac re jussit, ita ut hic partes Academicorum sustineret, ille coram ipso Augustino et Alypio impugnaret. Aderat Navigius, sed pauca protulit. Alypius etiam paulo post discessit (*Contra Academicos*, *lib.* 1, *n.* 8), cum iter in urbem Mediolanum esset ipsi constitutum (*Ibid.*, *n.* 5)? Alii tamen colloquium tribus continuis diebus (*Ibid.*, *nn.* 11, 15), decimo forte, undecimo et duodecimo novembris, ut videtur, vel quarto, duodecimo et decimo tertio, horis antemeridianis prosecuti sunt. Quæ triduana disputatio ex tribus libris contra Academicos scriptis, priorem constituit. Quem Augustinus absolvit, dicens hanc controversiam paucis potuisse concludi, nisi hos adolescentes exercere, et eorum nervos ac studia in primis explorare voluisset.

4. Post illud colloquium, septem fere diebus à disputatione quieverunt (*Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 10). Per id enim temporis, priusquam libros de Academicis absolvisset, librum de Beata Vita composuit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 2) ex colloquiis, quæ per triduum, decimo tertio, decimo quarto et decimo quinto novembris horis pomeridianis habuit. Duos etiam libros de Ordine (*Ibid.*, *cap.* 3), hoc est, priorem qui duorum dierum, decimi sexti et decimi septimi (ut videtur) colloquia complectitur (*De Ordine*, *lib.* 1, *n.* 27). Hinc Augustinus in libro de Beata Vita scribit, ex eorum dictis totum, quod cum Academicis susceperant, confectum esse negotium, et Licentium ubique partes Academicorum sustinere (*De Beata Vita*, *n.* 13). In priore autem libro de Ordine Trygetius exclamat : *Habemus jam*, *quod plus est*, *Licentium non Academicum* (*De Ordine*, *lib.* 1, *n.* 10) ; eos enim ille studiosissime defendere solebat.

5. Paucis admodum diebus, tribus aut quatuor ad summum, elapsis à gemino illo colloquio, quo liber de Ordine primus constat, Mediolano rediit Alypius (*Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 1). Tunc Augustinus intermissam octo ante diebus de Academicis quæstionem prosecutus est (*Contra Acad.*, *lib.* 2, *n.* 10). Licentius Academicorum partes contra Trygetium et ipsum etiam Augustinum aliquandiu sustinuit ; ac subinde locum cessit Alypio ; quocum Augustinus, non jam oblectandi animi gratia præludens, ut antea cum Licentio, sed serio velut rem gravissimam agitavit. Eo tamen die, ut et postero, quæstionem tantummodo delibarunt. Verum die tertio, cum ipse Alypius Academicorum causam, quam tuebatur, deseruisset, totam disputationem Augustinus oratione bene longa conclusit : ex qua profecto oratione periculum eorum qui ex probabili opinione vitam instituunt (*Ibid.*, *lib.* 3, *nn.* 35, 36), prudens quisque satis intelligat. Academicos etiam purgare contendit, et ostendere in ea illos non fuisse sententia, ut verum inveniri non posse crederent (*Ibid.*, *nn.* 37, 38). Quæ conjectura utilis erat, si non certa (*Epist.* 1). Observat adhuc varias philosophorum sectas ad unam tunc redactas videri. Cæterum ea disceptatio argumentis Academicorum, quæ forte negotium adhuc facessebant, animum ejus miserante atque adjuvante Deo expedivit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 1, *n.* 1), illudque penitus abrupit retinaculum, quo ab ubere philosophiæ, desperatione inveniendi veri, mens sua ante conversionem refrenabatur (*Epist.* 1, *n.* 3). Quapropter finem operi imponens, profitetur se de comparanda sapientia non amplius desperare, seque huic adipiscendæ, posthabitis cæteris omnibus quæ mortales magni faciunt, insudare statuisse ; cumque gemino pondere, auctoritatis atque rationis, ad discendum impellamur, se nusquam à Christi auctoritate, ut

omnium validissima, discedere; seque quod sacris Scriptoribus non repugnet, et intelligendo apprehendere posset, apud Platonicos reperturum confidere (*Contra Acad.*, *lib.* 3, *n.* 43). In suis tamen Retractationum libris laudem, qua Platonem, et ejus sectatores tantum extulit, ipse condemnat et repudiat (*Retract. lib.* 1, *cap.* 1, *n.* 4). Professus est Alypius, nihil se habere, quod Augustini rationibus opponeret; simul elogio longe pulcherrimo subjunxit, se cum gaudio superatum discedere, seque et concertatores suos in Augustino ducem habere, qui divini luminis beneficio eos in ipsa veritatis arcana perducat (*Contra Acad.*, *lib.* 3, *n.* 44). Hermogenianus Augustini amicus, cum hos legisset libros, partam de Academicis victoriam per litteras illi gratulatus est. Illius approbatio eo gratior fuit Augustino, quod ejus judicium ab errore alienum, et amicitiam simulationis expertem cognoscebat. Quapropter in epistola, quam ad eum scribit, orat ut diligentius consideret ea, quæ in his libris de vero Academicorum sensu dixerit; sibique, quid super hac re sentiat, per litteras significet (*Epist.* 1, *n.* 3).

6. Hos de Academicis libros Romaniano dedicavit Augustinus, tum ut illum Licentii filii litterario progressu delectaret, tum ut eumdem ad veritatis amorem induceret. Nam summopere cupiebat Augustinus, ut is ad amorem sapientiæ animum adjiceret, eo avidius illam hausturum sperans, quo diutius eam sitire visus erat. Eo etiam paratiorem ad investigandam et amandam veritatem arbitrabatur, quod Academicis omnia in dubium revocantibus sæpius succensuerat. Adhuc tamen Manichæorum superstitione, in quam eum Augustinus ipse dederat præcipitem (*Contra Acad.*, *lib.* 1, *n.* 3), erat implicatus. Sed cum Augustinum apud Cassiciacum ut videtur invisisset, e sententia sua pene dimotus inde discesserat, jamque ad inquirendam veritatem instructus, quam sanctus vir aut quodam colloquio, aut aliqua disputatione de religione ad eum missa, se illi demonstraturum sperabat. Cum igitur spem concepisset, fore ut eum ad veram sapientiam adduceret, quotidianis votis, quæ illius causa divinæ Sapientiæ faciebat, hoc illi donum impetrare conabatur; *si modo*, inquit, *dignus sim qui impetrem*. Ergone Augustinus de Romaniano frustra ista dixit, *Non sinet ille cui me totum dedi*, *quem nunc recognoscere aliquantum cœpi* (*Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 2). Uti aliquem illi hujus philosophiæ, ad quam eum hortabatur, saporem infunderet, suos illi de Academicis libros inscripsit : quod incitamentum eo efficacius fore credidit, quo esset jucundius; cum filius ejusdem Licentius sibi partem in iis vindicaret. Unum esse fatetur, unde illius fortunæ invideat, quod solus Luciliano suo perfruatur (*Ibid.*, *n.* 9). Is haud dubie Romaniano conjunctissimus erat, et ejus fortasse germanus : aliquando enim ut duo propemodum æquales copulantur. Carmen a Licentio de philosophia compositum Romaniano pollicetur Augustinus (*Ibid.*, *n.* 7).

7. Inter ea colloquia, quæ tres de Academicis libros constituunt, liber de Beata Vita conscriptus fuit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 2) : quo mirum videri non debet, si huic non adfuerit Alypius (*De Beata Vita*, *n.* 6) : is enim Mediolanum inchoata contra Academicos disputatione profectus, inde nonnisi post decem dies rediit. Eo igitur absente, cum natalitius Augustini dies qui in idus novembris incidebat, advenisset, omnes suos ille contubernales, Monnicam matrem, Navigium fratrem, Licentium et Trygetium discipulos, Lastidianum et Rusticum consobrinos suos, et Adeodatum filium suum prandio tenui excepit, ac postea in balneas ad consedendum vocavit. Multa ex iis de beatitudine quæsivit, ea mente ut illos in hunc portum induceret : quo in colloquio certum est Monnicam et Adeodatum inter omnes eminuisse intelligendi prudentia et gravitate verborum. Eamdem disputationem secunda et tertia die pomeridianis horis prosecutus est, eamque pulchra et sublimi oratione de sanctissima Trinitate conclusit. Horumce colloquiorum institutum hoc erat, ut beatam vitam perfecta Dei cognitione contineri doceretur (*Retract. lib.* 1, *cap.* 2). Verum in ea disputatione hoc illi postea displicuit, quod beatitudinem in hac etiam vita obtineri a sapiente, ac in solo animo residere voluisset. Notat Augustinus in suis Retractationum libris se opus istud integrum non habere (*Ibid.*), cum omnia ipsius et aliorum apographa mutila reperiantur, ac decurtata non parum : haud tamen videmus, quo nunc libri loco desideratur aliquid. Opus Mallio Theodoro dedicavit, cujus ex sermonibus didicisse se scribit, cum de Deo aut de anima cogitatur, nihil omnino corporis esse cogitandum. Multum eminebat in sæculo Theodorus, non alius haud dubie ab eo, qui summis honoribus perfunctus est, quique consulatum anno trecentesimo nonagesimo nono gessit. Hunc amplissimis quidem laudibus ob singularem præcipue animi moderationem et integritatem effert Claudianus poeta (*Claudius Claudianus*, *in Paneg. de consulatu. Fl. Mallii Theod.*) : certiores vero et longe ampliores eæ sunt, quas eidem Augustinus tribuit. Eum enim modo et christianum et doctum fuisse testatur (*Retract. lib.* 1, *cap.* 2), nunc commendat ut virum ingenio ac gloria et ipsis insignibus fortunæ, et, quod caput est, mente præstantissimum (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 31) : cumque opus, de quo loquimur, illi dedicat, eumdem humanissimum et magnatem appellat. Illi profecto conjunctissimus erat, cum eum per animarum inter se vinculum atque commercium obtestetur, ut ipsum amet, ac se quoque ab ipso vicissim amari credat. Ejus eloquentia nequaquam se terreri profitetur, cum eam facultatem, quam adamet, licet nondum assecutus, timere non possit, seque multo minus ipsius fortunæ sublimitatem ac decus extimescere. *Quamvis enim sit magna*, inquit, *apud te secunda est : nam quibus dominatur*, *eosdem ipsos secundos facit*. Addit præterea eum unum esse, quem intueatur et suspiciat, a quo certus auxilium exspectet. Obsecrat nimirum, ut pro sua erga ipsum benevolentia dextram porrigat. *Quod si impetravero*, inquit, *ad ipsam beatam vitam*, *cui te jam hærere præsumo*, *parvo conatu facillime accedam* (*De Beata Vita*, *n.* 5). Is haud dubie locus est, quem Augustinus et ætate et pietate provectior sibi displi-

cuisse testatur, quod homini nimium tribuerit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 2). Philosophiæ Platonicæ studiosissimus erat Theodorus, et suo erga eruditos favore id agebat, ut nec ipsius ævo, nec apud posteros quispiam conqueri posset, pauciorem doctorum hominum numerum ejus temporibus, quam aliis exstitisse.

8. Post librum de Beata Vita collocat Augustinus disputationes de Ordine digestas in duos libros (*Ibid. cap.* 3); quorum primum antequam Mediolano rediisset Alypius (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 7, *et lib.* 2, *n.* 1), atque adeo ante secundum contra Academicos, conscripsit. Navigius, qui adhuc in villa Cassiciaco commorabatur decimo septimo kalendas decembris, aut saltem decimo octavo, Mediolanum profectus erat, cum liber ille de Ordine primus inchoaretur (*De Beata Vita, n.* 20), et Cassiciaco bene mane discesserat (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 7), atque, ut videtur, decimo sexto kalendas decembris. In secundo libro de Ordine non semel citatur liber de Beata Vita, ut et de Academicis tertius, qui proinde inter duos de Ordine libros conscriptus est. Hi duo libri colloquia sunt cum Licentio et Trygetio habita, quibus Monnica nonnunquam interfuit. Secundi autem libri disputationibus adfuit etiam Alypius. In his porro libris agitatur gravis illa quæstio, utrum omnia bona et mala divinæ providentiæ ordo contineat (*Retract. lib.* 1, *cap.* 3, *n.* 1). Verum cum difficillimæ res occurrerent, et auditores suos ad earum perceptionem operose perduci posse intelligeret Augustinus, in postrema libri secundi parte de ordine studendi loqui maluit, quo a rebus corporeis ad spiritualium notitiam oportet assurgere.

9. Hujus colloquii occasione atque origine, quæ in prioribus libri primi capitibus refertur, nihil excogitari potest jucundius, nihil gratius illa gallorum gallinaceorum pugna, quam ibidem Augustinus graphice describit (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 25). Verum quæ sub ejus libri finem leguntur, majoris sunt momenti, quam ut debeant prætermitti. Hic enim optimus non linguæ solum, verum etiam animi ac virtutis magister gravi seriaque discipulorum suorum objurgatione ostendit, quomodo coercéndi sunt æmulationis et inanis jactantiæ motus in adolescentibus qui dant operam litteris. Trygetius quidpiam protulerat, propter quod eum arguere coactus fuerat Augustinus. Ille autem perperam se locutum fuisse animadvertens, verba sua deleri postulabat. *Urgebat Licentius ut manerent*, inquit, *puerorum scilicet more, vel potius hominum, proh nefas! pene omnium; quasi vero gloriandi causa inter nos illud ageretur. Cujus motum animi cum objurgarem gravioribus verbis, erubuit : qua ejus perturbatione animadverti ridentem lætantemque Trygetium. Et ambobus : Itane agitis, inquam? Nonne vos movet quibus vitiorum molibus atque imperitiæ tenebris premamur et cooperiamur? Hæccine est illa paulo ante vestra, de qua ineptus lætabar, attentio, et in Deum veritatemque surrectio? O si videretis, vel tam lippientibus oculis quam ego, in quibus periculis jaceamus, cujus morbi dementiam risus iste indicet! O si videritis! quam cito, quam statim, quantoque productius eum vertetis in fletus! Miseri, nescitis ubi sumus? Demersos quidem esse animos omnium stultorum indoctorumque commune est; sed non uno atque eodem modo demersis opem sapientia et manum porrigit. Alii sunt, credite, alii sunt qui sursum vocantur, alii qui in profunda laxantur. Nolite, obsecro vos, geminare mihi miserias. Satis mihi sint vulnera mea, quæ ut sanentur, pene quotidianis fletibus Deum rogans, indigniorem tamen esse me, qui tam cito saner, quam volo, sæpe memet ipse convinco. Nolite, obsecro; si quid mihi amoris, si quid necessitudinis debetis, si intelligitis quantum vos diligam, quanti faciam, quantum me cura exagitet morum vestrorum; si dignus sum quem non negligatis, si denique Deo teste non mentior, nihil me plus mihi optare quam vobis, rependite mihi beneficium. Et si me magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem : boni estote. Hic ubi ne plura dicerem, lacrymæ mihi modum imposuerunt, Licentius molestissime ferens, quod omnia scribebantur : Quid enim, ait, fecimus, oro te? Adhuc, inquam, nec fateris saltem peccatum tuum? Tu nescis in illa schola graviter me stomachari solitum, quod usque adeo pueri non utilitate atque decore disciplinarum, sed inanissimæ laudis amore ducerentur, ut quosdam etiam aliena verba recitare non puderet, exciperentque plausus (o ingemiscendum malum!) ab eisdem ipsis, quorum erant illa quæ recitabant? Ita vos quamvis nihil unquam, ut opinor, tale feceritis; tamen et in philosophiam, et in eam vitam, quam me tandem occupasse lætor, æmulationis tabificæ atque inanis jactantiæ ultimam, sed nocentiorem cæteris omnibus pestem introducere ac proseminare conamini : et fortasse quia vos ab ista vanitate morboque deterreo, pigriores eritis ad studia doctrinæ; et ab ardore ventosæ famæ repercussi, in torporem inertiæ congelabitis. Me miserum, si necesse erit tales etiam nunc perpeti, a quibus vitia decedere sine aliorum vitiorum successione non possint! Probabis, ait Licentius, quam purgatiores futuri simus. Modo illud obsecramus per omnia quæ diligis, ut ignotum nobis velis, atque illa omnia deleri jubeas. Prorsus, inquit Trygetius, maneat nostra pœna, ut ea ipsa, quæ nos illicit fama, flagello proprio a suo amore deterreat. Ut enim solis amicis et familiaribus nostris litteræ istæ innotescant, non parum desudabimus. Assensus est ille* (*Ibid., lib.* 1, *nn.* 29, 30). Jubet Augustinus Licentium poema scribere contra libidinosos amores, et in laudem puri amoris, quo anima per philosophiam intellectui copulatur (*Ibid., n.* 24). Haud scimus an illud sit Licentii de philosophia carmen, quod sanctus Doctor Romaniano pollicetur.

10. Suos de Ordine libros Zenobio inscribit, cui de Licentio curæ erat, quod illius patri foret conjunctissimus. Hic sæpenumero de rerum ordine sermones cum Augustino contulerat : verum ei sublimia percunctanti nunquam plene satisfacere potuerat Augustinus, seu propter rerum sublimitatem, seu propter temporum angustias; et semper solutionem in aliud tempus distulerat. Quare Zenobius hac procrastinatione defatigatus, Augustinum eleganti carmine ad fusius et accuratius respondendum provocavit. Sed cum Mediolano repentinum ob tumultum, cujus causa non indicatur, ex improviso proficisci coactus fuisset

idem Zenobius, venit in oblivionem hujus carminis Augustino relinquendi ut illi responderet (*Ibid.*, *n.* 20). Haud scimus an ea res sit illa ipsa, de qua Zenobio scribens Augustinus (*Epist.* 2) dixerit inchoatam cum illo disputationem, cum eodem esse perficiendam. Aberat id temporis Zenobius, eique testatur Augustinus se, cum necdum assecutus sit, ut nihil amet quod abesse a se invito possit, absentis amici desiderio teneri, seque ab amicis velle pariter desiderari. Quandonam isthæc epistola data sit, an non tempore secessus Augustini, definiri non potest. In posteriori libro de Ordine pollicetur Augustinus se, si vacarit, de anima postea dicturum (*De Ordine, lib.* 2, *n.* 17) : id tamen eum in sermonis sui serie præstitisse non videmus. Jam forte animo meditabatur librum de Quantitate animæ, quem Romæ anno fere evoluto conscripsit.

## CAPUT IX.

1 *Laborat Augustinus ut magis ac magis in veritatis cognitione proficiat.* 2 *Ignei pietatis ejus affectus.* 3 *Inveterata jurandi consuetudine se Deo juvante liberat.* 4 *A dentium dolore divinitus sanatur.* 5 *De Soliloquiis, in quibus illius animæ status inspicitur.* 6 *Unde appellata Soliloquia, quodve eorumdem librorum argumentum.*

1. Ex libris, quos Augustinus inter colloquia cum amicis habita suo in secessu lucubravit, videre licet quanam illic ratione vitam degeret, quem caperet otii sui fructum, quibusnam demum in studiis concessam sibi a Deo doctrinam et eruditionem collocaret : quam quidem etsi divino cultui totam addixisset, adhuc tamen superbiæ scholam nonnihil sapere videbatur; ut iis accidit, qui ex longo cursu anhelant, etiam cum ad respirandum quiescunt (*Conf. lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 7). Præterquam quod hac in parte pietas ipsius paulum oppugnabatur ab Alypio, qui primo eum suis in libris nomen Salvatoris nostri Jesu Christi inserere prohibebat, quod mallet illius stilum excelsas philosophiæ et eloquentiæ cedros, quam humiles Evangelii et Ecclesiæ herbas, animis salubres, serpentibus adversas, redolere. Gaudebat in eo secessu superfluarum mundi cupiditatum laqueis velut expeditus, respirabat quasi terrenarum sollicitudinum onere liberatus, sui eum erroris pœnitebat, ad se redibat, quærebat intentissimus veritatem (*Contra Acad.*, *lib.* 2, *n.* 4). Tunc enim temporis sentiebat quam gravi vitiorum mole premeretur, et quam densis obrueretur ignorantiæ tenebris. Vulnerum suorum medelam pene quotidianis a Deo lacrymis exposcebat : ac nihilominus inducebat animum, indigniorem esse se, qui tam cito sanaretur, quam vellet (*De Ordine, lib.* 1, *n.* 29). Adhuc in quæstione de anima fluctuabat (*De Beata Vita, n.* 5), et Paracletum Spiritum veritatis a Christo Domino missum fuisse nesciebat (*Conf. lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 9). Itaque persuasissimum habebat, ignorantiam suam majorem esse, quam intelligeret (*De Ord.*, *lib.* 2, *n.* 9); seque in philosophia puerum fatebatur, nedum se sapientem reputabat (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 13). Verum ardentissimo discendi studio flagrabat, et ob id unum noctes diesque pervigilabat (*Ibid.*, *n.* 12). In id solum incumbebat, ut animum suum a falsis perniciosisque opinionibus, quibus obturbabatur, expurgaret (*Contra Acad.*, *lib.* 2, *n.* 9). Cumque jam tunc sciret, veritatem nisi divina ope non percipi, eam a solo Deo ad confutandum mendacium exspectabat, a quo suis in studiis auxilium omni devotione atque pietate implorabat. Cum Deum ipsum quotidie interrogaret cum humilibus querelis et lacrymis, erat tamen paratus ad responsum recipiendum, per quem Deo videretur.

2. In primis Augustini opusculis plenius cernere est, quanta ille recens conversus, ac dum vix a tenebris emerserat ignorantiæ atque erroris sui, jam tum doctrina sapientiaque pollebat. Ea profecto longe uberior erat, quam consuevit in fidelibus etiam provectioribus reperiri. Verum affirmare licet charitatem ejus, hoc est, veritatis amorem tanta illa doctrina, cujus fons et origo erat, multo majorem exstitisse. Hinc minime mirandum est, si postea dixerit, quosdam aliquando reperiri catechumenos, qui et doctrina et moribus vincunt multos fideles (*Enarr. in Psal.* XC, *serm.* 2, *n.* 6). Dulce illi postmodum fuit, in mentem sibi revocare, quibus tum stimulis Deus cor ipsius configeret perdomaretque : qui dum inanium et superbarum cogitationum montes deprimeret, valles complanaret; morum ipsius et indolis obliqua dirigeret, aspera deliniret (*Confess. lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 7). *Quas tibi, Deus meus, voces dedi,* ait in suis Confessionum libris, *cum legerem Psalmos David, cantica fidelia, et sonos pietatis, excludentes turgidum spiritum; rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa cum catechumeno Alypio feriatus, matre adhærente nobis, muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, christiana pietate? Quas tibi voces dabam in psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, et non est qui se abscondat a calore tuo. Quam vehementi et acri dolore indignabar Manichæis; et miserabar eos rursus, quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent, et insani essent adversus antidotum quo sani esse potuissent! Vellem ut alicubi juxta essent; tunc, et me nesciente quod ibi essent, intuerentur faciem meam, et audirent voces meas, quando legi quartum psalmum, in illo tunc otio, quid de me fecerit ille psalmus. Inhorrui timendo, ibidemque inferbui sperando et exsultando in tua misericordia, Pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos et vocem meam, cum conversus ad nos Spiritus tuus bonus ait nobis : « Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? » Audivi et contremui, quoniam talibus dicitur qualem me fuisse reminiscebar. Et insonui multa graviter et fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audissent qui adhuc usque diligunt vanitatem, et quærunt mendacium, forte conturbarentur et evomuissent illud. Legebam : « Irascimini, et nolite peccare. » Et quomodo movebar, Deus meus, qui jam didiceram irasci mihi de præteritis, ut de cætero non peccarem?... Nec jam bona mea foris erant,*

*nec oculis carneis in isto sole quærebantur. O si viderent internum æternum, quod ego quia gustaveram, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere! Ibi enim, ubi mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sacrificaveram mactans vetustatem meam, et inchoata meditatione renovationis meæ sperans in te, ibi mihi dulcescere cœperas, et dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, et agnoscens intus; nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, et devoratus temporibus; cum haberem in æterna simplicitate aliud frumentum et vinum et oleum. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei :« O in pace! o in idipsum!» o quid dixit, « Obdormiam et somnum capiam! » Quoniam quis resistet nobis, cum fiet sermo qui scriptus est, « Absorpta est mors in victoriam » (I Cor. xv, 54). Et tu es idipsum valde qui non mutaris; et in te requies obliviscens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum, nec ad alia multa adipiscenda quæ non sunt quod tu; sed « tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. » Legebam, et ardebam; nec inveniebam quid facerem surdis mortuis, ex quibus fueram pestis, latrator amarus et cæcus adversus litteras de melle cœli melleas, et de lumine tuo luminosas : et super inimicis Scripturæ hujus tabescebam, quando recordabar omnia dierum illorum feriatorum* (*Confess. lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 8-12).

3. Sub id tempus, ut videtur, inolitam jurandi consuetudinem, quam contraxerat, emendavit. *Juravimus et nos passim*, ait ipse ad populum suum, *habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam. Dico Charitati vestræ; ex quo Deo servire cœpimus, et quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, et veternosissimam consuetudinem timore frenavimus* (*Serm.* 180, *n.* 10). *Luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi facilius est, quam non jurare* (*Serm.* 307, *n.* 5). *Frenata*.(hæc consuetudo) *restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, et malæ consuetudini bona succedit* (*Serm.* 180, *n.* 10). Ex eo tempore adhuc interdum jurabat, sed magna necessitate compulsus. Nam cum videbat sibi non credi nisi juraret, et ei qui sibi non credebat, non expedire quod non crederet; hac perpensa ratione et consideratione librata, cum magno timore dicebat verbis Paulo solemnibus, *Coram Deo* (*Galat.* I, 20); aut, *Testis est Deus* (*Rom.* I, 9); aut, *Scit Christus sic esse in animo meo* (II *Cor.* XI, 31): cujusmodi juramenti exempla in ejus scriptis forte nonnulla videas. Extra hanc necessitatem nullus unquam eum jurantem audivit.

4. Dum sanctus Vir in suo secessu degeret, eum Deus tam acuto dentium dolore torqueri permisit, ut parem nunquam esset expertus. Animum ad aliquid de novo discendum intendere non poterat, et vix ea quæ jam forte didicerat, secum ipse volvebat. Sibi tamen videbatur, si veritatis splendor menti suæ effulgeret, aut se non sensurum fuisse illum dolorem, aut certe facilius toleraturum (*Soliloq. lib.* 1, *n.* 21). At Deus, qui eum tam rigide castigarat, illum non minus mirabili celeritate sublevavit. *Cum dolor*, inquit, *in tantum ingravesceret, ut non valerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes meos qui aderant, ut deprecarentur te pro me, Deum salutis omnimodæ. Et scripsi hoc in cera, et dedi ut eis legeretur. Mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expavi, fateor, Domine meus, Deus meus; nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui; et gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant* (*Confess. lib.* 9, *n.* 12).

5. Per id temporis pius ille Catechumenus suos edidit Soliloquiorum libros, in quibus interiorem animi sui statum mirabiliter exprimit. Profitetur in primis se teneri incredibili quodam desiderio Deum cognoscendi; neque scire se aliquid, quomodo scire Deum cupit (*Soliloq. lib.* 1, *n.* 7) : non enim sibi sat esse, si Deum sic noscat, quomodo suum novit Alypium (*Ibid.*, *n.* 8), aut certiora mathematicæ principia, quæ præ Dei amore ex illius pene memoria exciderant (*Ibid.*, *nn.* 10, 11). Cum ipse a se quærit, an aliquid præter Dei suique notitiam amet : *Possem respondere*, inquit, *nihil me amare amplius, pro eo sensu qui mihi nunc est; sed tutius respondeo, nescire me. Nam sæpe mihi usu venit, ut cum alia nulla re me crederem commoveri, veniret tamen aliquid in mentem, quod me multo aliter atque præsumpseram pungeret. Item sæpe, quamvis in cogitationem res aliqua incidens non me pervellerit, revera tamen veniens perturbavit plus quam putabam; sed modo videor mihi tribus tantum rebus posse commoveri : metu amissionis eorum quos diligo, metu doloris, metu mortis* (*Ibid.*, *n.* 16). Divitiarum et honorum cupiditas ab ejus animo exsulabat. Nullatenus eum illiciebat ciborum jucunditas in iis, a quibus abstinere statuerat. Aliis quidem non sine aliqua delectatione utebatur, ita tamen ut illis facile temperaret : nec unquam eum ciborum appetitio ab iis rebus, quas meditari vellet, avocabat. Denique ex cibo, potu, balneis, cæterisque id genus quæ ad corpus pertinent, id tantum capessebat, quod cura valetudinis exigeret. Quod ad uxoris amorem pertinet : *Quantumlibet velis*, ait, *eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum, quam concubitum esse decrevi : nihil esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. Itaque si ad officium pertinet sapientis quod nondum comperi, dare operam liberis, quisquis rei hujus tantum gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at vero imitandus, nullo modo : nam tentare hoc periculosius est, quam posse felicius. Quamobrem satis, credo, juste atque utiliter pro libertate animæ meæ mihi imperavi, non cupere, non quærere, non ducere uxorem. Prorsus nihil hujusmodi quæro, nihil desidero, etiam cum horrore atque aspernatione talia recordor. Quid vis amplius? Et hoc mihi bonum in dies crescit : nam quanto augetur spes videndæ illius qua vehementer æstuo pulchritudinis, tanto ad illam totus*

*amor voluptasque convertitur* (*Soliloq. lib.* 1, *n.* 17). Interdum tamen libidinis, quæ tantam in eum tyrannidem exercuerat, acribus stimulis, Deo ita permittente, pungebatur : ut quo e morbo cœlestis medici cura evasisset, et quid in se superesset curandum, agnosceret. Quod ubi contigisset, pudore suffundebatur, vim lacrymarum etiam cum valetudinis dispendio profundebat; nihil sibi polliceri, nihil de se audebat præsumere; id solum solatii habebat, quod in Dei sinum confugeret, seque illius providentiæ committeret. *Ille ipse*, aiebat, *quem videre ardeo, noverit quando sim sanus; faciat quod placet : quando placet, sese ostendat; jam me totum ejus clementiæ curæque committo. Semel de illo credidi, quod sic erga se affectos sublevare non cesset. Ego nihil de mea sanitate, nisi cum illam pulchritudinem videro, pronuntiabo* (*Ibid.*, *n.* 26). *Ego solam propter se amo sapientiam*, inquit; *cætera vero vel adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam, vitam, quietem, amicos. Quem modum autem potest habere illius pulchritudinis amor, in qua non solum non invideo cæteris, sed etiam plurimos quæro, qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecumque perfruantur; tanto mihi amiciores futuri, quanto erit nobis amata communior?* (*Ibid.*, *n.* 22.) Quapropter in familiaribus suis colloquiis contubernales suos ad indefessum sapientiæ amorem studiumque cohortatur.

6. Augustini secessus hæc adhuc Soliloquia peperit, eodem pene tempore, quo superiores libros : his enim illa subjungit, eaque se scripsisse indicat paulo post abjectam honorum ac dignitatum cupiditatem (*Retract. lib.* 2, *cap.* 4). Verum in aliis libris sermones cum amicis suis conferebat, in his autem secum ipse loquitur. Hinc Soliloquia inscribi voluit, novo quidem et duriusculo nomine, sed ad rem designandam apposito. *Cum enim*, inquit, *neque melius quæri veritas possit, quam interrogando et respondendo, et vix quisquam inveniatur, quem non pudeat convinci disputantem, eoque pene semper eveniat, ut rem bene inductam ad discutiendum inconditus pervicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum, plerumque dissimulata, interdum et aperta; pacatissime, ut opinor, et commodissime placuit, a me ipso interrogatum, mihique respondentem, Deo adjuvante, verum quærere* (*Soliloq. lib.* 2, *n.* 14). In ipso operis exordio se nescire ait, quicum colloquatur, intrinsecusne sit, an extrinsecus : se vero ad eum cognoscendum hunc sermonem instituere, postquam de cognitione sui ipsius, et de boni quærendi, malique devitandi scientia multos dies sedulo cogitavit (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 1). In suis Retractationum libris rationem secum colloqui testatur (*Retract. lib.* 1, *cap.* 4, *n.* 1). Hoc opus bipartitum est : in primo quidem libro inquirit qualis esse debeat, qui sapientiam investigare velit, quæ non corporis sensibus, sed mente percipitur; et in extrema parte libri ea quæ vere sunt, immortalia esse, quibusdam argumentis ostendit. In altero autem de immortalitate animæ disserit : sed hanc quæstionem ad exitum non adducit. Nec enim extrema manus accessit huic operi (*Ibid.*, *cap.* 5, *n.* 1), ut ipse significat, eo consilio, ut cum doctis et bene cordatis viris hac de re conferret (*Soliloq. lib.* 2, *n.* 28). Memorat scriptores duos, qui tunc de immortalitate animæ, alter Mediolani soluta oratione, alter in Galliis carmine, tractabant (*Ibid.*, *n.* 26). Primus, cui suum erga ipsum et sapientiam studium pro sua voluntate, ut ait, aperire non valet (*Ibid.*, *et Confess. lib.* 6, *n.* 18), videtur esse Ambrosius. Quis vero alter illius familiaris, omnium ejus sollicitudinum conscius, in Galliis quietus, et adeo dissitus, ut vix ad eum vel epistolæ mittendæ facultas esset, conjicere non possumus, nisi dicamus esse Zenobium, cui Mediolano jam diu absenti, duos de Ordine libros dedicarat. In litteris ad Nebridium datis statim post Soliloquia, quæ scilicet nondum visa erant Nebridio, istud opus cunctis prioribus suis lucubrationibus anteponit (*Epist.* 3, *n.* 1). Idem asserit se in hoc opere animum induxisse, intelligentiam esse veritatem, ac mori non posse aliquid in quo quidpiam immortale sit; cumque intelligentia sit in animo, et veritas immortalis, inde sequi ut animus sit immortalis (*Ibid.*, *n.* 4).

## CAPUT X.

*1 De Nebridio amico Augustini. 2 Hujus ad Nebridium epistolæ.*

1. Hos Soliloquiorum libros ipsemet Augustinus designat in suis Confessionibus, ubi agit de libris quos ex colloquiis cum ipso se solo coram Deo habitis contexuit (*Confess. lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 7) : addit epistolas testari, quid cum absente Nebridio litteris egerit. Ad hæc ergo tempora partim referendæ epistolæ, ab eo scriptæ ad Nebridium, quicum erat non minori ferme quam cum Alypio necessitudine conjunctus. Nebridius singulari bonitate, summa prudentia, et mirabili ingenio adolescens, patriam habuit vicinam Carthagini; qua in urbe cum esset frequentissimus, arctissimam cum Augustino rhetoricæ artis tunc illic magistro amicitiam et consuetudinem junxerat (*Ibid.*, *lib.* 4, *cap.* 3, *n.* 6; *lib.* 6; *cap.* 10, *n.* 17; *lib.* 7, *cap.* 6, *n.* 8). Non tamen astronomorum commentis, Augustini exemplo, sese decipi permisit : imo illa explodens et exsibilans, Augustinum huic divinationis generi mirifice deditum avocare inde conabatur. Verisimile quoque est, Nebridium Manichæorum erroribus non fuisse implicatum, cum eos argumento, ex quo expedire se non poterant, non impugnaret modo, verum etiam expugnaret : unde et ipsum Augustinum, et eos qui audiebant, concutiebat (*Ibid.*, *lib.* 7, *cap.* 2, *n.* 3). In illorum tamen hæreticorum errore aliquandiu jacuit, qui Christi carnem phantasma credebant : ex quo tandem etiam ante susceptam fidem christianam emersit (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 3, *n.* 6). Cum Augustinus Mediolanum venisset, Nebridius quoque relicta patria, ipsaque Carthagine, relicto prædio, relicta domo et non secutura matre, Mediolanum se contulit, non alio consilio, quam ut una cum Augustino viveret, ac illi pro ardentissimo, quo flagrabat, veritatis et sapientiæ inquirendæ studio collaboraret (*Ibid.*, *lib.* 6, *cap.* 10, *n.* 17). Pariter suspirabat, pariterque fluctuabat : beatam vitam summa contentione exquirebat,

miraque ingenii solertia difficillimas quasque quæstiones scrutabatur. *Cum esset*, ait Augustinus, *rerum obscurarum ad doctrinam pietatis maxime pertinentium diligentissimus et acerrimus inquisitor, valde oderat de quæstione magna responsionem brevem. Et quisquis hoc poposcisset, ægerrime ferebat, eumque, si ejus persona pateretur, vultu indignabundus et voce cohibebat, indignum deputans qui talia quæreret, cum de re tanta quam multa dici possent deberentque nesciret* (*Epist.* 98, *n.* 8). Cum eo et Alypio maxime ac familiarissime de suis ante conversionem curis communicabat (*Confess. lib.* 6, *cap.* 7, *n.* 11); tresque hos amicos eadem sollicitudo vexabat (*Ibid.*, *n.* 17). Dum Augustinus ad Christum conversus est, Nebridius aberat. *Amicitiæ enim nostræ cesserat*, ait Augustinus, *ut omnium nostrum familiarissimo Verecundo Mediolanensi civi et grammatico subdoceret, vehementer desideranti et familiaritatis jure flagitanti de numero nostro fidele adjutorium, quo indigebat nimis. Non itaque Nebridium cupiditas commodorum eo traxit; majora enim posset si vellet de litteris agere : sed officio benevolentiæ petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus et mitissimus. Agebat autem illud prudentissime cavens innotescere personis secundum hoc sæculum majoribus, devitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberum, et quam multis posset horis feriatum ad quærendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de sapientia* (*Ibid.*, *lib.* 8, *cap.* 6, *n.* 13).

2. Cum hac igitur occupatione distentus Nebridius Augustinum in villam secedentem sequi non potuisset, mutuis epistolis amicitiam foverunt (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 7). Inter eas haud dubie numeranda est epistola tertia, ex qua patet, libros ab Augustino mense novembri ante Soliloquia compositos Nebridio legenti adeo arrisisse, ut gestientis animi motu velut abreptus continere se non potuerit, quominus eum beatum nuncuparet. Sua igitur illi Augustinus super hac re sensa exponit, et de suis loquitur Soliloquiis. Ubi conclusit, in animo esse veritatem, in mente nimirum atque intelligentia, subdit : *Quid huic adversatur? Sensus? Resistendum ergo sensibus totis animi viribus? Liquet. Quid, si sensibilia nimium delectant? Fiat ut non delectent. Unde fit? Consuetudine iis carendi, appetendique meliora* (*Epist.* 3, *n.* 4). Addit et illud se in suo secessu evidenter agnovisse, animi beatitudinem, licet is immortalis non esset, in rerum sensibilium delectatione ac fruitione non posse consistere. In extrema parte epistolæ aliquot illi de verborum conjugationibus quæstiunculas proponit (*Ibid.*, *n.* 5) : quod mirum videri possit in Augustino, qui et grammaticam et rhetoricam professus fuerat. Ad idem tempus referenda quoque videtur epistola quarta, cum adhuc suæ mentis oculos curis perturbatos et rerum sensibilium plagis debilitatos sublevare ei necesse esset; ut persuasum haberet, illa quæ intelligimus, magis vera esse, quam ista quæ oculis subjecta cernimus. Ad quod perducebatur hac Nebridii ratiocinatione, mentem nimirum atque intelligentiam corporeis oculis et hoc aspectu vulgari esse meliorem, neque hoc ita futurum fuisse, nisi magis essent illa quæ intelligimus, quam ista quæ cernimus. Ac licet a Nebridio petat, utrum huic ratiocinationi nihil valide inimicum sit, secum consideret; ea tamen ipsi ita arrisit, ut eam postmodum in suis contra Manichæos libris adhibuerit (*De Duabus Anim.*, *n.* 3). *Hac ego interim recreatus*, scribit ad Nebridium, *cum Deo in auxilium deprecato, et in ipsum, et in ea quæ verissime vera sunt, attolli cœpero, tanta nonnunquam rerum manentium præsumptione compleor, ut mirer interdùm illa mihi opus esse ratiocinatione, ut hæc esse credam, quæ tanta insunt præsentia, quanta sibi quisque sit præsens* (*Epist.* 4, *n.* 2). Hac epistola respondet Nebridio postulanti, ut quantum in otio, quo fruebatur, in sensibilibus et intelligibilibus discernendis profecisset, sibi per litteras indicaret. Ad hæc respondet, in iis ita se proficere, ut per ætatem paulatim proficimus : in his tamen adhuc se puerum esse, sed forte bona spe præditum. Id temporis Nebridius nullis adhuc Ecclesiæ sacris imbutus, nondum erat christianus, sed tamen ardentissimo studio veritatem inquirebat (*Confess. lib.* 9, *cap.* 3, *n.* 6). Et quamvis Augustinus dum se ad Christum convertit, consilium cedendi Mediolano cœpisset, ex quo discessu orbandus ille erat amici consuetudine; hanc tamen ipsi conversionis bonam gratiam gratulabatur : a qua ipse non longe aberat, cum Augustini exemplum jamjam esset secuturus; nam haud multo post ipsum sacro fonte lustratus est.

## CAPUT XI.

1 *Mediolanum redit Augustinus daturus nomen inter Competentes.* 2 *Interea temporis de Immortalitate animæ librum unum, et aliquot alios de liberalibus disciplinis ibidem scribit.* 3 *Baptismum sacerdote Ambrosio ministrante suscipit.* 4 *Ecclesiæ ea de re gratulatio ac lætitia.* 5 *Qua occasione Mediolani institutus mos canendi hymnos et psalmos in ecclesia.* 6 *Augustinus, omnibus abdicatis, propositum serviendi Deo amplexus adjungit aliquos sibi socios ejusdem propositi, ac remeat cum illis in Africam.*

1. Ubi tempus advenit, quo ad sacram regenerationem catechumeni nomina dare, seque in Competentium numero reponere tenebantur, quod saltem sub initium Quadragesimæ fieri consueverat, Augustinus rure relicto Mediolanum rediit una cum Alypio, qui cum ipso renasci in Christo cupiebat; secumque filium suum Adeodatum adduxit, ejusdem gratiæ consortem futurum, atque subinde in eorum societate christianis moribus et institutis imbuendum. Jam sane erat Alypius humilitate Sacramentis christianis congrua indutus, fortissimus domitor corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu (*Confess. lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14). Ipse autem Augustinus quam idonee comparatus esset, ex iis intelligimus, quæ multis post annis et de se ipso et de aliis scripsit : *An usque adeo dissimulamus a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attenti atque solliciti, quid nobis præciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur?* (*De Fide et*

*Operibus, n.* 9.) Tum porro Ecclesiæ ubera post longissimam sitim pene exhaustus atque aridus, ut loquitur, tota aviditate repetivit, eaque altius flens et gemens concussit, et expressit, ut id manaret, quod ei sic affecto ad recreationem satis esse posset, et ad spem reducendam vitæ ac salutis (*De Utilitate credendi, n.* 2).

2. Per eos dies librum de Immortalitate animæ scripsit, velut commonitorium ad absolvenda Soliloquia, quæ imperfecta remanserant (*Retract. lib.* 1, *cap.* 5, *n.* 1). Quare mirum videri non debet, si hujus libri ratiocinationes adeo contractas et breviter expressas dixerit, ut vix eas ipse perciperet. In eo libro locus est, cujus sententiam se non capere confitetur (*Ibid.*, *n.* 3). Nihilo tamen minus eo invito fetus iste in lucem prodiit, et ejus operibus annumeratus est. Tum etiam aliquot de liberalibus disciplinis libros scribere aggressus est, suos his de rebus interrogans convictores, qui ab hujusmodi studiis non abhorrerent; eo videlicet animo, ut per res corporeas ad spirituales quibusdam quasi gradibus certis vel perveniret, vel duceret (*Ibid.*, *cap.* 6). Has lucubrationes Mediolani exorsus, solum ibidem de Grammatica librum absolvit. Nam opus de Musicâ (*Ibid.*, *cap.* 11, *n.* 1) tum quoque incœptum, nonnisi post Baptismum et post regressum in Africam, scriptis sex voluminibus confecit (*Ibid.*, *cap.* 6). At de aliis quinque disciplinis apud Mediolanum similiter inchoatis, scilicet de Dialectica, de Rhetorica, de Geometrica, de Arithmetica, et de Philosophia, principia sola, id est, ipsorum forte librorum sola exordia remanserant. Quanquam cum suos Retractationum libros ederet, jam et hæc ipsa principia, et librum de Grammatica perdiderat : quæ nihilominus ab aliquibus haberi existimabat (*Ibid.*). Reipsa omnia isthæc opuscula in Possidii memorantur Indiculo.

3. Tandem factum est divina præstante opitulatione, ut per antistitem Ambrosium et doctrinam salutarem Ecclesiæ catholicæ et divina perciperet Sacramenta, ut memoriæ prodit Possidius; apud quem proxime ante illa verba legitur : *Proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, quo propinquantibus diebus sanctis Paschæ, salutis aquam perciperet* (*Possid., in Vita August., c.* 1). Quibus verbis indicare videtur, Augustinum, cùm ad Christum conversus est, Baptismatis in proxima Paschali solemnitate percipiendi consilium cepisse. Sed inde Baronius intulit, cum tempore Paschali fuisse regeneratum, eo sane consilio, ut ejus Baptismum ad quintum diem maii, quo die illius conversionem Ecclesia nunc celebrat, adaptaret (*Baron., ad ann.* 388, *n.* 71) : quamvis ea Possidii verba, si juxta morem, quem tunc Ecclesia servabat, exponantur, eum in Paschæ pervigilio baptizatum fuisse significent : qui dies adultorum præcipue Baptismo destinatus erat; ita ut extra eum diem multos aquis salutaribus simul abluere, quemadmodum in Augustini regeneratione accidit, infrequens et perrarum esset. Hoc itaque contigit ea nocte, quæ quintum et vicesimum diem aprilis antecedebat, quo die Ambrosius Pascha anno tricesimo octogesimo septimo esse celebrandum publica epistola probaverat.

4. Non est tenuitatis nostræ, de gaudio Angelorum Dei in cœlis super Augustini pœnitentia et Baptismo pro dignitate dicere : certe Christi in terris Ecclesia suum quotannis etiam nunc gratulabunda testatur; et adeo eximium Doctorem magno divinæ gratiæ munere donatum agnoscens, quintum diem maii ejusdem conversioni sacrum constituit : quæ porro non aliam cujusquam conversionem instituta festivitate celebrat, præter quam Pauli et Augustini. Hujus tamen conversio vel Baptismus tertio nonas maii accidere non potuit. Quanquam non longissime abest is dies ab eo, qui Mediolanensi Ecclesiæ veniente ad Baptismum Augustino festivus fuit. Nemo certe erit qui non facile suspicetur, sanctum virum fortunati illius diei recordatione maxime incitatum fuisse, ut Romanæ Ecclesiæ in Victorini conversione lætitiam tam disertis tamque piis verbis promendam prodendamque memoriæ curaret. Quocirca ex iis quæ ille de Victorino (*Confes. lib.* 8, *cap.* 2, *n.* 5), hoc præter alia, mutato duntaxat nomine, de ipso dicere peræque liceat, quod nimirum ubi ascendit ut symbolum in ecclesia redderet, omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, instrepuerunt nomen ejus strepitu gratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium : Augustinus! Augustinus! Cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum; et cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronuntiavit ille fidem veracem præclara fiducia, et volebant eum omnes rapere intro in cor suum, et rapiebant amando et gaudendo Hæ rapientium manus erant. Multi quidem ex profundiore tartaro cæcitatis, quam Augustinus redeunt ad Deum : sed si minus noti sunt populis, minus de illis gaudent etiam qui noverunt eos : qui autem multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, et multis præeunt secuturis. Plus etiam hostis vincitur in eo quem plus tenet, et de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Quanto igitur gratius cogitabatur Augustini pectus, quod tanquàm inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat, et Augustini lingua, quo telo grandi et acuto multos peremerat; tanto abundantius exsultare oportuit filios tuos, quia Rex noster alligavit fortem, et videbant vasa ejus erepta mundari, et aptari in honorem tuum, et fieri utilia Domino ad omne opus bonum (*Ibid.*, *cap.* 4, *n.* 9).

5. *Baptizati sumus*, inquit Augustinus, *et fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suavesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum, et exæstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis* (*Ibid., lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14). *Annus erat, aut non multo amplius* (*puta tredecim circiter menses ex quo ista consuetudo Mediolani cœperat*), *cum Justina Augusta Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium*

*persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arianis;* quod narrare pergit Augustinus in hunc modum : *Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, et per cætera orbis imitantibus* (*Ibid.*, *cap.* 7, *n.* 15). Experimentum utilitatis, quæ ex sacra Ecclesiæ modulatione percipitur, cum etiam recordaretur Vir sanctus, lacrymas, quas divina cantica in recuperatæ fidei suæ primordiis ex ipsius oculis elicuerant, eum ad istud Ecclesiæ institutum comprobandum semper induxit (*Ibid.*, *lib.* 10, *cap.* 33, *n.* 50).

6. Percepta Baptismi gratia mox Augustinus ex intimis cordis medullis, quidquid spei collocare in sæculo potuisset, abdicavit; jam non uxorem, non liberos, non divitias, non dignitates consectans, sed soli Deo cum suis servire constituens, ut pusillo illi gregi adscriberetur, cui regnum suum pollicetur Dominus, et quem ad possessiones vendendas ac pauperibus erogandas adhortatur. Itaque super fidei fundamentum nihil nisi aurum et argentum et gemmas exstruere, soloque victu ad tuendam corporis valetudinem necessario contentus esse decrevit : cum ante variis cupiditatibus et sollicitudinibus irretitus teneretur (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 2). In dubium vocari non potest, quin Alypius, præter alios quosdam, ei foret ejusdem placiti societate devinctus. Evodius sane Tagastensis, operante Deo qui habitare facit unanimes in domo, se socium illis adjunxit. Is prior Augustino ad Deum conversus erat et baptizatus (*Confess. lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17). Omnes in Deo jam consociati, simul degebant : quorum omnium Monnica perinde curam gerebat, ac si singulorum parens exstitisset (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 22). Perfectam pariter vitam agere singuli statuerant : de loco solum consiliis suis ac votis opportuno laborabant. *Simul eramus*, ait, *simul habitaturi placito sancto : quærebamus quisnam locus nos utilius haberet servientes tibi* (*Ibid.*, *cap.* 8, *n.* 17). Non enim alio spectabat placitum istud eorum sanctum, nisi ut spreto mundo simul Deo servirent : qui jam non solum christiani catholici ab suscepta fide et sacra regeneratione, sed etiam contempta felicitate terrena servi Dei essent (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 10, *n.* 26), ac vere jam inde monachi, ad perfectionem mandatorum Christi contendentes : quandoquidem Augustinus his ipsemet nominibus haud veretur appellare Albinam, Pinianum, et Melaniam, cum in Africa peregrinantes persimili placito sancto res suas pauperibus distribuerent; nam ipsi omnino sunt, quos implendæ jurationis, tametsi ab Piniano extortæ, obligatione eo minus absolvi posse contendit, quod præstita illa juratio esset Servorum Dei munere sanctitatis præeminentium, Monachorum ad perfectionem mandatorum Christi rerum etiam suarum distributione currentium (*Epist.* 126, *n.* 11). Placuit itaque Augustino cum civibus suis et amicis, qui se Dei servitio pariter addixerant, in Africam remeare (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 3). Cum eo erat Navigius frater (*Confess. lib.* 9, *cap.* 11, *n.* 27) : et cum ad Ostia Tiberina pervenisset, anno ætatis suæ trigesimo tertio matre orbatus est (*Ibid.*, *n.* 28), atque adeo ante idus novembres hujus anni trecentesimi octogesimi septimi. Sed non multo ante videtur id contigisse. Profitetur enim Augustinus multa se studio brevitatis præterire (*Ibid.*): unde quamdiu Mediolani post Baptismum commoratus sit, definire non possumus.

## CAPUT XII.

1 *Beata Monnica parentibus christianis nata, et apud ipsos pudice ac sobrie educata est.* 2 *Quam laudabiles ejus in conjugio mores.* 3 *Anno ætatis quadragesimo orbata viro, reliquam vitam omnem in piis operibus traduxit.* 4 *Quanto majore sollicitudine Augustinum parturivit spiritu, quam carne parturierat.* 5 *Interest philosophicis colloquiis Augustini, ubi inter alios eminet argutis et gravibus dictis.*

1. Cum in matris obitum Vir Dei narrando incidit, testatur se, cui multum festinanti multa prætereunda sunt, facere tamen non posse, quin aliquid eorum promat, quæ occurrunt animo de sanctissima femina; non quo velit propria ejus bona, sed Christi in ea dona prædicare. Hæc enim illum et carne ut in hanc temporalem, et corde ut in æternam lucem renasceretur, parturivit (*Conf.*, *lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17). Fuit vere Augustinus lacrymarum ejus filius (*Ibid.*, *lib.* 3, *capp.* 11, 12) : cumque ille animi esset sinceri æque ac beneficiorum memoris, debere se ei quidquid vitæ haberet, ultro fatebatur (*De Beata vita*, *n.* 6). Nata erat Monnica anno Christi trecentesimo trigesimo secundo, in domo fideli, bono Ecclesiæ membro; atque ibi sub Christi regimine divinum timorem imbiberat. Cum de ratione qua fuerat educata, confabulabatur, non tantum curæ matris debere se dictitabat, quantum diligentiæ famulæ cujusdam decrepitæ, quæ propter senectam et mores optimos ab familiæ istius vere christianæ dominis in honore habebatur, et ab iisdem suarum filiarum institutioni præfecta erat. Commissam sibi earum curam diligenter gerebat : et ut erat in eis coercendis, cum opus esset, sancta severitate vehemens, ita in docendis moderata et temperans prudentia. Nam eas præter illas horas, quibus ad mensam parentum moderatissime alebantur, etiam si exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcavens consuetudinem malam, et addens verbum sanum : *Modo aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis; cum autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum et cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi prævalebit* (*Confess. lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17). Sapientissimis illis monitis, cum ea, quam apud teneros puellarum animos sibi comparaverat, auctoritate, inconsulta desideria teneriori ætati familiaria compescebat, illisque præcipiebat, qua ratione sitim suam ita moderarentur ex temperantiæ lege, ut jam nec liberet, quod

non deceret. Narrabat tamen Augustino Monnica, ut elusa prudentis illius anus sedulitate, quædam animo suo ad bibendum vinum propensio irrepserat. Nimirum quoties a parentibus de more ad hauriendum vinum, tanquam exploratæ sobrietatis virgo mittebatur, e poculo quod de cuppa complebat, primoribus labris sorbebat exiguum, cum ejus palatum amplius non ferret. Non enim innata vini cupiditate ad hoc impellebatur, sed liberis quibusdam ludicrisque motibus, quos ex primæ ætatis ardore ebullientes in puerilibus animis majorum auctoritate frenari necesse est. Cum autem in graviora vitia sensim inducat leviorum contemptio, factum est ut vini plusculum in dies singulos bibens, cogente prava consuetudine, prope jam plenos mero caliculos cum aviditate ac voluptate hauriret. *Ubi tunc* (pius ejus filius exclamat) *sagax anus et vehemens illa prohibitio? Numquid valebat aliquid adversus latentem morbum, nisi tua medicina, Domine, vigilaret super nos? Absente patre et matre et nutritoribus, tu præsens qui creasti, qui vocas, qui etiam per præposteros homines boni aliquid agis ad animarum salutem, quid tunc egisti, Deus meus? Unde curasti? unde sanasti? Nonne protulisti durum et acutum ex altera anima convicium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, et uno ictu putredinem illam præcidisti? Ancilla enim, cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, ut fit, sola cum sola, objecit hoc crimen, amarissima insultatione vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit* (*Ibid.*, *n.* 18). Baptismum Christi non in extremis posita, sed multis ante mortem annis percepit Monnica : quo ex tempore sic vitam instituit, ut fidei morumque puritate cuilibet ad laudandum Dei nomen esset incitamento (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 34).

2. Itaque educata pudice ac sobrie, et parentibus potius Dei gratia, quam cura parentum Deo subdita, ubi matura fuit conjugio, viro, cui tradita est, non secus ac domino paruit : quem ut Deo lucraretur, omnes cogitationes intendit, efficacissimo genere persuadendi utens, morum integritate. Hac siquidem ornata divinitus, mariti oculis ea nitebat pulchritudine, ut amorem ejus simul ac venerationem non sine quadam illius admiratione sibi conciliaret (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 19). Ejus conjux, cui Patricio nomen, civis Tagastensis, adhuc erat idolorum cultui mancipatus (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 3, *nn.* 5, 6). In iis omnibus, quæ non spectabant ad religionem, illi Monnica, tametsi melior, serviebat : hac enim in re Deo ipsi obsequebatur, à quo sibi fuerat obsequendi lex imposita (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 11, *n.* 17). Tori injurias tam patienter tulit, ut cum marito nunquam ea de re expostularet, nimirum exspectans ut ei castitatem fides ac Dei misericordia largiretur. Noverat irato nunquam neque facto neque dicto reluctari : verum cum deferbuerat illius impetus, opportunitatem nacta, suam agendi rationem ei exponebat, si ipsum inconsiderantius excandescere contigisset. Cum aliæ mulieres, quarum viri mansuetiores erant, vestigia plagarum etiam dehonestata facie gererent, atque inter amica colloquia culpam illæ in maritorum intemperiem transferrent : hæc docebat illarum linguæ potius esse imputandum, graviter, sed jocunde simul admonens eas, cum primum tabulas matrimoniales recitari audierant, tanquam instrumenta quibus ancillæ maritorum factæ essent, existimare debuisse; ac proinde non decere ipsas conditionis suæ memores adversus dominos superbire. Quapropter quæ noverant quam ferocis ingenii maritum sustineret, eæ quidem mirari nunquam satis poterant, non fuisse auditum unquam, aut ullo vestigio deprehensum, Patricium violenter in uxorem manus injecisse, aut a se invicem domestica lite vel dieculam unam eos dissensisse. Cumque ab ea familiariter sciscitarentur, quonam pacto illud esset assecuta : instituti sui, quod supra memoravimus, rationem eis exponebat; cujus utilitatem, quæ eam imitabantur, propria experientia cognoscebant, eique hoc nomine gratias habebant (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 9, *n.* 19). Socrum etiam suam, a se initio susurris malarum quarumdam ancillarum abalienatam, obsequiis suis cum patientia ac mansuetudine ita sibi devinxit, ut illarum nequitiam ipsa Patricio filio proderet, eumque ut in illas animadverteret, precaretur. Cum autem is, tum ut matri morem gereret, tum ut domesticæ disciplinæ ac tranquillitati consuleret, easdem ancillas ex ejus voluntate meritis pœnis affecisset, declaravit mater, non alia de se præmia sperare debere, quæcumque de sua nuru, placendi sibi studio, mali aliquid loqueretur : quod nulla jam audente, memorabili inter se benevolentiæ suavitate vixerunt (*Ibid.*, *n.* 20). Hoc præterea sanctæ illi feminæ munus grande donaverat Deus, quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cum ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructuare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret (*Ibid.*, *n.* 21). Sic vero se gerebat Monnica, docente eam Magistro intimo in schola pectoris. Denique gratiæ semen, quod in famulæ suæ mentem sparserat Agricola cœlestis, ubertim fructum attulit in patientia; ac ejus erga virum agendi ratio tantum valuit, ut illum in extrema ejus vita totum Deo lucraretur; nec in eo jam fideli essent ipsi deflenda mala, quæ in nondum fideli toleraverat (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 13, *n.* 37). Quo tempore Augustinus annum ætatis decimum sextum agebat, nimirum circiter annum reparatæ salutis trecentesimum septuagesimum, numerabatur inter catechumenos Patricius (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 6); qui et proxime sequenti anno, ætatis Monnicæ quadragesimo, vita concessit.

3. Orbata viro, ante quem nulli, et post quem nulli nupta est (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 13, *n.* 37), reliquæ vitæ tempus traduxit vidua casta ac sobria, frequentans eleemosynas (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 9, *n.* 17); adversus peccantes in se misericorditer agens, donansque debitoribus debita (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 13, *n.* 36); obse-

quium et famulatum sanctis exhibens, vere serva servorum Dei ; quorum quisquis eam noverat, multum in ea laudabat et honorabat et diligebat Deum ; quippe cum Dei præsentiam in ejus corde sentiret agnosceretque ex sanctæ conversationis fructibus, tanquam idoneis testibus (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 22). Eam ipse quoque Ambrosius maxime diligebat propter ejus religiosissimam conversationem, qua in bonis operibus tam fervens spiritu frequentabat ecclesiam (*Ibid.*, *lib.* 6, *cap.* 2, *n.* 2). Bis in die, mane et vespere, ad ecclesiam Dei sine ulla intermissione veniebat ; non ad vanas fabulas et aniles loquacitates, sed ea mente, ut et Deum in divino verbo sibi loquentem audiret, et ab eo ipsa in suis orationibus audiretur (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 9, *n.* 17). Nullum diem prætermisit oblationem ad altare Dei (*Ibid.*) ; sive, sicut rem aliis paulo verbis Augustinus secundo memorat, nullius diei prætermissione servivit altari, unde sciret dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra et quærens quid objiciat, et nihil inveniens in illo in quo vincimus : cui nullus refundet innocentem sanguinem, cui nullus restituet pretium, quo nos emit ut nos auferat ei : ad cujus pretii nostri sacramentum ligaverat ancilla Dei animam suam vinculo fidei (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 13, *n.* 36). Cum autem usus in Africa obtineret, pultes et panem ac merum ad sepulcra martyrum afferendi, Monnica canistrum cibis refertum, quos in sanctorum honorem prælibaret, ac postea pauperibus divideret, affercns, non poculum, sed pocillum tantummodo vini, et quidem aqua temperati ponebat, unde dignationem sumeret : ac sicubi contingeret multas esse, quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum unum, quod ubique poneret, pocillum circumferebat ; atque ita vinum, non modo aquatissimum, sed etiam tepidissimum erat, quod inter hujusce religiosi officii comites per sorbitiones exiguas partiebatur ; quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Ambrosius porro Mediolani præceperat ista non fieri, nec ab eis qui sobrie facerent ; tum ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, tum quia illa, quasi parentalia superstitioni Gentilium essent simillima. Cum igitur Monnica munuscula suo more attulisset, atque ab ostiario prohiberetur ; ubi hoc Ambrosium, quem sicut angelum Dei diligebat, vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter id accepit, ut ipse miraretur Augustinus, eam potius ad consuetudinem quam sequebatur condemnandam, quam ad inquirendum qua de causa prohiberetur, adductam fuisse. Itaque ab instituto suo discessit lubens, et pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicit ; ut et quod posset, daret egentibus, et sic communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione immolati et coronati sunt martyres (*Ibid.*, *lib.* 6, *cap.* 2, *n.* 2). Cum etiam religiosa vidua perturbaretur, ambigens an Mediolani sibi jejunandum esset sabbato, secundum consuetudinem Tagastensis Ecclesiæ, an Mediolanensis more prandendum ; Augustinus tunc nondum conversus, quamvis hac de re parum sollicitus, ut eam tamen illa cunctatione liberaret, consuluit Ambrosium : Qui respondit, nihil hinc se eos docere posse, nisi quod ipse faceret ; quia si melius nosset, id potius observaret. Et adjecit : *Quando hic sum, non jejuno sabbato ; et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere* (*Ep.* 36, *n.* 32, *et Ep.* 54, *n.* 3). Hoc responsum retulit ad matrem, eique suffecit, nec dubitavit esse obediendum. Per idem tempus, quo Mediolani degebat, Ambrosio persecutionem ab Justina totos fere duos annos sustinente, *excubabat pia plebs in ecclesia*, ait Augustinus, *mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat* (*Conf.* *lib.* 9, *cap.* 7, *n.* 15). Tandem quidquid in vere viduis christianis requirit Apostolus (I *Tim.* v, 9), ea implevit. Fuit unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddidit, domum suam pie tractavit ; in operibus bonis testimonium habuit, nutrivit filios, toties eos parturiens, quoties a Deo deviare animadvertit (*Conf.* *lib.* 9, *cap.* 9, *n.* 22) : quod quidem in Augustino plane compertum est.

4. Vidimus quo studio christianam religionem inserere illi puerulo adhuc, ac pietatem semper inspirare curaverit sanctissima femina (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 11, *n.* 17), in cujus lacte nomen Christi Salvatoris nostri sic tenerum cor illius præbibit, ut admodum alte retineret (*Ibid.*, *lib.* 3, *cap.* 4, *n.* 8). Quo ardore dabat operam, ut idem adhuc puer in mortis periculo salutaribus sacramentis initiaretur ; charius cum parturiens corde casto in fide, quam carne parturierat? (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 11, *n.* 17.) Quos etiam adolescenti postea et cum quanta sollicitudine monitus dedit, ut cum ab obscenis amoribus deterreret? (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 7.) Quantum pro eo in Manichæorum hæresim lapso flevit ad Deum? Flevit certe amplius quam flent matres corporea filiorum funera. *Videbat enim illa*, inquit Augustinus, *mortem meam ex fide et spiritu quem habebat ex te ; et exaudisti eam, Domine : exaudisti eam, nec despexisti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus, in omni loco orationis ejus ; exaudisti eam. Nam unde illud somnium, quo eam consolatus es, ut vivere me concederet et habere secum eamdem mensam in domo, quod nolle cœperat, aversans et detestans blasphemias erroris mei? Vidit enim stantem se in quadam regula lignea, et advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset mœrens et mœrore confecta : qui cum causas quæsisset ab eâ mœstitiæ suæ, quotidianarumque lacrymarum, docendi, ut assolet, non discendi gratia, atque illa respondisset perditionem meam se plangere ; jussisse illum, quo secura esset, atque admonuisse ut attenderet et videret, ubi esset illa, ibi esse et me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta se in eadem regula stantem. Unde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor ejus? Unde illud etiam, quod cum mihi narrasset ipsum visum, et ego ad id tra-*

*here conarer, ut illa se potius non desperaret futuram esse quod eram; continuo sine aliqua hæsitatione, Non, inquit: non enim mihi dictum est, Ubi ille, ibi et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille (Ibid., lib. 3, cap. 11, nn. 19, 20).* Id novem ferme annos ante illius emendationem, quæ sub mensem augustum anni trecentesimi octogesimi sexti contigit, proindeque extremo circiter trecentesimo septuagesimo sexto factum est. Per hoc omne spatium vidua illa casta, pia et sobria, pro filio gemere apud Deum nunquam destitit. Etenim vivida factarum sibi promissionum fide ita se ipsa stimulabat, ut inde non solum non fieret segnior, verum etiam nullam suspiriis quietem, nullam fletibus moram, nullum modum votis ac precibus permitteret. De sanguine cordis sui Deo per lacrymas diebus ac noctibus pro illo sacrificabat (*Ibid., lib. 5, cap. 7, n. 13*): quem divina misericordia servavit usque ad aquam gratiæ, qua eodem abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro filio quotidie Deo rigabat terram sub vultu suo (*Ibid., cap. 8, n. 15*). Porro non contentus Deus ei primum hoc pignus futuræ conversionis Augustini dedisse, addidit et aliud per episcopum in Ecclesia catholica nutritum, atque in Libris divinis exercitatum. *Quem cum illa femina*, inquit Augustinus, *rogasset ut dignaretur mecum colloqui, et refellere errores meos, et dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc si quos forte idoneos invenisset); noluit ille, prudenter sane, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eo quod inflatus essem novitate hæresis illius, et nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicaverat ei. Sed sine, inquit, illum ibi, et tantum roga pro eo Dominum; ipse legendo reperiet quis ille sit error, et quanta impietas. Simul etiam narravit, se quoque parvulum a seducta matre sua datum fuisse Manichæis, et omnes pene non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum; sibique apparuisse nullo contra disputante et convincente, quam esset illa secta fugienda, itaque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, et ubertim flendo, ut me videret et mecum dissereret; ille jam substomachans tædio, Vade, inquit, a me; ita vivas: fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat. Quod illa ita se accepisse, inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de cœlo sonuisset (Ibid., lib. 3, cap. 12, n. 21).* Data sunt ei divinitus alia quoque futuræ filii emendationis testimonia, quæ illa fideli pectore tenebat, et semper orans tanquam chirographa Deo sua ingerebat (*Ibid., lib. 5, cap. 9, n. 17*). Quando Augustinus ipsa incassum retinente ac in littore relicta navigavit in Italiam, remansit illa orando et flendo. *Et quid a te petebat, Deus meus*, inquit ille, *tantis lacrymis, nisi ut navigare me non sineres? Sed tu alte consulens, et exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti quod tunc petebat, ut in me faceres quod semper petebat (Ibid., cap. 8, n. 15).* Appulsus Romam Augustinus gravem in morbum incidit, à quo precibus matris, licet ipsius periculum nescientis, liberatum se profitetur. Si vero contigisset illum in hæresi, quam tum sectabatur, mortem obire, casus ille cordi matris tam altum vulnus inflixisset, ut nullum reliquo vitæ curriculo solatium esset admissura. Neque enim dici potest qua charitate filium complectebatur, quantove majori sollicitudine eum parturiebat spiritu, quam carne pepererat. *Non itaque video*, ait Augustinus, *quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transverberasset viscera dilectionis ejus (Ibid., cap. 9, nn. 16, 17).* Diu se a filio separari non tulit; sed pietate fortis, nihil arduum rata, eum terra marique secuta est, ac tandem Mediolani, quam in urbem docendi causa anno trecentesimo octogesimo quarto se contulerat, assecuta (*Ibid., cap. 13, n. 23*). Divini auxilii fiducia periculum nullum non contemnebat, adeo ut per marina discrimina ipsos nautas, a quibus solatium adhiberi solet iis quos navigandi insuetos exoriens procella perturbat, ipsa solaretur, pollicens eis perventionem cum salute; quia hoc ei Deus per visum erat pollicitus (*Ibid., lib. 6, cap. 1, n. 1*). Filium offendit, ob desperationem inveniendi veri, non mediocriter periclitantem. *Sed tamen ei cum indicassem*, ait Augustinus, *non me quidem jam esse Manichæum, sed neque catholicum christianum, non, quasi inopinatum aliquid audierit, exsilivit lætitia; cum jam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquam mortuum, sed resuscitandum tibi flebat, et feretro cogitationis efferebat, ut diceres filio viduæ: Juvenis, tibi dico, surge (Luc. VII, 14, 15); et revivisceret, et inciperet loqui, et traderes illum matri suæ. Nulla ergo turbulenta exsultatione trepidavit cor ejus, cum audisset ex tanta parte jam factum, quod tibi quotidie plangebat ut fieret; veritatem me nondum adeptum, sed falsitati jam ereptum: imo vero quia certa erat, et quod restabat te daturum, qui totum promiseras; placidissime et pectore pleno fiduciæ respondit mihi, credere se in Christo, quod priusquam de hac vita emigraret, me visura esset fidelem catholicum. Et hoc quidem mihi. Tibi autem, fons misericordiarum, preces et lacrymas densiores, ut accelerares adjutorium tuum, et illuminares tenebras meas; et studiosius ad ecclesiam currere, et in Ambrosium ora suspendi, ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum sicut angelum Dei; quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum, per quam transiturum me ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente arctiore periculo; quasi per accessionem quam criticam medici vocant, certa præsumebat (Confess. lib. 6, cap. 1, n. 1).* Votorum tandem compos circiter augustum mensem anni trecentesimi octogesimi sexti facta est beata vidua, cum catenas, quibus et mundo et sibi colligabatur Augustinus, gratia Christi liberatoris abrupit. Matrem ille confestim adivit, quæ hoc audito lætata est; cumque idem totam rei seriem explicaret, exsultabat illa, et triumphabat, et benedicebat Deum, qui potens est ultra quam petimus aut intelligimus facere: quippe quæ cerneret sibi multo plus pro filio concessum fuisse, quam ipsa gemitibus ac lacrymis petere solita erat. Is enim ita resipuerat, ut ducendæ uxoris cogitationem penitus abjiceret, et omnem sæculi hujus spem proculcaret: jam stans immotus in eâ

regula fidei, in qua eum secum aliquando futurum tot annis mater revelatione divina cognoverat. Ac sic lacrymas suas in voluptatem multo quam sibi promiserat uberiorem mutatas sensit, eamque multo sibi chariorem et castiorem, quam si filio liberos, quos optarat, in legitimo conjugio vidisset procreari (*Ibid.*, *lib.* 8, *cap.* 12, *n.* 30).

5. Cum Augustinus post suam conversionem se cum suis in villam Cassiciacum recepit, his in eo secessu comitem se quoque adjunxit Monnica, muliebri quidem habitu, sed virili fide, anili securitate, materna charitate, christiana pietate præstans (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 4, *n.* 8). Ibi philosophicis eorum colloquiis, quantumlibet sublimia illa essent, etiam ipsa intererat. Cumque idibus novembris de beata vita disputaretur, asseruit, nulla re alia ali animam, quam intellectu rerum et scientia; neque quemquam esse posse beatum, quin idem et bonum vellet, et haberet: *Si bona*, inquiebat, *velit et habeat, beatus est; si autem mala velit, quamvis habeat, miser est.* Qua in re affirmavit Augustinus, illam summum philosophiæ apicem attigisse; nec ipsi Ciceroni, si par elocutio adfuisset, quidquam concessuram fuisse. Deinde pulcherrimum ex Hortensio hujus oratoris locum recitavit: *In quibus verbis*, inquit, *illa sic exclamabat, ut obliti penitus sexus ejus, magnum aliquem virum considere nobiscum crederemus; me interim quantum poteram intelligente, ex quo illa et quam divino fonte manarent* (*De Beata Vita*, *disput.* 1, *nn.* 8, 10). Eadem postea adjecit, illum qui vel universas mundi felicitates ita possideret, ut securus esset eas se nunquam amissurum, tamen cum illis satiari non posset, eo ipso miserum fore, quo semper esset indigus: non ergo quemquam illis rebus, sed animi sui moderatione beatum esse. Quibus auditis, nihil eam neque verius, neque ipsa dignius dicere potuisse, Augustinus respondit (*Ibid.*, *n.* 11). Cum autem ei expositum esset, quinam essent Academici, *Isti homines*, inquit Monnica, *caducarii sunt*: quo nomine vulgo vocabant, quos comitialis morbus subverteret (*Ibid.*, *n.* 16). In colloquio etiam postridie habito verba memoratu digna protulit. Tertio autem die cum quæreretur, illine omnes, qui in terrena felicitate, cum summo bono priventur, miseri sunt, dicendi quoque sint egeni: *Nescio*, inquit Monnica, *et nondum plene intelligo, quomodo ab egestate possit miseria, aut egestas a miseria separari. Nam et iste, qui dives et locuples erat, et nihil, ut dicitis, amplius desiderabat; tamen quia metuebat ne amitteret, egebat sapientia. Ergone hunc egentem diceremus, si egeret argento et pecunia; cum egeret sapientia, non diceremus?* Exclamaverunt quotquot aderant, et dictum illud sunt admirati. Ipse vero Augustinus solutionem illam, quam ex philosophorum libris petitam veluti pulcherrimam in finem reservabat, a matre fuisse inventam, non mediocriter lætus: *Videtisne*, inquit, *aliud esse multas variasque doctrinas, aliud animum attentissimum in Deum? Nam unde ista, quæ miramur, nisi inde procedunt?* (*Ibid.*, *disput.* 3, *n.* 27.) Circa hujusce disputationis finem, cum ab Augustino Trinitatis mentio injecta fuisset, Monnica recognitis verbis, quæ suæ memoriæ penitus inhærebant, et quasi evigilans in fidem suam, versum illum sacerdotis Ambrosii, *Fove precantes, Trinitas*, læta effudit, atque subjecit: *Hæc est, nullo ambigente, beata vita, quæ vita perfecta est; ad quam nos festinantes posse perduci solida fide, alacri spe, flagrante charitate, præsumendum est* (*Ibid.*, *n.* 35). Quanquam matris excellens ingenium jam ante ex diuturno convictu perspexisset Augustinus; in illa tamen disputatione mentem ejus agnovit adeo sublimem atque erectam, ut arbitraretur esse neminem, qui ad veram philosophiam ea magis idoneus reperiretur (*De Ordine*, *lib.* 2, *n.* 1). Quapropter agebat ipse, ut illa philosophicis ejusmodi dissertationibus, cum otium suppeteret, nunquam non adesset. In secundo de Ordine colloquio præclarum hoc effata est: *Ego*, inquit, *non puto nihil potuisse præter Dei ordinem fieri; quia ipsum malum quod natum est, nullo modo Dei ordine natum est; sed illa justitia id inordinatum esse non sivit, et in sibi meritum ordinem redegit et compulit* (*Ibid.*, *n.* 23). Quibus verbis id videtur significare voluisse, quod adeo frequenter Augustinum legenti occurrit, videlicet auctorem peccati Deum non esse, sed ordinatorem. Sub extremum illud colloquium eam Augustinus laudat compellatque in hunc modum: *Oremus ergo, non ut nobis divitiæ, vel honores, vel hujusmodi res fluxæ atque nutantes, et quovis resistente transeuntes, sed ut ea proveniant, quæ nos bonos faciant ac beatos. Quæ vota ut devotissime impleantur tibi, maxime hoc negotium, mater, injungimus; cujus precibus indubitanter credo atque confirmo mihi istam mentem Deum dedisse, ut inveniendæ veritati nihil omnino præponam, nihil aliud velim, nihil cogitem, nihil amem. Nec desino credere, nos hoc tantum bonum, quod te promerente concupivimus, eadem te petente adepturos* (*Ibid.*, *n.* 52). Postquam autem baptizatus fuisset Augustinus cum quibusdam amicis et necessariis, qui una jam in Deo consociati vivebant, in illorum contubernio adhuc aliquandiu vixit Monnica: quibus omnibus tantum curæ adhibebat, quantum si mater omnium exstitisset; tantum observantiæ, quantum si omnium filia (*Confessionum lib.* 9, *cap.* 9, *n.* 22). His autem pariter remeantibus in Africam, cum ad Ostia Tiberina pervenissent, seque ibi ad navigandum compararent, Monnica extremo correpta morbo, naturæ debitum solvit (*Ibid.*, *cap.* 8, *n.* 17).

## CAPUT XIII.

1 *Monnicæ cum Augustino de æternæ vitæ felicitate collocutio.* 2 *Præclarum dictum sanctissimæ feminæ de abjicienda sepulcri sui cura: felix ejusdem obitus.* 3 *Monnicæ funus: Augustini dolor de illius obitu acerbissimus, fletus modicus.*

1. Quinque aut forte sex ante diebus, quam beata Monnica in morbum incideret, cum ipsa et filius apud Ostia Tiberina incumberent ad fenestram, unde prospectus erat in hortum domus, in qua diversabantur; et remoti a turbis post longi itineris laborem, instaurabant se navigationi, de vita æterna cum summa

animi voluptate sermonem contulerunt, præterita obliviscentes, ac in ea quæ ante sunt extenti. *Inhiabamus*, inquit Augustinus, *ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ qui est apud te; ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur; erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis; et suspiravimus, et reliquimus ibi religatas primitias spiritus, et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur.* Is hujus colloquii et ecstasis fructus fuit, ut ipsis omnia mundi oblectamenta, præ illa delibatæ felicitatis suavitate, vilescerent. Et illa quidem ad Augustinum : *Fili*, ait, *quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Unum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te christianum catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam, contempta felicitate terrena, servum ejus videam. Quid hic facio?* (*Confess. lib.* 9, *cap.* 9, *n.* 23-26.)

2. Alio item die Monnica Ostiis Tiberinis cum nonnullis amicis Augustini (ipse enim aberat) sermonem de contemptu vitæ hujus et de bono mortis familiarissime conferebat : qui feminæ virtutem stupentes, cum ab ea quæsiissent, numquid timeret, ne tam longe a sua civitate corpus relinqueret : *Nihil*, inquit illa, *longe est Deo; neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi, unde me resuscitet.* Porro mirum quantum fuerat ante de sepulcro sollicita, quod ideo juxta mariti corpus sibi providerat et præparaverat, quia peractis cum illo summa consensione matrimonii annis, cupiebat illud huic felicitati adjici, quo commemoraretur ab hominibus concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, ut conjuncta terra amborum conjugum terra tegeretur : sed jam tum infirmitatem hanc Deus sanaverat, et cordis ejus inanitatem gratiæ plenitudine compleverat (*Ibid.*, *cap.* 10, *n.* 28). Quod sane Augustino satis ipsa significaverat, cum in supra memorato sermone ad fenestram erupit in hæc verba : *Quid hic facio?* Sed ejus mentem ille haud quaquam plene est assecutus, donec in extremis posita sese illa planius aperuit. Nam quinto circiter post istum sermonem die in febrim incidit : qua quidem novem dies durante, obsequiis interea sibi ab Augustino impensis interblandiens, pium illum appellabat, ac tenerrimo cordis affectu commemorabat, nunquam ex illius ore voculam excidisse, quæ ipsam vel leviter lædere potuisset (*Ibid.*, *cap.* 12, *n.* 30). Quodam autem ægritudinis die defectum animæ passa est, ac paululum subtracta præsentibus : *Nos concurrimus* (Augustini verba hæc sunt), *sed cito reddita est sensui, et aspexit astantes me et fratrem meum, et ait nobis quasi quærenti similis : Ubi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos : Ponetis hic, inquit, matrem vestram. Ego silebam, et fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregre, sed in patria defungi, tanquam felicius, optaret. Quo audito, illa vultu anxio reverberans eum oculis, quod talia saperet, atque inde me intuens : Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus : Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet : tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi ubi fueritis* (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 11, *n.* 27). *Ergo illa imminente die resolutionis suæ*, pergit paulo post Augustinus, *non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrium; non ista mandavit nobis : sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat; unde sciret dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis* (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 36). Itaque cum mentem suam, prout ei per valetudinem licebat, explicasset, ingravescente morbo exercebatur. In quo cruciatu beata illa anima corpus reliquit, ad superos evolatura, die ægritudinis suæ nono, ætatis ipsius anno quinquagesimo sexto, ætatis autem Augustini trigesimo tertio, paucis forte diebus ante idus novembres anni supra trecentesimum octogesimi septimi. Natalem tamen ejus Ecclesia quarto nonas maii celebrat : quod cur ita fiat, nobis ignotum est.

3. Matris oculos pressit Augustinus, ac statim acerbissimus dolor intimum ejus pectus pervasit : et cum per lacrymas exitum quæreret, suis ille oculis vim faciens, eas intus retrudebat. Nec levis erat cruciatus, quem in illa longe gravissima sui contra se lucta patiebatur. Indecorum videlicet censebat, matris mortem lacrymis prosequi; cum in dubium vocare non posset, quin illa meliore sui parte viveret : hoc et documentis morum ejus, et fide non ficta, rationibusque certis tenebat (*Ibid.*, *cap.* 12, *n.* 29). Nihilo tamen minus suavissimam illius consuetudinem sibi morte ademptam graviter dolebat. *Quasi dilaniabatur vita*, inquit, *quæ una facta erat ex mea et illius* (*Ibid.*, *n.* 30). Tum vero cum efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum; atque ab omnibus præsentibus coercitus tacuit. Cohibito ergo a fletu Adeodato, confestim Evodius arripuit Psalterium, ac psalmum canere cœpit Augustino et aliis accinentibus : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Ibid.*, *n.* 31). Ubi per urbem sanctæ viduæ obitus percrebuit, Christiani complures ac religiosæ feminæ domum convenerunt. Interim funus curantibus iis, quorum id muneris erat, secessit Augustinus in locum, ubi decenter esse poterat in illorum societate, qui eum in hac animi ægritudine deserendum non esse censebant. *Quod erat*, inquit, *tempori congruum disputabam, eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus, et intente audientibus, et sine sensu doloris me esse arbitrantibus. At ego in auribus tuis, ubi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, et constringebam fluxum mœroris : cedebatque mihi paululum, rursusque impetu suo ferebatur, non usque ad eruptionem lacrymarum, nec usque ad vultus mutationem; sed ego*

*sciebam quid corde premerem. Et quia mihi vehementer displicebat, tantum in me posse hæc humana, quæ ordine debito et sorte conditionis nostræ accidere necesse est, alio dolore dolebam dolorem meum, et duplici tristitia macerabar* (*Confess. lib.* 9, *c.* 12, *n.* 31). Elato corpore, ac prope sepulcrum posito, ut ibi moris erat, liberationis nostræ sacrificium pro ea oblatum est. Atque interea lacrymas suas continebat Augustinus. *Ecce*, ait, *corpus elatum est; imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi: sed toto die graviter in occulto mœstus eram, et mente turbata rogabam te, ut poteram, quo sanares dolorem meum; nec faciebas, credo commendans memoriæ meæ vel hoc uno documento, omnis consuetudinis vinculum etiam adversus mentem quæ jam non fallaci verbo pascitur.* Visum est illi petere balneas; quod iis anxietatem ex animo pelli audiisset, nec tamen illius dolor his aquis abstersus est. Verum cum obdormisset, sensit experrectus dolorem suum non mediocriter somno mitigatum (*Ibid.*, *lib.* 9, *cap.* 12, *n.* 32). Attamen cum jacturæ suæ et orbitatis memoriam paulatim in mentem revocaret, de matre et pro matre, de se et pro se sub oculis Dei flere libuit. Lacrymas itaque, quas hactenus compressas tenuerat, disrupto veluti repagulo laxavit, et ut dolorem cordis per eas egereret, libere prorsus effluere permisit. Sic demum requievit; quoniam illas coram Deo, non autem in oculis hominis, eas forte per superbiam male interpretaturi, effuderat. Illius tamen fletus exiguam horæ partem non excessit. *Legat*, ait, *qui volet, et interpretetur ut volet: et si peccatum invenerit, flevisse me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleverat, ut oculis tuis viverem; non irrideat, sed potius si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui* (*Ibid.*, *n.* 33).

## CAPUT XIV.

1 *Dilato reditu ad patriam, Augustinus Romæ conscribit aliquot libros, scilicet de Moribus Ecclesiæ catholicæ.* 2 *De Moribus Manichæorum.* 3 *De Quantitate animæ.* 4 *Inchoat opus de Libero Arbitrio, et quasdam Romanæ Ecclesiæ consuetudines discit.*

1. Augustinum ad Ostia Tiberina pervenisse vidimus, ut se illic instauraret navigationi, suumque in Africam reditum adornaret. Non trajecit tamen, nisi post Maximi necem, hoc est, mense augusto vel septembri anni trecentesimi octogesimi octavi. Qua de re satis ample diximus supra (*Lib.* 2, *cap.* 7). Ipsemet testatur, se post Baptismum, priusquam in Africam remearet, aliquandiu Romæ constitisse (*Retract. lib.* 1, *c.* 7, *n.* 1; *c.* 8, *n.* 1; *c.* 9, *n.* 1). Per hos dies duos libros conscripsit, alterum de Moribus Ecclesiæ catholicæ, alterum de Moribus Manichæorum. Scripsit et dialogum de Quantitate animæ, ac tres libros de Libero Arbitrio. Liber de Moribus Ecclesiæ editus est contra Manichæos. Nam cum Augustinus quam maxime gratiæ Christi obstrictum se agnosceret, cujus nimirum auxilio ex illius hæreseos gurgite tandem emerserat: alios quoque periculo, quod ipse adierat, eripi vehementer optabat. Et reipsa id solatii percepit, ut Deus ejus ministerio librisque per eum divino instinctu conscriptis, quam plurimos a nefario illo errore liberarit. Duæ in primis illecebræ ad incautos et rudes decipiendos fuerunt Manichæis: una, scripturarum Veteris Testamenti, quas ignorarent, reprehensio; altera, vitæ castæ et singularis continentiæ simulata professio (*De Morib. Eccl. cath.*, *n.* 2). Ut igitur ab hoc posteriore laqueo fideles averteret Augustinus, doctrinam disciplinamque catholicæ Ecclesiæ explicare constituit, sperans fore, ut ex hoc libro innotescere posset, quam facili negotio virtus simuletur, et quam difficili teneatur. Ipso initio testatur, sat in aliis libris ostendisse se, quemadmodum error et impietas, qua in Vetus Testamentum invehuntur Manichæi, possit impugnari. Eum tamen hac de re superioribus opusculis egisse non legimus. Quapropter non alios opinamur memoratos ibi ab eo libros, nisi geminos illos, quibus initium Genesis contra Manichæorum calumnias post reditum in Africam exposuit. Quod si ita est, libri de Moribus Ecclesiæ et de Moribus Manichæorum scripti quidem Romæ fuerint, quando ipse auctor id testatur: non tamen ibi publicati neque perfecti prorsus, nisi Augustino in Africa jam constituto. Enimvero locis nonnullis perinde est locutus, ac si Roma tum abesset, ut videre est libri primi capite trigesimo tertio, et libri secundi capite vigesimo. Quid, quod in ejusdem libri secundi capite duodecimo memorat quodpiam pro Manichæa hæresi novum responsum, quod se nuper apud Carthaginem audivisse testatur? Quædam scilicet his libris Romæ primum scriptis accessio postea fieri in Africa potuit, antequam vulgarentur. Augustinus igitur cum tacitus ferre non posset Manichæorum de falsa continentia et fallaci abstinentia sua jactantiam, qua imperitos in errorem inducebant, cum se veris Christianis, quibus comparandi non erant, insolenter præponerent, silentium solvit, et stilum arripuit. In quo tamen eum modum tenere voluit, ut in perditos illorum mores, sibi notissimos, non tam acriter inveheretur, quam illi hæretici in ea quæ ignorarent. Eos enim sanare potius, quam oppugnare et vincere cupiebat. Nec ibi mysteria, quæ in Scripturis ipse detegebat, aperit; cum eos non verum docere, sed falsum dedocere, favente Deo, fuisset adortus. Sub libri primi finem a morum doctrina ad virtutis exempla, quæ in Ecclesia elucebant, delapsus, disserit de perfectis illis eremi cultoribus, qui se ab omni hominum commercio penitus disjunxerant: de mira cœnobitarum multitudine, qui sub unius patris moderamine in desertis locis degentes, se manuum suarum labore sustentabant: de sanctimonialibus, quæ ab omni virorum conspectu sejunctæ, eodem ritu vivebant: de multis episcopis et clericis sanctissimis, quorum virtus eo mirabilior erat, quo difficilius est eam inter improbos tueri: denique de variis utriusque sexus Christianis, qui mediis in urbibus idem, quod alii in solitudine, vitæ genus consectabantur. Viderat simile diversorium sanctorum

Mediolani : Romæ etiam plura cognoverat.

2. In eo libro volumen aliud pollicetur, quo sit ostensurus, quam vana sit, imo quam noxia, quam sacrilega virtus, qua gloriabantur Manichæi ; et vix ac ne vix quidem unum ex illis leges, quas irrationabili superstitione sibi præscriberent, observare (*De Morib. Eccl. cath., n.* 75). Id præstat in libro de Moribus Manichæorum, in quo ubi theologica eorum principia confutavit, demonstrat in quo tandem moralis illorum doctrina consisteret. Demum animadvertit quam accurate illam observarent, ex iis quæ aut ipse viderat, aut ab oculatis testibus acceperat. Varia superius exempla notavimus, quæ ille super hac re commemorat (*Supra, lib.* 1, *cap.* 9).

3. Romæ etiam non multo post tempore, quam Mediolano discessisset, librum de Quantitate animæ conscripsit. Dialogus est, qui satis nativus et ad veritatem videtur adductus, ut non omnino fictitius existimetur. Habitum cum Evodio prodit ipse Augustinus in epistola ad eumdem data (*Epist.* 162, *n.* 2). In hoc libro multa de anima quærit et expendit : nempe undenam ducat originem, qualis sit, quanta sit; cur infusa corpori, qualis evadat corpori unita, qualis cum illius compagibus soluta fuerit. Verum quia et uberius et accuratius disputat quanta sit, ut eam et quantitatis et corporis expertem esse, et tamen magnum aliquid esse demonstret; ex hac inquisitione factum est, ut liber iste de Quantitate animæ nuncuparetur.

4. Denique tres libros de Libero Arbitrio etiam in Urbe constitutus inchoavit : duos enim posteriores, aliquot annis interjectis, jam presbyter ordinatus absolvit. Romæ cum ageret, didicit haud dubie quasdam consuetudines Ecclesiæ Romanæ proprias ab ipso in suis opusculis memoratas, qualis est illa jejunandi crebro tribus diebus hebdomadæ, nempe feria quarta, sexta et sabbato; ut plurimum autem sabbato, præter consuetudinem omnium ferme Orientalium et Occidentalium Christianorum, qui sabbato non jejunabant. Verum ne Romæ quidem per tempus Paschale sabbato jejunium servabatur, ubi etiam non putabatur quinta feria esse jejunandum (*Epist.* 36, *nn.* 8, 9). Romæ quoque auditione accepit exsecranda flagitia, quæ Manichæi suis in sacrificiis perpetrarant, ut ex eorum confessione in Galliis publico in judicio facta constabat (*De Nat. Boni contra Manich., cap.* 4).

# *LIBER TERTIUS.*

De Augustini reditu in Africam ac de rebus ibi gestis ab ipso usque ad Episcopatum.

## CAPUT PRIMUM.

1 *Africam repetit, ubi se cum Mediolani ageret, Eulogio Carthagine docenti apparuisse in somnis, ex ipso comperit.* 2 *Interest miraculo curationis Innocentii.*

1. Maximus, qui Gratiano imperium per tyrannidem ademerat anno trecentesimo octogesimo tertio, quique Valentinianum juniorem Italia expulerat anno trecentesimo octogesimo septimo, occisus est anno sequenti, quinto kalendas Augusti aut sexto kalendas septembris. Post ejus necem Augustinus in Africam trajecit (*Contra litt. Petiliani, lib.* 3, *n.* 30); sed quantum mutatus ab illo Augustino, qui ex ea solverat anno trecentesimo octogesimo tertio! *Sciunt,* ait, *quia et navigavimus aliquando, sciunt quia et peregrinati sumus : sciunt quia alii ivimus, et alii redivimus* (*Enarr. in Psal.* XXXVI, *serm.* 3, *n.* 19). Carthaginem appulisse creditur, et illic prius, quam se Tagastam conferret, aliquandiu constitisse. Ibi quippiam audivit dictu mirabile, quod ipso Mediolani agente contigerat. *Carthaginis rhetor Eulogius,* inquit, *qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquam in Africam remeavimus, retulit, cum rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem, quam postridie fuerat traditurus, quemdam locum offendit obscurum, quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus : qua nocte somnianti, ego illi quod non intelligebat exposui : imo non ego, sed imago mea nesciente me, et tam longe tratis mare aliquid aliud sive agente, sive somniante, et nihil de illius curis omnino curante* (*De Cura pro mort. gerenda, n.* 13).

2. Verum aliud longe jucundius commemorat, hoc ipso gestum tempore, curationem scilicet illustris viri Innocentii, exadvocati vicariæ præfecturæ : cujus ipse Augustinus, si auctor non fuerit, certe testis oculatus exstitit. Hanc accurate describit his verbis : *Venientes enim de transmarinis, me et fratrem meum Alypium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes, ut erat* (Innocentius ille) *cum tota domo sua religiosissimus, ipse susceperat, et apud eum tunc habitabamus. Curabatur a medicis : fistulas, quas numerosas atque perplexas habuit in posteriore atque ima corporis parte, jam secuerant ei, et artis suæ cætera medicamentis agebant. Passus autem fuerat in sectione illa et diuturnos et acerbos dolores. Sed unus inter multos sinus fefellerat medicos, atque ita latuerat, ut eum non tangerent, quem ferro aperire debuerant. Denique sanatis omnibus, quæ aperta curabant, iste remanserat solus, cui frustra impendebatur labor. Quas moras ille suspectas habens, multumque formidans ne iterum secaretur, quod ei prædixerat alius medicus domesticus ejus, quem non admiserant illi, ut saltem videret, cum primum sectus est, quomodo id facerent, iratusque illum domo abjecerat, vixque receperat; erupit, atque ait : Iterum me secturi estis? Ad illius, quem noluistis esse præsentem, verba venturus sum? Irridere illi medicum imperitum, metumque hominis bonis verbis promissionibusque lenire. Præterierunt et alii dies plurimi, nihilque proficiebat omne*

*quod fiebat. Medici tamen in sua pollicitatione persistebant, non se illum sinum ferro, sed medicamentis esse clausuros. Adhibuerunt et alium grandævum jam medicum, satisque in illa arte laudatum (adhuc enim vivebat) Ammonium, qui loco inspecto, idem quod illi ex eorum diligentia peritiaque promisit. Cujus ille factus auctoritate securus, domestico suo medico, qui futuram prædixerat aliam sectionem, faceta hilaritate, velut jam salvus, illusit. Quid plura? Postea tot dies inaniter consumpti transierunt, ut fessi atque confusi faterentur eum nisi ferro nullo modo posse sanari. Expavit, expalluit nimio timore turbatus : atque ubi se collegit, farique potuit, abire illos jussit, et ad se amplius non accedere. Nec aliud occurrit fatigato lacrymis et illa jam necessitate constricto, nisi ut adhiberet Alexandrinum quemdam, qui tunc chirurgus mirabilis habebatur, ut ipse faceret quod ab illis fieri nolebat iratus. Sed posteaquam venit ille, laboremque illorum in cicatricibus sicut artifex vidit, boni viri functus officio, persuasit homini, ut illi potius qui in eo tantum laboraverant, quantum ipse inspiciens mirabatur, curationis suæ fine fruerentur; adjiciens quod revera nisi sectus esset, salvus esse non posset; sed valde abhorrere a suis moribus, ut hominibus quorum artificiosissimam operam, industriam, diligentiam admirans in cicatricibus ejus videret, propter exiguum quod remansit, palmam tanti laboris auferret. Redditi sunt animo ejus, et placuit ut eodem Alexandrino assistente ipsi sinum illum ferro, qui jam consensu omnium aliter insanabilis putabatur, aperirent. Quæ res dilata est in consequentem diem. Sed cum abiissent illi, ex mœrore nimio domini tantus est in domo illa exortus dolor, ut tanquam funeris planctus vix comprimeretur a nobis. Visitabant eum quotidie sancti viri, episcopus tunc Uzalensis, beatæ memoriæ Saturninus, et presbyter Gelosus, ac diaconi Carthaginensis Ecclesiæ : in quibus erat, et ex quibus solus est nunc in rebus humanis, jam episcopus cum honore a nobis debito nominandus Aurelius, cum quo recordantes mirabilia opera Dei de hac re sæpe collocuti sumus, eumque valde meminisse, quod commemoramus, invenimus. Qui cum eum, sicut solebant, vespere visitarent, rogavit eos miserabilibus lacrymis, ut mane dignarentur esse præsentes suo funeri potius quam dolori. Tantus enim eum metus ex prioribus invaserat pœnis, ut se inter medicorum manus non dubitaret esse moriturum. Consolati sunt eum illi, et hortati ut in Deo fideret, ejusque voluntatem viriliter ferret. Inde ad orationem ingressi sumus : ubi nobis ex more genua figentibus, atque incumbentibus terræ, ille se ita projecit, tanquam fuisset aliquo impellente graviter prostratus, et cœpit orare : quibus modis, quo affectu, quo motu animi, quo fluvio lacrymarum, quibus gemitibus atque singultibus succutientibus omnia membra ejus et pene intercludentibus spiritum, quis ullis explicet verbis? Utrum orarent alii, nec in hæc eorum averteretur intentio, nesciebam : ego tamen prorsus orare non poteram : hoc tantummodo breviter in corde meo dixi : Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis? Nihil enim mihi videbatur addi jam posse, nisi ut exspiraret orando. Surreximus, et accepta ab Episcopo benedictione discessimus; rogante illo ut mane adessent, illis ut æquo animo esset hortantibus. Illuxit dies qui metuebatur, aderant servi Dei, sicut se adfuturos esse promiserant : ingressi sunt medici; parantur omnia quæ hora illa poscebat, tremenda ferramenta proferuntur, attonitis suspensisque omnibus. Eis autem, quorum erat major auctoritas, defectum animi ejus consolando erigentibus, ad manus secturi membra in lectulo componuntur, solvuntur nodi ligamentorum, nudatur locus, inspicit medicus, et secandum illum sinum armatus atque intentus inquirit. Scrutatur oculis, digitisque contrectat, tentat denique modis omnibus : invenit firmissimam cicatricem. Jam illa lætitia et laus atque gratiarum actio misericordi et omnipotenti Deo, quæ fusa est ore omnium, lacrymantibus gaudiis, non est committenda meis verbis : cogitetur potius, quam dicatur (*De Civ. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 3).*

## CAPUT II.

1 *Augustinus facultates suas pauperibus erogat.* 2 *Communis vitæ institutum sectatur cum sociis Deo servientibus, quorum ipse curam gerit.* 3 *Per litteras colloquitur cum Nebridio, et ejus quæstiones expendit.*

1. Tandem aliquando votorum summam adeptus est Augustinus, dum quod animo intenderat a suscepto Baptismate (*Confess. lib.* 9, *cap.* 8, *n.* 17, *et Possidius, c.* 3), imo jam inde a tempore conversionis, quo longe ante Baptismum suum servire Deo delegerat (*Ibid., lib.* 9, *cap.* 5, *n.* 13), Tagastam reversus, feliciter perfecit. Ac primum quidem agros a patre relictos, qui hæreditario sibi jure obtigerant, alienavit, eorumque pretium pauperibus continuo distribuit, nihil omnino sibi reservans, quo expeditior libera Dei servitute frueretur (*Epist.* 126, *n.* 7). In illo quippe et ex illo pusillo grege esse studebat, quem Dominus alloquitur dicens : *Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam* (*Luc.* XII, 32, 33). Et super fidei fundamentum ædificare desiderabat, non ligna, fenum et stipulam, sed aurum, argentum et lapides pretiosos (*Possidius, c.* 2). Unde cum illi postea necessitas incumberet reprimendi Pelagianorum arrogantiam, qui divites sua non dimittentes excludi a regno Dei volebant (*Epist.* 156), ut demonstraret se non privatis ad eos refellendos rationibus et commodis adduci : *Ego*, ait, *qui hæc scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti, « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me »* (*Matth.* XIX, 21), *vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratia ipsius adjuvante sic feci. Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem novi ego quam quisquam alius homo; sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor.* Additque : *Et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est* (*Epist.*

157, *n.* 39). Ex his consortibus adhortatione ipsius ad istud propositum amplectendum impulsis, fuere cives et amici illi ejus, cum quibus Deo pariter servientibus ad Africam et propriam domum agrosque remeavit (*Possidius*, *c.* 3).

2. In istis agris, qui non ruri tamen aut ab urbe procul, sed Tagastæ adjacebant; si quidem inde ipse ad Nebridium scribens ait, se ibi potius quam Carthagine vel etiam ruri ex sententia posse degere (*Epist.* 10, *n.* 1): in istis, inquam, agris a se jam alienatis (sic enim Possidii veteres codices ferunt), id est, in his non proprii amplius, sed alieni juris jam factis, constitutus, una cum illis civibus et amicis qui eidem ut patri adhærebant, triennium ferme transegit: ubi seculi curis solutus et liber Deo vivebat, et jejuniis, orationibus, bonisque operibus vacans, in lege Domini diu noctuque meditans, Ægyptiorum monachorum, aliorumque quos in libro de Moribus Ecclesiæ tam impense laudaverat, vitam quoad poterat æmulabatur (*Possidius*, *c.* 3). Non omnem modo sæculi spem abjecerat; verum cum in sæculo quod esse potuerat esse noluisset, de illa, ad quam postmodum in Ecclesia evectus est, consectanda dignitate minime cogitabat. Elegerat abjectus esse in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII, 11). Segregatus erat ab iis qui sæculum diligunt: sed eis qui præsunt populis, non se coæquabat (*Serm.* 355, *n.* 2). Vitæ genus et regulam sub Apostolis constitutam sectabatur: maxime vero ut in sua societate nemo quidpiam suum esse diceret, sed omnia essent omnibus communia, et divideretur singulis prout cuique opus erat. Id omnino jam ipse prior fecit, ait Possidius, dum de transmarinis ad propria remeasset (*Possidius*, *c.* 5). Quæ Augustino auctore constituta fuerat dominici schola servitii (*Benedictinæ Reg. prologo*) (liceat B. Benedicti de monastico instituto loquentis verba usurpare), ea sane magistro eodem ipso utebatur: ac suis ipse sociis, iis nimirum qui simul cum eo servitium sanctum professi erant (*Ejusd. Reg. cap.* 5), ceu filiis a se in Christo Jesu genitis, vice patris erat. Cum illis assiduus excolebat eorum animos, et imbuebat sanctis litteris ac doctrinis; alebat ad pietatem, roborabatque, quo aliquando suismet illi viribus citra ipsius opem starent in secessu. Nam flagitanti Nebridio ut ad se veniret una secum victurus, his tum verbis respondebat: *Hic sunt, qui nec venire mecum queant, et quos deserere nefas putem. Tu enim potes et apud tuam mentem suaviter habitare; ii vero ut idem possint satagitur* (*Epist.* 10, *n.* 1). Addit et illud alibi, se ab ipso primo conversionis suæ tempore, posteaquam in Africam venit, cum interrogaretur a fratribus, quando eum vacantem videbant, responsa illa dictasse, ex quibus octoginta trium Quæstionum librum jam episcopus conflaverit (*Retractationum lib.* 1, *cap.* 26). Rebus quoque illorum commodisque consulebat: tametsi, ejusmodi cura et sollicitudine exoptatum sibi otium adimeretur. Hinc forte Nebridius cum aliquando accepisset amicum suum negotiis civium impediri, quominus optata quiete frueretur, epistolium istud ad eum misit: *Itane est, mi Augustine, fortitudinem ac tolerantiam negotiis civium præstas, necdum tibi redditur illa exoptata cessatio? Quæso, qui te tam bonum homines interpellant? Credo, qui nesciunt quid ames, quid concupiscas. Nullusne tibi est amicorum, qui eis amores referat tuos? nec Romanianus, nec Lucinianus? Me certe audiant: ego clamabo, ego testabor, te Deum amare, illi servire atque inhærere cupere. Vellem ego te in rus meum vocare, ibique acquiescere. Non enim timebo me seductorem tui dici a civibus tuis, quos nimium amas, et a quibus nimium amaris* (*Epist.* 5). Quippe non quorumcumque civium negotia procurabat Vir Deo deditus, sed eorum tantummodo qui se in ejus disciplinam tradidissent, quorum necessitatibus occupari et servire tenebatur. Quanquam credi possit, ipsum suo etiam in secessu, cum nimium ille et a civibus suis amaretur, et ex æquo cives suos redamaret, suscepisse interdum curam graviorum negotiorum, quæ ab iis ad ipsum perferebantur. Cæterum in sua societate cives inter alios habuit ab initio Alypium et Evodium, atque, ut videtur, Severum episcopum postea Milevitanum, quocum diu meditatum se fuisse verbum Dei, recordatur scribens ad Novatum (*Epist.* 84, *n.* 1).

3. Nebridius Mediolano jam reversus, ut ex superiori epistolio intelligitur, erat tunc temporis in Africa. Ibi Carthagine vel in prædio urbi proximo degebat cum matre totaque domo (*Epist.* 10, *n.* 1), quam Deus illius ministerio ad fidem adduxit (*Confess. lib.* 9, *cap.* 3, *n.* 6). Ac ipse quidem apud suos ex quo baptizatus est, in castitate perfecta atque continentia Deo servivit. Cum igitur hoc pacto procul ab amico abesset, seque frequenter invisere non possent, mutuo epistolarum commercio secum invicem colloquebantur. Nebridius quidem magna et difficilia proponens Augustino, iste autem illius nodos per epistolas dissolvens: *quas*, ait Nebridius, *perplacet ita servare, ut oculos meos. Sunt enim magnæ, non quantitate, sed rebus, et magnarum rerum magnas continent probationes. Illæ mihi Christum, illæ Platonem, illæ Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi, et ad audiendum propter eloquentiam dulces, et ad legendum propter brevitatem faciles, et ad intelligendum propter sapientiam salubres* (*Epist.* 6, *n.* 1). In quadam ad eum epistola observare est, Platonis reminiscentiam nobilissimum inventum ab Augustino nuncupari, eumque videri asserere velut ex sua sententia, olim animam verum inspexisse, a quo unita corpori sese disjunxerit (*Epist.* 7, *n.* 2). Quidpiam simile reperire est in dialogo de Quantitate animæ (*De Quant. animæ*, *n.* 34), licet illud in suis Retractationum libris sanius interpretetur. Sed mirum videri non debet, si Augustinus quas e philosophorum fontibus opiniones hauserat, non continuo abjecerit. Ipsemet asserit, eum qui opera ipsius ordine quo scripta sunt legerit, facile animadversurum quomodo scribendo profecerit (*Retract. prologo*, *n.* 3). Plurima quoque nullo negotio deprehendes in prioribus illius operibus, quæ ipse in posterioribus emendaverit. In hanc rem adnotare licet, eum in Millenariorum ali-

quando fuisse sententia; eo tamen modo, quo ista opinio utcumque tolerari posset, hoc est, si nonnisi spirituales deliciæ in hoc mille annorum regno sanctis adfuturæ crederentur (*Serm.* 259, *n.* 2; *de Civitate Dei*, *lib.* 20, *cap.* 7). Quod ad Nebridii quæsita spectat, quia non omnia de rebus divinis erant, scribit ad eum Augustinus, illa quæ de hoc mundo quæruntur, nec satis ad beatam vitam obtinendam sibi videri pertinere; ac si aliquid afferunt voluptatis cum investigantur, metuendum esse tamen, ne occupent tempus rebus impendendum melioribus. Idcirco cæteras inter quæstiones, quæ dissolvendæ supererant, eam quæ de Incarnationis mysterio proposita erat, seligit, ut conetur exponere quo pacto, cum trium divinarum personarum actiones indivisæ sint, nostra tamen mysteria et religio qua imbuti sumus, humanæ naturæ susceptionem uni Filio attribuant (*Epist.* 11). Ex qua quæstione videtur certo colligi posse, jam baptizatum fuisse Nebridium. Hunc aliquanto ante presbyteratum Augustini, neque in hujus monasterio, sed domi suæ diem obiisse, aperte significat idem ipse Augustinus, in hoc amici demortui pernobili elogio : *Quem*, ait, *non multo post conversionem nostram et regenerationem per Baptismum tuum, ipsum etiam fidelem catholicum, castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum christiana facta esset, carne solvisti; et nunc ille vivit in sinu Abraham. Quidquid illud est, quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adoptivus ex liberto filius, ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum; et bibit, quantum potest, sapientiam pro aviditate sua sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei; cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor* (*Confess. lib.* 9, *cap.* 3, *n.* 6).

## CAPUT III.

1 *Libros de Genesi contra Manichæos conscribit.* 2 *Absolvit sex libros de Musica.* 3 *Dialogum de Magistro edit.* 4 *Deinde librum de Vera Religione.* 5 *Scribit ad Maximum Madaurensem.* 6 *Ad Cœlestinum.* 7 *Ad Gaium.* 8 *Et ad Antoninum.*

1. Non eo fine se sæcularibus curis et occupationibus subduxerat Augustinus, ut in secessu deinceps inani ac sterili otio frueretur. Quocirca non præsentibus modo, sociis videlicet suis, sed absentibus quoque ac exteris, prodesse studuit, tradens, teste Possidio, qua libris, qua sermonibus, quæ ipsi meditanti et oranti essent a Deo revelata (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 3). Exstant etiamnum eorumdem sermonum, quos cum suis habuit, quædam vestigia in supra memorato volumine octoginta trium Quæstionum. Quod ad libros tunc ab ipso lucubratos attinet, recenset in suis Retractationibus duos libros de Genesi contra Manichæos, sex libros de Musica, librum qui inscriptus est de Magistro, et librum de Vera Religione. Libris quos de Genesi scripsit, Vetus Testamentum ab insanis Manichæorum calumniis vindicare exorsus, priore quidem initium Geneseos exponit ad eum usque locum, in quo Deus die septimo requievisse dicitur. In posteriore vero eamdem prosequitur expositionem usque ad locum, in quo Adam et mulier ejus de paradiso dimissi esse narrantur. Deinde in libri fine erroribus Manichæorum catholicæ veritatis fidem dilucide et compendiose opponit. In hac expositione allegoricum tantummodo sensum secutus est : *Non ausus*, inquit, *naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere; hoc est, quemadmodum possent secundum historicam proprietatem, quæ ibi dicta sunt, accipi* (*Retract. lib.* 1, *cap.* 18). De his libris Augustinus postea disserens, *Duos*, ait, *conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ, cito volens* (Manichæorum) *confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam in litteris, quas oderunt, christianam et evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficile; ne retardarer, quid figurate significarent ea, quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi; ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent. Memor tamen quid maxime voluerim, nec potuerim; ut non figurate, sed proprie primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, idipsum in prima parte secundi libri ita posui : Sane, inquam, quisquis voluerit, omnia quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere quam littera sonat, et potest evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare; non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est* (*De Genesi ad Litt.*, *lib.* 8, *n.* 5). Suos deinde duodecim libros de Genesi ad Litteram (quod non fuerat ausus primitus aggredi) Deo fretus edidit, posteaquam sacra illius verba diligentius fuisset intuitus. Verum ab ipso limine operis illius in Genesim primi, quod est contra Manichæos, mirum nobis demissionis specimen in se ipso exhibet. Scribit enim nonnullos, qui liberalibus litteris cum essent eruditi, sed vere christiani, primasque ipsius contra eosdem hæreticos lucubrationes legissent, observasse illas ab imperitioribus aut vix aut difficile intelligi. *Et me*, inquit, *benevolentissime monuerunt, ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt* (*De Gen. contra Manichæos*, *lib.* 1, *n.* 1). Æquo se animo moneri passus est Vir sanctus, et id consilii reduxit ad praxim jam inde ab hoc opere, in quo se Manichæorum vanitatem non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convicturum esse profitetur.

2. Per id breve temporis spatium, quo Mediolani, commoratus est Baptismum percepturus, scribendis disciplinarum libris, ut vidimus, operam dederat Augustinus. Inter alias lucubrationes aliquid de Musica fuerat exorsus : verum regressus in Africam sex de

hoc argumento libros, qui exstant hodieque, post opusculum de Genesi composuit (*Retract. libro* 1, *capp.* 6, 11). Illos autem libros quasi proludens scripsit per otium, quo jam primum fruebatur (*Epist.* 101, *n.* 3.), et in eorum gratiam, qui cum bono ingenio divinitus donati sint, politioribusque litteris dediti, erroribus sæculi præstigiisque implicantur, et præclara ingenia in nugis conterunt, quamvis quid in iis delectet ignorent: cum tamen, si quod in creaturarum harmonia sibi placet, agnoscerent; viderent qua et illa lenocinia, quibus irretiuntur, effugerent, et ubi beatæ securitatis et libertatis portum possent reperire (*De Musica, lib.* 6, *n.* 1). In hoc nimirum opere intendit ostendere, quonam pacto a mutabilibus numeris, sive corporeis sive spiritualibus, ad immutabiles numeros in sola immutabili veritate existentes, quibusdam veluti gradibus perveniatur, et sic invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. Sed id non præstat nisi in sexto libro, in quo est omnis fructus cæterorum, quique maxime celebratus fuit, quod res scitu dignissimas complectatur (*Ep.* 101, *n.* 4). In quinque prioribus circa numeros ad moras temporum pertinentes, quos rhythmos appellat, immoratur. Et hi quidem libri difficillime intelliguntur. Augustinus ipse fatetur plurimos fore, qui eos ut pueriles nugas habituri sint: sperat tamen alios arduum hunc laborem æqui bonique facturos: *Quem non ob aliud suscipiendum putavimus*, inquit præfatione in sextum librum, *nisi ut adolescentes, vel cujuslibet ætatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non præpropere, sed quibusdam gradibus a sensibus carnis atque carnalibus litteris, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione avellerentur; atque uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet, incommutabilis veritatis amore adhærescerent. Illos igitur libros qui leget, inveniet nos cum grammaticis et poeticis animis, non habitandi electione, sed itinerandi necessitate versatos. Ad hunc autem librum cum venerit, si, ut spero et supplex deprecor, Deus et Dominus noster propositum meum voluntatemque gubernaverit, et eo quo est intenta perduxerit, intelliget non vilis possessionis esse vilem viam per quam nunc cum imbecillioribus, nec nos ipsi admodum fortes, ambulare maluimus, quam minus pennatos per liberiores auras præcipitare. Ita nos, quantum arbitror, aut nihil, aut non multum peccasse judicabit* (*De Musica, l.* 6, *n.* 1). Asserit, eos qui ad tenendum iter, quod in hoc opere patefacit, non sunt satis eruditi, si tamen ex fide Jesu Christi vivant, hanc viam non pedibus, sed charitatis pennis subnixos, quodam modo volando facile confidere, ac tandem post hujus vitæ curriculum, ad locum quo illa ducit, cæteris certius atque felicius pervenire; cum ii qui hæc intelligere possunt, si desit eis fides Mediatoris, cum tota scientia sua miserrime pereant. Hos de Musica libros Memorius episcopus ab Augustino flagitavit: qui ei per Possidium rescribens, se ad eos emendandos nondum vacasse respondit; ac sextum solum misit, quem recognitum et castigatum reperit, quemve unum censebat dignum qui mitteretur. Addit sibi fuisse in animo, præter sex illos de Rhythmo libros, sex alios de Melo, cum nactus esset otium, conscribere: verum ex quo ad sacerdotium provectus ecclesiasticarum curarum onus sustinebat, omnes illas delicias e manibus fugisse (*Epist.* 101).

3. Libri de Magistro supra meminimus, in quo Augustinus cum filio Adeodato loquitur, testaturque illius esse sensa omnia, quæ inseruntur ibi ex persona filii, quamvis tunc annos sexdecim solummodo natus esset (*Confess. lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14). Unde colligere licet, librum hunc scriptum fuisse versus medium annum trecentesimum octogesimum nonum; quandoquidem Adeodatus annorum erat ferme quindecim, cum Baptismum anno Christi trecentesimo octogesimo septimo, octavo kalendas maii percepit (*Ibid.*). In eo libro re discussa diligenter et quæsita comperit, verum nobis magistrum non esse qui docet hominem scientiam, nisi Deum (*Retract. lib.* 1, *cap.* 12).

4. Tunc etiam librum de Vera Religione conscripsit, in quo multis rationibus fuse demonstrat unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum religione vera colendum; necnon infinita Dei misericordia veram, hoc est, christianam religionem, per temporalem dispensationem et incarnationem Jesu Christi, hominibus esse concessam. Ostendit pariter quemadmodum homo hujus religionis sanctitati vitam suam aptare teneatur. Maxime vero duas Manichæorum naturas, sive illorum de origine ac natura mali errorem hic liber impugnat (*Ibid.*, *cap.* 13, *n.* 1). Vix ulla est lucubrationum Augustini, quæ ad illius incredibilis ingenii magnitudinem demonstrandam plus valeat. Nihil enim admiratione dignum vel stupendum magis, quam hominem religionis christianæ mysteriis recens imbutum, nec adhuc alio quam Fidelis nomine in Ecclesia decoratum, de divina illa religione tam eximie disserere, et adeo egregiam illius dignitatis ac excellentiæ imaginem depingere potuisse. In hoc libro cunctos homines aliquando compellat, in primis tamen Romanianum alloquitur, cui ante aliquot annos, anno nimirum trecentesimo octogesimo sexto, aliquam hac de re disputationem se missurum promiserat (*De Vera Relig.*, *n.* 12). Evodium multis post annis remittit ad hunc librum, ut de quæstione circa Dei existentiam ratione adstruendam probe judicet (*Epist.* 162, n. 2). Idem liber inter hos quinque numerandus est, quos Alypius ad Paulinum misit anno trecentesimo nonagesimo quarto (*Epist.* 25, n. 1). Romanianum quoque libri hujus a se editi certiorem facit Augustinus per litteras ad eum ex itinere scriptas, cum Tagastam, a qua urbe absentem se esse significat, esset propediem rediturus. Eum Romanianus prosperi rerum suarum exitus participem fecerat: quo nuntio etiamsi lætatur Augustinus, eum tamen admonet, ut fluxæ felicitati minime confidat, et multo minus inhæreat; sed otium sibi divinitus datum ad æterna bona magis ac magis quærenda conferat (*Epist.* 15).

5. Ad Tagastam habitabat haud dubie eo adhuc tempore, quo ad Maximum Madaurensem scripsit (*Epist.* 17). Nam illa quæ ipsi cum hoc ethnico fuisse

cernitur consuetudo, non alia nisi vicinitatis occasione oborta esse videtur. Madaura quippe erat Tagastæ finitima (*Confess. lib.* 2, *cap.* 3, *n.* 5). Deinde cum nullum aut episcopatus aut presbyteratus ejus exstet in ea vestigium; atque etiam idolorum cultus, qui sub initium anni trecentesimi nonagesimi primi Imperatorum lege vetitus fuit, adhuc publicus foret, ut passim ibi significatur; inde licet inferre, scriptam fuisse epistolam anno trecentesimo nonagesimo. Maximus, qui grammaticus nuncupatur, palam profitebatur superstitionem ethnicam, cui Madaurenses adhuc, imo etiam multis post annis, erant magnopere dediti, quamvis Catholicorum ecclesia jam tum esset illo in oppido constituta. Ethnicorum ille errore occupatus, in sua ad Augustinum epistola unum Deum summum sine initio, cujus diversæ virtutes et quædam veluti membra cæteri dii sint, agnoscit. Mox jocis insulsis et frigidis quorumdam martyrum Madaurensium nomina insectatur: quibus tamen Jovem suum fulminantem, aliorumque deorum immortalium turbam postponi, vel invitus fatetur. Sub hæc velut deorum suorum veritatem asserturus addit, eos et palam coli, et victimas in oculis omnium illis immolari; cum Christiani Deum suum in locis abditis præsentem a se cerni asseverent. Hortatur itaque Augustinum, ut post posita paululum facundia sua, quam omnium mortalium fama celebrabat; omissis etiam, quibus pugnare consueverat, acutis et pressis Chrysippi argumentis; remota denique dialectica, quæ omnia efficit æqualiter probabilia, quisnam sit Christianorum Deus, sibi reapse demonstret (*Epist.* 16). Sic illi respondet Augustinus, totam ut ejus epistolam, velut joculatoriam accipiat; quasi superstitionem ethnicam voluerit ipse cavillari. Verum amplissimum saltem demonstrat ab eo sibi locum patefieri, ut ostendat quanta in Ethnicorum religione ridenda sint: caveat tamen ne de Deo jocose loquendo, in blasphemas voces erumpat: cæterum rem esse seria discussione dignam; se cum eam ille serio egerit, responso non defuturum: jocari sibi modo per otium non licere; aliud enim amicos posse jure exigere *de nostro*, ait, *proposito*. (*Epist.* 17, *n.* 5). Quibus verbis monastica professio his temporibus designari solebat.

6. Cœlestino amico suo jam suas adversus Manichæos lucubrationes legendas miserat. Hunc perbrevi epistola ab ipso forte ante presbyteratum, cujus nullum in ea indicium, data, rogat Augustinus, ne differat eas remittere; rescribatque quid de illis sentiat, quidve in iis ad hæreticos istos penitus expugnandos desiderari comperiat. Optare se dicit, ejus auribus quidpiam assidue ingerere, ut se nimirum supervacaneis curis exueret, ac utilibus et necessariis indueret. Omnia christiani hominis officia uno ibi verbo complectitur: infimum scilicet bonum non diligere, in medio seu in suo bono non insolescere, ac sic ad inhærendum summo bono idoneum se præbere (*Epist.* 18).

7. Non videtur in aliud tempus referenda ejus ad Gaium epistola. Hic fortasse Manichæus erat aut Donatista; certe a catholico Christi grege alienus: sed is tamen, cui misericordem Dei providentiam Augustinus speraret adfuturam. In brevi siquidem colloquio, quod cum eo habuerat, maximum illius in vestiganda veritate ardorem animadverterat; plurimum quoque roboris ac sapientiæ in veritate, quam semel agnovisset, nunquam deserenda. *Recolimus*, inquit, *ardore inquisitionis tuæ, cum esset mirabilis, non fuisse perturbatam modestiam disputandi: nam neque flagrantius percontantem, neque tranquillius audientem quemquam facile invenerim.* Non poterat Augustinus tunc temporis cum eo frequenter colloqui: quod ut suppleret, epistolam, qua de agimus, ad eum misit, simulque fratri epistolæ latori mandatum dedit, quo ei legenda præberet omnia, quæ contra hæresim, quam ille sectabatur, conscripserat. In quam rem ita scribit: *Non aliquid meum inculcabit invito; novi enim quid benignitatis in nos animo geras: quæ tamen si lecta probaveris, et vera perviderit, nostra esse non putes, nisi quia data sunt, eoque te convertas licet, unde tibi quoque est, ut ea probares, datum. Nemo enim quod legit, in codice ipso cernit verum esse, aut in eo qui scripserit; sed in se potius, si ejus menti quoddam non vulgariter candidum, sed a fœce corporis remotissimum lumen veritatis impressum est. Quod si falsa aliqua atque improbanda compereris, de humano nubilo irrorata scias, et ea vere nostra esse deputes* (*Epist.* 19).

8. Cum ab Antonino sub idem illud tempus, ac forte nondum presbyter ordinatus, litteras accepisset officii et amicitiæ plenas, rescripsit illi gratias acturus, quod ab eo fidelis Dei servus haberetur, eoque nomine plurimum diligeretur. In quam rem dicit multa longe pulcherrima. Hujus Antonini conjux Donatistarum schismati adhærebat: illius itaque virum monet Augustinus, Dei timorem vel uxoris suæ menti inserat, vel eum divini verbi lectione, gravique colloquio nutriat. Neminem enim, qui de statu animæ suæ sollicitus, atque ob hoc sincere ac sine pertinacia inquirendæ voluntati divinæ intentus sit, non dignoscere, si modo bono demonstratore utatur, quid sibi vel fugiendum sit, vel sequendum (*Epist.* 20).

## CAPUT IV.

1 *Presbyter Hipponensis anno Christi trecentesimo nonagesimo primo ordinatur.* 2 *De Hippone-Regio.* 3 *De Valerio illius urbis episcopo.* 4 *Ab eo postulat Augustinus aliquod tempus, quo sese in secessu ad presbyterii munia precibus et sacrarum Scripturarum studio comparet.* 5 *Quod concessum videtur a Valerio.* 6 *Ejus jussu Augustinus presbyter verbum Dei tractat ad plebem, etiam præsente ipso episcopo.*

1. Triennium ferme jam effluxerat, ex quo Augustinus more ac instituto monachorum cum sociis in Tagastensi secessu vivebat, cum Hipponem proficiscendi quædam ei ad salutem amici procurandam necessitas imposita est (*Serm.* 355, *n.* 2). Usque adeo metuebat ad episcopatum provehi, ut cum nominis ipsius fama inter Dei servos jam diffundi et celebrari cœpisset, ad ea loca quibus deesset episcopus, caveret accedere. Pro virili parte agebat, ut in humili loco salvaretur, et eminentis gradus pericula evitaret. Ni-

hil esse in hac vita, et maxime illo tempore, facilius et lætius et hominibus acceptabilius cernebat, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. Item nihil esse ducebat in hac vita, et maxime illo tempore, difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Quis autem sit iste modus, vix discere incipiebat (*Epist.* 21, *n.* 1). Sic erat animo comparatus, cum ad ministerium, quod tantopere formidabat, divinitus est vocatus; ad quod non ascendit, nisi quia Domino servus contradicere non debet. *Veni*, ait ipse, *ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio; quasi securus, quia locus habebat episcopum. Apprehensus, presbyter factus sum, et per hunc gradum perveni ad episcopatum* (*Serm.* 355, *n.* 2). Rem paulo fusius narrat Possidius : *Contigit forte eodem tempore*, ait, *ut quidam ex iis, quos dicunt Agentes in rebus, apud Hipponem-Regium constitutus, bene christianus Deumque timens, comperta ejus bona fama atque doctrina, desideraret atque optaret eum videre, promittens se posse mundi hujus omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex ejus ore Dei verbum audire meruisset. Quod cum ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare animam cupiens ab hujus vitæ periculis morteque æterna, ad memoratam ultro atque confestim venit civitatem, et hominem visum allocutus frequentius atque exhortatus est, quantum Deus donabat, ut quod Deo voverat redderet. Ac se ille de die in diem facturum pollicebatur, nec tamen in ejus tunc hoc implevit præsentia : sed vacare utique et inane esse non potuit, quod per tale vas mundum et in honore, utile Domino, et ad omne opus bonum paratum, in omni loco divina gerebat providentia* (*Poss.*, *in Vita August.*, *c.* 3). Haud scimus an Possidius his verbis notare studuerit, Agentem istum Augustini consilio paulo post obtemperasse; an designare commodum velit, quod ex hoc itinere Augustini ad presbyterium postea promoti percepit Ecclesia. Securus ergo Hipponem venerat, quod urbs illa episcopum, scilicet sanctum senem Valerium, haberet. Sed tunc forte Hipponensis Ecclesia presbytero indigebat, quod latebat Augustinum. Congregato itaque populo, nihil ille simile suspicatus in templum venit; et plebi se immiscuit, quæ virtutem ejus doctrinamque habebat perspectam; eumque quod relicto patrimonio totum se Deo addixisset, admodum diligebat (*Epist.* 126, *n.* 7). Cum autem Valerius verba faceret ad populum, deque ordinandi presbyteri necessitate dissereret, subito rapuit Augustinum populus (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 4) : qui nimirum id jure poterat, cum Ecclesia Tagastensis Augustinum clericali militiæ non adscripsisset (*Epist.* 126, *n.* 7). Eum itaque laicum episcopo de more obtulerunt ordinandum, omnibus id uno consensu et desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio et clamore flagitantibus. Ille vero sanctum istud ministerium periculosissimum judicans, jamque animo prospiciens quot fluctibus et procellis in Ecclesiæ regimine foret mox objiciendus, vim lacrymarum profundit (*Epist.* 21, *n.* 2). Animadvertuntur ejus lacrymæ, nec desunt qui cum doloris illius causas ignorent, medelam ipsius vulneri nullatenus consentaneam adhibere studeant. Nam cum ejus lacrymas ex inanis gloriæ cupiditate promanare suspicentur, quod nimirum ad episcopatum non continuo provehatur, suggerunt presbyterium quidem infra illius meritum esse, proxime tamen ad episcopatum accedere.

2. Augustino itaque frustra repugnante populi voto factum est satis (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 4). Hipponensis Ecclesiæ presbyter creatus, hanc non auro quidem et argento locupletavit, cum præter vestimenta, quibus induebatur, aliud nihil ad eam attulerit (*Serm.* 355, *n.* 2); verum tam illustri doctrina et pietate, ut Hippo-Regius, parum aliunde celebris, inter nobilissimas orbis christiani civitates ob Augustini famam numeretur. Urbs illa, secundum geographos, in maritima Numidiæ ora sita erat, natura sane ac loco munita, cum Vandalorum obsidionem quatuordecim mensibus sustinuerit (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 28). A Carthagine quatuor et octoginta circiter leucis, octo et triginta a Cirta Numidiæ metropoli distabat. Observant geographi hanc urbem, quæ hodie Bona dicitur, sub Constantina in regno Algeriensi, etiamnum magni esse nominis. Colonia erat, et regionis, cui nomen dabat, videtur fuisse metropolis; cum in Hipponensi regione complures episcopi numerentur. Ea civitas a Silio Italico iis verbis celebratur : *Antiquis dilectus regibus Hippo* (*Punic. lib.* 3, *vers.* 259). A Latinis Hippo-Regius vulgo nuncupatur, ad Hipponis alterius discrimen, qui Zarritus sive Diarrhitus dicitur, in eadem ora Proconsularis provinciæ. In Concilio Carthaginensi, quod sub episcopo Cypriano celebratum est, mentio fit cujusdam Theogenis Hipponensis, qui martyrio coronatus fuisse dicitur. De Memoria sancti Theogenis, tanquam de loco ubi sacrificium offerri consueverat, loquitur Augustinus (*Serm.* 275, *n.* 7) : scribit quoque de memoria viginti martyrum apud Hipponem celeberrima (*De Civit. Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 9). Quanquam vero celeberrimi erant episcopatus in Africa, Hipponensis tamen late patebat; cum ipsum etiam Fussalense territorium, sexdecim leucis sejunctum, ad Hipponensem Ecclesiam pertineret (*Epist.* 209, *n.* 2).

3. Valerius huic tunc Ecclesiæ præerat, natione Græcus, pius ac timens Deum : sed cum latini sermonis usus expeditus illi non esset, atque ob id minus se utilem Ecclesiæ intelligeret; crebris a Deo precibus exposcebat, ut hominem commissæ sibi plebi provideret idoneum, qui eam verbo et doctrina posset informare (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 5). Ubi Augustinum ordinare sibi datum est, preces suas divinitus exauditas credidit, ac voti compos gaudioque triumphans gratias Deo plurimas egit (*Epist.* 29, *n.* 7). Tenerrimo cordis affectu complectebatur Augustinum, et quamvis minime eum lateret, quam magnam sibi sanctus presbyter gloriam compararet, nulla unquam liventis invidiæ labecula purissimam beati senis men-

tem inquinavit : cum gauderet potius, vehementerque lætaretur, plebem suam ministerio illius erudiri. Quin etiam Augustinum sibi successorem ardentissimo studio peroptavit; ac Deus ad votorum ejus cumulum, illum ipsi adhuc in vivis agenti, ut infra dicemus, collegam concessit (*Epist.* 32, *n.* 2). Valerium porro vicissim usque adeo colebat et observabat Augustinus, nihil ut quod ei displiceret tantisper, agere auderet, ne illud quidem quod in animæ suæ salutem ac profectum sciret redundare (*Epist.* 21, *n.* 6). Is ad Aurelium Carthaginensem scribens de tollendis compotationibus ad sepulcra martyrum fieri solitis, hæc de Valerio habet. *Et nos quidem illarum partium* (in quibus hæc intemperantia non viget), *hominem habemus episcopum, unde magnas agimus gratias Deo : quanquam ejus modestiæ atque lenitatis est, ejus denique prudentiæ et sollicitudinis in Domino, ut etiamsi Afer esset, cito illi de Scripturis persuaderetur curandum, quod licentiosa et male libera consuetudo vulnus inflixit* (*Epist.* 22, *n.* 4). Cum per id tempus Hipponensis Ecclesia Donatistarum schismate dilaceraretur, Augustinus, qui ei ad pristinam concordiam revocandæ studebat, Proculeiano episcopo Donatistæ pollicetur, Valerium tunc absentem, animo lubentissimo, quidquid simul egissent, probaturum. *De animo*, ait, *beatissimi et venerabilis mihi patris Valerii nunc absentis tota securitate polliceor, hoc eum cum magna lætitia cognoturum : novi enim quantum diligat pacem, et nulla vani fastus inanitate jactetur* (*Epist.* 33, *n.* 4). Narrat Augustinus (*Epistolæ ad Romanos Expos. inchoata*, *n.* 13) Valerium, cum duos aliquando rusticanos punice colloquentes, et nomen Salus mutuo usurpantes offendisset, quæsiisse ab eo qui latine sciret ac punice, quid sibi vellet id nominis; rusticumque respondisse, tria significare : tum Valerium cum gaudio cognovisse, non fortuita significatione nominis, sed occultissima divinæ providentiæ dispensatione factum, ut eodem vocabulo, quo salus latine significatur, Trinitas vera salus nostra punice denotaretur. Eam observationem dignam censuit Augustinus, quam ad lectorum animos oblectandos in suas lucubrationes referret.

4. Existimare licet eo fine Valerium Augustino presbyterii gradum contulisse, ut ei totum Ecclesiæ suæ regimen committeret : quo fit, ut Augustinus in epistola ad Maximinum Donatistam episcopum ea dicendi gravitate loquatur, quæ potius episcopo, quam presbytero conveniat (*Epist.* 23). Baptismi quoque conferendi curam gerebat : unde a Licentio dicitur fontibus infantum præfectus (*In Epist.* 26, *n.* 3, *v.* 27). In ordinando tamen Augustino id potissimum videtur spectasse Valerius, ut verbi prædicandi munus ei demandaret. Hinc scribit Augustinus se, cum id muneris obire cœpit, multo amplius expertum fuisse, quam antea nosset, quot et quantæ presbyteratum circumcingant difficultates et pericula. Sibi sat perspectum erat, quid ad salutem pertineret : sed quo pacto hoc ipsum ad aliorum salutem ministrari deberet, necdum didicerat. Tot difficultates intuitus, usque adeo de se humiliter sensit, ut vim ad presbyteratum factam sibi crediderit, Deo id permittente in pœnam peccatorum suorum, et emendationem pristinæ temeritatis suæ, dum presbyterorum et episcoporum culpas liberius reprehenderet. *Vires meas*, inquit, *omnino non noveram, et alicujus momenti arbitrabar : Dominus autem irrisit me, et rebus ipsis ostendere voluit meipsum mihi.* Nihilominus Dei misericordia fretus, ab eo se non damnari, sed emendari credebat. Cognita igitur ægritudine sua, statuit in sacris Litteris medicamenta quærere, ac idoneam ad tam periculosum ministerium animæ valetudinem sibi, qua precibus, qua lectione comparare; cum nullatenus dubitaret quin sacris in codicibus et consilia et præcepta esset reperturus; quibus cognitis et apprehensis possit homo Dei rebus ecclesiasticis ordinatius ministrare, aut certe inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni christiana corda humilia et mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi petendo, quærendo, pulsando, id est, orando, legendo, plangendo? Ut his igitur vacaret exercitiis, inducias saltem in sequens Pascha peroptabat; quam facultatem a Valerio fratrum suorum et amicorum precibus flagitavit. At cum eum Valerius omnibus præsidiis ad cuncta presbyteri officia et munia instructum esse certo cognosceret, non aliter ejus petitioni respondit, quam sincerum suum erga eum amorem contestatus, cujus Deum ipsum et Jesum Christum testem adhibebat. Quapropter Augustinus supplicem, instar epistolæ, libellum, quo facultatem secedendi aliquandiu ad sacrarum Litterarum studium postulabat, illi offerre coactus est. Extat etiamnum insignis isthæc epistola (*Epist.* 21), quæ cum singularem in Augustino animi demissionem indicet, nec porro eos qui munus evangelicæ prædicationis cogitant (quæ est viri non dignitate modo, sed doctrina quoque ac pietate illustrissimi observatio [*Antonii Godeau, Grassensis episcopi, in Vita sancti Augustini, lib.* 1, *cap.* 28]), ut ad hoc ministerium oratione, secessu, et divini verbi meditatione se comparent. Atque ut ex eadem patet, quantum Augustinus illius muneris, quo tam multi nostra ætate citra reverentiam et vocationem divinam se temere implicant, sanctitatem ac difficultatem haberet cognitam : ita studium et ardor ille, quo exiguam temporis moram, pro ingenti beneficio, supplex efflagitat, præcipitem aliorum festinationem severissime condemnat. Cæterum pius ille tam augusti ac periculosi ministerii metus, eorum proprius est, qui vocantur a Deo : contra vero plerosque omnes, qui non Spiritus sancti, sed suo ipsorum impulsu sumunt sibi honorem, illos imitari videas, de quibus Dominus, *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant* (*Jerem.* XXIII, 21).

5. Credibile est Valerium tam sollicitis et justis Augustini precibus annuisse, eique presbyteri munia forte ad tempus traditionis Symboli, quod Paschalibus feriis vicinum erat, differendi potestatem fecisse : quo tempore Augustinus illum de Symbolo sermonem habuit, cujus exordium est : *Pro modulo ætatis rudimentorumque nostrorum, pro tirocinio suscepti muneris atque*

*in vos dilectionis affectu, qui jam ministrantes altari, quo accessuri estis, assistimus, nec ministerio sermonis vos fraudare debemus* (*Serm.* 214, *n.* 1). Paucis quoque inde elapsis diebus Competentes post exorcismum instituens sic alloquitur : *Rudimenta ministerii nostri, et vestri conceptus* (*Serm.* 216, *n.* 1). Quoniam vero post susceptum presbyteratum aliquod eo in munere, maxime autem in divini verbi prædicatione, jam periculum fecerat suarum virium, quando eas tanto muneri impares expertus, facultatem ad breve tempus, saltem ad Pascha usque, secedendi poposcit, quo sacris Litteris operam navaret; facile intelligitur, eum non solum ab ineunte Quadragesima, ut vult Rivius, sed etiam aliquanto ante tempore fuisse ordinatum. Quapropter hæc illius ministerii primordia nonnisi ad illud tempus, quo ex permisso sibi secessu egressus, huic muneri se totum addixit, possunt commode revocari; sic nempe ut intelligatur ipse missa facere ea munia, quæ ante hunc secessum obierat. Quo secesserit, ignoratur; certe quidem non procul Hippone: nam Hipponenses hoc primo seu proxime sequenti tempore longinquam Augustini absentiam vehementer nimisque metuebant, et illi hac in re nequaquam volebant credere (*Epist.* 22, *n.* 9). Ex his quæ diximus, ordinationem Augustini saltem in ipso anni principio reponamus necesse est. Ad annum trecentesimum nonagesimum primum vulgo refertur, juxta ea quæ Possidius scribit, illum videlicet ex Italia in Africam regressum tribus annis Tagastæ vixisse, in clericatu autem (id est, presbyteratu) vel episcopatu, annis ferme quadraginta usque ad quintum kalendas septembris anni quadringentesimi trigesimi (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 3 *et c.* 31). Porro anno trecentesimo nonagesimo primo Pascha in sextum aprilis incidebat. Tum vero agebat Augustinus annum ætatis suæ quadragesimum.

6. Erat tunc in more institutoque positum Ecclesiæ Africanæ, ut presbyteri verbum Dei aut nunquam prædicarent, ut nonnullis ex Optato de prædicationis munere velut de officio episcopali loquente (*Optat.*, *lib.* 3), colligi posse videtur; aut saltem coram episcopis illud in ecclesia non tractarent. Meminit Hieronymus consuetudinis hujus, quæ in quibusdam Ecclesiis vigebat, ut presbyteri tacerent, ac præsentibus episcopis non loquerentur : quam ipse pessimam vocat, et quæ occasionem præbeat suspicandi episcopos aut presbyterorum suorum gloriæ invidere, aut eorum sermones fastidire (*Hieronym.*, *Epist.* 2 *ad Nepotian.*). Valerius ab hisce pravis affectionibus immunis, cum in Orientalibus Ecclesiis presbyteros coram episcopis ex usu recepto populum docere non ignoraret, Africanum illum morem solvere non est veritus. Nam quia sibi facilem latini sermonis usum ad plebem instituendam non suppetere cernebat, vices suas Augustino commisit, eumque coram se in ecclesia Evangelium jussit frequentissime tractare (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 5). Id nonnulli carpserunt episcopi : sed venerabilis ille ac providus senex minorem putavit habendam esse obtrectantium linguarum rationem, quam ipsius utilitatis et fructus, quem Ecclesiæ suæ per ministerium presbyteri eam erudientis (quippe cum per se minus id posset) procurabat. Sic Augustinus, ut lucerna ardens et lucens super Ecclesiæ candelabrum posita, omnibus qui in domo Dei erant, doctrinæ suæ radiis illucebat. Cum autem fama sacrarum concionum, quas ad Hipponenses habebat, longe lateque diffunderetur, nonnullæ Ecclesiæ bonum exemplum secutæ sunt, ut in iis presbyteri, facta sibi ab episcopo suo potestate, coram eo verbum salutis tractare inciperent. Exstat hodieque Augustini et Alypii jam episcoporum epistola ad Aurelium Carthaginensem, cui ob hanc præcipue causam gratulantur, quod presbyteris se præsente sermonem ad populum habere jam primum permitteret (*Epist.* 41, *n.* 1). Hæc epistola, ut videtur, prioribus annis episcopatus Augustini conscripta est. Augustinus ipse post finem sui aliquando sermonis, populum cohortatus est, ut presbyteros post se verba Dei ministraturos audire non pigeret (*Serm.* 20, *n.* 5).

## CAPUT V.

1 *Monasterium Hippone constituit.* 2 *De ejus discipulis.* 3 *Ex iis plures ad episcopatum assumpti.* 4 *Monastica vita Augustini studio per Africam propagata.* 5 *Monachorum quorumdam ex suorum numero lapsus quam graviter tulit.* 6 *Demonstrat effici non posse ut monastica professio nullos bonis malos mixtos habeat.* 7 *Infimæ sortis homines ad eam admitti jubet, neque divitibus admitti cupientibus haberi minores gratias, cum ubilibet egenis, quam cum monasterio suas dederint facultates.* 8 *De sanctimonialibus Hipponensibus communis vitæ institutum in monasterio per eum erecto professis.*

1. Etsi faustus ille dies ordinationis ejus vitam aliam afferre, atque alios mores presbyteri gradus postulare videatur (quod Martianus amico suo ea forsitan occasione, id est, Tagastam forte reverso post ordinationem, atque inde Hipponem profecturo suggerebat [*Epist.* 258, *n.* 5]); de monasterio nihilominus quam primum constituendo cogitat Vir sanctus, ubi cum Dei servis constanter humile et abjectum vivendi genus tenere pergat. Quo quidem comperto Valerius episcopus votis illius obsecundans, hortum ipsi hanc in rem concessit. Id in publica concione plebi suæ narrat dicendi modo perquam familiari, ac ordine rerum tantisper neglecto; unde nonnullis data occasio asserendi, eum postquam illud vitæ genus apud Tagastam exoluerat, sese monasterii erigendi gratia Hipponem contulisse, quia nondum aliquod ab eo instructum fuisset monasterium (*Baronius*, *ad ann.* 391, *n.* 24). At veri non videtur simile, et eum circiter tres annos in secessu monasticæ vitæ exercitiis cum servis Dei vacantem caruisse monasterio, et illud Tagastense monasterium, cujus incolis anno trecentesimo nonagesimo quarto salutem precatus est Paulinus (*apud August.*, *Epist.* 24, *n.* 6), quovis alio potius quam Augustino fundatore erectum. Sic ergo legendus Augustinus, ut quod ait : *Ego quem Deo propitio videtis episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrum*

*noverunt. Quærebam ubi constituerem monasterium, et viverem cum fratribus meis;* post prædictum illud, *Quærebam*, animo suppleas, *cum mihi jam presbytero Hipponensi in hac civitate manendum esset:* moxque his quæ proxime sequuntur per parenthesim sejunctis, ad superiora annectas: *Et quia hoc disponebam, in monasterio esse cum fratribus, cognito instituto et voluntate meâ, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, et imitantes me: ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, et pauperibus erogavi, sic facerent et illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus; commune autem nobis esset magnum et uberrimum prædium ipse Deus* (*Serm.* 355, *n.* 2). Sic una cum servis Dei, quos congregaverat, idem vitæ genus sequebatur, quod Jerosolymis Apostolorum temporibus primi consectabantur Christiani; quale nobis in Actis Apostolorum exhibetur, et quod ipse adhuc laicus colere jam cœperat. Hipponensis illius monasterii erectionem notat Possidius his verbis: *Factus ergo presbyter monasterium intra ecclesiam mox instituit; et cum Dei servis vivere cœpit secundum modum et regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, et distribueretur unicuique sicut opus erat; quod jam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset* (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 5). Cœnobium istud intra ecclesiam fuisse scribit Possidius, ob eam fortassis causam, quod hortus à Valerio illi concessus ad ecclesiam Hipponensem pertineret, et huic etiam foret proximus. Nam quod in episcopali domo erexit monasterium, aliud erat a superiori; nec istud nisi jam episcopus creatus cœpit exstruere. Possidium hæc duo cœnobia confudisse scribit Baronius (*Baronius, ad annum* 391, *n.* 25), quod tamen credibile non videtur; nec est quod nos cogat id asserere. Aurelio Carthaginensium episcopo Augustinus adhuc presbyter gratias agit, quod ejus et curis et munificentia prædium aliquod datum esset fratribus (*Epist.* 22, *n.* 9): quo nomine intelligendus venit vel Tagastensis cœtus, vel Hipponensis; nam cum uterque ab Augustino congregatus esset, ad ejus quoque curam uterque quodammodo pertinebat. Illum ergo cœtum fratrum summopere devinctum esse dicit Aurelii beneficio, qui suis scilicet erga eum curis ostenderet, quantum illi spiritu conjungeretur, a quo tantis locorum disjunctus esset intervallis.

2. Nullus in dubium vocat, quin Alypius, Severus et Evodius Augustino adhuc laico tam arctæ necessitudinis vinculo astricti, huic sanctæ societati nomen dederint. Ipse Aurelius Carthaginensis Augustino per litteras gratulabatur, quod in ejus conjunctione ac societate mansisset Alypius, ut exemplo esset curas sæculi vitare cupientibus (*Ibid.*, *n.* 1). Augustinus in duobus posterioribus libris de Libero Arbitrio, quos paulo ante episcopatum suum conscripsit, Evodium secum loquentem inducit, quemadmodum in priore, quem Romæ composuerat. Enimvero constat Evodium in monasterio degisse (*Epist.* 158, *n.* 11), nec habitasse procul Hippone: videlicet casu quodam cum Proculeiano Donatianæ partis episcopo Hipponensi in unam domum conveniens, collocutionem cum ipso habuit, sententiamque ipsius et mentem Augustino subinde indicavit (*Epist.* 33, *n.* 2). Possidius perillustris episcopus Calamensis, qui Augustini gesta memoriæ prodidit, in primis haud dubie in ejus monasterium se recepit; cum ejus se charitati quam plurimis annis inhæsisse, atque in illius societate et amicitia jucunde ac familiariter, citra ullam amaram dissensionem, annis ferme quadraginta vixisse commemoret (*Possid., in Vita Aug., Præfat., et c.* 31). Ipsemet Augustinus scribit eum suo ministerio nutritum fuisse, non litteris quidem illis, quas libidinum suarum servi liberales nuncupant, sed Dominico pane cibo-que cœlesti, *quantus*, inquit, *ei potuit per nostras angustias dispensari* (*Epist.* 101, *n.* 1). Testatur idem vir Dei, profuisse se conatibus suis fratri Profuturo (*Epist.* 28, *n.* 1), qui ad Cirtensem episcopatum anno saltem trecentesimo nonagesimo quinto evectus est. Evodius autem scribit ad Augustinum de Profuturo, Privato et Servilio, qui sancti viri de monasterio præcesserant, et quos sibi post obitum locutos fuisse asseverat (*Epist.* 158, *n.* 9). Meminit Augustinus cujusdam Privati monachi, qui moriens aliquot solidos per donationem in quempiam non transtulerat (*Epist.* 83, *n.* 4). Urbanus, postea Siccensis episcopus, fuerat presbyter Hipponensis (*Sermonum Fragmenta*, *n.* 1 *primi fragm.*). Verisimile quoque est Peregrinum episcopum, illum ipsum esse qui Augustini diaconus ante fuerat (*Epist.* 171, *et Epist.* 139, *n.* 4). Tantam Augustinus sibi cum Bonifacio Cataquensi episcopo necessitudinem fuisse ubique testatur (*Epist.* 96, *n.* 2, *et Epist.* 97, *n.* 3), ut certe colligi possit, eum ex sancti Viri fuisse discipulis. Idem de Fortunato Cirtensi episcopo asserendum videtur (*Epist.* 115, *et Epist.* 116).

3. Sed nemo ex nobis requirat, ut recenseantur, qui ex Augustini schola prodiere magno numero præstantes viri; quando Possidius, qui eos probe noverat, curasse videatur, ut illorum nos laterent nomina, quorum egregia in Ecclesiam merita publicabat. *Proficiente porro*, inquit, *doctrina divina sub sancto et cum sancto Augustino, in monasterio Deo servientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente et clarescente de die in diem Ecclesiæ catholicæ prædicationis veritate sanctorumque servorum Dei proposito, continentia et paupertate profunda, ex monasterio quod per illum memorabilem virum et esse et crescere cœperat, magno desiderio poscere atque accipere episcopos et clericos pax Ecclesiæ atque unitas et cœpit primo, et postea consecuta est. Nam ferme decem, quos ipse novi, sanctos ac venerabiles viros, continentes et doctissimos, beatus Augustinus diversis Ecclesiis, nonnullis quoque eminentioribus, rogatus dedit. Similiterque et ipsi ex illorum sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, et monasteria instituerunt, et studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sa-*

*cerdotium præstiterunt. Unde per multos et in multis salubris fidei, spei et charitatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Africæ partes, verum etiam in transmarinis, et per libros editos, atque in græcum sermonem translatos, ab illo uno homine, et per illum multis, favente Deo, multa innotescere meruerunt* (*Possidius in Vita Augustini, c.* 11). Ex his decem episcopis, qui ab Augustini monasterio ad episcopatum arcessiti, sanctitatis existimationem suis sibi meritis conciliarunt, octo jam a nobis supra laudati in notitiam nostram venerunt; videlicet Alypius Tagastensis, Evodius Uzalensis, Profuturus Cirtensis Numidiæ metropolitanus, Fortunatus ejusdem successor, Severus Milevitanus, Possidius Calamensis, Urbanus Siccensis, et Peregrinus. Ecclesiarum longe positarum necessitatibus charissimos discipulos suos, quos ut alumnos strictissima dulcissimaque familiaritate sibi conjunctos diligebat, concedere non poterat, quin ex eorum desiderio laboraret, ac doloris veluti stimulis foderetur. Publicas tamen Ecclesiarum necessitates privatis commodis anteponebat, sperans fore, ut cum illis, quos in terris propter Christum ab se divelli pateretur, in cœlis per Christum esset æternum convicturus (*Epist.* 84, *n.* 1). Ipse vero creatus episcopus, ex his qui sancti propositi tenaces permanebant in monasterio, nonnisi meliores atque probatiores in clerum suum solebat asciscere. Nihilo tamen minus experiebatur aliquando, ex bono monacho vix bonum clericum fieri, si adsit ei sufficiens continentia et tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas (*Epist.* 60, *n.* 1).

4. Non solum autem præsules ab Augustini monasterio arcessiti, alia cœnobia in sua quisque diœcesi constituerunt; verum etiam existimare licet, Aurelium et complures alios etiam ante Augustini episcopatum idem factitasse. Nam cum episcopatum adeptus est, jam annus erat et amplius ex quo Paulinus non modo per Alypium se precibus sanctorum commendaverat, *qui sunt*, inquit, *in clero Sanctitatis tuæ comites, et in monasteriis fidei ac virtutis tuæ æmulatores*; sed etiam in extrema parte epistolæ fratres tum Ecclesiarum, tum monasteriorum Carthaginis, Tagastæ, Hipponis-Regii aliorumque Africæ locorum salutat (*Epist.* 24, *n.* 2). Ei quoque Augustinus verbis *fratrum, non solum qui nobiscum*, inquit, *habitant, et qui ubilibet habitantes Deo pariter serviunt*, salutem nuntiat (*Epist.* 27, *n.* 6). Ipsæ etiam cedri Libani, hoc est, nobiles et divites hujus sæculi, præclare secum actum putabant, si sub umbra ramorum suorum nidificantes colligerent passeres et pauperes, qui propter Christum communisque vitæ professionem omnia reliquerant; agros illis et hortos concedebant, ecclesias et monasteria construebant (*Enarr. in Psal.* 103, *serm.* 3, *nn.* 16, 17). Unde contigit, in una et eadem civitate complura aliquando cœnobia reperiri. Nam præter illud, quod Augustinus a sua statim ordinatione apud Hipponem condidit, alterum a Leporio presbytero in eadem urbe, tertium ibidem ab Eleusino videtur fuisse constitutum (*Serm.* 356, *nn.* 10, 15). Hinc Possidius scribit, Augustinum ex hac vita migrantem multa Ecclesiæ suæ monasteria virorum ac feminarum continentium plena dimisisse (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 31); quæ in urbe constituta fuisse oportet; alioquin a Vandalis, quia multis eam mensibus obsidebant, fuissent devastata. Hi sunt uberrimi fructus, qui ab Augustini pietate velut a radice prodierunt. Quare non immerito et monachorum et monasteriorum institutor habebatur; cum reipsa monastici Ordinis in Africa fundatorem eum fuisse videamus. Verum Ecclesiæ adversarii, qui hoc Augustino in magnis criminibus objectare non verebantur, illud vitæ genus ignorare se demonstrabant, vel potius toto orbe notissimum nescire se simulabant (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 3, *n.* 48). Quid, quod adeo pudorem omnem exuebant, ut sanctissimum institutum cum suis Circumcellionibus auderent comparare? Qua de re sic Augustinus ad Catholicos: *Si comparandi sunt, vos videte; si verbis vestris opus est, jam laboratis. Non opus est nisi ut admoneatis unumquemque ut attendat; solum attendat et comparet. Quid opus est verbis vestris? Comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis. Verumtamen, charissimi, sunt et qui monachi falsi sunt; et nos novimus tales: sed non periit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non sunt* (*Enarr. in Psal.* 132, *nn.* 3, 4).

5. Tales inter suos cum dolore tulit non ignotos, nec levioribus tantummodo criminibus obstrictos. Ut enim ipse plebi suæ identidem repetit, non est status adeo perfectus, in quo non sint debiles, imo et proditores; neque societas adeo sancta est, in qua scandalum interdum non reperiatur. Nam, ubi Dominus omnes tribus generibus hominum comprehendit, scilicet existentium aut in agro, aut in molendino, aut in lecto; *In lecto autem eos*, inquit Augustinus, *intelligi voluit, qui amaverunt quietem; per lectum enim quietem voluit intelligi; non se miscentes turbis, non tumultui generis humani, in otio servientes Deo: et inde tamen unus assumetur, et unus relinquetur. Sunt ibi probi, et sunt ibi reprobi* (*Ibid., n.* 4). Unde sic alicubi loquitur: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est, etc.: aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cœlum; unde Angeli ceciderunt. Simpliciter autem fateor Charitati vestræ, coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi: quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum,* « Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc » (*Apoc.* XXII, 11). *Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosio-*

*ris implentur* (*Epist.* 78, *nn.* 8, 9). Hoc jam episcopus ad populum Hipponensem scribebat, occasione cujusdam scandali, in ipsius domo inter Bonifacium presbyterum et alium nomine Spem exorti. His utebatur experimentis ut abjecte de se sentiret, aliosque simul cohortaretur, ne fiduciam in ipso, aut in domus ipsius quantumvis bona disciplina, sed in uno Deo collocarent. *Fuit quidam*, ait, *in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, et facienda non faceret, respondebat : Qualiscumque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit. Qui profecto et verum dicebat, et hoc vero non proficiebat in bonum : sed usque adeo profecit in malum, ut deserta monasterii societate fieret canis reversus ad suum vomitum : et tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est* (*De Dono perseverantiæ*, *n.* 38). Ex ejus monasterio Donatus cum fratre suo fuerat egressus, ut ambitione stimulante ad clericatum alibi suscipiendum uterque convolaret (*Epist.* 60). Paulum episcopum, cui Bonifacius in sedem Cataquensem successit, in Christo Jesu per Evangelium genuerat; sed neque salutaribus suis consiliis, neque benignitate, neque severitate facere potuit, quin ille universam Ecclesiam Hipponensem perversis suis moribus vulneraret. Quapropter ab ejus communione sejungere se coactus est Augustinus (*Epist.* 85). Antonium, quem secum habebat in monasterio suo a parvula ætate nutritum, ad Fussalensem episcopatum provexit : eo tamen munere sic ille præpostere functus est, ut ipse Augustinus mœrore discruciatus, quod ejus episcopatui suffragatus fuisset, de abdicanda episcopali dignitate, ut se lamentis errori suo convenientibus dederet, cogitarit (*Epist.* 209, *nn.* 3, 10). Rem de monacho apud se pariter a pueritia enutrito miram ad modum narrat; qua narrata eumdem tamen dicit non permansisse in proposito sanctitatis (*De Genesi ad Litt.*, *lib.* 12, *nn.* 37, 38).

6. Quanto chariorem habebat Ordinem monasticum, tanto monachorum lapsus et probra molestius ferebat; cum ea nimirum adversarentur studio ipsius et voto; quo sanctum illud institutum per universam Africam, ut jam in aliis orbis christiani partibus, et propagari et florere cupiebat. Verum dolorem temperabat, ubi attendebat eam esse, Deo ita ordinante, hujus vitæ conditionem, ut nusquam sint grana sine palea, nusquam frumenta nisi inter zizania : ubique autem animas, etiam Deo ob munditiem proximas, in medio filiarum sicut lilia inter spinas versari; hoc est, cum iis necessario vitam agere, quæ licet filiæ propter sacramenta Domini, spinæ tamen sint propter mores suos (*Enarr. in Psal.* XCIX, *n.* 8). Quapropter sicut nullam conditionem volebat ita laudari, ut mala tacerentur quæ ibi mixta sunt; ita nec probabat, si qui monasticam professionem nimis valde laudarent, ut ea sola proprio quasi prærogativo jure reprobis carere hominibus putari posset. *Tu qui laudas*, ait, *dic mixtos malos; tu qui vituperas, vide ibi et bonos. Sic et in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio : magni viri, sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt, cum lectione illis res est; laborant manibus suis, inde se transigunt; non avare aliquid petunt, quidquid eis infertur a piis fratribus, cum sufficientia et cum charitate utuntur; nemo sibi usurpat aliquid, quod alter non habeat; omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent. Laudasti, laudasti : qui nescit quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naves se in portu collidunt, intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus; invenit ibi fratres malos, qui mali inveniri non possent, nisi admitterentur* (*et necesse est ut primo tolerentur, ne forte corrigantur; nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati*) : *et fit ipse intolerandæ impatientiæ. Quis me huc quærebat? Ego putabam quia charitas est hic. Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voti non reddidi. Jam vero cum inde exierit, fit et ipse vituperator et maledicus : et dicit ea sola quæ quasi se pati non potuisse asseverat; et aliquando vera. Sed vera malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Dicit illi Scriptura : « Væ his qui perdiderunt sustinentiam! »* (*Eccli.* II, 16.) *Et quod est amplius, ructat indignationis malum odorem, unde absterreat intraturos; quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Invidi, litigatores, neminem sustinentes, avari; ille ibi illud fecit, et ille ibi illud fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti, jactas : qui te malum toleraverunt, taces.* Hanc itaque professionem cum portu comparabat, in quo felicius quidem quam in pelago naves, at non cum tota securitate consistunt. *Habet enim*, inquiebat, *alicunde et portus aditum : si portus aditum ex nulla parte haberet, nulla in eum navis intraret; oportet ergo ut ex aliqua parte puteat : aliquando autem per eum partem qua patet, ventus irruit; et ubi scopuli non sunt, naves se invicem collisæ confringunt. Ubi ergo securitas, si nec in portu? Et tamen utcumque feliciores in portu quam in pelago, fatendum est, concedendum est, verum est. Ament se naves in portu, bene sibi applicentur, non sibi collidantur : servetur ibi parilitas æquabilitatis, constantia charitatis; et quando forte ventus ex illa parte, qua patet, irruerit, sit ibi cauta gubernatio. Nam quid dicturus est mihi, quisquis talibus locis forte præest, imo servit fratribus, in his quæ monasteria dicuntur? quid dicturus est? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum; cum paucis bonis bene mihi erit. Ubi cognoscis quem forte vis excludere? Ut cognoscatur malus, intus probandus est : quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, et probari nisi intraverit non potest? Repelles omnes malos? Dicis enim, et nosti inspicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt? Qui intraturi sunt, ipsi se non noverunt; quanto minus tu? Multi enim sibi promiserunt, quod impleturi essent illam vitam sanctam in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid suum, quibus est una anima et cor unum in Deum : missi sunt in fornacem, et crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum, qui sibi ipse adhuc ignotus est? Excludes malos fratres*

*a conventu bonorum? De corde tuo, quisquis ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, exclude. Ubi ergo securitas? Hic nusquam, in ista vita nusquam nisi in sola spe promissorum Dei* (*Enarr. in Psal.* XCIX, *nn.* 10, 11).

7. Cæterum humillimæ sortis homines, licet de illis minus constaret an vere animo Deo serviendi, an potius commodioris ornatiorisque vitæ amore venirent, excludi noluit. *Nunc autem*, inquit, *veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei et ex conditione servili, vel etiam liberti, vel propter hoc à dominis liberati sive liberandi, et ex vita rusticana, et ex opificum exercitatione et plebeio labore, tanto utique felicius, quanto fortius educati: qui si non admittantur, grave delictum est. Multi enim ex eo numero vere magni et imitandi exstiterunt. Nam propterea* « et infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; et stulta mundi elegit, ut confunderet sapientes; et ignobilia mundi, et ea quæ non sunt tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuentur: ut non glorietur omnis caro coram Deo » (I *Cor.* I, 27-29). *Hæc itaque pia et sancta cogitatio facit, ut etiam tales admittantur, qui nullum afferant mutatæ in melius vitæ documentum. Neque enim apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem et laboriosam fugientes vacui, pasci atque vestiri voluerint, et insuper honorari ab eis, a quibus contemni conterique consueverant* (*De Op. Mon.*, *n.* 25). Neque etiam volebat pauperes in sua societate ab iis unquam distingui, qui aliquid attulissent (*Serm.* 356, *n.* 9). Hac mente præditus, profecto non committebat, ut ab illa discederet unquam de recipiendis credentibus in Christi familiam regula, quam in hæc verba protulit: *Absit ut in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles: quando potius infirma mundi elegisti, ut confunderes fortia; et ignobilia hujus mundi elegisti et contemptibilia, et ea quæ non sunt tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuares* (*Confess. lib. 8, cap. 4, n.* 9). Quod attinet ad divites, qui relictis suis facultatibus et in pauperes erogatis, non parvum animi sui documentum afferunt: *Non est attendendum*, inquit, *in quibus monasteriis vel in quo loco, indigentibus fratribus quisque id quod habebat impenderit. Omnium enim Christianorum una respublica est. Et ideo quisquis Christianis necessaria ubilibet erogaverit, ubicumque etiam ipse, quod sibi necessarium est, accipit, de Christi bonis accipit. Quia ubicumque et ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit* (*De Op. Mon.*, *n.* 33). Ac præterea animum induxerat Vir sanctus, opus istorum bonum nonnihil prodesse monasterio, in quod se recipiunt, imo et ad illud pertinere, si modo fratribus gratum haberetur. Hinc ubi enarravit Leporium, quamvis sæculi natalibus clarum et apud suos honestissimo loco natum, tamen Deo jam servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem susceptum esse, quia jam res suas in pauperes erogaverat: *Hic*, inquit, *non fecit, sed nos scimus et ubi fecit. Unitas Christi et Ecclesiæ una est: ubicumque fecit opus bonum, pertinet et ad nos, si congaudeamus* (*Serm.* 356, *n.* 10). Porro præter illud monachorum cœnobium, quod huic narrationi locum dedit, et quod videtur Augustinus ad eorum exemplar, quæ Mediolani et Romæ multa viderat, constituere voluisse, aliud clericis jam episcopus, ut suo loco videbimus, erexit.

8. Quo autem studio et consilio viris Deo servientibus communis vitæ institutum tradiderat, eodem quoque sanctus Episcopus, in omnium salutem tota mente intentus, ut virginibus Christo dicatis id præsidii præberet, impulsus est. Nam etsi Ecclesia virgines semper habuerit, quas perinde ac nobilissimam christiani gregis partem spectaret; haud tamen illæ semper vixere simul in monasteriis, ubi se mutuo inflammarent ad pietatis studium, atque ab hominum dæmonumque insidiis invicem tuerentur. Neque porro nobis compertum est, an ante Augustinum ulla horumce monasteriorum vestigia reperiantur in Africa. Constat autem illius temporibus aliquot exstitisse; quamvis non omnes quæ virginitatem profitebantur, in illis sese includerent (*Serm.* 355, *n.* 6). Permulta erant apud Hipponem-Regium (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 31), et unum præcipue quod Augustinus velut hortum dominicum, ut ipse loquitur, plantaverat (*Epist.* 211, *n.* 3). Illius soror huic monasterio complures annos præfuerat, ad obitum usque suum in sancta viduitate Deo deserviens. Ejusdem ex fratre neptes ibidem degebant (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 26). Hujus cœnobii sanctimonialibus scripsit epistolam (*Epist.* 211), quæ ad postremos annos Augustini commode revocatur. Ejus enim soror quæ illius cœnobii præposita diu multumque fuit, e vivis jam excesserat, et in ejus locum alia successerat præposita, sub qua velut sua matre sanctimoniales ibi jam per annos multos creverant (*Epist.* 211, *n.* 4). In hoc monasterio plurimum solatii capiebat Augustinus, de quo ita loquitur: *Soleo gaudere de vobis, et inter tanta scandala, quibus ubique abundat hic mundus, aliquando consolari, cogitans copiosam congregationem, et castam dilectionem, et sanctam conversationem vestram, et largiorem gratiam Dei, quæ data est vobis, ut non solum carnales nuptias contemneretis, verum etiam eligeretis in domo societatem unanimes habitandi, ut sit vobis anima una et cor unum in Deum. Hæc in vobis bona, hæc Dei dona considerans, inter multas tempestates, quibus ex aliis malis quatitur cor meum, solet utcumque requiescere* (*Ibid.*, *nn.* 2, 3). Quamvis hunc dominicum hortum, quem suo ipse labore plantaverat, studiose coleret ac diligenter irrigaret; illum tamen ad visendas sanctimoniales raro admodum adibat: nec enim feminarum monasteria (quod Possidius observatu dignum judicavit) nisi necessitate summa compulsus visitabat (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 26). Sunt qui existiment hanc præpositam fuisse ipsam Felicitatem, cui Augustinus epistolam cum hacce inscriptione perferendam dedit: *Dilectissimæ et sanctissimæ matri Felicitati, et fratri Rustico, et sororibus quæ vobiscum sunt* (*Epist.* 210). An Rusticus illius monasterii presbyter fuerit, nobis non liquet. Erat quidam hujus nominis inter presbyteros Hipponenses, anno quadringentesimo vigesimo sexto (*Epist.* 213, *n.* 1). In illo autem

de quo prius dicebamus, cœnobio tumultuantibus plurimum sanctimonialibus, ut sibi mutaretur præposita, ob idque Augustini conspectum magnopere expetentibus, sat habuit sanctus Episcopus objurgatoriam ad illas epistolam dare, in qua vehementer quidem, sed tamen amanter in earum culpam invehitur. Easdem cohortatur, ut in bono proposito perseverent; quod si faciant, de mutanda præposita, non ultra esse locuturas. *Tranquillet Deus*, inquit, *et componat animos vestros; non in vobis prævaleat opus diaboli, sed pax Christi vincat in cordibus vestris : nec dolore animi quia non fit quod vultis, vel quia pudet voluisse quod velle non debuistis, erubescendo curratis in mortem; sed potius pœnitendo resumatis virtutem, nec habeatis pœnitentiam Judæ traditoris, sed potius lacrymas Petri pastoris* (*Epist.* 211, *n.* 4). Sub isthæc verba continuo incipit Regula sanctimonialibus præscripta ab Augustino, eoque auctore prorsus digna.

## CAPUT VI.

1 *Aurelius creatur episcopus Carthaginensis, ex quo ingentes in Ecclesias Africanas redundant utilitates.* 2 *Ad eum scribit Augustinus, quo ab ecclesiis comessationes et alias fœditates auferat.* 3 *Dolet contentionem et vanæ laudis appetitum in ipsis quoque clericis inveniri.*

1. Cum Augustinus ex Italia rediit exeunte anno trecentesimo octogesimo octavo, Aurelius erat eo tempore diaconus Carthaginensis (*De Civ. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 3). Hic in eo adhuc constitutus gradu, vitiosas quasdam, quæ per Africam impune regnabant, consuetudines intoleranter dolebat, imo exsecrabatur. Unde cum ad Carthaginensem cathedram provectus est, nullus eo dignior visus, qui suæ sedis auctoritate illis mederetur. Qui Ecclesiam ex animo diligebant, ut Augustinus, et antea desperare videbantur turpia vitia, quæ pleraque illius membra deformabant, et a paucis aliis genitus eliciebant, ex ea unquam posse proscribi; ubi auctoritatem divinitus Aurelio videre tributam, jam non desperare cœperunt. Quin etiam cum eum plus interius per virtutem, quam foris per dignitatem eminere crederent, in spem certissimam addacti sunt, fore ut fœdæ illæ consuetudines et hujus episcopi prudentia, et conciliorum quæ convocaturus erat auctoritate tollerentur. Nec vero spes eos fefellit. Aurelius enim quantocumque tempore Carthaginensem rexit Ecclesiam, semper se dignissimum Cypriani successorem præbuit. Haud alias magis, quam eo præsule, floruit Africana Ecclesia. Nulla pars Ecclesiæ catholicæ plus gratiæ et pietatis præ se ferebat : et citra temeritatis notam videtur asseri posse, secundum apostolica tempora nusquam religionis christianæ dignitatem, ecclesiasticæ doctrinæ eruditionem, et episcopalis regiminis formam tanta cum laude claruisse, quanta eluxit in Africana Ecclesia fortunatis illis temporibus, quibus caput habuit Aurelium, animam Augustinum. Hi nimirum duo eximii præsules, ad fratrum suorum subsidium tanta semper necessitudine fuerunt invicem conjuncti, ut nec sedis illius præstantia, nec illustris et pervagata istius fama, eorum amicitiam ullo unquam æmulationis et invidiæ motu visa sit elevare.

2. Primum mutuæ illorum amicitiæ symbolum nobis occurrit, epistola quam Aurelius jam Carthaginensis episcopus scripsit Augustino; qui respondet illi epistola vigesima secunda, quam ipse paulo post ordinationem suam videtur conscripsisse, quando monasterium suum Hipponense erigere incipiebat, et ipso episcopatus Aurelii exordio; quippe cum spei, quam omnes boni de illo conceperant, in eâ mentionem faciat. Quapropter affirmare licet, Aurelium ante annum trecentesimum nonagesimum non fuisse creatum episcopum. Et re ipsa antecessorem ejus Genethlium in secundo concilio Carthaginensi, decimo quarto kalendas junii, anno trecentesimo nonagesimo præsidere conspicimus. Aurelius autem Carthaginensem sedem tenebat anno trecentesimo nonagesimo tertio; cum Hipponense concilium octavo die octobris illius anni inscriptum, ex eorum sit numero, quæ sub illo sunt habita. Non exstant litteræ quas ille scripsit Augustino : id solum colligere possumus, eum se precibus Augustini commendasse; gratulatum eidem fuisse quod Alypius illi conviveret; et agri qui Augustini monasterio datus fuerat, in iis litteris meminisse. Sanctum hunc præsulem jam ante colebat diligebatque Augustinus; et illius litteris, in quibus impressa sinceri amoris indicia legit, adeo captus est, ut quibus ei verbis responderet, diu dubius hæserit. Tandem se Deo commisit, ut ipse responsum suggereret, quod utriusque erga Ecclesiæ bonum studio zeloque conveniret. Fiduciam ei dederunt Aurelii litteræ, ut cum illo tanquam secum auderet colloqui. Postquam itaque certiorem illum fecit orationum, quas ipse cum fratribus Deo fundebat, ut spei de illius episcopatu conceptæ responderet eventus, eum adhortatur ut comessationes, quibus Afri etiam obducta pietatis specie in ecclesiis vacabant, proscribat. Pollicetur etiam illi, modo prior operi manum admoveat, Valerium Hipponensem non defuturum. Ubi multa habet in hanc rem egregia, et est locus de oblationibus pro mortuis observatione dignissimus (*Epist.* 22, *n.* 1-6). Aurelius haud dubie suo erga Ecclesiam officio hac in re perfunctus est. Testatur Augustinus in quadam concione ad populum habita, se, cum ebrietates de basilica in qua concionabatur, vellet expellere (quæ re ipsa carnalium hominum seditione nequidquam obstante sublatæ sunt), grande periculum incurrisse. Videtur id accidisse Carthagine, cum de spectaculis in eo sermone multum disserat, et argumentum tractet ab aliis sibi propositum (*Serm.* 252, *n.* 4).

3. Sed ut ejus ad Aurelium epistolam reliquam perlustremus, de inani quoque gloria et laudis cupiditate ibidem præclara dicit, subditque se ista non tam instruendo Aurelio proferre, quam sibimet excitando ad strenue cum hoste decertandum, cujus vires is unus sentit, qui ei bellum indixerit. *Vehementer cum adversario dimicans*, inquit, *sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum. Hæc propterea scripsi, ut si tuæ Sanctitati jam non sunt*

*necessaria, sive quod plura hujusmodi ipse cogites atque utiliora, sive quod tuæ Sanctitati medicina ista non opus sit, mala tamen mea nota sint tibi, sciasque unde pro mea infirmitate Deum rogare digneris : quod ut impensissime facias, obsecro per humanitatem illius qui præceptum dedit, ut invicem onera nostra portemus* (*Ep.* 22, *nn.* 8, 9). Addit multa superesse, quæ de vita sua et conversatione defleturus esset, si cum eo coram potius quam per litteras colloqui sibi de illis liceret : Hipponenses porro ipsi non credere, dumque deseri metuunt, longinquam suam ipsius absentiam tolerare non posse. Rogat tamen Aurelium ut a Saturnino, quem uterque sincere diligebat, secum enixe postulet, ut ad se venire ne gravetur ; propterea quod cum senis illius sit observantissimus, et ejus in Aurelium singulare studium præsens ipse perspexerit, vix aliquid discriminis inter colloquium, quod vel cum Saturnino, vel cum ipso Aurelio esset habiturus, agnosceret. Haud scimus an iste Saturninus, quem episcopum et antiquum et celebrem fuisse, dubitare non possumus, sit ille præsul Uzalensis beatæ memoriæ Saturninus quem Augustinus Carthagine viderat una cum Aurelio (*De Civ. Dei, lib.* 22, *cap.* 8), anno trecentesimo octogesimo octavo.

## CAPUT VII.

*1 Librum de Utilitate credendi ad Honoratum Manichæis addictum scribit. 2 Tum librum de Duabus Animabus adversus eosdem Manichæos. 3 Fortunatum Manichæum presbyterum convincit in publica disputatione. 4 Adimantum Manichæi discipulum refellit.*

1. Licet Augustinus Valerii jussu populum Hipponensem verbo institueret, aliisque presbyterii sui muneribus sedulo fungeretur ; haud tamen hæc obstitere quominus universam Ecclesiam publicis lucubrationibus suis erudiret. Primas contulit ad impugnandos Manichæos, qui apud Hipponem-Regium frequentes erant, ob presbyterum quemdam Manichæum (Fortunato nomen fuit), qui permultos ibi cives et advenas pravæ suæ doctrinæ veneno infecerat (*Retract. lib.* 1, *cap.* 14). Primum opus suum inscripsit amico suo Honorato, Manichæorum irretito laqueis, in quos eum ipsemet Augustinus olim conjecerat (*De Utilitate credendi, n.* 2). Cum esset Honoratus acri judicio, quam invalidæ forent nonnullæ Manichæorum solutiones, satis agnoscebat et eisdem pene curarum ac sollicitudinum fluctibus, quibus alias Augustini necdum conversi animus, jactabatur. Verum deceptus fuerat speciosis illis Manichæorum pollicitationibus, quibus se nihil nisi quod clarum, evidens et apertum foret, asserturos promittebant. Irridebat pariter in catholicæ fidei disciplina, quod fides hominibus imperaretur, nec verum illis ratione demonstraretur. Cum igitur falsa veritatis specie deceptus, non temporalis commodi gratia pellectus, adhæreret errori, sicque magis delusus ab hæreticis, quam hæreticus esset ; credidit Augustinus fore ut illum ad veri notitiam eadem via qua ipse pervenerat, posset adducere. In hunc finem ad eum scripsit insignem librum, cui titulum fecit, De Utilitate credendi, ut ostenderet Manichæos temere ac sacrilege in eos invehi, qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, ad mysteriorum intelligentiam se comparant, dum ea credunt, quæ nondum valeant animo percipere, mentemque suam ad radios divini luminis excipiendos emundant. De hoc uno argumento agit in hoc opere. Confutationem enim fabularum quas Manichæi comminiscebantur, et uberiorem de catholica doctrina sermonem, si Honorato ad salutem prodesse judicaret, ad alia reservat opera, jamque id in aliis voluminibus editis fuerat exsecutus. Ait se cum eo, velut cum familiari suo, simplici stilo agere, id est, sicut ipse tunc posset, omissa scientiæ altitudine, quam in aliis doctissimis viris fuisset admiratus (*Ibid., n.* 10). Addit, se sacris in Litteris necdum esse satis exercitatum. Deum rogaverat ut istud opus utile foret Honorato, aliisque quorum in manus deveniret. *Et spero ita fore,* inquit, *si bene mihi conscius sum, quod ad hunc stilum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriæ ostentationis, accessi. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone malitiose agere ; sed ut existimo accipiendum esse, veri probandi causa : cui uni rei vivere jamdiu statuimus, et incredibili sollicitudine ; ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed præsumo quod et in hac spe, qua spero vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille cui sacratus sum : quem dies noctesque intueri conor, et quoniam propter peccata mea, propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum saucialum oculum animæ gerens, invalidum me esse cognosco, sæpe rogo cum lacrymis. Et quemadmodum post longam cæcitatem ac tenebras luminibus vix apertis, et adhuc lucem palpitando atque aversando, quam tamen desiderant, recusantibus, præsertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere : ita mihi nunc evenit, non neganti esse ineffabile quiddam et singulare animæ bonum quod mente videatur ; et me ad contemplandum nondum esse idoneum cum fletu et gemitu confiteri. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo ne fallaris* (*Ibid., nn.* 1, 4). Augustini laboribus optatus erga Honoratum respondit eventus, si modo is est, ut putant, qui Augustino circa annum quadringentesimum duodecimum varias quæstiones enodandas ab urbe Carthagine mittebat (*Epist.* 140, *n.* 83).

2. Post librum de Utilitate credendi, scripsit Augustinus de Duabus Animabus (*Retract. lib.* 1, *cap.* 15), quas inesse homini dicunt Manichæi, quarum unam bonam, alteram carnis propriam et de gente tenebrarum, quam Deo opponunt : omnia quidem hominis bona illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuentes. Hanc sententiam falsi convincit : rationesque quas adhibet, eo plus ad persuadendum et movendum ponderis ac momenti obtinent, quod eas non disputando exponit, sed solum dolendo, se iis, dum a Manichæis illudi sibi passus est, usum non fuisse, sicut se uti potuisse demonstrat ; cum ex naturæ ipsius, communique hominum sensu depromptæ

sint (*De Duabus Animabus*, *n.* 22). Asserit se a rerum tam evidentium consideratione peccandi consuetudine fuisse aversum, seque sentire nunc in familiarissimorum suorum damno, quod tunc in suo ipsius periculo minime sentiebat. Quapropter operi finem imponit, Deum orans atque obsecrans, ut ejusdem gratiæ ope quam ipse expertus est, illos ab errore revocet : sicque orans agnoscit, non solum conversos ad Deum gratia ejus adjuvari, ut proficiant ; verum etiam ut convertantur, ad ipsam Dei gratiam pertinere (*Retract. lib.* 1, *cap.* 15, *n.* 8). Spem facit in hoc opere, se aliis in lucubrationibus ostensurum, quonam pacto catholicæ Scripturæ a Manichæorum criminationibus et calumniis possint vindicari : quod contra Faustum maxime scribens præstitit. Varii sunt in hoc eodem opere loci quos Pelagiani aliique gratiæ adversarii ad errorum suorum patrocinium detorquere poterant. Julianus nominatim, in Augustinum scribens, producto quodam exinde loco gratulandus exclamat : *O lucens aurum in stercore! quid verius, quid plenius dici a quoquam vel orthodoxo potuisset?* Sed hos locos Augustinus ipse nullatenus eis suffragari ostendit (*Operis imperf. lib.* 1, *cap.* 44, 45). Libri de Utilitate credendi et de Duabus Animabus ad annum trecentesimum nonagesimum primum, vel trecentesimum nonagesimum secundum referendi sunt ; cum eos Augustinus præmittat disputationi, quam cum Fortunato habuit quinto kalendas septembris, anno trecentesimo nonagesimo secundo.

3. Jam diximus hunc Fortunatum fuisse Manichæorum presbyterum, qui apud Hipponem-Regium cum jam pridem plurimum temporis vixisset, ibi seduxerat ita multos, ut propter illos amaret in ea urbe habitare (*Retract. lib.* 1, *cap.* 16). Tandem tamen civitatis illius Catholici omnes, et qui tunc in ea morabantur peregrini, ac ipsi quoque Donatistæ, adierunt Augustinum, rogaruntque ut cum Fortunato, qui doctus ab eis habebatur, de Lege tractaret. Augustinus paratus semper ad reddendam fidei suæ rationem, spelque ac fiduciæ quam in Deo collocarat, et sane potens exhortari in doctrina sana, et contradicentes arguere, non detrectavit colloquium : sed utrum etiam Fortunatus id expeteret, sciscitatus est. Quod illi confestim ad Fortunatum detulerunt, petentes et cohortantes ac flagitantes ne congressum recusaret. Ille qui formidandum hunc adversarium, dum Manichæorum partes sequeretur, Carthagine noverat, diu inops consilii fluctuavit. Verum magnis ipsorum, maxime Manichæorum, precibus reluctari non potuit ; ne disputationis certamen detrectando, causæ suæ infirmitatem tacite proderet. Itaque se in arenam descensurum, et partes suas propugnaturum est pollicitus (*Possid*, *in Vita August.*, *c.* 6). Designatus fuit dies et locus, et constitutum ut ratione discuteretur, an possent esse geminæ naturæ, coæternæ et contrariæ, prout contendebant Manichæi. Cum enim illi hæretici Scripturarum plures pro libitu partes rejicerent, operosum erat eos auctoritate convincere. Apud Hipponem igitur convenerunt in Balneas Sossii quinto kalendas septembris, anno trecentesimo nonagesimo secundo, confluentibus illic quam plurimis viris eruditis, aliisque sive discendi studio, sive curiositate ductis (*Contra Fortunat.*, *disput.* 1, *n.* 1). Sub Actorum finem significari credas solos fideles baptizatos adfuisse disputationi secundæ (*Ibid.*, *disput.* 2, *n.* 37) : nihilominus liquet ex Possidio, Manichæos etiam plures, cum in ea Fortunatus obmutuit, præsentes fuisse (*Poss.*, *in Vita August.*, *c.* 6) ; vixque ac ne vix quidem credi potest rem se aliter habuisse. Utrimque dicta notarii velut in actis publicis excipiebant. Fortunatum pressit Augustinus hoc, quod a Nebridio acceperat, argumento : Si Deus a gente tenebrarum, quam comminiscuntur Manichæi, nihil pati potuit, quia inviolabilis est, non debuit animas, hoc est, juxta eorum sententiam, partem suæ substantiæ, huc mittere, ut ærumnas paterentur ; sin autem a tenebrarum gente aliquid pati potuit, inviolabilis non est. Ex quibus inferre voluit, malum ex libero voluntatis arbitrio emanare ; cum Fortunatus naturam mali ac tenebrarum Deo ipsi coæternam persuadere moliretur. Producta est disputatio usquedum Fortunatus in hanc blasphemam vocem erupit : Sermonem Dei ligatum esse in gente tenebrarum. Quod cum exhorruissent qui aderant, discessum est. Sed postridie redintegratum est de eodem argumento colloquium, in quo Fortunatus in eas angustias ab Augustino compulsus est, ut ab ipso, quidnam dicturus esset, petierit, confessus nihil se invenire quod diceret. Tum Augustinus ultro ei pollicitus est, se catholicam fidem, si modo auditores permitterent et vellent, expositurum. Respondit Fortunatus, se de Augustini argumento ad peritissimos sectæ suæ relaturum : qui si minus interrogationi suæ facerent satis, se, quoniam animæ suæ consulere vellet, ad fidei catholicæ inquisitionem, quam Augustinus offerebat, esse venturum. Cum is fuisset hujus disputationis exitus ; qui Fortunati eruditionem atque doctrinam plurimi fecerant, nihil eum in errore suo propugnando valuisse judicarunt. Ille vero cum fidem catholicam amplecti debuisset, ob publicam infamiam quam concoquere non poterat, aliquanto post ex urbe discessit rubore suffusus, nec ad eam amplius remeavit. Hanc disputationem in librum memoriæ mandandam conferre curavit Augustinus, Deoque piis illius laboribus favente, quotquot huic interfuere colloquio, vel ejus Acta perlegerunt, ejurato errore, sinceram et orthodoxam Ecclesiæ catholicæ fidem amplexi sunt (*Ibid.*). Manichæi subinde Hipponem miserunt alium sectæ suæ presbyterum, cujus nomen reticetur. Conjectura tamen non deest, eum esse Felicem illum, de quo sumus acturi anno quadringentesimo quarto. Scripsit illi Augustinus, idemque argumentum, quo se Fortunatus expedire nequiverat, proposuit ; simul illi denuntians, ut aut quæstionem solveret, aut discederet (*Epist.* 79).

4. Ne autem ea, quæ contra Manichæos Augustinus adhuc presbyter scripsit, disjungamus, agendum nobis est hoc loco de ejusdem libro adversus Adimantum (*Retract. lib.* 1, *cap.* 22), licet is alia quædam

opuscula, de quibus nondum diximus, subsequatur. Adimantus iste, seu Addas, unus e primis et præcipuis Manichæi discipulis, multa ex utroque Testamento loca corraserat, quæ velut inter se contraria veteratorie opponens, ab uno eodemque Deo esse non posse contendebat. Cum igitur hujus Adimanti disputationes in manus Augustini venissent, eas a se refellendas putavit : conscriptoque in easdem libro, utriusque legis in iis locis, quæ sibi invicem adversari volebat Adimantus, consensum et concordiam demonstravit. In hoc libro quæstionibus aliquot semel et iterum respondet, quoniam quæ primo responderat, intercideranl, quæ tamen post alteram responsionem reperta sunt : quasdam etiam in suis ad plebem Sermonibus enodavit (*Serm.* 12, *nn.* 1, 2) : nonnullas denique, sed paucas admodum, partim oblivione, partim negotiis urgentibus distractus prætermisit.

## CAPUT VIII.

1 *Generale concilium totius Africæ celebratur Hippone, in quo Augustinus fidei symbolum exponit.* 2 *Ad Hieronymum scribit.* 3 *Edit librum de Genesi ad Litteram imperfectum.* 4 *Libros postea de Sermone Domini in monte.* 5 *Scribit in Epistolam ad Romanos.* 6 *Necnon in Epistolam ad Galatas.* 7 *Opusculum de Mendacio.*

1. Anno Christi trecentesimo nonagesimo tertio, octavo idus octobris habitum est concilium Hipponense in ecclesia Pacis, cujus ecclesiæ non semel meminit Augustinus (*Epist.* 213, *n.* 1). Illa est, uti conjectare libet, quam Majorem basilicam appellabant. Generale fuit totius Africæ concilium, in quo haud dubie præsedit Aurelius, cum sedem Carthaginensem tunc obtineret. Magnam profecto existimationem sibi jam Augustinus pepererat. Nam cum biennio ante res esset omnino inaudita, presbyterum coram episcopo dicere; jussus ille est ab ipsismet episcopis in isto celebri consessu, de Fide et Symbolo disserere. Quam etiam disputationem amicis studiosissime instantibus, in librum qui etiamnum exstat, redigere coactus est (*Retract. lib.* 1, *cap.* 17). In hoc opere singulos Symboli articulos exponit, quos tamen non iisdem verbis refert, quibus memoriter tenendi Competentibus tradebantur : ob id forte, quod nonnisi in corde ac memoria liceret sive soleret Symbolum scribi (*Serm.* 212, *n.* 2, *et Serm.* 214, *n.* 1). In eodem libro conceptis verbis Manichæos, tacito tamen eorum nomine, passim insectatur. Quamvis hæc Augustini gloria voluptatem crearet præ cæteris Valerio, hunc tamen simul non levi sollicitudine affecit. Nam quo tenerius eum adamabat, eo metuebat magis, ne alicui Ecclesiæ præficiendus, eriperetur Hipponensi : quod certe jam prope erat ut eveniret, nisi re cognita Valerius sic eum secreto abdidisset, ut a quærentibus minime potuerit reperiri. Hoc experimento inductus est sanctus senex, ut eum sibi adhuc viventi in episcopatu subrogandum curaret. Quod quanam ratione contigerit, infra dicturi sumus. Concilium Hipponense, de quo mox egimus, aliquot haud dubie statuta sancivit, quæ majore ex parte in tres et triginta primos Collectionis Africanæ canones inserta sunt. Id primum fuisse videtur ab Aurelio ex tota Africa congregatum, ut collapsam in hac amplissima provincia disciplinam ecclesiasticam in integrum restitueret. Nec ambigendum, quin Augustinus decretis in Concilio sanciendis operam suam præter cæteros præstiterit. Concilium istud Baronius Archetypon appellat (*Baron., ad ann.* 393, *cap.* 33), ex quo alia, quæ postea in Africa celebrata sunt, complura fuerint mutuata, iis adjectis, quæ salubriora fore experiendo didicerant.

2. Ad hunc annum trecentesimum nonagesimum tertium refert Baronius Alypii, nondum quidem episcopi, sed jam episcopatu digni (*Epist.* 28, *n.* 1) profectionem in Palæstinam. Et reipsa cum, cum ad Paulinum scriberet anno trecentesimo nonagesimo quarto, jam episcopum creatum fuisse videbimus (*Epist.* 24, *n.* 1, *et in titulo*). Nihil de hac peregrinatione compertum, nisi visum fuisse ab Alypio Hieronymum (*Epist.* 28, *n.* 1), qui apud Bethlehem jam inde ab anno trecentesimo octogesimo sexto degebat, et ibi variis ingenii sui lucubrationibus, quibus sacros in primis codices exponebat, magnam sibi existimationem pepererat. Hoc placidissimo Hieronymus otio et exercitatione vere liberali Augustino primum innotuit. Cumque huic ex ingenii fetibus esset cognitus, supererat ut de facie nosceretur. Erat hæc minor Hieronymi pars : attamen tanta indoles in Augustino erat, ut etiam videndis amicis avide inhiaret (*Ibid.*). Verum quod per se non potuit, per Alypium, quicum unus animo erat, fuit consecutus. Illius familiarissimi sui oculis, necnon ejusdem reducis relatione, Hieronymum vidit. Tum primum etiam Hieronymus Augustinum ex his, quæ ab Alypio de illo didicit anno trecentesimo nonagesimo quarto, et cognovit, et dilexit : adeo ut cum quidam Profuturus in Palæstinam profecturus esset, Augustinus (cujus ille, ut videtur, discipulus erat) satis arcta necessitudine se Hieronymo conjunctum putarit, ut eum ipsi commendaret, et suos eidem sensus, cum super variis locis operum hujus sancti doctoris, tum in primis super Petri et Pauli disceptatione detegeret. Optat etiam ut vicissim Hieronymus in scriptis suis legendis, quorum nonnulla per Profuturum ipsi mittebat, eadem licentia ac libertate fruatur (*Ibid., n.* 6). Hanc epistolam adhuc presbyter scripsit (*Epist.* 71, *n.* 2), ac proinde anno trecentesimo nonagesimo quarto, vel trecentesimo nonagesimo quinto. Verum nonnisi longo post intervallo reddita fuit Hieronymo : siquidem Profuturus, cui eam tradiderat, non est profectus. Cum enim se itineri commissurus esset, episcopus creatus, haud ita multo post e vita discessit (*Epist.* 72, *n.* 1). Videtur is esse Profuturus, qui Cirtensis fuit episcopus, paucis ante annis defunctus, quam Augustinus de Baptismo contra Petilianum scriberet (*De Unico Bapt., n.* 29).

3. Cum Augustini episcopatum ad anni sequentis exitum, hoc est ad annum trecentesimum nonagesimum quintum, relaturi simus, opera quæ post concilium Hipponense conscripsit presbyterii sui tem-

pore in præsenti anno recensebimus. Primo ipse loco librum de Genesi ad Litteram imperfectum collocat. Primum etiam est istius generis opus quod in sacram Scripturam conscripsit : duo siquidem libri, quos de Genesi contra Manichæos scripserat, allegoricam tantummodo expositionem continebant. Hunc igitur composuit exploraturus, num ad perspicienda rerum naturalium arcana, eaque ad litteram, hoc est secundum historicam proprietatem (quod opus negotiosissimum vocat, ac difficillimum), exponenda satis valeret. Subdit se etiam tunc temporis vires suas huic labori adeo impares comperisse, ut tantæ moli succumbens, opusculum imperfectum reliquerit, nec in lucem ediderit. Quin etiam cum libros suos recognosceret, hunc abolere decreverat, ob eam potissimum causam, quod opus magis amplum et absolutum de eodem argumento confecisset. Nihilominus opusculum istud non inutilem fore rudimentorum suorum in enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis indicem ratus, servare constituit. Dimidiam etiam circiter paginam ad calcem libri adjecit, neque tamen absolvit. Quapropter hunc *De Genesi ad Litteram imperfectum* inscripsit.

4. Per idem tempus de Sermone Domini in monte secundum Matthæum duos libros fecit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 19); in quibus morem quotidie communicandi cœnæ Dominicæ, quem ipse cum cæteris Africæ fidelibus sequebatur, observat; licet illa consuetudo in orientali Ecclesia non vigeret (*De Serm. Domini in monte, lib.* 2, *n.* 26). Refert ibidem, se a quodam Hebræo quæsiisse, quid sibi vellet vocabulum illud, Racha, et acceptam ab eo interpretationem aliis anteponit (*Ibid., lib.* 1, *n.* 23). Quidam Pollentius plurimis post annis hoc opus evolvens, aliquot difficultates de uxoribus repudiatis offendit, easque sancto Doctori proposuit, quas ille priore libro de Adulterinis Conjugiis enodavit.

5. Adhuc presbyter Carthaginem se contulit, ubi cum inter fratres Epistola Pauli ad Romanos legeretur, occasione oblata variæ quæstiones super implicatissimis hujus Epistolæ locis fuerunt ei propositæ, et a fratribus, quibuscum ibi versabatur, inductus est, ut responsiones suas scriptis excipi pateretur. Sicque superioribus opusculis liber unus accessit, qui Expositio quarumdam propositionum ex Epistola Pauli ad Romanos, inscribitur. Fatetur in suis Retractationum libris, nondum per id tempus satis diligenter quæsiisse se, qualis esset electio gratiæ. Unde sic ibi loquitur, quasi non a gratia, sed a nobis esset initium fidei (*Retract. lib.* 1, *cap.* 23, *n.* 2). Quare Semipelagiani librum hunc tanquam sibi suffragantem probabant, et in sententiæ suæ patrocinium adducebant : nec injuria sane, ut ipse fatetur Augustinus, qui subdit eos et ipsum legendo secum proficere, et errorem sui exemplo deponere debuisse (*De Prædest. sanct., nn.* 6, 7).

6. Sub hæc ejusdem apostoli Epistolam ad Galatas, non carptim, ut Epistolam ad Romanos, sed continenter et totam exposuit; quam tamen expositionem uno volumine complexus est (*Retract. lib.* 1, *cap.* 14). Hieronymi in hanc Epistolam Commentarium jam tum vidisse poterat. Eum certe legerat nondum episcopus (*Epist.* 28, *n.* 3). Epistolam quoque ad Romanos eodem modo commentandam susceperat; quod opus libros attulisset plurimos. Verum ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, in alia faciliora deflexit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 25). Sic primum tantummodo librum in sola ipsius salutationis ac velut tituli Epistolæ expositione confecit, cum diu in solvenda incidente sermoni suo quæstione de peccato in Spiritum sanctum coactus fuisset immorari.

7. Postremus liber, quem Augustinus notat a se presbytero compositum, De Mendacio inscribitur (*Ibid., cap.* 27); quem, ut illicitum esse mendacium ostenderet, elaboravit. Sed hujus magna pars in ipsa quæstione ultro citroque discutienda, et investiganda veritate versatur. Fatetur ipse librum hunc obscurum, anfractibus implicatum, et omnino molestum sibi videri : ideoque nec eum ediderat; quin etiam ex operum suorum numero, maxime cum contra Mendacium postea scripsisset, expungere decreverat. Verum cum opuscula sua recogniturus, hunc librum incolumem comperisset, etiam ipsum retractatum manere permisit; quod in eo nonnulla reperirentur necessaria, quæ in altero posteriore deessent; ratus nimirum hunc librum, quamvis operose intelligeretur, non inutilem tamen et ingenii et mentis exercitationem habiturum, eoque magis ad ingenerandum veritatis amorem fore idoneum. Nec enim in eo vult quæri eloquentiam, cum in sola re discutienda, ut opus moderandæ vitæ pernecessarium celeriter absolveretur, neglecta verborum cura, desudasset. In operis clausula eos acriter insectatur, qui Apostolum in Epistola ad Galatas officiosum admisisse mendacium contendebant : quod non dubie Hieronymi in hanc Epistolam Commentarium respicit. Et fortassis illo ipso tempore opus istud elaboravit, quo vigesimam octavam epistolam ad eumdem de hoc argumento scripsit. In quodam opere circiter annum Christi quadringentesimum decimum nonum composito, significare videtur se nondum Scripturæ testimonia de mendacio discussisse; cum nempe hunc librum, quem supprimi jusserat, nullo loco numeraret. Sermonem centesimum in verba Domini, Lucæ capite nono, fortassis adhuc presbyter habuit : cum in eo dicat Deum Apostolos et secundum gratiam suam, et secundum illorum justitiam elegisse, quos nempe non de se ipsis, sed de ipsius tantum gratia præsumentes videbat (*Serm.* 100, *n.* 3).

## CAPUT IX.

1 *Historiæ Donatistarum epitome.* 2 *Quantum ii multitudine pollebant in Africa, cum ad presbyteratum pervenit Augustinus, et qui eos ille continuo adortus est.* 3 *Congredi cum illo non audent Donatistæ.* 4 *Psalmum abecedarium in eos componit.* 5 *Epistolam Donati refellit.* 6 *Ad Maximinum Sinitensem Donatistarum episcopum scribit, ob diaconum ab ipso, uti ferebatur, rebaptizatum.*

1. Hactenus Augustinum cum solis Manichæis in arena decertantem vidimus : at longe acrius fuit ipsi cum Donatistis confligendum. Hi hæretici se a Cæciliani Carthaginensis episcopi communione sejunxerant, anno Christi circiter trecentesimo undecimo, eo scilicet obtentu, quod Felix Aptungitanus, a quo fuerat ordinatus, in persecutione sacros codices tradidisset. Ipsimet a Constantino Augusto judices postulaverant, a quibus primum damnati, dein ab ipso quoque Constantino imperatore, suo semper schismati pertinaciter adhæserant. Ut autem pervicaciæ suæ patrocinium quærerent, hoc veluti posito a se fundamento nitebantur : Quotquot cum reo communicarent, eodem crimine teneri. Cum totus itaque christianus orbis cum Cæciliano communicaret, se a cæteris omnibus disjunxere Catholicis, et integrum schisma conflarunt. Scelus insuper scelere cumulantes, iterum baptizabant quotquot in eorum secta Baptismum non susceperant; cum Baptismum extra legitimam Ecclesiam, quam suam esse contendebant, collatum prorsus invalidum esse tuerentur. Errori præterea vim crudelitatemque adjungebant. Qui enim inter eos Circumcelliones dicebantur, plagis, rapinis, incendiis, cædibus, contra omnem juris ordinem impune grassabantur. Cumque non minus in se, quam in alios desævirent; ultro se in aquas et ignes immittebant, sed potissimum e summis montium cacuminibus se turmatim plusquam belluina feritate præcipites agere consueverant. Ex illo ipso uno schismate plurima sensim pullularunt. In his famosissimum fuit schisma Maximianistarum, qui anno trecentesimo nonagesimo tertio Primianum Donatistarum Carthagine episcopum damnarunt, et in ejus locum Maximianum suffecere. Verum cæteri Donatistæ in Bagaiana civitate provinciæ Numidiæ congregati hoc ipso, de quo agimus, anno trecentesimo nonagesimo quarto, Primianum in sedem suam restituerunt, et in eos a quibus ipse damnatus fuerat, dixerunt sententiam, in duodecim quidem ex illis nullo die præfinito, in cæteros vero, nisi ante diem Natalem Domini ad suam communionem redirent. Verum, etsi hujuscemodi damnationis sententiam tulissent, nonnullos subinde post expletum præstituti temporis spatium admiserunt; imo et aliquot ex iis, quibus nullam concesserant moram, etiam velut episcopos receperunt; nullis tamen eorum, quos iidem isti in schismate baptizaverant, iterum baptizatis. Sic nimirum illi hæresis suæ fundamenta labefactabant.

2. Hæc secta nullo licet fundamento suffulta, tantum tamen in Africa valebat, cum Augustinus in Ecclesia cœpit eminere, ut trecenti et decem episcopi ad synodum Bagaiensem convenerint, præter centum alios qui Maximiano adhærebant. Eam suo complexu majorem Afrorum multitudinem continuisse docet Possidius (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 3). Et quidem Hippone-Regio tam exiguus erat Catholicorum numerus, et ea auctoritate Donatistæ dominabantur, ut Faustinus eorum in hac urbe episcopus, paulo ante Augustini adventum, panem Catholicis coqui prohiberet; ita ut diaconi cujusdam Hipponensis catholici furnarius inquilinus ipsius domnædii sui panem incoctum abjecerit (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 2, *n.* 184). Augustinus Hipponem adveniens, omnes eloquentiæ suæ nervos contendit, ut exsecrandam convelleret hominum consuetudinem, qui christiano nomine gloriantes, Christianos rebaptizare non dubitarent (*Epist.* 23). Et simul ac verbum salutis annuntiavit, Deo laboribus ejus favente, Ecclesia catholica, quæ afflicta et oppressa jacebat, caput, ut cum Possidio loquamur, levare, illorumque qui schisma ejurabant frequenti numero, cœpit in dies accrescere. Hunc fructum peperit Augustini, populum privatim et publice, intra domesticos parietes et in ecclesia, voce ac scripto docentis labor assiduus. Verbum Dei audacter libereque prædicabat, et hæreses quasque a veritatis tramite deviantes oppugnabat acerrime. Catholici Hipponenses incredibili gaudio mirabundi triumphabant, agebantque ut hoc ipsum quoquoversus pervulgaretur. Quamobrem admirandis illis ejus tractatibus, quorum doctrinam ex divinæ gratiæ fonte derivatam, validissimarum semper rationum momentis, et sanctarum Scripturarum auctoritate roborabat, ipsi etiam hæretici cum Catholicis convolantes, avidissime inhiabant; et quisquis notarios adhibere poterat, quæ dicebantur lætus excipiebat. Sic singularis illius doctrina, et odor Christi suavissimus per universam Africam diffusus est. Neque etiam Ecclesiam Dei transmarinam diu latuit, quæ tantum bonum fratribus suis, quibuscum corpus unum constituebat, divinitus collatum gratulata est (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 7). Qui sermones ejus aut tractatus habebant exscriptos, ipsi quoque Donatistæ Hipponenses, aut finitimi, eos ad episcopos Donatistas deferebant. *Quæ cum audissent, et contra forte aliquid dicerent, aut a suis refellebantur, aut eadem responsa ad sanctum Augustinum deferebantur, eisque compertis, patienter ac leniter, et, ut scriptum est, cum timore et tremore salutem omnium operabatur* (*Philipp.* II, 12) : *ostendens quam nihil illi refellere voluerint, ac valuerint, quamque verum manifestumque sit, quod Ecclesiæ Dei fides tenet ac docet* (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 9). Ipsemet Augustinus, referens quantum ab illis exagitaretur Ecclesia : *Videmus*, inquit, *et toleramus, et quantum possumus reprimere conamur disputando, convincendo, conveniendo, terrendo* (*idque post annum quadringentesimum quintum*), *tamen in omnibus diligendo* (*Enarr, in Psal.* XXXIX, *n.* 1).

3. *Et hæc diebus ac noctibus*, ait Possidius, *ab eodem jugiter agebantur. Nam et epistolas privatas ad quosque ejusdem erroris episcopos, et eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, ut vel ab illa se pravitate corrigerent, vel certe ad disputationem venirent. At illi causæ diffidentia, ne quidem unquam rescribere voluerunt : sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem et deceptorem animarum Augustinum esse, et privatim et publice conclamabant; et ut lupum occidendum esse in defensionem gregis sui, dicebant et tractabant; omniaque peccata a Deo indubitanter esse credendum posse dimitti iis, qui hoc facere ac*

*perficere potuissent; nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et ut eorum causæ diffidentia cunctis innotesceret elaboravit : et publicis Gestis conventi, non sunt ausi conferre* (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 9). *Aliquando venimus ad illos*, ait Augustinus, *dicentes, Quæramus verum, inveniamus verum. Et illi, Vos tenete quod tenetis : oves tuas habes, oves meas habeo; noli molestus esse ovibus meis, quia et ego non sum molestus ovibus tuis. Deo gratias : meæ sunt oves, illius sunt oves : Christus quid emit?* (*Enarr.* 2 *in Psal.* XXI, *n.* 31.) Litteraturæ ac eloquentiæ peritiam, qua plurimum valebat Augustinus, detrectationi congressus videntur interdum obtendisse (*Epist.* 34, *n.* 6) : quamvis totum, quo superior illis erat, potius in Scripturæ verbis et instrumentorum rationumque momentis, quam in orationis venustate nervisque consisteret. Vires quibus ejus in ore veritas pollebat, illius facundiæ tribuebant. Id ei specie laudis Petilianus et Cresconius objectarunt aliquando, sanctum Virum cum Tertullo Pauli accusatore comparantes. Eum quoque tanquam dialecticum criminabantur ; et quasi christianæ veritati ars illa minime congrueret, eum potius fugiendum, quam refellendum censebant (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 3, *n.* 19 ; *Contra Cresconium, lib.* 1, *nn.* 2, 16). Diffidentia illa eorum, qua colloquium Catholicorum detrectabant, ad quos tamen se tanquam prophetas missos esse jactabant, tanta erat, ut etiam vererentur, ne sua ipsorum scripta in illorum manus devenirent. Nam cum aliquando Augustinus posteriorem partem epistolæ a præcipuo quodam illorum episcopo, Petiliano scilicet, scriptæ, cuperet accipere ; nullus a quo petita est, eam dare voluit, posteaquam cognoverunt illum priori parti respondere (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 1, *n.* 21). Neque vero sanctus Doctor putabat, si urgeretur ipsemet epistolæ illius auctor, ut ei manu propria subscribens suam esse fateretur, id eum unquam facere ausurum. Nec sat illis fuit veritatis oblatæ lumen semper aversari, nisi etiam illius præcones acriter insectarentur. Verum nec eorum duritia, nec furor, ardentem Augustini zelum restinguere aut remorari valuerunt. Unde sic ipse populum suum compellat : *Hic inter manus latronum et dentes luporum furentium utcumque versamur, et pro his periculis nostris ut oretis, oramus. Et contumaces sunt oves : quia quæruntur errantes, alienas se a nobis dicunt errore suo et perditione sua. Quid nos vultis? quid nos quæritis? Quasi non ipsa causa sit quare eas velimus, et quare quæramus, quia errant et pereunt. Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, revocare volo : quia peristi, invenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare, sic vis perire! quanto melius ego nolo! Prorsus audeo dicere, Importunus sum. Audio enim dicentem Apostolum,* « Prædica verbum ; insta opportune, importune » (II *Tim.* IV, 2). *Quibus* « opportune? » *quibus* « importune? Opportune » *utique volentibus,* « importune » *nolentibus. Prorsus importunus sum, audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire : ego nolo. Non vult postremo ille qui me terret. Si voluero, vide quid dicat, vide quid increpet :* « Quod errabat, non revocastis; et quod periit, non inquisistis » (*Ezech.* XXXIV, 4). *Te magis timebo quam ipsum?* « Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi » (II *Cor.* V, 10). *Non te timeo ; non enim potes evertere tribunal Christi, et constituere tribunal Donati. Revocabo errantem, requiram perditam : velis nolis, id agam. Et si me inquirentem lanient vepres silvarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes exculiam; quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo, revocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire* (*Serm.* 46, *n.* 14). Deinde notat id etiam necessarium fuisse, ne Catholici schisma ut quidpiam indifferens arbitrati, proclivius in illud prolaberentur. *Si neglexero errantem*, ait, *atque pereuntem, et eum qui fortis est delectabit errare atque perire. Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendit qui fortis est, putat nihil esse ire in hæresim. Quando aliquod commodum de sæculo reluxerit unde mutetur, statim mihi dicit fortis ille perituras, cum te perditum non requiro, Et hac et hac Deus est, quid interest? Homines inter se litigantes hoc fecerunt, ubicumque colendus est Deus. Si forte illi dixerit aliquis Donatista, Non tibi dabo filiam meam, nisi fueris de parte mea : illi opus est ut attendat et dicat, Si nihil mali esset esse de parte eorum, non contra illos tanta dicerent pastores nostri, non pro illorum errore satagerent. Si ergo cessemus et taceamus, contraria locuturus est* (*Ibid.*, *n.* 15). *Multum timeo*, inquit alibi nondum episcopus, *ne me tacente et dissimulante, alii quoque rebaptizentur a vobis. Decrevi ergo, quantum vires et facultatem Dominus præbere dignatur causam istam sic agere, ut pacificis collationibus nostris omnes, qui nobis communicant, noverint ab hæresibus aut schismatibus quantum catholica distet Ecclesia, et quantum sit cavenda pernicies, vel zizaniorum, vel præcisorum de vite Domini sarmentorum. Quam collationem mecum si libenti animo susceperis, ut concordibus nobis amborum litteræ populis recitentur, ineffabili exsultabo lætitia : si autem id æquo animo non accipis, quid faciam, frater, nisi ut te quoque invito epistolas nostras populo catholico legam, quo esse possit instructior? Quod si rescribere dignatus non fueris, vel meas solas legere decrevi, ut saltem diffidentia vestra cognita rebaptizari erubescant* (*Epist.* 23, *n.* 6).

4. Primum opus, quod ab eo contra Donatistas scriptum comperimus, Psalmus est, quem Abecedarium appellat (*Retractat. lib.* 1, *cap.* 20), quod varias in partes, quarum singulæ a latinis litteris secundum alphabeti ordinem initium ducunt, divisus sit. Rhythmi genus est et cantilenæ, ad cujus singulas partes hypopsalma succinitur. Hoc autem Psalmo totius schismatis historiam, quam ex Optato deprompsisse videtur, ac refutationem erroris schismaticorum, qua potuit sermonis perspicuitate, stilique simplicitate, complexus est. Id enim operis ad imperitum et rude vulgus erudiendum conscripsit : quapropter illud ut concini posset, ac memoriæ facilius inhæreret, rhythmis

conclusit. Non tamen poeticis numeris illigavit, ne metrica necessitas eum ad aliqua vocabula vulgo minus usitata compelleret. Proœmium etiam quod caneretur, tamen extra litterarum ordinem, testatur huic Psalmo fuisse præfixum. Hoc proœmium hypopsalmati subjunctum in Psalmo, quem præ manibus habemus, non reperimus. Jam observavimus hanc lucubrationem, cæterasque de quibus nunc agimus, post librum de Fide et Symbolo mense octobri anni trecentesimi nonagesimi tertii compositum, ab eo collocari. Nullam in hoc Psalmo historiæ Maximianistarum mentionem facit; nec enim proprie absoluta est nisi anno trecentesimo nonagesimo septimo.

5. Alterum adhuc opus presbyterii sui tempore contra Donatistas scripsit Augustinus; confutationem videlicet magni Donati Carthaginensis, totius schismatis principis et architecti, cui etiam nomen indidisse creditur (*Ibid.*, *cap.* 21). Jam pridem ille supremum diem obierat: sed inter opera quæ moriens reliquit, inventa est epistola, in qua Baptismum extra sectam suam conferri non posse contendebat. Hanc epistolam confutavit Augustinus; verum opus istud intercidit. Sanctus Doctor in suis Retractationum libris notat aliquot loca istius operis sui, in quibus ipse deliquerat: maxime vero summa cum demissione confitetur, se immerito in illum tanquam in furem divini eloquii vel violatorem fuisse invectum, eumque falso insimulasse quasi de libro Ecclesiastici quædam verba ad rem necessaria de media sententia præcidisset; cum in plurimis codicibus, ipso Donatistarum schismate antiquioribus, idem mendum postea repererit.

6. Augustinus nondum episcopus ad Maximinum Donatistarum Sinitensem episcopum litteras scripsit, quibus induceremur ad credendum, Maximini sedem apud Hipponem fuisse, nisi testaretur Augustinus Proculeianum pro Donatistis in hac ipsa urbe multorum fuisse annorum episcopum, cum ipse recens episcopatum ibidem gereret (*Epist.* 34, *n.* 6). Quamobrem libenter imus in Holstenii sententiam, qui hunc Maximinum arbitratur esse episcopum illum Sinitensem, quem Augustinus ad unitatem catholicam tandem aliquando, anno scilicet circiter quadringentesimo septimo, rediisse memorat (*Epist.* 105, *n.* 4). Sinitum autem castellum erat Hipponensi coloniæ vicinum, cui suus præerat episcopus (*De Civit. Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 11). Videtur tamen hoc oppidum, cum episcopum catholicum non haberet, Hipponensis diœcesis fuisse, aut certe catholicorum ibi degentium cura ad Hipponensem antistitem pertinuisse: quandoquidem Augustinus ea referens, quæ anno quadringentesimo sexto ante Maximini conversionem gesta fuerant, *Ad quid aliud*, inquit, *presbyterum Siniti miseramus, nisi ut nulli molestus, nostros visitaret, et in domo, juris sui positus, pacem catholicam volentibus prædicaret? quem vos inde cum gravi injuria projecistis* (*Epist.* 105, *n.* 4). Causam Augustino scribendi ad Maximinum præbuit diaconus Ecclesiæ Mutugennensis, cujus velut Ecclesiæ Hipponensi subjectæ meminit (*Epist.* 23, *n.* 2), et quam alibi villam nuncupat (*Epist.* 173, *n.* 7). Collationi tamen Carthaginensi aderat quidam Antonius catholicus, simulque Splendonius Donatista Mutugennensis episcopus; sive quod postmodum in ea villa collocati fuissent episcopi, sive quod esset urbs et villa cognominis. Ut primum igitur Hipponem advenit Augustinus, impiam Donatistarum rebaptizantium consuetudinem acriter insectari cœpit. Et quidem nonnulli Maximinum, de quo loquimur, hanc exsecrandam consuetudinem non usurpare, ipsi asseruerunt. Sed cum postea auditione accepisset, diaconum Mutugennensem catholicum a Maximino rebaptizatum; et illius lapsum, et hujus crimen vehementer doluit. Nihilominus tamen ut rem magis exploratam haberet, Mutugennam ipse perrexit: et illum quidem turpissimum fidei desertorem videre non potuit, ab ejus vero parentibus audiit, jam a Donatistis factum fuisse diaconum. Aberat tunc Valerius: verum Augustinus, quem hujus diaconi lapsus acerbissimi doloris aculeis lancinabat, et qui similem aliorum casum metuebat, præsulis sui reditum aut jussum sibi exspectandum esse non putavit. Nec enim eo fine presbyterium susceperat, ut mortalis hujus vitæ brevissimum tempus in ecclesiasticis honoribus transigeret: verum se supremo pastorum Principi rationem de commissis ovibus redditurum cogitabat. Cum igitur citra salutis suæ discrimen silere se non posse arbitraretur, epistolam, quæ adhuc exstat, ad Maximinum scripsit (*Epist.* 23), quam quidem orditur a ratione reddita honorifici tituli, quo eum in ipsa epistolæ inscriptione exornat, expositaque querela sua, rogat quid gesserit, dignetur sibi rescribere; quod nimirum tam bene de illo sentiat, ut eum rebaptizasse, sibi persuadere non possit. Addit eidem animos, ut fratrum suorum consiliis minime terreatur; si modo do iteratione Baptismatis ab illis dissentiat. Hortatur pariter, ut secum Ecclesiæ catholicæ veritatem, quo impium illud schisma auferatur, non gravetur per litteras expendere. Postulat, ut quas ultro citroque scriberint, utrique populo recitari patiatur; si æquo id animo non accipiat, se nihilo secius id facturum. Quod si rescribere non dignetur, se tamen epistolas suas palam lecturum, ut Catholici cognita Donatistarum diffidentia, rebaptizari se minime patiantur. Pollicetur tamen, nihil se populo lecturum, quamdiu miles Hippone præsens esset: ne quis Donatistarum arbitretur tumultuosius ipsum agere voluisse, et ad suam communionem Donatistas invitos compellere, quod a proposito suo plurimum abhorrere testatur. Hæc epistola, ut diximus, scripta est haud dubie tempore presbyteratus Augustini: de anno non liquet, sicut nec de fructu quem illa peperit. Si Maximinus ille, cui inscribitur, Sinitensis sit episcopus, ut merito existimari potest; jam observavimus eum ab errore suo emersum ad communionem catholicam rediisse, postquam de transmarinis partibus remeavit anno, ut videtur, quadringentesimo quinto, paulo antequam Augustinus epistolam centesimam quintam ad Donatistas conscriberet. Ante conversionem ejus, et eodem absente,

Catholici, ac probabiliter ipse Augustinus, ad Sinitense castellum, ut mox diximus, presbyterum miserant. Eodem ad Ecclesiæ communionem reverso, Donatistæ præconem allegarunt, qui clamaret Siniti : *Quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus* (*Epist.* 105, *n.* 4). Notat Possidius Sermonem adversus Donatistas et contra idola, Siniti ab Augustino habitum (*Possidius, in Indiculo, cap.* 3). Donatum Africæ proconsulem monet Augustinus anno quadringentesimo nono vel quadringentesimo decimo, ut eos quos in agro Sinitensi haberet, ad Ecclesiæ catholicæ communionem hortaretur (*Epist.* 112, n. 3). Idem sanctus Doctor miraculum narrans, quod in ipsius diœcesi contigerat, scribit secum fuisse Maximinum collegam suum, Sinitensis Ecclesiæ præsulem (*De Civit. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 6). Paulo post Lucilli meminit, qui castelli Sinitensis Hipponi-Regio vicini episcopus erat (*Ibid.*, *n.* 11), ex quo Stephani protomartyris reliquiæ, anno quadringentesimo decimo sexto, delatæ fuerant in Africam. Is forsan Maximini successor est. In collatione Carthaginensi nullus reperitur episcopus Sinitensis catholicus. Aderat Cresconius ex parte Donatistarum, qui eum haud dubie Maximino converso subrogaverant. Verumtamen iste Cresconius nullum episcopum catholicum sibi ex adverso consistere non dixit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 202).

## CAPUT X.

1 *Augustinus ex lucubrationibus suis et Alypii relatione innotescit Paulino.* 2 *Hic ad Alypium et ad Augustinum singulas dat epistolas.* 3 *Licentius carmen ad Augustinum transmittit.* 4 *Augustinus respondet litteris Paulini.* 5 *Is non accepto Augustini responso, litteras ad illum secundas scribit.*

1. Quo tempore Deus in Augustino gratiæ miraculum Africæ ostendebat, eodem alterum misericordiæ suæ specimen toti Ecclesiæ exhibebat in Paulino. Hic nobilissimi generis splendore contempto, amplissimisque abdicatis opibus, hoc ipso anno trecentesimo nonagesimo quarto Nolam Campaniæ secesserat, ut ibi cum Therasia conjuge sua, verius sorore ac pietatis suæ socia, humilem et pauperem monachi vitam degeret. Alypius qui Mediolani, cum illic baptizaretur, de Paulino jam tum audierat (*Epist.* 24, n. 4), ut primum vitæ illius apud Nolam institutum accepit, eum alloqui, et amoris oculis illoque spiritu veræ dilectionis, qui ubique et penetrat et effunditur, intueri properavit (*Epist.* 25, *n.* 1). Itaque quamvis nondum eum peculiariter agnosceret, et ab illo longinqua soli et sali intercapedine sejungeretur, ad eum tamen per Julianum ejusdem Paulini domesticum, Nolam Carthagine revertentem, amicitiæ ineundæ gratia litteras scripsit (*Epist.* 24, *n.* 1). In his Augustinum ornaverat laudibus; et ut qualis ac quantus vir esset, ex ipsius operibus nosceret, eumque non mediocri benevolentia prosequeretur, primum novo huic amico munus velut exploratum suæ erga eum sollicitudinis argumentum, perfectæ charitatis vinculum, et certissimum amoris sui pignus, Augustini libros quinque adversus Manichæos misit; inter quos tamen erat liber de Vera Religione, qui Manichæos directe non oppugnat. Paulinum quoque rogabat Eusebii Chronicon, ab Hieronymo anno circiter trecentesimo octogesimo latine redditum, ad se transmitteret, et ad Comitem ac Evodium, qui illud exscripturi erant, dirigeret. Monebat etiam, hunc codicem Romæ repertum iri apud sanctum Domnionem Hieronymo amicissimum. Alypius pariter Paulino loca sua, hoc est, quo responsum ad se dirigere posset, indicabat; et ad hoc Carthaginem vel Hipponem-Regium videtur illi designasse. Tagasta siquidem locus erat nimium dissitus, nec satis ad hæc litterarum commercia celebris. Constat tamen ex Paulini ad Augustinum prioribus litteris, Alypium jam tum, cum eæ scriberentur, illius urbis fuisse episcopum. Adjecerat Alypius, se complurium sanctorum precibus eum commendasse. Hymni quoque meminerat, quem a Paulino legerat conscriptum. Paulinus multum sè sanctis episcopis Aurelio et Alypio debere profitetur, quod eorum beneficio Augustinum ex ipsius contra Manichæos lucubrationibus cognoverit. Quocirca Aurelius Carthaginensis eodem tempore quo Alypius ad Paulinum videtur scripsisse litteras : ad quas illud probabiliter referri potest, quod Paulinus ad Severum Sulpitium scripsit circiter annum trecentesimum nonagesimum sextum, complures amicos vel in ignotis regionibus sibi divinitus datos, quorum benevolentiam loco patriæ, consanguineorum, et patrimonii sui haberet (*Apud Paulinum, Epist. olim* 5, *nunc* 11, *n.* 4).

2. Et sane acceptis Alypii litteris, summopere sibi gratulatus est Paulinus, amplissimasque Deo gratias egit, qui eos, qui se de facie non nossent, et tanto locorum intervallo disjungerentur, tam arcto amicitiæ vinculo colligaret. Sed in primis Augustini libris ab Alypio sibi dono missis lætatus est. Hoc ipsum illi rescribens testatur, simulque asserit, se sancti hujus et perfecti viri verba tantopere demirari, ut credat dictata fuisse divinitus (*Apud Augustinum, Epist.* 24, *n.* 2). Alypio respondere tantisper distulit, quod Eusebii Chronicon ab eo postulatum penes se non haberet. Quapropter illud a sancto Domnione Romæ mutuari coactus est, qui codicem eo libentius commodavit, quod Alypio sciret esse deferendum. Hunc itaque ad Aurelium Carthaginensem direxit una cum epistola Alypio inscripta, ut Hipponem-Regium, si forsan illic degeret, codicem et litteras ad eum transmitteret. Simul Comitem et Evodium rogavit, Chronicon illud Alypio transcriberent, ne Domnioni diutius codex suus deforet. Verum ab Alypio vicissim postulat ut, pro hac historia temporum, omnem vitæ suæ historiam seriemque sibi rescribat, quo in primis certior fiat, utrumne Baptismum, an sacerdotium de manibus Ambrosii susceperit, eum ut ardentius diligat ob arctissimam necessitudinem, quæ sibi cum sancto illo præsule, adhuc in vivis agente, intercederet. Rogat pariter, litteras quas ad sanctum Augustinum scribere ausus sit, illi sua commendatione et gratia faciat acceptas. Se nempe admiratione perculsum,

ob ea quæ in illius sancti Doctoris operibus deprehendebat divinæ sapientiæ miracula, ejus amore peritus inflammari; nec dubitare se quin Alypius ea charitate, qua illius notitiam sibi dedisset, ejusdem quoque jam amicitiam sibi conciliasset. Itaque eum amore jam tum complexus est, ut non novam cum eo amicitiam inire, sed veterem renovare videretur. Sic Spiritus, qui eos adunabat, ejusdemque corporis membra efficiebat, Paulinum induxit, ut ad eum epistolam conscriberet (*Ibid.*, *Epist.* 25), in qua ejusdem opera, quæ ipse legerat, miris laudibus effert. Rogat si quos alios scripserit libros, ad se transmittat. Ad eum vicissim panem, ut ipsi mos erat, dono mittit, amicitiæ et ejusdem communionis symbolum. Simul ad Aurelium Carthaginensem litteras dedit : quas omnes per unum e domesticis suis misit, quem ad Augustinum aliosque Dei amicos verbis suis salutandos direxerat. Illo autem in reditu morante, denuo scripsit ad Augustinum (*Ibid.*, *Epist.* 30), cui se priores litteras ante hiemem misisse testatur. Videntur itaque posteriores istæ litteræ, quæ eodem anno, quo Augustinus creatus est episcopus, exaratæ sunt, circa vernum tempus fuisse conscriptæ, priores autem autumnali tempestate. Quapropter hæc omnia ad annum trecentesimum nonagesimum quartum referimus.

3. Sub idem tempus Licentius Romaniani filius ab urbe Roma scripsit ad Augustinum, et ad eum carmen pariter transmisit (*Epist.* 26, *n.* 3) : cui Augustinus litteris aliquanto post intervallo missis respondit, cum ipse occasionem ad eum scribendi vix se reperisse testetur. In hac epistola, Paulini tanquam sibi ob virtutis famam notissimi meminit (*Ibid.*, *n.* 5). Quamobrem scripsisse illam videtur, cum jam accepisset Paulini litteras, eumque vidisset quem ille ad Augustinum salutandum transmiserat. In confesso esse debet, epistolam ad Licentium prius scriptam esse, quam quæ ad Paulinum anno trecentesimo nonagesimo quinto per Romanianum missa est : siquidem hoc ipsum et Augustinus satis significat, ubi Paulinum monet, quid ipse de Licentio doleat, quid timeat, quid cupiat, ex ejus carmine et ex epistola quam ad eum misit, probe intellecturum (*Epist.* 27, *nn.* 4, 6).

4. Quantumvis exploratam Augustini virtutem haberet Paulinus, eamque magni faceret, nondum tamen sanctum Virum plene penitusque noverat; cum Alypii commendationem sibi necessariam esse duceret, ut suas Augustinus litteras haberet acceptas, seque de imperitia, ut ait, excusaret. Non erat Augustino in amicos suos, nedum in Paulinum, dubius et anceps animus. Et re quidem ipsa nihil excogitari potest vel ardentius, vel tenerius litteris, quas illi rescripsit; nihil quod plus in admirationem rapiat, quam vehemens et inflammatum illud studium, quo ejus videndi flagrare se profitetur. Majores adhuc ei rependit laudes, quam ab eo receperat. Nec tamen dicere licet, eas aut ex assentatione aut ex mendacio, sed ex amore non minus igneo quam lynceo fuisse profectas. *Legerunt fratres*, inquit, *et gaudent infatigabiliter et ineffabiliter, tam uberibus et tam excellentibus donis Dei, bonis tuis. Quotquot eas legerunt, rapiunt, quia rapiuntur cum legunt. Quam suavis odor Christi, et quam fragrat ex eis, dici non potest* (*Ibid.*, *n.* 2). Habent admirationem singula epistolæ verba. In his litteris salutem dicit Therasiæ, quam de more Paulinus in epistolæ inscriptione secum conjunxerat. Ad eum scripsit per Romanianum familiarissimum suum, qui tamen ad eam, quam ipsi peroptabat, mentis constitutionem necdum pervenerat. Quapropter omnibus precibus orat et obtestatur Paulinum, ut illi filioque Licentio adsit, et utriusque salutem pro virili parte promoveat. Ab illo tamen postulat, ne huic amico credat, quæ de ipso fortasse laudans amandi propensione dixerit. Cum Romanianus omnes Augustini lucubrationes secum deferret, eum Paulino copiam illarum facturum pollicetur. Sed orat, ut eas accurate perlegat, quo ipsum de erratis, quæ deprehenderit, admoneat : quam in rem habet longe pulcherrima. Eidem spondet, se beati episcopi Alypii historiam, quam ab ipso Alypio Paulinus expoposcerat, conscripturum. Alypium siquidem sua erga Paulinum benevolentia ad id præstandum compellebat; sed animi sui modestia retinebat. Cum igitur eum verecundiam inter et amicitiam Augustinus fluctuantem videret, id oneris ab illo in humeros suos transtulit, cum officii gratia (namque id Alypius per litteras ab eo flagitaverat), tum præcipue ut dona divinitus in eum collata fusius et uberius ipso Alypio exponeret, qui multa procul dubio et pro animi modestia siluisset, et ne aliis hoc opus fortasse lecturis, nec qua mente de se ipso loqueretur, intellecturis, offendiculum præberet. Augustinus scribens ad Paulinum, id operis illi mittere parabat : sed ei per improvisam Romaniani profectionem solummodo licuit quam primum illud Paulino mittendum polliceri. Attamen nec apud Augustinum, nec apud Possidium legimus id aliter ab eo fuisse præstitum, quam iis quæ de Alypio in Confessionum suarum libris commemorat. Fortassis illud in aliqua posteriori epistola, quæ interciderit, fuerat exsecutus. In postrema epistolæ parte Paulinum rogat Augustinus, ut, si ipsi ab ecclesiasticis muneribus vacet, in Africam trajiciat; visurus ipse quantum ab omnibus fratribus illic Deo servientibus et ametur, et colatur.

5. Hæc epistola, quæ extrema hieme anni trecentesimi nonagesimi quinti videtur exarata, serius ac vellet Augustinus, fuit Paulino reddita : sed hæc ipsa ei mora profuit. Cum enim Paulinus eum, quem ante hiemem in Africam transmiserat, in itinere videret remorari, ac de litteris suis perlatis dubius foret; officium suum diutius suspendere non potuit, sed ad Augustinum iterato scripsit, ut suam erga eum benevolentiam, suumque illius visendi studium testaretur. *Non solum desideriis nostris*, inquit, *magnum conferretur gaudium; sed etiam mentibus lumen accresceret, et ex tua copia locupletaretur inopia nostra* (*Apud August.*, *Epist.* 30, *n.* 3). Scripsit ei per Romanum et Agilem, quos ad aliquod charitatis opus in Africam mittebat : in qua epistola commendat eos Augustino, rogatque ut eos revertentes (injunxerat autem ut quam celerrime

redirent) aliquo dignetur responso. Gavisus est vehementer Augustinus, hanc moram litterarum, quas priori epistolæ Paulini rescripserat, hujus posterioris, quam non minus lætanter perlegit, lucrum sibi contulisse. Romanum et Agilem hujus epistolæ latores eo cumulatiore gaudio excepit, quo illius auctori visendo avidius inhiabat, quem etiam in spiritualibus filiis præsentem intuebatur. Illos aliam Paulini epistolam nuncupat, eo jucundiorem, quod non modo vulgarium instar litterarum ista sibi loqueretur epistola, sed voces etiam audiret ac redderet. Longe plura de Paulino ex eorum ore didicit, quam ille scribendo referre potuisset. Hinc Augustinus in litteris, quas ei rescripsit, hæc adjicit: *Aderat etiam, quod nulli chartæ adesse potest, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipsum etiam vultum oculosque loquentium vos in cordibus eorum scriptos cum ineffabili lætitia legeremus. Hoc quoque amplius erat, quod pagina quælibet quantacumque bona scripta contineat, nihil ipsa proficit, quamvis ad profectum explicetur aliorum: hanc autem epistolam vestram, fraternam scilicet animam, sic in eorum colloquio legebamus, ut tanto beatior appareret nobis, quanto uberius conscripta esset ex vobis. Itaque illam ad ejusdem beatitatis imitationem, studiosissime de vobis omnia percunctando, in nostra corda transcripsimus* (*Epist.* 31, *n.* 2).

## CAPUT XI.

1 *Contra pessimam consuetudinem in ecclesia convivandi sermonem habet ad plebem Hipponensem.* 2 *Eamdem consuetudinem vehementius oppugnat altero die.* 3 *Sequenti die penitus tollit.* 4 *Operi de Libero Arbitrio supremam manum apponit.* 5 *Nonnulla in eo opere pro se facere jactarunt Pelagiani ac Semipelagiani.*

1. Dum in hunc modum per litteras pietate refertas jucunde inter se colloquuntur Paulinus et Augustinus, huic interea voluptatis cumulum affert concessa divinitus ejus votis res multo lætissima. Jam ante narratum est (*Supra, cap.* 6, *n.* 2) quam indigne tulerit sanctus Presbyter, sacra loca ignominia affici specie religionis, cum in cæmeteriis martyrumque memoriis frequentari cerneret vinolenta convivia, queis plebs imperita non tantum honorem sanctis martyribus, sed etiam suis solatium mortuis conferri putabat. Hac de re ad Aurelium episcopum, statim atque illum in Carthaginensi sede collocatum audivit, scribere non distulerat (*Epist.* 22), ipsumque hortari, ut hanc ab Africa fœditatem auctoritate conciliorum, et proposito cæteris exemplo Ecclesiæ Carthaginensis auferret. Anno postea trecentesimo nonagesimo tertio Hipponense concilium generale statuto canone vetuit, ne ulli Episcopi vel clerici in ecclesia convivarentur: jussit pariter ut populi ab hujusmodi conviviis, quantum fieri posset, prohiberentur (*Codice Canonum Afric., can.* 42). An autem Carthagine corruptelam hanc tam cito emendare Aurelio licuerit, haud nobis notum est: certe Augustinus anno, de quo narramus, trecentesimo nonagesimo quinto feliciter illam Hippone abolevit. Id ex epistola didicimus a nobis nuper reperta, quam sanctus Vir adhuc presbyter ad Alypium jam episcopum scripsit (*Epist.* 29, 2). Nempe erat apud Hipponem die sancti alicujus memoriæ sacro solemnitas, quam cives Lætitiam nominabant, hoc videlicet minus indecoro vocabulo vinolentiæ turpitudinem contegentes. Neque porro Donatistis Hipponensibus minor, quam Catholicis, eo die celebritas erat, neque illorum moderatior intemperantia. Antequam solemnis dies recurrisset, cum nuntiatum esset Augustino, tumultuari homines, et dicere, se ferre non posse ut illa solemnitas prohiberetur; opportune accidit ut quarta feria ante diem Quadragesimæ capitulum Evangelii ex ordine seu consequenter tractandum sese illud offerret: *Nolite dare sanctum canibus* (*Matth.* VII, 6). Eo ad propositum adhibito effecit, ut viderent quam esset nefarium, intra ecclesiæ parietes id agere, quod in suis domibus si agere perseverarent, a sancto et margaritis ecclesiasticis eos arceri oporteret. Sed hæc quamvis grate accepta essent, tamen quia ad concionem pauci convenerant, non erat satisfactum tanto negotio: præterquam quod iste sermo, cum ab eis qui adfuerant pro cujusque facultate et studio foris ventilaretur, contradictores multos habuit.

2. Itaque posteaquam dies Quadragesimæ illuxisset, quo frequentior multitudo ad horam tractationis occurrit, lectum est istud in Evangelio, ubi Dominus de templo expulit venditores animalium, et nummulariorum mensas evertit (*Id.* XXI, 12). Quod capitulum ipse quoque Augustinus proposita vinolentiæ quæstione recitavit, adjunxitque disputationem, qua ostenderet, quanto commotius et vehementius Dominum nostrum [1] ebriosa convivia, quæ ubique sunt turpia, de templo expelleret, unde sic expulit concessa commercia. Tum ex præparatis sibi lectionibus adjecit, ipsum adhuc carnalem populum Judæorum, in illo templo, ubi nondum corpus et sanguis Domini offerebatur, non solum vinolenta, sed nec sobria quidem unquam celebrasse convivia, nec eos publice religionis nomine inebriatos inveniri in historia, nisi cum festa fabricationis idoli exsolverent (*Exod.* XXII, 6). Ibi autem codice accepto, locum illum totum recitavit: addiditque cum dolore, quo potuit, siquidem Moyses propter illos ebrios binas lapideas tabulas confregisset; quomodo non possemus illorum corda confringere, qui homines novi Testamenti sanctorum diebus celebrandis ea vellent solemniter exhibere, quæ populus veteris Testamenti et semel et idolo celebravit? Tunc reddito codice crimen ebrietatis exaggerans, sumpsit Apostolum, et inter quæ peccata id positum esset, ostendit, legens hunc locum: *Si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (I *Cor.* V, 11): ingemiscendo admonens, cum quanto periculo convivaremur cum eis qui vel in domibus inebriantur. Legit etiam illud quod non longo intervallo sequitur: *Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis servientes*, etc. Quibus lectis monuit, ut considerarent quomodo possent audire, *Sed abluti*

[1] Sic habent variæ quas consuluimus editiones, nec lucide. Rectius legeretur, *Dominus noster*. M.

*estis* ( *Ibid.*, VI, 9-11 ), qui adhuc tales concupiscentiæ sordes, contra quas clauditur regnum cœlorum, in corde suo, interiore Dei templo, esse patiuntur. Inde ventum ad illud capitulum, *Convenientibus ergo vobis in unum*, etc. ( *Id.* XI, 20 ), quo recitato diligentius commendavit ne honesta quidem et sobria convivia licere in ecclesia celebrari. Commemoravit etiam Evangelii capitulum, quod pridie tractaverat, ubi de pseudoprophetis dictum est, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* ( *Matth.* VII, 16 ). Deinde in memoriam revocavit fructus eo loco non appellari nisi opera : et recitato illo capitulo ad Galatas, *Manifesta autem sunt opera carnis*, etc. ( *Galat.* V, 19 ), interrogavit quomodo de fructu ebrietatis inter carnis opera nominatæ agnoscerentur Christiani. Egitque ut adverterent, quam esset pudendum atque plangendum, quod de illis fructibus carnis non solum privatim vivere, sed etiam honorem Ecclesiæ deferre cuperent : de spiritualibus autem fructibus, ad quos et Scripturarum auctoritate et ipsius gemitibus invitarentur, nollent afferre Deo munera, et his potissimum celebrare festa sanctorum. His peractis codicem reddidit, et imperata oratione ante oculos constituit commune periculum, cum eorum qui ejus curæ commissi essent, tum suum ipsius, qui de illis rationem redditurus esset pastorum Principi : per cujus humilitatem, insignes contumelias, alapas, et sputa in faciem, et palmas, et spineam coronam, et crucem ac sanguinem obsecravit, ut si se ipsi offendissent, vel ipsius miserentur; et cogitarent venerabilis senis Valerii circa ipsum ineffabilem charitatem, qui ei tractandi verba veritatis tam periculosum onus propter eos imposuerit, eisque sæpe dixerit, suas orationes exauditas esse de ipsius adventu, quem non utique ad communem mortem, vel spectaculum mortis eorum, sed ad communem conatum in vitam æternam ad se venisse lætatus est. Postremo etiam dixit, certum se esse et fidere in Deum, quod, si hæc tanta quæ sibi essent lecta et dicta contemnerent, visitaturus esset in virga et in flagello, nec eos permissurus cum hoc mundo damnari. *Non ego illorum lacrymas*, ait Augustinus, *meis lacrymis movi; sed cum talia dicerentur, fateor eorum fletu prœventus, meum abstinere non potui. Et cum jam pariter flevissemus, plenissima spe correctionis illorum, finis sermonis mei factus est* ( *Epist.* 29, *n.* 7 ).

3. Postridie vero cum illuxisset dies, cui solebant fauces ventresque se parare, nuntiatum est sancto Presbytero, nonnullos, eorum etiam qui sermoni aderant, nondum a murmuratione cessasse, tantumque in eis valere vim pessimæ consuetudinis, ut ejus tantum voce uterentur et dicerent : Quare modo? non enim antea qui hæc non prohibuerunt, christiani non erant? Quo audito, quas majores ad eos commovendos machinas præpararet, omnino nesciebat ; disponebat tamen, si perseverandum putarent, lecto illo loco de Ezechiele, *Explorator absolvitur, si periculum denuntiaverit, etiamsi illi, quibus denuntiatur, cavere noluerint* ( *Ezech.* XXXIII, 9 ), vestimenta sua excutere atque discedere. Verum Deo votis ejus et conatibus favente, qui de oppugnatione vetustæ consuetudinis conquesti erant, iidem ipsi cum forte jam vererentur ne sanctum Virum vel Hippone, vel a præsenti saltem concione abscedere cogerent, ingressi sunt ad eum ante horam qua exedram ascenderet ; quos ipse blande acceptos, paucis verbis in sanam sententiam transtulit : atque ubi ventum est ad tempus disputationis, omissa lectione quam præparaverat, quia necessaria jam non videbatur, de hac ipsa quæstione pauca disseruit, nihil se nec brevius nec verius posse afferre adversus eos qui dicunt, Quare modo? nisi et ipse dicat, Vel modo. Deinde ne illi, qui ante vel permiserunt hæcce in sanctorum natalitiis convia, vel ea prohibere non ausi sunt, aliqua ab eo affici contumelia viderentur, exposuit populo, qua necessitate ista in Ecclesia crederentur exorta : scilicet post persecutiones facta pace, cum turbæ Gentilium in christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum et ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis et tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere ; visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos, post cos quos relinquebant, alios in honorem sanctorum martyrum, vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarent ; ut jam Christi nomine colligatis et tantæ auctoritatis jugo subditis salutaria sobrietatis præcepta traderentur, quibus jam propter præcipientis honorem ac timorem resistere non valerent : quocirca jam tempus esse, ut qui non se audent negare christianos, secundum Christi voluntatem vivere incipiant ; ut ea quæ ut essent christiani concessa sunt, cum christiani sunt respuantur. Deinde hortatus est, ut transmarinarum Ecclesiarum, in quibus vel ista recepta nunquam sunt, vel jam correcta, imitatores se præbere vellent. Et quoniam de basilica beati Petri apostoli quotidianæ vinolentiæ proferebantur exempla ; dixit primo, audisse se id sæpe esse prohibitum, sed cum remotus sit locus ab episcopi habitatione, atque in tanta civitate magna sit carnalium multitudo, peregrinis præsertim, qui novi subinde veniunt, tanto violentius, quanto inscitius illam consuetudinem retinentibus, tam immanem pestem nondum compesci sedarique potuisse. Verumtamen ipsis, si Petrum apostolum honorarent, præcepta ejus audienda, et multo devotius epistolam, in qua voluntas ejus perspicitur, quam basilicam considerandam esse ; statimque accepto codice recitavit : *Christo enim passo pro nobis per carnem, et vos eadem cogitatione armamini. Sufficit enim vobis præteritum tempus voluntate hominum perfecisse, ambulantes in libidinibus, desideriis, ebrietate, comessationibus, et nefandis idolorum servitutibus* ( I *Petr.* IV, 1, 3). Quibus gestis, cum omnes uno animo in bonam voluntatem ire contempta mala consuetudine jam cerneret, hortatus est ut meridiano tempore divinis lectionibus et psalmis interessent : ita illum diem multo mundius atque sincerius placere celebrandum ; et certe de multitudine convenientium facile posse ap-

parere, qui mentem, et qui ventrem sequerentur. Ita lectis omnibus sermo terminatus est. Pomeridiano autem die major quam ante meridiem adfuit multitudo, eisque ad horam, qua presbyter Augustinus cum episcopo egrederetur, legebatur alternatim et psallebatur : ipsisque egressis duo psalmi lecti sunt. Deinde Augustinum invitum, qui jam cupiebat peractum esse tam periculosum diem, compulit Valerius, ut aliquid plebi loqueretur. Habuit brevem sermonem, quo gratias ageret Deo. Et quoniam in hæreticorum basilica audierat ab eis solita convivia celebrata ; cum adhuc eo ipso tempore, quo a Catholicis ista gerebantur, illi in poculis perdurarent : dixit, diei pulchritudinem noctis comparatione decorari, et colorem candidum nigri vicinitate esse gratiorem ; ita suum spiritualis celebrationis conventum minus fortasse futurum fuisse jucundum, nisi ex alia parte carnalis ingurgitatio conferretur : hortatusque est ut tales epulas instanter appeterent, si gustassent quam suavis est Dominus. Atque in hanc sententiam pro tempore cum ea quæ Dominus suggerebat dicta essent ; acta sunt vespertina, quæ quotidie solebant : et Augustino recedente simul cum episcopo, fratres, forte monachi, eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque sexus ad obscuratum diem manente atque psallente. Totam rei seriem Augustinus prompto et alacri animo retulit per litteras ad Alypium, ut qui paucos ante dies Hippone simul cum ipso preces de accipiendo beneficio fuderat, simul quoque de accepto gratias Deo persolveret.

4. Aliquot post menses ad episcopatum Hipponensem, quo se digniorem in dies præbebat sanctus Presbyter, pervenit : sed antequam hujus ordinationis ejus texamus historiam, agendum nobis est de libris ab ipso de Libero Arbitrio scriptis hoc tempore, vel absolutis. Quippe Romanianum, cum in Italiam sub initium anni trecentesimi nonagesimi quinti profectus est, id operis, aut certe tres libros, ex quibus omnino constat, non habuisse testatur Augustinus (*Epist.* 31, *n.* 7), quamvis se cunctas lucubrationes suas illi tradidisse existimaret (*Epist.* 27, *n.* 4). Unde vero simile est, hoc opus tunc temporis, id est, ut arbitramur, hoc anno trecentesimo nonagesimo quinto ineunte nondum fuisse perfectum. Illud tamen, duobus posterioribus libris adjectis, ad finem adhuc presbyter perduxit (*Retractat. libro* 1, *cap.* 9, *n.* 1) : priorem enim Romæ anno trecentesimo octogesimo octavo jam scripserat. Hoc pacto fieri potuit, ut hunc secum Romanianus deferret. Hos libros dialogorum instar composuit, in quibus sermonem confert cum Evodio. Mutui sermonis argumentum est indagatio originis, unde malum proficiscatur. *Cum adhuc Romæ demoraremur, voluimus disputando quærere unde sit malum. Et eo modo disputavimus*, ait Augustinus, *ut si possemus, id quod de hac re divinæ auctoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram, quantum disserendo opitulante Deo agere possemus, ratio considerata et tractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos, diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio ; tres libri, quos eadem disputatio peperit, appellati sunt de Libero Arbitrio. Quorum secundum et tertium in Africa, jam etiam Hippone-Regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi. In his libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, et Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt : eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt) immutabilem quamdam et Deo coæternam introducere mali naturam. De gratia vero Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hoc proposita quæstione. Ubi autem incidit locus, ut hujus gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est ; non quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere, unde sit malum ; et aliud est quærere, unde redeatur ad pristinum, vel ad majus perveniatur bonum. Quapropter novi hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant, quasi eorum egerim causam ; quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat* (*Ibid.*, *nn.* 1, 2).

5. Hos libros reipsa profert Pelagius : verum demonstrat Augustinus, eodem se loco præposterum sensum evertisse, quem ille verbis suis affingere volebat ; et quamvis adversus Manichæos, non contra Pelagianos, necdum exortos, istud opus conscriptum foret, horum tamen hæresim abunde se labefactasse ; adeo ut si Pelagius ipse confiteri voluerit, quidquid eo loco quem profert, continetur, nulla cum eo hac de re futura sit amplius controversia (*De Natura et Gratia*, *nn.* 7, 8). Hi pariter libri ansam dederunt errori Semipelagianorum, qui ex iis contendebant evertere, quidquid Augustinus de prædestinatione postea dixisset (*Epist.* 226, *n.* 8). At sanctus Doctor ostendit, nullum eos ex ipsius verbis ducere posse causæ suæ patrocinium : nec se ullatenus in dubium vocare voluisse, quin ignorantia et difficultas essent originalis pœnæ peccati : præterea se, ut veritatem tunc temporis minus recte intellexisset, non minus ad illius postmodum cognitæ defensionem suscipiendam teneri (*De Dono perseverantiæ*, *nn.* 26, 27). Id operis Augustinus, simul ac episcopus creatus est, ad Paulinum misit, seque optare testatur, ut grandis illa quæstio, quæ est totius operis argumentum, quanta dicendi ubertate tractatur, tanta certitudine et perspicuitate in his libris enodetur (*Epist.* 31, *n.* 7). Scri-

psit paulo post ad Secundinum Manichæum Romanum, si legere vellet tres libros suos de Libero Arbitrio, eos Nolæ in Campania penes sanctum Paulinum reperturum (*Contra Secundinum*, *cap.* 11). Hieronymo postmodum scribens, notat qua ratione in hisce libris de animæ incarnatione, seu de animæ origine in corpore, disseruerit; nihil tum de Priscillianistis cogitans, de quibus adhuc nihil audierat; quamvis ipso Augustino Mediolani agente, magnas jam tum tragœdias excitassent. Observat pariter se de parvulorum Baptismo pauca admodum, nihil autem de eorumdem sine Baptismo morientium damnatione, ut quæ a proposito suo aliena essent, scripsisse (*Epist.* 166, *nn.* 7, 18).

# *LIBER QUARTUS.*

In quo demonstratur quomodo in episcopatu vixerit Augustinus, et quæ ab ordinatione sua ad annum inde quintum ediderit.

## CAPUT PRIMUM.

1 *Augustinus a Valerio collega deposcitur.* 2 *Megalius Numidiæ primas falsi criminis nomine ordinationi ejus intercedit, cujus rei mox eum pœnitet.* 3 *In suam ordinationem tandem aliquando consentit Augustinus, et cum Valerio sedet coepiscopus.* 4 *Ejus ordinatio facta anno Domini trecentesimo nonagesimo quinto exeunte.* 5 *Scribens ad Paulinum de sua eum ordinatione facit certiorem.* 6 *Hic de eadem ad Romanianum scribit, adjuncto carmine ad Licentium.*

1. Augustinus presbyteri munere annos propemodum quinque digne perfunctus, ad episcopatum provehitur anno ætatis suæ quadragesimo quinto proxime inchoato. Hunc honorem sanctus ille vir sibi ipse non sumpsit : sed hanc Dei curam, ait Paulinus, Africanæ Ecclesiæ meruerunt, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent (*Epist.* 32, *n.* 2). Id beneficii divinitus collatum est paci et puritati cordis beati Valerii antistitis, qui non modo nullo in eum invidiæ stimulo pungebatur, sed etiam partæ a Presbytero suo gloriæ præ cæteris exsultans gratulabatur (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 8). Ille ipse Augustinum presbyterum infra se non passus, suum fieri collegam, et coepiscopatus sarcinam subire compulit (*Epist.* 31, *n.* 4). Primum quidem id solum satagebat atque suppliciter a Deo flagitabat, ut Augustinum haberet sacerdotii sui successorem (*Epist.* 32, *n.* 2) : sed cum semel vidisset, eum sibi propemodum ablatum esse, ut alteri Ecclesiæ præficeretur; seque etiam infirma valetudine affectaque jam ætate, ad onus episcopale sustinendum alterius indigere subsidio; secretis egit litteris apud Aurelium episcopum Carthaginensem, ut Augustinus ordinaretur episcopus, qui sibi in Hipponensi cathedra non tam succederet, quam collega et coepiscopus accederet. Voti compos factus est, et quod ab Aurelio exposcebat, rescripto impetravit (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 8).

2. Paulo post Megalius Calamensis episcopus, tum primas sive decanus episcoporum Numidiæ, Hipponem-Regium venit, hanc Ecclesiam visitaturus. Ejus præsentia requirebatur ad episcopum ordinandum. Itaque Valerius arrepta occasione, Megalio cæterisque præsulibus qui tum forte aderant, totique Hipponensi clero, et universæ plebi suum de promovendo ad episcopatum Augustino consilium, cunctis hactenus ignotum, aperit (*Ibid.*). Quod quidem summo populi omniumque præsentium studio et gratulatione exceptum, ingentique acclamatione, ut facto compleretur, flagitatum est (*Epist.* 31, *n.* 4). Unus cum Megalio renuebat Augustinus. Cur autem ei Megalius infensus esset, non constat : id unum liquet, eum iratum intercessisse illius ordinationi (*Contra Cresconium*, *lib.* 3, *n.* 92), necnon scripsisse litteras, in quibus eum rei cujuspiam insimulabat (*Ibid.*, *lib.* 4, *n.* 79). Quænam porro ea fuerit, nominatim et distincte non agnoscitur. Licet enim Augustinus proxime ante quam litterarum Megalii meminit, notet Petilianum Donatistam persuadere velle, ipsum amatoria maleficia mulieri cuidam præbuisse; simul tamen satis indicat, hanc calumniam ab uno Petiliano excogitatam, non ex illis litteris fuisse repetitam (*Contra Litt. Petil.*, *lib.* 3, *n.* 19). Utut est, testatur Augustinus, se Megalii litteras, nec si ille in accusatione perstitisset, minime curaturum fuisse. Verum cum Megalius in episcoporum concilio probare, quod Augustino objecerat, urgeretur, accusationis falsitatem agnovit, prolatam a se calumniam scripto manifeste damnavit, et a sancto concilio commissi in Augustinum delicti veniam petiit (*Contra Crescon.*, *lib.* 3, *n.* 92). Nec enim se ob titulum et dignitatem primatis a culpa sua emendanda immunem arbitratus est; verum illius divini oraculi sapienter meminit : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20). Quapropter concilium ei, ut sibi ignosceretur humiliter petenti, clementer ignovit. Quod attinet ad illud concilium, si præsules qui primum Hipponem convenerant, non tam frequentes erant, ut possent concilium componere; sat magni momenti res erat ad illud vel ob eam unam causam convocandum : nisi forte aliqua synodus provincialis in Numidia tunc temporis alia occasione celebrata sit, quæ hac ipsa de re cognoverit. Paulo post Augustinus ad Profuturum familiarissimum suum scribens de hujus Megalii obitu, ista continuo subjicit : *Non desunt scandala, sed neque refugium; non desunt mœrores, sed neque consolationes* (*Epist.* 38, *n.* 2). Sub hæc multis ostendit iram esse fugiendam, ne odii tandem naturam induat. Deinde concludit asserens, se ista consulto scribere, ob ea quæ nuper sibi dixisset Profuturus. Haud scimus an illa ad Megalii causam

spectarent, in qua fortasse Profuturus jam tum episcopus, Augustini sui olim magistri partes suscepisset. Cum in Donatistarum manus epistola Megalii venisset, eam ad infamiæ labem Augustino aspergendam adhibere tentarunt. Verum haud difficile Augustino fuit, eos accusatoris sui retractatione convincere. In collatione Carthaginensi Donatistæ, qui semper in aliquam perturbandi occasionem imminebant, quæsierunt ab Augustino, quis eum ordinasset : quo nimirum inde litigandi ansam arriperent. Quapropter Augustinus ea de re, quæ ad propositam quæstionem non pertineret, illis aliquandiu respondere distulit. At cum ex suo ipsius silentio eos proficere adverteret, illis confidenter respondit, se a Megalio episcoporum Ecclesiæ catholicæ in Numidia primate, eo tempore quo ille ordinare poterat, fuisse ordinatum ; posse eos super hac re, quidquid liberet, expromere, suasque calumnias cum veritate connectere. Tunc illi, cum respondere, aut omnino hiscere non auderent, ad alia delapsi sunt (*Collatione Carthag.* 3, *cap.* 247).

3. Ut Augustinum inaugurare Megalius, sic vicissim inaugurari Augustinus recusabat (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 8). Nec enim minor erat hujus modestia et religio, quam tot illustrium virorum, qui ætate illa, ut episcopatum susciperent, sicuti scribit, tenebantur inviti, perducebantur, includebantur, custodiebantur, patiebantur tanta quæ nolebant, donec eis adesset voluntas suscipiendi operis boni (*Epist.* 173, *n.* 2). Nam præterquam quod episcopalis dignitatis onus reformidabat, ipsi veniebat in mentem, ab Ecclesiæ consuetudine abhorrere, ut vivente adhuc episcopo alius eidem Ecclesiæ præficeretur. Certior tamen factus est, id novum et insolens non esse, prolatis ipsi plurimis, non Africanis modo, sed transmarinis etiam exemplis, quibus omnis excusatio ei præclusa est (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 8, *et Augustinus, Epist.* 31, *n.* 4). Cum igitur divino consilio vehementer timeret obsistere, si quod tanta præsulis sui charitate tantoque populi studio sibi deferebatur, diutius recusaret ; publicis eorum votis ac desideriis divinam sibi voluntatem denuntiari credidit. Dedit itaque manus, et curam ac dignitatis episcopalis insignia suscepit invitus. Scribit Paulinus ab hac inusitata ordinatione novum illius episcopatui splendorem ac decus accessisse ; nec prius hoc credi potuisse, quam fieret (*Apud Augustinum, Epist.* 32, *n.* 2). Id sane conceptam de Augustini doctrina et pietate existimationem comprobabat. Ea tamen ordinatio reprehensa est, et ipse Augustinus tum verbo, tum scripto confessus est, id octavo concilii Nicæni canone fuisse prohibitum (*Epist.* 213, *n.* 4), in quo sancta illa synodus satis aperte declarat, primariam suam intentionem eam esse, ut unicus cuilibet ecclesiæ præsit episcopus, licet aliquando contrarium fieri permittat. Verum nec Augustino, nec Valerio tunc temporis notum erat illud concilii decretum, quod ubi scivit, concilii sanctionem accurate servavit. Nam auctor quidem fuit, ut statueretur, episcopos Donatistas, qui ad Ecclesiæ communionem redirent, sedere posse cum episcopo catholico, sicut concilium Nicænum Novatianis permiserat : verum præter hujus generis perraros casus, in quibus inflicta ecclesiasticæ disciplinæ plaga majori reconciliationis bono abunde compensaretur, non patiebatur id ab aliis fieri, cujus ipsum pœnitebat. Quamobrem cum arbitraretur procurandam sibi esse Heraclii presbyteri electionem, qui sibi succederet ; eum tamen presbyterum reliquit, nec illius ordinationem promovit (*Ibid., nn.* 4, 5). Hinc et illud statutum in conciliis sanciendum curavit, ut ordinandis omnium decreta Patrum ab ordinatore legerentur (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 8). Exstat decretum illud in concilio Carthaginensi tertio, cujus tertius canon in decimum octavum Codicis Africanorum canonum insertus hæc habet : *Placuit ut ordinatis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis placita conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteat* (*Labbe, Conciliorum Collectione maxima, tomo* 2, *pag.* 1057) ; sive, ut legitur in concilio Carthaginensi tertio, capite tertio : *Placuit ut ordinandis... decreta conciliorum... fecisse asserant* (*Ibid., pag.* 1167).

4. Hæc nimirum fuit Augustini promotio, cujus ille memoriam quotannis renovabat. Quemadmodum illis temporibus facere consueverant Urbis quoque antistites, qui plurimos ad hanc celebritatem episcopos convocabant. Legimus etiam episcopos Donatistas ad Optati sui Gildoniani natalitia frequentes convenire solitos (*Epist.* 108, *n.* 5 ; *Contra Litteras Petiliani, lib.* 2, *n.* 53). Anniversarius iste dies consecrationis Augustini universæ quidem Africæ jucundissimus erat, cujus publica lætitia a Paulino expressa fuisse videtur in ea gratulatione, quam accepto hujus ordinationis nuntio statim edidit suis ad Augustinum litteris, in quibus has in voces gratabundus erumpit : *Exsultemus et lætemur in eo qui facit mirabilia solus, et qui facit unanimes habitare in domo, quoniam ipse respexit humilitatem nostram, et visitavit in bono plebem suam : qui erexit cornu in domo David pueri sui, et nunc exaltavit cornu Ecclesiæ suæ in electis suis, ut cornua peccatorum, sicut per prophetam spondet, hoc est, Donatistarum, Manichæorumque confringat* (*Apud August., Epist.* 32, *n.* 2). Hæc autem festivitas Augustino mœroris potius et tristitiæ dies erat, cum oneris ipsius humeris impositi, et rationis Deo reddendæ memoriam ejus animo permolestam refricaret. Et quo fiebat ætate provectior, eo mentem acrius pungebat illa cogitatio. Exstat hanc in rem egregius præ cæteris sermo (*Serm.* 339, *n.* 1) ad plebem ipso die episcopalis ordinationis ejus habitus, in quo natalem Domini imminere dicit (*Ibid., n.* 3). Facit hæc observatio, ut consecrationem ejus, quam in hujus anni trecentesimi nonagesimi quinti finem referre visum est, nemo putaverit rejiciendam ultra annum trecentesimum nonagesimum sextum, quippe cum anno trecentesimo nonagesimo septimo sanctionibus concilii Carthaginensis tertii, die septembris prima, vel augusti vigesima octava celebrati subscripserit inter episcopos Augustinus : quo etiam impulsore, ut diximus, fuit in ea synodo constitutum, ut ordinandis episcopis vel clericis decreta conciliorum prælegeren-

tur. Ne tamen illa ordinatio ponatur ante eumdem annum trecentesimum nonagesimum sextum, obstare videbatur alia observatio, quia videlicet librorum quos episcopus elaboravit, in ipso, ut loquitur, episcopatus sui exordio, primi sunt duo ad Simplicianum Mediolanensem, quem et in epistola nuncupatoria, et in libri principio patrem appellat : quo eum titulo putari potest exornasse, quod jam successisset Ambrosio, qui tamen ex hac vita non decessit nisi anno trecentesimo nonagesimo septimo, pridie nonas aprilis. Quare dum Augustini ordinatio trecentesimum nonagesimum sextum annum Christi præcessisse dicitur, eum annos propemodum duos feriatum nulla edita lucubratione traduxisse fatendum videtur : quod profecto vix credi possit de sancto illo doctore, qui curas, quas fratribus suis impendere tenebatur, in hoc potissimum se ponere dixit, ut iis et lingua et stilo suo, quas bigas in eo charitas agitabat, maxime serviret (*De Trinit.*, *l.* 3, *n.* 1). Verumtamen Prosper ad hunc annum trecentesimum nonagesimum quintum ita scribit : *Augustinus beati Ambrosii discipulus, vir multa facundia doctrinaque excellens, Hippone-Regio in Africa episcopus ordinatur* (*Prosper in Chronic. ad annum* 395). Quotquot Augustini gesta scripserunt, hanc adeo expressam auctoritatem velut epocham chronologicam ratam et fixam minimeque dubiam habuerunt. Itaque ut ne ab illa nos discedamus, quæremus postea quo tempore conscripti sint libri ad Simplicianum; curve ille, licet adhuc presbyter, patris appellatione dignus haberi potuerit ab Augustino jam episcopo.

5. Comperto tempore ordinationis Augustini perspicuum est, potuisse Romanum et Agilem, per quos Paulinus posteriores ad eum litteras miserat, huic consecrationi interesse. Per hiemem haud dubie non sunt regressi, sed potius ineunte vere anni trecentesimi nonagesimi sexti; citius tamen, ac vellet Augustinus : nec eos ille sine molestia dimisit, quamvis unius Paulini revisendi gratia redire maturarent. *Tanto utique dimittendi erant velocius*, ait Augustinus, *quanto vobis impensius obedire cupiebant. Sed quanto id cupiebant magis, tanto vos nobis præsentius exhibebant : eo quippe indicabant, quam chara vestra viscera essent. Tanto igitur eos minus dimittere volebamus, quanto justius ut dimitterentur instabant.* Tradidit eis epistolam Paulino et Therasiæ inscriptam, qua posterioribus litteris a Paulino acceptis respondebat. Nec in hac minus tenerum erga eum amorem, minusve ardens ejus videndi studium testabatur, quam in epistola per Romanianum delata. De sua ad episcopatum promotione certiorem eum fecit, ut illi significaret, se de profectione in Italiam, ejus invisendi causa, cogitare non posse, utque ipsum ecclesiasticis curis expeditiorem (nondum enim episcopus erat Paulinus) ad trajiciendum in Africam invitaret, tam ad sui cæterorumque solatium, qui dona divinitus in eum collata mirabantur; quam ad eorum institutionem, qui ea credere vel non poterant, vel nolebant, nisi prius ipsum ejusque sponsam præsentes intuerentur. Eo usque progreditur, ut dicat : *Nescio si quidquam misericordius agitis, quam si tantum nolitis latere quod tales estis, quantum tales esse voluistis* (*Epist.* 31, *nn.* 3, 6). Ejus charitati commendat puerum (Vetustino nomen erat), qui reus et miser fuisse videtur. Romanianum pariter ejusque filium commendatione apud illum sua juvari cupit. Tres libros suos de Libero Arbitrio ad eumdem mittit. Exigit vicissim, ut quem scribere dicebatur adversus Paganos commentarium, ad se transmittat cum libris aliquot Ambrosii, quibus sanctus ille doctor imperitos quosdam et superbos, forsitan philosophos, qui Christum de Platonis libris profecisse contendebant, copiosissime refutavit. Nullus ex his Ambrosii libris modo superest nobis; sed tamen eos, cum Augustinus sæpe velut cognitos laudet, haud dubie a Paulino sibi missos accepit. Orabat quoque Paulinum, ut panem, quem mittebat, benigne acciperet. Eumdem omnium fratrum Deo servientium nomine salutabat, ipsius etiam beati Valerii verbis, quem adhuc patrem suum nuncupat, quique eodem, quo ipse, Paulini videndi studio flagrabat. Ei præterea Severi Milevitanæ Ecclesiæ antistitis officiosam urbanitatem exhibet. Quapropter haud scimus, an idem Severus sit, qui litteras ad Paulinum simul dedit : siquidem iidem fratres, qui Augustini epistolam et illius ordinationis nuntium ad Paulinum detulerunt, litteras pariter sanctorum episcoporum Aurelii, Alypii, Profuturi, et Severi eidem reddiderunt (*Epist.* 32, *n.* 1). Facile tamen contingere potuit, ut idem Severus, qui primo urbanitatis tantum suæ officia per Augustinum offerre Paulino voluerat, quadam postea necessitate compulsus ad eum ipse scripserit.

6. Jam Paulinus hos fratres Agilem et Romanum adhuc præsente Romaniano præstolabatur; verum nonnisi post illius discessum advenerunt. Postridie adventus illorum Romaniano scripsit, ut eum de optatissimis nuntiis acceptis faceret certiorem, et in primis de Augustini ad episcopatum provectione; qua de re, prout sanctum virum decebat, gratulatur. Deinde Licentium vehementer hortatur; quem per patrem primum alloquitur, ac post ipsum tam soluta quam stricta oratione compellat, quo flagrantissimæ, ut ait, Augustini sollicitudini, quam in posterioribus litteris suis renovarat, faceret satis. Optat ut hæc Domini tuba, qua per Augustinum intonat, cordis illius pulset auditum. Sperat etiam pro sua in Deum fiducia, carnalia hujus adolescentis vota, fidei et votis Augustini cessura; cui videlicet nihil esset antiquius, quam ut, quem Romaniano patri dignum genuerat in litteris, hunc et sibi ipsi digne filium in Christo pareret (*Apud August.*, *Epist.* 32). Dubium non est, quin Paulinus Augustini epistolæ responderit, et quin illud nobile per amicorum mutuam societatem et commercium, quod utriusque pietas fecerat, accurate studioseque foverit. Cujus si pauca nobis vestigia supersint, id temporum fato tribuendum est : hæ siquidem litteræ, ut et aliæ innumeræ, exciderunt. Cæterum Augustini ad Paulinum litteras non plures octo notat Possidius (*In Indiculo*, *cap.* 7 ); quem in editis numerum nunc habemus.

## CAPUT II.

1 *Quis animæ habitus erat, quive mores Augustini jam episcopi.* 2 *In solitudinem fugere prohibetur a Deo : ejus deliciæ sunt Scripturæ Dei et vacare Deo.* 3 *Qualis ei cultus corporis in vestibus et calceamentis acceptus fuerit.* 4 *Quæ ejus mensa.* 5 *Manibus quotidie aliquid operari vellet, si per valetudinem et per occupationes liceret.* 6 *Infirma valetudo ipsius et occupationes.* 7 *Clericorum monasterium in episcopii domo instituit. Ad Lætum istius forte monasterii alumnum epistola.* 8 *In eo monasterio regulariter et anguste cum suis clericis convivit.* 9 *Ut se gerebat erga feminas : nullam ne quidem ex consanguineis habitare in sua domo passus est.*

1. Episcopale onus imponi sibi non prius passus est Augustinus, quam constitutum haberet in animo, ætatem suam in officiis ad id pertinentibus totam exigere. Hinc in reliqua vita nihil molitus unquam aliud, nihil aggressus reperietur, nisi quod ejus in fratres suos, quos ut dominos observabat, charitas exposceret (*Confess. lib.* 10, *cap.* 4, *n.* 6). Sed antequam juxta seriem annorum videamus, quibus laboribus, quot scriptis et peregrinationibus illum fraternus amor implicuerit; colligemus hic nonnulla de illius pro Ecclesia gestis, quæ nobis ad certum ordinem temporum revocare non licet. Ut autem ab iis quæ ad ipsius mores spectant, narrandi faciamus initium; qualis esset animæ suæ habitus primo episcopatus sui tempore, ipsemet in suis Confessionibus anno ab ipsius ordinatione quarto vel quinto editis, in oculis conspectuque omnium exposuit. Nam cum jacere cuperet, nulloque inter homines esse numero, ægre admodum ferebat Vir sanctus, se contra in ore omnium versari, atque etiam sanctæ conversationis nomine summo dignum honore haberi. Itaque *ne de se quisquam hominum*, ait Possidius, *supra quam se esse noverat, crederet, non solum qualis ante perceptam gratiam fuerit, sed etiam qualis jam sumpta viveret, designavit* (*Possidius, in Vita August., in Præf.*). Cernebat præterea multis bonis Christianis, qui pariter quis tempore ipso Confessionum suarum esset nosse cuperent, gratum facturum se non sine magno fructu : siquidem ii et gratias Deo acturi de donis ipsi collatis, et perspectis ejus malis pro ipso rogaturi essent (*Confess. lib.* 10, *cap.* 3, *n.* 4). Primum ergo is ipse, qui vir sanctissimus ac ejus apud Deum meriti esse videretur, in quo facile quisque spem reponeret, profitetur totam spem suam nonnisi in magna valde misericordia Dei sitam esse; ab illo se petere ut det quod jubet, atque hoc pacto quod velit jubeat : scire se, neminem posse esse continentem, nisi Deus det : quippe cum per continentiæ mandatum nobis præcipiatur, ut colligamur et redigamur in unum, a quo in multa defluximus (quia videlicet is minus Deum amat, qui cum Deo aliquid amat, quod non propter Deum amat); ad illud implendum se per se non sufficere, sed indigere ut ab ipso Deo accendatur. *O amor*, ait, *qui semper ardes et nunquam exstingueris! Charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis* (*Ibid.*, *cap.* 29, *n.* 40). Deinde quanquam ad eam animæ sanitatem jam divino munere perductus esset, ut confidenter Deo diceret, *Non dubia, sed certa conscientia, Domine, amo te* (*Ibid.*, *cap.* 6, *n.* 8) : attamen multos et magnos esse languores suos agnoscit, quibus sanandis necessaria sit medicinalis gratia Christi Mediatoris (*Ibid.*, *cap.* 43, *n.* 68). Nam turpium rerum imagines et vivere adhuc in sua memoria testatur, et sibi occursare, vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Quanquam sæpe etiam in somnis resistebat, et sui memor propositi, atque in eo castissime permanens, nullum talibus illecebris vel dormiens adhibebat assensum (*Ibid.*, *cap.* 30, *n.* 41). Quo in genere mali adhuc se esse comperiens, sic exsultabat cum tremore in eo quod illi Deus donaverat, ut in eo quod inconsummatus erat lugeret. Pergit ad aliud tentationis genus, quod ex edendi et bibendi necessitate oritur. Hoc quidem a Deo edoctus erat, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accederet (*Ibid.*, *cap.* 31, *n.* 44) : sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transibat, in ipso transitu ipsi insidiabatur laqueus concupiscentiæ. Quia cum sæpe incertum sit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat : ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conabatur resistere, et invocabat dexteram Dei ad salutem suam; et ad eum referebat æstus suos, quia consilium sibi de hac re non stabat. Et quidem ebrietas longe erat ab eo : crapula autem nonnunquam subrepebat ei, crapula tamen ea, qua non cor ipsum, sed affectus et languens stomachus in perfectis etiam Christianis aliquando gravatur. Ebriosus nunquam fuit : quod Deo prorsus acceptum refert. In his ergo tentationibus positus, certabat quotidie adversus concupiscentiam edendi et bibendi : cumque non id esset, quod semel præcidere, et de quo ulterius non attingendo decernere posset; freni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi erant. Sed nondum is erat, qui non raperetur aliquantulum extra metas necessitatis : ac nihilominus magnificabat nomen Dei, quem, qui vicit sæculum, pro ipsius peccatis interpellabat, numerans ipsum inter infirma membra corporis sui. Quod ad illecebram odorum pertinet, de ea non satagebat nimis : cum jucundi abessent odores, non requirebat; cum adessent, non respuebat, paratus eis semper carere. Sed quamvis ita sibi videretur, hac in re tamen falli se timebat : quippe cum eum lateret facultas sua quæ in ipso erat, et animus illius de viribus suis ipse sibi non facile credendum existimaret; quia quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestum fiat. Voluptates aurium tenacius eum implicaverant, et subjugaverant : sed Deus resolverat et liberaverat eum. Tunc ergo in sonis, quos animant divina eloquia, cum suavi et artificiosa

voce cantantur, aliquantulum acquiescebat, non quidem ut hæreret, sed ut cum vellet surgeret. Attamen aliquando plus sibi videbatur honoris iis sonis tribuere, quam deceret; dum ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius sentiret moveri animum in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur (*Ibidem*, *cap.* 33, *n.* 49). Nam delectatio carnis sæpe eum fallebat, dum rationem propter quam meruerat admitti, etiam præcurrere ac ducere conaretur. Ita in his peccabat non sentiens, sed postea sentiebat. Aliquando hanc ipsam fallaciam cavens, errabat nimia severitate, ac valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum psalterium frequentatur, ab auribus suis removeri vellet, atque ipsius Ecclesiæ; tutiusque sibi videretur quod de Alexandrino episcopo Athanasio sæpe sibi dictum meminerat, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Verumtamen cum reminiscebatur lacrymas quas fuderat ad cantus Ecclesiæ in primordiis recuperatæ fidei suæ, quantumque postmodum moveretur, non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnoscebat. Cum autem sibi accideret, ut ipsum plus cantus, quam res quæ canitur moveret; pœnaliter se peccare agnoscebat, et tunc mallet non audire cantantem. *Ecce ubi sum*, ait: *flete mecum, et pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent* (*Ibid.*, *n.* 50). Resistebat quoque seductionibus oculorum, et erigebat ad Deum invisibiles oculos. Et quidem pulchra trajecta per animas in manus artificiosas noverat ab illa pulchritudine venire, quæ super animas est, cui suspirabat anima ejus die ac nocte. Etiam istis pulchris gressum innectebat, quem Deus evellebat: capiebatur miserabiliter, et Deus evellebat misericorditer; aliquando non sentientem, quia suspensius inciderat; aliquando cum dolore, quia jam inhæserat (*Ibid.*, *cap.* 34, *nn.* 52, 53). Jam si de curiositatis morbo agitur, multa præciderat et a suo corde dispulerat Augustinus: non tamen audebat dicere, nulla re se intentum fieri ad spectandum et vana cura capiendum. Eum jam theatra non rapiebant, nec curabat nosse transitus siderum; nec anima ejus unquam responsa quæsivit umbrarum; omnia sacrilega sacramenta detestabatur. Agebat autem inimicus, quantis poterat suggestionum machinationibus, cum eo, ut a Deo signum aliquod peteret: sed a sancto Viro longe erat ista consensio (*Ibid.*, *cap.* 35, *n.* 56). Verumtamen in multis minutissimis rebus curiositas ejus quotidie tentabatur, et sæpe labebatur. Sæpius narrantes inania primo quasi tolerabat, ne offenderet infirmos; deinde paulatim libenter advertebat. Canem currentem post leporem jam non spectabat cum in circo fieret: at vero in agro, si casu transiret, avertebat eum fortassis et ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertebat illa venatio, non quidem deviare cogens corpore jumenti cui forte insideret, sed cordis inclinatione. Eum quoque domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans, intentum faciebat. Pergebat quidem ad laudandum Deum, creatorem mirificum atque ordinatorem omnium, sed non inde intentus esse incipiebat. Et talibus vita ejus plena erat, et una spes ejus, magna valde misericordia Dei (*Ibid.*, *n.* 57). Sanaverat primitus eum Deus a libidine vindicandi: quo propitius fieret etiam cæteris omnibus ejus iniquitatibus. Compresserat a timore suo superbiam ejus, et mansuefecerat jugo suo cervicem ejus; ita ut jam illud portanti lene esset (*Ibid.*, *cap.* 36, *n.* 58). Sed laudis humanæ tentatione quotidie tentabatur, sine cessatione tentabatur. *Tu nosti*, inquit ad Deum, *de hac re ad te gemitum cordis mei et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo, quam sim ab ista peste mundatior; et multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora et levia pluris æstimantur, quam æstimanda sunt. Sed rursus unde scio an propterea sic afficior, quia nolo de me ipso a me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona quæ mihi in me placent, jucundiora mihi sunt cum et alteri placent? Video non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita sit, nescio. Sermo ore procedens, et facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia; tentat et cum a me in me arguitur, eo ipso quo arguitur; et sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur* (*Ibid.*, *cap.* 37, *n.* 60-63). Alibi etiam quid ab humana laude timeat, cur eam plane non abnuat, aut qua ratione inde afficiatur, declarat in hunc modum: *Periculum meum est, si attendam quomodo laudatis, et dissimulem quomodo vivatis. Ille autem novit, sub cujus oculis loquor, imo sub cujus oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quam stimulari et angi quomodo vivant qui me laudant. Laudari autem a male viventibus nolo, abhorreo, detestor: dolori mihi est, non voluptati. Laudari autem a bene viventibus, si dicam nolo, mentior; si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior, quam soliditatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana pericliter; non plene nolo, ne ingrati sint quibus prædico* (*Serm.* 339, *n.* 1). Postremo, quod ad illud aliud tentationis malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, aut de Dei bonis quasi suis, aut tanquam ex meritis suis, aut velut aliis invidentes ea, afficiebatur ipse tremore cordis, et vulnera sua magis subinde a Deo sanari, quam sibi non infligi sentiebat (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 39, *n.* 65).

2. Ubi se agnovit confessusque est sanctus Episcopus iis omnis generis peccatis obnoxium, quidquid tandem alii de ejus probitate ac merito sentiant, adeo non contemnenda illa ducebat, ut potius testetur se tanto timore concussum fuisse, ut de arripienda in solitudinem fuga cogitarit. *Conterritus peccatis meis*,

inquit, *et mole miseriæ meæ, agitaveram in corde, meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, et confirmasti me dicens : « Ideo pro omnibus Christus mortuus est ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est* (II *Cor.* v, 14). Nihil ergo sibi reliquum esse cognovit, nisi ut in Deum jactaret curam suam, ut viveret (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 43, *n.* 70). *Filios tuos*, ait, *esse voluisti dominos meos, quibus jussisti ut serviam, si volo tecum de te vivere. Et hoc mihi verbum tuum parum erat, si loquendo præciperet, nisi et faciendo præiret. Et ego id ago factis et dictis; id ago sub alis tuis nimis cum ingenti periculo, nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, et infirmitas mea tibi nota est* (*Ibid.*, *cap.* 4, *n.* 6). Denique vix aliquando sufficeret, ut dicit, calamo enuntiare omnia Dei hortamenta, omnes terrores et consolationes et gubernationes, quibus eum ad subeundam pastoralis officii sarcinam perduxit (*Ibid.*, *lib.* 11, *cap.* 2, *n.* 2). Eo constitutus loco, cum in divina lege meditari olim inardesceret, nolebat in aliud horas diffluere, quas a necessitatibus sive reficiendi corporis sui, sive serviendi hominibus curæ suæ commissis, liberas inveniebat : maxime cum se ejusmodi studio non sibi soli, sed fraternæ charitati simul prodesse optaret. Castæ deliciæ ipsius erant Scripturæ Dei; cujus vox ipsius gaudium, cujus vox illi erat super affluentiam voluptatum (*Ibid.*, *n.* 3). Præterquam quod in rerum etiam creatarum consideratione Deum quærens, ac de omnibus eum consulens, an sint, quid sint, et quanti quæque pendenda sint, audiebat dicentem ac jubentem. *Et sæpe istud facio*, inquit; *hoc me delectat, et ab actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus quæ percurro, consulens te, invenio tutum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solutis, et teneor; et multum fleo, sed multum teneor : tantum consuetudinis sarcina degravat! Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo; miser utrobique* (*Ibid. libro* 10, *cap.* 40, *n.* 65). Ex quo Deum didicerat, non frustra manentem eum habebat in sua memoria : illic eum inveniebat, et delectabatur in eo. *Hæ sunt*, inquiebat, *sanctæ deliciæ meæ, quas donasti mihi, misericordia tua respiciens paupertatem meam* (*Ibid.*, *cap.* 24, *n.* 35).

3. Quod ad cultum corporis attinet : *Vestes ejus et calceamenta vel lectualia ex moderato competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum : quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt iidem quærentes : at iste* (*sanctus Episcopus*), *ut dixi, medium tenebat, neque in dexteram neque in sinistram declinans* (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 22). Scribit Augustinus moris fuisse, ut interiora vestimenta linea essent, exteriora lanea : seque his verbis, *vestimentorum nostrorum*, cum aliis comprehendit (*Serm.* 37, *n.* 6). Aliud quoque gestabat indumenti genus, byrrhum vocat, quo laici pariter utebantur. Habes in quodam sermone locum de vestimentis ejus sane pulcherrimum. *Nemo*, inquit, *det byrrhum, vel lineam tunicam, seu aliquid nisi in commune : de communi accipio et mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle quidquid habeo. Nolo talia offerat Sanctitas vestra, quibus ego solus quasi decentius utar; offerat mihi, verbi gratia, byrrhum pretiosum; forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea. Non decet : talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus et subdiaconus, talem volo accipere; quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo : quod et facere soleo; ut quando non potest vestis esse communis, pretium vestis possit esse commune. Vendo, et erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam; talem det unde non erubescam. Fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco : quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos* (*Serm.* 356, *n.* 13). Cum sancta quædam virgo, cui Sapidæ nomen, de Timothei fratris sui, Carthaginensis diaconi, morte gravissime doleret, rogavit Augustinum, ut ad sui solatium tunicam, quam suis ipsa manibus ad usum germani sui texuerat, acciperet. Non renuit sanctus Præsul, ne illam contristaret, eaque tunica usus est. Illam tamen per litteras hortatus est, ut meliores a fide sua consolationes peteret, atque a spe vivendi aliquando cum fratre, de cujus æterna felicitate non dubitanter loquitur (*Epist.* 263, *n.* 1). Quod ad calceamenta pertinet, non arbitrabatur, teneri se ad servandam juxta litteram eorum inhibitionem a Christo Domino factam; cum ex Evangelio cognosceret, Christum ipsum fuisse calceatum : hoc sibi solatii proponebat in infirma valetudine, quæ hujus illi levaminis necessitatem imponebat. Simul eorum qui nudo pede ambularent, fortitudinem amabat (*Confessionum lib.* 9, *cap.* 6, *n.* 14) : nec tamen evangelicam legem hac in re accuratius ab illis, quam a se impleri, aut eos propterea insolescere superba duritia posse arbitrabatur. In hujusmodi rebus bonis, sed minime necessariis, tam eos qui illas observarent, quam qui non observarent, charitate sociari volebat; ut quorum externa discreparent opera, eorum corda eodem amore conflagrarent (*Serm.* 101, *cap.* 6, *n.* 7).

4. Mensa usus est frugali et parca, in qua nihil superfluum, nihil non moderatum; quæ quidem inter olera et legumina, etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores, semper autem vinum habebat (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 22). Neque enim immunditiam opsonii, sed immunditiam cupiditatis timebat; ut qui sciret omnem Dei creaturam bonam esse, et sanctificari per verbum Dei et ora-

tionem (*Confessionum lib.* 10, *cap.* 31, *n.* 46). Illius convivis præfixus erat poculorum numerus : et si quis clericorum ejus jurasset, unam de statutis potionem perdebat (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 25). Cochlearibus argenteis utebatur; verum cætera vasa, quibus cibi mensæ inferebantur, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant : non tamen ex necessitate atque inopia, sed ex spontaneæ paupertatis ac modestiæ studio (*Ibid.*, *c.* 22). Cum semper hospitalitatem coluisset, plurimos ad mensam suam peregrinos adhibebat (*Ibid.*). Et reapse ab hoc officio quibusque venientibus ac transeuntibus exhibendo, sine detrimento charitatis quæ ab episcopo exigitur, eximere se non poterat (*Serm.* 355, *n.* 2). Eamdem humanitatem in recipiendis etiam ignotis hospitibus exercebat, hoc axioma secutus : Longe satius esse malum hominem excipere, quam bonum excludere, dum cavemus ne recipiatur malus (*Epist.* 58, *n.* 3). Id tamen ordinem ab eo constitutum minime perturbabat. In ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat; et contra pestilentiam humanæ consuetudinis, in ea ita scriptum habebat :

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,*
*Hanc mensam indignam noverit esse sibi.*

Et ideo omnem convivam a superfluis et noxiis fabulis et detractionibus sese abstinere debere admonebat. Nam et quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, et contra eam loquentes, tam aspere aliquando reprehendit commotus, ut diceret aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. *Quod ego*, ait Possidius, *et alii qui illi mensæ interfuimus*, *experti sumus* (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 27).

5. Victum sibi labore manuum non comparabat, cum neque per adversam valetudinem id exsequi posset, neque per occupationes assiduas, quibus eum Ecclesiæ suæ cura sine ulla intermissione implicabat (*Epist.* 126, *n.* 10). Quod si salva officii sui ratione id præstare potuisset, certis quotidie horis, quantum in bene moratis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, et cæteras horas ad legendum et orandum, aut divinis Litteris vacandum liberas habere maluisset (*De Opere monachorum*, *n.* 37). *Ad istam*, inquit, *securitatem otiosissimam nemo me vinceret. Nihil est melius*, *nihil dulcius*, *quam divinum scrutari*, *nullo strepente*, *thesaurum : dulce est*, *bonum est. Prædicare*, *arguere*, *corripere*, *ædificare*, *pro unoquoque satagere*, *magnum onus*, *magnum pondus*, *magnus labor. Quis non refugiat istum laborem? sed terret Evangelium* (*Serm.* 339, *n.* 4). Sic eum officii sui ratio ad labores alios, aliasque sollicitudines avocabat, quæ arctiorem illi et asperiorem cœli viam efficiebant, quam si sese labore corporis exercuisset; quamvis eum spes continuo gaudio perfunderet, et Christi Domini exemplum jugum illi suum suave ac leve redderet.

6. Natura frigus ferre non poterat (*Epist.* 124, *n.* 1), et tenui ac infirma valetudine utebatur (*Epist.* 122, *n.* 1), perspecta omnibus qui familiarius eum noverant (*Epist.* 151, *n.* 13). Hinc se multo ante corporis infirmitate, quam ætate senuisse testatur (*Serm.* 255, *n.* 7). Rarissime tamen de morbis suis loquitur, qui eum ad vires recreandas aliquando rus ire cogebant (*Epist.* 118, *n.* 34). Quam patienter autem solitas ægritudines sustineret, ex epistola, quam in molestissimo corporis morbo scripsit, satis conjicere possumus (*Epist.* 38, *n.* 1). Occupationes ejus assiduæ tam parum illi permittebant otii, ut ab ecclesiasticis curis pauculæ temporum stillæ (sic enim loquitur) vix eum recrearent, vel cogitantem aliquid, vel ea quæ magis urgerent, et pluribus essent profutura, dictantem, vel reficientem corporis vires ipsius necessarias servituti (*Epist.* 261, *n.* 1). Sed et contra officium suum sibi facturus videbatur, si vel paucissimas illas temporis guttulas aliis rebus impenderet (*Epist.* 110, *n.* 5). Scribit ad Hieronymum anno quadringentesimo quarto se, si quid in Scripturarum divinarum scientia facultatis haberet, id uni populo Dei erudiendo totum impendere : vacare autem studiis non posse, nisi quantum necessitas exigat ad ea paranda, quæ populorum poscit institutio (*Epist.* 73, *n.* 5). Ipse quoque pauca legisse se confitetur. Quapropter solito majores curas et occupationes fugiebat (*Epist.* 82, *n.* 23) : cumque Severus prolixam ab eo epistolam flagitaret, rogat ut se habeat excusatum; subditque eum cæterosque familiarissimos suos rem sibi pergratam facturos, si nullam a se lucubrationem exposcant, et alios ab iisdem flagitandis avertant, ne, si votis eorum satisfacere non possit, offensionem accipiant (*Epist.* 110, *n.* 6). Neque silentio prætereundum, quod prolixiores ad familiarissimos suos, seu laicos, seu etiam episcopos datas epistolas chartæ mandabat propria quadam ratione ac forma, forte minus eleganti, sed ad hoc idonea, ut et cito scriberentur, et charta ipsa teneretur commodius cum legerentur. Id Maximo medico notum fieri cupit, ne forte ille, istum ejus morem nesciens, factam sibi injuriam arbitraretur (*Epist.* 171). Epistolam mittens ad Victorinum, monet signatam illam esse annulo, qui exprimit faciem hominis attendentis in latus (*Epist.* 59, *n.* 2). Cum nunquam annulum in manu haberet, teste Possidio (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 24), ab aliquo forte istum, quo memoratam epistolam signavit, utendum acceperat.

7. Vidimus superius Augustinum, simul ac presbyter ordinatus est, in Hipponensi civitate virorum instituisse monasterium, ex quo velut ex uberrimo fonte, monastica vita sese per universam Africam diffundebat. Illic toto presbyteratus sui tempore vitam degit (*Ibid.*, *c.* 5). At ubi creatus est episcopus, cum ad humanitatem assiduam hospitibus exhibendam ex officio teneri se intelligeret, ac id monasticæ vitæ tranquillitati officere arbitraretur, voluit secum in domo episcopii clericorum, hoc est, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum Ecclesiæ suæ servientium, habere monasterium (*Serm.* 255, *n.* 2). Videtur is Spes, qui apud Augustinum degebat, fuisse in eo monasterio solum laicus, licet clericatui quodam

modo destinatus (*Epist.* 77, *n.* 2, *et Epist.* 78, *n.* 2). De Læto quoque adolescente, qui perfectæ vitæ tirocinium apud Augustinum posuerat, et aliquandiu cum eo manserat, aut in ejus domo, si laicos, quos clericatui destinabat, in eam admitteret, idem quod de Spe existimare licet. Lætus ille animi sui fervore maximam fratribus lætitiam attulerat. Animadvertit tamen Augustinus, eum domesticis curis a divino studio retardatum, ferri potius et duci a cruce sua et carnis suæ infirmitate, quam illam ferre ac ducere. Et reipsa coactus est ab Augustino discedere, et domum suam repetere, ut res domesticas componeret, ea mente ut jugo mundanæ servitutis excusso, se vinculis sapientiæ daret ultro constringendum. Attamen domi suæ plurimis tentationibus conflictatus est. Reperit illic servi fugam, mortem ancillarum, ægram fratrum valetudinem, et præcipue lacrymas matris, quæ eum irretitum ab instituto cursu revocabat. Quapropter ad fratres suos (Hipponensis monasterii, seu laicorum seu clericorum), aliquid solatii sollicitudinibus suis quæsiturus epistolam misit, in qua insinuabat desiderare se litteras Augustini. Hunc dolor de infelici statu Læti conceptus satis urgebat, ut ipsius desiderio non negaret, quod se videbat officio debere charitatis. Ardentissimam igitur ad eum scripsit epistolam (*Epist.* 243), qua illum hortabatur ad terrenarum rerum contemptum, et ad matris amorem, charitati Christi et Ecclesiæ, suæque saluti postponendum. Suadet itaque ut facultates suas matri et domesticis suis, si forsan his indigeant, relinquat; tum illis nuntium remittat : ne majorem tristitiam torpore suo fratribus pariat, quam lætitiam alacritate pristina dederat. Monet ut studio cognoscendæ veritatis vacet, seseque ad evangelicæ prædicationis officium comparet : Ecclesiam indigere auxilio, ut adversus hostium suorum incursus propugnetur, atque ut parvuli ejus filii, contra quorumdam filiorum suorum ignaviam atque torporem, aliorum filiorum, quorum e numero erat, calore foveantur. Ex quibus colligere licet, eum Ecclesiæ ministerio fuisse ab Augustino destinatum.

8. Cum igitur Augustinus in episcopii domo secum clericos suos haberet, cum iisdem formam vitæ primorum Christianorum Jerosolymis degentium, quibus erant omnia communia, nihil proprium, quantum poterat, sectabatur (*Serm.* 355, *c.* 1, *n.* 2; *Serm.* 356, *n.* 1). In illius societate nulli licebat suum aliquid dicere, sed omnia omnibus erant communia : et quotquot in eam admittebantur, hanc sibi legem sciebant impositam (*Serm.* 355, *c.*2, *n.* 2; *Serm.* 356, *n.* 2). Neque vero ullum ordinabat clericum, nisi qui secum sub ea conditione manere vellet : ut si quis desciscceret a proposito, illi clericatum auferret, eumque velut sacræ societatis susceptæ, et sanctæ professionis desertorem de gradu dejiceret (*Serm.* 356, *nn.* 6, 14). Sic omnes clerici cum eo pauperes erant, simul præstolantes misericordiam Dei ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium, quæ singulis pro cujusque indigentia distribuebantur (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 23). Quibus aliqua res familiaris erat, eam aut erogare pauperibus, aut in commune conferre, aut quovis modo remittere tenebantur (*Serm.* 355, *n.* 2). Qui nihil contulerant, non discernebantur ab eis qui aliquid attulissent (*Serm.* 356, *n.* 8). Si quos ægros aut ex morbo convalescentes necessitas cogeret ante horam prandii reficere, non prohibebat quidem Augustinus iis mitti quod aliorum pietas offerebat; sed eos prandium aut cœnam extra sumere non permittebat (*Ibid.*, *n.* 13). Cum iis semper Augustinus una domo, una mensa, sumptibusque communibus alebatur et vestiebatur. Nolebat habere quidpiam nisi commune, vel accipere nisi in commune : et si quis aliquid ipsi, quod commune esse non posset, offerret; illud, ut pretium esset commune, vendebat. *Indisciplinationes quoque*, ait Possidius, *et transgressiones suorum a regula recta et honestate, arguebat et tolerabat, quantum decebat et oportebat : in talibus præcipue docens, ne cujusquam cor declinaretur in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Et dum quisque offerret munus suum ad altare, et illic recordatus fuisset quod frater suus haberet aliquid adversus illum, relinquendum esse munus ante altare, atque eundum quo fratri reconcilietur; et tunc veniendum, et munus ad altare offerendum. Si vero ipse adversus fratrem suum aliquid haberet, corripere eum debere in parte; et si eum audisset, lucratus esset suum fratrem : sin minus, adhibendum esse unum aut duos : quod si et ipsos contemneret, Ecclesiam adhibendam : sin vero et huic non obediret, esset illi ut ethnicus et publicanus. Et illud addens, ut fratri peccanti et veniam petenti, non septies, sed septuagies septies delictum relaxetur, sicut quisque a Domino quotidie sibi postulat relaxari* (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 25). Istud profecto Possidius inter Augustini acta non ob aliud retulit, nisi ut ejus propriam quamdam sollicitudinem studiumque commendaret, quo videlicet sanctus Episcopus in hoc maxime incumbebat, ut citra exceptionem ullam fieret, quod ea de re Dominus noster imperavit.

9. *Feminarum intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, ne quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit; sed nec patrui sui filiæ, et fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant : quas personas sanctorum episcoporum concilia in exceptis posuerunt. Dicebat vero, quia etsi de sorore et neptibus secum commorantibus nulla nasci posset mala suspicio; tamen quoniam illæ personæ sine aliis necessariis secumque manentibus feminis esse non possent, et quod ad eas aliæ etiam a foris intrarent, de his posse offendiculum aut scandalum infirmioribus nasci; et illos qui cum episcopo vel quolibet clerico forte manerent, ex illis omnibus feminarum personis posse una commorantibus vel adventantibus, aut tentationibus humanis perire, aut certe malis hominum suspicionibus pessime diffamari. Ob hoc ergo dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis, una manere domo, ne, ut dictum est, aliquod*

*scandalum aut offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus : et si forte ab aliquibus feminis, ut videretur, vel salutaretur, rogabatur ; nunquam sine clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset* (*Ibid.*, *c.* 26).

## CAPUT III.

1 *Augustinus semper animo liber in Ecclesiæ suæ bonis administrandis.* 2 *In iisdem data facultate augendis quantum alienus ab omni cupiditate.* 3 *Oblationes pias approbat et suscipit.* 4 *Ipsius et Alypii de Honorati presbyteri hæreditate quam discrepantes sententiæ.* 5 *Basilicas et xenodochium construi curat.*

1. *Domus Ecclesiæ curam, omnemque substantiam advices valentioribus clericis delegabat et credebat* (*Possid., in Vita August.*, *c.* 24). Singuli per annuum, ut videtur, spatium id muneris, cui præposituræ nomen erat, obibant; quibus etiam mutuam sumere pecuniam licebat (*Serm.* 356, *n.* 15). Ipse *nunquam clavem, nunquam annulum in manu habens : sed ab eisdem domus præpositis cuncta et accepta et erogata notabantur : quæ anno completo eidem recitabantur, quo sciretur, quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quid dispensandum remansisset ; et in multis titulis magis illius præpositi domus fidem sequens, quam probatum manifestatumque cognoscens. Domum, agrum, seu villam nunquam emere voluit. In iis quoque, quæ Ecclesia habebat et possidebat, intentus amore, vel implicatus non erat : sed majoribus magis, ac spiritualibus suspensus et inhærens rebus, vix aliquando se ipsum ad illa temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat et deponebat. Quibus ille dispositis et ordinatis, tanquam a rebus mordacibus ac molestis, animi recursum ad interiora mentis et superiora faciebat, quo vel de inveniendis divinis rebus cogitaret, vel de jam inventis aliquid dictaret, aut certe ex jam dictatis atque transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, et in nocte lucubrans. Et erat tanquam illa religiosissima Maria, typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptum est, quod sederet ad pedes Domini, atque intenta ejus verbum audiret* (*Possid., in Vita Aug.*, *c.* 24). Videbimus infra eum possessionum Ecclesiæ suæ administrationem prorsus abjicere, atque iis omnino cedere voluisse (*Ibid.*, *c.* 23). Ille ipse opum contemptus, quo jam inde a sua conversione facultates suas pauperibus erogavit, ei totius Hipponensis populi benevolentiam conciliaverat (*Epist.* 126, *n.* 7) : quæ virtus in illo, ex quo creatus est episcopus, imminuta non fuit. Nam quamvis Ecclesiæ bona re sua familiari, quam dimiserat, multo majora possidere videretur, eorum tamen solummodo distributor et œconomus erat. Quare cum aliquando in cupiditatis suspicionem falso venisset, Deum ipsum animi sui testem adhibuit : *Deus testis est*, inquit, *istam omnem rerum ecclesiasticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter servitutem quam debeo charitati fratrum et timori Dei, tolerare me, non amare ; ita ut ea, si salvo officio possim, carere desiderem* (*Ibid.*, *n.* 9). Videri adhuc possunt, quæ, ad refellendas Donatistarum calumnias, super hac re scribit, occasione legum, quæ ecclesiasticas illorum possessiones episcopis Ecclesiæ catholicæ addicebant.

2. Verum ex ejus gestis clarius, quam ex verbis elucebat, quantum a pecuniæ cupiditate vacuus existeret. Cum enim aliquis Ecclesiæ quidpiam testamento legasset, malebat illud sibi offerri, quam per se exigi. *Nam et aliquas eum hæreditates recusasse novimus*, ait Possidius, *non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam justum et æquum esse videbat, ut a mortuorum vel filiis, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus eas deficientes dimittere noluerunt* (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 24). Et ad id narrabat Aurelii Carthaginensis factum, quod omnibus virtutis specimen præbuerat. *Quam laudabile*, aiebat, *factum sancti et venerandi episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit omnibus qui sciunt, os laudibus Dei ? Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes retento sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, et reddidit Episcopus nec opinanti quæ ille donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere ; sed jure fori, non jure poli* (*Serm.* 355, *n.* 5). Hæc quoque regula retinenda ipsi videbatur, ut patris, qui filium suum iratus exhæredasset, non susciperet hæreditatem, sed filio redderet. Unde consilii sui rationem plebi suæ redditurus, sic eam compellat : *Pater si viveret, non eum placarem ? non ei filium suum reconciliare deberem ? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem ? Plane quando donavi filio, quod iratus pater moriens abstulit, bene feci : laudent, qui volunt ; parcant, qui laudare nolunt.* Quandoque etiam verebatur hæreditates suscipere, ne forte sollicitudinibus et damnis Ecclesiam implicarent. Quapropter hac in re neque laudari, neque vituperari volebat. *Bonifacii hæreditatem*, inquit, *suscipere nolui ; non misericordia, sed timore. Navicularian, nolui esse Ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de navibus acquirunt. Tamen una tentatio esset, iret navis, et naufragaret : homines ad tormenta daturi eramus, ut de submersione navis secundum consuetudinem quæreretur, et torquerentur a judice qui essent de fluctibus liberati ? Sed non eos daremus : nullo pacto enim hoc facere deceret Ecclesiam. Onus ergo fiscale persolveret ? Sed unde persolveret ? Enthecam nobis habere non licet.* Locus hic ex iis intelligitur, quæ habentur in jure Romano ; nimirum eos qui frumentum publicum Romam aut Constantinopolim transvehere tenerentur, navicularios fuisse appellatos, illorumque hæredes eidem oneri successisse. Quod si naufragium accidisset, fisco damnum præstare cogebantur, nisi jacturam sola vi tempestatis, non culpa sua, contigisse approbarent. Ut autem hujus rei fidem facerent, saltem duo vel tres nautæ dandi erant in quæstionem, et in primis navarchus, qui naufragium fecerat. Vocabulum autem entheca nihil aliud eo loci sonat, quam gazæ repositorium, cum statim subdat Augustinus : *Non est enim episcopi servare aurum, et revocare a se mendicantis manum*

(*Ibid.*, *nn.* 4, 5). Erat tamen Augustino quoddam gazophylacium excipiendis fidelium oblationibus; sed illud in pauperum usus brevi exhauriebatur (*Ibid.*, *n.* 13).

3. Improbabant nonnulli, quod hæreditates ægre susciperet. Erant qui obmurmurarent, et nihil Hipponensi Ecclesiæ hanc ob causam donari quererentur. Hoc murmure adeo a ratione alieno non movebatur Augustinus, sed sua eum sapientia quibusdam in rebus facere compellebat, quod in aliis minime faceret. Etsi enim oblationes vel probrosas, vel Ecclesiæ graves molestasque respuebat: profitebatur tamen se oblationes sanctas suscipere; et reipsa plures id generis suscepit (*Ibid.*, *n.* 4). Si quis igitur Ecclesiæ vel donaret, vel testamento legaret domum, aut agrum, aut villam, non respuebat, sed suscipi jubebat (*Possid.*, *in Vita Augst.*, *c.* 29). Frequenter etiam fideles commonebat, ut Christum in numero filiorum haberent, et in partem hæreditatis vocarent; quod ubi fecissent, hanc libenter portionem suscipiebat (*Serm.* 355, *n.* 4). Eos pariter hortabatur, ut curiose perquirerent, an servi Dei et Ecclesiæ ministri aliqua re indigerent, et eorum preces liberalitate sua quamprimum prævenirent (*Enarr. in Psal.* CIII, *serm.* 3, *nn.* 10, 12). Illud autem eo libentius dicebat, quod omnibus exploratum esset, eum hac in re minime curare, ut hanc in ipsum beneficentiam et curam adhiberent (*Enarr. in Psal.* CXLVII, *n.* 17, *et Enarr. in Psal.* CIII, *serm.* 3, *n.* 12). *Sed et de neglecto a fidelibus gazophylacio et secretario, unde altari necessaria inferuntur*, Possidii verba sunt, *aliquando in ecclesia loquens admonebat; quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in ecclesia tractavisse nobis aliquando retulerat* (*Possid. in Vita Augst.*, *c.* 24). Securius ac tutius censebat, sola testamento legata, quam hæreditates integras ab Ecclesia suscipi: hæreditates tamen interdum suscipiebat, ut Juliani hæreditatem, quod nulla prole relicta obiisset (*Serm.* 355, *n.* 4). *Quidam etiam ex honoratis Hipponensium*, ait Possidius, *apud Carthaginem vivens, Ecclesiæ Hipponensi possessionem donare voluit, et confectas tabulas, sibi usufructu retento, ultro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit: cujus ille oblationem libenter accepit, congratulans ei quod æternæ suæ memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus constitutis, ecce ille donator litteras per suum filium mittens, rogavit ut illæ donationum tabulæ suo redderentur filio; pauperibus vero erogandos direxit solidos centum. Quo ille sanctus cognito, ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere pœnituisse, et quanta potuit, Deo suggerente cordi ejus, cum dolore animi ex eadem refragatione dixit, in illius scilicet increpationem et correctionem: et tabulas, quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit; pecuniamque illam respuit, atque rescriptis eumdem, sicut oportuit, et arguit et corripuit; admonens ut de sua simulatione vel iniquitate cum pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam gravi delicto de sæculo exiret* (*Possid., in Vita Augst.*, *c.* 24).

4. Quidam Honoratus, facultatibus suis non dimissis, in Tagastensi cœnobio monasticam vitam amplexus, postmodum in Thiavensi Ecclesia presbyter ordinatus est. Post ejus obitum Thiavenses illius bona, sive hoc uno nomine, quod apud ipsos presbyter fuisset ordinatus, sive aliquo donationis titulo sibi vindicarunt. Contra vero Alypius hæc bona monasterio suo, quod Honoratus in eo monasticum fuisset institutum sectatus, asserere nitebatur; et cum monachus nihil proprium possidere debeat, quidquid ille habuisset, ad monasterium suum pertinere contendebat. Sin decerneretur monachos posse quidpiam possidere, locum iis dari ad procrastinandam, quantum possent, rerum suarum venditionem. Hac de causa Thiavam se cum Alypio contulit Augustinus: sed cum temporis angustiæ utrumque diu hac de re deliberare non sivissent, juri, quod Thiavenses sibi vindicabant, intercessit; visusque est probasse sententiam Alypii, qui dimidiam bonorum Honorati partem Thiavensibus, alteram vero pauperibus, hoc est monachis cœnobii sui Tagastensis, addici volebat; sic tamen ut illis dimidia pars quam ista divisione amitterent, ab Augustino aliunde provideretur. Non placuit Thiavensibus ista partitio. Quin etiam videntur insimulasse Alypium, quasi minus hac in re æquitatem, quam suas ipsius rationes commodaque attenderet. In eo tamen statu controversia tunc ista relicta est. Verum cum Augustinus post reditum causam istam momento suo diu ponderasset, vidit illam controversæ pecuniæ partitionem suspicione cupiditatis non carere, prorsusque redolere homines, qui de pecuniario commodo, non de justitia laborarent: sic incidere se in eam mali speciem, a qua nos Apostolus jubet abstinere (I *Thess.* v, 22); labem se præsulibus, qui magni apud populum erant nominis, aspergere; seque infirmorum animis mortem inferre, quorum ad salutem permagni interesset, persuasissimum habere, præsules in hujuscemodi rebus sordida pecuniæ cupiditate non duci. Quod quidem tunc temporis eo magis cavendum erat, quod nuper hi populi catholicæ paci accessissent, post multos labores ea de causa susceptos; quorum particeps in primis fuerat Augustinus, cum testetur se ab iis nullatenus posse desciscere. Possidius ipse binas notat Augustini litteras ad Thiavenses contra Donatistas (*In Indic.*, *cap.* 3). Quod attinet ad incommodum, quod Alypius in his bonis Ecclesiæ Thiavensi addicendis videbat, propter hanc scilicet causam, quod monachi nuntium bonis suis remittere tenerentur, satis animadvertebat Augustinus id incommodi in ista quoque divisione reperiri; ita ut minus periculi fore censeret, si nihil omnino Thiavensibus concederetur. Aliunde rationem Alypii non valere arbitrabatur, et in his civilibus bonis standum esse putabat imperio legum civilium; juxta quas monachi illis temporibus res suas obtinebant, donec eas vendidissent, aut earum donationem fecissent: adeo ut monachis ante constitutam donationem morientibus, non monasterium, sed privati earumdem ex legum præscripto hæredes succederent. Cujus rei aliquot exempla præces-

serant. Augustinus igitur monachos, prius quam reciperentur, ad rerum suarum venditionem aut donationem astringi, valde probabat : sin re sua non vendita nec per donationem in quempiam translata morerentur, eorum bona juris civilis sequi debere præscriptum; ut præsules ab ipsa etiam cupiditatis specie prorsus vacui et puri existerent, et hanc integritatis famam dispensationi suæ tantopere necessariam sibi servarent incolumem. Ex hac regula, bona Honorati ad Thiavenses pertinebant. Sed ut ea falsa fuisset; quoniam illius falsitas Thiavensibus demonstrari non poterat, satius esse censebat Augustinus, et eorum infirmitati obsequi, et offensionis vitandæ gratia horum bonorum possessionem illis cedere. Movebatur exemplo Christi Domini, qui tributum, a quo ipse liberum se professus est, eam ob causam persolvit; sicut et gestis Apostoli, qui ut famæ suæ consuleret, in ipso Ecclesiæ jure pepercit infirmis, et debitum stipendium aliquando non exegit. Quamvis Augustinus his rationibus adductus id persuasum haberet; tamen ne in sententiam suam proclivior erraret, rem Samsucio episcopo Turrensi exposuit, eique id unum retulit, quod ipse cum Alypio primum statuisset. Samsucius in liberalibus quidem litteris non admodum exercitatus, sed vera fide eruditus, ad hæc exhorruit, et tam fœdam rem cujuslibet vita et moribus indignissimam, in Augustini et Alypii mentem venisse miratus est. Quapropter Augustinus, ut hæreditatem Honorati Thiavensibus omnino cederet, scripsit ad eos epistolam, quam ad Alypium direxit, rogans ut subscriptam ad eos quamprimum transmitteret. Simul illi rationes, quibus ad sententiam mutandam inductus est, graviter exponit. Hanc quoque regulam retineri vult, ut quidquid jure civili clerici fuerit, ad ipsius Ecclesiam pertineat. Neque vero ponit, vel id vi donationis antea constitutæ fieri, vel Honoratum quidquam de rebus suis statuisse. Canones tamen Antiocheni (*Conc. Antioch. canone* 24; *Labbe, tom.* 2, *pp.* 571, 580, *etc.*) et Hipponenses (*Codice Canon Afric. can.* 32) permittunt clericis sua, quibus velint, relinquere; nec eorum Ecclesiis addicunt, nisi quæ clericatus sui tempore nomine suo comparaverint. Videtur porro hæc facultas quibusdam veluti cancellis postmodum fuisse restricta; legimusque concilium Carthaginense tertium idibus septembris celebratum, anno quadringentesimo primo, ipsos etiam episcopos anathemate percutere, qui alienos, vel etiam consanguineos suos gentiles aut hæreticos, Ecclesiæ prætulissent (*Ibid., can.* 81). Forsan quoque decretum istud in posterioribus conciliis amplificatum est, et alicujus imperatorii edicti auctoritate roboratum. Quod vero speraret Alypius, Augustinum dimidiam partem, quam Thiavensibus concedi volebat, monasterio Tagastensi persoluturum, testatur Augustinus, modo id Alypius justum esse liquido perspiciat, non abnuere se; sed cum habuerit redditurum, id est, cum tanta sibi eleemosyna obvenerit, ut hinc ea summa detracta, non minor quam æqualis pars pro numero fratrum ad Hipponense monasterium perveniat. Quandonam porro contigerit tota hæc controversia (*Epist.* 83), ignoramus. Id unum liquet, Samsucium episcopalem sedem tenuisse initio episcopatus Augustini, neque de eo quidquam comperiri post annum quadringentesimum septimum.

5. Quamvis ipse, cum animum ab omni cupiditate, et ab importuno negotiorum tumultu maxime alienum gereret, nunquam domum, agrum, aut villam emere voluerit (*Possid., in Vita August., c.* 24); cuidam tamen e clericis suis auctorem se fuisse testatur ad possessionem aliquam in Ecclesiæ commodum comparandam : sed eo tamen consilio, ut si forsan in gradu non persisteret, sua ei possessio redderetur, ut ipsi ejusque consanguineis omnis expostulandi tolleretur occasio (*Serm.* 356, *n.* 7). *Fabricarum*, ait Possidius, *novarum nunquam studium habuit, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali : non tamen illa volentes, et ædificantes prohibebat, nisi tantum immoderatos* (*Possid., in Vita August., c.* 34). Leporium presbyterum construere jussit xenodochium pecunia Ecclesiæ in hunc finem collata. Ejusdem sancti Præsulis jussu Leporius adhuc basilicam ad Octo Martyres residua pecunia ædificavit (*Serm.* 356, *n.* 10). Heraclius, qui ad summum diaconus erat, memoriam sancti martyris Stephani, ut videtur, suis sumptibus erexit (*Ibid., n.* 7). Verisimile est Augustini temporibus conditam fuisse memoriam Protasii et Gervasii martyrum, in qua sermonem die anniversario eorum apud Mediolanum inventionis habuit (*Serm.* 286, *n.* 4), non ipso natali, ut in veteribus libris prænotabatur. Erat et alia memoria eorumdem martyrum in villa Victoriana diœcesis Hipponensis : sed illa decem aut duodecim leucis ab urbe aberat (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 7).

## CAPUT IV.

*1 Sublevandis pauperibus intendit. 2 In gratiam Fascii ære alieno pressi scribit ad plebem Hipponensem. 3 In commendatione sua et intercessione apud Potestates aliis præstanda modeste se gerit. 4 In rusticanorum gratiam scribit ad Romulum.*

1. Nil opus est testimoniis, ut ostendamus in quos usus Augustinus Ecclesiæ suæ reditus impenderet. Observabimus tamen, eum scribere, quod e Piniani eleemosynis accepisset, erogasse se, ut placuerat; partem quidem clericis monachis, et paucissimis indigentibus extra monasterium contulisse : penes se residuum esse, quod pari modo sit erogaturus (*Epist.* 126, n. 8). Hos unos oblationum Ecclesiæ participes faciebat. Diximus superius, nullam eum apud se pecuniam habuisse sepositam. *Non est enim episcopi*, ait, *servare aurum, et revocare a se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant; ut plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare omnibus, non habemus* (*Serm.* 355, *n.* 5). Pauperum semper memor erat, eisque inde erogabat, unde et sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur; hoc est, vel ex reditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fide-

lium. *Dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denuntiabat, non se habere quod indigentibus erogaret* (*Possid., in Vita August., c.* 24). Illud ipsum facere videtur in sermone quem habuit in anniversario episcopalis ordinationis suæ (*Serm.* 339, *n.* 3). Gratulatur alibi plebi suæ, quæ curabat ut ne ipse alicujus rei indigeret; et fraternam fratribus misericordiam exhibebat (*Epist.* 268, *n.* 1). Qui tamen Ecclesiæ reditus administrabant, mutuam quandoque pecuniam sumere, et æs alienum contrahere cogebantur (*Serm.* 356, *n.* 15). Supervacaneum esset seriem locorum attexere, in quibus populum ad stipem pauperibus erogandam cohortatur. Annuam vestiendorum indigentium consuetudinem in populo suo constituit (*Epist.* 122, *n.* 2): de quo more loquitur quodam sermone, et ejus exhortationem publica lætitiæ significatione populus excepit (*Serm.* 2, *n.* 8). Eo tamen absente consuetudo ista semel intermissa est. Verum subinde per litteras, quas clero suo et Hipponensi populo scripsit, hanc oblivionem reprehendit. Et quoniam calamitosa tunc erant tempora, quibus, ut videtur, Alarici in Africam irruptio metuebatur, monet eo magis fideles ad inopiam pauperum sublevandam obstringi (*Epist.* 122).

2. Christianus quidam catholicus (Fascio nomen fuit) cum a creditoribus suis ob debitum decem et septem solidorum urgeretur, nec solvendo esset, ad ecclesiæ auxilium, ne in vincula raperetur, convolavit. Theodosius Augustus anno trecentesimo nonagesimo septimo edixerat, fisci debitores, qui ad ecclesiam confugissent, inde extrahendos, aut episcopos, a quibus occultarentur, æs alienum, quo illi essent obstricti, dissoluturos. Quam legem ad privata debita extenderat Arcadius anno trecentesimo nonagesimo octavo. Igitur sive illarum legum auctoritate, sive ipsius causæ æquitate freti creditores Fascii, cum proficisci cogerentur, et hac de causa dilationem ei dare non possent, cum ipso Augustino ea de re conquesti vehementer instituerunt, ut aut Fascium sibi traderet, aut ipse provideret unde Fascii debitum solveretur. Obtulit Fascio Augustinus, ut de ipsius negotio ad populum diceret: sed ille pudore deterritus sanctum præsulem, ne faceret, deprecatus est. Itaque cum alia ejus adjuvandi ratio non suppeteret, mutuos à Macedonio decem et septem solidos accepit, quos Fascii creditoribus dedit. Hic vicissim hanc ei summam ad certum diem redditurum se pollicitus est; quod nisi præstaret, verba hac de re ad populum haberi consensit. Ad constitutam tamen diem non venit Fascius; qua de re quia commonitus non fuit Augustinus, ut ipso die Pentecostes, quo aderat major populi frequentia, sermonem inde faceret, atque mox itineri se commisit; ideo e loco, in quo tunc versabatur, plebem Hipponensem per litteras rogavit, ut hanc summam, non tam Fascium, quam fidem qua ipse se obstrinxerat Macedonio, liberatura eleemosynæ nomine conferret. Scripsit simul ad clerum suum, ut si collata a populo pecunia non sufficeret, ex ecclesiæ bonis residuum compleretur. Malebat tamen hanc summam ex populi sui pia liberalitate depromere, ut esset veluti fructus ortus e cœlestibus pluviis, quibus eam Deus per ipsius ministerium jugiter irrigabat (*Epist.* 268). Notat Possidius, illius erga miseros pietatem eo fuisse progressam, ut ad complures captivos et pauperes sublevandos vasa ecclesiæ initiata frangi conflarique jusserit. In quo si carnalem nonnullorum sensum offenderet, certe Ambrosii doctrinam et exemplum alacri animo sectabatur (*Possidius, in Vita August., c.* 24).

3. Quos Deus curæ et dilectioni suæ commiserat, etiam commendatione sua, et datis epistolis, apud sæculi potestates adjuvabat. Sed hanc suam a melioribus rebus occupationem tanquam angariam deputabat, suavem semper habens de iis quæ Dei sunt, vel allocutionem, vel collocutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis (*Ibid., c.* 19). Sacerdotii sui esse censebat, pro reis apud judices intercedere. Cum enim alicujus vita periclitaretur in judicio, concurrebatur in ecclesiam; rogabatur episcopus, ut intermissis occupationibus vel gravissimis, pro reo deprecaretur. Quod tamen Augustinus verecunde et moderate agebat. *Novimus eum*, ait Possidius, *a suis charissimis litterarum intercessum apud sæculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cujusdam sapientis servandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quod multa suæ famæ contemplatione amicis non præstitisset. Et illud nihilominus suum addens, quoniam plerumque potestas quæ præstat, premit. Cum vero intercedendum esse rogatus videbat, tam id honeste ac temperate agebat, ut non solum onerosus aut molestus non videretur, verum etiam mirabilis existeret* (*Ibid., c.* 20). Refert deinde Possidius testimonium, quod Macedonius Africæ vicarius illi hac de re tribuebat: attamen ejus modesta demissio et innata illi lenitas non obstabant, quominus graviori quandoque et velut minaci modo intercederet: siquidem veritas et dulcis est, et amara: quando dulcis est, parcit; quando amara, curat (*Epist.* 247, *n.* 1).

4. Quidam Romulus, quem Augustinus per Evangelium in Christo genuerat, Ponticanum actorem suum in possessione sua collocatum, colonis eidem villæ subjectis præfecerat. Is cum tributa Romulo debita ab illis exegisset, quod ipse inficiari non poterat, ea ad se intervertit. Romulus, cui aliunde nonnullus Dei timor inerat, hos rusticanos, qui vix semel solvendo fuerant, ad pendenda denuo tributa teneri contendebat. Iniqua hæc agendi ratio Augustinum vehementius perculit, minus tamen egentium colonorum, qui opprimebantur, quam ipsius Romuli causa, qui hac tyrannide divinam in se vindictam provocabat. *Neque enim tam miser sum*, inquit, *et alienus a visceribus Christi, ut non gravissimo vulnere feriatur cor meum, quando sic agunt quos in ejus Evangelio genui.* Romulum igitur compellavit, contendentem hos colonos Ponticano solvere non debuisse; quibus tamen ipse contrarium per litteras non præscripserat; citra quas fieri non poterat, ut rusticani, qui Ponticanum videbant ab eo sibi præpositum, pecuniam domino debitam pendere detrectarent. Cum Augustinus nihil apud Romulum hac vice

profecisset, misit die sabbati ad eum adhuc prandentem, ut Hippone-Regio non proficisceretur, nisi se adiisset. Renuntiavit ita se esse facturum. Postridie tamen in ecclesiam venit, oravit, et sancto præsule insalutato profectus est. Erat hoc Augustinum summo despicatui ducere. Piissimus tamen præsul, ut se sancte ulcisceretur, veniam illi suis a Deo precibus deposcit. Sed quoniam reus hanc obtinere non poterat, nisi se ipse corrigeret, sanctus Præsul acerrimam ad eum epistolam scribere coactus est, in qua illum obtestatur atque obsecrat, ut injuriam attendat, qua se ipsum magis, quam villicos suos læderet, erga quos, ut inficiari non poterat, iniquissime se gereret. *Et modo quidem*, inquit, *non rogandus, sed objurgandus es : nam et hoc scriptum est*, « *Ego quem amo, redarguo et castigo* » (*Apoc.* III, 19). *Ego tamen, si pro me rogandus esses, forte non te rogarem : quia vero pro te rogandus es, rogo te iratum, ut parcas tibi, ut placeris tibi ; ut tibi placetur ille quem rogas. Aperiat tibi sensum, ut videas quæ facis, et exhorreas et emendes. Parva enim et quasi nulla tibi videntur, quæ tam magna mala sunt, ut quando te domita cupiditas ea considerare permiserit, riges lacrymis terram, ut Deus misereatur tui.* Verebatur Augustinus, ne ille his litteris magis exasperatus in colonos suos acrius desæviret ; sed addit, si hoc accidat, illis imputatum iri ad meritum bonum, quod pro ejus salute, propter quam scribebat, eum paterentur iratum. Unum Dei judicium illi minitatur ; quoniam apud homines, qui formulas a legibus constitutas ad alios iniquos actus prohibendos sequi tenentur, causam obtinere Romulus poterat. Unde consectarium est, quamvis aliis minime denegare debeamus, quod iis reddere ex humanarum legum præscripto teneamur ; nobis tamen non semper licere, quod ex iisdem legibus nobis alii debent, exigere (*Epist.* 247, *n.* 1).

## CAPUT V.

1 *Augustini regula et prudentia in visitationibus vel in aliis præstandis officiis.* 2 *In Germanicianensis paræciæ gratiam scribit ad Pancarium.* 3 *Universæ Ecclesiæ pro sua parte ac facultate dat operam.* 4 *Causis dirimendis se occupari conqueritur.*

1. Ut sancti Præsulis in administranda Ecclesia curam ductumque pergamus exponere : *In visitationibus*, inquit Possidius, *modum tenebat ab Apostolo definitum, ut nonnisi pupillos et viduas in tribulationibus constitutas visitaret. Et si forte ab ægrotantibus ob hoc peteretur, ut pro eis in præsenti Dominum rogaret, eisque manus imponeret, sine mora pergebat. Feminarum autem monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat. Servandum quoque in vita et moribus hominis Dei referebat, quod in instituto sanctæ memoriæ Ambrosii compererat, ut uxorem cuiquam nunquam poscerel, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in sua patria petitus iret ad convivium. De singulis rebus reddens causas, scilicet ne dum inter se conjugati casu jurgarent, ei maledicerent per quem conjuncti essent ; sed plane ad hoc sibi jam illis consentientibus petitum interesse debere sacerdotem, ut vel eorum jam pacta et placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus ac male agens, ejus culpa suffragatori tribueretur. Et ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus* (*Possidius, in Vita August., c.* 27). Videbimus inferius vigilantissimum Præsulem officia toti suæ diœcesi exhibentem, quæ Hipponi-Regio præstabat.

2. Erat in ejus diœcesi Germanicianensis parœcia, cujus presbyter Secundinus semper populo placuerat. Ubi tamen Pancarius quidam illuc advenit, scripsit ad Augustinum (*Epist.* 251), paratos esse incolas eum criminibus accersere. Pancarius iste, ut videtur, cum alio de hujus pagi possessione contendebat, qua de causa multa patiebantur incolæ. Cum autem Secundinum in hoc negotio suæ voluntati faventem non reperisset, Donatistas in eum pagum, in quo antea non fuerant, ad ejus nomen deferendum advocarat. Rescribit ad Pancarium Augustinus, mirari se quod Germanicianenses de Secundino conquerantur ; se tamen quæ illi objiciuntur, si modo catholici sint qui objiciunt, non posse contemnere : hæreticorum autem accusationes admittere nec posse nec debere : quocirca primo agat Pancarius, ut hæretici non sint ubi ante adventum ipsius non fuerant, tum se causam presbyteri, sicut eam audiri oportet, auditurum. Simul commendat ne Secundini domum diripi vastarique aut eum de ecclesia sua deponi patiatur. Monet etiam ut causam quantocius curet componendam, ne indigenæ ea occasione diutius affligantur.

3. Unius Hipponensis Ecclesiæ, cui se servum divinitus datum esse dicebat (*Epist.* 124, *n.* 2) curam propriam ad se pertinere arbitrabatur. Quapropter ab ea nunquam nisi invitus aberat (*Epist.* 34, *n.* 5). Populus vicissim semper illius absentiam moleste ferebat (*Epist.* 122, *n.* 1), et ut erat ex omni pene parte infirmus, inde ad periculosissimam usque offensionem et scandalum interdum laborabat. Eam ob rem erat in urbe magis assiduus (*Epist.* 124, *n.* 2). Quin etiam corpore absens, semper spiritu cordisque affectu præsens illis aderat. Ab urbe, ut ait, nunquam discedebat licentiosa libertate, sed necessaria servitute, ut aliis Ecclesiæ membris debita præstaret officia (*Epist.* 122, *n.* 1). Hac enim de causa singulis ferme annis Carthaginem, frequenter ad alia loca, et aliquando in Mauritaniam usque se conferebat (*Epist.* 193, *n.* 1). Ipsis etiam navigationis laboribus ac periculis sese lubenter objecisset, transmarinas regiones pro Ecclesia petiturus, ipsamque aulam imperatoriam, ut ejus collegæ factitabant, nisi ejus infirma valetudo obstitisset (*Epist.* 122, *n.* 1). Apud alias ecclesias tantum agebat, quantum episcopi diœcesani vel permitterent, vel imponerent (*Epist.* 34, *n.* 5). Conciliis per diversas provincias celebratis adesse, cum posset, non omittebat, studio succensus inserviendi non suis commodis, sed honori Christi, faciendique pro virili sua parte, ut sanctæ Ecclesiæ catholicæ et inviolata fides maneret, et illibata disciplina (*Possid., in Vita August., c.* 21). Cum ab episcopis deputatis haberentur synodi, aut ecclesiastici judices ad quasdam controversias dirimendas deligerentur, ipse episcoporum Numidiæ nomine ferme

semper cooptari solebat. Episcoporum pariter ordinationibus, interdum etiam basilicarum dedicationibus intererat, ut videre licet in epistola ad Nobilium episcopum (*Epist.* 269), qui eum ad fabricæ suæ dedicationem invitarat. Iter tam prolixum deprecatur, utens hiberni temporis suæque senectutis excusatione; se tamen illud lubenter susceperum scribit, nisi corporis infirmitate præpediretur.

4. Apostolus decernens fideles non apud sæcularium magistratuum tribunalia, sed a sapientibus et sanctis ipsius Ecclesiæ viris, qui in locis consisterent, judicari debere, episcopis alienas causas audiendi necessitatem imposuit (*De Opere monach.*, *n.* 37). Christiani quoque imperatores hanc episcopis judicandi potestatem non una tantum lege firmaverant. Augustinus igitur sive a Christianis, sive a cujusvis sectæ hominibus ad causas audiendas interpellatus, illis sedulo vacabat; et hoc munere, quod pietatis suæ esse ducebat, religiose fungebatur. Simul tamen præ oculis habebat illud cujusdam effatum : Malle se inter ignotos, quam inter amicos causas audire : quoniam de incognitis eum, secundum quem ex juris norma sententia diceretur, posset amicum acquirere; de amicis vero eum, contra quem sententia proferretur, esset fortasse perditurus (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 19; *August. Epist.* 33, *n.* 5). Huic obeundo muneri interdum ad usque horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans vacabat. Admodum laboriosa erat, et molesta hæc occupatio ei viro, qui unius veritatis contemplandæ studio afficiebatur (*Enarr. in Psal.* CXVIII, *serm.* 24, *n.* 3). Hinc ea de re passim conqueritur, maluissetque certas singulis diebus horas in opere manuum consumere, quam his negotiorum anfractibus et molestiis implicari (*De Opere monach.*, *n.* 37) : sed hanc operam fratribus suis, præsertim infirmioribus, denegare non poterat. Quapropter id laboris non sine ulla consolatione perferebat, sperans se ex patientia sua fructum vitæ æternæ aliquando percepturum. *Nostras orationes*, inquit, *sæpe sauciat et debilitat caligo et tumultus sæcularium actionum; quas etsi nostras non habemus, eorum tamen qui nos angariant mille passus, et jubemur ire cum eis alia duo, tantæ nobis ingeruntur, ut vix respirare possimus : credentes tamen quod ille, in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum, perseverantes nos in eo ministerio, in quo dignatus est collocare, cum promissa mercede, adjuvantibus orationibus vestris, ab omni angustia liberabit* (*Epist.* 48, *n.* 1). Cum ad populum verba faceret, hortabatur eos, quibus injustæ lites inferrentur, ut se pecunia redimere et expedire conarentur; quod ipse in causis ad se delatis, cum posset, factitabat. *Vult aliquis*, ait quodam sermone, *avocare te litibus a Deo tuo : non habebis quietum cor, non habebis tranquillum animum; everteris cogitationibus tuis, irritaris adversus ipsum adversarium tuum. Ecce tempus perdidisti. Quanto ergo melius est ut nummum amittas, et tempus redimas? Fratres mei, in causis vestris et in negotiis vestris, quando ad nos judicanda veniunt, si homini christiano dico, ut pro tempore redimendo, perdat aliquid suum; quanto majore cura et fiducia debeo dicere, ut reddat alienum? Ambos enim christianos audio. Jam ille calumniosus, qui vult alteri facere causam, et tollere ab illo vel pro compositione, gaudet ad ista verba. Apostolus dixit : « Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt »* (*Ephes.* v, 15). *Facio ergo calumniam christiano illi; velit nolit, dat mihi aliquid, ut tempus redimat, quia episcopum audivit. Dic mihi, si illi dicturus sum, Perde aliquid ut sis otiosus; tibi non sum dicturus, Calumniose, perdite, fili diaboli, quare res alienas auferre moliris? Causam non habes, et calumnia plenus es.* Addit deinde : *Sed hoc forte rides, quia pecuniam rapis. Ride, ride, et contemne : ego erogem, veniet qui exigat* (*Serm.* 167, *c.* 3, *n.* 4). Litigatores, haud dubie vitandæ provocationis causa, sic ad amice transigendum hortabatur, etiam cum de unius injusta causa, et de alterius jure non ambigeret. De his probabiliter negotiis a populo suo tandem obtinuit, ut per quinque cujuslibet hebdomadæ dies a nemine interpellaretur. Sed hoc ubi ad breve tempus servatum est, irruptum est violenter in eum, et ante ac post meridiem occupationibus hominum occupari coactus fuit (*Ep.* 213, *n.* 5). Tandem anno quadringentesimo vigesimo sexto in Heraclium presbyterum, quem sibi successorem designavit, id oneris refudit. Harum occupationum molestiam singulari patientia, qua illam tolerabat, non modo ad suam ipsius, verum etiam ad eorum, qui apud ipsum causam dicerent, salutem convertere nitebatur. Cum enim litigantes audiret, simul interiorem animarum statum et diversos cordium affectus expendebat; et ex modo quo sua negotia procurarent, suumque jus persequerentur, observabat quantum quisque vel in fide bonisque operibus proficeret, vel ab iis deficeret. Et ubi se commoda offerebat occasio, divinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis toto animo et omni studio inculcans, ad vitam æternam adipiscendam suis eos sermonibus hortabatur : id unum videlicet in controversiis aliorum dirimendis lucrum quærebat, ut ea, quæ Deo et hominibus ex christianæ pietatis præscripto debemus, implerent. *Et faciebat hoc tanquam speculator a Domino constitutus domui Israel, prædicans verbum atque instans opportune, importune arguens, hortans, increpans, in omni longanimitate et doctrina; præcipueque operam dans instruere eos, qui essent idonei et alios docere* (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 19). Sic quacumque oblata occasione utens, nunquam non operam dabat aliis sive privatim sive palam instituendis.

## CAPUT VI.

1 *In divini verbi prædicationem sedulo incumbit sanctus Episcopus.* 2 *Audito eo concionante, Firmus Manichæus ad Christi fidem convertitur.* 3 *Quædam in ejus Sermonibus observatu digna.* 4 *Latine concionabatur apud Hipponem.* 5 *Consuetudo audiendi verbum Dei sedendo, quam quæ Africanarum Ecclesiarum erat, audiendi scilicet stando, magis illi probatur.*

1. Maximum emolumentum Africanis Ecclesiis attulit Augustini episcopatus, eo potissimum nomine, ipsius Paulini judicio, quod verba cœlestia ejus ore percipere meruerunt (*Epist.* 32, *n.* 2). Ut enim Evan-

gelium adhuc presbyter pro virili sua parte annuntiaret; *factum est, ut episcopus multo instantius ac ferventius, majore auctoritate, non adhuc in una tantum regione, sed ubicumque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac gnaviter pullulante atque crescente Domini Ecclesia prædicaret* (*Possidius, in Vita August., c.* 19). Possidii verba illa sunt; qui rursum de ejusdem in prædicatione labore assiduo tradit : *Verbum Dei usque ad ipsam suam extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter et fortiter, sana mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicavit* (*Ibid., c.* 31). Tantum ei vel juveni tributum est, ut ubicumque adesset, si dicendum erat ad populum, id muneris ei semper deferretur, et ipse raro tacere atque alios audire permitteretur (*Retract. prologo, n.* 2). Et vero ipse modeste se gerens, ac unius Hipponensis Ecclesiæ cura contentus, in aliis civitatibus ecclesiastica negotia tantum curabat, quantum earumdem civitatum præsules ei permitterent, vel potius imponerent (*Epist.* 34, *n.* 5). Jam vidimus eum, quidquid fere vacui temporis haberet, iis quæ ad populum dicturus erat, parandis insumere consuevisse (*Epist.* 73, *n.* 5). Sermo trecentesimus quinquagesimus primus videtur ad verbum fuisse præscriptus, et mandatus memoriæ. Extemporalem aliquando concionem habebat. Ubi de illius in Joannem Tractatibus agemus, videbimus illum diebus quinque continuis fuisse concionatum. Geminos in Psalmum octogesimum octavum sermones eodem die habuit; alterum matutinis horis, pomeridianis alterum. Nec a verbi ministerio abstinebat, etiam cum languor ei propemodum verba præcluderet : et vires loquendo recuperabat (*Serm.* 42, *cc.* 1, 3). Tanto nimirum profectus populi sui studio flagrabat, ut laboris ac doloris sensu carere videretur.

2. Ex fortuitis aliquando casibus judicabat, quid sibi Deus ad populum dicere præciperet. Exempli causa, si lector, qui sæpius puer erat, psalmum ipse delegisset, aut errasset (*Serm.* 352, *c.* 1, *n.* 1); vix in animum inducere poterat, ut certis de quæstionibus ad populum verba faceret; quod tamen agere non omittebat, cum ex interiori cordis motu Deum id velle sentiret (*Serm.* 52, *c.* 8, *n.* 20). Aliquando Deus aliud ei, quam quod fuerat præmeditatus, suggerebat (*Serm.* 71, *c.* 5, *n.* 8). Cujus rei Possidius insigne refert exemplum in hæc verba : *Scio item non solus ipse, verum etiam alii fratres et conservi, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto viro vivebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse : Advertistis hodie in ecclesia meum sermonem, ejusque initium, et finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim, quam proposueram, sed pendentem reliquerim? Cui respondimus : Ita nos in tempore miratos fuisse scimus, et recognoscimus. At ille : Credo, ait, quod forte aliquem errantem in populo Dominus per nostram oblivionem et errorem doceri et curari voluerit; in cujus manu sunt et nos et sermones nostri. Nam cum propositæ quæstionis latebras pertractarem, in aliud sermonis excursu perrexi; atque ita non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminavi, magis adversum Manichæorum errorem, unde nihil dicere decreveram, disputans, quam de iis quæ asserere proposueram. Et post hæc, nisi fallor, ecce alia die, vel post biduum, venit quidam Firmus nomine, negotiator, et intra monasterium sedente sancto Augustino nobis coram, ad pedes ejus genibus provolutus sese jactavit, lacrymas fundens, et rogans ut pro suis delictis sacerdos cum sanctis Dominum precaretur, confitens quod Manichæorum sectam secutus fuisset, et in ea quam plurimis annis vixisset, et propterea pecuniam multam ipsis Manichæis vel eis quos dicunt Electos, incassum erogasset; ac se in Ecclesia, Dei misericordia fuisse ejus tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum. Quod et ipse venerabilis Augustinus, et nos qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum in illo tractatu sibi fuerit satisfactum, et referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus, profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes et stupentes, glorificavimus sanctum ejus nomen, et benediximus; qui cum voluerit, et unde voluerit, et quomodo voluerit, et per scientes, et per nescientes salutem operatur animarum. Et ex eo ille homo proposito servorum Dei adhærens, negotiatoris dimisit actionem, et proficiens in Ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterii quoque, Dei voluntate petitus et coactus, accessit officium, tenens atque custodiens propositi sanctitatem : et forte adhuc usque in rebus humanis vivit trans mare constitutus* (*Possidius, in Vita August., c.* 15).

3. In senectute cum gravitate majori, sed minori prolixitate concionabatur (*Serm.* 350, *n.* 3). Aliquando præ nimia fatigatione viribus fractis, cogebatur sermonem abrumpere, ut ipsa die Paschæ accidit, ob laborem, quem in pervigilio festi jejunus toleraverat (*Serm.* 320). Sermonibus finem frequentius imponebat, ne nimiis auditores suos documentis oneraret. A prædicatione interdum abstinebat, ut spatium populo daret ad ea, quæ ante dixisset, attenta mente recolenda (*Serm.* 352, *c.* 1, *n.* 1). Verum cum populus sermones ejus avide ac salubriter exciperet, iis proritabatur illius fames, nedum satiabatur. Itaque piis ejus et utilibus votis cedere cogebatur. Studium suum populus et attentionem animi ad eum audiendum significabat; indicans modo intelligere se res difficillimas, quas enodaret; modo ea, quæ dicturus erat, præoccupans, et sæpius cum maximo applausu interpellans : qui Augustinum quidem gaudio afficiebat, quod illorum erga veritatem studium et amorem ex eo cognosceret; sed qui ejus modestiæ ac demissioni terrorem incutiebat. In rebus gravioris momenti plausibus eorum non contentus, pergebat dicere, donec lacrymas ex eorum oculis fluentes cerneret (*De Doctr. christiana, lib.* 4, *n.* 53). *Mihi prope semper*, ait, *sermo meus displicet. Melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus cæpero : quod ubi minus, quam mihi notus est, evaluero, contristor linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat, et sentio me non ita loqui, ut hoc efficiam : maxime*

*quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum ; illa autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis ; et dum ista volvitur, jam se ille in secreta sua condidit : tamen quia vestigia quædam miro modo impressit memoriæ, perdurant illa cum syllabarum morulis ; atque ex eisdem vestigiis sonantia signa peragimus. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes, ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, cum per ipsam intentionem loqui non possumus. Et quia non succedit, angimur et velut frustra operam insumamus, tædio marcescimus ; atque ex ipso tædio languidior fit idem sermo et hebetior, quam erat unde perduxit ad tædium. Sed mihi sæpe indicat eorum studium, qui me audire cupiunt, non ita esse frigidum eloquium meum, ut videtur mihi ; et eos inde aliquid utile capere, ex eorum delectatione cognosco ; mecumque ago sedulo, ut huic exhibendo ministerio non desim, in quo illos video bene accipere quod exhibetur* (*De Catechizandis rudibus, nn.* 3, 4). In ejus ad populum sermonibus complures haud dubie sunt in eorum gratiam compositi, qui, cum muneris officiique sui ratio ab iis postulet ut in ecclesia concionentur, nequaquam habent facultatem excogitandi quæ dicant. Hujus generis sunt duo ad Carthaginensem diaconum missi in libro de Catechizandis rudibus, necnon ille forte qui in ipsius Sermonum collectione est ducentesimus decimus quartus. Nam utile esse affirmabat, ut vel sic multi prædicatores veritatis fierent (*De Doctrina christiana, lib.* 4, *c.* 29, *n.* 62). In elocutione sua grammaticæ leges violare non dubitabat, quo ab imperitis et rudibus facilius intelligeretur. Quamvis autem in suis ad plebem tractatibus stilo paulo submissiore uti consueverit, sermonis tamen curam non usque adeo abjecit, ut sordida sit ejus oratio. Verum hanc non minimam oratoriæ artis partem putabat, accommodare sese ad captum auditoris : et malebat redargui se a grammaticis, quam a populis non intelligi (*Enar. in Psal.* XXXVIII, *n.* 20). Probabat in primis dictum oratoris, quamdam in loquendo diligentem esse negligentiam docentis ; ubi tamen illa sic detrahat ornatum ut sordes non contrahat. *Bonorum ingeniorum*, ait, *insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est* (*De Doctrina christiana, lib.* 4, *c.*10, *n.* 26)? Tandem plerumque, ut ipse observat, dictio ipsa submissa dum solvit difficillimas quæstiones, maxime quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodam modo naturale, tantas acclamationes excitat, ut vix intelligatur esse submissa (*Ibid.*, *n.* 56). Hoc porro persæpe illo ad populum dicente contingebat.

4. Dubium non est, quin latine suos ad plebem, quales exstant, sermones haberet. Ac re quidem ipsa cum Hippo-Regius esset urbs celebris, Romana civitas, seu coloniæ jure gaudens, ac maritimus portus ad quem frequentissimi advenæ appellerent (*Epist.* 35, *n.* 3 ; *De Civit. Dei, lib.* 22, *cap.* 8 ; *Cont. Litt. Petiliani, lib.* 2, *c.* 83, *n.* 184), generatim populum latine scivisse credibile est. In quodam sermone proverbium punicum latine reddit : *Latine*, inquit, *vobis dicam ; quia punice non omnes nostis* (*Serm.* 167, *c.* 3, *n.* 4). Clericos conquirebat, qui latinam linguam callerent : et quod mirum videri possit, iis se destitutum esse, et ob id evangelicæ prædicationis progressum retardari conqueritur. Ea de causa Lucillum diaconum, quem educasse videtur, a se dimittere noluit. Lucillus iste germanus erat Novati, Sitifensis, ut videtur episcopi, qui eum ab Augustino repetiit, ut diœcesi suæ prodesset. Sed cum Sitifensis Ecclesia ministris, qui latine scirent, minime indigeret, Novatum rogavit Augustinus, ut Ecclesiæ suæ necessitatibus consulens, sibi Lucillum concederet non ultra repetendum. Annuit Novatus modo longe suavissimo, agnoscens quidem durum esse, germanum germano denegare ; suo se affectui vim maximam inferre ; ut tamen id concederet, se et ipsius episcopalis officii cura et fidelium salute adduci. Videtur Novatus, simul ac episcopus creatus est, fratrem suum repetiisse (*Epist.* 84, *nn.* 1, 2). Quapropter id contigerit ante annum quadringentesimum undecimum, quo Novatus Carthaginensi collationi interfuit.

5. Leges quidem in publicis institutionibus observandas præscripsit sanctus Doctor in libro quarto de Doctrina christiana : quas autem in privatis sequi oporteat, in primis erga initiandos adnotavit in libro, qui *De Catechizandis rudibus* inscribitur. In eo legimus concionatorem in Africana Ecclesia, stantibus auditoribus, solum sedisse : in quibusdam autem Ecclesiis transmarinis, populum ipsum sedentem audiisse. Quam consuetudinem magis probat Augustinus, quod standi labor et difficultas animum a verbo Dei attente audiendo avertat (*De Catechiz. rudibus, n.* 19). Exstat Cæsarii sermo, adscriptus olim Augustino, in quo significat concionator, se paucis ante diebus rogasse debiles et infirmos, ut dum Acta martyrum et prolixiores Scripturæ lectiones recitarentur, considerent : subinde vero omnes propemodum feminas, etiam citra incommodam valetudinem, morem non modeste sedendi ad ea, quæ legerentur, attentius audienda, sed recumbendi velut in lectis suis, et garriendi induxisse (*Apud Augustinum, Append. Serm.* 300, *n.* 1). Qua de re illas in hoc sermone reprehendit concionator, docetque qua religione et reverentia verbum Dei excipere debeant. Cum vero pauci privatim instituuntur, scribit Augustinus arrogantiam esse non ferendam, si erudiendis sessio non offeratur ; animadverso præsertim auditorum tædio, quod eos interdum aliud prætexentes ad excedendum potest impellere. Hoc ipse expertus, cum rusticanum hominem aliquando mysteriis imbueret, quam illud præcavendum esset, didicit (*De Catechiz. rudibus, n.* 19). Advertitur solitum fuisse sermones suos hac conclusione absolvere : *Conversi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque uberes gratias agamus ; precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur, in-*

*inicum a nostris actibus et cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, gubernet mentem, spirituales cogitationes concedat, et ad beatitudinem suam perducat, per Jesum Christum Filium ejus. Amen.* (*Serm.* 67, *n.* 10; *Serm.* 106, *n.* 4; *Serm.* 183, *n.* 15; *post Enarr. in Psal.* CL, *etc.*)

## CAPUT VII.

1 *Invehitur in vitia.* 2 *Ejus in corripiendis peccantibus prudentia et charitas.* 3 *A flagitiosorum Christianorum magis quam ab Ethnicorum convictu sese abstinet.* 4 *Ob alicujus peccatum totam ejus familiam excommunicari non probat.* 5 *Mathematicum quemdam in pœnitentium numerum recipit.* 6 *Lampadium in quæstione de astrorum fato hærentem erudit.*

1. Afros ad luxuriam, ebrietatem et juramentum proclives fuisse observant. Quapropter Augustinus, teste Possidio, laborabat in primis, ut inolitam jurandi consuetudinem e populo suo penitus tolleret (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 25). Exstant reipsa sermones aliquot ab ipso in hæc vitia habiti. Ea de re verba facere semper distulerat, veritus ne monendo auditores suos nocentiores faceret : sed tandem timuit, ne mandato ipse non pareret, quod sibi cum Jacobi Epistola legeretur, divino afflatu injunctum fuisse arbitrabatur (*Serm.* 180, *c.* 12, *n.* 14). In ebrietatem quoque passim invehitur. Ebriosos aliquando objurgaturus : *Si non me audieritis*, inquit, *et tamen ego non tacuero, animam meam liberabo. Sed nolo salvus esse sine vobis* (*Serm.* 17, *c.* 2, *n.* 2). Quod ad luxuriam spectat, conatur in primis ostendere, maritos eadem fide erga conjuges suas obstringi, quam ipsi ab iis exigant (*Serm.* 9, *c.* 9, *nn.* 11, 12; *Serm.* 392, *c.* 5, *n.* 5). In quo Romanæ leges ab evangelicis plurimum discrepabant. Unde contingebat omnes propemodum viros in hanc prolabi morum corruptelam, quæ tamen silentio tegebatur fovebaturque. At maluit Augustinus veritatem non tacendo, omnium, qui eam sectari nollent, odiis se objicere, quam in dissimulatæ veritatis, cujus imperio loqui jubebatur, crimen incurrere. Hoc ipsum est præcipuum argumentum sermonis, quem *De decem Chordis* inscripsit, propterea quod decem Dei mandata, quæ in hoc sermone exponit, cum decachordo psalterio, ut Scriptura loquitur, comparat.

2. Leges, quas Apostolus Timotheo ad verbum Dei prædicandum præscribit, accurate servabat; et ut cæteris metum injiceret, publice peccantes publice arguere non timebat (*Possidius, in Vita August.*, *c.* 19). Unde laudabatur ab omnibus; sed se ipse privatim ante arguebat. Erant tamen vitia sic usitata, ut quantumvis publica forent, ea vix lente et arridens insectari ac prohibere auderet, ne peccantes ad iram provocaret, et ipse novator haberetur (*Serm.* 17, *c.* 3, *n.* 3; *Epist. ad Galat. Expos.*, *n.* 35). Occulta vero peccata, maxime cum gravia secum importarent incommoda, ut sunt homicidia et adulteria, charitas eum publice carpere non sinebat. Neque tamen ea negligebat. Hujusmodi sceleribus obstrictos remotis arbitris admonens, eorum oculis divini judicii diem subjiciebat, et timore illis incusso pœnitentiam persuadebat. Eorum denique medelam, citra judiciorum forensium severitatem, pro virili parte procurabat. Quocirca contingebat aliquando, ut quibus nota erant illa crimina, conquererentur quod illa non argueret, cum scilicet eum aut prudentiæ lege cohiberi, aut non semper omnia scire minime attenderent (*Serm.* 82, *c.* 7 *et* 8, *nn.* 10, 11).

3. A Christianorum flagitiose viventium convictu quandoque abstinebat, ut eos et pudore suffunderet, et ad meliorem frugem hac ratione revocaret. Convivere solebat potius cum Ethnicis et impiis, quam cum Catholicis sceleratis ; in quo morem gerebat Apostolo (*Enarr. in Psal.* C, *n.* 8). Excommunicationem vero in criminibus eam exigentibus adhibebat, quantum id pax Ecclesiæ sineret, et ipse peccatoribus utile arbitraretur. Nam ebriosos, exempli causa, quo magis vitium illud commune et pervagatum erat, eo minus, meritos licet, anathemate ferire, et de Ecclesia projicere audebat. Nam cum illi criminis sui gravitatem non satis agnoscerent, timebat ne ipso fortassis flagello pejores fierent, qui cæderentur. Quapropter solis sæpius verbis eos corripiebat (*Serm.* 17, *c.* 3, *n.* 3). Maritos, qui suis uxoribus fidem non servabant, quodam sermone compellans, *A communione*, ait, *se cohibeant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur* (*Serm.* 392, *c.* 5, *n.* 5). Quanquam in hunc sermonem, quem inter dubios collocandum censuimus, illa sententia immissa videri potest, cum ad illud confertur quod Augustinus in sermone trecentesimo quinquagesimo primo pronuntiat : *Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus* (*quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis*), *nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum* (*Serm.* 351, *c.* 4, *n.* 10). Quamvis ob quorumdam facinora adversus Ecclesiam immaniter perpetrata gravissime aliquando commoveretur; nunquam tamen eos cum tota familia anathemate percutere ausus est : cum qua ratione posset id recte fieri non inveniret, licet hoc ab aliis forsitan usurparetur (*Epist.* 250, *n.* 2).

4. Cum nonnulli, qui per Evangelium pejeraverant, in ecclesiam confugissent, ut violatæ fidei perfugium in ipsa fidei domo requirerent; magistratus christianus fidelis (Classiciano nomen erat) pro dignitate sua comitatus in ecclesiam venit, acturus cum Auxilio diœcesano episcopo, ne contra jus suum hisce perjuris faveret. Æqua sane postulabat. Nihilominus Auxilius, qui cum adhuc esset catechumenus, Classiciano benevolentia conjunctus fuerat, usque adeo indulsit iracundiæ, ut post exscripta rei gestæ acta, Classicianum cum tota domo sua anathemate percusserit. Contendebat haud dubie sacrum ecclesiæ asylum a Classiciano fuisse violatum, et reos inde per vim fuisse abductos. Verum Classicianus de hac injuria per litteras apud Augustinum conquesturus, testatus est sontes sceleris sui conscientia pressos, citra vim ex ecclesia sponte sua fuisse digressos. Juvenis adhuc erat Auxilius, et annum in episcopali munere necdum exegerat: Augustinus autem tot jam annorum episcopus senex erat. Scripsit tamen ad Auxilium, si qua illo ratione

posset ostendere, ob unius peccatum totam familiam jure excommunicari, se paratum esse ab eo discere : si vero non posset, culpam in eo residere, qui rem, cujus rationem reddere non valeat, fuerit aggressus. Eumdem rogat, ut si culpa vacet Classicianus, errorem suum, in quem ex humana fragilitate prolapsus est, corrigat, et gesta ecclesiastica in eum confecta rescindat. *Nec arbitreris*, inquit, *ideo nobis non posse subrepere injustam commotionem, quia episcopi sumus : sed potius cogitemus inter laqueos tentationum nos periculosissime vivere, quia homines sumus* (*Ibid.*, *n.* 3). Collationi Carthaginensi Auxilius Nurconensis episcopus intererat. Idem si sit, non potuit hæc epistola serius esse scripta, quam anno quadringentesimo duodecimo. Sed et ægre animum induxeris, eam multo ante conscriptam esse ; cum Augustinus anno quadringentesimo duodecimo tantum decimum septimum episcopatus, ætatis autem suæ septimum et quinquagesimum annum ageret ; quo sane tempore vix videatur satis provectus, ut cum Auxilio tanquam senex cum juvene, atque episcopus tot annorum cum collega necdum anniculo loquatur. Ipsi autem Classiciano, a quo litteras super illa re acceperat, rescripto consilium suum mentemque aperuit : *Ego propter eos*, inquit, *qui pro peccato unius animæ totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maxime ne ibi quisquam sine Baptismate de corpore abscedat ; et utrum non etiam de ecclesia pellendi sunt, qui eo confugiunt, quo fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, et in concilio nostro agere cupio, et si opus fuerit ad Sedem apostolicam scribere ; ut in his causis quid sequi debeamus, concordi omnium auctoritate constituatur atque firmetur. Illud plane non temere dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematus injuste ; ei potius oberit qui faciet, quam ei qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli pœnam ingerit : per eum quippe diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ non agit perperam* (*Ex Epist. ad Classicianum, post Epist.* 250, *tomo* 2, *pag.* 1334).

5. In suis Sermonibus Augustinus vanas astrologiæ judiciariæ superstitiones oppugnat, quibus Christianorum etiam complures deditos sic fuisse conqueritur, ut nonnulli coram ipso fidenter dicerent, quasi nihil in ea re mali subesset, certis se diebus non esse profecturos. Quod vitium ita vulgare erat, ut vix ullus illud reprehendere auderet. Unde sic exclamare cogitur : *Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus* (*Enchirid.*, *n.* 21) ! Verumtamen cum vanæ hujus et impiæ artis sectatores (mathematici tum dicebantur) ad conversionem accederent, eos pœnitentiæ publicæ addicebat, nec ad eam nisi post crebras postulationes et interjectas moras admittebat. Cujus rei habemus insigne exemplum ad calcem sermonis in psalmum sexagesimum primum. *Illa Ecclesiæ sitis*, inquit, unum ex hujusmodi mathematicis pœnitentibus plebi demonstrans, *etiam istum quem videtis, bibere vult. Simul etiam ut noveritis, quam multi in commixtione Christianorum, ore suo benedicant, et in corde suo maledicant ; iste ex christiano et fideli pœnitens redit, et territus potestate Domini, convertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, cum esset fidelis, diu mathematicus fuit : seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatem faciendi quod bonum est, et non faciendi quod malum est. Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus ; et homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars ; et justum non faciebat Deus, sed Jovis : et alia multa sacrilega non parva. Quam multis eum putatis christianis nummos abstulisse ? Quam multi ab illo emerunt mendacium ? Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, et multorum hominum illectorem se aliquando a diabolo sensit illectum ; convertitur ad Deum pœnitens. Putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus ? Namque si ex pagano converteretur mathematicus, magnum quidem esset gaudium ; sed tamen posset videri, quia si conversus esset, clericatum quæreret in Ecclesia. Pœnitens est ; non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo et oculis et cordibus vestris. Eum quem videtis, cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, et quacumque ille transierit, fratribus cæteris, qui modo hic non sunt, ostendite illum : et ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat cor, et oppugnet. Custodite vos, non vos lateat conversatio ejus, via ejus ; ut testimonio vestro nobis confirmetur, vere illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebit fama de vita ejus, quando sic vobis et videndus et miserandus offertur. Nostis in actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, id est, talium artium homines et doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt ; et incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere, et summam pretii conscribere* (*Act.* XIX, 19). *Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui novit quærere quod perierat. Perierat ergo iste, nunc quæsitus, inventus, adductus est : portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus ; ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha : ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est, ne tentaret ; et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo per Christum, prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro. Scimus enim et certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates ejus. Dominus vobiscum* (*Enarr. in Psal.* LXI, *n.* 23).

6. Quidam nomine Lampadius aliquam huic arti fidem adhibebat. Id ubi Augustinus ex colloquio primum, dein ex litteris ab eodem acceptis certius intellexit, paucis ei rescripsit (*Epist.* 246), leges divinas et humanas, omniaque publicæ ac domesticæ disciplinæ instituta, perversis fati et virtutis astrorum in humanas actiones opinionibus penitus labefactari atque subverti ; ipsos etiam mathematicos non adeo

insanire, ut domus suæ moderamen ad illius scientiæ, quam aliis grandi pecunia venderent, amussim normamque dirigant. Rogat quoque Lampadium, ut quid de hac epistola sentiat, rescribendo edoceat : quæ si ejus aviditati non sufficiat, integrum hac de re librum ei pollicetur ; modo exspectet dum id per otium exsequi possit, et promissi sui memoriam identidem refricare non gravetur.

## CAPUT VIII.

### AUGUSTINI AD PRIVATOS MONITA ET HORTAMENTA.

1 *Christinum ad pietatem incendit.* 2 *Adversus scandala corroborat Sebastianum.* 3 *Et Restitutum.* 4 *Chrisimum a desperatione revocat.* 5 *Ecdiciæ piæ feminæ inconsultam agendi rationem arguit.* 6 *Obduratum Cornelii animum premit.* 7 *Florentinam per litteras docere non recusat.* 8 *Fabiolam monet, præsentiam sanctorum corpore tenus, parum expetendam esse.* 9 *Pupillæ curam gerit.*

1. Ex tam multis lucubrationibus, quas Augustinus ad privatos aut instituendos aut hortandos conscripsit, eas hoc libro solas memoramus, quibus recensendis locus opportunior non videtur. Cum quidam Christianus nomine, professione christianus, solum tamen catechumenus, aut saltem sæculi laqueis implicatus, officiosas ad eum scripsisset litteras, et ab eo epistolam flagitasset ; egit illi gratias pro ejus officiosa urbanitate, et ad pietatem hortatus est hac brevi sententia : *Cum in itinere Dei faciliora et fructuosa, ignava formidine fugiuntur ; in itinere sæculari duriora et sterilia ærumnoso labore tolerantur* (*Epist.* 256).

2. Sebastianus monachus et abbas, sive sanctæ familiæ præpositus, aliquandiu familiariter usus Augustino, plurimam suæ pietatis existimationem reliquerat. Ad Augustinum postea, et ad Alypium, ut videtur, litteras scripsit, quas Augustinus gratabundus accepit : cumque in his Sebastianus ob peccata et scandala iniquorum, tædio se affectum testaretur ; sanctissimus Præsul illius zelum impense laudavit, eum tamen ad perseverantiam, et ad solatium suum in bonorum fratrum probitate atque in fidelibus Dei promissis quærendum hortatus est. Alypius vero, cum ad eum propriam epistolam scribere potuisset, maluit Augustini epistolæ pauca officiosa verba attexere, eique subscribere, ut eorum unanimitatem una etiam pagina testaretur (*Epist.* 248).

3. Cum ei Deogratias (ille idem ipse fortassis, ad quem alibi scribit Augustinus) indicasset æstus animi cujusdam diaconi catholici (Restituto nomen erat), qui æque ac Sebastianus, Catholicorum vitia iniquo videtur tulisse animo ; rescripsit huic Restituto, suasitque ut Tychonii Donatistæ librum de Ecclesia legeret, cogniturus ex ejus lectione, bonos cum malis ad finem usque sæculi permixte esse victuros. Monet tamen, Tychonium pauca solum hac de re Scripturæ testimonia protulisse, cavendaque esse quæ ille in schismatis, cui adhærebat, patrocinium adducit (*Epist.* 249).

4. Fidelis quidam Baptismo initiatus, nomine Chrisimus, qui verbum Dei studiose semper audierat, et cordatus habebatur, cum bonorum suorum jacturam fecisset, in eam animi perturbationem incidit, ut sibi manus violentas illaturus videretur. Quod ubi rumor ad Augustinum detulit, summa ille miseratione commotus, per litteras non benevolentiæ modo, sed existimationis etiam plenas, eum hortatus est, ne in adversis, quæ Deus ad ejus salutem immiserat, animo deficeret. Brevis est hæc epistola, sed pietatis et ingeniosæ charitatis plenissima. Simul ad eum litteras misit, quas ad Comitem illius ergo conscripserat (*Epist.* 244).

5. Epistola, quæ est ad Ecdiciam, gravius argumentum complectitur. Fidelis hæc erat, et fideli nupta, ex quo filium pepererat. Attamen non expectato mariti consensu continentiæ votum nuncupavit, non advertens se virtutis hujus, quamvis eam non coleret, præmio minime carituram, si non suæ, sed sui conjugis infirmitati cederet. Verum hanc culpam felix eventus reparavit : maritus enim uxoris suæ secutus exemplum, eodem se continentiæ voto adstrinxit ; sicque complures annos quo sanctius et castius, eo verius et concordius conjuges manserunt. In hoc proposito communi mulier, sive in abdicandis sæculi moribus, sive in stipe pauperibus eroganda fortior videbatur. Verum cum ad arbitrium nutumque viri se ipsa accommodare minime studeret, illius animum non ea, qua par erat, prudentia tractabat, nec muliebrem zelum scientia et charitate moderabatur. Licet enim continentiæ voto teneretur, in cæteris tamen rebus viro suo parere debuit. Nihilo tamen minus a marito forte jussa conjugatarum mulierum habitum gestare, cum modestum sumere debuisset, in quo sane consentientem virum habuisset, nigram instar viduæ et monachæ vestem induit. Culpam hanc alia cumulavit. Nam cum maritus ejus ad eleemosynam segnior esset, sive ob animi vitium, sive ob necessariam curam, quam in filio adhuc puero ponere tenebatur, quem ad id quod melius esset debebat quidem incendere, sed ad monasticum institutum cogere non poterat : contra Ecdiciæ in optatis erat, omnes facultates suas in egenos profundere. Igitur absente viro, cum duo peregrini quidam monachi ad eam divertissent, illis omnia, vel pene omnia quæ habebat, erogavit. Id postquam resciit maritus, iracundia supra modum exarsit in conjugem suam, et in geminos illos veteratores, qui ad ipsius domum exhauriendam, sub ficto monachorum habitu (sic enim ille arbitratus est) accesserant. Et ipse fatetur Augustinus, dubitandi locum esse, an qui ab ignota et conjugata muliere tanta recepissent, servi Dei existerent. Sed longe gravius incommodum secutum est : nam maritus iram in se convertens, continentiæ voto, quod ipse nuncupaverat, violato, se in profundum adulterii gurgitem immersit. In hoc tam calamitoso rerum statu Ecdicia per litteras Augustinum consuluit, ut sciret quid sibi facto opus esset. Augustinus epistolæ, quam rescripsit, maximam partem posuit in iis notandis, quæ illa in anteactæ vitæ ratione perperam egisset : quod vero ad posterum tempus attineret, scripsit eam, cum ma-

ritus votum continentiæ ab ea nuncupatum comprobasset, ad illud in finem usque servandum, et ad viri culpam, quantum in ea situm esset, redimendam obligari. *Indue itaque*, ait, *humilitatem mentis, et ut te Deus conservet perseverantem, noli maritum contemnere pereuntem. Funde pro illo pias et assiduas orationes; sacrifica lacrymas, tanquam vulnerati sanguinem cordis; et scribe ad eum satisfactionem, petens veniam, quia in eum peccasti; quod præter ejus consilium et voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum putasti : non ut te pœniteat tribuisse pauperibus, sed eum tui boni operis participem et moderatorem habere noluisse. Promitte de cætero in adjutorio Domini, si et illum suæ turpitudinis pœnituerit, et continentiam, quam deseruit, repetiverit, te illi, sicut decet, in omnibus servituram.* Jubet denique ut ad viri animum sibi conciliandum eo majori studio incumbat, quod citra hanc animorum concordiam filius ejus in timore Dei et sapientia, ut ipsa optabat, educari non posset; cum esset in potestate patris, et huic jure poscenti esset necessario concedendus (*Epist.* 262). Quod hic scribit Augustinus, conjugatas videlicet mulieres posse in superbo cultu cor humile servare, si eo tantum fine se ornent, ut maritis suis obsequantur, consentaneum est iis quæ ad Possidium scribit : ornamenta non esse conjugatis absolute prohibenda, præter pigmenta, et ea quæ magicam superstitionem redolent (*Epist.* 245).

6. Si vehementi oratione insectatur Ecdiciam, longe gravioribus verbis objurgat Cornelium, qui perniciosissimo Manichæorum errore fuerat olim cum ipso Augustino implicatus. Juvenis tunc erat, licet ætate Augustinum antecederet; a muliebri tamen amore cum se summo temperantiæ robore abstraxisset, continuo in eum sese altius immersit. In extremo vitæ periculo, Baptismum percepit, cum jam Augustinus episcopus senuisset, atque adeo ipse foret ætate magis ingravescente. Attamen e morbo recreatus, ab improba peccandi consuetudine non se revocavit; sed pellicum grege in dies crescente stipatus incedebat. Augustinus, qui eum semper charissimum habebat, sæpius de moribus emendandis frustra commonuerat. Is porro Cyprianam in matrimonium duxerat castissimam feminam, quæ viro longe dissimilis, eum obscenis licet amoribus irretitum adamabat, et conversionis ejus desiderio tenebatur. Ex hac vita migravit, et in castarum atque fidelium animarum societatem recepta est. Post ejus obitum Cornelius ad Augustinum scripsit, ut ad se optimæ conjugis morte gravissime commotum aliquam prolixam epistolam consolatoriam daret, sicut sanctum Paulinum ad Macarium fecisse meminerat. Ad hæc rescribit Augustinus, illius uxorem humanis non egere laudibus; has viventibus, non mortuis impendi solere; eum vitæ mutatione elogium conjugis suæ promereri debere : illud polliceri se ea conditione, quam ejus uxor etiam defuncta peroptaret, quemadmodum vivens expetiisset : velle aliter mœrorem abstergere, adulationem esse, non consolationem. Simul turpem, in quo versatur, statum illius oculis aperte subjicit, eumque magna dicendi vi, ut inde emergat, et vehementer et amanter hortatur (*Epist.* 259).

7. Erat extra diœcesis Hipponensis limites puella (Florentinæ nomen fuit), quæ licet adolescentula, pietatis ac veræ sapientiæ ardenti studio tenebatur. Parentes ejus optimi, et de filiæ pietate gratulantes, ab Augustino in his oris commorante postularunt, ut illi edocendæ, in quo opus esset, suam operam impenderet. Renuere non potuit Augustinus : et re quidem ipsa curam illius non solum in precibus apud Deum suscepit; verum etiam cum ad ejus matrem scriberet, plurima illi documenta tradidit. Sed ejus mater Augustino rescripsit, prius filiam velle litteras ab eo accipere; tum demum confidentius scripturam, eumque de necessariis rebus esse consulturam. Ad eam igitur scripsit Augustinus, ut ei fiduciæ ostium aperiret; simulque eam hortatus est, ut promeret ipsa, si quid a se quærendum putaret. *Aut enim scio*, inquit, *quod inquisieris; et non negabo : aut ita nescio, ut nullo fidei salutisque detrimento nesciam, et de hoc etiam te ipsam, si potuero, faciam reddita ratione securam. Aut certe si et nescio, et tamen sciendum est, vel impetrabo a Domino, ne tibi desim; nam sæpe officium impertiendi, meritum est accipiendi : vel ita tibi respondebo, ut noveris pro hac ipsa re, quam pariter nescimus, ad quem pulsare debeamus. Hæc ideo prælocutus sum, ne te pro certo speres quidquid a me quæsiveris audituram; et cum hoc non provenerit, audacter potius quam prudenter me fecisse arbitreris, quod tibi quærendi, si quid voles, facultatem dedi. Hoc enim feci, non doctor perfectus, sed cum docendis perficiendus, domina eximia meritoque honorabilis in Christo ac suscipienda filia. Equidem etiam in iis rebus quas utcumque scio, magis te cupio esse scientem, quam scientiæ nostræ indigentem. Neque enim, ut quod scimus doceamus, aliorum ignorantiam optare debemus. Multo quippe melius omnes sumus docibiles Deo.* Pergit deinde demonstrare periculum, quod in aliis erudiendis comperit : cujus illud est sibi singulare solatium, si animæ in pietate ita proficiant, ut eo perveniant, ubi hominis doctoris non amplius indigeant ministerio (*Epist.* 266).

8. Cum altera puella, nomine Fabiola, ad eum rescribens, animi sui mœrorem ei significasset, quod adhuc in hac terrena peregrinatione moraretur, nec semper hic sanctorum consortio frui posset; quod ad ipsum Augustinum, ut videtur, referebat : is officii sui esse putavit, ei rescribere, ut amorem, quo illa erga res cœlestes ferebatur, commendaret; simulque eam doceret, corporum præsentiam animorum præsentiæ esse postponendam (*Epist.* 267). Hæc Fabiola videtur eadem esse, quam Hieronymus sanctam filiam suam appellat, dum ad Marcellinum in Africa degentem scribit anno quadringentesimo undecimo aut quadringentesimo duodecimo, posse illum ab ipsa mutuari duos priores libros in Ezechielem, quos ad eam misisset (*Hieron.*, *Epist.* 82).

9. Erat Hippone-Regio puella quædam, patre suo, ut videtur, orbata; cujus etiam mater non apparebat. Ecclesiæ tutelæ, ut ejus adversus improborum vim

præsidio uteretur, commendata fuerat a spectabili viro, cujus nomen ab Augustino reticetur : non enim is idem videtur, ac Benenatus episcopus, qui nec viri spectabilis nomine notandus esset, et curam ejus, si in ipsius fuisset potestate, suscipere debuisset. Quanquam non negaverimus Benenatum istum illius puellæ consanguineum fuisse : qui sane conditionem huic puellæ propositurus ad Augustinum scripsit. Augustinus pro cura præcipue pupillis tuendis debita in ejus tutelam sedulo incumbens, oblatam conditionem sibi non displicere respondit ; sed puellam adhuc esse teneriori ætate, quam ut cuiquam posset promitti, dum adolesceret ; illius interim matrem, cujus auctoritas in tradenda filia cæteris omnibus esset præponenda, forsan appariturum ; meliorem forte conditionem occursuram, quam ipse propter Deum judicem illi procurare teneretur ; denique incertum esse, utrum nubere vellet ; dicere solitam, velle se esse sanctimonialem ; et quamvis ob ætatem iis non foret sermonibus adhærendum, se tamen præstolari debere, dum ipsa vitæ institutum sua sponte deligere valeat. Addit Felicem, qui puellæ hujus materteram in matrimonium duxerat, quicum ea de re necessario sermonem contulisset, oblatam conditionem comprobasse, jure tamen amicitiæ fuisse conquestum, quod nil hac de re per litteras accepisset (*Epist.* 254). Paganus quidam (Rustico nomen erat) hanc puellam petiit in connubium filio suo pariter pagano, qui nec se christianam fidem amplexurum esse pollicebatur. Verum Augustinus ab ea illi tradenda plurimum abhorrebat, ut ipse Rustico per litteras significavit (*Epist.* 255), præter ea quæ in epistola ad Benenatum episcopum indicasse se dicit, quibus de illius puellæ connubio tunc temporis quidquam spondere prohibebatur. Vix adducimur, ut credamus hanc ipsam conditionem esse, quam Augustinus in epistola ad Benenatum, ut diximus, absolute sibi placuisse testatur. Ut enim Benenatus illam Augustino proposuisset, ea tantum lege, ut Rustici filius christianam fidem susciperet : tamen Augustinus circumstantiam adeo gravem minime tacuisset. De eadem, ut videtur, puella Felicis nepte idem Felix ad Augustinum scripserat, et spectabilis viri, a quo Ecclesiæ fuerat commissa, litteras ad eum miserat. Rescribit Augustinus se, cum hanc pupillam cuiquam passim committere non audeat, adventum ejus, cujus litteras ad se misisset, exspectaturum ; quid facto sit opus coram illo deliberaturum ; facturumque quod Dominus faciendum esse inspiraverit (*Epist.* 252). Haud scimus, an de eadem adhuc puella scribat Augustinus ad Benenatum, audivisse se, quod de negotio transigendo cogitaret. Testatur adduci se non posse, ut id sibi persuadeat ; si tamen verum sit, nosse ipsum quemadmodum Ecclesiæ consulere, ac tantum cum catholica domo, quæ non obesse, sed prodesse possit Ecclesiæ, transigere debeat (*Epist.* 253).

## CAPUT IX.

1 *Madaurenses ad christianam religionem traducere studet.* 2 *Cum Longiniano quoque pagano sacerdote per litteras agit, ut eam amplectatur.* 3 *Maximam exortis in provincia sua erroribus perturbatam solatur et roborat.* 4 *Cum diversis hæreticis in certamen venit : contra quemdam e Novatianis scribit ad Seleucianam.* 5 *Tertullianistarum hæresis eo præsente deleta.* 6 *Abelonii quoque seu Abeloitæ in Hipponensi tractu ministerio et labore ipsius sublati.*

1. Ex suis potissimum certaminibus cum hostibus Ecclesiæ nobilis et clarus evasit Augustinus. Ethnicos cum aliis lucubrationibus, tum maxime opere de Civitate Dei fortiter impugnavit. Cum cuidam Florentino, qui unus e Madauræ proceribus fuisse videtur, Hippone quidpiam negotii esset, omnes urbis ordines per eum scripserant Augustino, ut ipsi in negotio adesse dignaretur. Hæc erat litterarum inscriptio, *Patri Augustino, in Domino æternam salutem ;* subscriptio autem, *Optamus te, domine, in Deo et Christo ejus, per multos annos semper in clero tuo gaudere.* Jam pridem dolebat Augustinus idola non magis in Madaurensium templis, quam in eorum cordibus includi. Quapropter epistolæ titulum miratus est. *Tanta spe subito erectus sum*, inquit, *ut crederem vos ad ipsum Dominum, et ad ipsam æternam salutem, aut jam esse conversos, aut per nostrum ministerium desiderare converti. Sed ubi legi cætera, refriguit animus meus. Quæsivi tamen ab epistolæ perlatore, utrum jam vel essetis christiani, vel esse cuperetis. Cujus responsione posteaquam comperi, nequaquam vos esse mutatos ; gravius dolui, quod Christi nomen, cui jam totum orbem subjectum esse conspicitis, non solum a vobis repellendum, sed etiam in nobis irridendum esse credidistis, dum mihi (negotia vestra) curanda imponitis.* Florentino nihilominus omni ope adfuit ; sed tale negotium erat, quod facile peragi posset. Quamobrem immissam fuisse a Deo Madaurensibus ad se scribendi mentem credidit, ut veritatis illis annuntiandæ sibi opportunitatem offerret. Oblatam igitur arripuit ; et ubi ostendit illusores eos fuisse, cum Christi nomine sibi honorem et observantiam exhibere simularunt, si Christi hostes adhuc existerent ; aliquot argumentis christianam religionem asserit, ad quam amplectendam eos adhortatur ; quod tamen se cum tremore cordis pro eis facere profitetur. *Novi enim*, inquit, *quanto graviorem et perniciosiorem causam sitis habituri apud Deum, si frustra vobis hæc dixero. Erit enim testis affectus in vos cordis mei, per hanc, quantum potui, paginam expressus : erit testis vobis in judicio ejus, qui credentes sibi confirmaturus est et incredulos confusurus.* Eos et fratres suos et parentes nuncupat, ob hanc fortasse causam, quod puer litteras apud Madauras didicisset. Imperatores ipsos ad piscatoris Petri sepulcrum submisso diademate supplicare memorat in iis litteris ; eodemque loco se post leges in idola anno trecentesimo nonagesimo nono constitutas scribere, non obscure significat (*Epist.* 232).

2. Cum Longiniano, pagano homine, et idolorum (ut apparet) pontifice congressus aliquando, in hujus colloquii velut speculo inspexit, eum agnoscere Deum esse colendum, bene sentire de Christo, ad virtutem etiam ex animo adspirare. Optima sane hæc erat ad illam reipsa consequendam animi constitutio. Qua-

propter eum adamare cœpit Augustinus, ut ipse redamabat Augustinum. Hic autem ratus amicos non posse fructuosius ulla de re colloqui, quam de mediis quibus boni beatique simus, litterarum super ea re commercium cum Longiniano libenter iniit. Idcirco per litteras ab eo petiit, ut sibi rescriberet, quonam modo crederet Deum colendum; quid sentiret de Christo Domino; an alia via, quam ipse nobis demonstrasset, ad beatam vitam perveniri posse censeret; an unam hanc viam arbitratus, qua piam tantum ex causa eam inire differret (*Epist.* 233). Respondit Longinianus insigni veracique elogio. Eum enim Romanorum virum vere optimum, virum bonum, si quis alias fuerit, indigitat. *Si quidem*, inquit, *adhuc post hominum memoriam nisi Xenophontis figmentis compositæ fabulæ schema concedas, adhuc audierim, legerim, viderim neminem, aut certe post unum (Cyrum fortasse) nullum, quod Deo teste, bono periculo certoque dixerim, nisi te, Deum et conniti semper agnoscere, et posse puritate animi corporisque projecta gravedine sectari facillime, et spe perfectæ conscientiæ non dubia credulitate tenere.* Ad Augustini quæsita respondet, dicens ad unum et verum Deum, incomprehensibilem rerum omnium opificem, vitæ integritate, deorum sive (ut Christiani vocant) Angelorum societate, et antiquorum sacrorum expiationibus esse perveniendum. De Christo autem et Spiritus dono non audere se, nec posse, quid sentiat, exprimere; cum nullam eorum notitiam habeat. Rogat igitur Augustinum, ut sibi quid de his existimet, rescribere dignetur (*Epist.* 234, *n.* 1). Ex tam felicibus primordiis incredibilem voluptatem cepit Augustinus, Deumque precatus est, ut primis extrema responderent. Ne vero ipse deesset, Longiniano rescripsit, non improbare se, quod de Christo nihil temere sibi negandum vel affirmandum putasset; id unum rogare se, ut rescribat, an illæ antiquorum sacrorum expiationes, de quibus loquebatur, ad integram vitam necessario debeant accedere, an illius causæ sint, aut effectus, aut quædam veluti portio : nodum hunc prius esse solvendum, quam ad cætera procedatur (*Epist.* 235). Quænam hujus colloquii series, quisve exitus fuerit, nos latet. Libenter illud ad tempus, quo adhuc laicus erat Augustinus, referremus, nisi Longinianus eum frequenter patrem nuncuparet; quod non nisi episcopo, vel homini ætate jam affecta videtur convenire.

3. Sancti Doctoris labores, quos tota deinceps vita contra hæreticos pro tuenda catholica fide suscepit, nemo est qui cogitatione, nedum oratione ac verbis, assequi valeat. Quædam Dei famula (Maximæ nomen erat) ad eum ex Hispania fortasse scripsit, provinciam in qua degebat, per noxios errores longe lateque diffusos graviter periclitari. Suam pariter de Incarnationis mysterio fidem, quam ejus judicio submitteret, exposuit; et lucubrationes adversus hæreticos ab eodem conscriptas postulasse videtur. Respondet Augustinus, eam posse, cum libuerit, mittere quid laborum suorum opuscula describant (locuples enim fuisse illa videtur); ejus de Filio Dei incarnato fidem approbat: rogat ut, si possit, aliquot horumce hæreticorum libros ad se mittere dignetur, quo eorum doctrinam et penitius nosse, et efficacius possit refellere. Acerbissimum dolorem præ se fert ob hæreseon incrementa : ex hoc tamen se ipse solatur, quod hæc Deus minime permitteret, nisi majus electorum suorum bonum ex iis vellet elicere. *Tantum*, inquit, *eos permittit esse, quantum novit expeaïre, atque sufficere admonendæ atque exercendæ sanctæ domui suæ. Ideo nostram de illis tristitiam consolatur : quia et ipsa tristitia, quam pro illis habemus, nos relevat; illos autem in sua perversitate perseverantes gravat. Gaudium vero, quod percipimus, quando aliqui ex eis correcti in melius commutantur, et sanctorum societati copulantur, nulli gaudio in hac vita comparari potest. Unde et mœstitiam tuam de talibus, et vigilantiam atque cautelam contra tales, quam tuis litteris expressisti, multum approbo et laudo : atque ut in hac via perseveranter ambules, pro meis viribus, quia hoc exigis, et hortor et moneo ut miserearis eorum tanquam simplex ut columba; caveas autem illos tanquam astuta sicut serpens; desque operam, quantum potes, ut qui tibi adhærent, tecum in recta fide permaneant, aut ad fidem rectam, si forte in aliquo aliqui depravati sunt, corrigantur* (*Epist.* 264).

4. Geminos libros contra adversarium Legis et Prophetarum directe adversus Marcionistas et alios id genus hæreticos conscripsit. Eum contra Priscillianistas Hispanos ad Orosium, ad Consentium et Ceretium scripsisse videbimus inferius. In eodem ad Orosium libro varios errores Origeni attributos impugnat. Novatianorum hæresis erat tunc temporis in Occidente communis et pervagata. Cum Seleuciana matrona sermones cum aliquo, qui se hujus esse sectæ dicebat, contulisset, eumque Christo lucrari expeteret, Augustinum rogavit, ut quædam illi documenta tradere dignaretur. Simul ad eum scripsit, hunc Novatianum nullam nisi ante Baptismum pœnitentiam agnoscere; atque etiam contendere, Petrum non fuisse baptizatum. Credere pariter videbatur, neophytis interdum impositam fuisse ab Apostolis, Baptismi loco, pœnitentiam. Quæ tamen non erat Novatianorum sententia. Rescripsit igitur ad Seleucianam Augustinus : et ubi triplicem, quam agnoscit Ecclesia, pœnitentiam paucis probavit, uberius ostendit nullum esse dubitandi locum, quin Petrus baptizatus fuerit. Hujus autem apostoli exemplum ad probandam canonicam post susceptum Baptisma pœnitentiam non vult adhiberi (*Epist.* 265).

5. Hæresis, cujus celeber ille Tertullianus parens fuerat, et quæ reipsa Tertullianistarum dicebatur, adhuc ævo Augustini Carthagine vigebat : verum cum paulatim fuisset debilitata, tandem aliquot annis ante obitum ejusdem sancti Præsulis penitus exstincta est. Cum enim Augustinus esset Carthagine, pauci admodum qui supererant Tertullianistæ, illius procul dubio hortatibus, ad Ecclesiæ catholicæ unitatem reducti, basilicam, quam hactenus tenuerant, in Ecclesiæ et Aurelii episcopi manus tradiderunt (*De Hæresibus, hær.* 87).

6. Aliam hæresim in Hipponensi tractu ætate Au-

gustini, et ipsam quoque ejus haud dubie ministerio, tametsi id sanctus Episcopus præ modestia silentio prætereat, Deus exstinxit; de qua ille hæc in libro de Hæresibus refert: *Est quædam hæresis rusticana in campo nostro, id est Hipponensi, vel potius fuit: paulatim enim diminuta, in una exigua villa remanserat, in qua quidem paucissimi, sed omnes hoc fuerunt; qui omnes modo correcti et Catholici facti sunt, nec aliquis illius supersedit erroris. Abelonii vocabantur, Punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ fuisse nominatos, qui est vocatus Abel: unde Abelianos vel Abeloitas eos nos possumus dicere. Non miscebantur uxoribus: et eis tamen sine uxoribus vivere, sectæ ipsius dogmate non licebat. Mas ergo et femina sub continentiæ professione simul habitantes, puerum et puellam sibi adoptabant in ejusdem conjunctionis pacto successores suos futuros. Morte præventis quibusque, singulis alii subrogabantur; dum tamen duo duobus disparis sexus in illius domus societate succederent. Utrolibet quippe parente defuncto, uno remanenti, usque ad ejus quoque obitum filii serviebant. Post cujus mortem etiam ipsi puerum et puellam similiter adoptabant: nec unquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, et filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus* (*Ibid.*). Quæ vero contra Manichæos, Donatistas et Pelagianos scripserit, reliquæ historiæ series edocebit. Quæ pariter adversus Arianos variis temporibus elucubrarit, sub extremum vitæ illius curriculum colligemus.

## CAPUT X.

*1 Cum Proculeiano episcopo Hipponensi Donatista colloqui tentat. 2 Hac de re scribit ad Eusebium. 3 Apud eumdem conqueritur, juvenem matris suæ percussorem a Proculeiano receptum, et in illius parte rebaptizatum. 4 De Primo quoque subdiacono Spaniensi, homine flagitioso, a Donatistis rebaptizato expostulat. 5 Valerii episcopi obitus. 6 Ad Casulanum presbyterum de jejunio rescribit Augustinus.*

1. Jam notavimus, Ecclesiam Hipponensem schismate Donatistarum fuisse divisam. His apud Hipponem episcopus erat Proculeianus, quem satis colebat Augustinus, cum propter ipsius humanæ societatis vinculum, quod ambos copulabat, tum quod in eo nonnulla placidæ mentis indicia relucerent, et ejus a plerisque prædicaretur humanitas. Diu tamen Augustinus, ex quo creatus est episcopus, apud eum tacuit, ratus congressum suum et colloquium ab eo detrectari. Verum cum casu postea contigisset, ut Evodius et Proculeianus in eamdem domum convenissent, sermo inter eos de spe fidelium, hoc est, de hæreditate et Ecclesia Christi ortus est. Tum Evodius, qui se non adulatorem, sed veritatis, cujus studiosissimus erat, propugnatorem esse cupiebat, id forte ferventius, quam Proculeianus vellet, fuit exsecutus: Evodium enim sibi contumeliose respondisse ille conquestus est. Nihilominus significavit, velle se, coram gravibus et honestis viris, cum Augustino conferre sermones. Quam illius sententiam ac voluntatem Evodius gaudens Augustino indicavit: qui cum eam non minus libenter accepisset, oblatam sibi a Proculeiano arripuit occasionem discutiendi causam et originem illius luctuosi schismatis, quod et familias et personas conjunctissimas miserrima discissione turbabat. Litteras igitur honestatis et benevolentiæ plenas scripsit ad Proculeianum, in quibus ubi Evodii fervorem excusavit, asseruitque cavere se ne verbo quempiam lædat, promittit se venturum ad colloquium coram iis quos Proculeianus ipse delegerit, modo utriusque verba stilo excipiantur: aut, si placet, prius per singularem congressum, aut etiam per epistolas; dummodo vel colloquii acta, vel mutuæ litteræ plebibus recitentur, ut aliquando non plebes, sed plebs una et Ecclesia dicatur. Id enim Valerio tum absenti gratum fore pollicetur. Reliqua epistola Proculeianum orat atque obsecrat, ut studium pacis caducis honoribus et commodis anteponat. Quod forte dixerit, quia nondum Africana Ecclesia decreverat, episcopos Donatistas in gradum suum admittere. Presbyterne, an episcopus esset Augustinus, cum hanc epistolam scripsit, non liquet. Vero similius tamen arbitramur jam tum episcopum fuisse, ob id maxime quod de honoribus ibidem scribit, quibus eum prosequebantur homines, *causas suas sæculares*, inquit, *apud nos finire cupientes, quando eis necessarii fuerimus: pro quibus rebus quotidie submisso capite salutamur* (*Epist.* 33). Vix enim comperire est, iis qui tantum presbyteri essent, jus fuisse negotia et controversias dirimendi. Certe quidem cum illud ante contigerit, quam epistolam ad Eusebium primam, in qua se adhuc tironem episcopum confitetur (*Epist.* 34, *n.* 6), scriberet, dumque adhuc in vivis ageret Valerius, longe post episcopatus illius initia minime licet differre. Quid ex hac ad Proculeianum epistola secutum fuerit, nos latet. Illud tamen constat, Donatistas generatim Augustini colloquium refugisse.

2. Quod ad litteras attinet, alias etiam ille scripsit ad primarios Donatistarum episcopos (*Epist.* 43), non quidem communicatorias, quibus se indignos a catholica Ecclesia dissentiendo fecerant; sed tales privatas quas etiam ad Paganos scribere liceat, officiosas tamen et ad pacem conciliandam idoneas, ut eos ad commune colloquium invitaret, in quo schismatis causa, et alia id genus discuti possent. Verum ipse testatur, litteras suas interdum perlectas ab illis fuisse rejectas, nec eos unquam sive per contemptum, sive potius per inscitiam et diffidentiam respondisse (*Contra Litt. Petil., lib.* 1, *n.* 1). De ipso Proculeiano scribit, expertum se fuisse litteras suas ab eo recusari (*Epist.* 35, *n.* 1). Nam quaternas saltem ad eum dedit; licet hodie sola exstet epistola, de qua mox egimus. Ad id si referri debeat, quod in litteris ad Eusebium habetur, respondisse Proculeianum per unum e presbyteris suis, Victorem nomine, qui publici muneris administros, ad excipiendum Proculeiani responsum missos, allocutus est; hoc responsum, quod iidem administri actis publicis consignarunt, iis quæ Proculeianus Evodio dixerat, satis consentaneum erat, et eum, ut videtur, colloquio communi obligabat. Quanquam hoc forte aliam quamdam respicit expostulatio-

nem, ad quam id responsi dari jusserat : *Si christianus es, serva hoc judicio Dei* (*Epist.* 35, *n.* 4). Utut est, per urbem Hipponensem subinde pervulgari cœpit, non hoc Proculeianum mandasse, quod publicum renuntiasset Officium (*Epist.* 34, *n.* 5). Ferebatur et illud dixisse, si tanta Augustinum disputandi cupido incesseret, Constantinam ire debuisse, quo ipsi frequentes convenerant, vel illi eundum Milevim, ubi concilium brevi essent habituri. Erat tum apud Hipponem-Regium Eusebius vir primarius, Donatistarum quidem sectator et Proculeiani amicus, verum singulari sapientia, gravitate et moderatione præditus. Cum igitur nollet Augustinus ad Proculeianum litteras scribere, quod eas ille respueret, hunc Eusebium interpellavit, petens ab eo per bonos et honestos viros, ut a Proculeiano quæreret, num hoc mandatum Victori dederit, quod Victor ipsius verbis Officio publico renuntiasset ; an illi publico muneri præfecti ex Victoris verbis falsas tabulas confecissent. Ad eumdem postea de hoc argumento scripsit, rogans ut generatim percunctaretur, quænam Proculeiani mens esset de tota schismatis quæstione discutienda. Profitetur, ad hanc placide cum illo pertractandam se libenter descensurum, si Proculeianus annueret ; quod ex sermonibus ad se relatis futurum sperabat. Acceperat enim eum dixisse, denis utrimque gravibus et honestis viris, citra popularem tumultum adhibitis, sibi ambobus veritatem ex Scripturæ auctoritate esse disquirendam. Subjungit sanctus Doctor, si Proculeianus secum ad colloquium ægre descensurus esset, quod humanioribus disciplinis, ut ferebatur, minus foret expolitus ; liberalium litterarum doctrinam nihil ad hanc quæstionem pertinere, quæ vel de sanctis Scripturis, vel documentis ecclesiasticis aut publicis esset discutienda : posse tamen eum, quem e suis voluerit collegam adsciscere ; aut se Samsucio Ecclesiæ Turrensis episcopo catholico, qui tum Hippone versabatur, vices suas in illo colloquio demandaturum (*Epist.* 35, *n.* 6). Samsucius iste simul cum Alypio et Augustino ad Severum scripsit (*Epist.* 62), tertio loco in ipsa inscriptione nominatus. Hunc suis in dubiis Augustinus aliquando consulebat, eumque de re aliqua, in qua dubius ipse et anceps hæserat, recte sentire comperit (*Epist.* 83, *n.* 4). Quamvis enim sermone foret impolitus, vera tamen fide apprime erat eruditus (*Epist.* 34, *n.* 6). Quapropter eum cum Proculeiano committere non verebatur Augustinus, confidens eum pro veritate certantem divinitus adjuvandum. De Milevitana vero urbe petenda respondet Augustinus, sibi totam quæstionis hujus rationem maxime cum Proculeiano esse, sibique in aliis civitatibus non licere quidquam agere, cum propria cura unius Hipponensis Ecclesiæ ad se pertineat.

3. Alia simul res Augustinum ad Eusebio scribendum compulerat. Juvenis quidam catholicus Hipponensis solitus erat matrem suam viduam, inopem, vetulam et omni auxilio destitutam cædere ; eoque furoris progressus fuerat, ut nec illis diebus, quibus legum severitas sceleratissimis parcit, quales sunt Dominicæ, et octo Paschæ dies, impias ab ea manus contineret. Sui cum criminis arguit Augustinus. Verum cum ille scelus suum ab Ecclesia prohiberi videret, furore correptus matri suæ ita comminatus est : *Transferam me in partem Donati, et bibam sanguinem tuum.* Videntur ipsissima fuisse illius verba. Priorem minarum suarum partem perficere non distulit. A Donatistis recipitur, rebaptizatur furens, et materni sanguinis avidus albis vestibus candidatur. Intra cancellos eminentiore loco constituitur spectandus ab omnibus, velut dono Spiritus sancti perfecte renovatus, qui aliud nihil quam matricidium cogitaret. Id unum supererat, ut qui eum sic affectum baptizaverant, ut gerent ad reliquum, quod noverat, intra suas octavas, exsolvendum. Ad hoc spectaculum, vel inter Donatistas, nemo non gemuit, ut innuere videtur Augustinus, qui tam exsecrando facinore vehementer perculsus est. Hinc, quantuscumque foret Donatistarum furor, se saltem ad loquendum cogi arbitratus est. Publicis itaque tabulis consignari voluit tam sacrilegum nefas, ut, ubicumque opportunum censeret de tanto flagitio conqueri, sive intra Hipponensem civitatem, sive extra, id citra mendacii suspicionem posset. Eodem temporis vestigio, priusquam infelicis hujus neophyti octavæ complerentur, ad Eusebium scripsit sperans fore, ut ipse facinus illud improbaret : simulque ei Deum contestatus denuntiavit se, quantum christianam pacem diligeret, tantum sacrilegis illis factis quæ schismatici in sua dissensione patrabant, commoveri ; cæterum hunc animi sui motum esse pacificum ; neque esse id agere, ut ad communionem catholicam quisquam cogatur invitus, sed ut omnibus errantibus aperta veritas declaretur, ac sic se amplectendam satis ipsa persuadeat (*Epist.* 34).

4. Augustino rescripsit Eusebius, confitens sibi non probari, quod filius percussor matris reciperetur : Proculeianum, si sciret, prohibiturum fuisse a sua communione, tam nefarium adolescentem ; cæterum mirari se, quod judex et arbiter inter episcopos fuisset ab ipso constitutus. Augustinus datis ad eum denuo litteris rescripsit, rogasse se tantummodo illius benignitatem, et adhuc rogare, ut a Proculeiano quæreret, utrum hoc ipse mandasset Victori, quod ab eo sibi dictum publicum Officium renuntiaverat ; simulque percunctaretur, quid ille de colloquio sentiret : quod ad juvenem illum spectaret ; Proculeianum, si paratus esset eum a sua communione prohibere cum facinus ipsi foret exploratum, rem gestam modo cognoscere, modo prohibendi moram excusare nullatenus posse. Eum pariter de alio monuit, quem Proculeianus adhuc a sua communione teneretur excludere. Primus is appellabatur, Spaniensis Ecclesiæ in diœcesi, ut apparet, Hipponensi quondam subdiaconus : qui cum ab accessu indisciplinato sanctimonialium prohiberetur, atque ordinata et sana præcepta contemneret, a clericatu remotus est. Quod ille indigne ferens, ad partes Donatistarum transiit, a quibus una cum duabus sanctimonialibus ex eodem pago, quæ illum secutæ fuerant, rebaptizatus est. Ex eo tempore inter perdi-

tos muliercularum greges, et exsecrandas Circumcellionum comessationes vitam suam omni intemperantiæ addixit. Subdit Augustinus, modum, quem ipse teneret, a Proculeiano pariter esse servandum, nimirum ut qui ab Ecclesia, disciplinæ fugiendæ causa, desciscunt, citra pœnitentiæ humiliationem non recipiantur. Rogat igitur Eusebium, ut de his omnibus certiorem Proculeianum faciat; aut se ista per codices publicos eidem Proculeiano denuntiaturum commina-tur: silere se non posse, ubi Deus loqui jubeat: si per vim illi agere contendant, Dominum Ecclesiæ suæ non defuturum. Aliam quoque expostulandi causam illi exponit. Erat cuidam Ecclesiæ colono filia catechumena, quæ a Donatistis seducta Baptismum et sanctimonialis etiam formam ab iisdem susceperat. Voluit eam pater ad communionem catholicam patrio jure ac plagis inflictis revocare : sed Augustinus vim illi a patre vetuit adhiberi, nolens eam nisi volentem et sponte sua redeuntem suscipi. Licet hanc agendi rationem ab omni vi adeo alienam tenuisset, nihilominus cum per Spanianum pagum aliquando transiret, Proculeiani presbyter, qui ei in fundo catholicæ piissimæque feminæ occurrit, in eum et in ipsam matronam acriter invectus est, eosque traditores ac persecutores appellavit. Non modo se ipse a lite refrenavit Augustinus, sed et multitudinem, quæ se comitabatur compescuit. Sed his aliisque motus Eusebium rogat, ut Proculeianum de coercenda clericorum suorum licentia commoneat; nec jam velit a bonis pastoribus taceri, dum illi eorum oves insidiantibus morsibus lupo-rum more deprædari conantur (*Epist.* 35). Binas istas litteras Eusebio scripsit Augustinus recens adhuc episcopus; quapropter ad hoc tempus eas retulimus.

5. Valerius episcopus, qui adhuc in vivis agebat, cum Augustinus Proculeianum ad mutuam collationem scripta ipsi epistola invitaret (*Epist.* 33, *n.* 4), videtur paulo post ex hac vita migrasse : saltem nihil amplius de illo comperimus. Hieronymus Vignierius in suum Supplementum retulit sermonem quemdam, habitum, ut putat, ab Augustino cum primum post obitum Valerii verba fecit ad populum, postquam tres conventus dies, ob vim lacrymarum suarum totiusque populi, tacitus præteriisset. Hic sermo plurima gesta complectitur, qui, si legitimus credi posset, uberrimam nobis dicendi segetem suppeditaret. Eum nos, quia de subdiacono quodam a Donatistis rebaptizato et in diaconum ordinato agit, rejecimus ad calcem tomi noni, quo scripta contra Donatistas continentur. Ut omittamus expendere, num stilus sat gravitatis habeat, ut Augustino possit adscribi, sermo iste majori ex parte spectat ad Rusticianum Mutugennensem diaconum, sive subdiaconum; qui cum ab Ecclesia defecisset ad Donatistas, a Macrobio rebaptizatus fuerat, et diaconus ordinatus. Iste Rusticianus ex plurimis indiciis et conjecturis videtur idem ac diaconus ille Mutugennensis, de quo Augustinus ad Maximinum scripsit, ut supra notavimus (*Lib.* 3, *cap.* 9, *n.* 6).

6. Erat inter sancti Præsulis amicos presbyter alterius Ecclesiæ, nomine Casulanus, cujus studiis et stilo impense delectabatur Augustinus; qui eum ob ingenium, quod in epistolis suis ostendebat, hortabatur ut in verbo Dei proficeret, et ad Ecclesiæ fructum magis ac magis abundaret. Degebat is, ut videtur, in quadam Africæ Ecclesia ex iis in quibus alii jejunium sabbati servabant, alii minime. Non enim tum unus et idem ubique mos Ecclesiæ circa hoc jejunium erat. Romana et aliquot Occidentis Ecclesiæ, etiamsi paucæ, illud extra quinquaginta dies temporis Paschalis observabant. Verum per omnes Orientales, et multos etiam Occidentales populos christianos nullus eo die, præterquam sabbato sancto, jejunabat. In hac consuetudinis discrepantia, videtur Casulanus ad quemdam familiarem suum Romam scripsisse, ut sciret quid esset observandum. Inde amicus ille ad eum rescribens, dissertationem bene longam misit, in qua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem servandam et sabbato jejunandum esse contendebat; ac secus facientes, hoc est, universum prope orbem christianum injuriosis verbis lacerabat. Sed cum operosum foret, commentitium illud jejunandi præceptum validis rationum momentis confirmare, laxis habenis in jejunii laudem excurrebat, et in comessationes ac temulenta convivia insultabundus invehebatur : quod ab instituta quæstione alienum erat; aut omnes qui singulis diebus non jejunarent, hoc est Romanam ipsammet Ecclesiam, ut et cæteras, condemnabat. Hanc dissertationem Casulanus ad Augustinum misit, ut eam refelleret, sibique rescriberet, utrum sabbato liceret jejunare. Voluit Augustinum nomen illius ignorare, cujus disputationem ad eum mittebat, illum tantummodo Urbicum quemdam nuncupans. Augustino e memoria excidit Casulano rescribere, donec alteras accepisset litteras, quibus jure charitatis, qua unum erant, sibi tandem responderi flagitabat. Arctissimas igitur occupationes suas intermisit, ut debitum istud exsolveret; eique indicaret, in hujusmodi rebus divina lege minime præscriptis certiorem regulam, quam ab ipso beato Ambrosio accepisset, esse consuetudinem ipsius loci, in quo degimus; aut si hæc uniusmodi non sit, sequendum esse exemplum episcopi. Sed falsa dissertationis sibi missæ argumenta fuse diluit; sic tamen ut in iis singulatim refellendis non immoretur, quo in aliis operibus magis urgentibus otium suum collocaret (*Epist.* 36). Cum ibi laudat Ambrosium in hæc verba, *Indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, a quo baptizatus sum, Mediolanensis episcopus* (*Ibid.*, *n.* 32); locum dat suspicandi eum scribere ante Ambrosii obitum, qui anno trecentesimo nonagesimo septimo, pridie Paschatis contigit. Cui opinioni nihil interest refragari.

## CAPUT XI.

1 *De libris ad Simplicianum conscriptis, quo in labore prædestinationis veritas illi a Deo revelatur.* 2 *Quandonam editi sint iidem libri.* 3 *Epistolam Manichæi, quam vocabant Fundamenti, refellit Augustinus.* 4 *Librum edit de Agone christiano.*

1. Hoc anno pridie nonas aprilis ex hac vita migra-

vit Ambrosius, cui successit Simplicianus. Hunc Augustinus Mediolani noverat, ejusque consiliis, cum de sua conversione jam serio cogitaret, usus fuerat. Jam tum in eo paternum affectum, quo benignissimum cor illius ardebat, fuerat expertus (*Epist.* 37, *n.* 1). Cum deinde Augustinus in variis lucubrationibus desudasset, earum nonnullæ in Simpliciani manus inciderunt, quas ille cum singulari animi voluptate perlegit. Quin etiam per litteras Augustino significavit, illius se studiosum ac memorem de donis divinitus ei collatis gratulari : simul quæstiones aliquot illi proposuit, quas uno libello enodari ab eo postulabat (*De diversis Quæst. ad Simplicianum, lib.* 2, *quæst.* 6). Augustinus, quem illustria tam sancti viri merita non latebant, illius dilectionis indicia suffragiumque, quo litterarios ipsius labores comprobabat, læto animo excepit ; ratus Deum id solatii curis suis afferre voluisse, cum semper antea pavidus esse cogeretur ac sollicitus, ne quid in exponendis Scripturis aut per inscitiam aut per incuriam delinqueret. Quod ad quæstiones attinet, quas sibi a Simpliciano velut piissimo patre propositas fuisse dicit, non ut ab ipso quidpiam disceret, sed ut exploraret proficientem, et emendaret errantem ; testatur se non contumacem modo, sed ingratum etiam futurum fuisse, nisi eis respondisset (*Ibid.*, *in Præfatione*). Quare cum illæ quæstiones partim essent de Epistola ad Romanos, partim de libris Regum ; duos composuit libros, priorem quidem de quæstionibus in Paulum, quæ duæ omnino erant ; posteriorem vero de cæteris quæstionibus, quarum propheticum sensum Simplicianus requirebat. Et illa quidem, quæ de Apostolo dissolvenda Simplicianus proponebat, jam ab Augustino discussa fuerant, litterisque mandata : sed ille ratus Simplicianum ea sibi propositurum non fuisse, si sensus eorum facilis foret ac expeditus : ne quid in priori discussione negligenter præteriisset, ea cautius denuo attentiusque rimatus est. Ac re quidem ipsa cum alteram quæstionem de his Apostoli verbis, *Quid habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7) ? ad trutinam revocasset, mutavit sententiam in qua prius fuerat, arbitratus fidem esse ab homine (*De Prædest. sanct.*, *c.* 4, *n.*8), eumque post veritatis præconium se ad credendum aut non credendum determinare propriæ voluntatis arbitrio (*Ibid.*,*n.*7). Hanc suam sententiam, quæ deinde Semipelagianorum fuit, in nonnullis opusculis, quæ scripserat adhuc presbyter, indicaverat. Verum cum usu et exercitatione scribendi legendique proficeret, clarius in hoc opere, quam alias unquam, initium fidei perinde ac bonorum operum consequentium seriem, donum Dei esse ex divina revelatione cognovit (*De Dono perseverantiæ*, *c.* 20, *n.* 52). Sic postquam pro libero laborasset arbitrio, tandem aliquando Dei gratia vicit (*Retractat. lib.* 2, *cap.* 1, *n.* 1). In posteriori enim parte prioris libri statuit velut rem minime dubiam, gratiam Dei non secundum merita nostra dari. Probat etiam initium fidei esse donum Dei. Et ea principia ponit, ex quibus facile sit inferre, licet id conceptis verbis non dicat, nos perseverantiam usque in finem habere non posse, nisi ab eo qui nos ad regnum et gloriam suam prædestinavit, nobis conferatur (*De Dono persever.*, *c.* 21, *n.* 55). Quamobrem Prosperum et Hilarium rogat, ut hoc opus Massiliensibus, qui doctrinam hanc impugnabant, curent perlegendum, si forsan adhuc non legerint (*De Prædest. sanct.*, *c.* 4, *n.* 8). Sic fidei suæ fructum percepit, cujus impulsu ad Simplicianum scripserat, se, licet quæstiones ab eo sibi propositas, sua tarditate implicatus, minus intelligeret, ejus tamen meritis fretum illas aperturum (*Epist.* 37, *n.* 3). Et ad alteram quæstionem gradum faciens, testatur se ipsius precibus adjutum, rem adeo implexam et obscuram aggredi : cum certus sit pro ejus erga se benevolentia, nunquam eum jussurum fuisse, ut hæc arcana reseraret, nisi simul fuisset a Deo deprecatus ut posset (*De diversis Quæst. ad Simplic.*, *lib.* 2, *quæst.*1, *Præf.*). Simplicianum pariter rogat, ut in hoc opere, aliisque quæ in manus illius forte pervenirent, non solum curam legentis impendat, sed etiam censuram corrigentis assumat (*Epist.* 37, *n.* 3). Et in extrema libri clausula, postquam pro suis erratis preces ab eo postulavit : *Sententiam vero*, inquit, *de hoc opere tuam brevissimam, sed gravissimam flagito ; et dum sit verissima, severissimam non recuso* (*De diversis Quæst. ad Simplic. lib.* 2, *quæst.* 6). Inter quæstiones illi a Simpliciano propositas una erat de pythonissa, quæ Samuelis animam Saüli exhibuit (*Ibid.*, *quæst.* 3). Cum postea Dulcitius illum eadem de re consuluisset, ea quæ jam ad Simplicianum scripserat, solummodo repetiit. Adjecit tamen ad calcem operis, videri sibi, ex his quæ postmodum in Ecclesiastico comperisset, non simulatam Samuelis imaginem maligno pythonissæ ministerio præsentatam, sed Samuelem ipsum adfuisse spectabilem (*De octo Dulcitii Quæst.*, *quæst.* 6, *n.* 5).

2. Etsi Augustinus eorum librorum, quos episcopus elaboravit, primos esse duos ad Simplicianum (*Retract. lib.* 2, *cap.* 1, *n.* 1), eosque in exordio sui episcopatus scriptos a se testatur (*De Prædest. sanct. n.* 8 ; *De Dono persever.*, *n.* 55) , nihil id obstat quominus illos in annum trecentesimum nonagesimum septimum rejiciat Joannes Rivius, haud dubius sane Simplicianum jam tum esse episcopum (*Rivius*, *pagg.* 125, 636) : in quo Baronii sententiam videtur secutus (*Baronius*, *ad ann.* 397, *n.*55). Ausi non sumus ab utroque discedere, cum in hisce libris Augustinus Simplicianum patrem suum appellet (*Epist.* 37, *titulo et n.* 1 ; *De diversis Quæstionibus ad Simplicianum*, *lib.* 1, *in Præfatione*), perpetuoque asserat scripsisse se id operis, nunc ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis antistitem, nunc ad Simplicianum episcopum Mediolanensis Ecclesiæ (*Retract. lib.* 2, *cap.* 1 ; *De Dono persever.*, *c.* 21, *n.* 55), sancti Ambrosii successorem (*De Prædest. sanct.*, *n.* 8); aut alias dicat, rem a se quæsiisse Simplicianum Mediolanensem episcopum (*De octo Dulcitii Quæstionibus*, *quæst.* 6, *n.* 2) : nunquam autem Simplicianum postea factum episcopum innuat. Quanquam non temere existimari possit, Simplicianum adhuc presbyterum, ab Augustino, pro singulari ejus erga tantum virum observantia, patrem nuncupari ; siquidem ipse Augustinus eum Ambrosii in accipienda Christi gratia patrem

nominat, et vere ut patrem ab eodem dilectum fuisse tradit (*Confess. lib.* 8, *cap.* 2, *n.* 3). Ambrosius reipsa Simplicianum patris loco se colere disertis ipsemet verbis significat : nam et eum rogat, ut se parentis affectu diligere pergat (*Apud Ambros. Epist.* 65, *n.* 10) : et alibi, *Veteris affectum amicitiæ*, inquit, *et quod plus est, paternæ gratiæ amorem recognosco ; nam vetustas habet aliquid cum pluribus consociabile, patrius amor non habet* (*Ibid., Epist.* 37, *n.* 1). Cum autem Simplicianum tam honorifice habuerit Ambrosius, neque deest unde Augustinus, qui Ambrosio et ætate et dignitate inferior erat, eumdem licet nondum episcopum patrem nominare voluisse existimetur. Enimvero non legimus ipsum hanc appellationem vel Romanis deferre præsulibus, vel episcopo Carthaginensi, quos etiam plerumque fratres appellat Unde intelligere licet, eum patris titulum ipsi Simpliciano, non autem sedi Mediolanensi concedere. Addi etiam potest eum eidem Simpliciano, si jam exstitisset episcopus Mediolanensis, titulum papæ probabiliter collaturum fuisse quemadmodum Aurelio Carthaginensi (*Epist.* 41, *n.* 60), necnon ipsi Ambrosio deferebat (*Epist.* 31, n. 8). Hæ nimirum sedes paris propemodum dignitatis in Ecclesia censebantur, et ipsa locorum intercapedo (ut venerandam Simpliciani canitiem sileamus) plus adhuc officii et honoris erga Mediolanensem sedem adhiberi postulabat. Ad hæc Gennadius, qui Simpliciani legisse videtur epistolam, testis est eum ad Augustinum adhuc presbyterum scripsisse. Has igitur ad eum litteras dederit ineunte anno trecentesimo nonagesimo sexto : unde inducimurut credamus Augustinum eodem quidem anno ad illum scripsisse ; sed ubi postea hos ad Simplicianum libros memoravit, eum, commendandi et indicandi viri causa, episcopum Mediolanensem appellavisse.

3. Post libros ad Simplicianum collocat Augustinus opusculum a se lucubratum contra Epistolam Manichæi, quam vocabant Fundamenti (*Retract. lib.* 2, *c.* 2): quoniam reipsa totum pene, quod Manichæi credebant, complectebatur (*Cont. Epist. Manichæi, c.* 5, *n.* 6). Verum sola illius principia, id est, priores epistolæ partes refellit. In reliquam enim epistolam adnotationes tantum dictavit, quæ tamen omnia ad eam subvertendam necessaria continebant ; ut his velut signis et indiciis admoneretur, si aliquando contra totam scribere vacaret (*Retract. lib.* 2, *cap.* 2). Illæ adnotationes exciderunt. Hoc opus contra Manichæos orditur Deum deprecans, ut sibi mentem det pacatam atque tranquillam, quæ de illorum correctione magis quam de subversione cogitet ; cum erga eos misericordia, non odio moveatur ; quos nempe iisdem erroribus, quibus ægre adeo se expedierit, videt implicatos.

4. Huic libro subjicit eum, quem *De Agone christiano* inscribit (*Ibid., cap.* 3), eo quod ibi Christianos ad ineundam contra dæmonem et se ipsos pugnam erudiat. In eo fidei regulam, et bene vivendi præcepta paucis verbis tradit, in quibus tamen multa occurrunt longe pulcherrima. Præcipuas pariter hæreses hoc in libro breviter comprehendit, quas inter et Donatistarum et Luciferianorum sectas recenset. Observat quoque Donatistas in varia schismata fuisse distractos (*De Agone christiano, nn.* 31, 32). Verum ad causæ suæ utilitatem non trahit, quod Prætextatum et Felicianum, cum diris ante imprecationibus ejectos, recepissent in communionem suam : licet id circa initium anni trecentesimi nonagesimi septimi contigerit. Non parum hoc favet iis quæ diximus, eum forsan ad Simplicianum scripsisse jam inde ab anno trecentesimo nonagesimo sexto. Notat hunc librum de Agone christiano humili stilo, et fratribus latino sermone leviter imbutis accommodato a se fuisse conscriptum (*Retract., lib.* 2, *cap.* 3).

## CAPUT XII.

1 *Libri de Doctrina christiana quatuor ab Augustino lucubrati.* 2 *Tum liber contra Partem Donati : et Confessionum libri tredecim.* 3 *Opus contra Faustum sub idem tempus vulgatum.* 4 *In tribuendo quibusdam opusculis suo loco, quid observare visum est.* 5 *Scribit Augustinus librum de Canticis ad altare.* 6 *Quæstiones Evangeliorum.* 7 *Adnotationes in Job.* 8 *Librum de Catechizandis rudibus.* 9 *Ac de Trinitate libros quindecim.*

1. Ordo, quem in suis operibus recensendis servat Augustinus, facit ut ejus de Doctrina christiana lucubrationem huic tempori assignemus (*Retract., l.* 2, *c.* 4). In ea tribus quidem prioribus libris intelligendæ Scripturæ regulas præscribit : quarto autem libro docet quomodo, quæ intellecta et percepta fuerint, aliis tradenda sint. Cum ad istud opus edendum se contulit, plura de hac re jam in cogitatione tenebat, sperabatque, ubi aliis impendere ea cœpisset, Deum qui hæc dederat, cætera sibi adhuc necessaria non denegaturum (*De Doctrina christiana, lib.* 1, *n.* 1). Hoc tamen opus, anno forte trecentesimo nonagesimo septimo cœptum, tunc temporis non absolvit ; sed ad medium solummodo caput vigesimum quintum libri tertii perduxit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 4), ac statim, quanquam imperfectum, permisit in vulgus exire, quandoquidem id citat in libris quos contra Faustum paulo post conscripsit (*Contra Faustum, lib.* 22, *cap.* 91). Verum cum opera sua recognoscens mancum opus comperisset, prius perficiendum sibi existimavit, quam ad alia retractanda gradum faceret. Tunc itaque librum tertium complevit, quartumque integrum adjecit (*De Doctrina christ., lib.* 4, *c.* 24, *n.* 53), elapsis tunc ab itinere quod ad urbem Cæsaream Mauritaniæ anno Christi quadringentesimo decimo octavo, mense septembri, susceperat, annis octo vel novem, id est, anno Domini supra quadringentesimum sexto aut septimo. In secundo libro, ubi laudat opus Ambrosii quod a Paulino petierat, sanctum illum præsulem nostrum Ambrosium appellat (*Ibid., lib.* 2, *c.* 28, *n.* 43). Unde tamen, ut opinamur, inferri non potest, hunc tum aut in vivis adhuc egisse, aut e vivis jam excessisse. Refert, se non ita pridem accepisse a gravissimis viris, fideque dignissimis, servum barbarum christianum, qui litteras non nosset, plenam earum notitiam triduanis precibus divinitus obtinuisse, adeo ut codicem oblatum, stupen-

tibus qui aderant, expedite legendo percurrerit (*Ibid.*, *lib.* 1, *Prolog. n.* 4 ).

2. Post libros de Doctrina christiana mentionem facit Augustinus duorum librorum, quos *Contra partem Donati* inscripserat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 5) ; sed illi ad nostra tempora non pervenerunt. Collocat deinde Confessionum suarum libros, in quibus Dei justitiam ac bonitatem in peccatorum suorum recordatione ac beneficiorum divinitus acceptorum memoria commendans, hominis intellectum in summum illud bonum et infinitam Dei majestatem excitat. Hoc enim in se egisse, cum scriberentur, et agere cum leguntur, multisque fratribus eos placuisse et placere testatur (*Ibid.*, *n.* 6). Scribit alibi, nullum e suis operibus aut frequentius, aut delectabilius fuisse perlectum (*De Dono persev.*, *n.* 53). Non erat tamen nescius a nonnullis forsan improbatum iri ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 6 ). Et re quidem ipsa cum aliquando a quodam episcopo hæc ejus verba Romæ commemorarentur, *Da quod jubes, et jube quod vis ;* Pelagius qui aderat, et hæresis suæ virus necdum retegebat, ea ferre non potuit ; et contradicens aliquando commotius, pene cum eo, qui illa commemoraverat, litigavit (*De Dono persev.*, *n.* 53). Verum longe plures sunt alii hujus operis loci, unde Pelagiani et Semipelagiani debeant offensionem accipere, cum illorum errores nondum exortos, in hoc opere passim impugnet. Apparet, Petilianum quædam verba libri tertii Confessionum præpostero sensu accepisse, ut inde ansam ea criminandi arriperet ; quamvis et per se perspicua, et ex multis ante et postea dictis essent manifesta (*Cont. Litt. Petil.*, *lib.* 3, *n.* 60). Cum Darius Comes Confessionum libros ab Augustino postulasset, eos ille transmittens sic Darium compellat : *Ibi me inspice, ne me laudes ultra quam sum ; ibi non aliis de me crede, sed mihi ; ibi me attende, et vide quid fuerim in me ipso, per me ipsum ; et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me ; neque enim me. Quoniam ipse fecit nos, et non ipsi nos ; nos autem perdideramus nos, sed qui fecit, refecit. Cum autem ibi me inveneris, ora pro me, ne deficiam* (*Epist.* 231, *n.* 6). *Hoc opere,* inquit Possidius, *qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque jam sumpta viveret, designavit. Hoc enim facere voluit, ut ait Apostolus, ne de se quisquam hominum supra quam se esse noverat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret* (II *Cor.* XII, 6), *humilitatis sanctæ more utens, et jam nullum fallens ; sed laudem non suam, sed sui Domini de propria liberatione ac munere quærens, ex iis videlicet quæ jam perceperat ; et fraternas preces poscens de iis quæ accipere cupiebat* (*Possid.*, *in Vita August.*, *Præf.*). Quia vero Paulinus Alypium episcopum, quamvis frustra, rogavit ut omnem vitæ suæ historiam ad ipsum scriberet (*Apud August.*, *Epist.* 24, *n.* 4), eo fretus exemplo Baronius opinatur, ejusdem Paulini rogatu ac impulsu scriptos fuisse ab Augustino suos Confessionum libros (*Baron.*, *ad an.* 395). Non unus tamen Paulinus, sed multi boni Christiani, qui eum noverant, vel potius, quod ad constitutionem animæ non eum noverant, quæ esset vita ipsius nosse cupiebant. His ille morem gessit, quos sperabat, et congratulaturos ei de bonis ipsi a Deo datis, et oraturos Deum pro quibusdam pristinorum vitiorum reliquiis ipsius in via Dei progressum adhuc retardantibus (*Confess. lib.* 10, *cap.* 3, *nn.* 4, 5.)

3. Opus contra Faustum in Retractationum serie Confessionum libros excipit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 7). De Fausto supra diximus, ac de libro quem pro Manichæis adversus Ecclesiam scripserat ( *Lib.* 1, *cap.* 9, *n.* 4 ). Cum iste liber in Augustini manus venisset, lectusque fuisset a fratribus, enixe illi a sancto Præsule, jure charitatis qua ipsis serviebat, flagitarunt ut ei responderet. Respondit igitur, et propositis Fausti verbis responsiones suas subjecit. Sic opus bene longum evasit, in tres et triginta divisum disputationes, quas mavult libros appellare ; quamvis sint in eis aliquot perbreves : sed sunt nonnulli admodum prolixi, præsertim vicesimus secundus, in quo Patriarcharum vitam contra Fausti calumnias defendit. Hujus vicesimi secundi libri locum profert in Quæstionibus ad Dulcitium ( *Quæst.* 7 ). Liber iste videtur esse opus illud, quod de vita Patriarcharum contra Faustum nuncupat. Opus suum contra Faustum una cum epistola (*Epist.* 82, *n.* 17) misit ad Hieronymum anno circiter quadringentesimo quinto.

4. Nostræ quidem sunt partes, operum singulorum tempus, si modo comperiri possit, diligenter observare. Verum supra memorati libri aut parva admodum, aut nulla temporis indicia præ se ferunt. Nam quod ad libros contra Faustum, refert solummodo Augustinus, se illos scripsisse diu ante acceptam ab Hieronymo epistolam numero octogesimam secundam, quæ illi reddi non potuit ante annum quadringentesimum quintum. Aliud igitur nobis non licuit, quam sequi seriem ab ipso Augustino in Retractationibus institutam, qui se ordinem temporis, quantum potuit, servasse testatur (*Retract. Prol.*, *n.* 3). In eo tamen non fuit omnino accuratus. Nam libris contra Faustum proxime subjungit disputationem contra Felicem Manichæum, quam haud dubie habuit mense decembri anni quadringentesimi quarti (*De Actis cum Felice*, *lib.* 1, *cap.* 1 ). Et ubi complures alios Tractatus recensuit, collocat libros contra Petilianum : quos tamen sub Anastasio papa, hoc est, anno saltem quadringentesimo secundo conscripsit (*Cont. Litt. Petil.*, *lib.* 2, *c.* 15, *n* .118). Forsan operi contra Faustum cætera opera, quæ postmodum scripserat adversus Manichæos, voluit continenter annectere. Et re quidem ipsa post libros, quos eo loci memoravit, nullum amplius adversus hanc hæresim ab eo scriptum comperimus. Hunc ordinem sequemur, aliaque opera, quæ libris ad Manichæos spectantibus subjicit, hic etiam collocabimus, quoad occurrant aliqua, quorum tempus distinctius indicare possimus.

5. Primus in hac serie nobis occurrit liber, quem contra Hilarum quemdam, virum tribunitium, laicum catholicum scripsit ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 11 ). Is ira succensus ( causa nos latet ) adversus Ecclesiæ ministros, ut fieri assolet, ait Augustinus, morem qui tunc apud Carthaginem induci cœperat, ut hymni e

Psalmorum libro ad altare canerentur, sive ante oblationem, sive cum populo distribueretur oblatum, maledica reprehensione carpebat. Cum igitur hanc ille consuetudinem velut erroneam ubicumque laceraret, Augustinus fratrum suorum precibus compulsus est eum refellere. Hoc opus appellatur a Possidio liber contra Hilarum de Canticis quæ ad altare dicuntur (*Possid., in Indic., cap.* 6). Hodie non exstat.

6. Post hunc librum collocat Augustinus expositiones quorumdam locorum ex Evangelio secundum Matthæum et Lucam, duobus libris comprehensas, quas *Quæstiones Evangeliorum* inscribit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 12). Id operis composuit ad usum cujusdam, qui Evangelium una cum eo legens, si quid ipsi videbatur obscurum, illum consulebat, et quæ ipse primo præterierat, aliquando retractabat. Unde fit ut illæ quæstiones non semper evangelici textus seriem sequantur. Cui incommodo ut mederetur Augustinus, titulorum syllabum texuit. Porro nec omnes difficultates, nec aliquando graviores quæ proponi possunt, in his libris enodantur; quia qui consulebat Augustinum, jam pleraque noverat.

7. Adnotationes in Job sunt quædam solummodo scholia, quæ a sancto Doctore ad marginem textus adscripta, parum accurate alii exscripserunt, et in unum corpus redegerunt. Unde dubitat Augustinus, an hunc fetum ut suum et legitimum agnoscere debeat. Fatetur has Adnotationes acceptas et ad intelligentiam accommodatas non fore, nisi paucissimis; quibus etiam multa in his occurrent, quæ percepturi non sint, cum propter sententiarum brevitatem, tum propter menda, quæ in eas tam crebra irrepserunt, ut emendare non potuerit. Qualecumque tamen esset hoc opus, expetitum fuit a fratribus, quorum studio cum denegare non potuisset Augustinus, in suis Retractationum libris illud ut suum agnovit (*Ibid., cap.* 13).

8. Adnotationes istas excipit liber de Catechizandis rudibus (*Ibid., cap.* 14), ad Deogratias Carthaginensem diaconum, ad quem primis fidei elementis imbuendi sæpius deducebantur; quod is in christiana religione foret apprime eruditus, ac suavi facundia singularique catechizandi facultate polleret. Attamen in hac exercitatione sibi ipse non faciebat satis; pene semper angustias patiebatur, dubius et anceps quo pacto ea, quorum fides nos christianos facit, exponeret; undenam exordienda esset institutio, et ubi concludenda: an institutioni subjicienda quædam exhortatio, an solum exponenda præcepta, quorum observationem ad christiano more vivendum necessariam scire teneretur catechizandus. Querebatur quoque, quod prolixo sermone fatigatus persæpe præ tepore languesceret, et sic animo affectus nec catechizandum, nec audientes accenderet. Augustinum igitur hac de re sibi monita daturum credidit: et ut illius familiaris erat, ab eo per litteras petiit, ut inter occupationes suas non gravaretur aliquod sibi catechizandi specimen edere. Existimavit Augustinus, se ex officio et charitate, qua non uni tantum amico, sed generatim toti Ecclesiæ obstrictus erat, teneri se ad illud alterius voto libenter concedendum. *Quanto enim cupio*, inquit, *latius erogari pecuniam dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigre ac studiose volunt* (*De Catech. rud., c.* 1, *n.* 2). De hoc igitur argumento librum quo de agimus, ad eum scripsit, ubi primum consolatur eum de tædio, quod illi dicenti subrepere solebat. Idem sibimet prope semper contingere fatetur, dum in exponendis fidei mysteriis lingua menti sufficere non potest: inde animum suum frangi, seque aliis molestum arbitrari; cum tamen ex studio et alacritate, quam præ se ferunt audientes, eloquium suum, quantumvis sibi ipsi frigidum videatur, illos inflammare conjiciat. Inter alia præcepta quæ tradit, monet expedire, ut privatim instituendis offeratur sessio, cum ut videtur illa species fastus, quando stantes sedentem jubentur audire, tum quia contingere potest, ut stando defatigati se, aliam causam prætexentes, subducant: quod sibi rusticum quemdam primis fidei rudimentis imbuenti accidisse testatur (*Ibid., c.* 13, *n.* 19). Deogratias, cui tractatus hic inscribitur, ad presbyterium deinde provectus est, si modo idem est cui Augustinus circa annum quadringentesimum sextum ad quæstiones ab eo sibi Carthagine missas respondet epistola centesima secunda. Hunc presbyterum non modo ut familiarem suum, cui denegare nihil possit, compellat; sed etiam ut virum peritum, qui consuleretur in dubiis, et cujus stilus sibi et aliis probaretur.

9. Libro de Catechizandis rudibus subdit quindecim libros de Trinitate (*Retract. lib.* 2, *cap.* 15), quos per aliquot annos elucubratus est, cum eos, ut ipse scribit, juvenis inchoarit, senex ediderit (*Epist.* 174). Illos siquidem intermittebat, quoties alio implicabatur opere, quod pluribus profuturum existimabat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 16); ratus istud operosius et minus utile, quam pleraque alia, quod res minus necessarias et a pauciоribus intelligendas contineret (*Epist.* 169, *c.* 1, *n.* 1). Unde id opus potissimum suscepit in eorum gratiam, qui fidei auctoritatem repudiantes, myteriorum veritatem ratione sibi demonstrari volebant (*De Trin. lib.* 1, *c.* 1, *n.* 1). Cum autem in lege Domini, quantum sibi licebat, meditaretur; non patiebatur charitas eum, quæ ex Dei dono ac revelatione accepisset, aliis denegare: ac sibi pollicebatur fore, ut ea ministrando aliis, ipse quoque proficeret; dumque eis cuperet respondere quærentibus, quod etiam ipse quærebat inveniret (*Ibid., c.* 3, *n.* 5). *Ergo suscepi hæc*, inquit, *jubente atque adjuvante Domino Deo nostro, non tam cognita cum auctoritate disserere, quam ea cum pietate disserendo cognoscere* (*Ibid., c.* 5, *n.* 8). Cernitur is sancti Doctoris animus in permultis hujus operis locis, et in ipsis maxime proœmiis. Testatur stilum se perlibenter fuisse suppressurum, si aut res hujusmodi sufficienter a Latinis invenirentur expositæ, aut Græci scriptores essent latine redditi, aut alii denique curam respondendi quæstionibus sibi propositis vellent suscipere. Initio libri decimi quinti,

quæ in superioribus exposuerat, compendiario sermone complectitur ( *Ibid.*, *lib.* 15, *n.* 3). Hos libros singillatim edere nolebat, sicuti libros de Civitate Dei postea edidit, sed omnes simul; quod extrema primis, ratiocinationis quasi vinculo, connectantur. Verum qui de hisce libris aliquid audierant, et illos habere vehementer cupiebant, tantam moram et dilationem minime passi, unum illi exemplar subtraxerunt, libro duodecimo nondum absoluto, et aliis minus emendatis et recognitis, quam eos editurus esse voluisset. Quod ubi comperit, statuerat eos, labore suo intermisso, non edere, sed in alio quodam opusculo de hisce libris sibi subreptis conqueri : verum ardentissimis fratrum precibus, et in primis Aurelii Carthaginensis Ecclesiæ episcopi jussis reluctari non valuit. Itaque quod supererat ad coronidem perduxit, et priores libros emendavit ; non tamen ut ad res adeo difficiles explanandas et illustrandas necessarium esse censebat, sed ut potuit, operam adhibens ne ab iis, qui ipso invito prodierant, multum discreparent (*Retract. lib.* 2, *cap.* 15, *n.* 1). Eos subinde per diaconum quemdam misit ad Aurelium Carthaginensem una cum epistola (*Epist.* 174) quam in fronte librorum præfigi rogabat, ut esset instar proœmii : propterea quod hac in epistola, quæ mox retulimus adnotabat. In quadam ad Evodium epistola scribit, se nondum hoc opus edidisse (*Epist.* 162, *n.* 2); et in epistola ad eumdem altera, quæ solum exeunte anno quadringentesimo decimo quinto conscripta est, se nondum illud perfecisse testatur (*Epist.* 169, *c.* 1, *n.* 1), quamvis jam primos quinque de Civitate Dei libros elaborasset. Ex alia porro epistola sub finem anni quadringentesimi duodecimi ad Marcellinum data, licet intelligere, amicos ab eo flagitasse, ut hos libros ederet, quo posset eorumdem ipse defensionem suscipere, si vel ab inimicis mordacibus, vel etiam ab amicis minus intelligentibus quidpiam in illis forte carperetur : ipsum contra diutius eos retinuisse, quam vellent ac ferrent amici, ob periculum quod suberat, ne in argumento, de quo tractabant, falleretur : *Ut si non potuerint*, inquit, *nisi habere aliqua, quæ merito reprehendantur, saltem pauciora sint, quam esse possent, si præcipiti festinatione inconsultius ederentur* (*Epist.* 143, *n.* 4). Scribens quoque ad Consentium, meminit operis de Trinitate, quod in manibus habebat, et ob argumenti præstantiam ac difficultatem nondum perficere poterat (*Epist.* 120, *c.* 3, *n.* 13). In his omnibus locis, si forsan postremum excipias, loquitur de opere suo velut necdum edito. Quocirca conjectare licet, priorem ipsam editionem, quæ eo necdum absoluto prodiit, non præcessisse annum quadringentesimum duodecimum. Constat autem, alteram nonnisi post longum temporis intervallum publicatam esse : cum ipse libro decimo tertio quidpiam dicat esse jam a se explicatum in duodecimo de Civitate Dei; qui ante annum quadringentesimum decimum sextum compositus non fuit. Ubi mentionem fecit Augustinus librorum de Trinitate, eos memorat, quos de Consensu Evangelistarum post ipsam, ut videtur, eversionem templorum anno trecentesimo nonagesimo nono factam, conscripsit. Quapropter de illis hoc loco non agimus. Jam notavimus minime nos contendere, omnia opera, quæ modo memoravimus, hoc anno fuisse elaborata : sed solum eo ferme ordine, quem illis assignavimus : et quidem ante libros de Consensu Evangelistarum, aliosque postea recensendos.

## CAPUT XIII.

1 *Possidii ordinatio in Calamensem episcopum.* 2 *Hieronymus scribens ad Augustinum, papæ ipsum titulo exornat.* 3 *Epistola ad Hieronymum data Paulo perferenda tardius illi redditur.* 4 *Epistolæ ad Paulinum Augustini rescripta postulantis duæ.*

1. Ut eorum, quæ ad annum trecentesimum nonagesimum septimum referri possunt, seriem repetamus : reponendus est hoc anno Megalii Numidiæ decani sive primatis obitus, cum in concilio Carthaginensi, quod celebratum est hoc anno, quinto kalendas septembris, Aurelius se litteras a Crescentiano primariæ sedis Numidiarum, ut Crescentianus ipse insinuabat, episcopo, non ita pridem accepisse testetur (*Cod. Can. Afric. can.* 35). Unde liquet nesciisse tunc Aurelium, eum esse decanum ; quod tamen in primis scire debuerat. Quarto et vicesimo circiter die ab obitu Megalii scripsit Augustinus ad Profuturum Cirtensem episcopum, ut sciret an successorem in illius primatu invenisset : id enim quæsiturum se pollicitus fuerat (*Epist.* 38, *n.* 2). Ad eumdem scribit, se præ rhagadis vel exochadis dolore ac tumore, nec sedere, nec stare, nec ambulare posse, sed lecto affigi : nihilominus, quoniam id Domino placeret, secum agi præclare (*Ibid.*, *n.* 1). In eadem epistola habet longe pulcherrima de affectu iræ cohibendo, ne in odium degeneret (*Ibid.*, *n.* 2). Quâ de re consulto loquitur, ob id quod nuper ipsi Profuturus in itinere dixerat. Verum quid rei sit, conjici non potest. Scripsit ad Profuturum per Victorem, qui Constantinam petiturus eum præmonuerat. Quapropter in dubium vocari non potest, quin iste Profuturus ille ipse sit, qui alibi legitur fuisse Cirtæ sive Constantinæ episcopus. Rogat eum Augustinus, ut Victor per Calamensem civitatem remeet (sic enim promiserat), ob negotium cujus ipse notitiam haberet, de quo a Nectario majore vehementer urgeretur. Quid illud fuerit, non liquet. Augustinum paucis post annis scripsisse videbimus ad Nectarium (*Epist.* 91), unum e Calamæ primoribus, admodum ætate provectum, sed paganum, quamvis illius pater christianam fidem fuisset professus. Megalius, ut diximus, Calamensis erat episcopus ; adeoque illi Possidius Augustini discipulus successerit necesse est : cum enim sedem hanc laborum suorum et fortitudinis gloria illustrantem subinde videbimus. Quanquam oportet Calamensem sedem aut aliquandiu vacasse post Megalium, aut episcopum habuisse ad modicum tempus alium a Possidio. Nam Profuturi episcopi Cirtensis ad quem Megalio jam defuncto datæ sunt ab Augustino litteræ, successor Fortunatus in Africanis ubique conciliis ante Possidium collocatur.

2. Hoc ipso anno, ut videtur, Hieronymus, qui per Asterium anno superiori litteras ad Augustinum mi-

serat, scripsit rursum ad eum (*Apud Aug.*, *Epist.* 39), commendaturus illi Præsidium familiarem suum, qui certis de causis in Occidentem trajecerat. Is bonorum amicitias studiosissime consectabatur, quas si quis ipsi conciliasset, maximi beneficii loco ducebat. Rogat igitur Augustinum Hieronymus, ut hoc illi præstet, nec enim rei alterius indigere. Hieronymus in eadem epistola Alypium salvere jubet, seque molestias huic nostræ peregrinationi annexas sustinere, et variis hinc inde fluctibus in monasterio jactari atque concuti testatur. Quapropter hanc epistolam ad hunc annum trecentesimum nonagesimum septimum referre cogimur antequam inter eum et Joannem Jerosolymitanum hoc ipso anno convenisset : cum minime legamus eum ab illa reconciliatione concordiæ cum Joanne, usque ad persecutiones a Pelagianis anno quadringentesimo decimo sexto in ipsum concitatas, occasionem ita conquerendi habuisse. Papæ titulo semel et iterum insignit Augustinum (*Ibid.*, *inscript. et n.* 2); unde non prius anno trecentesimo nonagesimo sexto reponenda est epistola. Cum autem Hieronymus Augustino ad episcopatum provecto in ea non gratuletur ; probabile est, id præstitisse, cum ad eum superiori anno per Asterium scripsit. Præsidius quem Hieronymus in hac epistola illi commendat, videtur omnino is esse, cujus opera usus est Augustinus, ut exacerbatum ipsius Hieronymi animum sibi excusato conciliaret (*Epist.* 74). Ex diacono jam creatus fuerat episcopus ; et a concilio Carthaginensi ad Imperatorem contra Donatistas legatus anno quadringentesimo decimo celeberrimam illam collationem Carthaginensem, quæ anno sequenti habita est, obtinuit. Idem epistolæ concilii Numidiæ contra Pelagianos ad Innocentium papam subscripsit anno quadringentesimo decimo sexto (*Apud August.*, *Epist.* 176).

3. Sub id fortasse tempus Augustinus epistolam a Paulo perferendam scripsit ad Hieronymum (*Epist.* 40, *c.* 1, *n.* 1). Primum quidem alterius cujusdam litteris subscribens eum officiose salutaverat, et Hieronymus pro ejus urbanitate peculiarem illi epistolam reddiderat. Ea est, ni fallimur, epistola quam per Asterium diaconum Hieronymus ad eum misit anno forsan trecentesimo nonagesimo sexto, ut illi salutationis officium redderet. Cum igitur ei rescribere teneretur Augustinus, occasionem arripuit ab eo sciscitandi, quid de Petri et Pauli disceptatione sentiret. Ibi etiam meminit libri ab eodem conscripti de scriptoribus ecclesiasticis, quem nuper ipse legerat : simulque amice admonet, siquidem in eo libro nec hæresiotas prætermittere voluisset, commodius sibi videri facturum fuisse, si nominatis illis, subjunxisset etiam in quibus cavendi essent. Eum pariter rogat, quo consilio quosdam ex iis in eodem opere præterierit ; aut si voluminis non onerandi gratia hoc factum sit, cur hæreticis duntaxat commemoratis, non addiderit in quibus eos catholica damnarit auctoritas. Et quia de Origene rescribens Hieronymus innuerat eum in aliis quidem approbandum et laudandum, in aliis vero improbandum atque reprehendendum ; certiorem eum facit sese jam scire, non tantum in ecclesiasticis, sed in omnibus litteris, recta et vera quæ invenerimus approbare atque laudare, falsa vero et prava improbare atque reprehendere : hoc autem se desiderasse, atque etiamnum desiderare, ut nota sibi faceret errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. Ita scribebat illi per Paulum, cujus præclaræ existimationi testimonium tribuit. Sed Paulus navigationis consilium mutavit : factumque est, ut epistola prius spargeretur per Italiam, quam ad Hieronymum perveniret (*Epist.* 72, *n.* 1). Quod inter utrumque discordiam animorum serere poterat, nisi humilitas modestiaque Augustini, et utriusque charitas offensionis semina suffocasset.

4. Quemadmodum in epistola superiore Augustinus magnopere petit ab Hieronymo, ut litterariam collocutionem secum habeat ; quod id in primis valeat ad tuendam amicitiam, faciatque ne multum ad amicos disjungendos, ut loquitur, liceat absentiæ corporali : sic in illa, quam hoc eodem tempore dedit ad Paulinum, huic sancto viro, cujus amicitiam maximi ducebat, vehementer instat, quo rescripta sibi, ea diu ardenterque expetenti, persolvat. *O qui res*, inquit, *vestras quotidie donatis, debitum reddite.* Jam annus et amplius effluxerat ab ultimis litteris Paulini anno trecentesimo nonagesimo quinto sibi redditis : quod perspicue indicat illa Augustini conquestio : *Quid est quod duas æstates, easdemque in Africa, sitire cogamur* (*Epist.* 42, *n.* 1). Ibi Romanum et Agilem salvere jubet, quorum honorifice meminit etiam in epistola anno sequente ad eumdem missa ; in qua rursum insistit, ut demum post biennii silentium rescribat. *Nequaquam nos*, ait, *nescio qua vestra cessatio, qua ecce per totum biennium, ex quo a nobis dulcissimi fratres Romanus et Agilis ad vos remeaverunt, nullas a vobis litteras sumpsimus, pigros ad scribendum fecit. Nam cum in aliis rebus, quanto quisque amplius diligitur, tanto dignior imitatione videatur, in hac re contra est. Quo enim vos amamus ardentius, eo minus ferimus, quod nobis non scribitis ; nec vos in eo volumus imitari* (*Epist.* 45, *n.* 1). In utraque epistola rogat Paulinum, ut sibi mittat opus contra Paganos, quod ab ipso elaborari audivit.

## CAPUT XIV.

1 *Augustinus Cirtam se conferens cum Alypio ad ordinandum Fortunatum episcopum, venit in colloquium cum Fortunio Donatistarum Tuburci episcopo.* 2 *Quonam tempore habitum sit istud colloquium.* 3 *Litteræ ad Glorium aliosque Donatistas quosdam post colloquium scriptæ.* 4 *De alia quadam collocutione cum iisdem habita ante congressum cum Fortunio.* 5 *Cum Fortunato Donatistarum episcopo disputationem per litteras aggreditur.* 6 *De Cœlicolis.*

1. Supra vidimus, Augustinum exacto propemodum mense ab obitu Megalii, scripsisse ad Profuturum Cirtensem episcopum. Videtur is paulo post e vita migrasse ; nec enim diu episcopatum tenuit (*Epist.* 71, *c.* 1, *n.* 2), et annis aliquot ante vita discessit, quam Augustinus librum de Unico Baptismo conscriberet (*De Unico Baptismo*, *n.* 29). Successit ei Fortunatus,

unus ex illis septem, qui ad Ecclesiæ causam in celeberrima illa Carthaginensi collatione contra Donatistas propugnandum, anno quadringentesimo undecimo, ab universis Africæ episcopis catholicis delecti sunt. Ob studium paupertatis laudatur ab Augustino, qui ejus ordinationi adfuit cum Alypio (*Contra Litteras Petiliani*, *c.* 99, *n.* 228). Legimus enim ambos istos præsules una Cirtam festinanter se contulisse ad episcopi ordinationem (*Epist.* 44, *c.* 1, *n.* 1, *et c.* 3, *n.* 6). Porro constat id contigisse ante collationem Carthaginensem, cui Fortunatus inter fuit. Cum Cirtam pergerent, transierunt Tubursico, cujus urbis episcopus ex parte Donatistarum erat Fortunius, homo confecta ætate, cujus benignitatem laudarant apud Augustinum Donatistæ aliquot, Glorius, Eleusius, et Felix, qui vicissim honorificam de Augustino mentionem Fortunio fecerant. Apparet vel ex verbo *soletis*, quo eos alloquitur Augustinus (*Ibid.*, *n.* 1), ipsi fuisse cum illis usum et consuetudinem : licet Hippone-Regio non essent oriundi, sed alia civitate, eaque Gelizæ atque ipsi, ut videtur, Hipponi finitima (*Epist.* 43, *c.* 2, *n.* 5). Solebant illi benignissime polliceri Augustino, non recusaturum Fortunium de componendo Ecclesiarum discidio cum eo colloqui (*Epist.* 44, *c.* 1, *n.* 1). Quapropter cum Tubursicum venisset, renuntiavit Fortunio, se iis quæ de ipso inaudierat, ad eum et videndum et compellandum induci. Annuit ille. Mox Augustinus, comitantibus non paucis, quos illi fortuitus casus adjunxerat, eum convenit, hoc illius ætati tribuendum arbitratus. Cum apud eum consedisset, frequens civium turba, quam hujus colloquii rumor per urbem dispersus accierat, eodem confluxit. In tanta tamen frequentia pauci admodum studio cognoscendæ veritatis, quam plurimi vero sola disputationis curiositate permoti, velut ad spectaculum convenerant. Ex isto populi concursu orta est perturbatio : neque preces, neque minæ tam Augustini quam Fortunii, necessarium disputationi silentium extorquere potuerunt. Res tamen utcumque agi cœpta est, et per horas aliquot invicem sermones contulerunt. Augustinus ab ipso ferme disputationis exordio postulavit, ut verba ultro citroque prolata exciperentur a notariis ; quo pacatior et modestior foret disputatio. Annuit ægre Fortunius. Sed notariis, qui aderant, excipere renuentibus, alii hoc munus aggressi, ob inordinatas perstrepentium interpellationes desistere coacti sunt. Fortunius primo contendit, per totum terrarum orbem diffusam esse communionem suam : sed affirmare non est ausus, posse se litteras communicatorias quocumque mittere. Quod si asseruisset, eum compulisset Augustinus, ut secum pariter ad Ecclesias in Scripturis apostolicis notatas scriberet. Tum Fortunius ad persecutiones a consectaneis suis, ut dicebat, toleratas delapsus est. Verum subjecit Augustinus, persecutiones eos solos numero beatorum adjungere, qui propter justitiam paterentur : ideoque si Macarius, de quo tam acerbe querebantur, eos ab exorto solum schismate divexarat anno trecentesimo quadragesimo octavo, nullum hinc suæ causæ commodum illos posse deducere. Respondit Fortunius, transmarinarum partium Ecclesias mansisse innocentes, donec consensissent in eorum sanguinem, quos Macariana persecutio sustulisset. Sed cum urgeretur, utrum consectanei sui saltem ad illa usque tempora cum Orientalibus Ecclesiis cæterisque orbis partibus in unitate mansissent : protulit epistolam, quam concilium Sardicense anno trecentesimo quadragesimo septimo scripserat ad Donatum, quem suum Carthaginensem esse contendebat. Patet Augustinum nullam hactenus hujus epistolæ aut concilii Sardicensis habuisse notitiam. Verum cum in hac epistola Athanasium Alexandrinum, et Julium Romanum episcopum improbari vidisset, eam ex Arianorum officina prodiisse facile animadvertit. Petiit igitur ut ad accuratiorem temporum discussionem sibi liceret eam accipere, ac secum auferre. Renuit Fortunius, nec eum vel manu sua quidpiam adnotare permisit : quod tamen optabat Augustinus, ne sibi causa forsitan exigente petenda esset illa epistola, et alia supponeretur. Cum pergeret Fortunius justitiam suæ partis ex eo certam velle intelligi, quia persecutionem passa fuerit ; Augustinus ostendit, persecutionem ad jus causæ probandum non satis habere momenti ; idque confirmavit exemplis Maximiani ab ipsis Donatistis exagitati, et Ambrosii, quem christianum et justum fuisse negare cogebantur, a Justina divexati. Rursum Fortunius interventoris cujusdam, quem a nostris occisum dicebat, morte objecta, ab Augustino instanter quærere cœpit, quem justum putaret, qui occidit, an qui occisus esset. Statim ille ei uni nec probatæ morti, cum multa alia, tum maxime opposuit apertum Circumcellionum furorem frequentesque cædes. Sed cum hæc dissimularet Fortunius, neque a quæsitis desisteret ; allatis ab Augustino Eliæ gestis, quibus hic vir Dei plures pseudoprophetas manu sua peremisse narratur, videre demum cœpit, justo saltem veteris Testamenti temporibus licuisse occidere. Perstitit tamen ut quæreret, num et hoc de novo Testamento posset probari. Ad quem Augustinus : sibi quidem in eo non occurrere justum ullum qui aliquem interfecerit, verumtamen liquido ibi demonstrari, sceleratos ab innocentibus in Ecclesia tolerandos esse ; cum Christus ipse Judam toleraverit, et ei primum Sacramentum corporis et sanguinis sui porrexerit. Quo exemplo cum prope omnes moverentur, illud Fortunius eludere tentavit, asserens illam cum scelerato communionem non obfuisse Apostolis, quod non alium quam Joannis baptismum tunc temporis accepissent. Sed neque hic valuit Augustino, eos jam tum Baptismo Christi ablutos fuisse probanti, atque in eam rem confirmandam plura adhuc paranti, resistere. Inde vero sermonem ad id convertit, unde intelligere liceat, Donatistas persecutionem aliquam sibi tum impendentem timuisse. Nam petiit ab Augustino, quidnam si casus incideret, ipse esset facturus. Professus est Augustinus, se illi non consensurum, quin etiam pro virili parte obstiturum (*Ibid.*, *n.* 11). Reipsa tunc temporis ita sentiebat ; sed experientia eum de sententia postmodum depulit (*Epist.* 185, *c.* 7, *n.* 25). Jam de sedibus suis dis-

cessuri surrexerant, cum Fortunio Genethlii decessoris Aurelii in sede Carthaginensi lenitatem prædicante subjecit Augustinus : Ille tamen Genethlius, si in manus vestras incidisset, rebaptizandus censeretur. Fassus est Fortunius, constitutum apud suos fuisse, ut quisquis ad ipsos fidelium venerit, rebaptizetur : quod tamen eum invitum et cum dolore animi hanc eorum consuetudinem improbantis dicere, facile apparebat. Et re quidem ipsa totius civitatis testimonio constabat, quam esset a violentis sectæ suæ factis alienus, de quibus apud suos sæpius conquerebatur, ut cum ipsis etiam catholicis in hoc colloquio condolebat. Quocirca convenit inter eos, violenta facinora, quæ sibi invicem Donatistæ et Catholici exprobrabant, in his disputationibus non esse proferenda. Schismatis adversus Cæcilianum a Donatistis excitati quæstio agitanda restabat. Itaque Fortunium obtestatus est Augustinus, ut pacato animo ad tam gravem controversiam componendam secum adniteretur. Respondenti Fortunio, nolle Catholicos de his quæstionem haberi, pollicitus est Augustinus, se collegas suos, certe vel decem, qui suæ sententiæ subscriberent, exhibiturum. Idem ex parte Donatistarum spopondit Fortunius. Sub hæc discessum est.

2. Postridie Fortunius Augustinum convenit, et rursus eadem de re egerunt, sed paucis ; quoniam Augustinus Majorem Cœlicolarum accersiverat, sermonem cum eo habiturus ; et ad episcopum ordinandum quamprimum erat profecturus : ipsum quoque Fortunium cujusdam itineris necessitas urgebat. Quandoquidem Cirtam se conferret, dubitari non potest, quin istius civitatis ordinandus esset episcopus, Fortunatus videlicet Profuturi successor. Nam Profuturus, ut docuimus, Augustinum in episcopatu antecedebat, et ejus successor Fortunatus inter primarios erat in collatione Carthaginensi anno quadringentesimo undecimo. Constat porro hunc Augustini cum Fortunio congressum et colloquium contigisse ante annum quadringentesimum undecimum. Quod conjicere licet vel ex ipso Augustini animo a persequendis hæreticis adhuc alieno. Perspicuum etiam est, Donatistas tunc quietos fuisse, totaque epistola eos plena frui libertate indicat ; quod nunquam accidit ab anno quadringentesimo undecimo. Liquet pariter Augustinum, cum ei Fortunius pseudosynodi Sardicensis epistolam exhibuit, quid hæc esset tunc ignorasse. Illam tamen in libris contra Cresconium ante annum quadringentesimum undecimum conscriptis memorat, et ut opus Arianum, quod jam diu præ manibus haberet, explodit (*Contra Cresconium*, *lib.* 3, *c.* 34, *n.* 38). Hic præterea Fortunius antiquior Augustino episcopus decesserat anno quadringentesimo undecimo : quippe cum Januarius, ut episcopus Tubursicensis in Numidia, ex parte Donatistarum, interfuerit collationi Carthaginensi. Sed ille Fortunius ipse est, haud dubie, qui decimus numeratur inter trecentos et decem episcopos concilii Bagaiensis anno trecentesimo nonagesimo quarto (*Ibid.*, *lib.* 4, *c.* 10, *n.* 12). Ubi in prædicto colloquio de Ambrosio sermo incidit, Augustini verba inducere possunt, ut sanctum illum præsulem in vivis adhuc egisse credamus : atque ubi actum est de persecutione Donatistarum in Maximianistas, nullus sermo factus reperitur de Prætextato et Feliciano, quos receperant sub initium anni trecentesimi nonagesimi septimi. Hæc vero videntur postulare, ut istud colloquium non serius ineunte anno trecentesimo nonagesimo septimo habitum agnoscamus. Sed quia constat id Augustinum habuisse, cum ad ordinandum Profuturi successorem proficisceretur ; ponendum esset Megalium, cui superstes fuit Profuturus tunc defunctus, obiisse ante ipsum annum trecentesimum nonagesimum septimum, atque anni fere spatium prius effluxisse, quam ejus in primatu successor renuntiaretur. Nam Crescentianus, qui ei successisse creditur, primas non fuit, nisi circa initium augusti anni hujus trecentesimi nonagesimi septimi. Licet autem Megalium inter et Crescentianum primas possit interseri, non tamen est, cur hoc ita contigisse asseramus. Quocirca malumus istud colloquium aut exeunte anno trecentesimo nonagesimo septimo reponere, aut potius incunte anno trecentesimo nonagesimo octavo, dum Gildonis interitus persecutionis metum Donatistis propter Optatum suum Gildonis fautorem injicere poterat.

3. Postmodum Augustinus Eleusium et alios, qui de Fortunio ipsi verba fecerant, colloquii cum eo habiti certiores fecit : et hoc illi testimonium tribuit, in episcopis Donatistis difficillime repertum iri tam utilem animum et voluntatem, quam in isto sene perspexisset. Hos Donatistas per Domini sanguinem obtestatur, eum ut sui de prosequendo colloquio promissi commoneant ; quo res jam cœpta et magna ex parte gesta, tandem aliquando peragatur. Ad quam dirimendam monet, locum aliquem procul a tumultu et turbulenta hominum frequentia esse seligendum, sicut est villa Titiana, vel quivis alius in Tubursicensi aut Tagastensi diœcesi locus, in quo nulla sit ecclesia, qui tamen ab Catholicis et Donatistis incolatur, ut quisque apud hospitem communionis suæ possit diversari : illuc deferendos esse canonicos codices, et si qua proferri debeant ultro citroque causæ instrumenta ; singulis deinde dubiis discutiendis, quantum res exegerit, vacandum. Denique Eleusium et alios rogat, ut quid hac de re sive ipsis sive Fortunio videatur, rescribant (*Epist.* 44, *c.* 6, *n.* 12). Latet nos horumce negotiorum eventus, quæ Augustino pacis procurandæ causa charitas inspirabat.

4. Exstat adhuc altera Augustini epistola iisdem Glorio, Eleusio, Felicique inscripta, quibus adjungit Grammaticum et cæteros omnes quibus hoc gratum fuerit (*Epist.* 43). In hac etiam epistola de schismate agitur, idemque ferme de Maximiano sermo est, qui in superiore : nihilque videtur obstare, quin eam sub idem tempus, imo paulo ante, conscriptam arbitremur. Optati Thamugadensis tyrannidem ibi summa dicendi libertate commemorat Augustinus, iis tamen verbis, quæ illam nondum desiisse innuant. Demonstrat ibidem, quam juste civilibus pœnis possent Donatistæ mulctari : sed id potest optime referri ad tem-

pora Macarii. Hæc epistola memoriæ prodit collocutionem aliam, quam cum iisdem Donatistis in ipsorum civitate habuerat Augustinus. Cum enim de communione christianæ unitatis cum illis ageret, prolata sunt ab iis gesta quædam, in quibus Cæcilianus et Felix a concilio Carthaginensi damnati perhibebantur. Ostendit illis Augustinus, quam vitiosum esset illud concilium, et qua ratione rescissum fuisset illius decretum a concilio Romano, quod ex episcopis a Constantino ipsorum Donatistarum rogatu missis constabat; a concilio Arelatensi; ab ipsomet Constantino, ad quem ipsi provocaverant; denique a proconsule, qui sua sententia Felicem purgaverat. Non erant Augustino præ manibus omnia hæc causæ instrumenta : sed statim accersenda curavit. Interea excurrit ad Ecclesiam Gelizitanam. Quæ autem illa sit, quidve ibi egerit, nescimus. Inde reversus, cum bidui non pleni intermissione quæsita accepisset, singula uno die Donatistis recitari jussit. Ab actis cœpit Cirtensis concilii : quæ quia illorum nonnulli rejicere tentabant, causati verisimile non esse ab eis qui traditionis veniam in concilio Cirtensi obtinuissent, Cæcilianum eodem crimine fuisse condemnatum; totum in eo negotio Secundi consilium latius exposuit. Jussit deinde recitari Gesta proconsularia de causa Felicis Aptungitani. Cum autem nonnemo ex eis Felicem suggillasset, quasi rem passus esset episcopo indignam, quod proconsulari judicio fuisset absolutus, et in illius causa quidam fuisset tormentis addictus; illius cavillatio, utpote absurda, cæteris displicuit. His ante meridiem lectis, post meridiem recitatæ sunt Donatistarum preces ad Constantinum, acta concilii Romani, et Constantini litteræ de judicio quod Mediolani secundum Cæcilianum tulerat. Curaverat pariter Augustinus deferenda Gesta, quibus Nundinarius ostenderat, anno trecentesimo vigesimo, coram Zenophilo, corruptos fuisse Lucillæ pecunia episcopos, ut Cæcilianum condemnarent : sed ob temporis angustias recitari non potuerunt. Omnem illis hæc Gesta discutiendi et exscribendi licentiam tribuit. Sub hoc igitur colloquium scripsit ad eosdem Donatistas, illos obtestaturus, ut hæc Gesta inspicerent : et in re tanti momenti eis inculcanda pluribus immoratur. Ipso epistolæ suæ exordio non obscure indicat, posse a nonnullis improbari, quod ad homines a catholica communione alienos de salutis eorum negotio scriberet; qui tamen probarent, si de sæcularibus negotiis id præstaret : *Usque adeo*, inquit, *charus est hic mundus hominibus, et sibimet ipsi viluerunt!* Eo libentius ad hosce Donatistas scribebat, quo propensiores eos videbat ad veritatem ex animo inquirendam, ut sincere eam, relicto, quem a parentibus accepissent, errore, sectarentur. Enimvero illius epistola de colloquio, quod cum Fortunio habuit, satis indicat eos non fuisse a concordia et pace alienos. Epistolam in hæc verba concludit : *Erit autem vobis hic sermo, quem de munere Dei novit ipse, quanta et pacis et vestra dilectione deprompsimus, correctio si velitis, testis vero etsi nolitis.*

5. Nondum veritati animo tam infenso adversabantur Donatistæ, ac proinde priores adhuc episcopatus annos agebat Augustinus, cum Honoratus illius partis episcopus, et Hipponi vicinus, significavit ei per Erotem, se libenter cum ipso per litteras de schismate collaturum, ut de re tanti momenti, ea qua par erat lenitate et animi tranquillitate dissererent. Augustinus, qui jam pridem illius colloquium expetebat, ejus sibi consilium multum placere rescripsit : et ut causam aggrederetur, demonstravit ipsi, cum Scriptura nobis polliceatur Ecclesiam Dei per orbem terrarum esse diffundendam, hanc prophetiam in Ecclesia catholica compleri. Quærit itaque, ut respondere non gravetur, quo pacto, cum ita se res habeat, pars Donati possit esse Ecclesia illa divinitus prænuntiata, et quomodo Christus hæreditatem suam in toto terrarum orbe sibi promissam sic amittere potuisset, ut in una solummodo Africæ parte resideret (*Epist. 49, n. 1*).

6. Notavimus supra, cum Fortunius veniret ad Augustinum, ab hoc sancto Præsule Majorem Cœlicolarum accitum fuisse, ut cum illo aliquid loqueretur (*Epist. 44, c. 6, n. 13*). Exstat horum Cœlicolarum nomen in quibusdam legibus Honorii Augusti (*Cod. Theod. de Hæret., lege 45, et de Jud. Cœlic. ac. Sam. lege 19*); nec satis liquet, quinam illi fuerint. Apparet tamen, non fuisse sectam hæreticorum, neque hominum, opinamur, qui Judaicam professionem cum Christiana, sicut Nazaræi, consociantes, Christianorum sibi nomen arrogarent : cum Augustinus, qui eos probe noverat, in suo libro de Hæresibus, illorum mentionem non fecerit. Honorius in legibus anno quadringentesimo octavo et quadringentesimo nono latis, Cœlicolas arguit novi dogmatis, novæ superstitionis, et nominis hactenus inauditi. Fieri enim potuit, ut paucos ante annos se per Occidentem propagassent, aut ibi primigenium suum nomen nomine Cœlicolarum commutassent. Præterea discimus ab Augustino, eorum antesignanum seu Majorem, ut vocat, quem ipse Tubursico transiens accersiit, novum baptismi genus apud eos instituisse : quo sacrilegio jam permultos ille seduxerat (*Epist. 44, c. 6, n. 13*). Quapropter hujusmodi secta, quæ quamdiu nihil conjunctum atque commune cum Ecclesia haberet, in nullo ferme numero fuerat, eo postmodum exitialior exstitit, quo propius ad eam accedebat, et illius sacramenta tentabat usurpare.

## CAPUT XV.

*1 Augustinus ad Eudoxium abbatem scribit. 2 Concionatur adversus Christianos qui Paganis in eorum solemnitatibus adjunguntur. 3 Simulacrum Herculis Carthagine cum dedecore tractatum. 4 Publicolæ quæstiones solvuntur.*

1. Gildo sub Comitis et Magistri militiæ titulo per decem aut duodecim annos rerum potitus in Africa, exeunte anno trecentesimo nonagesimo septimo, ab Honorio defecit eo obtentu, ut Africam in Arcadii ditionem transferret : sed proximo vere ineunte Mascezel ejus frater cum copiis ab Italia missus, insignem de illo victoriam divina ope obtinuit. Post ejus cladem Optatus Thamugadensis episcopus Donatista, unus e primariis illius satellitibus, in carcerem detrusus, illic

exstinctus est. Petilianus partium Donatistarum episcopus Augustinum postea insimulavit, quod ad illius damnationem sua consilia contulisset (*Cont. Litt. Petil., lib.* 3, *c.* 40, *n.* 48). Tum vero, cum in Africam solvit Mascezel, monachos aliquot Capraríæ insulæ, Etruriam inter et Corsicam sitæ, secum adduxerat (*Oros., Hist. lib.* 7, *cap.* 36). Fortassis illi ipsi sunt, de quibus Augustinus in epistola ad Eudoxium abbatem et ejus fratres conscripta loquitur (*Epist.* 48, *n.* 4). Testatur eorum se pietatem primum ex fama, dein ex relatione Eustasii et Andreæ didicisse : qui ex eorum monasterio profecti, bonum illius odorem in Africam attulerant, et sanctam eorum conversationem divulgarant. Certiores eos fecit obitus Eustasii, qui non amplius Caprariam desideraret, quia nec cilicio jam quæreret indui. Unde colligere licet, Eudoxii monasterium, ex quo Eustasius erat, in ea situm fuisse insula. Hinc consequitur et illud, monachis, aut certe Eustasio illi solemne fuisse cilicio ex caprinis pilis contexto indui. Augustinus igitur Eudoxio ejusque monachis aperit, quo sanctam eorum quietem animo affectuque cogitet : illorum preces efflagitat, et quo efficaciores sint, piis adhortationibus, quibus illos ad profectum et perseverantiam exstimulat, eas demereri studet. Illos potissimum monet, ut in omnibus bonis operibus suis unam Dei gloriam spectent; ita sint solitudinis studiosi, ut nec eos avida elatio ad capessendum Ecclesiarum regimen inde detrahat, nec ad Ecclesiæ munia vocatos blandiens desidia retineat (*Epist.* 48, *nn.* 2, 3).

2. Hoc ipso, ut videtur, anno trecentesimo nonagesimo octavo, certe quidem ante annum subsequentem, habitus est eximius ille sermo, quo Augustinus Christianos redarguit, qui ne in magnatum offensionem incurrerent, aut ab iis injuriam paterentur, detrectare eorum jussa non audebant, cum illi se ab eis ad simulacra deduci præciperent; nec vero solum eos ad fana euntes stipabant, sed cum illis etiam in idolio recumbebant. Quod ethnicorum impium errorem fovebat, cum vel ab ipsis Christianis idola sua honorari conspicerent. Sic omnis ille labor, quem in convertendis Gentilium reliquiis impendebant episcopi, sæpe irritus erat. Nam Pagani horumce Christianorum exemplo confirmati dicebant intra se : Quare nos relinquamus deos, quos Christiani ipsi nobiscum venerantur? In his præterea conviviis Christiani et blasphemas in Christum voces evomere, et ejus divinitatem in dubium vocare discebant. Hoc scandalo permotus vehementer Augustinus, de illo qua potuit lenitate, acri tamen et gravi oratione conquestus est (*Serm.* 62); et quidem Carthagine, ut videtur; cum alterius sermonis mentionem faciat, quem paucis ante diebus habuerat in Mappalibus, ubi martyr Cyprianus quiescebat. Notat præterea hos Christianos dicere solitos, se non apud falsos deos discumbere, sed apud genium Carthaginis, merum lapidem, qui tamen ut deus a Paganis colebatur, cujus videlicet ante statuam ara erat posita. Docet ibidem Augustinus, hanc viam ad Gentiles vincendos et Christianæ fidei aggregandos quasi compendiariam esse, si Christiani solemnitates eorum deserant, nec se illorum nugis immisceant : quo, *si non consentiunt veritati nostræ*, inquit, *erubescant paucitati suæ*. In hoc sermone cujusdam meminit, qui ad fidem conversus fundum Ecclesiæ dederat, in quo erant idola quæ frangi cuperet. Voluntati ejus cito obsecundarunt Christiani, frementibus Ethnicis, et conquerentibus idola passim ab episcopis perfringenda conquiri. Negat Augustinus, asserens loca esse plurima in quibus scirent esse simulacra, quæ tamen intacta relinquerent, quod ea Deus potestati ipsorum non permisisset; nihil eos aggredi, de quo locorum domini conqueri possint; prius agere ut idola in eorum corde frangant; pro hominum conversione Deum deprecari : ab dominis locorum ad fidem conversis rogatos idola in eis reperta confringere; reos fore si desint : sæpius ab ipsismet recens conversis idola comminui : pravorum hominum esse et furiosorum Circumcellionum ea, quæ non sunt in illorum potestate, velle diruere, seque vitæ periculo temere exponere. Patet inde, licet in Paganos jam leges aliquot latæ fuissent, nondum tamen rescriptum illud, quo Imperator simulacra tollenda esse decrevit, de quo acturi sumus, anno proximo fuisse promulgatum. Nam ab hoc rescripto illa Paganis nonnisi clanculum servare licuit. Sub ejusdem sermonis finem loqui videtur de novis aliquot legibus contra Donatistas, potius tamen in privatorum, quam universæ sectæ flagitia latis. Scribit enim, hæreticos alicubi suæ impietatis et furoris pœnas ex legum præscripto dedisse, unde sibi a Catholicis publicam persecutionem ad suam perniciem moveri quererentur. Insuper et in eodem sermone commemorat, Judæos, cum quibusdam in locis ob improbitates suas correpti fuissent, hinc ansam arripuisse criminandi, vel fingendi, aut suspicandi, in id semper episcopos incumbere, ut facultatem ipsis nocendi quærerent. Eo pacto Judæi, Pagani et hæretici, cum universam Ecclesiam sibi haberent infensam, conspirantibus animis societatem querelarum adversus eam coibant, unitatem facientes contra unitatem.

3. Ad hoc saltem tempus referendus quoque videtur sermo in versum Psalmi octogesimi secundi, *Deus, quis similis tibi* (*Serm.* 24)? quandoquidem adhuc idolis litabatur, et eorum cultus Carthagine vigebat. Erat illic inter cætera simulacrum ex lapide, Herculis dei nomen in titulo præferens. Statuæ hujus barbam, in qua tota Herculis virtus putabatur, novus magistratus a Paganis seductus auro perfundi permiserat. Verum ad dedecus cultorum ejus auro refulsit falsum numen. Inde enim non ad adorandum, sed ad vindicandum permotus Christianus, superstitioni illi sese immiscuit, ut barbam ejus raderet. An hoc unus ausus sit, dubium est, cum mox Augustinus subjiciat, barbam Herculis a Deo rasam esse *per fideles suos, per Christianos suos, per potestates a se ordinatas*. Hac ille occasione sermonem, de quo loquimur, habuit. Dicentem interpellavit populus, vociferans et clamans, *Quomodo Roma, sic et Carthago!* id se nimirum velle, ic

postulare, ut omnis Ethnicorum superstitio deleretur, nec jam Carthagine permitterentur Hercules aliique dii Romani, qui in ipsa etiam urbe Roma defecerant; sed in hoc Romæ Carthago omnino consimilis esset. Populi pietatem et studium sic laudibus effert Augustinus, ut videatur tamen metuere, ne quid ille tumultuose et non satis legitima auctoritate moliatur. Præcipiti plebis suæ studio, ni nostra nos fallit conjectura, jam ipso mane frenos injecerat episcopus Carthaginensis. Quam enim aliam ob causam eis gratulatur, quod episcopo suo in eo quod ipsis mane locutus erat, obedierint, atque ut eum sequantur, et ab ea via non recedant obtestatur? Interea eos cohortari non cessat, ut suam de abolenda superstitione voluntatem notam et testatam fecisse contenti, ejus implendæ consilium ac modum ab episcopis exspectent; nec timeant ne illi in hac parte officio suo desint. Spem quoque facit, fore ut eorum preces felicem exitum sortiantur, cum Deus superstitiones Gentilium delendas prædixerit, et multis jam terrarum locis, etiam Romæ, oraculum suum compleverit. Ex hoc sermone, quem Carthagine habitum fuisse nemo non agnoscit, facile intelligitur, jam tum ab episcopis, qui in ea urbe versabantur, decretum fuisse ut ad Honorium Augustum pro obtinenda superstitionis exstinctione mitterent; ac subinde ipsorum, qui ad id procurandum legati sunt, persuasione et inductu celebres illas leges hac de re latas fuisse anno trecentesimo nonagesimo octavo, et anno sequenti in Africa executioni mandatas.

4. Quo tempore dubia sua ad Augustinum retulit Publicolá (*Epist.* 46), eo certe idolorum sacrificia adhuc vigebant. Nam quod in responsione Augustini legitur de templorum et idolorum lucorumque eversione (*Epist.* 47, *n.* 3), id ad potestatem ea evertendi non lege publica sive generali, sed speciali quadam jussione certis in causis datam spectare liquet. Quis ille Publicola fuerit, incertum est. Is prædia possidebat in Arzugibus, quæ natio barbaris Gentilibus erat finitima. Quapropter indigenæ eorumdem barbarorum opera utebantur, prius ipsorum fide jurejurando adstricta. De quo juramento eum variæ difficultates angebant, ut et de usu multarum rerum, quæ idolorum cultu pollui videbantur. Hæc et similia dubia proponit Augustino, ut patri, ut seniori, ut pontifici, cujus ex ore requirenda lex foret. Ad ejus postulata rescripsit Augustinus, et inter alia respondet, eorum sibi consilium non probari, qui censerent, hominem posse alium occidere, ne ab eo occidatur; nisi forsan ille legitima potestate fretus ad aliorum tutelam id faceret. Itaque tantum approbat, ut aggressor et insidiator terrore repellatur (*Ibid.*, *n.* 5). Censet pariter homini, fame premente, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum quem certo scit idolis oblatum, satius esse, etiam nemine conscio, cum christiana virtute respuere (*Ibid.*, *n.* 6).

## CAPUT XVI.

1 *Pagana superstitio tunc ubique eversa, cum ex dæmonum oraculis instauranda erat.* 2 *In Oriente prohibetur ac deletur auctoritate Arcadii.* 3 *In Occidente quoque auctoritate Honorii.* 4 *Hujus legem ea de re latam exsequendam curant Jovius et Gaudentius.* 5 *Cœlestis deæ templum Carthagine Christo dedicatum ab Aurelio.* 6 *Nonnulla idololatriæ quibusdam locis relicta vestigia.* 7 *Suffectani martyres. Augustinus ad principes Coloniæ Suffectanæ scribit.* 8 *Rescriptum adulatoriis Donatistarum precibus a Juliano indultum jubetur publicis locis affigi.*

1. Cum viderent Gentiles, *nec tot tantisque persecutionibus*, quas per trecentos fere annos pertulerat, religionem Christianam potuisse consumi, *sed his potius mira incrementa sumpsisse; excogitaverunt nescio quos versus græcos, tanquam consulenti cuidam divino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab hujus tanquam sacrilegii crimine faciunt innocentem; Petrum autem maleficiis fecisse subjungunt, ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem* (*De Civit. Dei, lib.* 18, *cap.* 53, *n.* 2). Hi trecenti sexaginta quinque anni sumebant initium saltem a die quo missus est Spiritus sanctus, hoc est, ex mente Augustini, ab idibus maiis, duobus Geminis Rubellio et Rufo consulibus, qui æræ communis annus est vicesimus nonus. Sic illi trecenti sexaginta quinque anni complendi erant idibus maiis anni trecentesimi nonagesimi quarti. Augustinus tamen vult, eos finem cepisse consulatu Honorii et Eutychiani, qui incidit in annum Christi trecentesimum nonagesimum octavum; quo reipsa complebantur, si ponamus Christum passum fuisse anno trigesimo tertio æræ communis. Igitur secundum illud oraculum dæmonum pagana tum superstitio resurgere, et christiana religio cadere debuit. Verum Deus, ut hujus oraculi figmentum demonstraret, christianam religionem novis in dies incrementis florere voluit. Quod manifeste patuit jam inde ab anno consequenti, quo Mallius Theodorus consulatum gessit, hoc est, anno trecentesimo nonagesimo nono, in quo nunc versamur. *Sequenti anno*, scribit Augustinus, *consule Mallio Theodoro, quando jam secundum illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim quod scimus, in civitate notissima et eminentissima Carthagine Africæ, Gaudentius et Jovius comites imperatoris Honorii, quarto decimo kalendas aprilis, falsorum deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt* (*Ibid.*, *cap.* 54, *n.* 1). Augustinus itaque de rebus tantum sibi cognitis, et quæ Carthagine contigerant, memorat; nec quid in aliis terrarum partibus accidisset, perquisivit. Verum in Idacii fastis legimus, falsorum numinum templa hoc anno fuisse demolita; notatque Tyro Prosper ad annum, qui Gildonianam cladem subsequitur, hoc est, ad annum præsentem, antiquæ superstitionis templa toto orbe Romano fuisse destructa.

2. Grande hoc opus exorsus fuerat Theodosius imperator. Eo post Ecclesiam longe lateque amplificatam vita functo, Arcadius et Honorius ejus liberi non magis imperii paterni, quam pietatis erga christianam

religionem hæredes exstitere. Crevit adhuc in eorum animis illud religionis studium a secundis rebus et obtentis divinitus victoriis in illos, qui auctoritatem ipsorum vel aperto marte vel clandestinis consiliis oppugnarunt. Cumque felicitatem suam paternæ pietati acceptam referrent, privilegia a majoribus suis Ecclesiæ collata vehementiori studio tuebantur, et novis edictis cumulabant. Eorum pietas facem subditis præferebat. Ethnici ad Christi fidem nullo negotio adducebantur : et hæretici discidiis, quibus eos Deus lacerari sinebat, defatigati, ad Ecclesiæ catholicæ unitatem ultro redibant. Ut autem de iis solum, quæ ad Paganos spectant, hic loci disseramus, et ab Oriente auspicemur; comperimus rescriptum Arcadii ad Rufinum præfectum prætorio in Oriente, datum septimo idus augusti anni trecentesimi nonagesimi quinti, quo Paganos minis intentatis gravissimisque pœnis constitutis, in fana et delubra ingredi, et idolis ubicumque sacrificare prohibet, et hanc ob causam leges omnes in hæreticos Paganosque a patre suo latas renovat (*Codice Theod. de Pag. sacr. et templ.*, *lege* 13). Anno sequenti, sexto idus decembris, idolorum sacerdotibus et ministris privilegia, quæ ipsis alias concessa fuerant, ademit, ut iis quorum professio erat ipsis damnata legibus (*Ibid.*, *lege* 14). Plurima per Orientem delubra id temporis excisa fuerint necesse est; cum in rescripto ad Asterium Orientis comitem dato kalendis novembris anni trecentesimi nonagesimi septimi statuat Arcadius, dirutorum fanorum rudera instaurandis pontibus, viis publicis, aquæductibus, et urbium mœnibus esse insumenda (*De Op. publ.*, *lege* 36). Hoc autem anno trecentesimo nonagesimo nono, tertio idus julii, Arcadius ad tollendam omnem superstitionis materiem, legem tulit de omnibus agrorum fanis exscindendis, ita tamen ut id citra perturbationem et tumultum perageretur (*De Pag. sacr. et templ.*, *lege* 16). Lex ista Damasci lata est, vel potius fixa et promulgata, ut quidam volunt, existimantes hanc ipsam legem esse, qua, ut scribit Theodoretus, Chrysostomus Constantinopolitanæ Ecclesiæ tertio kalendas martii anni trecentesimi nonagesimi octavi creatus episcopus, armavit ardorem monachorum, quos ad hæc fana demolienda misit in Phœniciam, cujus inter primarias urbes Damascus recensetur (*Theodoretus, Hist. eccl. lib.* 5, *cap.* 29).

3. Quod ad imperatorem Honorium attinet, nulla lex exstat ab eo hac de re promulgata ante annum trecentesimum nonagesimum nonum. Vidimus tamen idola Romæ fuisse disturbata, cum adhuc in Africa starent, nulla tum, ut videtur lege adversus, idolorum cultum in Occidente generatim constituta. Verumtamen infertur ex lege lata quarto kalendas februarii anni trecentesimi nonagesimi noni, jam Honorium anno superiori rescriptum de omnibus idololatriæ vestigiis penitus delendis promulgasse (*Codice Theod. de Pag.*, *etc.*, *lege* 15). Et hoc ipsum, nisi fallimur, notat auctor libri de Prædictionibus, qui Prosperi nomen præ se fert, dum Honorium, pietati suæ prorsus christianæ obsecundantem, templa deorum omnia cum suis adjacentibus spatiis tunc Ecclesiis contulisse, et Christianis simulacra omnia confringendi facultatem dedisse testatur (*De Prædiction. lib.* 3, *cap.* 33). Augustinus libro quodam, quem anno proxime sequenti conscriptum ab eo fuisse arbitramur, scribit Gentilium simulacra everti et confringi jussa esse recentibus legibus, inhibita quoque sacrificia sanctione pœnæ capitalis. Testatur ibidem, pene toto orbe terrarum reapse delubra exscindi, idola comminui, aboleri sacrificia, dæmonum cultores deprehensos suppliciis affici (*Contra Epist. Parmen.*, *lib.* 1, *c.* 9, *n.* 15). Narrat alibi, Catholicos et Donatistas in Paganorum templis, ubi potuerunt, evertendis pariter desudasse, et symphoniacorum dæmonis tibias et scabella fregisse (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 51). Cum lex adversus idola rem nullam eximeret, ad omnia generatim quæ ad idolorum cultum spectarent, videtur extenta, et excidium pariter ipsis etiam statuis, quæ ornamento ædificiis publicis erant, fuisse intentatum. Hoc ut prohiberet Honorius, rescriptum dedit quarto kalendas februarii anni trecentesimi nonagesimi noni ad Macrobium et Proclianum præfectorum vicarios (*Codice Theod. de Paganis*, *etc.*, *lege* 15), alterum in Hispania, alterum in quinque Galliarum provinciis, quæ sunt, ut putant, prima et secunda Aquitania, secunda, tertia et quarta Lugdunensis.

4. Legis Honorii de diruendis Gentilium templis exsequendæ provincia comitibus Jovio sive Joviano et Gaudentio videtur fuisse demandata, cum in Idacii fastis legamus templa hoc anno a Comitibus fuisse demolita, et Prosper templa omnia a comitibus Jovio et Gaudentio spoliata fuisse asserat (*De Prædiction.*, *lib.* 3, *cap.* 38). Id quidem ipse ad Theodosii magni tempora refert : verum aut illis eadem cura semel et iterum demandata est, primum sub Theodosio, deinde sub Honorio, quod minus videtur probabile; aut ipse auctor, his temporibus adhuc junior, non satis accuratam rerum memoriam tenuit. Mandatum siquidem duobus illis datum Comitibus notatur anno trecentesimo nonagesimo nono, non solum in Idacii fastis, sed etiam apud Augustinum, qui hoc anno, decimo quarto kalendas aprilis, delubra Carthagine a comitibus Gaudentio et Jovio demolita, et simulacra confracta fuisse testantur (*De Civitate Dei*, *lib.* 18, *cap.* 54). Haud scimus an iste Jovius idem sit, qui anno quadringentesimo nono fuit præfectus prætorio. At vero verisimile nobis est Gaudentium eum esse, qui comes fuit Africæ ineunte anno quadringentesimo primo, ut legis, in qua illius mentio fit, adscriptio testatur (*Codice Theod. de Equor. cont. lege* 3). Verum cum lex ista Indictionem duodecimam præferat, forte locum opinandi relinquit, eam potius latam fuisse anno trecentesimo nonagesimo nono, quam quadringentesimo primo, quo anno Indictionem decimam quartam notat Marcellini Chronicon. Constat etiam jam inde a decimo tertio die Julii anni quadringentesimi primi, Bathanarium fuisse Africæ comitem. Sic admodum probabile est, Gaudentium ejus antecessorem Gildoni in hoc munere successisse. Illud

inter cætera de hoc Gaudentio memoratur, eum patrem fuisse Aetii, celeberrimi illius ducis temporibus Valentiniani imperatoris. Quamvis autem Augustinus, Idacius et Prosper Paganorum templa per id temporis excisa fuisse commemorent, nec ambigi possit, quin plurima reapse diruta fuerint; omnia tamen demolita fuisse, dicere non possumus. Nam concilium Carthaginense adhuc anno quadringentesimo primo statuebat, facultatem aliquot templa diruendi ab Imperatore esse postulandam (*Codice Canon. Afric.*, *can.* 84). Et ex auctore libri de Prædictionibus, mandatum Jovio et Gaudentio de tollendis potius, quam confringendis idolis, datum fuerat (*De Prædiction.*, *lib.* 3, *cap.* 38). Verum cum in Ecclesiæ manus, ut verisimile est, traderentur; mirum videri non debet, si episcopi plurima diruerint. Attamen sive quod Imperatoris rescriptum non id conceptis verbis præciperet, sive quod Gentilium querelæ illius animum permovissent; anno trecentesimo nonagesimo nono, tertio kalendas septembris, aliud rescriptum dedit ad Apollodorum Africæ proconsulem, quo decernit templa rebus omnibus illicitis, aris nimirum et idolis, spoliata, intactis prorsus ædificiis, esse relinquenda (*Codice Theod. de Pag.*, *etc.*, *lege* 18).

5. Refert ad hoc tempus Baronius, velut quidpiam demandatam Jovio et Gaudentio provinciam consequens (*Baronius*, *ad ann.* 399, *n.* 63), id quod auctor libri de Prædictionibus contigisse scribit de templo Cœlestis, Honorio imperante, ante principatum Constantii, qui ab Honorio in collegam imperii anno quadringentesimo vigesimo, aut quadringentesimo vigesimo primo assumptus est. De hac Cœleste pluribus disserit Baronius, quam putat eamdem ac Astarthen Sidoniorum deam. In confesso est, supremum illud fuisse Carthaginis numen, ubi templum stupendæ molis illi constructum fuerat minoribus deorum omnium templis vallatum, ambitu duorum fere milliarium, cujus platea lithostrata pavimento ac pretiosis columnis et mœnibus erat decorata (*De Prædict.*, *lib.* 3, *cap.* 38). Jam pridem templum hoc clausum erat, forsan ab anno trecentesimo nonagesimo primo, quo geminas leges comperimus, quibus templorum aditus prohibetur (*Cod. Theod. de Paganis*, *etc.*, *lege* 10 *et lege* 11). Et hæ primæ sunt hac de re latæ a temporibus Juliani apostatæ. Cum igitur inaccessum diu permansisset, spinosa virgulta illud circumseptum obruerant: et Christianis ingredi volentibus, ut illud in usum veræ religionis consecrarent, postquam Honorius Ecclesiis omnia templa contulisset, rumorem sparserunt Gentiles, in his dumis ac sentibus dracones et aspides ad templi custodiam latere, qui aditum accessumque prohiberent. *Quo magis Christiani fervore succensi, ea facilitate omnia amoverunt illæsi, quo templum vero cœlesti Regi et Domino consecrarent. Nam cum sancta Paschæ solemnis ageretur festivitas, collecta illic et undique omni curiositate etiam adveniens multitudo, sacerdotum multorum pater et dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius, cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cœlestis et habuit, et sedit. Ipse tunc aderam*, inquit auctor, *cum sociis et amicis, atque, ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat, dum curiosi singula quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam et incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus:* AURELIUS PONTIFEX DEDICAVIT. *Hunc legentes populi mirabantur præsago tunc spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat* (*De Prædict.*, *lib.* 3, *cap.* 38). Templum hoc postea solo æquatum est anno quadringentesimo vigesimo primo. Itaque non de templo Cœlestis, sed de idolo loquebatur Augustinus, cum paulo post captam Romam diceret: *Carthago in nomine Christi manet, et olim eversa est Cœlestis; quia non fuit cœlestis, sed terrestris* (*Serm.* 105, *c.* 9, *n.* 12).

6. Auctor libri de Prædictionibus scribit, in quadam urbe Mauritaniæ eruta fuisse plurima e cavernis simulacra vetera, quæ in eas abstrusa fuerant; et ob hanc inventionem totam civitatem, ipsos etiam clericos reos fuisse, vel perjurii convictos (*De Prædict.*, *lib.* 3, *cap.* 38). Forsan ab urbibus jusjurandum exigebatur, quo confirmarent nulla latere idola; hujus autem civitatis clerici, qui simulacra scirent esse recondita illud denuntiare non ausi sunt. Nam metus incurrendi in magnatum offensionem, efficiebat nonnunquam, ut ipsi Christiani in idololatriæ sceleribus connivereant. Et sane Augustinus ea de re graviter expostulat in memorato jam supra sermone ad plebem, ubi nonnullos frequentantes templa, et in idolio una cum Paganis recumbentes damnat (*Serm.* 62, *c.* 4, *nn.* 7, 8). Id forte post leges adversus idololatriam ab Honorio constitutas adhuc fiebat; ipseque Imperator istud flagitium adjuvit lege lata decimo tertio kalendas septembris anni trecentesimi nonagesimi noni, in qua Apollodoro Africæ proconsuli denuntiat, nolle se, licet profanos ritus ethnicæ superstitionis inhibuerit, festivitates publicas aboleri, sed continuandas esse ludorum solemnitates, modo nulla sacrificia, vel alia quævis idololatrica superstitio illis immisceretur (*Cod. Theod. de Pag.*, *etc.*, *lege* 17). Itaque concilium Carthaginense decimo sexto kalendas julii anni quadringentesimi primi congregatum, sui putavit esse officii, Honorium deprecari, ut illa convivia penitus abrogaret, quibus Christiani ab Ethnicis interesse cogebantur; quod speciem cujusdam persecutionis adumbrabat, his persæpe contra religionis decus multa procaciter patrantibus (*Cod. Canon. Afric.*, *can.* 60). Scribit Augustinus, in evertendis templis, idolis et lucis pro facultate ab imperatoribus concessa, privatos nullum debere ex eorum ruinis commodum percipere, ne ad destruenda gentilitiæ superstitionis monumenta, potius avaritia, quam pietate duci videantur: id tamen non obstare, quin ea monumenta in usus communes et publicos converti, aut honori veri Dei possint consecrari; sicut ipsi homines sua ad Deum conversione in ejus templa commutantur (*Epist.* 47, *n.* 3).

7. Omnem Theodosius adhibuerat operam, ut ab idololatriæ superstitionibus Roma, ubi altiores quam

in alia ulla ditionis ejus urbe radices egerant, purgaretur. Honorius dubio procul idola ibi perinde ac alibi passim dejicienda curaverat; quandoquidem jam ante Rhadagaisi cladem, id est, ante annum quadringentesimum sextum; imo vero quo tempore adhuc in Africa stabant, illic disturbata atque eversa erant (*Serm.* 105, *c.* 10, *n.* 13; *Serm.* 24, *n.* 6). Cum autem in hac idolorum eversione, intacta remanerent illa deorum signa, quæ locis et ædificiis publicis ornamento erant; Deus undecim post annos reliqua illa gentilitiæ superstitionis vestigia, tum Gothorum manu, tum fulminibus e cœlo vibratis penitus abolevit. Hæc simulacrorum destructio, quæ anno trecentesimo nonagesimo nono contigit, causam præbuit plurimorum Gentilium conversioni, qui cum eo usque errori pertinaciter adhæsissent, in eam spem adducti, fore ut completis trecentis sexaginta quinque annis, secundum oraculum dæmonum, avitus cultus quasi postliminio revocaretur in pristinum decus; hujus oraculi fidem vanam et inanem fuisse, ex eventu demum compererunt (*De Civit. Dei*, *lib.* 18, *cap.* 54). Testatur Augustinus, ab hoc ad illud usque tempus, quo decimum octavum ex libris de Civitate Dei absolvebat, nimirum post annos ferme triginta, christianam religionem majora adhuc sumpsisse incrementa; quamvis ipsam constanter affirmarent Ethnici tandem aliquando interituram (*Enarr. in Psal.* LXX, *serm.* 2, *n.* 4), eique eventui certum ac definitum tempus ex oraculis assignarent (*Enarr. in Psal.* IV, *n.* 1). Interea illi sacrificaturi latebras petere, suosque etiam deos abscondere cogebantur, ne a Christianis reperti, juxta principum leges confringerentur, prout oracula divina per Judæorum Prophetas longe ante prædixerant (*De Consens. Evang.*, *lib.* 1, *c.* 27). Ethnicus quidam illius temporis poeta Sibyllarum carmina jussu Stilichonis igni tradita fuisse queritur (*Baronius*, *ad ann.* 369, *n.* 82). Honorii edicto adscribit Baronius (*Idem*, *ad ann.* 399, *n.* 77), quod Augustinus narrat in Suffectana colonia contigisse; quo in loco, cum dejecta confractaque esset Herculis statua, ejus impii cultores, facto in Christianos impetu, sexaginta ex illis trucidarunt, qui Christi martyribus accensiti ad tertium kalendas septembris in Romano Martyrologio comperiuntur. Qua de re Augustinus epistolam illam, brevem quidem, at vehementem (*Epist.* 50) scripsit ad illius coloniæ principes et seniores, quibus exprobrat conculcatas leges Romanas, judiciorum religionem, ac potissimum venerationem metumque imperatorum: quippe cum ad primarios urbis suæ honores ac dignitates eos evexerint, quos certum erat in ea cæde plus cæteris præ se tulisse crudelitatis immanitatisque. Iisdem pollicetur, et id quidem verbis scommatum ac ironiæ plenis, se curaturum ut illorum deus restituatur, sed porro nonnisi ea lege, ut ipsi quoque vitam iis, quibus ademerunt, restituant. Urbs quædam Suffetensis in Bizacena ponitur, cum alia cui nomen Suffetulæ: in hac Martyrologium illos sexaginta a Gentilibus tunc interfectos collocat.

8. Huic anno trecentesimo nonagesimo nono Africanorum Canonum codex concilium Carthaginense assignat quinto kalendas maii habitum: de quo id unum discimus, missos ad Imperatorem fuisse Epigonium et Vincentium episcopos, qui concilii nomine legem rogarent, qua caveretur, ne quis quocumque scelere obstrictus, ex ecclesia in quam confugisset, per vim extraheretur (*Cod. Cann. Afric.*, *can.* 56). Horum legatorum, ut satis credibile est, rogatu, legem illam Honorius tulit quinto kalendas martias anno quadringentesimo, qua jubet in locis frequentioribus et celebrioribus affigi rescriptum, quod anno supra trecentesimum sexagesimo secundo ab Juliano Apostata impetraverant Donatistæ; quo rescripto illorum propudiosæ ad eumdem imperatorem preces continebantur (*Cod. Theod. de Hæret.*, *lege* 37).

# *LIBER QUINTUS.*

De Augustini actis ab anno Christi quadringentesimo ad annum quadringentesimum quintum.

## CAPUT PRIMUM.

1 *Quatuor Evangelistarum concordiam demonstrat adversus infideles.* 2 *Respondet ad Januarii inquisitiones de Sacramentis et variis Ecclesiæ consuetudinibus.* 3 *Scribit de Opere monachorum, in eorum gratiam qui se suis manibus transigebant.*

1. Interea dum profanus mentitorum deorum cultus de toto Romano imperio exterminabatur, laborandum simul fuit, ut ea quoque dissiparentur, quæ infideles adversus cultum nominis Christi objectabant. Nam quamvis eo loco res essent, ut illi jam inter se ipsos calumnias suas mussitare vix auderent, compressi fide Gentium et omnium devotione populorum: verumtamen quia nonnullos adhuc calumniosis disputationibus suis vel retardabant a fide, ne crederent; vel jam credentes, quantum poterant, agitando perturbabant: ea propter Augustinus inspirante Deo decrevit argutas eorum criminationes contra quatuor præsertim Evangelia, horum concordiam demonstrando, refellere: *Hoc enim solent*, inquit, *quasi palmare suæ vanitatis objicere, quod ipsi Evangelistæ inter se ipsos dissentiant* (*De Cons. Evang.*, *lib.* 1, *c.* 7, *n.* 10). Posito igitur ad aliquod tempus, quod in manibus habebat, opere de Trinitate, aliud admodum necessarium, quo summam Evangelistarum concordiam ostenderet, suscepit perfecitque labore continuo (*Retract. lib.* 2, *cap.* 16). Haud ibi silentio præterit, simulacra quæ Gentium cæcitas adorabat, per id temporis jussu imperatorum deleri (*De Cons. Evang.*, *lib.* 1, *cc.* 20, 27): quod argumento est, eum operi huic

manum non ante finem anni trecentesimi nonagesimi noni admovisse. Legem enim hac de re conceptis verbis datam nullam habemus iis superiorem, quæ in Africa promulgatæ et executioni mandatæ fuerunt anno supra memorato : quibus nondum constitutis fatebatur Augustinus, non licere sibi simulacra confringere, nisi ab illis quorum ea erant, facultas daretur (*Serm.* 62, *c.* 11, *n.* 17). Cum autem hujus operis scopus sit demonstrare, qua ratione loca Evangeliorum in speciem inter se dissidentia possint conciliari ; titulum ei indidit, *De Consensu Evangelistarum.* Primus tamen operis liber in iis revincendis totus occupatur, qui cum Christum, tanquam hominem sapientia longe præ cæteris excellentem, honorandum esse non negarent, Evangelio tamen fidem haberi nollent, quod non ab ipso Christo conscriptum fuerit, sed ab ejus discipulis, qui et magistrum suum pro Deo obstruserint, et de deorum abdicando cultu, quam ipse non eis tradidisset doctrinam prædicarent (*De Cons. Evang.*, *lib.* 2, *prolog. n.* 1). In aliis ergo tribus libris ostendit quatuor Evangelistas inter se nunquam non convenire : qua in operis parte multum operæ ac laboris se consumpsisse non diffitetur (*In Joan. Evang. Tractt.* 112, 117). Enimvero destitutus erat iis adjumentis, quibus instructi fuere quotquot postea idem illud argumentum tractarunt : qui tamen ipsi vestigiis ejus insistentes, vix quidquam alicujus momenti invenere, quod ille non docuisset.

2. Ex eruditis hujusmodi lucubrationibus magnam existimationem jam collegerat, cum ad eum tanquam doctorem eximium, quem nihil lateret, christianus quidam pietate insignis, et eidem sancto Doctori bene cognitus (Januario nomen erat), deferendas curavit varias de Sacramentis et Ecclesiæ ritibus inquisitiones. Cum permultæ illæ essent commonitorio, uti vocatur, quodam comprehensæ, primum quidem uni ejus quæstioni, omnium, si ordinem spectes, principi, ab Augustino responsum est, qua videlicet inquirebat quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ fieri debeat ; an offerendum sit mane et rursus post cœnam ; an jejunandum, et post cœnam tantummodo offerendum ; an etiam jejunandum, et post oblationem, sicut facere solemus, inquiebat, cœnandum (*Epist.* 54, *c.* 5, *n.* 6). Cæteræ autem quæstiones in aliud tempus dilatæ sunt. Cum vero Januarius longo post tempore per litteras eum rogasset, ne illis quoque satisfacere gravaretur, sanctus Episcopus multas, quibus tunc distringebatur, occupationes intermisit, quo ejusdem optatis altera data epistola seu libro ad eum secundo responderet (*Epist.* 55, *n.* 1). Id inter cætera sciscitabatur Januarius, cur non semper una eademque die, quemadmodum Natalis Domini, ita et Paschatis festum celebraretur ; curve in hac statuenda re observaretur sabbatum et luna (*Ibid.*, *n.* 2). In geminis hisce libris de consuetudinibus multis agitur, quæ vel in omnibus, vel solum in quibusdam Ecclesiis obtinebant. Quibus explicatis Augustinus operi finem imponit in hæc verba : *Hæc tibi si satis esse ad ea quæ requisisti non putaveris, nimis ignoras et vires et occupationes meas. Tantum enim absum ab eo, quod putasti, nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius ; quia et apertissime falsum est ; et miror quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quam sciam. Sed ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero, quia non solum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere, sed etiam expertus sum, experiorque quotidie ; quandoquidem nullum mihi sacramentum aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris Litteris aperitur, ubi non eadem præcepta reperiam : finis enim præcepti est charitas* (*Ibid.*, *c.* 20, *n.* 38). Libris iisdem ad Januarium anno circiter quadringentesimo conscriptis Augustinus proxime subjungit librum de Opere monachorum (*Retract. lib.* 2, *cap.* 21).

3. Supra vidimus, monasticæ vitæ institutum per Africam a quo tempore in eam illud importavit ibique servare cœpit Augustinus, multis locis brevi propagatum fuisse. Plurima Carthagine monasteria mox excitata sunt : in quibus tamen non una omnino vitæ forma tenebatur. Alii siquidem Apostolo præcipienti morem gerentes, proprio sudore victum sibi comparabant. Alii contra se piorum hominum donariis sustentari malebant, ab omni labore, quo sibi necessaria providerent, supersedentes : idque non quod ullo ecclesiastico ministerio occuparentur, ut altari servientes inde merito sibi stipendium postularent ; aut quod delicate ac molliter educati, non essent ferendo manuum labori pares ; quippe qui in sodalitium sanctum coiverant, ubi multo abundabant otio, et eorum plerique illuc a vita gravissimis laboribus exercita venerant. At vero multo melius esse ipsis videbatur, orationibus et psalmis et lectioni vacare, studio quoque incumbere ac meditationi verbi Dei, quod venientibus ad se ex alio genere vitæ fratribus quandoque erogandum atque exponendum esset ; ac illud demum non operando implere statuerant, quod in Evangelio de considerandis volatilibus et liliis agri præcipitur, quæ neque seminant, neque metunt : tametsi de hoc quod adjicitur, neque congregant in apothecas (*Matth.* 6, 26), minus solliciti, penus recondendæ curam haudquaquam abjecissent ; imo vellent manus habere otiosas, et repositoria plena. Quicumque vero ab manuum opere sic vacabant, cum ipsi deberent vel propriam corporis infirmitatem, [illegible] suam ipsorum desidiam agnoscere, sese iis potius qui quotidiano duroque labore victum quærerent, anteponebant. Hinc porro sancti præsules verebantur, ut veri monachi, qui vitam ex sanioris vitæ præscripto suam dirigebant, fallaci demum pietatis sublimioris specie ad inertiam pellicerentur ; urgente præsertim verecundia, cum infractores Evangelii haberi se conspicerent apud imperitos. Præterea ab illa eorum vivendi ratione auctoritas addebatur monachis errabundis, qui ad operandum quiete ac silentio cum induci non possent, plebem monasticæ vestis veneratione captam deludebant, variis fraudibus atque fallaciis ad corradendas pecunias in summum instituti

monastici dedecus abutentes. Erat quoque id in ea re perquam molestum, quod complures e laicorum numero, qui laudabili charitatis instinctu iisdem necessaria providebant, ipsorum etiam desidiam defendendam susciperent, cum ab aliis contra damnaretur isthæc vivendi ratio. Hinc porro graves exortæ inter eos controversiæ, quibus agitabatur Ecclesia. Ex istis insuper desidiosis erant, qui comam contra Pauli jussum nutrire solerent; ac nonnulli quidem non alio fine, nisi quo majorem sibi acquirerent venerationem, et uberiorem quæstum hujusmodi humilitatis simulatione facerent. In hoc vitium monachi cætera sancti admodum, atque ab episcopis longe prudentissimis magno in honore habiti collabebantur: qua culpa Ecclesiam perturbabant, periculosissimis dissensionibus in ea concitatis; cum inter orthodoxos alii, ne viros tanta sanctimoniæ fama pollentes damnarent, in alienam sententiam expressa Pauli verba detorquere cogerentur; alii legitimum Scripturæ sensum mallent defendere, quam cuiquam hominum assentari. Quoniam Ecclesiæ Carthaginensis turbæ ad Aurelium, utpote illius antistitem, præ cæteris spectabant, is Augustinum, in hanc rem aliquid scripto ederet, rogavit: ac sanctus ille Vir, qui monasticum institutum, sicut in reliquis orbis christiani regionibus, ita per universam Africam diffundi vehementer cupiebat, demandatam sibi ab eo provinciam hoc minus potuit recusare, quod a Christo ipso id illius ore sibi imperari non dubitaret. Scriptionem ergo illam ad redarguendos pigros, quæ *De Opere monachorum* prænotatur, elucubravit: sub cujus finem Aurelium rogat, si quid in ea vel expungendum, vel immutandum deprehenderit, id sibi ne gravetur significare. Reclusorum, ut vocant, atque in his, eorum quoque qui laboribus nullis vacabant, mentionem in hoc libro facit honorificam. Hic etiam id temporis obortam inter se ac Hieronymum de Petro et Paulo controversiam indicat.

## CAPUT II.

1 *Crispinum Donatistarum episcopum Calamensem urget, ut scriptis inter se confectis tractetur quæstio de causa schismatis.* 2 *De eadem quæstione cum Clarentio per litteras ad Naucelionem agunt Alypius et Augustinus.* 3 *Hic Severinum consanguineum suum ab schismate eripere studet.* 4 *Ad Generosum scribit, ne illudi sibi patiatur a presbytero quodam Donatista.*

1. Indefessam simul per id temporis dabat operam, ut catholicæ unitatis amicos conciliaret Ecclesiæ. Nam eo spectant aliquot non parvæ molis volumina circiter hunc ipsum annum quadringentesimum edita, præter varias epistolas. Ex his duæ sunt ad Crispinum episcopum Donatianæ partis Calamensem: quarum prior cum data sit post Optati quidem, sed ante Prætextati obitum, non potest in alio ullo tempore melius collocari. Nam Prætextati ac Feliciani pari semper modo meminit, ac de utroque, quod etiam multo validius est, in hæc verba loquitur: *Quotquot*, ait, *baptizaverunt, eos nunc secum ac vobiscum habent* (*Epist.* 51, *n.* 4). Atqui jam tum e vivis excesserat Prætextatus, cum Augustinus circa hunc ipsum annum, libris adversus Parmenianum editis, summam manum imposuit (*Cont. Epist. Parm., lib.* 3, *c.* 6). Quapropter quod narrat Donatistas conqueri, sese a Catholicis terrenorum principum ope vexari, id non ad leges anno quadringentesimo quinto latas referendum est, verum ad alias antiquiores. Quædam enim anno trecentesimo septuagesimo septimo, quædam sequenti tempore sancitæ fuerant. Et sane anno quadringentesimo secundo fatebatur Augustinus, edictis imperatorum cautum esse, ne liceret Donatistis in urbibus commorari (*Cont. Litt. Petil., lib.* 2, n. 184). Nonnunquam etiam in eos leges adversus hæreticos in universum constitutas adhibet (*Cont. Epist. Parm., lib.* 1, *c.* 12). Crispinum ergo Carthagine forte repertum Augustinus, ad disputándum de facta ab Ecclesia secessione, etiam atque etiam invitarat (*Epist.* 51, *n.* 1): sed post nonnullam, eamque satis acrem concertationem, impedimentum aliquod in præsens tempus excusaverat Crispinus; pollicitus tamen intermissum colloquium se denuo repetiturum, ubi commodior sese dedisset occasio. Utroque igitur in Numidiam ad suas Ecclesias reverso, cum rumor increbuisset, quominus excuteretur difficultas, per Crispinum neutiquam stare; Augustinus datis ad eum litteris, instat ut id fiat: quandoquidem tunc temporis nihil in mora esset, ac per utriusque Ecclesiarum viciniam liceret repetitis ultro citroque scriptis, omnem quæstionis obscuritatem tollere. Non enim aliter in hac causa, quam scripto agere constituerat; ne forte quod tantum viva voce tractatum esset, excideret e memoria; simul ut quibus esset cordi quæstionem cognoscere, id ex litteris, si concertationi forte interesse ipsis non licuisset, possent consequi. Quin addit forsitan etiam futurum, ut hæc ipsa epistola responsioni, quam ab Crispino obnixe petit, conjuncta, exsolvendis omnibus difficultatum nodis sola sufficiat. Quamobrem ante omnia demonstrat, gravius crimen in schismate ac discidio contineri, quam in sacrorum codicum traditione; quod tamen unum Cæciliano, vel ei potius a quo ordinatus fuerat, nulla testimoniorum fide vel auctoritate freti, exprobrabant: itaque nullo pacto licitum illis fuisse, quantumvis reus exstitisset Cæcilianus, ab Ecclesia secedere. Hanc rem ipsos agnovisse, cum Felicianum et Prætextatum, quos ante schismatis damnaverant, servato eisdem episcopatu receperunt: et siquidem illi hoc scelere vacaverint, potuisse itidem fieri, ut perinde imposito crimine caruerit Cæcilianus: ipsos præterea sua cum Maximianistis agendi ratione palam fecisse, non omnes jure condemnari, a quibus alii divexantur, imo nec semper necessum esse, eos omnes iterum ablui, qui Baptismum extra veram Dei Ecclesiam accepissent. Stabilitis hisce capitibus, in quibus Ecclesiæ ac Donatistarum controversia tota vertebatur, iisdemque in calce epistolæ summatim collectis, Crispinum obtestatur, ut respondeat; et, siquidem illud possit, ostendat vel levissimam difficultatis umbram, quæ

ipsos quoque imperitissimos distineat, superesse. Suus epistolæ titulus non præfigitur; et re ipsa nullo eam, aut saltem admodum simplici, inscripserat Augustinus : quam rem apud Crispinum excusat, id sese eo fecisse affirmans, quod Donatistæ, si quando secum urbanius agerent Catholici, illorum modestiam reprehenderent : non futurum quoque sibi molestum, si Crispinus eamdem secum agendi rationem sequatur. Hisne litteris responderit, ignoramus : verum in confesso est, eum et in schismate perseverasse, et in animi impotentiam a temperantia et moderatione, quam initio præ se tulerat, maxime discrepantem, delapsum esse. Æquum enim est eos, qui beneficiis divinitus oblatis abutuntur, his ipsis dotibus, quibus ornati videbantur, spoliari.

2. Augustinus atque Alypius non absimilem, uti conjicimus, disceptationem cum Clarentio, quem patrem, provectioris forsitan ætatis causa, vocitant, iniere. Reperitur Clarentius quidam Tabracæ episcopus Donatista (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 187). In ipsa autem disputatione Naucelione internuntio utebantur. Qua de re tantum habemus, quod sanctos hosce viros monuerit Naucelio, confessum sibi Clarentium, postquam damnatus esset ab Donatistis Felicianus Mustitanus, eum ab iisdem postea in honore suo receptum fuisse : causatum vero damnationem injustam exstitisse, quippe hominis absentis. Id porro Augustinus Alypiusque assumunt, et ad suæ causæ commodum torquent, data ad ipsummet Naucelionem epistola (*Epist.* 70) : quæ cum nullam de Prætextato mentionem faciat, post annum quadringentesimum haud dubie scripta est.

3. Augustino consanguineus quidam Donatista fuit nomine Severinus, qui, non secus atque alii complures, in discidio nulla alia quam consuetudinis causa tenebatur. Jam diu illum Augustinus tam misere irretitum non sine dolore ac gemitu videbat, atque eumdem ut expediret ab errore, præsentem alloqui peroptabat. Et quidem Severino litteras hac de re jam ante nonnullas miserat : ab hoc enim cum epistolam accepisset, nimiam ejus in scribendo tarditatem incusavit. Tametsi porro quæ Severini epistola continebantur, ejus votis minime responderent : gaudebat tamen sibi redditam fuisse, præsertim ubi intellexit, tabellarium non aliam ob causam, nisi ut illam Hipponem ferret, abs Severino missum. Inde enim judicabat hanc illum curam, nisi animo ad excipiendam veritatem parato, nunquam susceperum fuisse. Huic igitur in responsione quædam exposuit ex argumentis, quibus solebat discidii firmamenta subvertere : illudque inter alia usurpabat, perditos homines innumeros, ne pars Donati scinderetur, tot annos ab illis ipsis esse toleratos. Quibus verbis decennium, quo tyrannidem exercuit Optatus, persæpe designat. Quod nisi nos moveret, hanc epistolam (*Epist.* 52), in qua nimirum nulla Maximianistarum fit mentio, scriptam ab Augustino nondum episcopo facile crederemus.

4. Epistolam quoque Generoso missam (*Epist.* 53) licet ad hoc circiter tempus referre. Certe ea sub Anastasii pontificatu scripta est, Prætextato Assuritano, uti videtur, nondum vita functo, proindeque antequam tres libri in Parmenianum essent editi. Generosus ille, de quo agitur, Cirtensis erat, catholicæ communionis, quem etiam comperimus Numidiæ consularem exstitisse (*Epistt.* 115, 116), at nonnisi post legem quamdam, quæ tantum duodecimo kalendas februarias anni quadringentesimi noni lata est (*Ut observatum Præfat. tom.* 2, *ad Epistt.* 115, 116). Itaque si quam anno quadringentesimo dignitatem, ut satis verisimile est, Cirtæ gerebat, eam oportet aliam fuisse, quam consularis. Erat tunc temporis Cirtæ quidam ex Donatistarum parte presbyter, cui venit in mentem, ut ad Generosum scriberet, angelum sibi apparuisse, mandasseque ut eidem Generoso verum Christianitatis urbis Cirtensis ordinem aperiret; ac præterea moneret, Donati partem amplecti, prout in epistola Petiliani ejusdem civitatis episcopi exponitur. Huic etiam ejus sedis ostentabat episcoporum seriem, ac Silvanum in primis honorificentissime prædicabat. Planum erat, angelum tenebrarum, ad illudendum ei, in angelum lucis transformatum fuisse; nisi forte Donatistæ illius presbyteri commentum id erat, qui satanæ ministrum agens, alios hoc mendacio in fraudem pellicere destinaverat. Quamobrem Generosus, utpote vere catholicus, ejus irrisit epistolam, eamque ad Fortunatum Cirtæ catholicum episcopum, necnon ad Alypium atque Augustinum, qui tum forte Cirtæ simul aderant, transmisit. Tres illi antistites, sed unius Augustini manu, spe ac studio revocandi ad fidem presbyteri, Generoso responderunt (*Epist.* 53, *c.* 1, *n.* 1); quem proinde rogarunt, uti suam ipsorum cum illo epistolam communicaret. In ea demonstrant, si standum sit episcoporum successioni, eam potius a Romana Sede repetendam : qua de causa Romanorum antistitum ad Anastasium usque tunc sedentem catalogum contexunt. Post hæc proferunt ea monumenta, quæ potissimum ad cognoscendam Donatistarum historiam faciunt, et ea in primis, quibus Silvanum Cirtensem traditorem fuisse liquet. Maximianistarum quoque gesta commemorant; neque id omittunt, Felicianum ac Prætextatum ab illis admissos, quos, ut quidem videtur, etiam tum in vivis agere pro certo ponunt. Generosum vero cum ad opus adversus Petiliani epistolam scriptum non mittunt, inde judicare est, nihil adhuc ab Augustino super ea re editum : quandoquidem vix ullum dubium esse potest, quin laudata ab eodem presbytero Petiliani epistola, celebris illa ipsa fuerit, quam confutavit Augustinus.

## CAPUT III.

*1 Petilianus e Donati parte episcopus quis fuerit. 2 De illius adversus catholicam Ecclesiam epistola. 3 Hujus primam partem refellit Augustinus. 4 Quonam tempore id aggressus est. 5 Parmeniani contra Tichonium epistolam in favorem schismatis conscriptam confutat. 6 Edit libros de Baptismo contra Donatistas. 7 De libro, Contra quod attulit Centurius a Donatistis. 8 De litteris ad Celerem.*

1. Epistolæ mox memoratæ auctor Petilianus, inter

Donatistarum episcopos tunc maxime omnium nominatus, forenses aliquando causas egerat : quem propterea in collatione Carthaginensi catholicus quidam episcopus ad fori sui leges non injuria redire jubet. Is sane jactare solitus erat potentiam quondam suam in forensi advocatione; seque, propter hanc, Spiritus sancti cognominalem, quod inde paracleti nomen obtinuisset, fuisse stolide prædicabat (*Cont. Litt. Petil., lib.* 3, *c.* 16, *n.* 19). Hunc cum primo in Ecclesia catholica esset catechumenus, per vim rapuerant Donatistæ, ac suæ parti vinculo honoris mortifero, videlicet episcopali dignitate, astrinxerant. Qua de vi Petiliano illata Augustinus in sermone ad populum Cæsareensem dicebat : *Pars Donati quando prævalebat Constantinæ, laicum nostrum catechumenum, natum de parentibus catholicis, Petilianum tenuit, vim fecit nolenti, scrutata est fugientem, invenit latentem, extraxit paventem, baptizavit trementem, ordinavit nolentem* (*Serm. ad Cæsar. Eccl. pleb.*, *n.* 8). Ab his ergo volens nolens Constantinæ seu Cirtæ (nam duobus hisce vocabulis insignitur eadem urbs, quam Numidia civilem metropolim agnoscebat) præsul est constitutus : qua ille dignitate, Optato necdum mortuo, potiebatur. Tametsi autem Petilianum soleret fama prædicare, quod inter suos doctrina et facundia maxime excelleret (*Contra Litt. Petil., lib.* 1, *c.* 1); ejusdem tamen oratio quandoque reprehenditur ab Augustino ut turgida, tumultuosa, ac concitandæ plebi accommodata, verbis etiam ineptis interdum ac insanis composita (*Ibid., lib.* 2, *c.* 73). Præcipuum vero schismatis fuit ille in Collatione præsidium, in qua quidquid excogitari potest solertiæ ac fraudis, quidquid tergiversationis ac pervicaciæ, id omne in mendacii defensionem adhibuit; quo et acta produceret, et efficeret ne quid interea transigeretur, donec contracta ravi, tandem ad silentium adactus fuit.

2. Multis annis ante collationem Carthaginensem Petilianus ad presbyteros, diaconosque sibi subditos, pastoralem epistolam adversus Ecclesiam catholicam scribere ausus, hanc temere, nec ullis adductis in medium documentis, infamibus probris incessebat; contendebatque verum ac legitimum Baptismum tantummodo penes suam sectam reperiri (*Ibid., lib.* 1, *c.* 1, *n.* 2). Hanc epistolam is haberet integram, qui decerpta ex Augustini libro in Petilianum secundo capitum singulorum initia apte inter se conjungeret. Orthodoxos in ea quasi traditores, aut natos e traditoribus, nullo testimonio nixus traducit. Acceptas ab illis injurias queritur, etsi vexationem tunc nullam experiretur ejus factio; cum magistratus satis haberent, si modo illi, vi forte legis a Gratiano anno trecentesimo septuagesimo septimo latæ, sacras ædes adimerent. Plures quidem, tum quas Donatistæ Catholicis per vim eripuerant, tum quas iidem per discidii tempus exstruxerant, eis subtractas retinebant Catholici : quamvis adhuc non paucæ, ex his etiam quæ communionis catholicæ fuerant, schismaticis partibus servirent. Ecclesiam Catholicæ titulo spoliare nitebatur : sed tandem ea spe dejectus, ad pauciatis per angustam viam gradientis laudem se conferebat. Exprobrabat factam a Catholicis apud imperatores expostulationem de Ecclesiæ locis, quæ Donatistarum secta occupaverat. Jam tum quidem exstabant leges, quæ Donatistis urbium domicilio interdicerent; nec dubium quin multa Honorii in illos edicta reperirentur id temporis : qua etiam de re graves querimonias habebat Petilianus, quod scilicet Catholici ad regiam auctoritatem confugerent. Inter hæc suos adhortabatur, ut innocentiam illam, quam ipsis tribuit, vel bonorum omnium terrenorum jactura tuerentur. In eis se suosque numerabat, quos Christus pauperes spiritu vocat; quique reformidant divitias, nedum concupiscant : tametsi parum admodum in nonnullos Donatistarum episcopos ejusmodi laudes quadrarent, ipseque nullum bonorum suorum dispendium esset passus, quæ an abjecisset, profecto latebat Augustinum. Eo dementiæ ac superbiæ venerat Petilianus, ut sentire videretur veræ Ecclesiæ episcopos peccatis nullis obnoxios esse, neque adeo populi precibus indigere; atque ita se quoque ipsum esse Paulo, Joanne evangelista, Daniele atque aliis justiorem.

3. Hæc epistola multorum in manibus erat, qui varias etiam ex ea sententias ad verbum ediscebant, quasi ex opere adversus catholicam Ecclesiam apprime valido (*De Unitate Ecclesiæ*, *n.* 1). Cirtæ primum ex illa quædam legit Augustinus (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 1, *n.* 1), forte etiam, ut a nobis dictum est, quo tempore a Generoso presbyteri Donatistæ litteras, in quibus eadem laudabatur, accepit (*Epist.* 55). Hanc ei, cum in ecclesia esset una cum Fortunato catholico ejus loci antistite, orthodoxorum nonnulli obtulerunt, Absentio præsente : forte reponendum Alypio, quandoquidem Alypius cum Augustino et Fortunato conjunctim Generoso rescripsit. Hæc nonnisi initium et pars epistolæ perquam exigua erat : quoniam nondum licuerat Catholicis ex ea plura describere. Principio observat Augustinus, hac epistola ab ipso exordio funditus Donati partem subverti; cum ab impolluta baptizantis conscientia, eorum qui baptizantur, pendere justificationem doceat. Quapropter illam revera Petiliani esse, quamvis ejus nomen præferret, haud facile sibi persuadebat : verum quibus nota erat hujus Donatistæ scribendi forma, hunc ipsum esse ejusdem stilum Augustino testati sunt (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 1, *n.* 1). Igitur illam scripto refellere constituit; quod et præstitit quam maxima potuit diligentia, claritate ac sinceritate, ne quid contra catholicam fidem solidi ea contineri putarent imperitiores : nec modestia sua inhibetur, quominus asserat veritatem in sua responsione adeo firmiter stabiliri, tantaque luce illustrari, ut Petiliano nihil succurrat, quo eam possit revincere (*Ibid., lib.* 3, *n.* 1). Responsionem hanc fideli diœcesis suæ populo dicat, eamque non librum appellat, sed epistolam (*Retractation. lib.* 2, *cap.* 25). Utitur hic Optati quidem, at multo magis Maximianistarum historia, plebemque suam adhortatur, ut hanc ultimam

alte in mentem demittant : quippe quæ sit omnibus omnino Donatistarum petitionibus, sine ullo argumentorum præsidio, repellendis maxime accommoda. Quibus subjicit : *Hæc, fratres, cum impigra mansuetudine agenda et prædicanda retinete : diligite homines, interficite errores : sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia pro veritate certate. Orate pro eis quos redarguitis atque convincitis* ( *Contra Litteras Petiliani, lib.* 1, *n.* 31 ). Diligentiam sane adhibuit Augustinus, ut reliquæ litterarum Petiliani partes sibi in manus venirent : sed cum illarum initium ab eo confutari intellexissent Donatistæ, nullus eorum, a quibus hæ petitæ fuerunt, dare voluit. Adeo verebantur illi, ne quod e suis scriptis in Catholicorum manus incideret. Quid, quod Augustinus Petilianum nunquam inductum iri putat, ut illam ipsam epistolam vel pro sua agnoscat, ac propria manu obsignet? Haudquaquam ita se gerebat Augustinus : sed Catholicos rogat, ne cuiquam poscenti suam ipsius epistolam negent, imo et eam non poscentibus ingerant. Donatistis ita respondendi facit potestatem, ut si ad ipsum nolint, saltem ad sectæ suæ fautores responsionem mittant, dummodo eam ipsi occultari non jubeant. Ipsos quoque a premenda tam sedulo Petiliani epistola dehortatur, ne forte, quam partem sibi videre non contigit, ea contineatur aliquid, quod, uti facete dicit, refelli non possit (*Ibid.*, *n.* 27).

4. Primum hunc librum post Gildonis et Optati mortem, id est, non ante anni trecentesimi nonagesimi octavi finem composuit ( *Ibid.*, *nn.* 10, 27 ) : cui profecto libro, si eum scripta sub Anastasii pontificatu ad Generosum epistola præcessit, ne licebit quidem tempus ante annum trecentesimum nonagesimum nonum assignare ; cum Anastasius ad eam dignitatem tantummodo vergente anno trecentesimo nonagesimo octavo cooptatus sit. Quin imo ex Retractationum serie, in qua primus iste liber cum secundo circiter annum quadringentesimum secundum edito jungitur, non multo ante hunc ipsum annum collocandus videretur, nisi variis in eo locis Augustinus Prætextati Assuritani et Feliciani Mustitani tanquam adhuc superstitum recordaretur (*Ibid.*, *nn.* 10, 26) : nam e vivis excesserat Prætextatus, antequam Augustinus absolveret suum in Parmenianum opus ( *Contra Epistolam Parmen.*, *lib.* 3, *cap.* 6 ), quod ultra annum quadringentesimum rejici posse non putamus. Quocirca non immerito dixeris, utrumque librum ab Augustino ob argumenti similitudinem una junctum, atque in loco utrique simul assignando, rationem secundi esse habitam, non primi, quem epistolæ tantum loco habebat ipse Augustinus, nec in librorum suorum numero, nisi secundi ac tertii gratia recensebat. Ut ille tamen liber contra Petiliani litteras primus, quam minime longo temporis intervallo a duobus aliis disjungeretur, placuit locum eidem ante tres in Parmenianum libros proximum concedere.

5. Parmenianus, de quo hic agitur, ille ipse est, qui in locum demortui Donati a Donatistis Carthaginensis episcopus suffectus fuerat ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 17). Is jam tum excesserat e vita (*Contra Epistolam Parmeniani*, *lib.* 1, *c.* 1 ). Verum cum epistola, quam adversus Tichonium scripserat, in Augustini manus incidisset, non potuit Ecclesiæ catholicæ vindex petentibus atque, ut ipse loquitur, jubentibus fratribus, ut illam confutaret, non morem gerere ; idque maxime ob diversos sacrarum paginarum locos, queis Parmenianus ad defendendam partis suæ secessionem abutebatur. Augustinus igitur id in se recepit, ut Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam purgaret a criminationibus et calumniis, quibus Donatistæ suum ab ea discidium tueri quasi legitimum conabantur. Qua de causa celeberrimam illam excutit ac solvit quæstionem, an mali bonos, quibuscum ejusdem Ecclesiæ societate, ac eorumdem Sacramentorum communione copulantur, inficiant : ab illis autem hos minime contaminari demonstrat. Quæ per Maximianistarum schisma evenerant, potissimum adhibet, illisque peropportune armis utitur, quæ sibi præbuerant Donatistæ, cum Felicianum Mustitanum, ac Prætextatum Assuritanum, cum omnibus in Maximiani schismate baptizatis, ad communionem admiserunt. Et quidem e vita Prætextatus haud longe ante discesserat : Felicianus autem adhuc superstes erat. Multum quoque isthic Augustinus sermonem habet de Gildoniano Optato, deque ab eo violenter factis ; et quamdiu bacchata sit ejus tyrannis, non obscure definit ( *Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 4 ). Quæ quidem anno demum trecentesimo nonagesimo octavo sublata est. Quo tempore hæc scribit, eodem ipso fere ubivis gentium falsorum deorum templa solo æquari, eorum simulacra legum recens latarum vi comminui, sacra denique ac ceremonias inhiberi, testatur (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 15) ; quod anno trecentesimo nonagesimo nono fieri cœptum. Quapropter ante hunc annum locare non licet eam lucubrationem, quam ipsemet Augustinus proxime post librum de concordia Evangelistarum ponit.

6. In illa contra Parmenianum lucubratione spondet sanctus Doctor, alibi se fusius Baptismi quæstionem tractaturum. Reipsa septem libros de Baptismate postea composuit, quos eidem isti operi proxime in Retractationibus subjungit ( *Retractationum lib.* 2, *cap.* 18 ). Hunc alium laborem promissi non immemor suscepit, illum tamen fratribus efflagitantibus non negaturus, etiamsi in libro contra Parmenianum de eo nihil promisisset. Id sibi in his septem libris proponit, ut ea dissolvat, quæ de Baptismate adversus Ecclesiæ doctrinam Donatistæ objectabant : sed in primis, ut Cypriani, quem armis veritatis tanquam firmissimum clypeum opponebant, auctoritati respondeat ; ostendatque non iniquis rerum æstimatoribus nec præjudicata opinione corruptis, nihil esse quod eos validius ad silentium adigat, ac discidii quo ab Ecclesia desciverant, fundamenta subruat, quam beatissimi hujus martyris in ea ipsa super Baptismo controversia judicium et agendi ratio. Ad hæc ipsorum auctoritate Donatistarum pugnat, qui recepto Feliciano propriæ causæ firmamenta confregerant, ut jam

nulla superesset de re cum Donati præcipua grandiorique parte concertandi causa, sed tantum cum particulis quibusdam, quæ velut a corpore suo divulsæ grandiorem illam ob approbatum Maximianistarum baptisma criminabantur, ac sibi solis verum Baptisma singulæ sic arrogabant, ut unaquæque contenderet, nec omnino esse alibi, nec in Ecclesia catholica, nec in ipsa grandiore parte Donati, nec in cæteris præter se unam ex minutissimis partibus. Postrema operis parte sententias concilii apud Carthaginem Cypriani auctoritate de rejiciendo hæreticorum baptismo celebrati omnes expendit, et ad verbum singulis respondit.

7. Cum id temporis Augustinus sermonem contra Donatistas haberet frequens, quidam ex iis laicus, cui Centurio nomen, in Ecclesiam attulit adversus Catholicos nonnulla scripta, quibus nihil omnino continebatur, præter locos aliquot e sacris paginis in unum congestos, quos secum facere schismatici contendebant. His breviter respondit edito scripto, cui *Contra quod attulit Centurius a Donatistis*, titulum fecit. Eadem inscriptione illud in suo Indice notat Possidius (*Possidius, in Indiculo, cap.* 3): quod ipsum videtur in ejusdem Sancti Vita significare voluisse (*Idem, in Vita August., c.* 9). Id nostra ætate desideratur.

8. Aliquem forte ex iis in Donatistas libris, quorum supra meminimus, ad Celerem sanctus Antistes misit, ut eum doceret, justam causam Donatistis fuisse nullam, cur ab Ecclesia catholica per totum orbem diffusa secederent (*Epist.* 57). De hoc autem Celere, tanquam de viro generis nobilitate claro, necnon ob gestas dignitates conspicuo, semper loquitur. Christi autem fidem constanti animo secutus, in sua conditione dignam imitatu duxerat vitam: attamen erat ei cum Donatistis nimia consuetudo, a quorum etiam erroribus non omnino videbatur alienus. Huic cum forte essent in Hipponensi regione possessiones, eaque occasione necessitudinem junxisset cum Augustino, ei sanctus episcopus ipsius rogatu adductus promiserat, se nonnulla ad schismatis cognitionem pertinentia traditurum. Id tamen serius, quam in votis habuerat, præstitit, quod ipsi necesse fuerit ad obeundam diœcesim se itineri committere. Verum Optato cuidam presbytero delegavit, ut quæ ad eam rem conducerent, legeret Celeri. Peculiarem ea de causa ad eumdem Celerem epistolam dedit (*Epist.* 56): ad quem alteram postea scripsit (*Epist.* 57), facturus eum certiorem, curasse se, ut codex, quem per filium suum Cæcilium petierat, ad eum deferretur, quo evoluto codice planum ipsi fieret, perperam Donatistas ab Ecclesia catholica descivisse; eique pollicetur, si quid adhuc dubii in illius animo inhæreat, se hac de re, cum primum ipsi libuerit, facturum satis. Celerem a Donati partibus oportet jam tunc abalienatum fuisse: quandoquidem illum rogat Augustinus, ut suis in Hipponensi agro clientibus unitatem catholicam commendet; sibique ipsi cum quodam, qui in possessione illius tum esse dicebatur, amico suo concordare cupienti, petit ad hanc rem faveat. In illis litteris altum de collatione Carthaginensi silentium: quo videri possint ab Augustino recens adhuc episcopo conscriptæ. Anno supra quadringentesimum duodecimo Spondeus bonorum Celeris procurator, formidandus erat Donatistis adversarius (*Epist.* 139, *n.* 2). Anno quadringentesimo vigesimo tertio, cum Augustinus epistolam ad Cœlestinum papam scriberet, honorem nullum gerebat Celer (*Epist.* 209, *n.* 5): verum anno quadringentesimo vigesimo nono, quemadmodum ex legum quarumdam ad eum destinatarum titulis intelligere est (*Codice Theod., de Annona, lege* 34, *et de Appell., lege* 68), Africam pro consule administravit.

## CAPUT IV.

1 *Liber de Bono conjugii occasione Jovinianæ hæresis editus.* 2 *Liber quoque de sancta Virginitate.* 3 *Commentationes de Genesi ad Litteram.*

1. Ubi primum prodivit Joviniani hæresis, qui circa annum trecentesimum nonagesimum prædicare cœperat, virginitatis meritum quam castitatis conjugalis potius non esse (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 22); ea quidem Romæ primum, deinde Mediolani vehementer impetita damnataque fuit: quin etiam ab Hieronymo celeberrimis duobus libris anno trecentesimo nonagesimo secundo scriptis sic oppugnata est, ut illam aperte tueri jam auderet nemo. Verumtamen nonnullas etiam hoc tempore ejus reliquias clandestinis interdum sermonibus sparsas reperire erat; et idcirco res ipsa postulabat, ut huic veneno non ideo minus periculoso, quod clanculum serperet, occurreretur. Eam ob causam Augustinus librum scripsit de Bono conjugii, idque argumenti consulto sibi tractandum elegit, quod essent qui Jovinianum contenderent nulla alia ratione revinci posse, quam si matrimonium, uti factum jactabant ab Hieronymo, reprehenderetur. Ipse vero et conjugii sanctitatem adversus Manichæos posse propugnari, et eidem, quamvis non improbando, tamen præferendam esse virginitatem ostendit. Jovinianum ab eo nusquam in hoc opere nominatum reperimus, nisi quod illum alicubi impudentis percunctatoris appellatione designat (*De Bono conjugali*, *n.* 27). Non modo tradit quodam loco, more tunc Romano licitum non esse superducere uxorem, ut vir amplius habeat quam unam vivam; sed vetitum quoque innuit, ne sterilis uxor alterius ducendæ gratia dimitteretur. Quæstionem ibidem attingit, qua de causa qui vel ante vel post receptam Baptismi gratiam unam et alteram uxorem duxissent, ab episcopali dignitate removerentur (*Ibid., c.* 7, *n.* 7, *c.* 18, *n.* 21). Idem opus libro in Genesim nono memorat, atque illud a se non ita pridem publici juris factum (*De Genesi ad Litteram, lib.* 9, *n.* 12).

2. Laudato copiosissime nuptiarum bono, monitis etiam in superiore libro christianis virginibus, ne se ipsæ antiquis populi Dei conjugatis anteponant (*De sancta Virginitate, n.* 1), nullum jam periculum erat, ne si virginitatis excellentiam contra Joviniani erroris reliquias assereret, criminari nuptias videretur. Qua-

propter ab ea suspicione tutus alium post emisit de sancta Virginitate librum (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 23), in quo, pro gratia sibi divinitus concessa, homines ad hanc virtutem impellere nititur; necnon modestas de se ipsis cogitationes, ne ob professionis suæ dignitatem insolescant, in eorumdem animis inserere: dum ex alia parte, quantum sit impertitum illis a Deo munus, ex alia vero, quam sedulo illud donum per piam animi demissionem conservandum sit, ipsorum oculis subjicit.

3. Hoc eodem tempore duodecim illos aggreditur de Genesi ad Litteram libros, quibus idcirco hujusmodi titulum inscripsit, quod missis allegorematis, Scripturam in illis juxta rerum gestarum veritatem exponit (*Ibid.*, *cap.* 24). Observatum a nobis jam supra, eum cum adhuc presbyteri munia obiret, rem eamdem conatum fuisse, scripsisseque jam tunc de hoc argumento librum; experientia tamen comperisse, sibi vires ad exsequendum opus destinatum nondum suppetere. Ergo nonnisi longo post tempore ad illud reversus, in exordium Geneseos ad usque emissum Adamum e paradiso libros undecim composuit, quibus addidit de ipso paradiso duodecimum: in quo libro, qua ratione mentis oculis corporea percipiamus, fuse disputat. Fatetur autem ingenue, tametsi illud opus multis partibus ei sit anteponendum, quod adhuc presbyter scripserat; tamen se non paucis in capitibus investigare potius veritatem, quam invenire: quin etiam ubi illam invenerit, non a se proponi solere tanquam certam; sed ut plurimum ad accuratius examen definitionem rerum differri. *Non tam præscribentes*, inquit, *de rebus obscuris unicuique quid sentiat, quam nos docendos in quibus dubitavimus ostendentes; temeritatemque affirmandi amoventes a lectore, ubi non valuimus præbere sententiæ firmitatem* (*De Genesi ad Litteram, lib.* 12, *c.* 1, *n.* 1). Explicare mysteria verborum inclusa contextu sibi neutiquam proponit, demonstrare contentus eo nihil contineri, quod ad litteram, ut aiunt, et ad proprietatem historiæ verum esse non possit, aut quod partis naturali lumine cognitionibus repugnet: denique si quid supervacaneum appareat, id esse mysterio necessarium (*Ibid.*, *lib.* 9, *c.* 12, *n.* 20-22). Ex hac exponendi ratione non parum compendii ac utilitatis ad Ecclesiam, perinde atque ad eos, quos ipsorum salutis causa docere peroptabat, rediturum censet. Non tamen physicæ nodos exsolvere curat: quippe cui ad hoc nec suppetat tempus, imo nec suppetere debeat, nec sibi, nec illis quos, ut dicit, ad salutem suam, et sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupit informari (*Ibid.*, *lib.* 1, *cc.* 40, 41; *lib.* 2, *c.* 10, *n.* 23). Id operis non continuo labore confecit (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 24, *n.* 1): at illud quamvis efflagitarent amici, diu tamen quemadmodum etiam suas de Trinitate lucubrationes, priusquam ultimam imponeret manum, apud se pressit (*Epist.* 43, *n.* 4): tum propter quæstionum quas ibi tractat summas difficultates, tum quia futurum sperabat, ut, quamdiu non ederetur, errores in eo nonnullos semper emendaret. In undecimo libro opus de Civitate Dei, quod per expugnatæ anno quadringentesimo decimo Urbis occasionem scriptum est, quodam modo pollicetur (*De Genesi ad Litteram, lib.* 11, *c.* 15, *n.* 20). Enimvero sua hæc in Genesim scripta nondum in vulgus emiserat, cum litteras sub anni quadringentesimi duodecimi finem ad Marcellinum (*Epist.* 43, *n.* 4), neque cum alias ad Evodium (*Epist.* 159, *n.* 2; *Epist.* 162, *n.* 2) anno forte quadringentesimo decimo quarto aut quadringentesimo decimo quinto, dedit. Illa tamen, opere de Trinitate nondum absoluto, perfecit (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 24, *n.* 1). Duodecimum quidem jam in altera ad Evodium epistola circiter annum quadringentesimum decimum quartum data, citavit; maturabatque totius operis, quantum in ipso erat, emendationem, ut illud quamprimum publici juris faceret, neve multorum exspectationem ac desiderium diutius procrastinando suspenderet. Porro Augustinus voluminibus supra memoratis locum, ea retractando, tribuit ante libros in Petilianum ineunte anno quadringentesimo secundo non serius absolutos: quamobrem superiora illa ab ipso partim anno quadringentesimo, partim quadringentesimo primo elucubrata fuisse existimamus.

## CAPUT V.

*1 Concilium Carthagine habitum die decimo sexto junii decernit legandos episcopos ad transmarinas sedes, ut Donatistæ ad unitatem redeuntes cooptari possint in clerum; et quædam per eosdem legatos ab imperatore petenda. 2 Alterum ejusdem anni Carthaginense concilium decimo tertio die septembris agit de revocandis ad Ecclesiam iisdem schismaticis, et statuit eorum clericos in suis honoribus recipiendos esse. 3 Ratio modusque admittendorum ab Ecclesia Donatistarum. 4 Quædam ex constitutionibus Carthaginensis concilii notantur.*

1. Concilium in Africana collectione duplex anno eodem quadringentesimo primo ponitur, alterum die supra decimum sexto vel quarto kalendas julias, alterum idibus septembris, utrumque Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ celebratum. Aurelius, qui unus in priore synodo verba facit, tantummodo partem illorum testatur adfuisse, quibus eo conveniendum erat. Ac primum quidem proponit, Africam ea laborare ministrorum penuria, ut in multis Ecclesiis ne unus quidem vel illitteratus diaconus præsto sit. Unde relinquit colligendum, superiores gradus, cum plures quam diaconatus dotes requirant, multo magis ministris idoneis destitui. *Et quotidianos*, inquit, *planctus diversarum pene emortuarum plebium jam non sustinemus; quibus nisi fuerit aliquando subventum, gravis nobis et inexcusabilis innumerabilium animarum pereuntium causa apud Deum mansura est* (*Labbe, Concil. tomo* 2, *pag.* 1642). Persuasum habebat, a nemine dubitari, quin ei malo remedium afferretur, si modo qui a Donati partibus ad Ecclesiam remearent, iis ad ecclesiasticas dignitates aditus non intercluderetur: verum id a sedibus præcipue Romana ac Mediolanensi anno forte trecentesimo nonagesimo secundo in synodo Capuensi vetitum fuerat. Itaque petit Aurelius,

ut episcopus quispiam ex suo ipsorum numero ad Anastasium Romanum antistitem simulque ad Venerium Mediolanensem mittatur, qui Ecclesiæ Africanæ indigentiam illis aperiat; oretque eos in clericorum ordinem cooptari consentiant, qui baptizati fuerint ab hæreticis adhuc infantes; dummodo digna tanto gradu pietas, prout in superiori concilio fuerat ab Africana Ecclesia constitutum, in illis emineat (*Codice Canonum Afric., can.* 57). Constat quidem, jam ante sive in Hipponensi concilio anni trecentesimi nonagesimi tertii, sive in Carthaginensi anni trecentesimi nonagesimi septimi, agitatum fuisse de recipiendis in suo honore et gradu conversis ad Ecclesiam Donatistis; modo tamen in schismate non rebaptizassent, aut suos secum populos reducerent: at quidquam ea de re, nisi consultis prius transmarinis Ecclesiis, definire noluerunt. Tum inde Aurelius alia proponit non parum necessaria, quæ ab Imperatore petenda essent: inter hæc, uti profana quæ multis in locis fierent convivia prohibeantur (*Ibid., can.* 60); idque non solum propter saltationes, aliaque turpitudinis ac impudentiæ plena, quæ in religionis christianæ contumeliam in illis Pagani exercebant, verum etiam quod Christianos isthic adesse cogerent; qua in re sub imperatoribus Christo addictis nova quædam excitabatur persecutio. Convivia illa ex erroribus gentilium manasse, necnon divinis repugnare præceptis, aperte testatur Aurelius: quibus verbis, ut quidem videtur, ea notat in templis solita celebrari, quæ pariter Augustinus sermone sexagesimo secundo, qui cum hoc articulo non mediocrem habet affinitatem, insectatus est. Præterea si quis servos suos manumittere cuperent, id illis in ecclesia, coram episcopis, nulla alia ex juris formulis servata, peragendi potestatem fecerat Constantinus triplici lege, quod forte in Africa, ubi de modo ac legitimo ritu ambigebatur, nondum usu receptum erat. Postulat ergo Aurelius, ut mittendo in Italiam legato cura committatur sciscitandi, quonam pacto sese Italiæ episcopi in ea re gererent; ut sibi quoque tantumdem potestatis ipsi usurpent (*Ibid., can.* 82). In concilio idibus septembris habito constitutum est, ut ab Imperatore peteretur in ecclesia manumittendi facultas (*Ibid.*): quam et concessam fuisse ex Augustino discimus (*Serm.* 21, *n.* 6; *Serm.* 356, *n.* 6).

2. Ad secundum istud eodem anno quadringentesimo primo idibus septembris habitum Carthagine concilium, cum totius Africæ generale fuerit, episcopi convenere frequentissimi; adeo ut ad obeundum privatum negotium non pauciores viginti delegati sint, in quibus Alypius, Augustinus, atque Evodius recensentur. Augustini certe ingenium in hujusce concilii decretis elucet plurimum. Primum recitatæ sunt litteræ ab Anastasio papa ad episcopos Africanos scriptæ; quibus eos cohortabatur, ne improbitatem, injurias, ac damna, quæ ab hæreticis Donatistis illata, tam dirum in modum Ecclesiam Africanam vexabant, ullo modo dissimularent. Actæque tum Deo gratiæ, quod tanta adversus ipsos charitate sancti hujus Antistitis animum inflammasset: deinde magna cura discussum, quænam cum Donatistis agendi ratio esset utilior futura (*Labbe, Concil. tomo* 2, *pag.* 1651): captumque est Deo inspirante consilium, ut benigne admodum et pacifice ageretur, atque illis omnibus, quoad fieri posset, ob oculos poneretur, quam miserum in statum decidissent (*Codice Canonum Afric., can.* 66): quod spes esset, futurum, ut amicarum hujusmodi correctionum ope, mentis caliginem illis Deus abstergeret, cor emolliret, et laqueorum, quibus a dæmone tenebantur irretiti, nexus dissolveret. Statutum est eam ob causam, litteras ad Africanos magistratus a Concilio mittendas esse, quibus rogarentur, ut eorum, quæ Donatistas inter ac Maximianistas acta fuerant, instrumenta authentica episcopis tradi juberent (*Ibid., can.* 67): tum deligendos antistites, qui schismate segregatos ab Ecclesia episcopos plebesque eorum ad pacem et unitatem invitarent, convincerentque nihil esse causæ, cur ab eis catholica Ecclesia reprehendatur; cum præsertim eorumdem in Maximianistas indulgentia obtentas suæ secessioni causas omnes excludat (*Ibid., can.* 69). Placuit quoque ut episcopis ad Donatistas per omnes Africæ provincias legandis potestas sub instructionis forma traderetur, a cujus præscripto non esset illis integrum discedere (*Ibid., can.* 85). Nihil erat ad resarciendam concordiam magis idoneum, quam si redeuntes ad Ecclesiam Donatistarum clerici in suis honoribus reciperentur (*Ibid., can.* 68). Quod quidem tam in ipso discidii initio, quam cum redintegrata est sub annum trecentesimum quadragesimum septimum per Macarium unitas, servatum fuerat, uti testes esse poterant Africanæ pene omnes ecclesiæ: verum idem postea variæ synodi, in quibus præcipue Hipponensis, ac transmarina, Capuana fortasse anno trecentesimo nonagesimo secundo celebrata prohibuerant. Veterem illum usum revocare, idque erga eos cum primis, qui suos secum populos reducerent, peroptabant Africani antistites; attamen de ea re nihil decernere ausi fuerant priusquam episcoporum Italiæ consensum obtinuissent. Ad hunc modum in concilio, decimo sexto kalendas julias præsentis anni coacto, animis affecti remanserant; remque omnem statuerant Romani Episcopi ac Mediolanensis arbitrio permittendam. In hoc vero decretum est, ut ad Italos antistites, ac præcipue ad Anastasium papam litteræ darentur, quibus certiores fierent, pacem atque Africanæ Ecclesiæ utilitatem exigere, ut locorum episcopis Donatistas in propriis honoribus recipiendi facultas esset, dum revocandis ad unitatem aliis conducibile videretur: valeret autem transmarinum placitum adversus eos solos, qui reditu suo Ecclesiæ non tantum afferrent utilitatis, quantum ad hocce inflictum disciplinæ vulnus compensandum sufficeret. Hac tamen hujus articuli inscriptione (Ut clerici Donatistarum in Ecclesia catholica recipiantur in clero) videtur significari, eum loco habitum constitutionis definite ab Ecclesia Africana factæ, neque pendentis ex transmarinarum Ecclesiarum consensu.

3. Augustinus circiter annum quadringentesimum

sextum contra Cresconium scribens, superioris articuli constitutionem tunc temporis observari solitam declarat; necnon episcopos cæterosque inferioris ordinis clericos, qui se ad Ecclesiam recipiebant, vel exercuisse propria ministeria, vel ab iis abstinuisse, prout Ecclesiæ paci ac saluti populorum, quorum causa hæ dignitates ac ministeria constituta sunt, expedire judicabatur (*Contra Cresconium*, *lib.* 2, *c.* 11, *n.* 13). Quam disciplinam adversus Donatistas, a quibus reprehendebatur, ipse defendit (*Ibid.*, *c.* 10, *n.* 12). Postea cum Bonifacio comiti scriberet, perinde esse ait, ac si cortex arboris ad inserendum surculum incidatur (*Epist.* 185, *c.* 10, *n.* 44). Certe quidem Donatistæ episcopi in locis episcopo catholico destitutis suas plebes cum eas ad Ecclesiam reducerent, gubernandas obtinebant (*Codice Canon. Afric.*, *can.* 99) ad annum usque quadringentesimum septimum. Hinc reperiuntur in collatione Carthaginensi catholici antistites non pauci, qui prius Donati partes sectati erant. Quin etiam nonnullis qui rebaptizaverant, sua servabatur dignitas (*Cont. Cresconium*, *lib.* 2, *c.* 16, *n.* 19). Rogatus a quodam Theodoro Augustinus, quo pacto, si qui ex Donatistis clerici schismati nuntium remittere vellent, illos esset recepturus (id enim arbitrio cujusque episcopi permiserat concilium), a se nullum sua dignitate spoliatum iri viva voce respondit : quod ipsum postea propria manu eidem perscripsit, rogans de hoc illos certiores faceret ; et suam quoque epistolam, si ita vellent, quasi fidei obsidem relinqueret (*Epist.* 61, *n.* 1). Theodorus ille, quem fratrem vocitat, vir erat, ut quidem credibile est, non mediocris Hippone auctoritatis, quo ad tractandum cum Donati sectatoribus utebatur. Etenim Theodori et Maximi, quos charissimos et honorabiles filios appellat (*Epist.* 107, 108, *n.* 1), ministerio epistolam primum ad Macrobium Hipponensem Donatistarum episcopum curavit deferendam (*Epist.* 106). Nec est cur fratris nomen, quo ab eo Macrobius compellatur, quemquam moveat, cum hoc titulo laicos etiam honorare nonnunquam soleret Augustinus. Is quidem, ut secundum pollicita faceret, duos Proculeiani diaconos admisit (*Epist.* 78, *n.* 8). Hi postea in culpam aliquam lapsi, populo in causa fuerunt, cur et Proculeiani regimini insultaret, ac ob Augustini virtutem gestiens dictitaret e clericis qui sub ejus disciplina fuissent informati, neminem in talia peccata decidere. Id autem ipse Augustinus minus probabat, ac neque homines de ipso gloriari, neque hæreticis, præter suam hæresim, quidquam exprobrari volebat. Inter explicandum psalmum trigesimum sextum populi precibus commendat subdiaconum Donatistam de cujus ad Ecclesiæ communionem reditu lætari se profitetur (*Enarr. in Psal.* XXXVI, *serm.* 2, *n.* 11). Porro qui ab unitate ad Donati partem deficientes, iterum tingi Baptismo voluerant, Ecclesia in his recipiendis haud æque facilem se præbebat, ac in aliis qui a pueritia schismate fuerant implicati (*Contra Cresconium*, *lib.* 2, *c.* 16, *n.* 19). Amabat utrosque Ecclesia, eisque sanandis charitate plane materna serviebat. Verum etsi neutros recipiebat sine pœnitentia, in eos tamen quos nondum in filiis numeraverat, paulum indulgentior, aliis qui transfugerant ab ejus unitate, pœnas indicebat multo graviores (*Epist.* 93, *n.* 53). Nam ab ecclesiasticis honoribus posteriores istos excludebat, perinde ac qui semel abdicato schismate, rursus ad vomitum reversi, ab Ecclesia defecissent, sive hi tantum e plebe fuissent apud Donatistas, sive in eorum clero locum obtinuissent : ac si quis episcoporum illos aut ab ecclesiasticis dignitatibus non removisset, aut etiam ad eas adsciscere voluisset, fraterno jure culpabatur a diligentioribus (*De unico Baptismo*, *c.* 12, *n.* 20). At contra displicuit valde Augustino, ac præ dolore torta sunt viscera ejus, ubi audivit quemdam a Donatistis redeuntem, et peccatum rebaptizationis confitentem, ab Ecclesiæ aditu ac pœnitentia fuisse ea specie prohibitum, quod recipi forte non nisi legum metu postulasset. *Puta*, inquit, *quia coactus est esse catholicus, erit pœnitens. Quis illum cogit petere reconciliationis locum, nisi voluntas propria? Modo ergo admittamus infirmitatem, ut postea probemus voluntatem* (*Serm.* 296, *c.* 11, *n.* 12). Quanquam autem erant Donatistarum clerici, quibus munerum suorum usu interdicebatur, attamen quibus illa obeundi potestas fiebat, non eis coram plebe manus imponebantur, ne istud in contumeliam sacræ ordinationis, quæ deleri in ipsis nunquam poterat, verteretur. Si quando tamen ignoranter fiebat, ut nec animose defenderetur factum, sed pie corrigeretur cognitum, venia facilis impetrabatur (*Contra Epist. Parmeniani*, *lib.* 2, *cap.* 13, *n.* 28), atque idem statutum in presbyteros ac diaconos omnes obtinebat, quos perpetrata crimina dignos qui de gradu suo dejicerentur, effecerant. Testatur sane beatus Optatus sanctum chrisma in iis qui apud Donatistas illo inuncti fuissent, ab Ecclesia catholica intemeratum atque incorruptum servari (*Optatus*, *lib.* 7). Imo qui in eadem factione honorem tantummodo presbyterii gesserant, nonnunquam provehebantur ad episcopatum : cujusmodi complures in Collatione animadvertere licet. In his clarissimus est Sabinus, qui cum Tuccæ in diœcesi Milevitana presbyteri munus obiret, plebi suæ ad Ecclesiam adductæ, ipsum dari sibi episcopum expetenti, cum ea dignitate præfectus est (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 130). Quod ad laicos attinet, qui baptizati a Donatistis fuerant infantiam nondum egressi, concessum aliquando erat, ut eis liceret sacris ordinibus initiari (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 57) : id autem cum nonnisi propter summam clericorum penuriam statutum fuisset, consultus aliquando à Possidio Augustinus num quemdam in Donati partibus baptizatum ordinaret, ei significavit id se neque consulere, neque, si quidem cogeret necessitas, condemnare (*Epist.* 245, *n.* 2). De illis porro, qui a schismaticis ob admissam culpam gradu et ordine moti fuissent, profitebatur ab ineunte episcopatu suo Augustinus, se hunc servare modum, ut si ad catholicam Ecclesiam transire cuperent, in ea humiliatione pœnitentiæ reciperentur, cui illos fortassis Donatistæ ipsi propter disciplinam subjecissent, si retinuissent eorum societatem : ratus videlicet nunquam

ferendum esse, ut quisquam impune in aliam Ecclesiam ex alia commigret, disciplinæ severitatem elusurus (*Epist.* 35, *n.* 3). A vero neutiquam abhorret, talem fuisse eum de quo in Psalmum trigesimum sextum verbis ad permovendos pietatis sensus admodum appositis loquitur. *Quidam*, ait ille, *ex parte Donati venerat ad nos, accusatus et excommunicatus a suis, hic quærens quod ibi perdiderat. Sed quia suscipi non potuit, nisi eo loco quo debuit; non enim deseruit illam partem quasi integer apud ipsos, ut appareret eum non necessitate, sed electione fecisse : quia ibi ergo habere non potuit quod quærebat, quærebat autem vanam elationem et falsum honorem* (quibus verbis aliud quiddam, quam simplex communio designatur); *et quia hic non invenit quod ibi perdidit, et ipse periit. Gemebat saucius, et non consolabatur : erant enim in conscientia ejus aculei horribiles taciti. Tentavimus consolari eum de verbo Dei; sed ille non erat de sapientibus formicis, quæ sibi æstate collegerunt, unde hieme vivant. Cum enim res sunt tranquillæ, tunc homo sibi colligere debet verbum Dei, et recondere in intimis cordis sui, quemadmodum formica abscondit in cavernosis penetralibus labores æstatis. Per æstatem enim vacat hoc agere : venit autem hiems, id est, supervenit tribulatio ; et nisi intus invenerit quod edat, necesse est ut fame dispereat. Iste ergo sibi non collegerat verbum Dei; supervenit hiems, non hic invenit quod quærebat; consolari nisi inde non poterat, de verbo autem Dei nullo modo. Intus apud se nihil habebat, foris quod quærebat non inveniebat; ardebat indignationum et dolorum facibus; agitabatur mens ejus violenter, et tam diu occulte donec etiam erumperet in quosdam gemitus, ita ut inter fratres sonaret, et se audiri nesciret. Videbamus, et dolebamus vehementer, Deus scit tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta. Quid pluribus? impatiens loci humilis, cui, si saperet, posset esse locus salubris, talis apparuit, ut etiam projiceretur* (*Enarr. in Psal.* XXXVI, *serm.* 2, *n.* 11). Videtur tamen fateri Augustinus, quemdam, Quodvultdeum nomine, quem Donatistæ quasi duplicis adulterii convictum abjecerant, vel ad communionem, vel ad clericalem dignitatem receptum fuisse : verum id non prius factum, quam innocentiam suam legitime probavisset (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 3, *c.* 32, *n.* 37).

4. Ut ad Carthaginense concilium redeamus, statutis iis quæ ad Donatistas pertinebant, nonnulla in eo disciplinæ causa decreta sunt. Inter cætera quia usu forte receptum erat apud Afros, ut quoties Ecclesia quæpiam vacaret, ea certo cuidam episcopo committeretur, de temporariis hujusmodi episcopis nonnihil statutum. Tales autem Interventores sive Intercessores vocitabant : exstatque apud Augustinum Donatistarum criminatio, qua necis illatæ cuidam Interventori, quem tum Majorino nondum adversus Cæcilianum ordinato Carthaginem miserant, orthodoxos calumniabantur ( *Epist.* 44, *c.* 4, *n.* 8). Hujusmodi quoque Interventores adventitios, ut vocat Augustinus, illi Romam ad suos sectatores mittebant, antequam proprios illis episcopos ordinare cœpissent (*De Unico Baptismo, c.* 16, *n.* 28). Prohibet ergo concilium, ne quis ejus Ecclesiæ sit episcopus, quam prius Interventoris titulo rexerit : qui si nequiverit efficere intra annum, ut electio episcopi perageretur, jubet alium Interventorem exacto anno in illius locum subrogari (*Codice Canonum Afric., can.* 74). Hoc idem concilium decrevit, ut clericis ab Ecclesia propter aliquod crimen separatis, annus ad probandam innocentiam concederetur; quo elapso omnis sui purgandi illis adimeretur facultas (*Ibid., can.* 79). Cujus decreti in epistola, de qua nobis jam jam dicendum erit, meminit Augustinus (*Epist.* 65, *n.* 2). Sequentem etiam canonem citare videtur, quem in ultima synodo constitutum asserit, ut qui de aliquo monasterio recessissent aut ejecti fuissent, eos neque ad clericalem ordinem in alia Ecclesia, neque ad monasterii ullius administrationem promoveri fas esset (*Codice Canonum Afric., can.* 80). Illum quoque subindicat in quadam ad Aurelium epistola, et ad eum observandum cohortatur. Cœnobii in aliena diœcesi constituti monachos synodus universim comprehendit, eumque episcopum, a quo fuerint promoti, ab omnium ( si propriam plebem excipias) communione separat. Agitata fuit hoc in concilio Cresconii Villa-Regensis causa (*Ibid., can.* 77) : necnon et Equitii Hippo-Diarrhytorum episcopi ( *ibid., can.* 78); qui quid perpetraverit incompertum est. Hoc tantum exploratum habemus, eum jam pridem episcoporum sententia damnatum ob scelera, non modo illorum, ut par erat, non paruisse judicio, verum etiam inquieti animi vitio et impudentia Ecclesiam perturbavisse. Quæ causa fuit, cur concilium ad decimum sextum kalendas julias anni quadringentesimi primi coactum legatis, quos ad Imperatorem destinabat, mandaret, ut, si forte Equitium illum in Italia reperissent, omni juris via adversus ipsum agerent (*Ibid., can.* 65). Non deerant in ejus urbe, qui causæ ipsius plus nimio studerent, ejusque a fuga reditum præstolarentur : cum ejus contra alii ab istis dissidentes abdicarent communionem : et hi quidem ædes Deo sacras tenebant, ac episcopum adhuc nullum acceperant. Cum igitur Ecclesiam illam non putaret concilium desertam diutius esse relinquendam, episcopos viginti, et in his Alypium, Augustinum atque Evodium selegit, qui sese eo conferentes, episcopum communi universæ plebis consensu, si tamen Equitii fautores ad ineundam cum aliis societatem liceret adducere, instituerent : sin minus, darent operam, ne quam isti moram episcopali electioni afferrent. Augustinus continuo post absolutam illam synodum scribens, affirmat episcopum Vigesilitanum, aut certe ad cujus diœcesim pertinebat Vigesilitana Ecclesia, in plenario Africæ concilio de gradu fuisse dejectum, atque hanc ob causam ejusdem loci populum, si illum recipere noluerit, probe facturum, neque ad id vel posse vel debere ab ullo cogi : memoratum vero episcopum, si potentiæ sæcularis terrore, quod quidem videtur fuisse minatus, ad eam rem ipsum adigere tentaret, qualis modo sit, et qualis ante fuerit quando de se nihil

mali credi volebat, ostensurum. *Nullus enim*, inquit, *sic proditur qualem causam habuerit, quam ille qui per sæculares potestates, vel quaslibet violentias, cum perturbatione et querela conatur recipere honorem, quem perdidit. Non vult enim volenti Christo servire, sed Christianis nolentibus dominari* (*Epist.* 64, *n.* 4). Terminatur denique concilium facta Carthaginensi antistiti potestate eas nomine episcoporum omnium dictandi atque obsignandi epistolas, quas concilia mittere constituissent : non secus ac tradita scriptis mandata eorum, quæ circa Donatistas observanda omnino essent (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 85).

## CAPUT VI.

1 *Victorinus et Xantippus de primatu contendunt.* 2 *Colonos suos Donati partibus adhærentes ad Ecclesiam revocat Pammachius.* 3 *Augustini monasterium Donatus cum suo fratre deserit.* 4 *Quintiano presbytero causam apud Aurelium habenti rescribit.* 5 *Ejusdem ob susceptum in Augustini monasterio Privationem querimonia.* 6 *Abundantium diœcesis suæ presbyterum ab officio removet Augustinus.* 7 *Exeunte hoc anno quadringentesimo primo, Crispinus rusticos Mappaliensis agri rebaptizat.*

1. Numidiæ primas, ad quem de Cresconio Villa-Regensi scribendum statuerat Carthaginense concilium ( *Codic. Afric.*, *can.* 77 ), diem suum haud dubie non ita multo post clausit. Ejusdem quippe provinciæ primatum jam ineunte ad summum anno quadringentesimo secundo adeptus erat Xantippus Tagosensis episcopus (*Epist.* 65, *n.* 2), quem et adhuc anno quadringentesimo septimo gerebat (*Codice canonum Afric.*, *can.* 100). Ei porro primatum ineunti oborta est controversia. Etenim quinto idus novembris, jam vergente in noctem die, reddita est Augustino encyclica Victorini epistola, qui primatem agens, eum ad Numidiæ concilium invitabat (*Epist.* 59). In eadem epistola, seu, uti vocitatur, tractoria, legebatur etiam ad Mauritanias esse scriptum, quamvis hæ provinciæ suos haberent primates. Sed etsi ex eis ad Numidiam convocandum esset concilium, oportebat ut aliquorum Maurorum, qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur : quod cum in ista non reperiret Augustinus, multum miratus est. Præterea moleste tulit, se, tametsi antiquiores essent episcopi complures, tertio loco recenseri. Neque minus movebatur, quod Xantippus ipse, qui primatum ad se pertinere, ultro ei assentientibus plurimis, dicebat, eoque nomine tales mittebat epistolas quæ primatem decent, in iisdem litteris ne nominatus quidem esset; cum tamen ille maxime ad concilium venire, ac primus nominari debuisset. Istos ob errores timuit, ne forte subdititia esset illa tractoria. Quæ una dubitatio, ne pareret convocationi, per se inhibere eum poterat : sed præterea et angustia temporis, et variæ gravesque curæ quibus tum distinebatur, cum adversa forsitan valetudine, non facile sinebant, ut ad synodum sese accingeret. Itaque satis habuit ad Victorinum scribere; primum ei ut se excusaret, tum ut eum commonefaceret, in primis ipsi una cum Xantippo discutiendum utrius esset primatus et jus cogendi concilii; vel potius sine cujusquam præjudicio concilium simul ab utroque indicendum esse, ubi cum senioribus examinaretur, uter utrum antiquitate superaret. Porro hujusmodi de provinciarum Africæ decanatu vel primatu controversiæ ad judicium episcopi Carthaginensis a concilio delatæ sunt. Et hæc forte contentio in causa fuit, cur varia statuerit anni sequentis concilium, quibus omnis de tempore ordinationis episcoporum ambiguitas tolleretur ( *Codice Canonum Afric.*, *can.* 86).

2. Hoc ipso forsitan vertente anno quadringentesimo primo Augustinus per legatos Carthaginensis concilii Pammachio scriptam epistolam dederit (*Epist.* 58, *n.* 3). Huic enim significat, quas improbo in Catholicos animo Donatistæ insidias moliebantur, ei se minime dicere; illum vero a fratribus suis, quos ipsi commendat, eas commodius auditurum. Pammachio erant possessiones media in Numidia, cujus incolæ Donati partibus adhærescebant. Quapropter is charitatis ac pietatis adductus impulsu litteras ad eos de amplectenda Ecclesiæ unitate scripsit, tantum spiritus fervorem præ se ferentes, ut præter spem promptissimo animi studio delegerint id sequendum, quod talem ac tantum virum nonnisi duce veritate sequi sibi persuaderent. Id quidem Augustino tam gratum accidit, ut gaudium suum Pammachio per litteras, de quibus modo agimus, significandum censuerit : quarum tamen ex verbis lætitiæ suæ voluptatem, vel amoris erga eum sui ardorem existimari ab ipso non vult : sed, *Perge cogitando*, inquit, *in pectus meum, et cerne quid illic de te agatur. Patebit enim oculo charitatis cubiculum charitatis, quod claudimus adversus nugas tumultuosas sæculi, cum illic Deum adoramus; et videbis ibi delicias lætitiæ meæ de tam bono opere tuo, quas nec lingua effari, nec stilo exprimere valeo, calentes atque flagrantes in sacrificio laudis ejus, quo inspirante hoc voluisti, et quo adjuvante potuisti.* Addit se vehementer cupere, ut ad idem præstandum alii christiani senatores adduci vellent; at sibi non eam inesse fiduciam, ut ad hoc illos audeat exhortari. *Illi enim*, subdit sanctus Antistes, *forte non facient, et tanquam nos in animo eorum vicerint inimici Ecclesiæ, decipiendis insidiabuntur infirmis.* Quare hoc unum eumdem rogat, ut nempe acceptam a se epistolam coram eis recitet; quod fieri possit, ipsos colonorum suorum conversionem non alia de causa negligere, quam quia de hac procuranda desperent. Hoc ergo contigisse satis constat, quo tempore Donatistarum magno numero simul ad Ecclesiæ unitatem redeuntium rariora exstabant exempla, atque adeo ante annum quadringentesimum quintum; imo nondum actis hisce violentiis, quibus in Catholicos bacchati sunt Circumcelliones, ubi viderunt Maximianistarum historiam, prout hoc anno concilium Carthaginense statuerat, instanter ubique a Catholicis evulgari. Augustinus quippe ea tantum damna commemorat, quæ ab iisdem timebantur, nec ipse inficiatur, timorem suum apud quos-

dam pro vano haberi posse : ideoque rogat, ne aspernetur etiam superflua metuentes.

3. In monasterio suo non parum solatii capiebat Augustinus; sed nihilominus molesta quoque nonnulla ibi subinde experiebatur; et quantavis cura eorum, qui secum vivebant, disciplinæ prospiceret; sentiebat tamen, et se hominem esse, et in hominum contubernio versari, nec sperare ullo modo posse, nullos se præter sanctos in vitæ societate habiturum : eum non licuerit hoc, neque in illorum, qui vitæ sanctimonia præcelluerunt, familia, neque in Christi Domini comitatu, neque in cœlo ipso reperire (*Epist.* 78, *nn.* 8, 9). Istam humanarum rerum calamitatem hoc tempore expertus est. Ejus in monasterio erant duo fratres, Carthagine aut in vicinia nati, quorum alteri Donato nomen. Hi quadam vanæ gloriæ cupiditate ducti e monasterio excedere cogitarunt : desiderium, uti videtur, obtendentes patriæ suæ in clericali ministerio serviendi. Cupidus eorum salutis Augustinus, quanta potuit impedimenta, ne illi prava cogitata perficerent, objecit. At cum abduci se a proposito nequaquam essent passi, Carthaginem profecti sunt : ubi Aurelius ratus fortasse huc eos cum bona venia Augustini venisse, Donatum in clerum ascivit. Huic fratrem, cur egrederetur, causam præbuisse testatur Augustinus. Atqui illud prius evenit, quam concilium, in quo de monasteriorum desertoribus eorumque ordinatione actum est, celebraretur, nempe ante idus septembris anni quadringentesimi primi. Haud reperimus tamen in hac synodo Augustinum ea de re cum Aurelio locutum : etsi eodem loci, verbo *statueremus*, non obscure significet ei se interfuisse. At quas litteras Augustinus ab Aurelio proxime post suum ab invicem discessum accepit, in iis de Donato ejusque fratre agebatur. Diu dubitavit sanctus Episcopus quid ei responsi daturus esset : at salutis tandem illorum, quibus consulere tenebatur, desiderio motus rescripsit, monachos periculosæ tentationi objici, clericos, e quorum numero episcopi ipsi sunt, non levi affici contumelia, si vitæ monasticæ desertores in eorum ordinem assumantur; cum prius is honor nonnisi monachorum probatissimis tribui soleret, nec raro ii ipsi ecclesiasticis muneribus essent inepti. Quibus addit, Aurelium ex animi sententia Donato, si quidem superbiam is posuerit, uti posse; quando illum, antequam hac de re quidquam statuisset concilium, ordinavit. *De fratre autem ejus*, inquit, *cum intelligas quid sentiam, nescio quid respondeam.* Quo plane significat istum non posse, nisi violato concilii decreto, ordinari. Subdit nihilominus, ejus se prudentiæ et charitati nolle intercedere, atque adeo posse ipsum hac in re sequi, quod utilius Ecclesiæ judicaverit. Papæ vocabulum, quo in epistolæ inscriptione Aurelium salutat, dubium esse non sinit, quin is fuerit Carthaginensis episcopus (*Epist.* 60).

4. Haud scimus an idem quoque sit, quem in epistola ad Quintianum semel ac secundo senem Aurelium vocitat (*Epist.* 64, *nn.* 2, 3) : siquidem istud vocabulum recepto usu decanis sive primatibus in Africa tribuebatur : quod an deferri pariter soleret episcopo Carthaginensi propter dignitatem sedis, non satis liquet. Hoc vero minime dubium, si prædicta epistola post Natalem Dominicum hujus ipsius anni data fuerit, qua de re ambigendum utique non videtur, Numidiæ primatem haudquaquam exstitisse hunc Aurelium; cum eam dignitatem Victorinus aut certe Xantippus obtineret. Atqui statuere non audemus, illine Aurelio primatus adscribi possit in aliam quamlibet Africæ provinciam, ut puta Bizacenam, ad quam Vigesilitana Ecclesia, cujus in eadem epistola mentio facta est (*Ibid.*, *n.* 4), pertinebat. Sed quisquis fuerit iste Aurelius, in ejus vel diœcesi, vel certe provincia Badezilitanam Ecclesiam, aut huic vicinam, regebat presbyter Quintianus. Hic jusserat in ecclesia sua recitari libros nonnullos qui in canone Scripturarum synodi auctoritate constituto minime contenti, e numero erant apocryphorum, quibus ad inducendos in fraudem populos vulgo hæretici abutebantur, ac præ cæteris Manichæi, qui reipsa narrabantur hoc in loco libenter latitare (*Ibid.*, *n.* 3). Nec procul dubio aliud fuit, cur Aurelius a communione sua Quintianum amoveret, quamvis de ejus causa sententiam ultimam, occupationibus distentus, nondum tulisset : verum statuerat circa Natalis Dominici ferias ad Badezilitanam Ecclesiam se conferre (*Ibid.*, *n.* 2).

5. Eadem quoque tempestate contigit, ut quidam adolescens, nomine Privatio, qui nonnisi semel quidpiam ex apocryphis libris hujusmodi legerat in illa ecclesia, veniret ad Augustinum, rogans ut ejus in monasterio reciperetur (*Ibid.*, *n.* 3). Hunc non putavit sanctus Antistes lectoris habendum loco, nec proinde subjiciendum canoni, quo vetitum erat, ne reciperetur alterius diœcesis clericus. Id tamen per litteras Aurelio significavit, ejus hac in re sententiam secuturum se affirmans. Augustino igitur Quintianus scripsit tum de eodem Privatione, quem nisi violatis canonibus admitti non posse contendebat; tum de propria cum Aurelio controversia, a quo suam causam non judicari querebatur. Ejus epistolam pridie, aut ad summum biduo ante Natalem Domini accepit Augustinus; quam et Aurelio deferri ea mente voluit, ut intelligeret, quibus ille de rebus expostularet, quibusve in defensione rationibus uti constituisset. Deinde eidem Quintiano cum omni urbanitatis significatione respondit : ac simul, ut eam, qua secum agebatur, rationem æquo animo ferret, perinde est adhortatus, quasi existimasset innocentem; satis tamen intelligitur, eum sibi hac de re statuendi jus arrogare noluisse. Quin etiam illum omnino hoc nomine reprehendit, quod apocryphos libros recitari jusserit; ac præterea notat ipsum, quod ad Privationem attinet, plus æquo commotum fuisse. Se autem ab ejus suscipienda causa excusat; cum sint alii antistites qui, propter majorem tum auctoritatem, tum propinquitatem, id facilius præstare queant. Ejus tamen epistolam ait a se ad Aurelium transmissam; non potuisse autem populo curæ illius credito,

a quo litteras nullas acceperat, scribere; tum quod ipse tardius Quintiani epistolam accepisset, tum quod plebi, quæ dispensationi suæ commissa non esset, ultro scribere nec auderet, nec sua quidem sententia recte posset; suam vero ipsius ad eum responsionem omnibus facile satisfacturam. Significat illum, cum libuerit, ad se venire posse, nec onerosum fore adventum ejus; non tamen licere sibi eum admittere ad suam communionem, qui cum Aurelio non communicaret. In hac quoque epistola, quid nuper a concilio de monachis monasterii desertoribus statutum sit, observat: unde adducimur, ut credamus eam, post acceptas circiter Domini Natalem Quintiani litteras, hoc vertente anno scriptam fuisse; cum non aliud e concilio proferat, quam quod fuerat in Carthaginensi idibus septembris constitutum.

6. Id ferme temporis Augustinus de causa Abundantii sententiam tulit, centum, ut ipse profitetur, diebus ante Dominicum Paschæ (*Epist.* 65, *n.* 2), qui octavo idus aprilis futurus erat. Primatum in Numidia tunc obtinebat Xantippus (*Ibid. titulo.*): quo sane tempore Pascha in octavum idus aprilis nonnisi anno quadringentesimo secundo incidisse reperitur. Hac ergo de re sexto kalendas januarias anni quadringentesimi primi judicavit. Erat Abundantius loci, qui Strabonianensis dicebatur, in diœcesi Hipponensi presbyter. Ibi cum Ecclesiam gubernaret, famam non bonam habere cœpit: qua conterritus licet sanctus Antistes, nihil tamen temere credidit. Verum factus inde sollicitior, operam dedit, si quo modo posset ad aliqua depravatæ illius vitæ certa indicia pervenire. Primum igitur comperit, illum de pecunia suæ fidei a rustico credita nullam posse probabilem reddere rationem: atque adeo hanc ipsum in usus proprios convertisse. Is deinde convictus fuit, quod jejunii ob Natalem Dominicum instituti die a Gippitano presbytero, quasi ut domum repeteret, hora circiter quinta, hoc est, nostro loquendi more, undecima, discedens ad ejusdem loci mulierem, quæ male audiebat, nullo comitante clerico divertisset; et quamvis jejunium in Gippitana Ecclesia servaretur non secus ac in cæteris Ecclesiis, tamen apud eamdem mulierculam prandisset, cœnasset, et, quod reprehensione dignius est, pernoctasset. Tunc vero temporis Hipponensis clericus, eodem receptus hospitio (unde publicum diversorium fuisse facile credideris) aderat. Quo factum est, ut quærente Augustino de causa Abundantii, is caput hoc negare haud quaquam potuerit. Itaque sanctus Præsul, Deo dimissis quæ ille inficiabatur, confessionem hanc sufficere existimavit, ut eum ab Ecclesiæ, quam undique circumstabant hæretici, administratione removeret, aut etiam propter sinistram famam de presbyterii gradu depelleret. Hoc igitur sexto kalendas januarias centum diebus ante Pascha factum est. Statuit Abundantius ad presbyterum Armemanensem, in Bullensi campo, unde venerat, se recipere. Est autem Bulla seu Bulla-Regia in Proconsulari sita. Quapropter Augustinum rogavit, uti scriberet ad presbyterum illum, ac rei totius, ne forte aliquid gravius suspicaretur, certiorem faceret: quod et ipsi misericordia quadam concessit Augustinus, ut a presbyterii munere remotus, ibi cum diligentiori existimationis suæ cura, aut, quemadmodum ait sanctus Præsul, correctior viveret. In indice epistolarum Augustini, unam ad Victorem presbyterum de campo Bullensi recenset Possidius (*In Indiculo*, *cap.* 7). Abundantium simul admonuit Augustinus, si vellet a sententia in se lata provocare, id ipsi intra anni spatium ex ultimo concilio liberum esse (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 79); quo tempore elapso, jam ad agendum neutiquam admitteretur. Xantippo quoque tanquam provinciæ primati scripsit, facti sui rationem redditurus. Cumque liceret Abundantio postulare, ut sex episcopi de causa ejus extremo judicio pronuntiarent; profitetur Augustinus, si hoc in examine dignus depositione is non fuerit repertus, posse quem libuerit, ei Ecclesiam suæ jurisdictionis committere; sibi vero id nullo modo esse integrum, ne quæ damna hinc forte orirentur, in se ipsum reciderent. Hanc epistolam ad summum ineunte anno quadringentesimo secundo, et dubio procul ante Pascha, scriptam fuisse oportet.

7. Referendus videtur ad anni quadringentesimi primi exitum tristior ille casus, quem initio quadringentesimi secundi recentem adhuc lugebat Augustinus. Crispinus Calamensis e Donati parte episcopus cum haud quaquam eo divitiarum metu, quem Petilianus suæ sectæ hominibus inesse prædicabat, sed amore contra earum teneretur (*Contra Litteras Petil.*, *lib.* 2, *c.* 99, *n.* 228); coacta pecuniæ non mediocri summa prædium emit Mappaliense, non longe ab Hippone situm (*Epist.* 66. *n.* 1), cujus miseros incolas tam violenter oppressit atque conturbavit, ut uno terroris impetu octoginta ferme animas miserabili gemitu mussitantes non dubitarit rebaptizando submergere (*Cont. Litteras Petil.*, *lib.* 2, *c.* 83, *n.* 184). Augustinus luctuosi hujusce facti dolore pressus, Crispino per litteras significavit, se quidem efficere posse, ut decem auri pondo, quibus clericos hæreticos Theodosius mulctarat, solveret; malle tamen eum admonere, ut quid Deo ipsi responsurus sit, provideat: quod si affirmet colonos Mappalienses sua sponte ejus suscepisse communionem, petere se, ut ipsis præsentibus habeatur Crispinum inter et Augustinum de Ecclesiæ causa disputatio, et quæ utrimque dicentur, scripta atque obsignata iisdem rusticis punica lingua exponantur; quibus peractis, illis per Crispinum potestas fiat, utram velint, communionem eligendi. Addit præterea, si quas etiam plebes Crispinus putet metu dominorum coactas a Donatistis descivisse, se neutiquam recusare, quin hoc ipsum et ibi fiat, ipsos scilicet ambos audiant, iisque auditis eligant quod placuerit. Quibus ut respondeat Crispinus, eum per Dominum Christum obtestatur (*Epist.* 66, *nn.* 1, 2). Quanquam hoc non poterat Crispinus defugere, quin simul se haud veritate niti declararet: veri tamen simile est, illum conditionem minime ausum accipere, ne *manifesta*

clades ipsi esset, quam fuga, propudiosior.

## CAPUT VII.

1 *Controversia Augustinum inter ac Severum Milevitanum propter Timotheum exorta.* 2 *Hunc Severo, obstinate illum reposcenti, mittit Augustinus.* 3 *Ornatissima laudatio Augustino data a Severo.* 4 *Augustini responsio ad sibi datam ab amico laudationem.* 5 *Necessitudo quanta Augustino erat cum Severo, et capita quædam ex hujus historia.*

1. Scriptæ sunt circiter id temporis epistolæ ad Severum duæ (*Epist.* 62, *et Epist.* 63), Milevitano concilio nondum, ut postea visuri sumus, celebrato. Severus ille sine controversia idem est qui, post exactos in monasterio Augustini aliquot annos, Milevitanus episcopus creatus est (*Vide supra, lib.* 3, *cap.* 5, *n.* 3) : in qua sede non parum existimationis jam tum sibi comparaverat, cum Paulinum ejus nomine, ipse ad episcopatum adhuc recens evectus, Augustinus amicis verbis salutabat (*Epist.* 31, *n.* 9). Severus quoque litteras ad Paulinum tunc destinasse videtur : cum hic lætitiam suam, ob acceptas ab eo sicut et ab aliis compluribus sanctis ac venerabilibus episcopis litteras, testificetur (*Epist.* 32, *n.* 1). Profuturus Cirtensis aliquanto post ab Augustino fuit rogatus, ut ejus nomine Severum, ad quem ipsi per tempus non licebat scribere, salutaret (*Epist.* 38, *n.* 3). Ortum suum Severus eidem urbi debebat, atque Augustinus, et una ambo diu multumque divino verbo pasti fuerant (*Epist.* 84, *n.* 1) : ut quantumlibet valeat concors fraterni sanguinis germanitas, nulla tamen vinceret amicitiæ vinculum, quo sibi invicem inhærebant. Neque tamen id prohibuit, quominus inter eos nonnihil discordiæ suboriretur. Res quidem haud mediocriter intricata est : verumtamen hoc eam pacto expediri posse arbitramur. Cœperat quidam Timotheus apud Subsanam, Hipponensis diœceseos, necnon aliis quibusdam in Ecclesiis, ad eamdem forte diœcesim pertinentibus, publice Scripturas legere. Quapropter ei lectoris ibi munus adepto, ad aliam Ecclesiam transire licitum non erat. Nihilominus tamen ipsum de petendo Milevo cogitasse intelligimus. Vetuit quidem Severus ne ad se adiret, nisi cum venia Carcedonii, qui utrum Subsanensis presbyter fuerit, necne, haud satis constat. Ad illum tamen Timotheus, nullam jussi hujus rationem habens, nec petito Carcedonii consensu, se contulit. Atque hæc totius fuit discidii origo (*Epist.* 63, *nn.* 1, 2). Nam cum eidem Severus, ut par erat, auctor fuisset, ut ad Subsanam rediret Deo ibidem ministraturus, hic interposito jure jurando affirmavit, se ab ipso nulla unquam causa recessurum (*Epist.* 62, *n.* 2). Contigit tamen, ut Subsanam repeteret. Interea Severus cum Augustino sermonem contulit, idque forte Hippone; nec ob aliam procul dubio causam, nisi ut ab eo Timotheum impetraret. Verum dum Augustinus secum reputat, quid de illo statuendum sit, ratus Severum ex collato invicem sermone adduci potuisse, ut illum secum esse pateretur, eumdem Subsanæ subdiaconum ordinari, ejus Ecclesiæ presbyter et alius quidam Verinus præter consilium et voluntatem Augustini, procurant (*Epist.* 63, *n.* 1). Non ita multo post Augustinus cum Alypio et episcopo Samsucio Subsanam se contulit (*Epist.* 62, *n.* 1), ubi de iis quæ per suam ipsorum absentiam et contra voluntatem facta fuerant, quæstione habita, rerum quas acceperant alias falsas, alias veras, sed omnes molestas esse compererunt. Quibus tamen mederi, quoad potuere, partim objurgando, partim monendo, partim orando conati sunt : objurgando quidem eos qui in hoc toto negotio deliquerant; tum vero hos, aliosque monendo, quid ipsis in posterum præstandum esset, quo quæ male facta fuerant corrigerentur. *Orando autem*, ut verbis utamur Augustini, *correximus nos ipsos, ut et gubernationes et exitus nostrorum consiliorum misericordiæ Dei commendaremus; et si quid indignationis nos momorderat, sub illius medicinalem dexteram confugiendo sanaremur* (*Epist.* 63, *n.* 2). Timotheus vero, cum ei persuadere niterentur, ut ne a Subsanensi Ecclesia discederet, palam testatus est, se jurejurando promisisse, ab Severi contubernio se nunquam abducendum; quo nexu nisi teneretur, morem eis gerere non recusaturum. Cui sancti præsules demonstrarunt, si Severus, nullo ipse astrictus jurisjurandi vinculo, cum suo solutum vellet, consentiretque ut vitandi scandali ergo in Subsana maneret, id ipsi sine ulla perjurii nota licitum fore. Quibus auditis id præstitit, quod servum Dei, atque Ecclesiæ filium facere oportebat : nimirum pollicitus est se, quidquid cum Severo transegissent observaturum. Extemplo tres illi episcopi Severo scripsere; quæ simul egerant, significavere : ac per charitatem Christi adjuravere, ut quæ inter se locuti erant in memoriam revocaret, ac rescriptis suis eos recrearet. Timotheus quidem ipse non scripsit ad Severum : hujus enim germanus frater, cujus nomen hic reticetur, eum rerum omnium certiorem faciebat (*Epist.* 62, *n.* 2).

2. Affectum se injuria Severus existimavit, quod, quo tempore Timotheum Ecclesiæ suæ concedi postulabat, eo ipso Subsanensis subdiaconus esset constitutus. Is igitur in sua responsione significavit mirari se, ordinationem illam, quam sibi displicere profitebantur, tolerare eos velle; cum tamen admissus error posset reddito demum Timotheo emendari. Hac Severi mente, sive ex illius responso, sive eo necdum accepto perspecta, ratus est Augustinus, nulla alia ratione cum eo servari posse charitatem, quam si Timotheus ad eum remitteretur. Tum ergo dedit ad eum epistolam, cujus istud est exordium : *Si dicam quæ me ipsa causa cogit dicere, ubi erit sollicitudo charitatis? Si autem non dicam, ubi erit libertas amicitiæ? Verumtamen fluctuans interim elegi me purgare potius, quam te arguere* (*Epist.* 63, *n.* 1). Postea viæ, quam in hac causa inierat, rationem reddit : subjicitque, tametsi ipsum, quod ei Timotheum remiserit, non pœniteat; sperare tamen se, futurum ut is coram Deo consideret, non posse a quoquam alterius Ecclesiæ clericum hac obtenta specie retineri, quod hic ab illo nunquam se recessurum juraverit, quin magnus ad labefactandam Ecclesiæ disciplinam aperiatur aditus :

at eum contra neque concordiæ legibus defuturum, nec in cujusquam reprehensionem incursurum, si jurejurando, quo teneri non poterat, neglecto, illum Subsanensi Ecclesiæ redderet. Causam hanc suam ejus permittit judicio, id unum petens, ut Christum consulat, quem in ejus corde habitare, mentique ejusdem sibi subditæ præsidere, ait sibi esse persuasissimum. Timotheum Ecclesiæ suæ clericum esse non ob subdiaconatum asserit, quod nonnisi postquam se ad adhærendum Severo obligasset, atque etiam illum Severus ipse ab Augustino petisset, ad eum gradum esset evectus; sed tantum ob lectoris officium. Rogatque Severum sanctus Præsul, num qui id muneris in sua diœcesi obire cœpisset, ac multis in locis atque adeo apud Subsanam præsente Subsanensis Ecclesiæ presbytero legisset, is non jure lector haberetur. Nec tamen asseverat, eum ex canonum definitione hoc in numero habendum : unde adducimur, ut hæc ante Milevitanum concilium sexto kalendas septembris anni quadringentesimi secundi celebratum referamus; quo decretum fuit, ut quisquis vel semel alicubi legerit, jam non possit in clerum alterius Ecclesiæ cooptari. Qui canon ut conderetur, si, quemadmodum satis verisimile est, in causa fuit hæc controversia; certe Severo non licuit recusare, quin Timotheum Augustino redderet. Imo a fide minime alienum est, illum jam antea ab eo remissum fuisse.

3. Cæterum intima illa amicitia, quæ Severum inter et Augustinum intercedebat, hac contentione nequaquam fuit imminuta. Nihil enim litteris (*Epist.* 109, *et Epist.* 110), aliquot post annos ultro citroque scriptis tenerius, aut sinceræ voluntatis plenius esse potest. Suas Severus ruri exaravit, ubi aliquantum temporis cum Augustino, hoc est in ejus operum lectione, collocarat. Earum hic partem subjiciemus, ex qua intelligas, tum quis fuerit episcopi illius animus, et, ut ita loquamur, ingenii character, tum vel maxime quo is loco sancti Doctoris libros haberet. Erumpit igitur Severus in hæc verba : *Deo gratias, frater Augustine, cujus donum est, quidquid in nobis bonorum gaudiorum est. Fateor, bene mihi tecum est; multum te lego : mirum dicam, sed verum plane, quam mihi absens solet esse præsentia, tam præsens facta est absentia tui. Nullæ se nobis interponunt turbulentæ actiones temporalium rerum. Ago quantum possum, etsi non tantum possum quantum volo. Quid ego dicam, quantum volo? Nosti optime quam avarus sim tui : nec tamen murmuro, quia non tantum ago, quantum volo, quoniam rursus non minus ago quantum possum. Deo ergo gratias, frater dulcissime, bene mihi tecum est, gaudeo tecum arctius conjunctus; et, ut ita dicam, unissime, quantum potest, adhærens tibi, redundantiam uberum tuorum suscipiens, vires comparo, si possim idoneus effici ad ea concutienda et exprimenda; ut quidquid secretius et interius clausum custodiunt, remotis pellibus, quas adhuc lactenti sugendas inserunt, ipsa mihi viscera, si possibile est, dignentur effundere. Viscera, inquam, mihi ut refundantur cupio; viscera tua, viscera pinguia sagina cœlesti, et condita omni dulcedine spirituali; viscera tua, viscera pura, viscera simplicia; nisi quod duplici sunt vinculo redimita geminæ charitatis; viscera tua, viscera perfusa lumine veritatis, et refulgentia veritatem. Horum me manationi vel resultationi subjicio, quo nox mea in lumine tuo deficiat, ut in diei claritate simul ambulare possimus. O vere artificiosa apis Dei construens favos divini nectaris plenos, manantes misericordiam et veritatem, per quos discurrens deliciatur anima mea, et vitali pastu quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire et suffulcire molitur! Benedicitur Dominus per præconium oris tui, et fidele ministerium; quod sic concinere et respondere facis canenti tibi Domino, ut quidquid de ejus plenitudine ad nos usque redundat, jucundius efficiatur et gratius per tuum elegantem famulatum, et succinctam munditiam, et fidele ac castum simplexque ministerium : quod ita resplendere facis per argutias tuas et vigilantiam tuam, ut perstringat oculos, et in se rapiat; nisi tu idem innuas Dominum, ut quidquid in te delectabile lucet, referentes nos ad illum, ipsius esse agnoscamus, de cujus bonitate tam bonus es, et de cujus puritate et simplicitate ac pulchritudine purus, simplex et pulcher es* (*Epist.* 109, *nn.* 1, 2). Augustinum sub epistolæ finem rogat, ut sibi respondeat prolixis litteris; quas tamen sibi visum iri breviores asseverat (*Ibid.*, *n.* 3). Res quæpiam videbatur exigere, ut is ad sanctum Virum se conferret : ab eo nihilominus petit, ut, siquidem id fieri possit, ab hoc itinere excusetur, neve retrahatur a suo cursu; quibus verbis utrum secessum suum designet, an suæ diœceseos visitationem, nobis non liquet.

4. Litteras illas Quodvultdeus Gaudentiusque attulerunt ad Augustinum, qui Severo paulo ante per diaconum Timotheum alia quapiam de re scripserat. Nondum profectus erat ille diaconus : at cum jam in procinctu esset, ac profecturus in singulas horas videretur, non potuit Augustinus per eumdem hisce officiosissimis litteris respondere. *Sed etsi per eum*, inquit ille, *respondissem, adhuc debitor forem epistolæ tuæ. Quando enim sufficiam tuæ suavitati, tantæque aviditati animi tui* (*Epist.* 110, *n.* 1)? Respondendi difficultatem faciebat, quod Severo, qui tam magnifice ipsum laudarat, hinc vicem reddere, illinc propter verecundiam parcere se debere existimabat; sin autem parceret, minus redditurum, adeoque remansurum esse debitorem. Immodicas illas sui laudes se minime curaturum ait, si proficiscerentur ab assentatore; quia tunc talia rependere nullatenus teneretur. At cum certo sciret natas illas ex amore sincero, atque eo pectore, quod non aliud foris ostendit, quam quod intus sentit; utrimque judicabat incommodum, sive referret paria paribus, sive non referret. Subinde tamen non sine magno humilitatis ac dilectionis sensu, nec minus præ se ferens in justitia consulenda colendaque studium, respondit : quamvis non posset inficias ire, quin se non minus quam propria anima perspectum haberet Severus; alteram enim suam animam in eo contineri, vel potius ambas utriusque animas in unam coaluisse; posse tamen eum in sua de ipso opinione labi, cum nemo se satis ipse cognoscat :

hoc vero se ferre impatienter, non tantum quia non vult ut in errorem amicus inducatur, verum etiam ne ille hoc pacto pro se minus Deum oret, ut sit quod jam se esse credit. Sibi quoque in proclivi esse, non absimilem agendi cum eo rationem inire, ac sine ullo fuco explicare, quantis eum bonis ac dotibus sciat divina munificentia exornatum : sed malle se illius pudori parcere, non quod timeat ne in judicando fallatur; sed ne Severus ab altero Severo commendatus, videatur sui ipsius commendator; neve causam ei præbeat expostulandi eadem illa, quæ de eo ipse expostulabat. Quod spectat ad prolixam epistolam, quam ab eo Severus efflagitarat, negat id sibi per occupationes licere; exigente æquitatis ordine, ut quod uni Severo debebat, iis officiis cederet, quæ eidem pariter atque aliis, hoc est universæ Ecclesiæ, præstare tenebatur. Quapropter eum cæterosque, quibus erat magis arcto quodam amicitiæ nexu conjunctus, rogat ne quid sibi novi oneris imponant; sed contra alios ipsi ab ea re, quanta possunt auctoritate et sancta benignitate prohibeant. Eum a se exspectari significat (*Epist.* 110, *n.* 4).

5. In quadam epistola Novatum antistitem, ut ad se fratrem utilitati Ecclesiæ necessarium mitteret obtestatus, in hæc verba eum compellat : *Ut longe mittam cogitationem tuam, quantumlibet valeat germanitas tui sanguinis, non vincit amicitiæ vinculum, quo nobis invicem ego et frater Severus inhæremus : et tamen nosti quam raro eum mihi videre contingat. Atque hoc fecit, non utique voluntas vel mea, vel illius; sed dum matris Ecclesiæ necessitates propter futurum seculum, quo nobiscum inseparabiliter convivemus, nostri temporis necessitatibus anteponimus. Quanto ergo æquius te tolerare oportet, pro utilitate ipsius matris Ecclesiæ ejus fratris absentiam, cum quo non tamdiu cibum dominicum ruminas, quamdiu ego cum dulcissimo concive meo Severo, qui mecum tamen nunc vix, et interdum per exiguas chartulas loquitur, et eas quidem plures aliarum curarum et negotiorum refertas, quam portantes aliquid nostrorum in Christi suavitate pratorum* (*Epist.* 84, *n.* 1). Illa Augustini cum Severo societas nota erat atque apud omnes pervulgata : quandoquidem ignotus scriptor in quadam ad Augustinum epistola, quæ in Hieronymi opera irrepserat, his beatum episcopum verbis alloquitur : *Cum in urbem Leges anteriori tempore commeassem; nimium sum contristatus, quod te totum ibidem minime potui reperire; inveni enim te medium, et, ut ita dicam, partem animæ tuæ Severum charissimum, de quo ex parte gavisus sum. Perfecte enim gauderem, si te totum invenirem : unde ex parte, qua te repereram, gratulabar, et propter partem tuam, quam nequaquam cernebam, omnibus modis contristabar. Proinde dixi animæ meæ, Quare tristis es, et quare conturbas me? Spera in Deo* (*Psal.* XLI, 6) : *et faciet præsentem amicum, quem diligis. Unde confido in Domino, et spero, quod me faciet de tua visione gratulari* (*Apud August., Epist.* 270). Atque ut quæcumque præterea de Severo licet invenire, hunc in locum congeramus; observat Augustinus mirum quoddam magnetis experimentum, quod Severus, cum aliquando apud Bathanarium Africæ comitem pranderet, spectaverat; cui quidem non minus fidei ex ejus testimonio habere se testatur, quam si præsens ipse interfuisset (*De Civit. Dei, lib.* 21, *cap.* 4, *n.* 4). In componendis turbis, quæ, ut infra visuri sumus, contra Ecclesiam anno quadringentesimo octavo in Africa concitatæ sunt, tantum desudavit Severus, quantum ejus charitas postulabat : quin etiam cum Augustino in colloquium venit, ut tantis malis idoneum remedium junctis consiliis investigarent. Cum postea quidam presbyter ex Milevitana diœcesi ad Imperatoris comitatum se conferret, huic mandavit Severus, ut per Hipponem iter faceret : qua usus opportunitate Augustinus, ad Olympium in eamdem rem scripsit, necnon plurimam illi Severi verbis salutem dixit (*Epist.* 97, *n.* 3). Inter eos, qui Carthaginensi collationi interfuere, nomen illius non reperitur. At anno quadringentesimo decimo sexto epistolam cum reliquis episcopis Numidiæ Milevi congregatis ad Innocentium pontificem misit (*Epist.* 176). Diem denique anno quadringentesimo vigesimo sexto obiit, cum prius clero suo præsente designasset sibi successorem; qui et de facto opera Augustini ejus locum obtinuit (*Epist.* 213, n. 1). Erant in eadem urbe servi Dei, videlicet monachi, quos illic Severus instituerat (*Ibid.*); quemadmodum eos omnes, qui ex monasterio Augustini ad episcopatum assumpti fuere, fecisse narrat Possidius (*In Vita August.*, *c.* 11, *et supra, lib.* 3, *cap.* 5, *nn.* 2, 3).

## CAPUT VIII.

*1 Conditus est anno Christi quadringentesimo secundo liber contra Petilianum secundus. 2 Hoc libro epistolam illius integram confutat Augustinus. 3 Scribit ad Catholicos epistolam, qui liber de Unitate Ecclesiæ non ab initio dicitur. 4 Petilianus pro responsione probra et maledicta ingerit in Augustinum. 5 Hujus ad Petiliani convicia et contumelias mira responsio. 6 Psalmum trigesimum sextum Carthaginensi plebi exponens Augustinus disputat contra Donatistas.*

1. Quinto kalendas maias præsentis anni quadringentesimi secundi Anastasius papa de vita exivit : cujus quidem exitus nondum erat in Africa nuntiatus, quo tempore Augustinus librum contra Litteras Petiliani secundum componebat; in hoc enim Anastasii tanquam adhuc Petri cathedram occupantis recordatur (*Cont. Litt. Petil. lib.* 2, *c.* 51, *n.* 118). At certe hunc librum cætera inter opuscula sua eo recensuit ordine, ut dici non possit ante præsentem annum elaboratus. Enimvero cum Petilianus ad primum Augustini librum secundo isto nondum absoluto responderet, Quodvultdeum clericum Donatistam in proprio gradu admissum querebatur (*Ibid., lib.* 3, *c.* 32, *n.* 37) : non igitur nisi post concilium idibus septembris anno quadringentesimo primo habitum Carthagine, ubi constitutio de Donatistarum clericis in suo honore recipiendis edita est. Præterea quodam in loco secundi hujus libri testatur Augustinus, toleratam fuisse Optati Gildoniani tyrannidem *recentibus temporibus* (*Ibid., lib.* 2, *c.* 23, *n.* 53) : quæ verba non unum et alterum tantummodo

mensem, sed spatium temporis insigne quoddam ab illa tyrannide, quæ sub finem anni trecentesimi nonagesimi octavi desiit, effluxisse significant. Qua observatione Baronii opinio, librum illum Augustini anno eidem supra trecentesimum nonagesimo octavo assignantis, funditus evertitur. Silentio præterimus commemoratas in eodem libro leges Honorii de subvertendis idolis (*Ibid.*, *c.* 92, *n.* 202) anni trecentesimi nonagesimi noni.

Denique Felicianum, omisso Prætextato, sæpius nominat : quod certissime evincit, hunc jam e vivis abiisse : cum tamen eum, quo tempore Augustinus ad Generosum sub Anastasii pontificatu scribebat, adhuc superstitem fuisse viderimus (*Epist.* 53, n. 6).

2. Quod autem ad causam attinet secundi libri adversus Petilianum, ex iis quæ supra diximus licuit intelligere, epistolam ab hoc Cirtensi Donatistarum episcopo conscriptam adversus Ecclesiam, primo sancti Doctoris libro refutatam fuisse, non tamen integram; quippe cujus aliquam tantum partem, prementibus eam sedulo Donatistis, ipsi legere contigisset. Verum irrita illorum industria, tandem aliquando in Augustini manus tota pervenit. Nam Cirtenses quidam catholici inventam illam, exscriptamque eidem transmiserunt (*Contra Litt. Petil.*, *lib.* 2, *c.* 1, *n.* 1; *De Unit. Eccles.*, *n.* 1; *Contra Cresconium*, *lib.* 1, *c.* 1, *n.* 1) : qui statim ut illi cumulate responderet, suos tum de Trinitate, tum in Genesim libros interrupit (*Retract.*, *lib.* 2, *cap.* 25). *Non quia*, inquit Augustinus, *ille novum aliquid dicit, cui non jam multis modis et sæpe respondi est ; sed propter tardiores fratres, qui ea, quæ alicubi legerint, ad omnia paria referre non possunt, ita morem geram eis, qui me omnino ad singula respondere compellunt ; ut quasi alternis sermonibus in præsentia disseramus. Verba ex Epistola ejus ponam sub ejus nomine, et responsionem reddam sub meo nomine ; tanquam, cum ageremus, a notariis excepta sint. Ita nemo erit, qui me aliquid prætermisisse, aut propter indiscretas personas se non potuisse intelligere conqueratur : simul etiam ut iidem ipsi Donatistæ, qui coram nobiscum disserere nolunt, per litteras, quas suis ediderunt, ita non effugiant respondentem sibi ad singula veritatem, tanquam nobiscum facie ad faciem colloquantur* (*Contra Petil.*, *lib.* 2, *c.* 1, *n.* 1). Eadem ratione refellendis Fausti libris usus fuerat. Infra quidem dolere se testatur, quod sibi necesse sit dissolvendis nugis immorari, ne forte infirmis negotium facessant, eisque lapsus occasionem præbeant (*Ibid.*, *c.* 92, *n.* 209) : at diligentia illa multo minus ipsi, quam Donatistis, molestiæ afferebat. Petilianus enim quo se verteret non habens, ad calumniam confugit, contenditque eum responsionem suam in formam colloquii non sine mendacio concinnasse, quod nunquam sermones inter se miscuissent. *Quid faciamus*, inquit Augustinus, *hominibus, qui tale cor habent, aut eos, quibus scripta sua innotescere cupiunt, tale cor habere opinantur* (*De Unit. Eccles.*, *n.* 1)? Hæc igitur fuit causa, cur in Petilianum librum secundum scriberet, et eum quidem satis prolixum. In eo enim ipsum quoque epistolæ Petiliani initium, quod jam primo suo libro refutarat, iterum diluit. Ratus porro est, quæ in medium afferebat, adeo Scripturarum auctoritate firmata esse omnia, ut a nemine, nisi qui divino verbo sese inimicum denuntiaret, negari possent. Neque etiam dubitavit asserere eos, qui prius epistolam Petiliani plurimi faciebant, perlecta ejusdem confutatione, ab utra parte staret veritas, tandem agnituros. Quibus tamen Petiliani, si quidem velit epistolam suam defendere, audiendi potestatem non adimit.

3. Interea fidelibus ad suæ dispensationis curam pertinentibus eodem ferme tempore, quo edidit secundum librum in Petilianum, et antequam tertio manum admoveret, epistolam scripsit bene longam, cui nunc libro *De Unitate Ecclesiæ* titulus est. Ibi Ecclesiæ catholicæ veritatem auctoritate Scripturarum confirmat, simulque demonstrat nihil ex illis, quod secum faciat, Donatistas proferre posse : cum ex apertis testimoniis, nulla contra eos non pugnent; ad probandam autem rem, de qua controversia est, non valeant ambigua, vel obscura, sicut nec allegorice dicta. Quibus tamen Donatista quidam episcopus Hippone inter concionandum usus, miras sibi pepererat acclamationes eorum, qui speciem a solido non secernentes, aliquid novi in suæ sectæ gratiam afferri lætabantur. Patet quoque Donatistas proferre solitos patrata per suos miracula, beneficia ad mortuorum suorum memorias precantibus indulta, visa tandem suis quibusdam cœlitus immissa. *Removeantur ista*, inquit Augustinus, *vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus : quod cum dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent ; adjecit vehementer commendans, et ait : « Ecce prædixi vobis »* (*Matth.* XXIV, 25.) *Porro si aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit sive bonum, sive malum. Et multi irato Deo exaudiuntur ; et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est tribuat. Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judææ ; quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, ut et reges qui ea non everterent, culparentur, et qui everterent, laudarentur? Unde intelligitur, magis valere petentis affectum, quam petitionis locum. De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt, et quia ipse satanas transfigurat se tanquam angelum lucis* (II *Cor.* XI, 14), *et quia multos seduxerunt somnia sua* (*Eccli.* XXXIV, 7). *Audiant etiam quæ narrent Pagani de templis et diis suis mirabiliter vel facta, vel visa. Exaudiuntur ergo multi et multis modis, non solum Christiani catholici, sed et Pagani, et Judæi, et hæretici, variis erroribus et superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem vel ab spiritibus seductoribus ; qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur, Deo sublimiter atque ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum sit ; sive ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad admonitionem quærendæ salutis æternæ. Ad ipsam vero salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui*

*habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis sanctis canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum rumoribus et opinionibus et factis et dictis et visis inquirere* (*De Unitate Eccl.*, *c.* 18, *n.* 46). Hac in epistola Prætextatum Assuritanum in Donatistarum communione jam diem obiisse, Felicianum autem Mustitanum in eadem adhuc degere significat (*Ibid.*, *n.* 46). Quo loco de persecutionibus agit (*Ibid.*, *n.* 55), leguntur nonnulla, quæ tametsi ad Honorii leges anni quadringentesimi quinti referri queant, pertinere putamus ad superiores alias, quæ vel in Donatistas nominatim, vel generatim in quosvis hæreticos promulgatæ sunt. Petiliani sane responsionem, quæ tertio Augustini contra eum libro confutatur, nondum viderat sanctus Doctor, cum istud opus composuit : quandoquidem in ejus exordio a Petiliano postulat, ut vel eidem huic operi, vel primis duobus contra ipsius litteras libris a se editis respondeat. Quia porro id ante præstitit Petilianus, quam secundum suum librum adversus illum absolvisset Augustinus ( *Retractationum lib.* 2, *cap.* 25); nonnisi ejusdem primo potuit respondere ( *Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 1 ). Ergo hujusce libri locos nonnullos aggrediebatur; quibus tamen nullo pacto satisfaciebat : complures vero intactos prorsus omittebat ( *Ibid.*, *nn.* 22, 23, 60-62 ). Ac nominatim ubi ad illam venit quæstionem, Cur Maximianistarum baptismum quos damnaverant susceperunt, omnis eum etiam simulata pugna defecit; nec inde se extricare valuit, nisi ad secundum quem pollicebatur librum remittendo ( *Ibid.*, *n.* 42 ).

4. Tandem cum expertus esset, tantam esse circa causæ caput debilitatem suam, illud deserere maluit. Simulque elegit materiam, ubi ipsius eloquentia partium suarum asseclis magis probaretur. Ili porro tam implacabiliter sancto Præsuli infensi erant, ut quisquis in ejus gratiam loqueretur, hoc ipso illum inimici loco haberent. Quapropter eumdem pro Ecclesia, in quam quid diceret non inveniebat, substituit; atque eo pacto fit, ut cum Augustino loquamur, *summa inopia copiosus* ( *Ibid.*, *n.* 24 ). Iram suam omnem in eum vertit (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 25 ). Eum innumeris conviciis proscidit ( *Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 17 ). Sed cum multa de ipso effutiisset, nihil tamen dixit, nisi quod vel esset omnino falsum, vel reprehensione nulla dignum, aut saltem ad eum post acceptam Baptismi gratiam nullo modo pertineret. Qua in re Petilianus judicium neglexit cordatorum hominum, qui illum non ob aliud, quam ob infirmitatis propriæ conscientiam, negotium quodam modo publicum privato jurgio mutare erant deprehensuri. In vitam, quam Augustinus ante conversionem duxerat, copiosis verbis declamabat, affictis etiam delictis, quæ nunquam ille perpetraverat, iis vero in quæ reipsa inciderat, quandoque prætermissis ( *Ibid.*, *n.* 11 ). Quasdam ex ejus Confessionibus voces in alienum sensum detorquebat ( *Ibid.*, *n.* 20 ). Asserebat eum presbyterii officio functum apud Manichæos, quorum ei omnia flagitia attribuebat ( *Ibid.*, *nn.* 20, 19). Hoc etiam amplificabat uberius, nempe Augustinum, ut pro certo ponebat, ex Africa tanquam Manichæum anno trecentesimo octogesimo sexto coactum exsulare : cum tamen ante hunc annum amplius jam anno Mediolani versatus esset ( *Ibid.*, *n.* 30 ). Imo eum temeritate non ferenda eodem errore adhuc teneri contendebat ( *Ibid.*, *n.* 11 ). Tertulli oratoris, a quo accusatus fuerat Paulus ( *Act.* XXIV, 1 ), ei, ob rhetoricam quam docuerat, nomen imponebat : simulque ut vim illam argumentandi, qua Donatistas oppugnabat, in invidiam vocaret, eum pro dialectico traducebat; et eo conferebat omnem eloquentiæ suæ tumorem ac strepitum, ut dialecticam tantummodo ad confirmandum mendacium valere persuaderet (*Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 19). Sententiis utebatur adversus quosdam latis, quorum nonnulli sancto Viro ignoti erant, atque ipsum delicti convictum teneri vel hoc solo volebat, quod eum absentem, interrogatus in judicio aliquis e numero quondam amicorum ipsius, defendendi sui causa nominaverat. Epistolarum ejus titulos, quo illius reprehendendi ansam aliquam arriperet, a se vel a suis pro libidine inscriptos referebat. Cumque sanctus Vir amico cuidam suo atque uxori ejus significasset, eis se panem benedictionis ergo mittere, sub his eulogiis abominanda scelera contineri affirmabat; nec puduit eum communi omnium sensu repugnante dicere, amatoria maleficia mulieri data nomine sacri illius muneris, cujus maritus non solum conscius, verum etiam consors ac particeps fuit ( *Ibid.* ). Quippe citato loco libri contra Petilianum post verba, *marito non solum conscio*, lectioni quæ ex Erasmi conjectura obtinuit, *verum etiam favente*, præferendum putamus, *verum etiam consorte*, aut, *participe*. Veri enim simile est illic a Petiliano notari, atque ad putidam adeo calumniam detorqueri, quod Augustinus Paulino et ejus uxori Therasiæ scribens simpliciter ait : *Panis quem misimus*, *uberior benedictio fiet*, *dilectione accipientis vestræ Benignitatis* ( *Epist.* 31, *n.* 9 ). Præterea Petilianus eorum habendam esse rationem contendebat, quæ adversus Augustinum presbyterum episcopale munus adhuc ineuntem iratus scripserat Megalius : quod vero is peccati hujus a sancto concilio mox veniam poposcerat, pro nihilo ducendum volebat. Imo et quod ei ut sibi ignosceretur humiliter postulanti clementer ignotum esset, criminabatur ( *Contra Litteras Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 19 ). Accersebat furti crimine Augustinum, quod is textum illius referens, duas dictiones quæ ab exemplo ad se transmisso aberant, nec ullo modo faciebant ad quæstionem præsentem, omisisset ( *Ibid.*, *nn.* 18, 21, 19, 20 ). Ipsi demum, quod monastici in Africa instituti auctor exstitisset, crimini dabat (*Ibid.*, *n.* 48 ).

5. Longe opinione fallebatur Petilianus, si sperabat fore, ut Augustinum hoc agendi modo ab Ecclesiæ defensione ad propriam avocaret. Ipsi res erat cum eo viro, qui non alliciendis ad se hominibus, sed iis ad Deum secum convertendis desudaret; qui paratus

esset suam ipsius causam citius, quam catholicæ Ecclesiæ deserere; qui denique deprimere sese atque abjicere, Ecclesiam autem domum Dei prædicare ac extollere vehementer cuperet. *Domum Dei mei*, ait, *cujus decorem dilexi, præconio vocis extollam, me vero humiliabo et abjiciam* (*Ibid.*, *n.* 2) Falsa adversariorum opprobria, quæ prædicando eloquia veritatis, et erroris vaniloquia convincendo, in se concitarat, non modo tristitiam ipsi nullam, sed etiam abundantissimam consolationem afferebant, non intuenti videlicet quam esset amarum, sed quam falsum quod audiebat, et quam verax prò cujus nomine hoc audiebat, qui mercedem multam toleratis ejus causa opprobriis pollicetur (*Ibid.*, *n.* 7). In contumeliis Petiliani cogitabat diaboli fraudem, qua eum in odium hominis, à quo tam indigne tractabatur, studeret impellere. Quapropter in id incumbebat Vir sanctus vigilanti magnoque animo, ut inimicum alium occultum affligeret, alium diligeret manifestum, et huic precibus suis divinam misericordiam conciliaret (*Ibid.*, *n.* 14). Itaque necessariam in eum responsionem editurus, nullo pacto regulam illam violavit, quam in sermonibus scriptisve in se contumeliosis solitus erat servare; qua videlicet haud quaquam justo suo dolori, sed auditorum seu lectorum commodo serviebat, dum errores adversarii invictis argumentis potius, quam probra probris vincere nitebatur. Id igitur unum in tertio contra Petilianum libro egit, ut planum faceret, Petilianum eorumdem librorum primo, quem is refellendum susceperat, nullo modo respondisse : atque eam rem ita dilucide commonstraturum se pollicetur, ut a Donatistis ipsis, quantumvis partibus suis addicti essent, vel Augustino infensi, si modo illos utriusque scripta pervolvere non pigeret, certo agnosci posset (*Ibid.*, *n.* 15). Nihil sane aliud ad hunc finem requirebatur, quam ut primum ejus librum cum Petiliani responsione componerent : at ejus in homines tardioris ingenii charitas evicit, ut addito tertio libro majorem adhuc quæstioni lucem admoveret (*Retract. lib.* 2, *cap.* 25). In eo primum Petiliani convicia cum insigni animi simplicitate ac mansuetudine propulsat. Declarat se vitam omnem suam Baptismate accepto superiorem detestari, neque ejus velle recordari, nisi ut illius gloriam prædicet, *qui me*, inquit, *per gratiam suam et a me ipso liberavit. Unde illam vitam meam cum vituperari audio, quolibet animo id faciat qui hoc facit, non usque adeo sum ingratus, ut doleam : quantum quippe ille accusat vitium meum, tantum ego laudo medicum meum* (*Contra Litt. Petiliani*, *lib.* 3, *n.* 11). Quod autem spectat ad illam vitæ ipsius partem, quam post Baptismum egit, nulla quidem egebant defensione exteriora ejus facta apud Ecclesiæ filios, quibus ejus vivendi ratio perspecta erat; qui vero illam necdum satis notam habebant, eos sperare poterat non tam iniquos futuros, ut professi inimici, qualis erat Petilianus, quam notorum suorum, testimonio plus tribuerent auctoritatis. Si vero Petilianus intimos quoque animi recessus rimari vellet; erat eorum, quæ hic agebantur, sola Augustini conscientia testis, et de iis fidem ipsius verbis omnino haberi oportebat. Atqui testatur se, quamvis illud Apostoli, *Nihil mihi conscius sum* (I *Cor.* IV, 4), sibi usurpare non liceat; affirmare tamen vere et coram Deo posse, conscientiam suam nihil agnoscere eorum, quibus vitam a se post Baptismum actam Petilianus inficere moliebatur (*Contra Litt. Petiliani.*, *lib.* 3, *n.* 9). Sed tantum abest, ut ad capessendam suam defensionem inducere Ecclesiam velit, ut contra, illud adversus hæreticos probandum suscipiat, nimirum abdicandam esse humanam fiduciam, quo gloriam ac spem nostram omnem in Deum unum transferamus; proindeque nec domum Dei, propter malos qui in ea nunc tolerantur, deserendam esse. Itaque Catholicos, qui veritatem in ipso diligebant, illamque ex ore ipsius cum voluptate audiebant, securos esse, non quidem ob honorificam, qua apud illos valebat, existimationem, verum ob eam spem, quam in Deo ipso iidem collocarant ( *Ibid.*, *n.* 3 ). Donatistas vero, non qualis esset ipse, qualemve eum Petilianus esse diceret, expendere debere; sed quanta argumentorum vi et efficacia ab eo demonstrabatur, Ecclesiam catholicam, cujus causam, qualis qualis ipse esset, propugnabat, victoriam de eorum erroribus reportare (*Ibid.*, *nn.* 11, 12, 17). Dein urgere Petilianum, ut omissis inutilibus conviciis, ad ea responderet (*Ibid.*, *n.* 18). Neque etiam operosius alios nonnullos purgat, quos in scripto suo incessebat idem Petilianus. Etenim quod Augustinus contenderet, ab Ecclesiæ communione non licere cuiquam eo obtentu discedere, ut se a malis, qui convinci minime possint, secernat; id ille in alienum sensum rapiens, quævis scelera apud Catholicos impunita remanere asseverabat (*Ibid.*, *nn.* 43, 44). Cui rei ut fidem faceret, episcopum quemdam ob Sodomitarum crimen dignitate abdicatum, ita ut in ejus locum alius jam suffectus esset, dictitabat in pristinum gradum postea restitutum fuisse. Cui Augustinus id unum reponit, Petilianum nescire quid dicat. Hic alterius etiam publice apud Donatistas pœnitere jussi mentionem faciebat : quod per calumniam dictum innuere videtur Augustinus. Injiciebat similiter, quemdam Quodvultdeum, quem duplicis adulterii quasi convictum a communione resciderant Donatistæ, tamen ad honores ecclesiasticos (nam eum esse Petiliani sensum constat) fuisse a Catholicis admissum (*Ibid.*, *n.* 37). Sed illud non ante factum fuerat, quam se ille esse extra noxam, vel demonstrasset, vel saltem persuasisset universis. Contendit autem sanctus Præsul, eum injuria disciplinæ neglectum Ecclesiæ affingere. *Exstant innumerabilia documenta*, inquit, *in his qui vel episcopi vel alterius hujuscemodi gradus clerici fuerunt, et nunc degradati, vel pudore in alias terras abierunt, vel ad vos ipsos aut ad alias hæreses transierunt, vel in suis regionibus noti sunt* (*Ibid.*, *n.* 43). Milevitanum quemdam Honorium, qui forte Severi in episcopatu præcessor exstitit, nominatim designat (*Ibid.*, *n.* 44). Huic Splendonium addit in Galliis diaconatu exutum, qui cum Cirtam venisset, a Petiliano denuo baptizatus, atque ad presbyterii gradum evectus fuit. Qua re impulsus For-

tunatus Catholicorum Cirtensium episcopus, transmissos ad se illius exauctorationis codicillos palam recitari jussit. Ac Petilianus ipse perfidiam execrandam ab eodem Splendonio perpessus, eum post abjicere coactus est. Verum cum Petiliano probari oporteret, pravos quoque ministros apud Donatistas aliquantisper latitare; necessum habuit ei Cyprianum indicare Thubursicuburensem episcopum, quem cum meretrice in lupanari deprehensum Primiano episcopo suo Carthaginensi obtulerant; a quo ea de causa damnatus et abjectus fuerat; nec tamen eorum, quos ille baptizaverat, quisquam baptismum iterare compulsus est (*Cont. Litt. Petil.*, *lib.* 3, *n.* 40). Librum suum claudit hisce verbis appellans Donatistas : *Sed interea vos, quos inter me et illum judices posui, sapitisne aliquid inter verum falsumve discernere, inter inflatum et solidum, inter turbidum et tranquillum, inter tumidum et sanum, inter divina prædicta et humana præsumpta, inter probationes et criminationes, inter documenta et figmenta, inter causæ actionem et causæ aversionem? Si sapitis, bene et recte : si autem non sapitis, nos vestri curam gessisse non pœnitebit; quia etsi cor vestrum ad pacem non convertitur, pax nostra tamen ad nos revertetur* (*Ibid.*, *n.* 71). Quod ad secundum Petiliani librum, in quo is de Maximianistis acturum se promittebat; de eo non secus loquitur Augustinus, ac de nunquam sibi viso : etiamsi hoc compertum habere se testetur, nimirum in illo nihil, quod sit rationi consentaneum, posse reperiri.

6. Quæ in fine expositionis in Psalmum trigesimum sextum refert, ea cum libro adversus Petilianum tertio tantum habent affinitatis, ut eodem ferme tempore factam ab illo fuisse haud difficulter credideris. In ea testatur Donatistas, eo quod successionem suam tueri non valeant, linguam in ipsum convertere, et nota ignotaque juxta effutire. *Quæ sciunt*, ait Vir sanctus, *præterita nostra sunt : fuimus enim aliquando, sicut dicit Apostolus, stulti, et increduli, et ad omne opus bonum reprobi* (*Tit.* III, 3). *In errore perverso decipientes et insanientes fuimus : non negamus; et quantum præteritum nostrum non negamus, tanto magis Deum qui nobis ignovit laudamus. Quid ergo, hæretice, dimittis causam, et is ad hominem? Vituperas mala mea præterita, quid magnum facis? Severior sum ego in mala mea, quam tu : quod tu vituperasti, ego damnavi. Utinam velles imitari, ut et error tuus fieret aliquando præteritus. Quod autem modo reprehendunt*, addit Augustinus, *non norunt. Sunt quæ adhuc in me reprehendant : sed tamen multum est ad illos, ut hæc noverint. Multa enim ago in cogitationibus meis, pugnans adversus malas suggestiones meas, et habens conflictationem diuturnam, et prope continuam cum tentationibus inimici subvertere me volentis. Gemo ad Deum in infirmitate mea; et novit quid parturit cor meum, ille qui novit partum meum* (*Enarr. in Psal.* XXXVI, *serm.* 3, *n.* 19). *Quid autem simus, ille novit ad quem gemimus* (*Ibid.*, *n.* 20). At non diu in sui defensione immoratus, liberam illis, quidquid libuerit, de se judicandi facit potestatem (*Ibid.*, *n.* 19). Carthaginenses autem catholicos, apud quos loquebatur, et quorum in se benevolentiam ex ea, qua illos ipse complectebatur, charitate perspectam sibi esse affirmabat, obsecrat causam ejus deserant, et ea de re cum Donatistis contentionem nullam ineant; urgeant vero circa Ecclesiæ controversiam, quam a sua ipsius negabat ullo modo pendere (*Ibid.*, *n.* 20). *Quid enim ego sum, quid sum?* inquiebat. *Numquid Catholica ego sum? numquid hæreditas Christi diffusa per gentes ego sum? Sufficit mihi ut in ea sim* (*Ibid.*, *n.* 19). Et iterum qua ratione ad rei caput revocandi sint Donatistæ, declarat in hunc modum : *Prorsus, qui me dicis malum, dico et ego alia innumerabilia : cito aufer de medio, fini causam meam; de re age, Ecclesiæ causam attende, ubi sis vide. Veritas tibi undelibet loquatur, esuriens accipe; ne nunquam ad te perveniat panis, dum semper quid reprehendas in vasculo fastidiosus et calumniosus inquiris* (*Ibid.*, *n.* 20). Hanc orationem Carthagine ab eo habitam diximus, siquidem manifesto intelligitur, eam et extra propriam Augustini Ecclesiam, et in eadem urbe, ubi ipsius adolescentiæ errata quam maxime vulgata fuerant, pronuntiatam esse (*Ibid.*, *n.* 19). Itaque non est cur miremur, si Cypriani mentionem ibidem faciat (*Ibid.*, *n.* 13). Ac primo quidem antequam Psalmum aggrediatur, Evangelium de judicio, videlicet, *Duo in agro* (*Matth.* XXIV, 40), etc., interpretatur (*Enarr. in Ps.* XXXVI, *serm.* 1, *n.* 2). Habita prima illa concione cogitantem de reditu assiduæ pluviæ retinuerunt, et interim ne sine fructu abiret ista mora, cum Catholici rogarunt, cœptam ejusdem psalmi expositionem prosequeretur (*Ibid.*, *serm.* 2, *n.* 1). Quorum precibus cum annuisset, orationis serie perductus in Donatistarum mentionem, synodalis Maximianistarum adversus Primianum epistolæ magnam partem recitavit (*Ibid.*, *n.* 20) : in quo argumento tam diu moratus est, ut nec tum quidem Psalmum potuerit absolvere. Illum ergo tertio repetiit, a Deo ipso nolens volens revocatus, id est non secundum dispositionem suam retardatus, ut debitum omnino dissolveret (*Ibid.*, *serm.* 3, *n.* 1). Curasse videtur, ut alia quoque non pauca, præter Maximianistarum synodum, instrumenta ad Donatistas spectantia publice in ecclesia legerentur : siquidem excusat multas chartas, multa quæ in canone Scripturarum non continerentur, recitata esse; verum cur id factum sit, causam præbuisse Donatistas. *Nam etsi reprehendent hæc*, inquit, *quia vobis talia legimus; nos reprehendamur, dum vos instruamini* (*Ibid.*, *n.* 18). Felicianum Mustitanum etiam tunc superstitem extitisse significat (*Ibid.*, *serm.* 2, *nn.* 20, 22); quem postea ferme nunquam memorat, nisi solum; quod planissime arguit, Prætextatum jam tum in vivis agere desiisse. Tangit ibidem sanctus Præsul nonnulla Donatistarum acta, in quibus Catholicos traditorum progeniem vocitabant, dictitabantque gladios suos acuere; cum ipsi neque ablata repeterent, neque armis sese aliis quam Evangelio tuerentur (*Ibid.*, *n.* 18). Et sane dubium non est, quin hoc illud instrumentum sit, quod apud magistratum Carthaginensem confecit Primianus, scatens verbis in Catholicos admodum conviciosis, in quibus et hæc legebantur : *Illi auferunt aliena, nos intermittimus ablata* (*Contra Cresco-*

ntum, *lib.* 4, *n.* 57). Quod scriptum omnibus communionis suæ episcopis misit (*Enarr. in Ps.* XXXVI, *serm.* 2, *n.* 18) : nec aliud, ut credere licet, continebat, quam responsionem ab eo vulgatam anno quadringentesimo tertio jam exeunte mense septembri ; quo tempore de colloquio cum Catholicis ineundo interpellatus est. Constat enim eum tunc in hunc modum respondisse : *Indignum est, ut in unum conveniant filii martyrum, et progenies traditorum* (*Codice Canonum Afric.*, *cann.* 91, 92, *etc.*). In hoc igitur rerum statu Augustinus, qui synodo Carthaginensi septimo calendas septembris interfuerat, Psalmum trigesimum sextum, antequam Hipponem rediret, exposuit : cum jam tertio libro contra Petilianum, non longo ante tempore, supremam manum imposuisset. Ad hæc citat Augustinus ex libello, quem Primianus ad magistratum Carthaginensem detulerat, illa verba : *Parentes nostros vestri majores variis exsiliis vexaverunt* (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 20) ; necnon et isthæc alia : *Illi portant*, inquiebat, *multorum imperatorum sacras, nos sola offerimus Evangelia* (*Ibid.*, *n.* 53). Augustinus post libros contra Petilianum, eos proxime recenset, qui in Cresconium inscribuntur (*Retract. lib.* 2, *cap.* 26), quamvis hos ultimos non ante annum quadringentesimum quintum elucubraverit. Quod utique factum putamus, ob argumenti cognationem : cum utrisque Petiliani epistola occasionem dederit. Nec hinc quisquam facile nobis persuadeat, inter utrumque opus nullum aliud medium prodiisse. Nec nos tamen ullum interjiciemus, ni forte suppetant evidentissima argumenta, ut Augustini, quantum in nobis est, ordini studiose insistamus.

## CAPUT IX.

1 *De statutis nonnullis concilii Milevitani primi.* 2 *Proprio Maximianus Bagaiensis propter Ecclesiæ pacem et commodum sponte cedit episcopatu : in quo ut fratri suo succedat, Castorius urgetur.* 3 *Augustinus ac Hieronymus sub hujus anni finem litteras ultro citroque scribunt ad invicem.* 4 *Alias quoque anno proxime subsequenti.*

1. Hoc anno concilium generale Africanum Milevi in Numidia sexto kalendas septembris actum est. Vidimus (*Supra*, *cap.* 6) anno superiori, Xantippum inter ac Victorinum intercessisse nonnullam de primatu contentionem : Xantippum autem jam ante paschalia præsentis anni hujusce dignitatis potitum ; quippe cui eum titulum litteris hoc ipso tempore datis detulerit Augustinus. Atqui videtur eadem controversia non paucis concilii Milevitani canonibus, qui cum illa habent aliquid affinitatis, occasionem præbuisse. Nam Valentinus episcopus id postulavit decreto stabiliri, quod inter episcopos nunquam non obtinuerat, nimirum ut eorum ordo ex antiquitate consecrationis peteretur (*Codice Canon. Afric.*, *can.* 86). Et hoc quidem postulatum Aurelio probatum est, et postea rogante Xantippo universi concilii calculis confirmatum, salvo tamen jure Numidiæ ac Mauritaniæ primatum, qui reliquos forsan, etiam antiquiores præcedebant. Reperimus saltem primatem Numidiæ secundum a Carthaginensi episcopo subscribere haud infrequenter. Cirtæ pariter seu Constantinæ, quæ civilis erat Numidiæ metropolis, antistitem non temere credideris præcipuum aliquem locum sibi vindicasse ; quandoquidem in epistolæ cujusdam inscriptione (*Epist.* 53), Alypii atque Augustini nomina non nisi post Fortunati leguntur ; de quo tamen existimamus dubitaturum neminem, quin hic Fortunatus ille sit Cirtensis episcopus, quem constat Augustino tempore inferiorem fuisse. In eodem quoque concilio decreverunt Patres, si quis semel in ecclesia aliqua legisset, id sufficere, ut ejus lector habeatur, nec illi posthac in aliam transire sit liberum (*Codice Canon. Afric.*, *can.* 90). Cui sanciendo forsitan decreto causam præbuit orta inter Augustinum et Severum controversia occasione Timothei (*Epist.* 63) ; de qua superius (*Cap.* 7).

2. Idem concilium Maximiano Bagaiensi episcopo, ejusque plebi scribere constituit : illi ut ab episcopatu sese abdicaret, his ut de alio sibi in episcopum deligendo cogitarent (*Codice Canon. Afric.*, *can.* 88). Exstat Augustini epistola (*Epist.* 69), quæ planissime, ut jam ab aliis est observatum, cum hoc canone consentit : siquidem in ea legimus, Maximianum episcopum Ecclesiæ Vaginensis ejusque fratrem Castorium, ejurato Donati discidio, in Ecclesiæ gremium rediisse ; lætitiam vero, quam suo reditu attulerant, scandalo contra Maximianum diabolica fraude suscitato interturbatam. Verumtamen Deus offensionem illam ita sedavit, ut inde plus voluptatis caperet Ecclesia, quam ante ex scandalo ceperat ægritudinis. Cum enim Maximianus intelligeret, honorem episcopalem retinere se non posse, quin Ecclesia turpi dissensione, quæ forte Christi membris magnam quoque perniciem allatura esset, agitaretur, posita dignitate declaravit, se non quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi quærere ; ab schismaticorum partibus sincero charitatis ac pacis studio transfugisse ; sibi veram inesse humilitatem, ac denique ædificium, quod ejus in animo Christus excitarat, adeo firmum esse, ut tam molestæ tentationis procellam inconcussum sustineret. Post ejus abdicationem electus est, qui ei succederet, Castorius germanus ejus frater. Hunc, ne dignitatis istius vitandæ causa fugeret, tenere jussi sunt Vaginenses. Alypius autem atque Augustinus eumdem per litteras hortati sunt, ut episcopatum susciperet Maximiani fratris sui, quem ipsi *filium* suum vocant, atque ob voluntariam proprii muneris abdicationem exquisitis laudibus prosequuntur. Hanc potissimum habebat præ oculis Augustinus, cum aliquot post annis Donatistas alloqueretur in hæc verba : *Nonnulli sancta humilitate prædili viri, propter quædam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt* (*Contra Cresconium*, *lib.* 2, *n.* 13). Visuri sumus ad annum quadringentesimum quartum Donatistarum in Maximianum Bagaiensem seu Vaginensem episcopum stupendas crudelitates. Primo quidem hunc illum fuisse Maximianum, de quo hic agitur, opinatus erat Baronius : deinde vero diversos esse, ac diversarum

sedium antistites affirmavit (*Baronius, ad annum* 402, *n.* 62). Cujus postrema sententia in eo quoque niti potest, quod Augustinus peculiarem odii, quo in Maximianum confessorem flagrabant Donatistæ, causam refert; nec tamen dicit ipsum eorum partes aliquando secutum, quod utique ad eosdem in illum concitandos satis superque valuisset (*Epist.* 185, *nn.* 27, 28).

3. Hoc ipso anno quadringentesimo secundo, nisi nos fallit conjectura, Augustinus Hieronymum data epistola (*Epist.* 67) rogavit, ut sibi ad litteras alias (*Epist.* 40), quas ipsi jam inde ab anno trecentesimo nonagesimo septimo curaverat deferendas, aliquid responsi daret. Et hæ quidem litteræ præter Augustini voluntatem diu per Urbem ac per Italiam pervagatæ fuerant, antequam ad Hieronymum pervenirent. Cumque in iis nonnullas hujus opiniones, sed in primis de Petri ac Pauli contentione, amice idem Augustinus impugnaret; hinc factum, ut hic librum adversus illum composuisse ac Romam misisse vulgo diceretur (*Epist.* 67, *n.* 2). Sanctus Præsul, cui nondum compertum erat undenam emanasset ille rumor, Hieronymo etiam atque etiam asseverat, id se nullo pacto fecisse quod dicebatur, nec modo nolle ejus in re ulla incurrere offensionem; sed voluptatem non mediocrem percepturum, si sibi una cum illo vivere, aut saltem eum crebro per litteras consulere fas esset. Erat Asterius subdiaconus in procinctu, ut e Palæstina in Africam iter arriperet, cum Hieronymo reddita est illa posterior Augustini epistola. Itaque ad eum statim per subdiaconum eumdem rescripsit (*Epist.* 68) cum singularibus sui in Augustinum amoris testimoniis, etsi non sine aliqua stomachi significatione ob memoratas anni trecentesimi nonagesimi septimi litteras; quas nihilominus tamen illius esse, negat adhuc omnino sibi persuasum (*Ibid. et Epist.* 72, *n.* 2). Quare Augustinum rogat, uti se quam primum ejus rei faciat certiorem. Eadem opera secundam suam in Rufinum apologiam sancto Præsuli deferendam curat.

4. Ea, quæ Hieronymus Asterio crediderat Augustino reddenda, satis multo post in Africam pervenere. Sed interim Augustinus ad Hieronymum binas epistolas dedit (*Epist.* 72, *n.* 1), quarum prior excidit injuria temporum; posterior vero, cujus initium, *Ex quo cœpi ad te scribere* (*Epist.* 71), locum inter ejus epistolas ad annum quadringentesimum tertium obtinet. Hanc ei per Cyprianum diaconum misit una cum superiorum epistolarum suarum exemplis; quod eas an accepisset, necne, ignorabat. In hac ingenue fatetur, minime sibi probari, quod Hieronymus Scripturas sacras ex hebræo latine converteret. Quam in rem eum admonet tumultus in Africana quadam Ecclesia excitati occasione vocis hederæ, quam pro cucurbita, qua dictione usi sunt Septuaginta interpretes, in quodam Jonæ loco, usurparat. Hieronymus illi, quæ desideratur, Augustini epistolæ respondit epistola, cujus initium est, *Crebras ad me epistolas dirigis* (*Epist.* 72); in qua quidem paulo magis, quam in superiori per Asterium missa, nunquam tamen sine amoris obser-



vantiæque in eum suæ testificatione, stomachatur. Quod autem ad Augustini libros attinet, nullos præter ejus Soliloquia et quasdam in Psalmos commentationes sibi in manibus esse significat. Verum hanc illorum controversiam modo delibasse sufficiat, eamdem ad anni quadringentesimi quarti finem prosequemur.

## CAPUT X

*1 Donatistæ prædicatione veritatis irritati multa per vim aggrediuntur. 2 Augustinus deerrando in via eripitur ex periculo. 3 Ob toleratas ab istis violentias confessorum nomen adipiscuntur nonnulli. 4 Episcopi Catholici Donatistas antistites ad habendum colloquium provocant publica interpellatione. 5 Id illi per arrogantiam recusant: ad eorum laicos scribit Augustinus.*

1. Vidimus alias quænam esset, et quantum rebus Ecclesiæ conduceret Maximianistarum historia (*Supra, lib.* 3, *cap.* 9, *n.* 1). Vidimus etiam quid anno quadringentesimo primo de perquirendis ad eam pertinentibus autographis statuerit Carthaginense concilium (*Codice Canonum Afric., can.* 67). Voluit nimirum, ut et cohortandis ad pacem Donatistis mitterentur episcopi: et qui mitterentur, hanc potissimum historiam publicorum gestorum fide testatam ad convincendos ipsorum animos adhiberent (*Ibid., can.* 69). Concilii placitis egregie obsecundarunt, qui ad hoc opus fuerunt electi. Eamdem enim historiam, quaquaversum potuere, ferventi diffamaverunt instantia: resque adeo recens et manifestata erat, ut Donatistæ quod contra afferrent, nihil omnino invenirent. Itaque complures, salutari verecundia perfusi, remque tam exploratam negare veriti, errorem suum ejurarunt; ac multo frequentiores erant quam antea ad Ecclesiam reditus; sed maxime in iis locis, ubi minori licentia sæviebat Circumcellionum immanitas (*Ibid., et Epist.* 185, *n.* 17). Verum quæ lux veritatis alios illustrabat, eadem aliorum cæcitatem adaugebat. Etenim quos delectabant mendacii tenebræ, hi rationem omnem defensionis sibi subtractam ægre ferentes, *solito crebrius et audacius*, inquit Augustinus, *Circumcellionum violentiis turbisque furentibus nos a prædicanda catholica veritate, suaque fallacia convincenda deterrere cœperunt* (*Contra Crescon., lib.* 3, *n.* 49). Nihil aliud optabant episcopi catholici, quam ut sibi liceret veritatem prædicare, quo quibus placeret, eam libere ac omni remota coactione amplecterentur. At hæretici hanc episcopis facultatem adimebant, omnesque violentiis suis territabant (*Epist.* 105, *n.* 3). *Sic exarserunt*, ut verbis Augustini loquamur, *et tantis sunt odiorum stimulis incitati, ut contra eorum insidias atque violentias et apertissima latrocinia, vix ullæ nostræ communionis Ecclesiæ possent esse securæ; vix ulla via tuta, qua iter agerent quicumque adversus eorum rabiem pacem catholicam prædicarent, eorumque dementiam perspicua veritate convincerent. Usque adeo prorsus non solum laicis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque episcopis catholicis quodam modo proponebatur dura conditio. Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda. Sed si veritas taceretur, non solum*

*nemo erat ejus silentio liberandus, sed multi etiam illorum seductione perdendi. Si autem veritatis prædicatione furor eorum ad sæviendum provocaretur, aliquibus liberatis nostrisque firmatis, rursus a sequenda veritate formido impediret infirmos* (*Epist.* 185, *n.* 18). Atque hæc fuerunt in causa, cur antistites, ut anno sequenti visuri sumus, Imperatoris præsidium implorarent. Anno vero superiori furiosos ejusdem factionis conatus sanctus Præsul querebatur in hæc verba : *An vero violentis incursibus Circumcellionum vestrorum, qui sub vestro principatu furiosis agminibus militant, non ex agris undique pelleremur; nisi vos obsides in civitatibus teneremus, qui quoquo modo ipsam faciem publicam et honestorum reprehensionem, et si non timore, vel pudore ferre nolitis?* (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 2, *n.* 184.)

2. Hoc ipso forsan tempore post demandatam variis episcopis, et haud dubie in primis Augustino, prædicandæ schismaticis concordiæ curam (*Codice Canonum Afric., can.* 69), idem sanctus Antistes in periculum minime silentio prætermittendum incurrit. Catholicas plebes non infrequenter, ut eas instrueret atque adhortando confirmaret, rogatus invisebat. Qua re intellecta Circumcelliones armati vias obsidentes ejus charitati aliquoties insidiati sunt. At cum aliquando eum ita instructi exspectarent illac transiturum, qua nec ipse nec alii itineris comites illorum manus ullo modo vitaturi essent, singulari Dei providentia factum est, ut falsi in bivio ductoris errore de recta via deflecterent. Atque ad eum modum deerrantes, quo destinabant, per devium iter pervenere, ac furiosorum hominum insidias evasere. Intellecto postea Donatistarum consilio, læti ob tam opportunum errorem, Deo de periculo ab ipsis propulsato gratias reddiderunt (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 12; *Enchirid., n.* 5). Contra vero Circumcelliones in clericos laicosve catholicos solita sua crudelitate iram omnem converterunt. Ex quo evenit, ut in eam rem inquisitione facta publicum instrumentum adversus eos conficeretur (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 12).

3. Hipponenses clerici, quæ ante Honorii edicta, et forte etiam ante hujus anni concilium, a Circumcellionibus patrata fuerant memorantes : *Insidias*, inquiunt, *in itineribus nostris episcopis tetenderunt, conclericos nostros plagis immanissimis quassaverunt, laicis quoque et plagas gravissimas inflixerunt, et intulerunt eorum ædificiis incendia* (*Epist.* 88, *n.* 6). His jungunt celebrem apud Augustinum Restituti presbyteri historiam. Restitutus ille de secta Donatistarum fuerat, Victorianæ in Hipponensi diœcesi sitæ presbyter; qui veritatis vi permotus, electione omnino voluntaria, ac sine ulla cujusquam coactione unitatem catholicam erat amplexus; quo tempore leges, quibus jussi sunt Donatistæ schismati remittere nuntium, necdum tulerat Honorius (*Contra Cresconium, lib.* 3,; *Epist.* 88, *n.* 6; *Epist.* 105). Cum igitur Restituti mutationem indigne ferrent iidem hæretici, eorum clerici ac Circumcelliones hunc domo abstractum interdiu in vicinum castellum, spectante multitudine, neque obsistere audente, fustibus, quoad exsaturatus esset eorum furor, verberarunt, in lutulenta lacuna volutarunt, ac veste juncea, quam budam vocabant, induerunt : cumque illum hoc ornatu aliquantisper aliorum quidem jocis, aliorum vero dolori exposuissent, quemdam in locum abduxerunt, cujus aditu Catholicis omnibus interdictum erat, et vix post duodecimum diem dimiserunt (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 53). Neque etiam forte illum omnino abire passi essent, ni Proculeianus eorum Hippone episcopus veritus fuisset, ne ea de causa in jus traheretur (*Epist.* 105, *n.* 3). De hac violentia, deque tot aliis, quibus Donatistæ Catholicos suæ diœcesis vexabant, expostulare apud Cæsarem noluit Augustinus (*Epist.* 88, *n.* 7) : verum questus est tantummodo apud Proculeianum, cui, ne ignorantiam obtendere posset, illas authentico actu, quo de tanta sarcienda injuria eum compellabat, significavit (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 53). Scripto mandata est Proculeiani responsio : qualis autem ea fuerit, nusquam legimus. Id solum constat, illi nullo modo violentiam hanc ulcisci curæ fuisse, imo et ab ea inquirenda prorsus dissimulasse. Qua causa cum Augustinus ad iterandum statim eumdem actum impulsus fuisset, ille nihil amplius se dicturum esse Gestis declaravit. Ac postea sceleris istius reos in presbyterorum ordine videre erat, qui Catholicis quotidie minas intentarent, eosque quoquo poterant modo vexarent (*Epist.* 88, *nn.* 6, 7). Restitutus hac in occasione primum quidem confessoris, in alia autem martyris quoque titulum promeruit (*Epist.* 133, *n.* 1) : verum id non contigit, nisi aliquot post annis, quemadmodum suo loco narraturi sumus. Cæterum exploratum non habemus, num quædam per vim a Donatistis facta, quorum, sicut et Restituti mentionem simul facit Augustinus, ad hoc tempus referenda sint. Quidam Casphalianensis presbyter, nomine Marcus, sua sponte ac nemine cogente ad catholicam unitatem redierat : eum adeo persecuti sunt Donatistæ, ut aliquando jamjam illorum manibus esset trucidandus, ni Deus ipsorum vim nonnullorum hominum adventu compressisset (*Epist.* 105, *n.* 3). Marcianum quoque Urgensem sive presbyterum, sive episcopum, cum ad catholicam communionem se recepisset, fuga sibi consulere coegerunt; ac tum illorum clerici interceptum ipsius subdiaconum, et prope usque ad mortem cæsum ingestis saxis obruerunt : quorum ædes in admissi criminis pœnam solo æquatæ sunt (*Ibid.*).

4. Ex iis quos Donatistarum errores tenebant irretitos, non pauci nec Circumcellionibus nequitia pares erant, nec per se satis valebant judicio, ut extemplo veritatem amplecterentur; attamen ab ea non omnino se præbebant alienos : sed quoties a Catholicis urgebantur, dictitabant ea de re cum suis episcopis esse disputandum; se vero in votis habere, ut inito inter utramque partem colloquio, rationibus ultro citroque perpensis, utrius partis esset veritas, dijudicari posset (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 49). Quorum animos cum ita comparatos intelligerent orthodoxi, ad coeundam concertationem illam incubuere, ac quibus viis id commodius fieret, in generali concilio Car-

thagine in basilica secundæ regionis octavo kalendas septembres anni præsentis quadringentesimi tertii habito discussere. Aderant inter alios Alypius, Augustinus et Possidius. Eorum quæ hoc in concilio post examinatos legatos acta sunt, nihil jam exstat, quod non pertineat ad Donatistas. De his pridie ejus diei habitus sermo fuerat, statutumque uno omnium consensu, ut unusquisque episcoporum, vel solus, vel sibi adjuncto vicino episcopo, per magistratus aut locorum seniores interpellet Donatistarum antistitem, ut acto cum collegis conventu deligantur ab ipsis aliquot e suo numero, qui cum Catholicorum legatis constituto loco et tempore discidii controversiam cum pace discutiant, faciantque ut molestissima illa dissensio, qua plebes omnes scindebantur, tandem aliquando optato fine terminetur (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 91; *Contra Cresconium*, *lib.* 3, *n.* 49). Catholici suæ in pacem propensionis testimonium hoc dare gestiebant, sperabantque futurum ut Donatistæ, si quidem colloquium acciperent, nullo negotio erroris convincerentur; sin autem illud recusarent, id argumento fore, quam parum causæ suæ fiderent æquitati. Quæ res ad abducendos ab errore populos eorum sequaces commode adhiberi posset. Porro ut episcopis omnibus eamdem in eo rationem sequi facilius esset, Aurelius conventionis, qua uterentur, formulam obtulit; quæ lecta pariter ab omnibus comprobata est. Ea Concilio inserta hodie legitur. In ejus autem fronte supplicatio præmittitur cujusque urbis magistratui deferenda. Qui in ea loquitur catholicus episcopus, ad id se profitetur *auctoritate illius amplissimæ sedis* jussionem hanc obtinuisse; quæ in actum referenda erat (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 92). Nec sane alia de causa, nisi ut impetrarentur hujuscemodi jussiones, concilium ad judices sive gubernatores litteras illas mittere statuerat, quas concilii nomine obsignari ab episcopo Carthaginensi cupit. Exstat adhuc supplex libellus idibus septembris anni quadringentesimi tertii Septimino Africæ proconsuli concilii Carthaginensis nomine oblatus: quo declarant antistites se, tametsi violenter a Donatistis facta, vi legum eam ob causam ab imperatoribus latarum comprimere possent, quemadmodum et illi ipsi iisdem legibus ad coercendos Maximianistas abusi fuerant; malle tamen illos cum mansuetudine commonefacere, ut vel discidium suum repudient, vel illud non Circumcellionum immanitate, sed pacifica via in legitima concertatione, si quidem id se posse confidant, tueantur: atque eam ob rem postulant, ut eos per locorum magistratus, prout necesse videbitur, convenire sibi liceat (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 174). Cui petitioni confestim assensus est Septiminus.

5. Itaque Donatistas hanc in rem convenire non omiserunt Catholici: sed illi colloquium obfirmato semper animo detrectarunt et recusarunt; *quibus verbis*, inquit Augustinus, *quo dolo*, *maledictione*, *amaritudine plenis*, *nunc longum est demonstrare* (*Cont. Cresc.*, *lib.* 3, *n.* 49). Obtendebant autem manifestissimum intolerandæ superbiæ argumentum, videlicet quod sibi cum peccatoribus in colloquium venire nefas esset (*Epist.* 105, *n.* 13). Testis hujus rei Primiani Carthaginensis arrogantiæ plena responsio: siquidem de collatione habenda compellatus, *Indignum est*, ait, *ut in unum conveniant filii martyrum et progenies traditorum* (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 1). Quod responsum scripto magistratui Carthaginis dedit, ac per diaconum suum apud scribas, sive, ut loquitur Augustinus, apud acta dicendum mandavit. Superius autem (*Cap.* 8, *n.* 6) verba quædam vidimus e scripto decerpta, quod idem Primianus ad reliquos Donatistarum episcopos misit, et quæ, ut quidem existimamus, prædicta responsione continebantur. Diximus quoque nequaquam esse a fide alienum, non ita multo post Augustinum, proxime antequam Hipponem rediret, expositionem suam in Psalmum trigesimum sextum apud plebem Carthaginensem pronuntiasse. Is ad sedem suam reversus, ex synodi præscripto Proculeianum conveniri curavit. Respondit ille suarum partium coactum iri concilium; in quo quid esset reponendum, in communi statueretur (*Epist.* 83, *n.* 7). Non dubium est quin habitus fuerit hic illorum conventus; verum non alia mente, quam ut colloquium recusandum esse decernerent. Proculeianus siquidem iterum de mente sua, uti promiserat, aperienda compellatus, omnem collationis habendæ spem præcidit. Quod responsum satis liquido constat ex conventus illorum placito redditum esse: hanc enim rem illud Augustini non obscure significat: *Si lupi concilium*, inquit, *fecerunt*, *ut pastoribus non respondeant* (*Epist.* 76, *n.* 4); quæ verba ex litteris, quas forsan hoc ipso tempore de recusato a Donatistis colloquio scripsit, petuntur. Has porro universis illius schismatis sectatoribus inscribit, ubi posteaquam Ecclesiæ catholicæ veritatem ipsis demonstravit, primo quidem locis e divina Scriptura collectis: deinde tribus sententiis secundum Cæcilianum latis: tum criminibus Optati eorum martyris, quem a communione sua minime resecarant (*Ibid.*, *n.* 3): postremo historia Maximianistarum, necnon indulgentia, qua Felicianum Mustitatum (nec enim Prætextati meminit) una cum illis quos extra eorum Ecclesiam baptizarat, exceperant. Donatistas laicos rogat, uti præsules suos, quandoquidem cum Catholicis nollent in colloquium venire, ad solvendas hasce difficultates urgeant; videantque in hac ipsa recusatione indubitatum debilitatis testimonium contineri. Hæc autem epistola legum Honorii mentionem omnino nullam facit.

## CAPUT XI.

1 *Crispinus ad colloquium provocatus verbis respondet amaris et maledicis.* 2 *Donatistæ invadunt in Possidium.* 3 *Tum Ecclesiæ defensor mulctæ aurariæ hæreticis irrogatæ damnari Crispinum curat, quem et subinde Possidius probat hæreticum.* 4. *Illi tamen postea hujus pœnæ condonationem impetrant Catholici.* 5 *Concilii Carthaginensis legatio ad petendas ab Imperatore leges in schismaticos, sed moderatas.* 6 *Legatio hæc Theasio et Evasio demandatur.* 7 *Donatistarum in Maximianum immanitas.* 8 *In Servum quoque episcopum invadunt.*

1. Ut ad conventionem, qua Donatistas a Catholicis

provocari oportebat, redeamus : cum eam curasset Possidius Calamensis episcopus Crispino significari Donatistarum ejusdem urbis episcopo, qui et antiquus erat, et apud suos magno in numero habebatur; hic compellationi reposuit se, quid responsi dandum esset, visurum cum collegis. Satis longo post tempore, anno jam Christi quadringentesimo quarto, idem repetita conventione interpellatus, istud apud Acta responsum dedit : « *Verba viri peccatoris ne timueris* » (I *Machab.* II, 62). Et iterum : « *In aures imprudentis cave quidquam dixeris; ne, cum audierit, irrideat sensatos sermones tuos* » (*Prov.* XXIII, 9). *Postremo, hanc responsionem meam patriarchali sermone definio : Recedant a me impii, vias eorum nosse nolo* (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 50). Ea Crispini responsio doctis et indoctis risum movit : quippe qui se verba peccatoris neutiquam timere jactaret; cum tamen ei respondere non auderet. Satis quidem erat manifestum, quid sibi vellet : nec deerant qui demonstrarent, quam inutilis esset ista responsio, quamque propter verborum acerbitatem, ipsi respondenti noxia; atque hinc simul universis Crispini episcopi doctissima, ut apud Donatistas habebatur, annositas contra stante juveni ac tirone, qualis Possidius erat, nihil adversum veritatem posse probabatur.

2. Quapropter quando hac non successit, alia via aggrediendum fuit : hæc vero visa est omnium potissima. Contigit paucis post diebus, ut Possidius Calama ad invisendum in sua diœcesi Figulinensem fundum proficisceretur eo consilio, ut Catholicos, qui pauci illic erant, confirmaret, alios autem ad amplexandam, si vellent, unitatem cohortaretur, ac denique pacis doctrinam, quam in Augustini monasterio et clero, unde fuerat ad episcopatum assumptus, didicerat, omnibus traderet (*Possidius, in Vita August.. c.* 12; *Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 50; *Epist.* 105, *n.* 4). Tum vero Donatistæ alio Crispino episcopi Calamensis presbytero, atque ejus, ut ferebatur, propinquo, ductore vias armati latronum more obsidere, atque insidias ponere. In eas jam pene inciderat Possidius, cum hujus rei certior factus alio divertit, seque in locum nomine Livetum recepit : ubi nimirum ille Crispinus nihil auderet, vel non prævaleret, vel si quid etiam fecisset, negare non posset. *Tum domum, in qua cum suis se Possidius incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Quæ vero aderat incolentium multitudo, memor periculi sui, si in eo loco aggressum tantum facinus impleretur, partim illum deprecabatur ut parceret, quem resistendo non audebat offendere, partim vero ignes suppositos exstinguebat.* Eosdem usque tertio compressit; quod ni fecisset, Possidius una cum domo et reliquis in ea inclusis vivus combustus esset. *Cum autem ille* (Crispinus) *nihilo segnius cœptis fervidus atque inexoratus instaret, cessit aliquando ictibus janua; ingressi sunt, sauciatisque cæde jumentis, quæ in inferiore domus parte compererant, de superioribus episcopum deposuerunt, afficientes plagis et contumeliis. Ubi ne gravius sævirent, intercessit ipse Crispinus, velut aliis rogantibus flexus, quorum non tam videbatur in ira sua curare deprecationem, quam in facinore testimonium formidare* (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 50). Possidius ipse eumdem casum perinde, quasi alteri evenisset, referens, satis habet dicere, Donatistas, ubi illum in itinere adorti essent, jumenta et res ipsius diripuisse, necnon ipsum injuriis et cæde gravissima affecisse (*Possidius, in Vita August., c.* 12).

3. *Hæc posteaquam*, pergit Augustinus, *nota facta sunt in oppido Calamensi, exspectabatur Crispinus episcopus vester* (Donatistas alloquitur) *quemadmodum in suum presbyterum vindicaret. Accessit etiam protestatio municipalibus gestis expressa; cujus vel timore, vel pudore, cogeretur exercere ecclesiasticam vindictam. Quod cum omnino contemneret, tantusque fieret vestrorum tumultus, ut veritati prædicandæ, cui respondere non poterant, itinera clausuri putarentur, imo vero jam etiam cernerentur* (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 51) : demum ne istiusmodi violentiæ pacis ecclesiasticæ cursum prohiberent, Ecclesiæ defensor ea de re querimonias ad magistratum servato juris more detulit (*Possidius, in Vita August., c.* 12), impetratumque est (forsan a Proconsulari Numidiæ) ut episcopus Crispinus mulctam legibus in hæreticos constitutam, nimirum decem auri pondo, solveret (*Epist.* 105, *n.* 4; *Contra Cresconium, n.* 51). Legem hanc Theodosius jam inde a decimo septimo kalendas julii anni trecentesimi nonagesimi secundi promulgaverat in hæreticos omnes, ut qui apud eos vel conferrent vel acciperent clericalem dignitatem, denis auri libris mulctarentur; et quævis loca, in quæ domino quidem consentiente convenirent, fisco addicerentur; sin autem illo inscio vel in locis jam fisco addictis id fieret, denas quoque auri libras fundi conductori imperabat (*Codice Theod. de Hæret., lege* 21). Ejusdem legis meminit passim Augustinus (*Contra Epist. Parmeniani, lib.* 1, *n.* 19) : præter quam aliæ non paucæ suppetebant, ex quibus Ecclesiæ cum hæreticis agere licebat. Verum quantumvis æquitati consentirent illæ, tanta inerat Catholicis mansuetudo, ut eas negligerent, ac dormire, si fas est ita loqui, sinentes, earum imperata fieri minime postularent (*Epist.* 88, *n.* 7; *Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 51). Nec sane alia res ad earum legum recordationem excitavit Catholicorum animos, quam necessitas propulsandi quas Circumcelliones ipsis violentias afferebant. Istis primum legibus usi fuerunt Catholici ad coercendam, si qua possent, Optati Gildoniani tyrannidem (*Contra Litter. Petiliani, lib.* 3, *n.* 184). Eas etiam subinde adversus Crispinum episcopum adhibuerunt : at multo minus ut de patratis facinoribus repeterent pœnas, quam ut documenta lenitatis suæ præberent; planumque facerent Ecclesiam, nedum sibi ullam, Circumcellionum instar, potestatem usurparet tyrannice, ea etiam nolle uti facultate, quam ab legitima auctoritate sibi juxta propheticam veritatem famulante accepisset (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 51). Judicio in se lato parere noluit Crispinus : stetit coram proconsule, sibique crimen hæreseos neutiquam hærere contendit (*Possidius, in Vita August., c.* 12;

*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 51). Haud erat Ecclesiæ defensoris, quem nos quidem virum ex ordine laicorum fuisse opinamur, id probare. Illo igitur recedente, in eam necessitatem adductus est Possidius, ut Crispino resisteret, eumque revera hæresi irretitum esse ostenderet : quippe cum alioquin offendiculum præberetur infirmis, ac periculum esset, ne ipse ab ignorantibus hæreticus crederetur. Non longe aberat Augustinus; qui pro sua virili urgebat, ut concertationem inter se haberent duo Calamenses episcopi. Tribus ergo illi vicibus in certamen devenientes de ipsa diversa communione, qua scilicet a vera Ecclesia avulsi erant Donatistæ, disceptarunt : cum interea numerosa hominum multitudo tum Carthagine, cum in reliqua Africa rei exitum intenta exspectaret. Tandem haud ægre convictus fuit hæreseos Crispinus, atque a proconsule sententia scripto libellari lata talis declaratus ( *Possidius, in Vita August.*, *c.* 12 ).

4. Attamen ea fuit Possidii mansuetudo, ut suam apud proconsulem interposuerit gratiam, quominus decem auri pondo Crispinus mulctaretur, hancque illi immunitatem reipsa obtinuerit (*Epist.* 105, *n.* 4 ; *Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 52; *Possidius, in Vita August.*, *c.* 12). Verum quantumvis mitissimum esset hocce judicium, ei tamen morem gerere noluit Crispinus (*Contra Cresconium*, *lib.* 3, *n.* 51 ); sed majorem in modum sese ingratum præbens, Imperatorem appellavit ( *Epist.* 88, *n.* 7, *et Epist.* 105, *n.* 4 ). Ferebatur id cæteris displicuisse Donatistarum episcopis (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 51), nec sane immerito; quandoquidem nonnisi successum adversum inde sperare poterant. Et quidem admissa fuit appellatio ; responsumque dedit Imperator, Donatistas, ubicumque locorum degant, in mulcta decem auri librarum comprehendi, non secus ac in quibuslibet aliis legibus, quæ contra hæreticos promulgatæ fuerant ; eas proinde adversus illos exsecutioni mandandas : non solum autem a Crispino solvendas esse decem auri libras, sed etiam ab ipso judice, qui illi gratiam ejus mulctæ fecisset, necnon ab Officio, hoc est a cæteris forensibus in illo judicio administris, exigendas (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 39 ; *et Possidius, in Vita August.*, *c.* 12 ). Atque ita maluit Crispinus periculum, quod sibi soli impendebat, et quod ipsum a se nullo negotio propulsare potuisset, in omnem Donatianam factionem convertere, quam in presbyterum suum atrocis delicti reum degradatione saltem animadvertere (*Contra Cresconium*, *lib.* 3, *n.* 52 ). Nihilominus tamen catholici antistites, ac in primis Augustinus, prædictæ mulctæ immunitatem illis ab Imperatoris clementia impetrarunt : ita ut eorum præsidio, ne Crispinus quidem eam pendere coactus fuerit ( *Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 12 ). Hæc porro episcoporum indulgentia magnas Ecclesiæ accessiones afferebat. At Augustinus palmam semper hinc reportabat, in omnibus quæ pacis conciliandæ causa gerebantur, primas concedens nemini; et sic justitiæ coronam, quæ ipsi in cœlis a Deo servabatur, magis magisque in dies amplificabat.

5. Post illam Crispini historiam subnectit Augustinus mentionem legationis, quam concilium Carthagine sexto kalendas julias hujusce anni quadringentesimi quarti in basilica secundæ regionis habitum ad Imperatorem misit (*Epist.* 88, *n.* 7). Tunc temporis vexabatur dirum in modum Ecclesia. Donatistæ siquidem indigne ferentes, quod toties ad colloquium provocati, quid responderent, nequaquam invenirent, vicem suam novis ac prorsus inauditis immanitatibus ulcisci conati sunt (*Epist.* 185, *n.* 18). Non pauci tamen ex eorum communione talem agendi rationem horrebant, quodque eam exosam haberent, sese culpa omni solutos existimabant (*Ibid.*, *n.* 16). Quam in rem objiciebant eis Catholici, si se a criminibus in communione sua patratis immunes esse posse judicarent, non licere ipsis affirmare, universum orbem fuisse Cæciliani criminibus, vel falsis vel certe ignotis, contaminatum. Ea ratio nonnullos ita permovebat, ut schisma deserere, omnesque injurias, quas a furore Circumcellionum timere poterant, perferre apud se statuerent. At eorum, quibus redeundi ad catholicam unitatem desiderium erat, pars longe maxima iram hominum perditorum adversus se concitare non audebant, quorumdam exemplo deterriti, qui ob repudiatum discidium atrocia perpessi fuerant. In his angustiis non laudandæ patientiæ, sed culpandæ negligentiæ notam incurrissent catholici præsules, si pati oppressionem hanc, quam ad præsidium sibi divinitus in imperiali auctoritate oblatum confugere mallent, neque christianorum principum defensionem ipsi Ecclesiæ, cujus et illi filii erant, implorarent, ut ne sub eorum imperio liceret improbis debiliores perterrere, eosque ad id metu compellere, quod illis ratione persuaderi posse desperabant (*Ibid.*, *n.* 18). Permulti antistites, et ii quidem ætate graviores, petendas esse leges censebant, quibus omnes omnino Donatistæ juberentur communionem catholicam amplecti (*Ibid.*, *n.* 25) : exempla proponebant multarum civitatum et locorum, quæ præ timore legum Constantini ac subsequentium imperatorum susceptam vel invite communionem catholicam summa in posterum sinceritate et constantia retinuerunt (*Epist.* 185, *n.* 25 ; *Epist.* 93, *n.* 16). Memorabantque nominatim Tagastam, quæ cum olim tota a Donato stetisset, ab eo postea legum imperialium terrore defecerat; et unitatem sincere amplexa, in Donatistarum sectam odium tantum conceperat, ut in hac nunquam fuisse crederetur. Eo pacto sua Augustino præ cæteris proponebatur civitas, quo facilius ad aliorum placitum adduceretur (*Epist.* 93, *n.* 17). Nam illius primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum : verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum ; ne ficti Catholici in Ecclesia essent, qui aperti prius notique erant hæretici. Atqui manus tandem dedit, collegarum suorum tum rationibus, tum exemplis victus : sed mitiorem viam adhuc aggredi satius esse existimavit (*Ibid.*, *n.* 19). *Nonnullis fratribus*, inquit, *videbatur, in quibus et ego eram, quamvis Donatistarum rabies usquequaque sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent*

*omnino non esse, pœnam constituendo eis, qui in illa esse voluissent; sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo. Quod eo modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si legem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generaliter in omnes hæreticos promulgavit, Ut quisquis eorum episcopus vel clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri mulctaretur, expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos, ita confirmarent, ut non omnes ea mulcta ferirentur, sed in quorum regionibus aliquas violentias a clericis, vel a Circumcellionibus, vel populis eorum Ecclesia catholica pateretur : ut scilicet post protestationem Catholicorum, qui fuissent ista perpessi, jam cura Ordinum ad persolvendam mulctam episcopi sive ministri cæteri tenerentur. Ita enim existimabamus eis territis, et nihil tale facere audentibus, posse libere doceri et teneri catholicam veritatem; ut ad eam cogeretur nemo, sed eam qui sine formidine vellet sequeretur, ne falsos et simulatores Catholicos haberemus* (*Epist.* 185, *c.* 7, *n.* 25). Huic consilio aliorum episcoporum sententiæ cesserunt, ac decretum in synodo, de qua loquimur, factum est, lectique legati, qui aulam adeuntes legem Ecclesiæ, ut credebatur, necessariam ab Imperatore suppliciter poscerent. Exstabat alia lex, quæ hæreticis vel faciendi testamenta, vel per donationes aliquid conferendi, vel ex donationibus aut testamentis aliquid capiendi facultatem adimebat. Atque ob eam legem, quæ nunc in Codice desideratur, ante annum quadringentesimum Imperator feminæ cujusdam Donatistæ testamentum rescinderat edicto, in quo furorem etiam Circumcellionum tangebat. Constituit igitur synodus Carthaginensis, ut hujusce legis confirmationem rogaretur Imperator; sed tamen cum ea moderatione, ut in illos tantum valeret, qui pertinaciter in schismatica factione perseverarent : qui vero in gratiam cum Ecclesia redirent, iis jus fasque esset ea recuperare, quæ sibi ante reconciliationem obvenissent; dummodo non post motam de bonis, quæ sibi vindicabant, litem ad unitatem catholicam transirent. Tunc enim ad id terreni potius commodi, quam Dei metu inducti censerentur. Concilio quoque visum est, petere ut urbium Ordines, et ii, quibus vicina essent prædia, tuitionem Ecclesiis contra Circumcellionum furorem, imperatoribus satis notum, ac sæpe legibus condemnatum, præbere tenerentur : atque interim, dum redirent legati, a provinciarum præfectis idem postulare (*Cod. Canon. Afric.*, *can.* 93).

6. Ea legatio Theasio et Evodio episcopis demandata fuit (*Ibid.*). Theasii cujusdam Memblositensis in Proconsulari episcopi exstat in Collatione mentio (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 133). Evodius forte idem est ac Uzalensis, qui in epistola ad Augustinum Theasii episcopi meminit, quem senem vocitat, atque in monasterio vivere quodam modo innuit (*Epist.* 158, *n.* 10). In utrumque Petilianus his debacchatur verbis : *Illos scilicet, quos præcursores ac navigatores semper habent, furiæque suæ legatos, qui expetant sanguinem, expetant proscriptiones, incutiant metus, pericula ingerunt, homines per provincias diversas occidunt* (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 141). Ambo propter vexationes, quas anno quadringentesimo octavo fidei causa pertulere, confessoris titulum consecuti sunt ( *Cod. Cann. Afric.*, *in concil. Carthag. anni* 408, *post can.* 106). Hodieque supersunt mandata illis de legatione a concilio tradita, quibus, quid ab Imperatore ex Patrum placito petendum sit, ita præscribitur, ut tamen ipsis quidquid Ecclesiæ utilitati conducere judicaverint, petendi plena libertas relinquatur (*Ibid.*, *can.* 93). Placuit quoque, ut Romano antistiti, et locorum in quibus forte versaretur Imperator, episcopis per litteras commendarentur. Eisdem etiam legatis traditæ sunt aliæ ad Imperatorem ac præcipuos illius ministros epistolæ, datis a synodo mandatis fidem adrogantes, quas Aurelius Patrum omnium nomine solus obsignavit. Hæ dubio procul ab Augustino perscriptæ sunt : quando Possidius in recensendis ejus epistolis quatuor illas continua serie ponit : Innocentio episcopo ; Imperatoribus ; Stiliconi ; Præfectis Italiæ. Quarum quidem nulla nobis restat.

7. At certe habemus in superioribus, quæ Africanæ Ecclesiæ consilia afflaverit Augustini mansuetudo. *Sed Dei major misericordia*, inquit idem sanctus, *qui sciret, harum legum terror, et quædam medicinalis molestia quam multorum esset pravis vel frigidis animis necessaria, et illi duritiæ quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantula severitate disciplinæ potest, id egit, ut legati nostri quod susceperant, obtinere non possent. Jam enim nos prævenerant ex aliis locis quædam episcoporum querelæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi, et a suis sedibus exturbati. Præcipue horrenda et incredibilis cædes Maximiani episcopi catholici Ecclesiæ Bagaiensis effecit, ut nostra legatio jam quid ageret, non haberet* (*Epist.* 185, *n.* 26). Hic dicta inter partes judiciaria sententia apud ordinarium judicem basilicam fundi Calvianensis evicerat, quam Donatistæ, cum catholica esset, illicite aliquando usurpaverant. Hanc cum jure perspicuo retineret, in ea ipsa stantem ad altare invaserunt, irruentes horrendo impetu et furore crudeli, ut sub altari quo confugerat, eodem supra se fracto, ejusque lignis, aliisque fustibus, ferro etiam crudeliter cæsus, totum illum locum sanguine oppleverit. Acceperat autem et grande vulnus in inguine pugione percussus, unde cruore largius effluente continuo moreretur, nisi major eorum crudelitas per occultam Dei misericordiam profuisset. Nam cum membris ex ea parte nudatis semivivus insuper, pronusque traheretur, exundantes venas latenter pulvis obstrusit. Deinde cum ab eis relictum Catholici cum psalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore succensi eum de portantium manibus abstulerunt, male mulctatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant, et facile sæviendo terrebant. Sic illis violenter extortum, gravisque mulctatum inde in quamdam turrem excelsam levatum, jam defecisse arbitrantes, cum ille adhuc viveret, abjecerunt. Ille subter cinere stercoris molliter jacebat exceptus, sensu amisso vix extremum

spiritum tenens. Ibi eum transiens quidam pauper invenit, cum ventris exonerandi causa ad eum divertisset locum. Agnovit autem, cum pavidus suam conjugem accersiit, quam procul verecundia dimoverat, lucernam ferentem. Tunc eum ambo pervexerunt domum, vel miserando, vel aliquid etiam lucelli sperando; cum sive vivus, sive mortuus, collectus tamen nostris ostenderetur. Quid plura? Adhibita magna cura, mirabili curatione post multos dies ab illa desperatione recreatus est et sanatus. Hunc ad transmarinas terras occisum fama nuntiaverat, et ejus facinoris immanitas gravisque indignitas, quaquaversum audiri potuit, dolore horrendo cuncta commoverat. Quo postea quam ipse secutus est, et vita ejus inopinatissima apparuit, cicatricibus suis tam ingentibus, tam multis, tam recentibus, non frustra famam mortuum se nuntiasse monstravit. Nam quem tunc inspicientes vix crederent vivum, non temere illa jactasse videbatur occisum. Auxilium ergo petivit ab Imperatore Christiano, non tam sui ulciscendi causa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 52; *Epist.* 185, *n.* 26-28). Ex Augustini quidem verbis colligi posse videtur, illum Romam ad Imperatorem adiisse ( *Epist.* 88, *n.* 7 ) : attamen leges mense februario anno quadringentesimo quinto ipsius causa latæ Ravennæ datæ sunt (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 58). Anno proximo vel sequenti, quo scilicet sanctus Doctor adversus Cresconium scribebat, adhuc ille in vivis agebat, ac plures in ejus corpore cicatrices, quam membra numerabantur (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 47). In collatione Carthaginensi non reperitur ejus nomen : at in Romano Martyrologio sanctis confessoribus quinto nonas octobris adjungitur.

8. Is in aulam adveniens, ibi non paucos invenit, qui illuc perfugerant, eadem qua ipse, aut certe haud multo humaniori ratione a Donatistis excepti (*Ibid.*). Quos interaderat episcopus Thubursicæ, quam Buram dicebant, et unico vocabulo Thubursicaburam : quæ videtur fuisse in Proconsulari posita. Huic autem præsuli Servo, seu Servo-Dei, nomen erat. Anno quadringentesimo undecimo Carthaginensi collationi interfuit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 121). Hic locum repetebat occupatum a Donatistis (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 47), pro quibus tunc temporis, forte post Cyprianum ob scelera sua condemnatum (*Contra Litteras Petiliani, lib.* 3, *n.* 38), Donatus quidam episcopus erat (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 121). Cum igitur de loco illo hi duo præsules litigarent, partiumque procuratores proconsulare præstolarentur examen, armati Donatistæ in memorato Thubursicubure oppido repente in Servum irruerunt, ita ut vix vivus aufugerit. Pater autem ejus presbyter, ætate ac moribus gravis, ea cæde, qua ab iisdem vehementer afflictus est, post dies paucos excessit e vita (*Contra Cresconium, lib.* 3, *c.* 43). Quibus porro legibus in semet ferendis causam tot suis facinoribus præbuerint Donatistæ, anno proximo declarabimus.

## CAPUT XII.

1 *Scandalum Hippone propter Bonifacium presbyterum et Spem exortum.* 2 *Augustini hac de re ad confirmandos Hipponenses litteræ.* 3 *Felicem Manichæum convincit et ab errore revocat.* 4 *Librum de Natura boni scribit contra Manichæorum hæresim.* 5 *Hanc libro præsertim adversus Secundinum edito funditus evertit.* 6 *Exacerbatum Hieronymi animum humilitate sua mitigat.* 7 *Eorum epistolæ ultro citroque missæ.*

1. Per tempus illius forsitan, de quo loquebamur, Carthaginensis concilii, data fuit ab Augustino ad suos Hipponenses super Bonifacii et Spei negotio epistola (*Epist.* 78) : quæ certe quidem scripta est post decretum de recipiendis in suo honore Donatistis clericis, in Carthaginensi concilio anno quadringentesimo primo editum ; sed tamen cum adhuc Proculeianus in vivis ageret. Erat in Augustini familia presbyter nomine Bonifacius, una cum laico quodam quem Spem vocabant (*Epist.* 77, *n.* 2). Hujus ad Augustinum detulit Bonifacius se motum sensisse impudicum ac immundum, cui nec assensum præstare ipse vellet, nec silentium. Spes contra contendebat se a Bonifacio sollicitatum ad impudicitiam, atque illum proprium crimen in se, quem ad flagitium pellicere nequiverat, conferre statuisse. Graviter admodum ferebat Augustinus, duorum e suis domesticis et convictoribus, alterum necessario perditæ vitæ existimari debere, alterum qui esset ab scelere alienus, tamen apud aliorum animos sceleratum, apud aliorum saltem suspectum haberi. Ipse quidem Bonifacium crimine vacuum reputabat, cum de Spe nihil boni suspicaretur : et certe præjudicatam hanc opinionem utriusque agendi ratio confirmabat. Cæterum quoniam deerant, quibus reus convinci posset, probationes ; re diu multumque perpensa, constituit illam judicio divino permittere, dum quem suspectum habebat, de sua domo ejiciendi justa aliqua manifestaque sibi causa præberetur. Interea haud quaquam animo erat ita comparatus, ut eum, qui apud se tanti flagitii suspicione laborabat, in clerum allegendum putaret : at ille, sive Augustini in se animum experiri vellet, sive innata quadam ambitione duceretur, omnem machinam adhibuit, ut vel per sanctum Antistitem referretur in ejus clerum, vel acceptis ab ipso commendatitiis litteris sibi liceret alibi ordinationem suscipere. At Augustinus adduci nullo modo potuit, ut aut ei manus imponeret, aut ulli e coepiscopis suis per commendationem suam eum subintroduceret. Quam ob repulsam ille turbulentius agere, dictitareque, si sibi ad clerum præcluderetur aditus, Bonifacium pariter de gradu dejiciendum esse. Hoc proposito nihil erat iniquius. Verumtamen ei consentire paratum se profitebatur Bonifacius, eo quod mallet honore presbyterii apud homines privari, quam ullam Spei ansam præbere Ecclesiam perturbandi. Ea in re mediam quamdam viam sibi ineundam esse existimavit Augustinus, videlicet ut uterque scripto placito pollicerentur, se locum aliquem miraculis celebrem petituros, ubi reum sive metus, sive divina ultio ad confitendam culpam adigeret. Quocirca eos

Nolam ad sancti Felicis tumulum ire jussit; propterea quod ibi certius, quam usquam, per Paulinum resciretur, quid ambobus contigisset. Et ea quidem fuit Bonifacii modestia, ut litteras, quæ suam in Ecclesiam dignitatem testificarentur, nullas postularet; Nolæ cum alio juxta haberi non recusans, quo utique in loco juxta erant incogniti.

2. Res illa usquedum tecta remanserat, ei remedia omnia sic adhibere Augustinus studuit, ut tamen gravissimus cordis ejus dolor in plebis notitiam non veniret; quia merito verebatur, ne hinc simul et infructuose cruciarentur firmi, et periculose turbarentur infirmi; ac ipsis quoque schismaticis ansa daretur catholico populo illudendi. Factum nihilominus invito illo vulgatum est, quamque animo prospexerat, offensionem peperit; et eo quidem acerbiorem, quod antea jactatum fuerat, Augustini clericos in crimina nequaquam labi solitos, quemadmodum ii, quibus manus imposuerat Proculeianus. Fuere etiam qui peterent, ut Bonifacii nomen ex albo presbyterorum, quos moris erat ad altare recitari, expungeretur: ne scilicet ulla Donatistis relinqueretur occasio prædicandi, scelera apud Catholicos impunita remanere. Id vero noluerat Augustinus: ne hoc pacto Dei, cujus ad tribunal causa Bonifacii translata fuerat, judicium præverteretur; neve violaretur concilii statutum, per quod non licebat clericum, qui nondum convictus sit, a communione suspendi, nisi judicio se sistere recusasset (*Concil. Carthag.* 3 *anni* 397, *cann.* 7, 8). Cleri tamen populique judicio hoc etiam permisit, si ita eis visum fuisset expedire, ne iis qui cum ad Ecclesiam nollent accedere, quærebant saltem quod prætexerent, quædam inde præberetur probabilis excusatio: tunc vero non ipsorum futurum esse hoc factum, sed eorum quorum causa fuerit factum; neque etiam illinc homini, quem non iniqua conscientia de libro vivorum deleverit, damni quidquam accessurum. Dum hæc ita gererentur, Hippone aberat Augustinus. Quapropter clero suo, senioribus, et universæ plebi Ecclesiæ Hipponensis epistolam misit, qua eos qui secum infelicem illum casum moleste ferebant, quamvis inde multo minus quam ipse doloris caperent, solari studet; docetque jam pridem a Christo prædicta fuisse ejusmodi scandala: ipsis etiam summopere cavendum esse, ne fratrem ex falsis suspicionibus judicantes in diaboli laqueos incidant; quod in Bonifacii gratiam dicit. Eos obtestatur, ne vulnera suis ipsius vulneribus nova superaddant, ne cruciatus augeant, ne denique dolorem dolore cumulent, deficiendo vel in suspicionibus falsis, vel in peccatis alienis; ipsi videlicet, qui spem aliquam habent ad Deum, pro quibus ipse continuis periculis caput objicit: quod enim ad schismaticos attinet, qui nequitia plane diabolica gaudium e tam luctuosis casibus percipiebant; atque in Ecclesiæ membris vitia quædam investigabant, unde toti illius corpori illuderent, ipsi quidem expeditius videbatur, eos contemnere, et canum, a quibus vulnera Lazari lingebantur, loco habere. Monet Hipponenses, Deum fortassis ideo noluisse hoc eos scandalum latere, ut secum instantius incumbant orationibus, ut facti veritas divina revelatione comperiatur. Eosdem vehementer juxta ac demisse reprehendit, quod adversus Proculeianum in se ipso potius, quam in Deo gloriati fuerant: neve etiam monasteria eo nomine criminentur, quod in illis improbos aliquos reperire sit, adhortatur. Cum Felix quidam atque Hilarinus de hac re ad eum scripsissent, respondit ad eorum litteras, minime mirum esse, si talia nascantur offendicula, aut contra Dei servos sinistri rumores in vulgus spargantur: porro se nec flagitiosi quidquam deprehendisse in Bonifacio, nec credidisse; itaque non jussisse ut ejus nomen de presbyterorum numero auferretur, quia divinum judicium, ad quod presbyteri hujus causa relata erat, antevertere non audebat. Quo tempore scriptæ sunt a beato Viro illæ epistolæ, jam iter Bonifacius ac Spes Nolam susceperant, aut saltem ad illud erant in procinctu. Quem vero exitum eorum causa habuerit, ignoramus. Et nos quidem infra de quodam Bonifacio viro optimo, et sancti Præsulis amicissimo, qui Cataquensis episcopus anno circiter quadringentesimo octavo consecratus est, dicturi sumus. Tametsi autem ex humilitate presbyteri non temere conjicias, Deum et illius innocentiam liquido declarasse, et illum postquam fidei ejus ac patientiæ periculum fecisset, ad episcopalem dignitatem evexisse: attamen unum atque eumdem fuisse nulla evincunt argumenta.

3. Ante hujus anni finem contigit Augustini cum Felice disputatio. Erat is unus e Manichæorum Electis (*Possid., in Vita August., c.* 16) ac ipsorum doctoribus (*Retract. l.* 2, *cap.* 8), liberalium quidem disciplinarum imperitus; attamen Fortunato, quem Augustinus adhuc presbyter in publica disceptatione anno trecentesimo nonagesimo tertio convicerat, longe versutior. Hipponem venerat errores suos disseminaturus. An autem is idem Felix fuerit, ad quem exstat Augustini epistola (*Epist.* 79) quæ presbytero Manichæo tantum inscribitur, haud certo scimus. Ex ea intelligitur, hominem illum qualis esset dissimulare conatum; at cum colloquium cum quibusdam Catholicis habuisset, statim ab illis deprehensum fuisse, ac sancto Antistiti delatum. Mortem a se despici prædicabat, dictitabatque se apud Augustinum magno in numero haberi, quandoquidem de suis comprimendis conatibus sollicitus esset. Ad eum ergo epistolam dedit Augustinus, brevem illam quidem, at vehementem: in qua ejus ostentationem irridet, eamdemque ratiocinationem, quam diluere nequiverat ipsius præcessor Fortunatus, illi proponit, denuntians ut vel eam solvat, vel inde abscedat. Si quidem presbyter ille Manichæus idem sit, qui et Felix; hæc illi contigisse comperimus. Oblata sunt ei sua scripta, hoc est, quæ secum habebat Manichææ doctrinæ volumina numero forsitan quinque, necnon sub publico sigillo custodita (*De Actis cum Felice, lib.* 1, *cap.* 1). Octavo idus decembris adiit Curatorem seu Majorem urbis, eique supplicem libellum obtulit, publice clamitans, cum codicibus suis se paratum esse incendi, si aliquid mali repertum in

ipsis fuisset (*Ibid.*, *cap.* 12). Cum eo fortassis hoc ipso die aliquantum collocutus est Augustinus ; quando Possidius bis aut ter eos disputasse affirmat (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 16), tametsi in Actis ea de re perscriptis duplex tantum dissertatio habeatur. Harum prior septimo idus decembres, quæ quarta erat feria, anno quadringentesimo quarto acta est in ecclesia Hipponensi (*De Act. cum Fel.*, *lib.* 1, *cap.* 1), populo ad cancellum adstante (*Ibid.*, *cap.* 20) et cum summo silentio et modestia audiente, ac notariis, qui verba utriusque exciperent, præsentibus (*Ibid.*, *cap.* 12). Is fuit concertationis exitus, ut, cum illi Augustinus idem argumentum, quod antea Fortunato, objecisset, nimirum qua ratione Deo, si quidem esset natura incorruptibilis, nocere gens tenebrarum valeret ; sin autem ei nihil detrimenti afferre posset, quid erat quod adversus istam ita dimicasset, ut naturæ suæ partem huc missam isti tenebrarum genti misceri, perque eam pollui pateretur (*Ibid.*, *cap.* 19) ; peteret Felix sibi tempus ad respondendum, usque ad secundam feriam proximam, pridie idus ejusdem mensis, quintum scilicet post diem prorogari (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 1). Notæ illæ tam accuratæ erroris circa colloquii tempus suspicionem omnem removent. Promisit Felix se per illud spatium, cum christiano quodam, quem ex adstantibus elegit, mansurum : sin vero fugeret, neque enim retinebatur, consensit, non quidem ut Manichæum anathemasse, verum ut judicio proprio victus, legis suæ prævaricator, atque in Hipponensem civitatem reus existimaretur (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 20). Reipsa ad condictum diem in ecclesiam Pacis venit, ubi populo præsente iterum cœpta est disputatio (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 1). Argumentum suum resumpsit Augustinus : cum vero Felix eludere vellet necessitatem respondendi, causatus suos codices redditos non fuisse, illos se repetere, ac biduo post ad colloquium rediturum ; testatus est sanctus Doctor illum codices istos, si necessarios sibi futuros putasset, petere debuisse tum, cum dilationem postularet. Itaque disputatio redintegrata est, ac præcipue circa liberum arbitrium, quo bonum malumve agitur, versata : de gratia tamen, qua in libertatem asserimur, neutiquam tractatum fuit ; quippe cujus quæstio ad Manichæorum hæresim nihil spectaret (*Retract. lib.* 2, *cap.* 8 ; *De Act. cum Fel.*, *lib.* 2, *capp.* 2, 3, 4). Et Felix quidem primo concessit, quisquis Deum corruptioni obnoxium diceret, eum anathemate feriendum esse (*De Act. cum Fel.*, *lib.* 2, *cap.* 14). At vero cum Augustinus blasphemiam hanc a Manichæo doceri planum fecisset, illum non sine difficultate eo compulit, ut quidquid sibi imperatum esset, facturum se profiteretur (*Ibid.*, *cap.* 22). Adjecit sanctus Episcopus, ipsi Manichæum anathemandum ; et ex animo id quidem, quando ad hoc a nemine cogeretur. Deum testem invocavit Felix, se animo ad hoc præstandum paratissimum esse ; sed hoc rogare, ut sibi Felici, quo magis confirmaretur, præiret Augustinus, ac Manichæum, necnon et spiritum, qui in eo locutus fuerat, prior anathemaret. Chartam sanctus Præsul statim accepit, atque anathematismum exaravit : idem præstitit et Felix, sed iis verbis usus, quæ et perspectam ei blasphemiarum istiusmodi abominationem, et revera horrori esse declarent. Uterque postea collationis acta obsignavit, quæ jure merito Augustini opusculis inserta sunt : quandoquidem victoriam testificantur, quam de hæresi, non tantum errore ipsius armis confosso confusoque, sed etiam illis, a quibus propugnabatur, ad veram fidem traductis, reportavit (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 16).

4. Post illud cum Felice colloquium, librum suum de Natura boni collocat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 9). Hoc adversus Manichæos ostendit, Deum naturam esse immutabilem, ac summum bonum, et cæterarum naturarum tum corporearum tum spiritualium, quæ omnes in se ipsis bonæ sunt, auctorem. Ibi simul demonstrat, quid sit malum, unde nascatur, quot bona in natura mali, quam vocant, quot e contrario mala in natura boni, qualem eam sibi fingunt, involvant. Horrendas quoque turpitudines memorat, quæ fuerant in hujus sectæ nonnullis, tum in Paphlagonia, tum in Galliis deprehensæ (*De Nat. boni*, *cap.* 47). Quæ autem in Africa similiter exsecranda patrata sunt, silet : quia ibi non ante annum circiter quadringentesimum vigesimum primum contigerunt. At abominationes illas ipsis Manichæi placitis niti commonstrat (*Ibid.*, *cap.* 46). Operi finem imponit precatione, qua divinam benignitatem obtestatur, ut per suum ministerium, sicut cœpit jam non paucos, ita pergat alios hujusce erroris irretitos laqueis exsolvere (*Ibid.*, *cap.* 48).

5. Erat inter Manichæorum Auditores Secundinus (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 10), homo Romanus, unde marmorum Anicianæ domus mentionem facit (*Secundini Epist.*, *n.* 3), atque ad Paulinum ab Augustino remittitur (*Contra Secund.*, *cap.* 11). Is cum sancti Doctoris libros quosdam adversus Manichæos evolvisset, in illis, ut fatetur, oratorem numeris omnibus absolutum, ac pene totius eloquentiæ deum animadvertit : at vero cum sectæ suæ errores quam persuasissimos haberet, veritatem ibi deprehendere nunquam potuit (*Secundini Epist.*, *n.* 3). Quapropter sibi proposuit in eam rem Augustino, cui ne de facie quidem notus erat, tanquam amico scribere : ita tamen ut urbanitati suæ ac verbis officiosis subinde reprehensiones haud parum acerbas inscreret, objurgans quod Manichæorum placita scriptis suis insectaretur. Ab ea re ut desisteret, atque etiam ad eamdem sectam rediret, admonebat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 10). Quam ob causam et iisdem ille placitis fidem conciliare, et catholicæ doctrinæ auctoritatem, quantum in se erat, detrahere moliebatur. Epistolæ Secundini aliam multo prolixiorem reddidit Augustinus : quæ in ejus libris idcirco numerata est, quia usitata epistolarum inscriptione eam non prænotaverat, sed ei tantum Secundini litteras, quas ibidem etiamnum reperire est, præmiserat. In hac responsione criminationes privatim sibi a Secundino illatas paucis quidem ipse verbis et cum summa modestiæ significatione depulit (*Contra Secund.*, *capp.* 1, 2) : in Ecclesia vero defendenda longior et vehementior fuit, ac Manichæo-

rum hæresis principia adeo evertit confregitque, ut se pluris facere opusculum istud, quam aliud quodcumque adversus illam pestem a se editum profiteatur (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 10).

6. Asterius subdiaconus, cui litteras ad Augustinum (*Epist.* 68) una cum secunda sua adversus Rufinum Apologia perferendas Hieronymus dederat, extremo, ut quidem videtur, anno quadringentesimo tertio in Africam pervenit : ac non multo post ascitus est ad episcopatum (*Epist.* 82, *n.* 1). Tum demum perlectis Hieronymi litteris, ejus a se ob epistolam suam, cujus initium est, *Habeo gratiam* (*Epist.* 40), abalienatum animum Augustinus intellexit. Quapropter prima data occasione, per quosdam ex amicis, quibus anno forte quadringentesimo quarto in Palæstinam iter erat, litteras ei demissionis ac benevolentiæ plenas, quibus ejusdem animum demulceret, scripsit (*Epist.* 75). In his de simultate, qua Hieronymus ac Rufinus inter se dissidebant, mirum in modum loquitur. Non tantum sibi arrogat, ut in alterutrum sententiam pronuntiet : tantum in utriusque præsentiam suspirans, declarat quid forte, si hæc sibi daretur, ageret diceretve, quo eos in concordiam revocare sibi liceret. Quæ tamen ad se in hoc argumentum Hieronymus transmiserat, legit : quod vero ad scripta Rufini in Hieronymum, quamvis in Africam delata essent, se nunquam ea evolvisse, imo nec nosse, satis liquido significat. Præsidium episcopum, quem ei quondam Hieronymus tanquam singulari necessitudine sibi conjunctum commendarat (*Hieron.*, *apud Aug. Epist.* 39, *n.* 1), verbis oravit, ut epistolam suam (*Epist.* 74) eidem Hieronymo deferendam curaret, illumque additis aliis litteris precaretur, ut ejus excusationes admitteret. Ad eumdem Præsidium postea Hieronymi epistolam cum suæ exemplo misit, ut qua ratione ad sanctum illum presbyterum scribere deberet, facilius nosset : hunc etiam simul obsecravit, ut si quid minus probaret in sua ad Hieronymum epistola (*Epist.* 73), id sibi, quo posset emendare, significaret.

7. Augustini epistolam, cujus exordium est, *Quamvis existimem* (*Ibid.*), necdum acceperat Hieronymus, cum e suis illam quæ incipit, *Tres simul epistolas* (*Apud August.*, *Epist.* 75), ad eum, jam exturbato e sede Chrysostomo, et proinde sub anni quadringentesimi quarti finem, scripsit. In ea variis Augustini quæstionibus respondere, necnon in primis ejus de mendacio officioso, deque Petri ac Pauli controversia objectis satisfacere nititur. Ipsi post hæc reddita est supra memorata Augustini epistola (*Epist.* 73), quæ procul dubio commotam ejus mentem sedavit : quamvis hac illi occasione rescribendum non putaverit. Sed responsionis loco, cum Firmus sancti Præsulis necessarius ex Africa sine ullis ejusdem, qui scilicet amici profectionem ignoraverat, litteris in Palæstinam venisset, huic redeunti epistolam (*Apud August.*, *Epist.* 81) ad Augustinum amoris benevolentiæque suavissima testimonia præferentem dedit; in qua epistolam suam ad ipsum ultimam (*Epist.* 75) excusabat, atque in posterum ab ejusmodi quæstionibus abstinere se velle testabatur. Alypium quoque ibi salutabat. Hoc tamen Augustinum non prohibuit quominus per quosdam e suis familiaribus, prolixam epistolam postea Hieronymo scriberet (*Epist.* 82), in qua fuse de eadem Petri et Pauli contentione disputat ; magnopere cavens, salva tamen pro qua certabat veritate, ne Hieronymi animum exasperaret : simulque ad eum suam in Faustum elucubrationem misit. Atque hunc habuit finem celebris illa disputatio Augustini cum Hieronymo : qui quidem et ipse in Augustini sententiam discessit, cum adversus Pelagianos anno quadringentesimo decimo quinto dimicandum fuit.

# *LIBER SEXTUS.*

In quo narrantur quæ Augustinus gessit a datis anno quadringentesimo quinto novis legibus in Donatistas, usque ad Collationem cum iisdem schismaticis Carthaginensem.

## CAPUT PRIMUM.

*1 Severa lex ab Honorio lata contra Donatistas. 2 Aliæ in eosdem leges. 3 Augustini ad Paulinum litteræ. 4 Fructum quam maximum ex Honorii legibus capit Ecclesia. 5 Concilium Carthagine post restitui cœptam ibi unitatem celebratur.*

1. Digressi parumper a causa Donatistarum, jam nunc ipso narrandi ordine ad eam revocamur. Cum ad comitatum devenissent episcopi legati, quibus a Carthaginensi concilio commendata erat, nihil tum illic a se præstandum esse compererunt (*Epist.* 185, *n.* 26). Etenim lex adversus Donati factionem jam ante eorum adventum lata, promulgataque fuerat. Toti eos hominum querelæ, qui male mulctati domum redire non audebant, ac in primis Bagaiensis episcopi horrendæ ac recentissimæ cicatrices Imperatorem commoverant. Et quia, ut loquitur Augustinus, Circumcellionum nobilis furor horrendum præbens suis clericis satellitium, usquequaque odiosissime innotuerat, ingens in Donatistas conflagraverat invidia : atque inde factum erat, ut et præteritæ omnes contra eos leges excitarentur, et conderentur novæ (*Contra Crescon.*, *lib.* 3, *n.* 47). Nam Imperator religiosus et pius, perlatis in notitiam suam talibus causis, maluit piissimis legibus impietatis errorem omnino corrigere, et eos qui contra Christum Christi signa portarent, ad unitatem catholicam terrendo et coercendo redigere, quam sæviendi tantummodo auferre licentiam, et errandi ac pereundi relinquere. Ergo lex promulgata fuit, ut tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæviebat, non tantum violenta esse, sed omnino esse non sineretur impune : non tamen sup-

plicio capitali, propter servandam etiam circa indignos mansuetudinem christianam, sed pecuniariis damnis propositis, et in episcopos vel ministros eorum exsilio constituto. Habemus igitur edictum ab Honorio datum anno quadringentesimo quinto pridie idus februarii, quo quidem declarat Imperator, nolle se eorum qui Baptismum iterabant, errores diutius tolerare, aut nomen Donatistarum amplius audire : jubet vero, ut omnes catholicam unitatem sequantur. Si qui illicita perpetrare pergant, ex tenore superiorum legum, necnon illius quæ non pridem (forsitan adversus Crispinum) constituta fuerat, pœnas luant : qui autem seditiosos conventus coire præsumpserint, acrius severiusque coerceantur. Et hæc omnino sunt, quæ ex illo edicto scisso nunc in duas, ut minimum, partes reperire est in duplici Codicis loco. Nam ejus una pars est tituli, *Ne sanctum Baptisma iteretur*, lege tertia ; altera, tituli, *De hæreticis*, lege trigesima octava. Existimat non nemo (*In Cod. Theod.*, *tom.* 6, *p.* 196) ad hoc ipsum edictum referri debere, quas ad annum circiter quadringentesimum nonum citat Augustinus ex quadam lege pulcherrimas illas voces : *Nam si in eis, qui primo initiati sunt, idcirco religio Baptismatis judicatur infirma, quod ii a quibus accipitur, peccatores putentur, toties renovari necesse erit traditum sacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati Baptismatis administrator : et fides nostra non ex nostræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, sed ex meritis sacerdotum et clericorum qualitate pendebit.* Post quam Imperatoris sententiam ita sanctus Præsul : *Faciant*, inquit, *mille concilia episcopi vestri, huic uni sententiæ respondeant ; et ad quod volueritis, consentimus vobis* (*Epist.* 105, *n.* 12). Edictum hoc nonnulli Unionis seu Henoticum appellant : quod idem a concilio Carthaginensi anni quadringentesimi septimi lex Unitatis dicitur. Atque adeo Honorius ipse edictum de unitate testatur a se missum in Africam, ut omnibus significaret unam et veram fidem catholicam esse retinendam (*Cod. Theod.*, *de Relig.*, *lege* 2).

2. Eodem die, videlicet pridie idus februarias, Honorius Adriano prætorii præfecto legem misit, qua de tollenda funditus Donatistarum hæresi apud se constitutum esse affirmat : idque maxime ob iterandi Baptismatis sacrilegium, ad quod mancipia aliosque sibi subditos vi compellebant (*Ibid.*, *Ne sanctum Bapt. iteretur*, *lege 4 et lege* 5). Quod quidem ad Crispini facinus præcipuo quodam modo spectare judicatur. Is igitur decernit illos, qui ab hujusce legis promulgatione Baptismum secundo contulisse deprehendentur, fortunis suis omnibus spoliari ; quæ tamen eorum liberis, si redierint ad Ecclesiam, restituerentur : prædia, in quibus convenerint, si factum sit consciis dominis, fisco addici ; si secus, eos a quibus istiusmodi cœtus haberentur, plumbatis flagellari, ac perpetuum in exsilium amandari : eorum clientes, vel servos, quos denuo baptizare voluerint, in ecclesias Catholicorum confugere posse, atque ab hinc libertatis jura obtinere : repetendi Baptismi auctores consciosve, non solum testandi, verum etiam adipiscendi aliquid sub specie donationis, necnon contractus agendi facultate, donec hæresim abdicaverint, privari : quicumque illis opitulati fuerint, eidem pœnæ subjici : provinciarum præfectos, qui consensum opemque eis tulerint, viginti auri pondo solvere ; eorumque Officia, hoc est forenses administros, totidem : urbium denique magistratus ac defensores, si vel ea mandata servare neglexerint, vel Ecclesias ipsis præsentibus vexari passi fuerint, eadem mulcta damnari. Quod ultimum ad eam sane pertinet Carthaginensis concilii postulationem, qua civitates ad suscipiendam Ecclesiarum tutelam obligari petierat. Ea lex nullam universæ Donatistarum sectæ pœnam irrogat, nec omnes eorum clericos exsilio, quemadmodum ab Honorio statutum fuisse docet Augustinus, afficit. Utrum hæc in edicto alio præcipere sat habuerit, an vero quæ exstat constitutio, ad nostram ætatem non integra pervenerit, nobis non constat. Præter leges pridie idus februarii anno quadringentesimo quinto datas, quas non obscure indicabat Honorius, cum secundo post anno quid de factione Donati sentiret, se nuper ostendisse profitebatur (*Ibid.*, *de Hæret.*, *lege* 40) ; aliam quoque tertio nonas martias ejusdem anni quadringentesimi quinti ad Diotimium Africæ proconsulem misit, qua ei mandabat, ut missum a se in Africam Unitatis edictum, quo omnibus innotesceret, variis locis affigi curaret (*Ibid.*, *de Relig.*, *lege* 2 ). Idemque imperator sexto idus decembris proxime sequentis Diotimio nuntiat, ab omnibus, qui in hæresi Donatistarum deprehensi fuerint, mulctam lege constitutam sine ulla comperendinatione esse exigendam (*Ibid.*, *de Hæret.*, *lege* 39).

3. Theasii atque Evodii, quos contra Donatistarum factionem anno superiore ad Honorium miserat Carthaginense concilium, reditus in Africam jam proximus putabatur, cum Paulino per Celsum epistolam misit Augustinus (*Epist.* 80). Is ad eumdem sanctum nuper epistolam aliam de quadam quæstione dederat, quam ille quidem nimis cursim et breviter, sed plane christiana mente ac pietate dissolverat, affirmando ita se Nolæ, ubi degebat, manere statuisse, ut si quid aliud a se Deus expeteret, ejus voluntatem suæ anteponere paratus esset. Perbrevem hancce responsionem videtur Paulinus Celso cuidam tradidisse ; qua necdum accepta, ad eumdem rursus Augustinus per Fortunatianum Hipponensem presbyterum Romam id temporis petentem scripserat. Epistolæ autem illæ tres, scilicet una Paulini, et Augustini duæ, exciderunt. Celsus ea mente Hipponem venerat, ut in Augustini familiaritate dies aliquot traduceret. Verum occasionem navigii nactus, sanctum Præsulem sero admodum monuit, se postridie discessurum, rogans ut sibi ad Paulinum responsionem daret. Epistolam ergo propere dictavit Augustinus : in qua Paulinum orat, ut, qua ratione divinam voluntatem internoscere possimus in illa actione inter plures bonas seligenda, quam a nobis Deus postulet, atque adeo quam nos ejus voluntati obtemperaturos cæteris præferre oporteat, sibi significet : in hoc enim non falli, atque in peccata, quæ ignoremus, non labi, fatetur difficile. Ei se uberius scripturum pollicetur,

ubi primum Theasius ac Evodius, quorum in dies singulos exspectabatur adventus, rediissent, ipseque eum in istorum episcoporum mentibus ac verbis conspexisset. Reversi sunt, ut credere licet, mense martio, vel saltem aprili, quando leges in Donatistas pridie idus februarii jam concessæ atque obsignatæ erant.

4. *Jamvero*, narrat Augustinus, *cum ipsæ leges venissent in Africam, præcipue illi qui quærebant occasionem, aut sævitiam furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt. Multi etiam, qui sola illic a parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa hæresis haberet, nunquam antea cogitaverant, nunquam quærere et considerare voluerant; mox ubi cœperunt advertere, et nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultate catholici facti sunt: docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium præcedentium auctoritatem et persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per se ipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem, et catholicam veritatem. Ita cum magna agmina populorum vera mater in sinum gaudens reciperet, remanserunt turbæ duræ, et in illa peste infelici animositate sistentes. Ex his quoque plurimi simulando communicaverunt, alii paucitate latuerunt. Sed illi qui simulabant, paulatim assuescendo, et prædicationem veritatis audiendo, maxime post collationem et disputationem quæ inter nos et episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti sunt. In quibusdam vero locis, ubi pertinacior et impatior prævaluit multitudo, cui resistere non poterant pauciores, quorum erat melior de communione sententia, aut turbæ auctoritati paucorum potentiorum subditæ in malam partem obtemperarunt, aliquanto diutius laboratum est* (*Epist.* 185, *nn.* 29, 30). In epistola quoque ad Vincentium ante Collationem, ut quidem videtur, scripta, sanctus Antistes adhuc uberius explicat, quantum utilitatis Ecclesiæ severitas earum legum attulerit : quædam inde verba subjecisse sufficiet. *De multorum*, ait, *jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem catholicam tenent atque defendunt, et a pristino errore se liberatos esse lætantur, ut eos cum magna gratulatione miremur.* Et paulo infra : *O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circumcellionibus quam multos jam catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam et miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quidquid inquieta temeritate faciebant!* (*Epist.* 93, *nn.* 1, 2) etc. *Multi eorum, quorum jam in unitate Christi, pium fidei fervorem charitatemque miramur, cum magna lætitia Deo gratias agunt, quod illo errore caruerunt, ubi mala ista bona putaverunt : quas gratias modo volentes non agerent, nisi prius etiam nolentes ab illa nefaria societate discederent. Quid de illis dicamus, qui nobis quotidie confitentur, quod jam olim volebant esse catholici; sed inter eos habitabant, inter quos id quod volebant esse non poterant per infirmitatem timoris, ubi si unum verbum pro Catholica dicerent, et ipsi et domus eorum funditus everterentur?* (*Epist.* 185, *n.* 15). In Cresconium etiam scribens dicit Ecclesiam catholicam quaquaversum diffundi ac dilatari, cum in ipsa Africa pars Donati in dies magis magisque minuatur (*Contra Cresconium, lib.* 3, *n.* 71). *Nam si posses videre*, inquit, *quam longe lateque Africam error iste pervaserat, et quam pauca ejus remanserint, quæ nondum in pacem catholicam correcta transierunt; nullo modo assertorum christianæ pacis et unitatis infructuosam et inanem arbitrareris instantiam* (*Ibid., lib.* 1, *n.* 7). Ad anni quadringentesimi octavi finem in hæc verba loquitur: *Multum sane de quorumdam, neque paucorum, fide firma et stabili gratulamur, qui ex occasione legum ipsarum ad Christianam religionem vel catholicam pacem conversi sunt; pro quorum salute sempiterna nos in hac temporali etiam periclitari delectat. Propterea enim maxime ab hominibus ninium dureque perversis, nunc inimicitiarum graviores impetus sustinemus, quos nonnulli eorum nobiscum patientissime sustinent* (*Epist.* 97, *n.* 4). Fatebantur quam plurimi, hoc sibi gratissimum accidisse, ut ad redeundum in sinum Ecclesiæ cogerentur, ac sic reditu suo Circumcellionum vexationibus causam nullam præberent (*Epist.* 105, *n.* 5). Quin etiam eorum qui non ex animo, sed ex mero timore partem Donati abdicare videbantur, non pauci in sequentium temporum difficultate majorem constantiam præ se tulerunt, quam qui nunquam a catholica veritate desciverant (*Epist.* 89, *n.* 7). Sic *multi*, inquit Augustinus, *per illas leges correcti sunt, et quotidie corriguntur; et se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos, gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur; et in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus ne illi pereant, excitantur* (*Epist.* 185, *n.* 7). *Multis etiam profuit* (quod experimentis probavimus et probamus), *prius timore vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari* (*Ibid.*, *n.* 21). Atque illi sunt fructus, quos peperit paterna illa severitas cum ea institutione conjuncta, qua Ecclesia redeuntes, præsertim Augustini lingua et calamo imbuebat. *Si enim*, ait idem sanctus, *terrerentur, et non docerentur; improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur, et non terrerentur; vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur* (*Epist.* 93, *n.* 3).

5. Non igitur sine causa Idacii fasti unitatem inter Catholicos ac Donatistas hoc anno factam memorant. Cœpta est primum Carthagine ante decimum kalendas septembris (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 94), non quidem omnium Donatistarum, cum semper Carthaginensis episcopi titulum sibi Primianus arrogaverit, at certe non exigui eorum numeri conversione : ereptis præterea, quas obtinebant, sacris ædibus, quæ vel Catholicis traderentur, vel saltem occluderentur, quod jam ante in Hipponensi diœcesi factum fuisse reperimus (*Epist.* 139, *n.* 2). Post factam sive cœptam unitatem habitum fuit decimo kalendas septembris in

basilica Regionis secundæ Carthaginense concilium ; quod Africæ totius fuisse vel ex die solo satis superque declaratur : quam rem etiam probat legationum ex omnibus provinciis ad synodum mittendarum facta mentio. Placuit per litteras rogare provinciarum præfectos, ut ad componendam per totam Africam, quæ nonnisi Carthagine tunc temporis redintegrata erat, concordiam laborarent ; item ad Comitatum, id est, ad Imperatorem ejusque ministros, scribere, ut ei gratiæ, ob expulsos Donatistas, totius Africæ nomine agerentur (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 94). Qui vero litteras illas deferrent, electi sunt duo, non quidem episcopi, sed tantum clerici : eo quod epistola Innocentii papæ, quam procul dubio a legatis superioris concilii allatam in hoc recitarant, Africani antistites monebantur, ne facile episcopos in Italiam proficisci paterentur. Qua de re præsules concilii sive legati, idem plane cum Innocentio senserunt. Ex quo licet conjicere, episcoporum transmarinam profectionem, tametsi illi Donatistarum vexationibus coacti ad Imperatorem perfugissent, reprehensione tamen non caruisse. Nullus autem est ambigendi locus, quin huic generali concilio Augustinus, non secus ac prioribus aliis, interfuerit.

## CAPUT II.

1 *Hipponensium Donatistarum immanitas* 2 *Cæciliani præsidium implorat Augustinus.* 3 *Schismaticorum in reliqua Africa furor.* 4 *Sanguine illorum manibus fuso floret Ecclesia.* 5 *Legatos ad Imperatorem mittunt Donatistæ.* 6 *De illorum injuriis apud Januarium queruntur Hipponenses clerici.*

1. Si quid fiduciæ in causa sua reposuissent Donati sectatores; cum se tantopere vi legum imperialium urgeri viderunt, amplectendum illis Catholicorum exemplum fuerat : ita ut ipsos ad colloquium, veritatis illustrandæ gratia, provocarent (*Epist.* 88, *n.* 7). Verum hac ratione agendi neglecta, viam plane contrariam inierunt, statueruntque pluribus adhuc, quam antea, facinoribus debacchari, et leges eodem illo furore conculcare, quo iis ferendis causam præbuerant (*Epist.* 108, *n.* 18). *Quotidie vestrorum*, inquit Augustinus, *incredibilia patimur facta clericorum et Circumcellionum, multo pejora quam quorumlibet latronum atque prædonum. Namque horrendis armati cujusque generis telis, terribiliter vagando, non dico ecclesiasticam, sed ipsam humanam quietem pacemque perturbant. Nocturnis aggressionibus clericorum catholicorum invasas domos nudas atque inanes derelinquunt. Ipsos etiam raptos, et fustibus tunsos, ferroque concisos, semivivos abjiciunt. Insuper novo et antehac inaudito sceleris genere, oculis eorum calcem aceto permixto infundentes et infercientes, quos evellere compendio poterant, excruciare amplius eligunt, quam citius excæcare. Nam primo tantum calce ad hoc facinus utebantur; sed posteaquam illos quibus hoc fecerant, cito salutem reparasse didicerunt, acetum addiderunt* (*Contra Crescon.*, *lib.* 3, *n.* 46). Præcipue vero in Hipponensi diœcesi feritatem illam exercuerunt, barbaris ipsis incognitam (*Epist.* 111, *n.* 1). Quapropter Hipponenses clerici ea de re anno sequenti apud Primatem Donatistarum expostularunt. *Vivunt ut latrones*, aiunt illi, *moriuntur ut Circumcelliones, honorantur ut martyres, et tamen nec latrones aliquando audivimus, eos quos deprædati sunt, excæcasse. Occisos auferunt luci, non vivis auferunt lucem* (*Epist.* 88, *n.* 8). Illis in Collatione exprobrata est ea diritas, tanquam quæ quodam modo ipsius dæmonis in Job crudelitatem superaret (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 22, *et Collat. Carthag.* 3, *cap.* 298). *Membra etiam cætera plagis horrendis vulneribusque sauciarunt. Deprædantur etiam domos aliquas, et incendunt : fructus aridos diripiunt, humidos fundunt* (*Epist.* 111, *n.* 1). *Arma sibi ingentia et terribilia fabricarunt, quibus armati per diversa discurrunt, comminantes atque anhelantes cædes, rapinas, incendia, cæcitates* (*Epist.* 88, *n.* 8). Quo terrore in animos hominum injecto, complures adeo percellebant, ut se paterentur iterato Baptismate funestari (*Epist.* 111, *n.* 8). Ita fiebat, ut inter gravissimas leges, quæ fuerant in eos promulgatæ, ac de quibus perinde ac de vexatione dirissima querebantur, non modo in possessionibus et suis et alienis securi sederent, verum et orthodoxos, supra quam credi possit, afflictarent. *Insuper etiam*, narrant Hipponenses clerici, *si quas mortes sibi ultro ingerunt, nobis volunt esse invidiosas, vobis gloriosas. Quod nobis faciunt, sibi non imputant; et quod sibi faciunt, nobis imputant* (*Epist.* 88, *n.* 8). Tantæ tamque inauditæ feritatis, qua vel apud ipsos partium suarum sectatores in invidiam vocabantur, legum timor non tam causa erat, quam dolor ex profectu catholicæ Ecclesiæ, quam Augustini præsertim conciones assiduæ mirum in modum amplificabant. *Dum enim*, scribit Possidius, *verbum Dei sedulo prædicaretur, et cum his qui oderant pacem, pacis ratio haberetur; illi loquentem debellabant gratis. Et cum adversus eorum dogma veritas innotesceret, qui volebant, et poterant, sese inde vel eripiebant, vel subducebant, et paci atque unitati Ecclesiæ, cum suis quibus poterant, cohærebant. Unde illi sui erroris congregationes minui videntes, atque augmentis Ecclesiæ invidentes, accensi exardescebant ira gravissima, et intolerabiles persecutiones unitati Ecclesiæ compacti faciebant* (*Possidius, in Vita August. c.* 10).

2. Tunc temporis cum per agros Hipponi vicinos acerrima fureret hæreticorum audacia, datæ sunt illæ ad Cæcilianum litteræ (*Epist.* 86), quibus eum rogat Augustinus, ut eam, qua in Africa pollebat, auctoritatem, non quidem ad ulciscendas justa severitate injurias, verum ad sanandos earum auctores adhibito terrore conferret. Ilic ille Cæcilianus anno quadringentesimo nono prætorio præfectus fuit. Ad eumdem Augustinus sub finem anni quadringentesimi decimi tertii scripsit, tanquam ad virum apud se magno in honore habitum, sibique benevolentia devinctum plane singulari (*Epist.* 151). Christianam religionem inter catechumenos profitebatur, ac sibi demandatum in Africa munus cum non mediocri diligentiæ ac pietatis fama gerebat. Edictum jam tulerat severum admodum in Donatistas, quo variis in Africæ locis schismaticorum cum Ecclesia reconciliationem egregie promovit.

At hujusce edicti fructus nondum Hipponem nec in alia loca Numidiæ Hipponi confinia pervenerat. Itaque sanctus Præsul nolens in re tanti momenti negligentiæ insimulari, petiit per litteras a Cæciliano, ut eam quoque regionem juvaret : presbyterumque misit, ex quo quantopere urgeret necessitas, certior fieret. Eum autem alloquitur, quasi qui nondum in ejus cognitionem devenisset. Dubitare nemo possit, quin ea tempestate in Africa versaretur, atque illam provinciam administraret Cæcilianus : unde colligas id nec anno quadringentesimo nono tribuendum, quo idem ipse in Italia prætorio præfectus erat, nec anno quadringentesimo decimo tertio, quo munus aliquod ibi eum obtinuisse minime comperimus. Etenim verisimile vix cuiquam videatur, ipsum post adeptam præfecti prætorio dignitatem provinciæ ulli præfuisse. At eumdem anno quadri gentesimo quarto gessisse honorem vicarii animadvertunt (*Gothofr. Cod. Theod. tit.* 6, *p.* 354). Unde anno quadringentesimo quinto non absurde eodem officio in Africa functus existimari potest. Non enim epistolam illam anno quadringentesimo quarto, ante Honorii leges ponere licet.

3. Donatistarum effrenatus furor haud Hipponensis regionis finibus circumscribebatur : ejus quoque nefaria vestigia per alios Africæ tractus exstabant. Siquidem apud Bagaium, cujus urbis, ut nobis quidem videtur, Maximianus ille ab ipsis adeo male mulctatus, episcopus erat, dictu horrenda perpetrarunt ( *Brevic. Collat.* 3, *n.* 23). Illic basilica ab ipsis incensa est, nec non in ignem conjecti sacri codices, quos grassante Diocletiani persecutione ab se servatos tantopere gloriabantur : judex ipse, dum eorum vim atque impetus compescere niteretur, in propriæ salutis discrimen adductus est ; ita ut, cum ille coactus esset illatam vim vi atque armis repellere, nonnulli ex iis interfecti sint. Quod cum in Collatione exaggerarent (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 258), dictitantes, Catholicos causam præbuisse, cur multorum Christianorum sanguis funderetur (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 13), quamvis leves essent istiusmodi pœnæ præ damnis, quæ ipsi priores intulerant : responsum est a Catholicis, eos hoc passos esse, dum eorum violentiæ resisteretur, quam et judici inferre conati erant (*Ibid.*, *n.* 23). Ad Bagaianam haucce vastitatem possunt spectare illa Augustini verba : *Nam quanta mala nostris fecerint furiosissimi clerici et Circumcelliones partis Donati, nostis et vos. Incensæ sunt ecclesiæ, missi in flammas codices sancti, incensæ etiam privatæ domus, rapti homines de sedibus suis, et omnibus quæ inerant ablatis, aut perditis, ipsi cæsi, laniati, excæcati : nec ab homicidio potuit temperari ; quamvis sit mitius huic luci morientem, quam istam lucem auferre viventi. Ventum est ad homines, non ut retenti aliquo ducerentur, sed tantum ut ista paterentur. Nec tamen nostros ideo justificamus, quia ista perpessi sunt ; sed quia pro christiana veritate, pro Christi pace, pro Ecclesiæ unitate perpessi sunt* (*Ad Donat., post Collat., n.* 22 ). Gorgonius plebis Liberaliensis episcopus in Collatione questus est, ecclesiam suam ab hæreticis solo æquatam fuisse (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 133). Questus est quoque Fortunatus Cirtensis, altaria omnia in civitate ab iisdem fuisse confracta (*Ibid.*, *cap.* 139). Aurelius Macomadiensis occisum Rotariensem episcopum, ejusque ecclesiam ab ipsis per vim occupatam esse deploravit (*Ibid.*, *cap.* 187). Cum populi Cæsarianæ pars quædam ab hæreticis defecisset, Cresconius ibi Donatistarum episcopus presbyterum catholicum, a quo fideles regebantur, variis suppliciis affecit, quæcumque vel ille vel illius ecclesia possidebat, diripuit, pecuniam quoque ac frumentum Ecclesiæ abstulit, et plaustra his prædationibus onusta deduxit (*Ibid.*, *cap.* 188). Pudentianæ sacras Catholicorum ædes everterunt, earumque ornamenta omnia abstulerunt : et Cresconius ibidem illorum episcopus, uno atque eodem loco quatuor basilicas diruit. Cum autem compulsi illorum furore ac violentia Catholici præsidium magistratuum frangendis eorum conatibus implorassent ; inde quædam necessario contigere molesta et odiosa, ob quæ in Collatione graviter conquesti sunt Donatistæ (*Ibid.*, *cap.* 201). Hæc profecto eveniebant præter voluntatem consiliumque bonorum ac præcipuorum e Catholicis : quippe qui leges, quibus semet tuerentur, non quibus adversarios persequerentur, postulaverant. *Nos interim*, aiunt Hipponenses, *si quando vestros tenemus, cum magna dilectione servamus illæsos : loquimur illis, et legimus omnia, quibus error ipse convincitur, qui fratres a fratribus separat. Ac sic aliquos eorum, considerantes evidentiam veritatis et pulchritudinem pacis, non Baptismo, quem jam sicut regalem characterem tanquam desertores acceperant, sed fidei quæ illis defuit, et Spiritus sancti charitati et Christi corpori sociamus. Si autem vel nimia duritia, vel pudore, non ferentes eorum insultationem, cum quibus contra nos tam multa falsa jactabant, et tam multa mala excogitabant, vel magis timore, ne qualia nobis antea faciebant, talia nobiscum jam patiantur, unitati Christi consentire noluerint ; sicut illæsi retenti sunt, sic a nobis dimittuntur illæsi. Hoc, quantum possumus, monemus etiam laicos nostros, ut eos illæsos teneant, et nobis corripiendos instruendosque perducant. Sed aliqui nos audiunt, et si possunt faciunt. Alii cum illis quemadmodum cum latronibus agunt, quia eos revera tales patiuntur. Aliqui ictus eorum suis corporibus imminentes feriendo repellunt, ne ab eis ante feriantur : aliqui apprehensos judicibus offerunt, nec nobis intercedentibus eis parcunt, dum ab eis pati mala immania pertimescunt. In quibus omnibus illi non deponunt facta latronum, et honorem sibi exigunt martyrum* (*Epist.* 88, *n.* 9).

4. Cæterum Deus etiam tum iis damnis, quæ Donatistarum furor Catholicis infligebat, vocem illam pluribus ante annis pronuntiatam comprobavit, sanguinem videlicet martyrum semen esse Christianorum. Quod et Augustinus testatur his verbis : *Nos hujusmodi afflictos malis consequens consolatus est fructus. Nam ubicumque a perditis ista commissa sunt, ibi fervventius atque perfectius unitas christiana profecit ; et uberius laudatur Dominus, qui donare dignatus est, ut servi ejus passionibus suis lucrarentur fratres suos, et oves ejus mortifero errore dispersas in pacem salutis*

*æternæ suo sanguine congregarent* (*Epist.* 185, *n.* 31). Id certe præsertim laboribus Augustini, membri inter alia omnia, quibus mysticum Domini corpus constabat, præcipui contigit. Is indefessa cura promovendis Ecclesiæ rebus invigilabat, eamque lætitiam divina benignitate adeptus est, ut superstes adhuc sudorum suorum fructus perciperet, ac pacem atque concordiam primum Hippone, cujus urbis ac diœceseos ei præcipue demandata erat cura, constitutam cerneret; deinde per totam Africam, ubi cum per se ipsum, tum per episcopos, quos ex sua institutione ac disciplina ei dederat, Ecclesiæ magnum incrementum attulit (*Possid., in Vita August., c.* 18). Hoc tamen opus in sua diœcesi non nisi multis post annis absolvit: ac de præsenti id tantummodo cognoscere est, basilicam quæ illic Donatistarum fuerat, illis tunc aut post paulum ereptam esse (*Retract. libro* 2, *cap.* 27). Cirtensis Ecclesia, tam dirum in modum ab hæreticis vexata, pariter argumento fuit plurimum apud Deum valuisse servorum suorum pœnas, quarum haud dubie intuitu ac merito Donatistas illius loci ad catholicam unitatem demum reduxit (*Epist.* 144). At illud ante annum quadringentesimum duodecimum contigisse non videtur. Ex Collatione quoque discimus, Libertinæ schismaticos omnes, nemine excepto, ad Ecclesiam rediisse (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 116). Idem fuerat a plebe Bazaritana factum; ita ut Calipotius eorum episcopus cum omnes a se defecisse conspiceret, alio commigrare fuerit coactus (*Ibid., cap.* 129).

5. Non alia sane de causa mare trajecerunt, et coram præfecto prætorii sisterunt sese nonnulli ex Donatistarum episcopis, quam ut legum latarum in ipsos mitigari severitatem rogarent (*Epist.* 88, *n.* 10). Horum e numero Maximinum Sinitensem fuisse opinamur. Antequam autem is ex transmarina peregrinatione rediisset, Augustinus presbyterum Sinitum misit, ut Catholicorum ejus loci curam gereret, atque illic in sui juris domo positus injuria nemini illata catholicam pacem annuntiaret iis, quos eam audire delectaret: verum hæretici presbyterum crudeliter habitum hinc tandem ejecerunt (*Epist.* 105, *n.* 4). Episcopi Donatistæ, qui ad Comitatum venerant, ad tribunal prætoris adierunt, utque audirentur, et quidem in colloquio cum Valentino catholico episcopo ibi tunc reperto, magnopere flagitarunt, se non aliam ob rem venisse affirmantes (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 124). Gesta de hoc negotio confecta sunt Ravennæ tertio kalendas februarias anno quadringentesimo sexto (*Ibid., cap.* 141). Eorum exemplum ex archivis transcribendum curarunt Catholici, quod in Carthaginensi collatione, ut hanc utrimque petitam fuisse ostenderent, recitari postularunt. Quapropter huic tempori adscribenda sunt illa Augustini apud Collationem verba: *Cum nuper in Comitatum venissent quidam illorum, apud acta etiam præfectoria dixerunt, audiri se velle, discuti velle* (*Ibid., cap.* 110). Tunc igitur instabant illi, ut Valentinus catholicus antistes, qui tum apud Imperatorem aderat, secum disceptaret (*Epist.* 88, *n.* 10). At episcopus ille non eo consilio huc venerat, ut cum iis sermonem conferret, neque a coepiscopis suis ullum hac de re mandatum acceperat: ipseque adeo præfectus, quo judice hæc agebantur, nulla auctoritate ad colloquium illud concedendum pollebat; eique, ut ex legibus adversus Donatistas latis pronuntiaret, necesse erat. Interea assensus ille habendæ collationi sic ab ipsis præbitus, in rem Catholicorum cessit; qui hoc titulo ad illam ab Imperatore obtinendam, licet nonnisi quatuor abhinc annis, opportune usi sunt (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 110, *et Brevic. Collat., capp.* 4, 5). Nam et Marcellinus in edicto, quod ineunte anno quadringentesimo undecimo convocandæ Collationis causa promulgavit, Donatistas eam ante brevissimum tempus apud Præfectorum tribunal petiisse testatur: et narrat Augustinus, illos causæ propriæ apud gesta præfectoria inconsultis ac temerariis quibusdam responsis nocuisse, eamque ob rem summa cura, ne in Collatione recitarentur, cavisse (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 5). In iisdem gestis Donatistarum vocabulum, quod illi postea repudiarunt, sibimet imponebant (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 31).

6. Porro Maximinus Sinitensis post hoc iter unitatem catholicam amplexus est, quod supra observavimus (*Lib.* 3, *cap.* 9, *n.* 6). Post illam quoque Donatistarum legationem factum est, ut de vexationibus Circumcellionum quererentur apud Donatistas ipsos clerici Hipponenses, epistola hanc in rem ad Januarium illorum in Numidia primatem data (*Epist.* 88): cujus auctorem Augustinum stilus indicat. In hac primo ostenditur ex historia Cæciliani in compendium redacta, controversiam illam ad imperatores prius a Donatistis, quam a Catholicis delatam; atque idcirco nihil esse cur iisdem Catholicis, quod Honorii opem implorarint, vitio vertant: secundo, ferendis adversus eos legibus causam præbuisse Circumcellionum immanitates: tertio, has easdem leges impedimento non esse, quominus Donatistæ perhumaniter habeantur a Catholicis, cum hos contra illi quibuslibet damnis afficiant, malum pro bono rependentes. Ibi quoque calcis atque aceti, cæterarumque crudelitatum mentio fit. Quibus subjungunt, hoc sibi in desiderio esse, ut cum episcopis catholicis pacifice conferant Donatistæ, quo discidium tollatur, non homines; seu quo homines non puniantur, sed corrigantur: illos quidem suam de colloquio voluntatem apud præfectos nequidquam professos esse, quia hoc eis propter leges jam latas judex concedere non poterat; sed apud Imperatorem non frustra id tentaturos, qui non obstrictus eisdem legibus, alias ferre in potestate haberet: cæterum collationem hanc se tantopere flagitare, non ut causa jam olim terminata iterum finiatur, sed ut eis qui nesciunt, jam finita monstretur. Sin talem disceptandi rationem minus probent, rogant ut saltem Hipponenses clericos coram se cum Donatistis ejusdem loci disputantes audiant, ac, si quid a veritate abhorrere videantur, eos doceant; aut denique sive per se ipsos, sive per alios in nefaria facinora, quæ a suorum Circumcellionum exercitu perpetrantur, inquirant: ac ipsos ab cædibus, ab rapinis, ab excæca-

tione, si quidem ab illorum damnatione sibi temperandum putent, saltem prohibeant. His porro verbis epistolam claudunt : *Si autem querelas nostras contempseritis, nos minime pœnitebit ordine pacifico agere voluisse. Aderit Dominus Ecclesiæ suæ, ut vos potius humilitatem nostram contempsisse pœniteat.* (*Ibid.*, *n.* 12).

## CAPUT III.

1 *In Cresconium scribit Augustinus.* 2 *Paulum Cataquensem ad vivendi rationem episcopo dignam reducere frustra satagit.* 3 *Scribit ad Emeritum, dolens eum schismate implicitum.* 4 *Opuscula tunc forte edita contra Donatistas tria.* 5 *Liber de Divinatione dæmonum.* 6 *Sex quæstiones expositæ contra Paganos, ad presbyterum Deogratias.* 7 *Expositio Epistolæ Jacobi ad duodecim tribus.* 8 *Liber de Unico Baptismo, ad Constantinum.*

1. Testatur quoque Augustinus in suis adversus Cresconium libris Catholicos expetiisse, ut in colloquium venirent secum Donatistæ ( *Contra Crescon.*, *lib.* 4, *n.* 83 ), quibus jam finitam esse causam demonstrarent ( *Ibid. lib.* 1, *n.* 6 ). Leges adversus hæreticos illos ab Honorio jam quidem latæ ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 26 ), verumtamen adhuc recentes erant, cum opus hoc elucubravit ( *Contra Crescon.*, *lib.* 3, *n.* 51 ) ; jamque illi Catholicos ob eas leges non minus calce et aceto, quam ferro et igne divexabant ( *Ibid.*, *n.* 46 ). Cresconius ille de secta Donatistarum erat, ex laicorum ordine ( *Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 1 ), professione grammaticus ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 26 ). Is cum Augustini librum in Petiliani litteras primum evolvisset, ea qua mediocriter instructus erat, scribendi facultate fretus, partes suas adversus Augustinum defendendas (*Contra Crescon.*, *lib.* 1, *n.* 2), necnon propugnandam Petiliani epistolam suscepit ( *Ibid.*, *lib.* 4, *n.* 1 ). Quamvis autem Cresconius opusculum suum Augustino inscripsisset, ad ipsum tamen nonnisi multo postquam fuerat vulgatum pervenit ( *Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 1 ). Tum putavit Augustinus esse et urbanitatis, auctori rescribere ; et officii ac muneris sui, defensionem veritatis non detrectare. Ergo Cresconium quatuor libris confutavit : quorum in primo minime probandam esse docet simulatam illam Donatistarum modestiam, qua cum Catholicis disceptare de discidii causa nolebant ; tum deinde, nullius vel adversarii eloquentiam vel dialecticam assertoribus veritatis esse metuendam. Ostendit præterea, tametsi Donatistarum Baptisma verum esse Catholici concedant, hinc tamen colligi non posse, illud recte accipi ab iisdem schismaticis. In secundo demonstrat, nihil a Cresconio dictum, quo suus adversus Petilianum liber refellatur ; quamvis forte ab illo didicerit non Donatistas ex Donato recte dici, sed Donatianos ; et alias quasdam grammaticales nugas, quibus ille immorabatur ( *Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 2 ). Ubi iis Cresconii dictis, quæ majoris momenti videbantur, satisfecit ; ne imperitiores aliquid ab eo sine responsione prætermissum putarent ; tertium adjecit librum in reliqua capita opusculi ab illo conscripti. In quarto demum libro illud de integro ex sola Maximianistarum historia a capite ad calcem dissolvit.

2. Epistolam ad Paulum episcopum non ante hoc tempus scriptam fuisse vel inde colligas, quod is cui inscribitur, multos ad Ecclesiam catholicam reduxisse laudatur ( *Epist.* 85, *n.* 1 ). Quia porro Paulum Christo genuerat Augustinus, idcirco illius agendi ratio præcipuo quodam jure ad suam Hipponensisque Ecclesiæ curam spectare putabat. Is si, quemadmodum censet Holstenius, ac res ipsa videtur persuadere, idem sit, atque ille Paulus de quo mentionem facit in epistola ad Olympium ( *Epist.* 96, *n.* 2), Cataquæ in Numidia episcopalem dignitatem gessit ( *Epist.* 97, *n.* 3 ). Hanc autem postquam est adeptus, Augustino multo plus doloris attulit, quam solatii. Etenim si non paucos e Donatistis in Ecclesiæ sinum collegit, adhuc longe plures inde corruptione morum dispersit. Ita vivebat mundanis negotiis implicatus, ut ab illo episcopatum quæstuosæ artis loco haberi dixisses ( *Epist.* 85, *nn.* 1, 2 ). Ac Deus quidem ut Paulo, si tamen ulla in eo intelligentia fuisset, commonstraret, præter animi divitias, quarum causa fuerat ad episcopatum adoptatus, nullas alias quærendas esse, fecit ut ne quem e quæstibus odiosis fructum caperet : adeo ut nominibus, quæ fisco debebat, solvendis impar, rebus omnibus suis cedere coactus sit ( *Epist.* 96, *n.* 2). Atqui nihilo secius institutum antea commercium, contra ipsarummet humanarum legum ordinem, repetiit, haud dubie cujusdam tunc temporis potentissimi, forsan Bathanarii, præsidio fretus. Atque ita magis magisque negotiis sese immersit, eamque arripuit vitæ rationem, quam Ecclesiæ suæ tenuitas sustinere nullo modo poterat. Arbitratus est Augustinus sese ei, quem in Christo per Evangelium pepererat, magis quam alii debere salubrem mordacitatem charitatis, veraciter objurgando ( *Epist.* 85, *n.* 1 ). Quocirca eum monitis omnibus, quæ eo conducere putavit, sanare conatus est. Verum frustra fuit. Itaque ab ejus, licet a nullo ecclesiastico judice damnati, communione semet sanctus Vir segregavit, tametsi ei fratris, collegæ, atque episcopi titulum minime ademit. Augustini communionem per litteras poposcit Paulus, atque simul questus est, ipsum, quem etiam inexorabilem vocat, iis plus æquo credere, qui secum apertas inimicitias semper gesserant. Hac ipsa de causa epistolam, qua de agitur, severitatis juxta et charitatis plenam ad eum Augustinus scripsit. Cum eo se idcirco communicare nolle profitetur, quia ut ei aduletur, adduci non potest : cum necesse sit ipsum, si quidem vulneribus, quæ Hipponensi Ecclesiæ inflixit, mederi velit, a Domino curis et sarcinis sæcularibus expediri, atque ad vitam victumque revocari episcopali ordini convenientem. Procul dubio non multum fructus edidit hæc epistola ; quando Augustinus de hoc præsule, etiam vita functo, parum honorifice loquitur. Narrat eum, quo tempore cedere bonis coactus est, aliquanta pecunia, quæ illi debebatur, recepta, ex agellis præconis voce subjectis nonnullos tanquam Ecclesiæ suæ sub domus tum potentissimæ nomine comparasse ; ut etiam ex ipsis, cum more suo nil fisco solveret, nullas exactorum molestias patere-

tur (*Epist.* 96, *n.* 2). Hæc deinde prædia successori illius Bonifacio relicta. Quæ quidem ille sine ulla forsitan controversia retinere poterat : sed ut erat sincerioris homo fidei, timuit ne coram Deo fraudis et injustitiæ particeps haberetur. Quapropter maluit ingenue et aperte fateri, relictos sibi a præcessore fundos pecunia ærario debita emptos fuisse. Bonifacius autem jam inde a mense augusto anni quadringentesimi octavi ad episcopatum, ut suo loco dicemus, ascitus fuerat.

3. Nihil est dubii, quin severiores illas anni quadringentesimi quinti leges in Donatistas jam tum Honorius tulisset, cum Augustinus epistolam ad Emeritum Donatistarum Cæsareensem episcopum scripsit (*Epist.* 87, *n.* 8). Neque minus constat eam prius scriptam esse, quam habeatur Collatio, ubi Emeritus ille partis suæ causam tam acriter, quam quisquam alius, defendit ; quandoquidem enm Augustinus nonnisi ex fama cognitum sibi esse, in prædicta epistola testatur (*Ibid.*, *n.* 1 ). Fuerat apud schismaticos Baptismo initiatus, nec unquam in Ecclesiæ catholicæ gremio constitutus (*Sermone ad Cæsar. Ecclesiæ plebem*, *n.* 2). Ea erat illius apud suos auctoritas, ut etiam celebrem illam Bagaiensis concilii sententiam contra Maximianistas anno supra trecentesimum nonagesimo quarto composuisse creditus sit ( *De Gestis cum Emerito*, *n.* 10 ). Habebatur felici præditus ingenio, honestis disciplinis excultus, liberaliter educatus (*Epist.* 85, *nn.* 1, 10 ). Violentis suorum conatibus infensus erat, ac tantæ denique probitatis, quanta in schismatico inesse posset. Augustinus iis, quæ de illo cum laude spargebantur, fidem non invitus habuit ; quinimo ut ea veritati congruerent, optavit. Etenim præcipuo quodam studio in eos propendebat, qui tales essent, qualis apud se depingebatur Emeritus : cumque illos crasso quopiam errore constrictos cernebat, quo mirabatur magis, hoc magis in illorum cognitionem atque colloquium venire cupiebat, ut eos ab hocce vitio liberaret. Quod ipsum in causa fuit, cur semel ac iterum ad eumdem Emeritum scriberet, quamvis magno locorum intervallo disjunctum : cum a viris fide dignis accepisset, fore ut ille sibi rescriberet (*Ibid.*, *n.* 6 ). Possidius quoque binas ad hunc episcopum litteras notat ( *Possid.*, *in Indic.*, *cap.* 3) : quarum quidem primæ exciderunt. Cum nullam ad has responsionem accepisset Augustinus, incertusque esset, suane epistola, an Emeriti responsio periisset ; secundam illam, quæ adhuc superest, adjecit. In hac ostendit, quam nullius roboris essent, quæ in gratiam secessionis afferri poterant : et posteaquam Optati Gildoniani exemplo planum fecit, vel manifestissima, quæ in aliqua communione perpetrantur scelera, cum legitimis de causis tolerantur, non aliis, quam propriis auctoribus, maculam inurere ; eum ut sibi respondeat obtestatur. Utrum hac in re sancto Præsuli satisfecerit, nusquam legimus : verum postea insignem pervicaciam et obfirmatam in errore mentem præ cæteris Donatistis exhibuit.

4. Libris in Cresconium alia nonnulla adversus Donatistas opera, quæ nostra ætate desiderantur, subjungit Augustinus. Primum quidem ad Donatistas libellum direxit, quo quidquid ad decidendam secessionis causam faceret, acta scilicet omnia, tum ecclesiastica, tum civilia, necnon omnes sacrorum codicum locos eis se traditurum pollicebatur ; ut eos ad illa exposcenda impelleret. Ex iis, quorum in manus promissum illud incidit ( *Retract. libro* 2, *cap.* 27 ), quidam contrarium scriptum, in quo tantum se Donatistam nuncupabat, edidit. Quocirca suum Augustinus librum, quo eidem respondit, *Contra nescio quem Donatistam*, inscripsit ( *Ibid.*, *cap.* 28 ). Quæ autem promiserat, una cum libello, quo primum ea promissa fuerant, evulgans, totum hoc opus *Probationum et testimoniorum contra Donatistas* titulo donavit ( *Ibid.*, *cap.*27 ) ; utque magis vulgo innotesceret, illud basilicæ Donatistis non pridem ablatæ parietibus affixit. Cum vero lucubrationes paulo fusiores a plerisque nec legi quidem intellexisset : unam admodum brevem, pro innata sibi charitate, in lucem emisit, quo illius exscribendæ facilitas eam per plurium manus traduceret, efficeretque ut memoriæ nullo negotio mandaretur. Hujus opusculi titulus erat, *Admonitio Donatistarum de Maximianistis :* quod scilicet ex sola Maximianistarum historia demonstrabat, Donati factionem nullo fundamento, nulla veritate niti ( *Ibid.*, *cap.* 29 ).

5. Eadem tempestate librum suum de Divinatione seu prædictione dæmonum scripsit ( *Ibid.*, *cap.* 30 ) : cui occasionem dedit ejus cum laicis quibusdam christianis, qui apud eum magno numero aderant in diebus sanctis octavarum, quodam die mane ac priusquam divina mysteria celebrarentur, habita collocutio ( *De Divinatione dæmonum*, *nn.* 1, 6 ). Natum est argumentum ex rumore, quo destructio Serapidis templi, quod anno circiter trecentesimo octogesimo nono Theodosio imperante, Alexandriæ eversum est, prædicta a mago quodam ferebatur. Hoc autem in colloquio Augustinus prædictæ divinationis aliarumque similium, quæ prænuntiari a dæmonibus possunt, rationem afferre nisus est. Cum primum vero per otium licuit, quæ tunc temporis dicta fuerant, chartis mandavit. In extremo eodem libro promittit, si quid Ethnici iis, quæ ibidem disputavit, vellent opponere, se pro sua virili responsurum. Prius observat, idolorum cultum in dies singulos imminui, neque ullum esse annum, in quo non minor infidelium numerus, quam in superiore deprehendatur (*Ibid.*, *n.* 14).

6. Proximo postea loco in librorum suorum serie ponit Augustinus sex Quæstiones contra Paganos expositas ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 31 ) ; quod nihilominus opusculum in excusis codicibus relatum est inter ipsius epistolas (*Epist.* 102). Illud scribendi occasionem ipsi præbuit paganus quidam, quem cum eximie charum haberet, christianum fieri magnopere cupiebat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 31). Quasdam etiam ad eum litteras dederat, nec tamen ab eo quidquam ad illas responsi acceperat (*Epist.* 102, *n.* 1) ; perinde quasi hominem Augustin

sectatorem esse puduisset. Is demum presbytero Deo gratias, sex de religione quæstiones proposuit, quas partim se accepisse a Porphyrio philosopho jactabat. Porphyrium vero istum, a celeberrimo illo, natione Siculo, qui sub finem tertii sæculi vivebat, diversum putat Augustinus (*Retract. lib.* 2, *cap.* 31). Propositas quæstiones presbyter statim a Carthagine ad Augustinum misit, ex cujus ore solutionem illarum acciperc, quam ipsemet eam tradere malebat. Cui quidem hac in re sanctus Doctor morem gessit, licet per id temporis occupatissimus : sed eum tamen epistola opusculo suo præfixa rogat, ut ipse ethnico illi ad omnia respondere ne gravetur ; opusculum autem quod ipsi mittit, nonnisi iis quibus congruum judicaverit, ostendat. In extrema parte, cum præsentiret animo, eum qui quæstiones illas proposuisset, jam quidem de amplectenda Christi fide cogitare, sed prius quæ in Scripturis obscura sunt velle sibi explicari ; illum sedulo monendum duxit, ut jamjam christianus fiat, nec diutius hæreat in quæstionibus, quales quasdam proposuerat : *Ne forte*, inquit, *cum exspectat ante Librorum sanctorum finire quæstiones*, quam sit Christianus, *prius finiat vitam istam, quam transeat a morte ad vitam. Sunt enim innumerabiles, quæ non sunt finiendæ ante fidem, ne finiatur vita sine fide. Sea plane retenta jam fide, ad exercendam piam delectationem mentium fidelium studiosissime requirendæ, et quod in eis eluxerit, sine typho arrogantiæ communicandum ; quod autem latuerit, sine salutis dispendio tolerandum* ( *Epist.* 102, *n.* 38 ). Scriptionem illam proferebant Pelagiani, hoc in rem suam converti posse opinantes, quod ibidem legitur, Christum tunc voluisse hominibus apparere, et apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Verum docet Augustinus, id se tantum de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur ; cum aliunde, quidquid in eam rem facere posset, enucleandum suscipere nollet : cæterum ostendit haudquaquam illud ad Pelagianorum causam pertinere. Præterea nonnullas ejusdem loci dictiones, quamvis eas Pelagiani non objecissent, explanat (*De Prædest. sanctorum*, *n.* 17-20).

7. Jam vero in suis Retractationibus opusculo superiori subdit Expositionem Epistolæ Jacobi ad duodecim tribus (*Retract. lib.* 2, *cap.* 32) : quæ quidem nihil erat aliud, quam adnotationum ad marginem textus ab illo adscriptarum, diligentia fratrum suorum concinnata collectio ; et hinc tamen ad verborum hujus epistolæ intelligentiam, adjumenti nonnihil accedebat. Verum istud opus nostra memoria non exstat. Huic deinde tres libri de Peccatorum meritis ac remissione, quibus Christi gratiam contra Pelagianam hæresim propugnare tum primum aggressus est, ab eo proxime subjiciuntur (*Ibid.*, *cap.* 33) : cum tamen hos libros nisi post damnatum Cœlestium, hoc est, quemadmodum infra demonstrabitur, anno quadringentesimo duodecimo, non scripserit. Quod cum ita sit, eum hac in re temporum ordini minus institisse constat ; quandoquidem eosdem libros Collationis quoque breviculo, qui sane liber sub anni quadringentesimi undecimi finem, aut non ita multo post, editus est, longe præmittit.

8. Quod vero ad opus de unico Baptismo, de quo mox agit ( *Ibid.*, *cap.* 34 ), id Collationem præcessisse, vel hinc manifestum esset, quod in eo nulla mentio ejusdem Collationis exstat. Verum eamdem rem id præterea declarat, quod Donatistas probra, quæ Marcellino et aliquot aliis Romanis episcopis ingerebant, hic negat ullis eos testimoniis probare conatos ; qui tamen in Collatione nonnulla, tametsi commentitia, attulerunt (*De Unico Baptismo*, *n.* 27). Ibidem quoque in errore cujusdam facti hæret (*Ibid*, *n.* 28), cujus pene in omnium contra Donatistas librorum retractatione se ipse reprehendit ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 34) : nimirum quod Felicis Aptungensis judicium ei, quod in gratiam Cæciliani Constantinus tulit, postponat. De quo quidem in Collatione necdum certior erat factus : at illum suum errorem jam tum cum eamdem Collationem in compendium redegit, agnoverat (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 42), et sane ante decimum octavum kalendas julias anni quadringentesimi duodecimi Librum de Unico Baptismo, sive de Unitate Baptismi, eo animo composuit, ut alteri ejusdem inscriptionis responderet (*Retract. lib.* 2, *cap.* 34) : cujus auctor quem ferebant esse Petilianum Cirtensem, non posse Baptisma, nisi in secta Donatistarum, legitime administrari contendebat. Hoc libro præter ampullata verba, et incredibiles calumnias, nihil continebatur, quod esset consideratione aliqua dignum (*De Unico Baptismo*, *n.* 1 ). Ea siquidem auctor adducebat argumenta ac testimonia, quæ Catholicis potius faverent, quam suis (*Ibid.*, *n.* 10) Plures e Romanis episcopis idololatriæ, sed sine ulla probatione, arcessebat (*Ibid.*, *n.* 27). Quod autem catholicos Cirtensis Ecclesiæ præsules, probe cognitos, Manichæorum hæresim sequi asseverabat (*Ibid.*, *n.* 29), eo ipso ostendebat planissime, quantum fidei aliis, quibus in ignotos utebatur, criminationibus tribuendum esset : quando Profuturum Cirtensem ante paucissimos annos defunctum, ejusque successorem Fortunatum adhuc superstitem, homines tam exploratæ tamque spectatæ innocentiæ, tam atrociter insectabatur. Hunc librum presbyter quidam Donatista uni ex amicis Augustini, nomine Constantino, dedit ; a quo illum sanctus Doctor allatum ad se, dum ruri esset, accepit, simulque, ut ejus confutationem scriberet, obnixis precibus rogatus est. Id amico negandum, tametsi jam sæpius materiam illam tractasset, haud existimavit ; ratus bonorum librorum copiam augeri non sine fructu ; tum ut facilius in omnium manus perveniant, tum vel maxime ut illis satisfaciant, qui vetus argumentum nova ratione propositum pro novo ducunt. Hoc autem opus ipsi Constantino inscripsit (*Ibid.*, *n.* 1 ). Libelli cujusdam supra meminimus, quem ea mente Augustinus ediderat, ut ad evertendum funditus Donatistarum adversus Ecclesiam catholicam impium ac superbissimum errorem, solam Maximianistarum historiam sufficere planum faceret. Huic autem et secundum ejusdem argumenti librum post aliquot annos adjunxit, sed

priore multo prolixiorem et accuratiorem (*Retract. lib.* 2, *cap.* 35): qui libri pariter interciderunt. Nihil quidem suppetit, unde queat memoratis operibus suum cuique tempus assignari : at ex ordine, quo in Retractationibus disponuntur, nobis duntaxat suspicari licet, eadem ab anno quadringentesimo sexto ad initium quadringentesimi undecimi fuisse elucubrata. Hoc ipso anno quadringentesimo sexto, ut nostra quidem fert opinio, bellum Rhadagaisi Gothorum regis exarsit. Tum vero Augustinus, cum Carthagine esset, non sine summo dolore audivit, quam inde causam obtrectandi christianæ religioni captarent Romæ infideles. At cito citius eosdem ignominia perfudit impii hujus convicii festinata profligatio.

## CAPUT IV.

1 *Carthaginensis concilii anni quadringentesimi septimi placitum de episcopo plebibus ex schismate Donati conversis præficiendo.* 2 *Ejusdem ad imperatorem legationi leges indultæ.* 3 *Rogatistarum schisma Cartennensi oppido et vicinioribus locis contentum.* 4 *Vincentii apud Rogatistas episcopi præcipui epistolam Augustinus refellit.*

1. Africanum concilium, quod anno quadringentesimo septimo celebratum est Carthagine, quædam ad Augustini Donatistarumve historiam pertinentia ad nos transmisit. Fuerat a superioribus synodis prohibitum, ne novi episcopatus, eo episcopo renuente e cujus diœcesi distrahenda erat nova sedes, constituerentur. At præterea voluit præsentis anni concilium, ut cum primatis, tum provincialis synodi consensus accederet (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 98). A qua tamen lege eas Ecclesias eximit, quæ cum in Donatistarum parte proprium habuissent episcopum, eumdem sibi ipsis ad unitatem reversis conservari postulabunt : quod eis sine ulla difficultate, nec exspectata synodo tribui jubet (*Ibid.*, *can.* 99). Sin autem mortuo præsule, plebs ejus vicinæ diœcesi aggregari, quam ei successorem petere, satius putet; neque hoc ei negandum esse decernit. Dein etiam statuit, ut quas episcopus quisque plebes ad Ecclesiæ societatem ante legem Honorii anni quadringentesimi quinti reduxisset, eas ipse tanquam jurisdictioni suæ subditas episcopali jure gubernet : Ecclesiæ vero eorum, qui post legem illam de unitate latam sive rediissent ad Catholicam, sive in hæresi permansissent, cum suis omnibus instrumentis ac juribus sint in potestate catholici illius episcopi, cujus in diœcesi positæ erant. Planum igitur fit, Donatistarum ecclesias constituto per Unitatis edictum jure ad Catholicos pertinuisse. Tunc temporis plebs Germaniæ-Novæ cum Maurentio episcopo lite contendebat (*Ibid.*, *can.* 100). Concilio visum est, episcopos utrimque deligendos esse, qui Thubursicam proficiscentes, maturum ea de re judicium ferrent. Elegit e vestigio Maurentius Xantippum, Augustinum, Florentium, Theasium, Samsucium, Secundum et Possidium : quos et concilium comprobavit, et provinciali Xantippo dedit, ut alios ad suppleendum numerum necessarios a Germaniensibus nominandos curaret. Maurentius delectu suo satis indicabat haudquaquam juri suo se diffidere. Reperitur in Collatione Maurentius quidam Thubursicensis (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 143), quem non esse alium a Germaniensi censet Holstenius. Ac fieri quidem potuit, ut Germania-Nova quondam in ejus diœcesi comprehensa fuerit, quamvis posterioribus temporibus una diœcesis ex ipsa sola constituta sit.

2. Idem concilium legatos ad Imperatorem misit Vincentium ac Fortunatianum espiscopos (*Cod. Can. Afric.*, *can.* 97), hunc forte Siccensem, Culusitensem illum, quibus una cum aliis legatis Ecclesiæ causa in Collatione defendenda credita est (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 138, 139). Legatis illis mandatum, ut ab Imperatoribus, totius provinciæ nomine, peterent facultatem in Ecclesiæ defensores instituendi advocatos, quibus, quoties in rem Ecclesiæ judicarent, ad Præfectorum tribunalia, quæ judicum secretaria vocat concilium, aditus sive ad supplicandum, sive ad intercedendum nunquam intercluderetur : quod jus olim provincialibus Ethnicorum sacerdotibus competebat. De cætero, puta, ut adversus Donatistas, Paganos, ac idololatriæ superstitiones agerent, libera potestate donati sunt. Vulgo opinantur, concilii hujus precibus indultas fuisse duas illas leges, quæ decimo septimo kalendas septembris datæ, in unam coaluerunt (*Cod. Theod. de Epist. et Eccl.*, *lege* 38). Utraque autem Romæ lata est anno quadringentesimo septimo, atque ad Porphyrium Africæ proconsulem missa. Harum prior privilegia quælibet sive Ecclesiæ sive clericis concessa firmat, ac præterea novam quamdam facultatem addit, Ecclesiarum scilicet et ecclesiasticorum privilegiorum defensores assumendi ex advocatorum numero, quemadmodum a concilio petitum fuerat. Porro secunda pars eas leges, quæ contra Donatistas ac Manichæos factæ fuerunt, ratas haberi, atque in usum redigi mandat (*Ibid. de Hæret.*, *lege* 41). Insuper octavo kalendas decembris ejusdem anni quadringentesimi septimi Honorius legem ad Curtium præfectum prætorio scripsit, mandatis, quæ Vincentius ac Fortunatianus a synodo Carthaginensi acceperant, apprime convenientem. Hæc enim tum ad Ethnicos, tum ad hæreticos, ac in his maxime ad Donatistas, Manichæos, Priscillianistas, Cœlicolasque pertinebat. Fuit autem ea lex nonis junii anno quadringentesimo octavo publice sub Porphyrii proconsulis programmate affixa Carthagine (*Sirmund. App. Cod. Theod.*, *cap.* 12). Ejus non minima pars duobus codicis Theodosiani locis inserta est (*Cod. Theod.*, *de Hæret.*, *lege* 43 *et lege* 44, *et de Paganis*, *lege* 19), et nusquam non anno quadringentesimo octavo et decimo septimo kalendas decembris notata. At certum est Romæ, unde prædicta lex data significatur, anno quadringentesimo octavo mense novembr non fuisse Honorium, sed Ravennæ. Neque etiam Porphyrio proconsule anno quadringentesimo nono affigi potuit Carthagine; quandoquidem ei Donatus sub anni quadringentesimi octavi finem jam successerat. Quo etiam exeunte anno Theodorus prætorii præfecturam gerebat : hac vero dignitate Curtius anno quadringen-

tesimo septimo et ineunte quadringentesimo octavo potitus est.

3. Sub hoc tempus Vincentius Rogatista de Catholicis cum Augustino per litteras expostulavit: certe quidem non multo serius; nam in responsione Augustini, quanquam prolixa ac de secessione Donatistarum unice agente, nullum exstat vel minimum collationis Carthaginensis vestigium. Præterea de facta cuilibet sub exitum anni quadringentesimi noni potestate deligendæ religionis tacetur, tametsi litteræ illæ in defendenda legum quæ latæ fuerant severitate totæ versentur. His adde quod nihil ibi de Stiliconis occisione legitur, nihil de iis quæ subinde circumagente se anno supra quadringentesimum octavo evenerunt. Vincentius ille Rogati Donatianæ partis episcopi, a quo Rogatense schisma (*Cont. Crescon., lib. 4, n.* 73), brevissimum frustum de majore frusto præcisum est (*Epist.* 93, *n.* 24), presbyter prius (*Ibid., n.* 47), tunc vero temporis successor erat (*Ibid., n.* 1), sedem suam Cartennis Mauritaniæ Cæsareensis oppido habens (*Ibid., n.* 20). In Africa ipsa tot jam partes factæ erant de parte Donati, ut eas non ipsi, si interrogarentur, Donatistæ recenserent (*Ibid., n.* 25). Rogatenses porro, cum imperium capessivit Julianus, quod sub finem anni trecentesimi sexagesimi primi contigit, nondum desciverant a Donatistis (*Ibid., n.* 12). Ab his autem illi ob suam defectionem dura valde atque acerba pertulere. Neque enim jussionibus tantum terrenarum potestatum in hæreticos datis, sed etiam Firmi ducis, qui anno trecentesimo septuagesimo secundo rebellavit, tyrannide ad eorumdem Rogatistarum exitium abusi sunt Donatistæ (*Cont. Litt. Petiliani, lib.* 2, *n.* 184): quos ob eam rem Firmianos illi vocitabant (*Epist.* 87, *n.* 10). Mitiores quidem videri ipsi volebant, atque ab cæterorum Donatistarum sævitie abhorrentes: at hoc non tam christianæ mansuetudinis studio, quam notæ ipsorum imbecillitati tribuendum putat Augustinus. *Sævire*, ait, *vos nolle dicitis: ego non posse arbitror. Ita enim estis numero exigui, ut movere vos contra adversarias vobis multitudines non audeatis, etsi cupiatis* (*Epist.* 93, *n.* 11). Ponens tamen eos evangelicam sententiam, *Si quis tibi voluerit tunicam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte illi et pallium* (*Matth.* v, 40), sic intelligere, ut persequentibus se non solum nulla injuria, verum etiam nullo jure resistendum putent; contendit Rogatum eorum auctorem, aut non ita intellexisse, aut certe quod intellexit non implesse; quippe qui de quibusdam rebus, quas suas illi dicerent, acerrima perseverantia, etiam forensi disceptatione conflixerit. Relictum ab eo gregiculum (*Epist.* 93, *n.* 49) apud Cartennas et viciniora loca curabat Vincentius, cum novem sive decem collegis et consortibus (*Ibid., n.* 20-22).

4. Is Augustinum adolescentem et Carthagine studiis incumbentem, vivo adhuc Rogato, cognoverat (*Ibid., nn.* 1, 51). Jam tunc animadverterat pacis in ipso ac honestatis amorem; cumque illum suscepta Christi religione sacris Litteris navare operam rescivisset, existimavit multo quam antea magis quietis avidum et appetentem, necnon ab omni violenter agendi ratione alienum esse. Quocirca de severitate, quæ in Donatistas per leges precibus episcoporum catholicorum datas exercebatur, scripsit ad Augustinum, contendens ad amplectendam justitiam et unitatem cogendum esse neminem (*Ibid., nn.* 5, 14): adversus inimicos communionis nostræ, querelas Imperatori deferri illicitum (*Ibid., n.* 13): neque in Evangeliis, neque apud Apostolos legi, quidquam a terrenis principibus contra Ecclesiæ adversarios fuisse postulatum (*Ibid., n.* 1): non contigisse aliquando, ut Apostolorum quispiam in alienas fortunas sub obtentu fidei invaderet (*Ibid., n.* 11): et alioqui violentias illas in magnam hominum partem incassum adhiberi (*Ibid., n.* 3); ac vereri se, ne hinc potius nomen Dei a Judæis et Paganis blasphemetur (*Ibid., n.* 26). Ecclesiæ, ut in orbem universum semper cresceret ac dilataretur, datum negabat; eam contra asseverans posse in reliquo terrarum orbe exstinctam, una in regione servari (*Ibid., n.* 21): quam in rem Hilari testimonium proferebat, Asianas decem provincias ex majori parte vere Deum nescire scribentis (*Ibid., nn.* 31, 32). Pugnabat, eam partem in qua fides religioque christiana floret, si cum toto mundo comparetur, modicam videri (*Ibid., n.* 22); adeoque Catholicæ nomen non ex totius orbis communione interpretabatur, sed ex observatione præceptorum omnium divinorum atque omnium Sacramentorum: quo sic videlicet Rogatensi particulæ suæ titulum Catholicæ arrogaret (*Ibid., nn.* 23, 49). Baptismum extra Ecclesiam administratum, nullum esse arguebat, tum martyre Cypriano teste, tum ipsius decessore Agrippino; et debere post hæreticos baptizari (*Ibid., nn.* 35, 36): *Nam et post Joannem*, aiebat, *baptizavit Paulus apostolus* (*Ibid., n.* 47). Sciscitabatur, qua de causa, si Donati sectatores nequam atque hæretici erant, tanto tamen studio quærerentur a Catholicis, et sine difficultate ulla reciperentur (*Ibid., n.* 46). Hæc epistola ad Augustinum per catholicum virum ipsi probe cognitum perlata est: quapropter cum nullus esset dubitandi locus, quin eam scripsisset Vincentius Rogatista, suum ei responsum misit (*Ibid., n.* 1); atque id quidem satis amplum; non tam de Vincentii animo cogitans, quam de utilitate eorum, a quibus forsitan cum Dei timore legendum esset; ac futurum sperans, ut ex illo, si minus Vincentius, saltem alii fructum aliquem perciperent (*Ibid., n.* 53).

## CAPUT V.

*1 Melania senior in Africam venit. 2 Augustinus scribit ad Paulinum, a quo vicissim litteras accipit. 3 Calamensium idololatrarum insolentia et ferocitas. 4 Augustinum Nectarius pro reis Calamensibus suis civibus deprecatur. 5 Eorum ob scelus in aulam se confert Possidius. 6 Paulino rescribit Augustinus. 7 Necnon Memori episcopo, cui sextum ex libris suis de Musica mittit.*

1. Melania senior seu avia, matrona apud ecclesiasticos scriptores celebratissima, Romam ante aliquot annos, post traductum in Oriente longissimum temporis spatium, redierat, cum iter in Africam suscepit: ubi, qua moderatione unici filii mortem sustinue-

rit, testis fuit Augustinus (*Paulin. apud August.*, *Epist.* 94, n. 2). Haud sane videmus, qua id ratione referri queat in idem ipsum tempus, quo Albina ejus nurus eo cum universa familia trajecit, vergente scilicet anno quadringentesimo decimo. Nam si filius ejusdem Melaniæ Publicola etiam tum in vivis egisset, Albina illius uxor eam potius, quam filiam Melaniam juniorem, aut Pinianum generum comitata esset. Præterea Publicolæ obitum secutus est Calamensis tumultus, cui causam post annum quadringentesimum octavum datam nullam deprehendimus. Atque ista quidem ratio prohibet, quominus mortem Publicolæ in anni quadringentesimi decimi exitum rejiciamus : at præter hanc alia est adhuc validior, quod nempe seditio illa Calamensis kalendis juniis et sexto idus ejusdem mensis Possidio præsente contigit : non igitur anno quadringentesimo undecimo, quo Possidius Carthaginensi collationi iisdem plane diebus intererat. Nec etiam tumultum illum anno quadringentesimo decimo collocare licet; quando per id tempus lex nulla adversus Ethnicos recens erat promulgata; cum tamen scelus contra recentissimas leges factum dicat Augustinus (*Epist.* 91, *n.* 8). Ac ipse quidem proxime post illas turbas Carthagine hiemavit (*Epist.* 121, *cap.* 3, *n.* 14); cum contra hiemem, quæ anno quadringentesimo decimo cœpit, Hippone traduxerit (*Epist.* 124, *nn.* 1, 2). Quid sit causæ, cur prædictam seditionem anno quadringentesimo octavo ponamus, non autem quadringentesimo nono, a nobis postea explicabitur. Ipsam anno trecentesimo nonagesimo nono contigisse auctor est Baronius : at præter argumenta quibus ea sententia labefactatur, asserere nobis haud integrum est, anno trecentesimo nonagesimo octavo, in Africam venisse Melaniam. Verum his majorem lucem series historiæ allatura est.

2. Ipsa fortassis Melania in Africam veniens Augustino secum attulit Paulini litteras priores illas quibus nascentem Publicolæ virtutem jam abunde laudaverat, antequam epistolam eidem ineunte anno quadringentesimo octavo scriberet, quæ incipit, *Lucerna semper est pedibus meis verbum tuum* (*Epist.* 94). Et quidem Publicolam in Africa excessisse minime traditum habetur; constat solum, id, dum mater ejus ibidem versaretur, evenisse. Quas lacrymas huic morti dederit illa, quam pias, quamque moderatas, vidit Augustinus; nec temperare sibi potuit, quin ea de re ad Paulinum scriberet, eique significaret, sibi non tam videri Melaniam unici filii mortem lugere, quam quod nondum is penitus sæcularem pompam ac vanitatem abjecisset (*Ibid.*, *nn.* 2, 3). Simul ex eodem Paulino sciscitabatur, quamnam beatorum post resumpta corpora futuram in cœlo actionem putaret (*Ibid.*, *n.* 4). Cum eo etiam agebat de felici illo otio ad percipiendam vel disserendam christianam sapientiam necessario, quo Paulinum, cujus tamen incredibiles occupationes postea didicit, tum gaudere existimabat (*Epist.* 95, *n.* 9). Epistolam hanc sub anni quadringentesimi octavi initium Quinto diacono perferendam dedit (*Epist.* 94, *n.* 8). Etenim Romæ jamdudum erat Quintus, cum eo Paulinus ad invisenda Apostolorum martyrumque monumenta annuo more post festa Paschatis adventavit (*Ibid.*, *n.* 1). Pascha autem anno quadringentesimo octavo in quartum kalendas aprilis incidebat. Hanc igitur epistolam ibidem Paulinus accepit; neque tamen prius eam legit, quam Formiis esset; quo in loco domum repetens diem integrum subsistere statuerat : eo quod per strepitus, qui Romæ vitari nequeunt, eam ibi non licuisset, ad explendum desiderium, continenter legere. Quod sane argumento est, litteras illas, quæ nunc desiderantur, peramplas fuisse atque a Paulino libelli nuncupatione jure donatas (*Ibid.*). Eas non vulgaribus elogiis commendat in sua responsione, quam satis præcipitanter idibus maiis scripsit; cum Quintus eum pridie ejus diei, quo reipsa profectus est, discessus sui admonuisset (*Ibid.*, *n.* 8) : ex quo factum, ut quibusdam Augustinianæ epistolæ capitibus satisfacere oblitus sit (*Epist.* 95, *n.* 9). Cum summo demissionis ac pietatis sensu disserit de beatorum in futuro sæculo actione post resurrectionem, eoque loci sanctum Præsulem, a quo suam hac de re sententiam rogatus erat, magnis laudibus exornat (*Epist.* 94, *n.* 6).

3. Lex octavo kalendas decembris anno quadringentesimo septimo data Carthagine, uti diximus, non ante nonas junias anni quadringentesimi octavi promulgata est (*Sirmund.*, *Append. Cod. Theod.*, *cap.* 12). Videtur autem prius in Numidia ejus facta esse promulgatio, si quod Calamæ kalendis juniis contigit (*Epist.* 91, *n.* 8), ad hunc annum potius referre libeat, quam ad subsequentem : quam in opinionem hæc nos adducit observatio, quia videlicet exortum de illa seditione negotium nondum confectum erat extremo martio anni ab eadem proximi (*Epist.* 104, *n.* 1). eam ergo, si quidem anno quadringentesimo nono ponatur, Possidius apud Comitatum adhuc mense aprili anni quadringentesimi decimi versabatur; atque ita vix ille redierat in Africam (quod profecto nemo facile crediderit), cum ad Imperaterem a Carthaginensi concilio die decimo octavo kalendas julias anni ejusdem quadringentesimi decimi legatus est. At, sive octavo, sive nono supra quadringentesimum anno, res ita Calamæ se habuit. *Contra recentissimas leges*, inquit Augustinus, *kalendis juniis, festo Paganorum sacrilega solemnitas agitata est, nemine prohibente, tam insolenti ausu, ut quod nec Juliani temporibus factum est, petulantissima turba saltantium in eodem prorsus vico ante fores transiret ecclesiæ. Quam rem illicitissimam atque indignissimam clericis prohibere tentantibus, ecclesia lapidata est. Deinde post dies ferme octo, cum leges notissimas episcopus ordini replicasset, et dum ea quæ jussa sunt, velut implere disponunt, iterum ecclesia lapidata est. Postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus, publica jura negata sunt. Eodemque ipso die, ut vel divinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita est; qua transacta continuo tertiam lapidationem, et postremo ignes ecclesiasticis tectis atque hominibus intulerunt; unum servorum Dei*, id est, monachorum, *qui oberrans*

*occurrere potuit, occiderunt, cæteris partim ubi potuerant latitantibus, partim qua potuerant fugientibus, cum interea contrusus atque coarctatus quodam loco se occultaret episcopus, ubi se ad mortem quærentium voces audiebat sibique increpantium, quod eo non invento gratis tantum perpetrassent scelus. Gesta sunt hæc ab hora ferme decima usque ad noctis partem non minimam. Nemo compescere, nemo subvenire tentavit illorum, quorum esse gravis posset auctoritas, præter unum peregrinum, per quem et plurimi servi Dei,* id est monachi, *de manibus interficere conantium liberati sunt, et multa extorta prædantibus; per quem clarum factum est, quam facile illa vel omnino non fierent, vel cœpta desisterent, si cives, maximeque primates ea fieri perficique vetuissent.* (*Epist.* 91, *n.* 8). Dicit alio in loco Augustinus, infelici vulgo ad diripiendum exposita fuisse ea, quæ alendis pauperibus religiosissimis, monasterio scilicet Possidii cura instituto, reposita fuerant; sanguinem quoque eorum, uno ex illis interfecto, fusum fuisse (*Ep.* 104, *n.* 5). Idem significat, tumultum illum non aliunde ortum, quam ex quibusdam simulacris argenteis, quæ abs se conflata vel servare, vel adorare, vel cultu ac honoribus sacrilegis publice prosequi peroptabant. Erat igitur in culpa tota civitas, cum ii soli minus cæteris rei essent, qui ne in inimicos Ecclesiæ, quos in illo oppido plurimum posse noverant, in se concitarent, Deo episcopum et monachos precibus commendare sat habuerunt (*Epist.* 91, *n.* 9, *et Epist.* 104, n. 17). Unde ignavos istos et meticulosos homines e Christianorum tamen numero fuisse non levis conjectura est. Et sane Augustinus in publicum illud peccatum ex his non paucos incidisse memorat, sive quod opem ecclesiæ conflagranti non tulissent, sive etiam quod ex illa sacrilega Paganorum præda nonnihil abstulissent: qui tamen postea culpam suam confessione, precibus ac pœnitentiæ luctu eluerunt (*Epist.* 104, *n.* 9). Hanc historiam ad annum trecentesimum nonagesimum nonum post latas ab Honorio leges adversus idololatras refert Baronius (*Baronius, ad annum* 399, *n.* 78). Nihilominus Paganorum festa legibus anni trecentesimi nonagesimi noni minime proscribebantur; quinimo lege decimo tertio kalendas septembres anni trecentesimi nonagesimi noni data firmabantur (*Codice Theod., de Paganis, lege* 17). Qua observatione inducti quidam, eorum proscriptionem legi ad Curtium inscriptæ (*Ibid., lege* 19), tanquam omnium in eam rem primæ, adscribunt.

4. Calamam non ita multo post tam impium facinus Augustinus proficiscitur. *Ut nostri*, inquit, *in tam gravi dolore vel consolarentur afflicti, vel sedarentur accensi; quantum potuimus, quod in tempore oportuisse existimavimus, cum Christianis egimus. Deinde etiam ipsos Paganos, mali tanti caput et causam, petentes ut ab eis videremur, admisimus, ut hac occasione admoneremus eos, quid facere deberent, si saperent, non tantum pro removenda præsenti sollicitudine,* siquidem non injuria metuebant, ne pro tanto scelere pœnas quam gravissimas darent, *verum etiam pro inquirenda salute perpetua. Multa a nobis audierunt, multum etiam ipsi rogaverunt; sed absit, ut tales servi simus, quos ab eis rogari delectet, a quibus noster Dominus non rogatur* (*Epist.* 91, *n.* 10). Nectarius, cujus fecimus supra mentionem, inter præcipuos cives ejusdem urbis numerandus, ethnicus ipse (*Epist.* 90), licet patre saltem ante obitum christiano (*Epist.* 91, *n.* 2), cum patriam suam ob illam seditionem, cujus quidem participem eum non fuisse credibile est, tanto periculo obnoxiam cerneret, ad Augustinum, fratris eum vocabulo compellans, scripsit: fassusque Calamam juxta leges severissimæ pœnæ ream teneri; illum, ut amorem mansuetudinis episcopo tantopere convenientem præ se ferat, obtestatur. Rerum, quæ perierant, plenam offert atque integram reparationem: ac ne innocentes cum nocentibus involvantur, neve supplicia adhibeantur, exposcit (*Epist.* 90). Arrepta occasione ex eo, quod in patriam ostendebat, studio, illum adhortatur in sua responsione Augustinus, ut et veram patriam diligat, et christianam religionem tam sanctam tamque salutarem amplectatur. De Calamensi vero seditione respondet, statuisse episcopos eam animadversionem prosequi, quæ reliquas urbes ab imitando hocce terrimo exemplo deterreret, neque tamen limites transiliret lenitatis christianæ ac episcopalis, cui quidem non injurias ulcisci propositum est, sed peccantium correctioni salutique consulere (*Epist.* 91, *n.* 6); demum reis vitam, vitæque conservandæ necessaria subsidia, tametsi resipiscere nollent, relinquere, iis tantum ademptis quibus ad malefacta abutebantur; imo quod ad inquisitionem pertinebat, quid quid non posset nisi vi tormentorum exprimi, puta quinam primi seditionis auctores fuissent, omittere. At vero cum id Imperatoris et civilium judicum in manibus et arbitrio esset; subdit, si Deo placuerit, ut illud crimen vel severius puniatur, vel in præsentiarum per graviorem ipsius iram impunitum remaneat, tum episcopis nihil aliud permissum iri, quam divino consilio mentem submittere; ac se ipsos inde consolari, quod eam rem efficere conati fuerint, quam optimam facto atque utilissimam judicarant (*Ibid.*, *n.* 9). Epistolam hanc octo fere mensibus ante sextum kalendas apriles, hoc est, sub mensis augusti initium, exaravit (*Epist.* 104, *n.* 1); cui per totum illud temporis spatium non respondit Nectarius. Quod quidem satis commode in annum quadringentesimum octavum quadrat; quo tempore, ut videbimus, vulgo contendebant divulgabantque, leges quæ florente Stilichone datæ fuerant, ab ejus nece quæ hoc anno mense augusto contigit, fuisse antiquatas. Quapropter Nectarius ratus fortasse, tum eam ob causam, tum ob turbas hoc ipso tempore exortas, futurum ut Calamensis tumultus excideret, Augustino instare supersedit.

5. Erat adhuc in Africa Possidius, cum ad Nectarium Augustinus scripsit (*Ibid.*): at postea trajecto mari ad imperialem aulam se contulit, causam suam contra Calamenses idololatras acturus, quos verius sanctiusque diligebat, quam qui eorum crimen impunitum esse voluissent. Quandonam illud iter sus-

ceperit, non reperimus. Verumtamen cum Augustinus sexto kalendas aprilis, utrum ille impetrasset quidquam, nondum comperisset, credi non absurde potest, nonnisi hoc vertente anno, vel etiam sequenti ineunte profectum esse. Et reipsa quæ per Possidium ipsum, aut sane haud multo post ejus profectionem missa est ad Paulinum epistola (*Epist.* 95, *n.* 1), hæc per hiemem, quam Augustinus Carthagine traduxit (*Epist.* 121, *n.* 14), scripta est. Ea porro epistola illi respondet, quam ad se a Paulino idibus maiis datam diaconus Quintus detulerat, quemadmodum ex ipsis ejusdem Paulini verbis in ea citatis intelligere est. In eadem non sine doloris sensu necessitatem, qua Possidius in Italiam pertrahebatur, indicat; nec tamen aliter exprimit, quam dicendo, infirmorum servire languoribus, cum tanto imperiosius cogi, quanto periculosius ægrotant. Attamen profitetur sibi solatio esse lætitiam illam, quam ex Paulini conspectu capit Possidius. Ex eo loco intelligamus licet, quo animo tam frequenter ad Comitatum sancti illi Africani antistites proficiscebantur. Testatur ibidem Augustinus, se facile solo vivendi Paulini desiderio ad navigandum in Italiam inductum iri, ni muneris sui officiis detineretur. Dum autem de rebus, quæ Possidium ad profectionem Italicam impellebant, loquitur: *Utrum exerceamur his*, inquit, *an potius plectamur, nescio; nisi quod non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, qui tanta solatia doloribus miscet, agitque mirabili medicina, ne amemus mundum, ne deficiamus in mundo* (*Epist.* 95, *n.* 1).

6. Deinde litteris Paulini respondet (*Ibid.*, *n.* 2 *seqq.*): cumque idem sanctus dixisset, satius esse quo pacto hic vivere deceat, quam quis noster futurus sit in cœlo status, inquirere; hanc Augustinus arripit occasionem proponendæ quæstionis, haud levis, ut ipsi quidem videbatur, momenti, qua scilicet ratione vivendum sit inter eos ac propter eos, qui nondum a cupiditatibus soluti sint et liberi: atque hinc animi sui in multis vitæ officiis sollicitudinem, anxietatem ac timorem professus, rogat ut ea de re communicet cum viro quopiam vere pio, seu mansueto, ut loquitur, cordis medico, quem aut Nolæ ubi degit, aut Romæ quo singulis annis pergit, repererit; quodque ipsi Dominus aperuerit, scribat sibi. Postea vero delabitur ad statum resurrectionis, in iis maxime quæ ad corpus pertinent. Atque etiam quæstionem agitat, num Angeli habeant corpora suis officiis accommodata; quod Paulinus eos esse creaturas simpliciter spirituales, tanquam rem certam posuisset. Orat igitur, ut beatus ille vir sibi tum ea de re, tum de alio capite in superiori sua epistola circa christianum otium ad capessendam sapientiam proposito satisfaciat: quandoquidem Paulino per maturatum Quinti reditum ad omnia respondere neutiquam licuerat. Putant hanc ipsam esse de forma resurrectionis epistolam (*Epist.* 121, *n.* 14), quam ad secundam Paulini consultationem rescripserat Augustinus, in qua tractaverat de membrorum usu; et quam sibi iterum ut mittat, petit ab eodem Paulinus: quamvis eam brevem fuisse significet (*Epist.* 95, *n.* 7; *Epist.* 149, *n.* 2). Quippe illam non aliter brevem ab eo dici manifestum est, quam comparate ad ea scripta quæ libros conficiunt. Brevem quoque, pro dogmatis fidei quibus erat referta, dicere haud dubie licebat.

7. Inter antistites Augustino litterarum officiis conjunctissimos erat Memor, seu Memorius, Juliani illius pater, qui postea in Pelagianorum hæresim misere prolapsus est (*Contra Julianum*, *lib.* 1, *n.* 12). Sed infelix filii casus nequaquam impedimento fuit, quominus ejus parentes tanquam catholicos christianos semper honorabiles Augustinus habuerit, reputaveritque in hoc fortunatos, quod ante defuncti sint, quam hæreticum filium viderent (*Operis imperfecti lib.* 1, *cap.* 68). Memor igitur litteras ad Augustinum scripserat amoris juxta et honoris plenas, petens libros ab eo compositos de Musica (*Epist.* 101). Hos castigaturum se, necnon illi missurum, sanctus Doctor receperat. Sed cum esset negotiis districtissimus, non solum ei non vacavit huic emendationi incumbere; sed nec illos quidem, saltem quinque primos, nisi ægre reperire potuit: adeo spatium indulgendi hujusmodi relaxationibus ei suæ occupationes negabant. Cum tamen Possidium in eam regionem proficisci nollet, quin illum in cognitionem Memoris induceret, abeunti sextum librum ipsi deferendum tradidit; adjecit quoque epistolam, in qua nonnulla de disciplinis edisserit, quæ falso plerumque, cum absit vera pietas, liberales vocitantur: ac Memorem rogat, ut ad se Julianum filium tunc diaconum mittat secum tantisper commoraturum. Sciscitatus ab eo fuerat Memor, quibusnam numeris consisterent Davidici versus: ingenue fatetur id sibi ignotum esse, utpote hebraici idiomatis imperito; sibi tamen ab hujusce linguæ doctis affirmatum, illos omnino certis numeris constare.

## CAPUT VI.

*1 In Stilichonis auctoritatem succedit Olympius. 2 Huic in Bonifacii Cataquensis episcopi negotio litteras mittit Augustinus. 3 Bonifacii episcopi quæstiones ab Augustino exponuntur. 4 Post Stilichonis necem tumultuantibus Ethnicis et Hæreticis perturbatur Ecclesia. 5 Novæ in eos leges ab Imperatore obtentæ. 6 Donatum rogat Augustinus, ut lenitatis christianæ memor, Donatistas sic data sibi potestate coerceat, ut non occidat. 7 Ad Italicam de videndo Deo ac de Urbis obsidione scribit.*

1. Cum Honorius extremo maio Roma profectus esset, accepta prius in matrimonium Thermantia Stilichonis secunda filia, quemadmodum anno trecentesimo nonagesimo octavo Mariam ejus natu majorem duxerat: ubi Ticinum pervenit, gravissima coorta seditione milites præcipuis Imperii præfectis necem attulere: cujus quidem tumultus hic exitus fuit, ut in vincula conjiceretur ipse Stilicho, et Ravennæ decimo kalendas septembres anni quadringentesimi octavi jugularetur. Olympium Stilichoni exitium creasse, communis est historicorum consensus, quorum illum propterea laudant alii, alii damnant. Christianum illum

fuisse tradit Augustinus, qui et commendat ejus pietatem, eamque pro vera ac solida videtur habuisse (*Epist.* 96, *n.* 1, *et Epist.* 97, *n.* 1). Erat ei cum illo litterarum consuetudo : quem forte ex episcopis Africanis, qui illum in aula viderant, atque ad promovenda sancta eorum concilia propensum experti fuerant, cognitum habebat. Zosimus illi, si vere christianum putabat, necessario infensus, ipsum christianæ pietatis officiis assiduam dedisse operam fatetur; quamvis externam illam speciem contendat ei personæ loco fuisse, qua et nequitiam tegeret suam, et Imperatoris voluntatem ad se pelliceret. Idem tradit, cum veluti quodam religionis officio ægrotos milites invisere solitum. Addit præterea, Honorium per Imperii discidia in precibus istius Olympii fiduciam suam collocasse (*Zosimus*, *Historiæ libro* 5.) Vivente Stilichone jam tum amplissimos honores adeptus erat; eo autem cæso magistri officiorum, quem alii majorem palatii vocant, dignitatem obtinuit; ac tandem primus minister et rerum aulicarum arbiter est constitutus. Augustinus eum hoc honore dignum arbitratus est : cumque non ignoraret divinitus ipsum didicisse, non alta sapere, sed humilibus consentire (*Epist.* 96, *n.* 1), minime dubitavit quin temporali felicitate sapienter ad æterna comparanda merita uteretur; et, cum verus esset Ecclesiæ filius, ei suam operam hoc majori sedulitate impenderet, quo plus in Imperio obtinebat auctoritatis. Itaque ubi primum ejus promotio in Africam nuntiata est, necdum etiam rei veritate plane comperta, hoc est, ut quidem videtur, ineunte septembri vel circiter, eidem Bonifacii causam commendavit.

2. Hic Bonifacius Cataquæ in Numidia forsitan positæ episcopus, Paulo illi successerat, cujus agendi rationem vidimus ab Augustino reprehensam (*Supra*, *cap.* 3, *n.* 2). Paulus porro non solum quosdam agros pecunia a se fisco debita emerat sub alieno nomine, verum etiam fructus agrorum illorum sub Ecclesiæ nomine percipiens, haudquaquam pependerat tributa, quibus ob eosdem fisco obnoxius erat. De his tributis persolvendis interpellatus videtur successor ejus Bonifacius. Et ille quidem cum posset immunitatem ab hac summa Imperatorem rogare, ac deinde bona quæ præcessor ipsius comparaverat, et sub Ecclesiæ nomine possidere jam cœperat, consequenter etiam ipse sine ulla disceptatione retinere; fraudem tamen fisco factam dissimulare non sustinuit, aut animum suum hac religione angi, ut bona dolo malo comparata retineret. Itaque qua ratione res peracta esset, declaravit; et eorumdem agrorum usum ab Imperatore poposcit; satius esse ducens eos manifestæ Principis benignitati, quam occultæ præcessoris iniquitati, referri acceptos. Quin etsi contingeret, ut repulsam ea in re pateretur, servis Dei melius esse judicabat inopiæ laborem tolerare, quam sibi necessaria cum conscientia fraudis obtinere. Jam ab Imperatore quosdam codicillos hac de re obtinuerat; idque ut videtur, Augustini, a quo fuerat Olympio commendatus, beneficio : sed tamen res non omnino ex animi sententia processerat (*Ibid.*, *n.* 5). Quapropter cum hi codicilli minime sufficerent : iis uti, quo posset alios impetrare, noluit Bonifacius. Quamobrem Augustinus ejus gratia Olympio scripsit, eumque rogavit, ut eidem episcopo ad obtinendum hoc beneficium faveret; vel sibi possessiones illas ipse peteret, quas postea Cataquensi Ecclesiæ dono daret. Reperitur in Collatione Cataquensis illius Bonifacii mentio (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 142). Ex ea, quam in toto hoc negotio præ se tulit, conscientiæ integritate, haud perperam augurabimur, eum ipsum esse Bonifacium a mendacio vehementer abhorrentem, ad cujus inquisitiones respondet Augustinus (*Epist.* 98, *n.* 7) : qui variis in locis de sancto fratre suo Bonifacio loquitur (*Epist.* 97, *n.* 3); ac testatur alicubi, apud illum sese anno circiter quadringentesimo decimo quarto fuisse (*Epist.* 149, *n.* 2).

3. Quod vero spectat ad quæstiones Bonifacii, hæ duæ erant. Prima scilicet, utrum parentes liberis suis parvulis, quando eorum sanandorum causa vel remedia superstitiosa vel inanium deorum sacrificia adhibent, detrimenti quidpiam afferant : cum negaret intelligere se, quid esset, quod infantibus ad vivificas Baptismatis aquas oblatis parentum fides prodesset; si quidem eis illorum perfidia nihil noceret (*Epist.* 98, *n.* 1). Defendit Augustinus, parvulis spiritualem vitam eripi a parentibus nullo modo posse : dein locis quibusdam abstrusioris intelligentiæ ex Cypriano petitis respondet. Observat præterea, infantes ab iis quidem, quorum gestantur manibus, si vere fideles sint, offerri ad Baptismum; sed maxime tamen ab universa sanctorum atque fidelium societate. Id autem cum sentire Bonifacius videretur, parvulos ab originali macula non expiari, nisi ab utroque parentum ad salutiferas aquas delatos; ei Augustinus posse quoque illos a quibuslibet offerri ex constanti Ecclesiæ usu demonstrat. Altera Bonifacii quæstio erat, qua ratione parentibus, dum ad sacros fontes parvulos sistunt, eos credere, itemque ad alias, quæ fieri solent, interrogationes, respondere liceat (*Ibid.*, *n.* 7). Hæc ei quæstio, propterea quod a mendacio multum abhorrebat, videbatur difficilis. Augustinum in litterarum calce rogabat, ut suis dubitationibus responderet, in id non sola consuetudinis auctoritate, sed argumentis ex ipsa ratione adductis. Ipsi igitur ut cumulate satisfaciat Augustinus, usus ecclesiastici rationem, quoad erat necessum, exponit.

4. Quæ Stilichonis casum in aula consecutæ sunt turbæ, eædem alias quoque in Africana Ecclesia turbas continuo pepererunt. Namque Pagani et Donatistæ leges vivente Stilichone latas cum eo simul exstinctas palam jactabant (*Epist.* 97, *n.* 2, *et Epist.* 100, *n.* 2); utpote quæ sola hujusce ministri auctoritate, Imperatore inscio aut etiam invito, promulgatæ fuissent; atque adeo jam nihil valere eas sanctiones, quæ vel ad hæreticos reprimendos vel ad idola confringenda pertinerent : quin etiam vulgata fuit a Donatistis falsa quædam Honorii in eorum gratiam indulgentia (*Epist.* 105, *n.* 6). Vani hujuscemodi rumores ab Ecclesiæ adversariis sparsi dissipatique, totam Africam subito pervaserunt, et ingentes ubique tumultus edere, ac

animos adversus antistites ita concitare cœperunt, ut illi de salute sua non essent ullo modo securi. Tum porro necati sunt a Paganis aut hæreticis mense circiter septembri Severus et Macarius : Evodius autem, Theasius ac Victor episcopi verberibus ac plagis excepti fuere (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 106). Appendicis ad codicem Theodosianum decima quarta constitutio si tota ad ea, quæ per Africam eo tempore gesta sunt, spectat; ibi manifesto videre est episcoporum alios per vim ex suis ædibus, imo etiam e templis abstractos, ac diversis insuper suppliciis affectos fuisse : alios vero minus quidem crudeliter, sed magis contumeliose tractatos; quippe quibus capillorum pars evulsa, et variæ in christianæ fidei probrum ac dedecus illatæ sunt injuriæ : atque hæc scelera, tametsi mediis in urbibus perpetrata magistratuum cognitionem fugere non poterant, nullis tamen pœnis coercita ab illis esse, ac ne quidem perlata in notitiam Imperatoris.

5. His permoti in Carthaginensi synodo episcopi, e suo collegio Florentium ac Restitutum tertio idus octobris in aulam adversus idololatras atque hæreticos destinarunt (*Ibid.*). Nec videtur aliud innuisse Augustinus, cum ab episcopis ad Imperatorem missis indicari posse tradit viam aliquam his malis occurrendi, prout communi collegarum consilio diligentius deliberatum fuerat, quantum temporis permittebat angustia (*Epist.* 97, *n.* 3) : sibi vero consilium cum illis communicare non licuisse (*Ibid.*, *n.* 2). Quibus verbis Carthaginensi illi synodo, quam provincialem tantum fuisse satis verisimile est, ipsum non interfuisse declaratur. Simul etiam affirmat bene multos antistites ingenti illo Ecclesiæ tumultu ac trepidatione, ut in aulam contenderent, ac propemodum fugerent, coactos (*Ibid.*) : cum hi procul dubio, qui vexabantur atrocius, sese legatis synodi adjunxissent. Ii Roma transire constituerant. Horum quidem incommodorum in epistola, quam ad Olympium de Bonifacio scripserat Augustinus, nulla fuerat facta mentio; necdum enim illa contigisse audierat. Sed cum postea litteras Olympii accepisset, eum ultro compellantis, ut de rebus Ecclesiæ commodo necessariis, quo procurandis illis operam navare suam posset, ab eo certior fieret (*Ibid.*, *n.* 1) : opportunam tandem episcopo Severo procurante occasionem nactus (*Ibid.*, *n.* 3), Milevitani scilicet presbyteri, qui urgente necessitate pro salute civis sui ad illas partes proficisci, quanquam media hieme, compellebatur, eo usus est tabellario, ut epistolam alteram Olympio mitteret, qua illi, quam necessarium esset Ecclesiæ Africanæ præsidium, quod eidem ab ipso sponte oblatum fuerat, exponit. In illo quantum fiduciæ reponeret, ea re demonstrat, quod non dubitet simul commonitorium, quo quid agendum censeret explicabat, ad eum perferendum dare, quod episcopis, posteaquam in aulam pervenerint, reddat ( *Ibid.*, *n.* 4 ). Etenim putabat fore, ut illi a presbytero, quanquam itineri priores se dedissent, præverterentur. Sic tamen consilia sua confert, ut quibus viis Ecclesiæ consuli commodius possit, præsulibus iisdem relinquat exponendum. At vero petit, obsecrat, flagitat, ut ipse publicis quamprimum documentis declaret, leges, quæ in Paganos, hæreticosque propositæ fuerant, ab Imperatore volente ac sciente fuisse profectas, nec proinde illas Stilichonis morte potuisse abrogari; operæ pretium esse, ut sine ulla procrastinatione id fiat, nec adventu quidem episcoporum in aulam exspectato (*Ibid.*, *n.* 3) : propterea quod ea procella in salutis periculum adducerentur infirmi complures, quibus per vires fidei nondum licebat supra humana sese attollere. Ipse vero qua ratione difficillimis hisce temporibus animo comparatus fuerit, explicat in hunc modum : *Multum sane de quorumdam, neque paucorum fide firma et stabili gratulamur, qui ex occasione legum ipsarum ad christianam religionem vel catholicam pacem conversi sunt ; pro quorum salute sempiterna nos in hac temporali etiam periclitari delectat. Propterea enim maxime ab hominibus nimium dureque perversis, nunc inimicitiarum graviores impetus sustinemus* (*Ibid.*, *n.* 4 ). Quamvis asserat Augustinus epistolam illam suam media hieme exaratam ( *Ibid.*, *n.* 2 ); non desunt tamen qui ejus causa ( procul dubio quanta licuit diligentia perlatæ ) factum censeant, ut legem hoc ipso anno octavo kalendas decembres datam, ac Donato id temporis in Africa proconsulem agenti inscriptam (*Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 44), sanciri curaret Olympius : qua quidem lege statutum intelligitur, ut si quis in religionem aliquid attentaret, sacramentave profanaret, expressis nominatim Donatistis, in eum ex legum jure animadverteretur. Decimo octavo kalendas ejusdem mensis jam fuerat ab Honorio prohibitum, ne quis ipsi fidei religionisque vinculo non conjunctus, hoc est, ex adversariis veritatis catholicæ, ulla imperialis aulæ munera capesseret (*Ibid.*, *lege* 42). Hinc Ethnicis eo tempore hujuscemodi honoribus interdictum fuisse testatur Zosimus (*Zosimus*, *Historiæ lib.* 5). Ad hæc Honorius Theodoro prætorii præfecto edictum quinto kalendas ejusdem mensis dedit, quo defensores cæterique magistratus universos a communione catholicorum antistitum alienos a quavis concione sive in urbibus seu ruri habenda prohiberent, universa loca, in quibus istiusmodi illiciti cœtus celebrati essent, fisco addicerent; atque adeo illos proscriberent cogerentque ad solum vertendum, qui doctrinam ab ea, quam divinitus accepimus, condemnatam traderent (*Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 45). Hoc eodem die, si credendum Sirmundianæ Appendici ( *Append. Cod. Theod.*, *cap.* 9 ); vel kalendis decembris, si Codicis editioni standum (*Codice Theod.*, *de Episcopis*, *lege* 59), Honorius demandavit eidem Theodoro constitutionem aliam, qua disciplinam ecclesiasticam sancit ac firmat, edicendo, ut qui ab episcopis clericatu fuerint abdicati, vel eum suapte sponte deseruerint, ejus etiam privilegiis caderent, muniis oneribusque publicis laicorum instar mancipati; sed illis omnino aditus ad dignitates militares intercluderetur. Neque enim hominibus fideles præstare se ullo modo posse, qui fidem Deo fregissent.

6. Ex illis sane constitutionibus satis constabat, aulæ voluntates ac studia in Ecclesiam catholicam nulla parte fuisse immutata. Quapropter haud erit absurdum credere, ad primam earumdem legum famam Augustinum Donato scripsisse epistolam illam, qua ei persuadere nititur, ut Donatistis eas leges, quas antiquatas prædicabant, vim suam adhuc obtinere quamprimum edicto significet (*Epist.* 100, *n.* 7). De idololatris nihil addit, cum leges hoc anno latæ ea de re verbis expressis non perinde præciperent, atque illa, quæ proxime sequenti promulgata est. Obnixe ac vehementer illum obsecrat, ut ne quem propter vim Ecclesiæ illatam capitis damnet (*Ibid.*, *nn.* 1, 2). Quod utique in præteritis criminibus necessum non erat, post legem decimo octavo kalendas februarias anni quadringentesimi noni datam; quippe quæ, quantum ad illa, capitalem pœnam removeret; eadem tamen illis proposita, qui tale quidpiam in posterum attentassent. Donatus, uti videtur, proconsul haud ita pridem factus fuerat, cum litteras accepit ab Augustino. Intercedebat alteri cum altero vetus quædam ac singularis necessitudo (*Epist.* 112, *n.* 1): ita ut etiamsi Augustinus episcopali dignitate careret, Donatus vero gradum proconsulatu multo altiorem obtineret, huic tamen apud illum licuisset magnam libertatem usurpare (*Epist.* 100, *n.* 2). Eumdem sincerissimum Ecclesiæ catholicæ filium appellat; putavitque dum is proconsulari auctoritate polleret, Africanæ Ecclesiæ datum divinitus, qui solatium ei adhiberet maximis in malis, ac inimicorum illius audaciam frangeret. Id unum ab ejus in justitiam studio metuebat, ne scilicet admissa contra Ecclesiam summa, quam merebantur, severitate, id est, extremo supplicio vindicaret. Quod ne committat, ipsum Jesu Christi nomine interposito obtestatur: hinc siquidem fore, ut ea clerici ad illum deferre jam non audeant, ac cæteris illud officii negligentibus impunita illa remaneant, insuperque ad eadem perpetranda accedat adversariis Ecclesiæ nova audacia. *Corrigi eos cupimus*, ait, *non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse* (*Ibid.*, *n.* 1). Nec minori studio eum admonet, ne Donatistarum vanissimam et impiæ superbiæ plenissimam sectam ita curet imperialibus legibus comprimi, ut vel sibi vel suis videantur qualescumque molestias pro veritate vel justitia sustinere: ideoque si quis eorum jussu ipsius attineatur, illum a Catholicis, ubi petierint, manifestissimis rerum certarum documentis apud Acta convinci atque instrui patiatur. *Onerosior est quippe*, inquit, *quam utilior diligentia, quamvis ut magnum deseratur malum, et magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri* (*Ibid.*, *n.* 2). Quoniam autem perspectis proconsulis hujusce dotibus atque ornamentis, existimabat Augustinus idoneum viri pectus, cui se Christus largissime infunderet, propterea desiderio ejus videndi quam vehementissimo tenebatur: verum ejus explendi, quoad ille magistratum gessit, quamvis Tibilim Hippone-Regio, ut par est credere, non admodum remotam venisset, occasionem nunquam est adeptus (*Epist.* 112, *n.* 1). At ubi terrenis curis solutum illum ac liberum vidit, aliquid cum eo commercii coire dandis atque accipiendis ultro citroque litteris tentavit. In his ad studium virtutis, non humanæ existimationis laudumve cupiditate, sed virtutis ipsius ac æquitatis amore inflammat. *Intuere*, ait, *ut cœpisti, fortissima cordis acie Dominum nostrum Jesum Christum, et ab omni inani fastu omnino detumescens assurge in illum, qui non ventose alleval conversos ad se, sed certis fidei passibus innitentes atque ascendentes collocat in sempiterno fastigio cœlestis atque angelicæ dignitatis* (*Ibid.*, *n.* 3). Ei de patre in Ecclesiæ gremio ipsius opera genito gratulatur. Supplicat etiam ut se conveniat, quo pari consilio laborent procurandæ saluti quorumdam, prædia ejus in agro Sinitensi atque Hipponensi posita colentium; quibus ut interim scribat, eosque ad amplectendam Ecclesiæ catholicæ communionem benigne atque humaniter excitet, cupere se testatur. Quandonam proconsulari dignitate Donatus abierit, non liquet: id tamen planum est contigisse ante septimum kalendas julias anni quadringentesimi decimi; quo die datam ad Macrobium proconsulem Africæ legem reperimus (*Codice Theod.*, *de Indul.*, *lege* 6).

7. Quo tempore Augustinus Olympio alteram suam epistolam mittebat (*Epist.* 97), qua legatos concilii significabat brevi Romam esse perventuros; hujus urbis obsessionem nondum audierat, cum illius nulla ibi fiat mentio: verum id non ita multo post evenit. Legimus siquidem Romæ præsules Africanos exstitisse tum, cum eadem urbs ejusque confinia gravissimis premi calamitatibus ac damnis nuntiabantur (*Epist.* 99, *n.* 1). Et certe si Zosimum audiendum putemus, necesse fuerit obsidionem illam in anni quadringentesimi octavi exitum referre (*Zosimus*, *Historiæ lib.* 5). Circumsessa Roma ad extremam ciborum commeatusque pecuniam, quam ipsa quoque pestis excepit, redacta est. Augustinum de miserrimo illius urbis statu docuerunt fratrum, ut indicat, episcoporum litteræ (*Epist.* 99, *n.* 1). Ex his quidem ille molesta et dura comperit, sed quibus addidit vulgatus rumor multo adhuc acerbiora. Accepit dein Italicæ nobilis Romanæ litteras, quæ nihil prorsus ei hac de re nuntiabat. Id Augustinus, quem sua charitas non patiebatur fraternis ærumnis non affici, miratus est, sed nec illud minus, sanctos videlicet episcopos (Africanos haud dubie, qui tum in illis partibus versabantur) per domesticos Italicæ non rescripsisse. Patet Urbis commercium tunc interclusum neutiquam fuisse. Unde intelligas id vel priusquam Alaricus Tiberis aditus occlusisset, hoc est, initio obsidionis, vel nonnisi illa jam transacta, factum. Eam rem pertinere ad expugnationem Urbis illam, quæ anno quadringentesimo decimo contigit, opinatur Baronius. At vero lex contra hæreticos Heracliano inscripta, quam non sine causa legatorum Africanæ Ecclesiæ precibus concessam volunt, diem octavum kalendas septembris, quo ipso tempore expugnata est Roma, præ se fert (*Codice*

*Theod., de Hæreticis, lege* 51). Quo pacto igitur ibi tum, cum capta est, legati fuisse dicendi sunt? Nam quod ad annum quadringentesimum nonum, quo item anno Urbem Alaricus copiis cinxit, Afrorum antistitum in Italia, quod quidem legendo didicerimus, nullus fuit. Italicam illam, quam Augustinus religiosissimam ac merito laudabilem Dei famulam appellat (*Epist.* 99), non abs re eamdem esse putamus, quam Chrysostomus, malevolorum exagitatus nequitia, per litteras ad operam suam componendis Orientalis Ecclesiæ discidiis præstandam adhortabatur (*Chrysost., Epist.* 70). Eam Romæ tunc exstitisse disertis ille verbis indicat, sed præterea nihil addit. Erant ei ætate nondum adulta liberi, quos, præterita mariti mentione, in responso ad eam nunc misso salutat Augustinus (*Epist.* 99, *n.* 3). Et hinc, jam ante ademptum illi fuisse conjugem, liquido constat; eamdemque hanc esse, quam de conjugis obitu in exordio alterius ad Italicam epistolæ consolatur (*Epist.* 92, *n.* 1), ubi ejus quoque liberis salutem verbis suis nuntiari jubet (*Ibid.*, *n.* 6.). In hac porro totus ferme est in refellendis iis, qui Deum videri oculis corporeis posse affirmabant. Quinam isti essent, consulto non indicat: nam erat inter eos Africanus quidam episcopus, cujus nomini parcendum existimavit (*Epist.* 148, *nn.* 1, 4): ac eorum aliqui cum antea tantum dixissent, Christo præstitum ut corporis intuitu divinam substantiam conspiceret, eo demum progressi fuerant, ut omnes post resurrectionem sanctos eodem modo visuros Deum assererent, imo istam etiam impiis videndi Dei possibilitatem donarent (*Epist.* 92, *n.* 4). Ilos duris admodum atque asperrimis verbis castigat, veritus scilicet ne subinde Deus ipse corporeus et per localia spatia divisibilis crederetur (*Ibid.*, *n.* 3, *et Epist.* 148, *n.* 1). Rogat Italicam ut eis, siquidem ipsos apud illam de suis deliramentis disserere contingat, epistolam hanc suam legat, sibique ad eam quid responderint, rescribat (*Epist.* 92, *n.* 6). In alia posteriore ad eamdem epistola, quantum dolorem ex Urbis incommodis capiat, ostendit (*Epist.* 99, *n.* 1). Itemque animadvertit Italicæ liberos, ex iis quæ contingunt, jam tum posse in ætatula adeo tenera intelligere, quam sit amor hujus sæculi periculosus et noxius. *Atque utinam*, inquit, *cum magna et dura quatiuntur, parva et flexibilia corrigantur* (*Ibid.*, *n.* 3).

## CAPUT VII.

*1 Leges adversus Ethnicos et Hæreticos latas confirmat Honorius; rursumque Nectarius Augustinum pro Calamensibus rogat. 2 Libertas Hæreticis et Paganis ab Honorio indulta. 3 Ad Donatistas scribit Augustinus. 4 Necnon ad Festum. 5 Summopere contendit a Macrobio, ut ne Rusticianum subdiaconum apostatam rebaptizet. 6 Litteras ad varios scribit in Faventii gratiam. 7 Victorianum ob intolerabiles orbis calamitates animo fractum corroborat.*

1. Legem nobis Theodosianus codex suppeditat jam a decimo septimo kalendas februarias anni quadringentesimi noni ab Honorio datam (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 46); quam quidem impetratam putamus precibus antistitum, qui ad ipsum decreto Carthaginensis concilii tertio idus octobris anni superioris legati sunt, præsidium opemque postulaturi contra Paganos atque hæreticos, a quibus leges in se promulgatas Stilichone exstincto vigere desiisse jactabatur. Ne siquidem Donatistæ aliive hæretici, Pagani, aut Judæi de abrogatione earum legum sibi blandiantur, Imperator universis judicibus, ut easdem sequantur, atque illarum exsecutioni quam diligentissime prospiciant, edicit; his, qui imperata facere negligerent, proposita mulctæ pecuniariæ, privationis honorum, necnon etiam bonorum publicationis et exsilii pœna. Cum autem inde perspicue intelligeretur, quam bene in Ecclesiam animatus esset Imperator; erat sane cur vererentur idololatræ Calamenses, ne meritas propter superioris anni nefarios conatus pœnas luerent. Quam ob rem animum induxit Nectarius, ad opem Augustini denuo confugere, et acceptis ab eo ante septem octove menses litteris respondere (*Epist.* 104, *n.* 1). Universis ille, qui quoquo modo sceleri isti affines fuerant, veniam impetrare nititur, falsæ hujus opinionis beneficio, quod omnia peccata paria sint (*Epist.* 103, *n.* 3). Ejus epistolam Augustinus sexto kalendas aprilis accepit: ad quam respondens, principio illum rogat, ut si quod edictum æquo severius impetratum a Possidio fuisse fama prævolante didicerit, id sibi nuntiet, quo prospicere valeat, vel quid agendum ne quidquam asperius fiat, vel quid respondendum iis qui falso rumori temere credidissent. Quod vero ad pecuniarias mulctas attinet, quarum incommoda mirum quantum amplificarat Nectarius, ei, quam sine causa de iis tantopere laboraret, ipsis philosophorum documentis Augustinus demonstrat. Præterquam quod is non erat Christianorum animus, ut reos ad rerum inopiam necessariarum vellent redigere. Nec enim illis propositum, ulcisci adversarios, sed eorum consulere saluti. Tum, quod ille de peccatorum parilitate dixerat, sanctus Doctor confutat: ac eum summopere ad amplexandam fidem christianam hortatur. Postremo de filio ejus, cui nomen Paradoxo, mentionem faciens, rursum quam periculosa sit mox dicta Stoicorum de peccatis doctrina, dextere approbat (*Epist.* 104).

2. Præter hæc Honorius Ecclesiæ gratia sexto kalendas julias anni hujusce quadringentesimi noni decrevit, ut, quæ ad illam pertinerent, judices sine ulla procrastinatione statuerent: utque edicta, si qua forte legibus in hæreticos jam toties iteratis contraria abs se impetrarentur, omni omnino vi ac auctoritate carerent, nec ullo modo exsecutioni mandarentur (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 47). Fore præsagiebat forsitan, ut in tanta Imperii imbecillitate tamque afflictis suis rebus, inter præcipuos suos administros non deessent, quorum pravis suasionibus ad aliquid se suaque religione indignum adduceretur. Nec eum hac in re fefellit animus. Etenim ex concilio Carthagine decimo octavo kalendas julias anni quadringentesimi decimi habito constat, id temporis lege cautum esse, ne quis nisi libera voluntate christianæ religionis cul-

ium amplecteretur (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 107). Quod quidem non aliud erat, quam cuivis religionem quamlibet sequendi optionem relinquere, necnon eadem opera quidquid ad eam diem contra hæreticos Paganosve constitutum fuerat, antiquare. In edicto octavo kalendas septembris anni quadringentesimi decimi dato agnoscit Honorius, hæreticos rescriptum ab se per dolum expressisse, quo suos sibi conventus celebrare liceret (*Codice Theod.*, *de Hæret.*, *lege* 51). Item in alio, quod pridie idus octobris dedit, declarat Imperator, si quid statuerit, quod in rem suam esse existiment Donati sectatores, id in hoc tantum animo factum fuisse, ut suavius eorum mentes ad superstitiones abjiciendas corrigendosque errores impelleret (*Ibid.*, *de Relig.*, *sub lege* 3). Legem illam libertatis autumat Baronius consilio latam Heracliani Africæ comitis et Macrobii proconsulem ibi anno quadringentesimo decimo agentis; ut ne videlicet Donatistarum factionem gentilemque sectam nimia superiorum legum severitate abalienari, ab Honorio, atque ad Attali partes traduci contingeret. Heraclianus quidem, qualem eum Hieronymus depingit (*Hieron.*, *Epist.* 8), eo erat ingenio, ut id consilii non difficulter daret: Macrobius vero si, quod nonnulli putant, idem est, qui Saturnalium libros edidit, haud obscure idolorum cultui addictus deprehenditur. Ad eamdem legem spectasse videtur Zosimus, ubi tradidit aditum ad dignitates tum forenses, tum militares ab Honorio omnibus, retenta sua cujusque religione, patefactum esse; atque ob eam rem, legem, quam decimo octavo kalendas decembris anni quadringentesimi octavi tulerat (*Zosimus*, *Hist. lib.* 5), abrogatam. Huic autem abrogationi causam dedisse affirmat Generidum quemdam religione paganum, quem cum Imperator Dalmaticis legionibus præficere voluisset, facta ei legis, qua honore illo excludebatur, gratia, delatam ille dignitatem, nisi ea lex omnino antiquaretur, recusarit. Id ille contigisse tradit paulo antequam ab Alarico Imperator crearetur Attalus: atque adeo non absurde in medium annum quadringentesimum nonum referri posset. Et sane putant Honorii in hæreticos indulgentiam postremos anni quadringentesimi noni menses durasse, ac sequentis, nempe quadringentesimi decimi, primos. Olympius eo tempore Imperatoris gratia exciderat, et dignitate exutus in Dalmatiam secedere compulsus fuerat; atque ob eam rem neutiquam ei licebat, Honorium a pravis, quæ ipsi suggerebantur, consiliis avertere (*Ibid.*). Illis tamen non diu paruit Imperator, ac proximo anno visuri sumus, quemadmodum in ipsis turbulentissimis rebus, eam legem, quam abs se extorqueri præposteris consiliis passus fuerat, abrogaverit.

3. Datam credimus ab Augustino sub hujus anni initium epistolam, quæ generatim omnibus Donatistis inscribitur (*Epist.* 105). In ea enim mentio fit falsæ illius indulgentiæ seu abrogationis latarum in eos legum, cujus illi famam vertente anno quadringentesimo octavo sparserant; ibique recipit sanctus Episcopus, demonstraturum se, modo ipsi venire in colloquium non detrectent, quædam ad Cæciliani causam pertinentia, quæ præcipua materia fuere collationis Carthaginensis: de qua quidem collatione non significat quidpiam adhuc fuisse constitutum. Plurimos in epistolæ calcem congerit Scripturæ locos, quibus Ecclesiam catholicam per omnes gentes diffusam ostendat: ejus tamen maximam partem eo refert, ut ab eorum criminationibus legum Honorii severitatem vindicet: unde id scriptum intelligas ante libertatem cujuslibet colendæ religionis ab Honorio concessam extremo isto anno quadringentesimo nono. Huic autem scribendæ epistolæ occasionem præbuerunt quidam e Donati parte presbyteri, qui renuntiari Augustino jussere ipsissima hæc verba: *Recedite a plebibus nostris, si non vultis ut interficiamus vos* (*Ibid.*, *n.* 1).

4. Insanæ illæ, quæ in exordio epistolæ ad Festum commemorantur, Donatistarum minæ (*Epist.* 89, *n.* 1), forsitan ipsæ sunt, quas ex dictis Augustini ad eosdem litteris modo retulimus. Tentationes vero, quibus eos probatos dicit, qui in gremium Ecclesiæ redierant (*Ibid.*, *n.* 7), peræque ad ea quæ aut Stilichonis necem, aut Honorii adversus Donatistas jussiones ab anno quadringentesimo quinto consecuta diximus, referri queunt. Nam quo tempore data fuit hæc epistola, eo certe in illos ex imperialibus edictis non seguiter agebatur (*Ibid.*, *nn.* 1, 2, 3, 6). Collationis autem in ipsa nulla mentio. Festus porro laicus erat, ac publicis gerendis muneribus implicatus. Huic erant in Hipponensi tractu e Donati secta subditi (*Ibid.*, *n.* 8): quos quidem ille scriptis litteris ad reconciliationem cum Ecclesia fuerat cohortatus; verum quominus id ex voto succederet, nonnihil fortassis obstiterat. Horum salutis studiosus erat Augustinus, non ipsorum modo causa, sed etiam illorum qui cum ad catholicam fidem se recepissent, nonnihil capiebant ex aliorum vicinia detrimenti. Itaque ad Festum litteras dedit, rogans ut aliquem fidum ex domesticis, vel ex amicis destinaret, qui eo non recta pergens, ad se cæteris insciis diverteret, quo communicatis consiliis, qua potissimum ratione pellici ad Ecclesiam possent decerneretur. Et ne quis Festum ab eo dehortaretur studio, quo revocandis ad fidem subditis operam navare suam cœperat, causam eidem exponit schismatis, quonamve modo ad se redeuntes Ecclesia recipiat. Ad Festum contra Donatistas sancti Præsulis commonitorium adnotat Possidius (*In Indiculo*, *cap.* 3).

5. Quemadmodum Augustinus in id incumbebat toto animo et studio omni, ut e sua Hipponensi diœcesi funditus exstirparetur Donatistarum hæresis: sic Donatistæ vicissim illic ut ea firmaretur atque etiam incrementum caperet, pro viribus enitebantur. Neque profecto valuit vigilantissimi cura laborque pastoris impedire, quominus de suo grege profligatus aliquis, et scelere perditus ac egestate, ad eorum caulas perfugeret. Nam per hoc ipsum, in quo versamur, tempus Rusticianus quidam Hipponensis diœcesis subdiaconus catholicus, qui ob improbos mores excommunicatus a presbytero suo erat, necnon multorum etiam in illa regione debitor factus, dum aliquid præsidii,

cum adversus creditores suos, tum contra Ecclesiæ disciplinam parare sibi cupit, optimum factu judicavit, adire ad Macrobium schismaticorum apud Hipponem episcopum, et alterum ab eo Baptismum suscipere : quo nimirum fieret, ut ab Circumcellionibus diligeretur velut mundissimus, et defenderetur (*Epist.* 108, *n.* 19). Augustinus ergo ubi primum consilium Rusticiani intellexit, litteras scripsit ad Macrobium, breves illas quidem, sed nihilominus vehementes; quibus illum per salutem animæ adjurat, ne iteratum Baptismum isti subdiacono conferat, aut saltem ut quæstioni de Baptismate, quod Felicianus administraverat in Maximiani schismate, respondeat. Quod postremum si ille præstiterit, paratum se sanctus Doctor affirmat, ad Baptismum denuo suscipiendum : sin autem de Feliciani facto dubitet, id se probaturum ea lege recipit, ut ni fecerit, episcopatu suo cadat (*Epist.* 106). Maximo et Theodoro epistolam hanc ad Macrobium deferendam tradidit. Hic primum illos, ne Augustini litteras ei recitarent, admittere in colloquium noluit; sed tandem urgentibus cedens, eas sibi legi passus est. Ad quas hæc ejus fuit responsio : *Non possum nisi ad me venientes suscipere, et iisdem fidem quam postulaverint dare :* hoc est iteratum Baptisma. Quod ad Primianum spectat, a quo et Felicianus et quos hic baptizaverat admissi fuerant, cum a Maximo ac Theodoro interrogatus esset, quid responsi ad id afferret; dixit : *Se nuper ordinatum patris sui judicem esse non posse, sed in id quod a prioribus suis acceperit permanere* (*Epist.* 107). Hanc Macrobii responsionem cum illi Augustino significassent, is timore simul et dolore permotus ad eumdem pluribus scribendum judicavit. Hac illum in epistola, argumento ex eodem facto Feliciani atque ex ipsa Primiani et Maximiani causa petito, urgere pergit, magisque operose demonstrat, quidquid ab eo contra Ecclesiam afferri excogitarive posset, id omne hac unica historia convelli, quam propterea speculum ipsis correctionis a divina clementia ob oculos positum vocat : ita ut omnis omnino difficultas sublata sit. Itaque eum cohortatur, ut de prædicta objectione cognoscat, illamque, si possit, diluat : sin vero non possit, ne susceptas Donati partes Dei timori propriæque saluti anteponat. Quam ob causam ei tum schismatis mala exponit, tum bona unitatis (*Epist.* 108). Dicendi genus magna ubique lenitate temperatum non male quadrat in tempus indultæ per Honorium libertatis, ad quam haud scimus an quidpiam vetet referri quod ait : *Ante istam legem, qua gaudetis vobis redditam libertatem.* Neque enim jam, ut ab iterando Baptismate deterreat, legum severitatem Macrobio, quemadmodum vel ante latas posteriores Crispino, minitatur Augustinus. Quanquam fortassis erga illum ita se gesserit, ne illius animum exacerbaret, futurum sperans, ut mansuetudine facilius expugnaretur. Præterquam quod Macrobium existimabat bonæ indolis juvenem : cui ingenii quoque ac eloquentiæ laudem tribuit. Is porro, cum ad eum Augustinus litteras dedit, non ita pridem ordinatus fuerat. Hipponem solemni pompa perductus est, episcopali ibi munere functurus (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 138, 201) : in hac quippe civitate plebem suam habebat (*Epist.* 108, *nn.* 17, 20). Ingredientem illum in urbem Circumcellionum duces cohortibus suis stipatum deduxere, Deo laudes! inter cantica conclamantes (*Ibid.*, *n.* 14); quibus vocibus, tanquam præliorum suorum tuba, solebant se ad cædes mutuo cohortari. Macrobius tamen eorum petulantia magis offensus, quam obsequiis delectatus, aspera in eos postridie per interpretem linguæ punicæ verba protulit, indignationem suam professus ea libertate, quæ virum ingenuum atque honestum deceret : quod adeo impatienter tulerunt, ut ante solutam concionem non sine motibus indignationis ac furoris indicibus excederent. Hujus rei testes adfuerunt Catholicorum nonnulli, quibus pariter egressis, pavimentum ubi steterant, salsa aqua Macrobii clerici abluerunt, quod ipsum familiare illis fuisse testis est Optatus (*Optatus, lib.* 6) : quem vero locum Circumcelliones occupaverant, is ad eumdem modum nequaquam expiatus fuit.

6. Honorius duodecimo kalendas februarias præsentis anni legem posuit, qua inter cætera jubet, eos qui detinentur, quique alio postmodum sunt traducendi ut judiciis exhibeantur, prius rogari coram magistratibus, velintne dies triginta in ea civitate in qua comprehensi sunt, sub moderata custodia residere, tum ut domesticis rationibus consulant, tum ut sumptus sibi necessarios parent; iisque illud spatii, si eo velle uti significent, ex lege a Theodosio, tertio kalendas januarias anni trecentesimi octogesimi promulgata non negari (*Cod. Theod., de Exhibendis vel transmittendis reis, lege* 6) : sin secus, illos e vestigio cum accusatoribus perduci eum in locum, qui judicio sit destinatus (*Ibid., lege* 3). Hujus Augustinus legis in pluribus epistolis, unam eamdemque ob causam scriptis, meminit (*Epist.* 113-115). Faventius ergo quidam conducto saltu, cum ab ejus possessore quidpiam sibi timeret, confugit in ecclesiam Hipponensem, ibique tantisper commoratus est, dum negotium illud, sanctus Præsul componeret. Re autem moram trahente, sensim factus quasi securior, sui servandi atque intra limites ecclesiæ continendi curam ferme adjecerat. Hinc factum, ut cum aliquando ab amico, quocum una cœnaverat, rediret, cum Florentinus quidam Comitis Africæ apparitor cum militari manu interciperet, et, incertum quo, pertraheret. Qua in re non servatas fuisse leges, asserit Augustinus (*Epist.* 115). Is, ubi primum hujusce raptus factus est certior, illum statim per schedulam Cresconio tribuno, cui provincia tuendi maritimam oram commissa fuerat, nuntiavit (*Epist.* 113) : ab hoc missi aliquot e suis, nihil reperere (*Epist.* 115). Postero die cum diluxisset, Faventium in domo quadam noctem egisse, ac summo mane certum in locum a Florentino traductum fuisse Augustinus comperit. Eo confestim direxit unum e suis presbyteris nomine Cœlestinum, lege Imperatoris instructum, qui Florentinum de illa observanda compellaret. Recitavit ei legem Cœlestinus; sed ne potuit quidem ab eo impetrare, ut sibi captivum videndi potestas fieret (*Epist.*

114): Postridie ejus diei litteras ad eumdem misit cum illa ipsa lege conjunctas, rogans et per propriæ existimationis curam et per debitum Principi, cujus ille minister erat, obsequium, ut episcopi quoque intervenientis ac benigne deprecantis ratione habita, victo non denegaret, quod ei legis concessu debebatur. Simul et aliam epistolam, nisi forte id jam pridie præstiterat, dedit Cresconio deferendam, illi nimirum tribuno, cui custodia littoris demandata fuerat; nam jam ante ad illum eadem de re scripserat Augustinus. Huic porro declarat, cum Faventius ad Ecclesiæ suæ præsidium confugerit, sibi liberum non esse, illum deserere, ac non defendere pro viribus : ne apud Deum, imo et apud eum ipsum, a quo ille exagitabatur, culpam incurreret; quandoquidem ipse haud immerito suspicaretur, sese ab Ecclesia pariter destituendum fuisse, si ad eam simili in casu confugere contigisset. Ergo eum rogat, ut sibi accedat postulanti a Florentino apparitore, ne captivum beneficio legis uti prohibeat; sperare enim se, rem amice intra illud triginta dierum spatium posse componi (*Epist.* 113). Verum omnis ejus diligentia frustra fuit. Etenim nulla legis ratione habita, Florentinus illum in remotiorem locum deduxit; quo, uti creditum est, sisteretur tribunali Numidiæ consularis. Huic nomen erat Generoso; ac eum ferebant æquitate summa atque integritate judicem : sed cum Faventio res esset cum homine pecuniosissimo, subtimuit Vir sanctus, ne quid ille præter fas et æquum pateretur ab Generosi ministris. Itaque ad eum super ea re litteras dedit (*Epist.* 116), nec tamen exposuit quid hoc esset negotii, rogans ut a Fortunato Cirtensi episcopo, cujus ille manibus hanc epistolam accepturus erat, et ad quem aliam ipse miserat eidem Generoso recitandam, de tota hac causa doceri se ne gravaretur (*Epist.* 115). Epistola igitur Fortunato inscripta totam rei seriem exhibet, significatque cupere se, ut moræ et ampliationis aliquid cognitor concedat Faventio; quippe qui violatis legibus abreptus esset, ac dilationis beneficio frustratus.

7. Hoc anno multis et magnis calamitatibus conflictatum undique est Occidentis Imperium. Alaricus cui superiore anno suas opes, ut a direptione se redimeret, Roma dederat, ipsum Italiæ meditullium cum suis copiis semper tenebat; cumque nullam cum Honorio paciscendi sibi propositam rationem satis probaret, Urbem denuo venit obsessum, atque eam ad suscipiendum Attalum imperatorem compulit. Novus Cæsar quasdam ad Africam occupandam copias misit : sed periere illæ consiliis ac prudentia comitis Heracliani, qui præsidio quibusque provinciæ portubus posito, Romam brevi ad extremam annonæ penuriam redegit, et Honorium dignitatis insignia deponendi atque in Orientem fugiendi necessitate liberavit. Amplius jam duobus annis Galliæ barbarorum innumerorum incursionibus patebant, ac insuper civilis belli, quod ibidem Constantinus excitaverat, flagrabant incendio. In Hispanias extremo septembri, aut paulo serius barbari Pyrenæorum montium angustias sine præsidio nacti, ita sese effuderunt, ut inde illos expellere nunquam postea quiverint Romani : quas autem illa provincia clades ab iis passa sit, dici vix potest. Africa quoque luctuosissimis illis temporibus haud intacta fuit : neque enim dubitare licet, quin de quapiam hujusmodi calamitate scripserit ad Augustinum Victorianus presbyter, ad quem ille paulo post rescripsit. Certe tractum Hipponensem, cui pepercerant barbari, ne mitius cæteris regionibus tractaretur, fœdum in modum Donatistarum ac Circumcellionum exagitavit furor. Qua de re dictum jam a nobis superius. Sed per hoc ipsum tempus, cum prima afferrentur nuntia excensus barbarorum in Hispaniam, idque forte sub finem octobris; uno in loco quadraginta octo homines ab istis hæreticis coacti sunt baptismum denuo suscipere. Mœstissimi illius casus certior est factus sanctus Præsul pridie quam Victoriano presbytero super illa responderet barbarorum grassatione, qua, ut is narrabat, quidam servi Dei, id est monachi, fuerant trucidati, necnon sacræ virgines in captivitatem abductæ, atque hominum religione omni ac pudore destitutorum objectæ libidini. Rogabat Augustinum Victorianus, ut sibi hanc in rem paulo fusius responderet, vel ea potissimum de causa, quod ansam hinc Pagani arriperent blasphemis vocibus Deum impetendi, necnon mala illa conferendi in religionem christianam. Responsum dedit ei Vir sanctus, pro suis occupationibus, amplum, et quod ad rem sat esset. In hoc demonstrat, nihil tum Ethnicis tum Christianis aptius commodiusve posse reponi, quam si dicamus gravioribus pœnis dignos esse, qui Domini voluntatem, quam ignorare nequeunt, aspernantur, quam ii, quibus de illa nunquam quidquam audire contigit : pios vero, quantalibet vitæ sanctimonia fulgeant, nequaquam in integritate ac morum innocentia primas sibi arrogare posse præ Daniele ac sociis ejus sanctissimis illis adolescentibus, vel etiam Machabæis; qui tamen omnes atrocibus conflictati miseriis, puniri se digne et juste pro suis ipsorummet peccatis prædicarunt. Quamobrem Victorianum hortatur, ut caveat pro viribus, prohibeatque, quominus in hisce cladibus ac damnis Deus indignis querimoniis irritetur : tum ne cesset ad eum pro captivis virginibus ingemiscere; quid de illis factum sit, aut qua in re juvari possint, summa diligentia inquirat: ac tandem speret fore, ut opem illis Deus afferat, vel prohibita ab earum corporibus injuria, vel confirmatis per gratiam earumdem animis, ut quam ipsi voto nuncuparunt, virginitatem retineant. His addit futurum fortasse, ut hanc ancillarum suarum captivitatem Deus tum in suam ipsius gloriam, tum in illarum utilitatem non sine magno fenore convertat. Cujus rei documentum narrat in virgine quadam sanctimoniali regionis Sitifensis, Severi episcopi nepte, ante paucos annos exhibitum. *Domus enim illa*, inquit, *barbarorum, ubi captiva ingressa est, subita cœpit dominorum infirmitate jactari, ita ut omnes ipsi barbari, tres, nisi fallor, vel amplius fratres, periculosissima infirmitate laborarent. Quorum mater animadvertit puellam Deo deditam, et credidit quod ejus orationibus sui filii possent ab imminentis jam mortis periculo liberari; petivit ut oraret pro*

*eis, pollicens, quod si salvi facti essent, eam suis parentibus redderent. Jejunavit illa, et oravit, et exaudita continuo est. Ad hoc enim factum erat, quantum exitus docuit. Ita illi tam repentino Dei beneficio salute percepta, mirantes eam et honorantes, quod eorum mater promiserat impleverunt.* Itaque per mirabilem Dei misericordiam cum honore magno suis parentibus restituta est. Denum subjicit, tantum in mente valere integritatem castitatis, ut illa inviolata, nec in corpore possit pudicitia violari (*Epist.* 111).

## CAPUT VIII.

*Anno quadringentesimo decimo, expugnata Urbe, varios ea de re sermones habet ad plebem.* 2 *Hipponensibus absentiam suam excusat, utque de vestiendis pro suo more pauperibus cogitent, hortatur.* 3 *A morbo convalescens ruri respondet Dioscoro de quæstionibus ab eo missis.* 4 *Consentium animi simplicitate ac sine arrogantia errantem dedocet, imbuitque saniori doctrina.* 5 *Colendæ suæ cuique religionis libertatem datam tollit Honorius.* 6 *Idem jubet ut Catholici cum Donatistis in colloquium veniant.* 7 *Curando futuræ Collationis modo ac ordini præficitur Marcellinus.*

1. Superiore anno Victorianum ob intolerabilia mala, quæ barbarorum incursionibus Imperio acciderant, animo fractum confirmare studebat Augustinus : verum id genus remediis, quæ ipsi propensa in omnes pietas suppeditabat, magis indiguit sanctus Antistes in illis ærumnis, quas annus quadringentesimus decimus tulit; quo videlicet anno Gothorum rex Alaricus Urbem obsidione cinxit, et nono kalendas septembris tandem expugnavit. Hanc enim militi barbarus diripiendam permisit; quanquam ea posita lege, ut et christiano sanguini parceret, et eorum quæ in basilicis præsertim apostolorum Petri et Pauli recepta fuissent, contingere quidquam non auderet. Calamitatum, quæ nobilissimam illam urbem populatæ fuerant, tristes nuntii pio Antistiti crebros e pectore gemitus, magnam ex oculis lacrymarum vim expresserunt : atque hinc solatium capere se vix potuisse profitetur (*De Urbis excidio, n.* 3). At ei præ cæteris in molestum erat, Paganos et ex ipsis eos etiam quorum saluti, nisi se christianos mentiti essent, aut in Christianorum templa confugissent, consultum omnino non fuisset, tamen adeo cæcos atque immemores beneficii se præbere, ut imperii damna christianæ religioni imputarent, Urbemque non ob aliud, quam propter eversa simulacra, expugnatam fuisse prædicarent. Hasce blasphemias frequens refellebat in suis ad populum Sermonibus, ex quibus non pauci supersunt adhuc, et unus in primis, in quo significat, sibi a Gentilibus nimium crebram Romanæ cladis mentionem exprobrari, quasi in animo haberet ipse alienis illudere atque insultare infortuniis : quæ res ab ejus ingenio quam maxime abhorrebat (*Serm.* 105, *nn.* 12, 13). Et sane hoc illo sermone, ubi fideles docet qua ratione ab ipsis excipienda sint dura et adversa, quidve pro sua spe respondendum Paganis insultatoribus et blasphematoribus nominis christiani, horum vicem simul graviter dolet, atque ut ad fidem conversi, æternam salutem adipisci valeant, vota facit. Alias eamdem jamjam adfuturam, aut potius illatam recens Romæ vastitatem oratione persequens, auditores sub concionis finem obtestatur, ut quo magis in ista occasione peregrinorum, egenorum, laborantium, augeri numerum cernerent, hoc etiam magis charitatem ipsi ac misericordiam intenderent suam; sic enim Christianis Christi præceptum implentibus, fore ut Paganorum impiæ in Deum voces, nonnisi in suam ipsorum vertantur perniciem. *Quod jubet Christus,* inquit, *faciant Christiani; et tantum suo malo blasphemant Pagani* (*Sermone* 81, *n.* 9). Exstat et sermo alius in recentem ejusdem urbis direptionem habitus, cujus ipsa inscriptio est : *De Urbis Excidio.* In eo autem demonstrat Vir sanctus, istiusmodi clades peccatis nostris acceptas referri debere; ac inter mortales neminem omni ex parte justum atque a delicti contagione liberum esse, multis ostendit argumentis et exemplis : quod ab eo videtur factum, ut exorientium Pelagianorum placitis occurreret. Inibi quoque mentionem facit ignitæ illius nubis, quæ anno supra trecentesimum nonagesimo sexto apparuit Constantinopoli impendens. Plura hinc non dicimus : suus infra se dabit locus explicandi, quo pacto Gentilium impiis ob expugnatam Urbem querimoniis permotus ad aggrediendum egregium opus de Civitate Dei animum appulerit.

2. Contigit, sanctum Episcopum aliquandiu per luctuosissima illa tempora abesse Hippone, quo nonnisi cœpta hieme regressus est. Qua occasione autem Ecclesiam suam tum deserucrit, cum ob Imperii ærumnas præsentiam ejus magis illa requirebat, ignoramus : at certe nunquam ab sua diœcesi abfuit liberiore licentia, sed sola juvandi alios necessitate compulsus (*Epist.* 122, *n.* 1) : neque dubium est, quin ad iter hoc potissimum tempore suscipiendum causa eum solito urgentior adegerit. Nam *populus Hipponensis,* inquit, *cui me Dominus servum dedit, cum ex magna et pene ex omni parte ita infirmus sit, ut pressura etiam levioris tribulationis possit graviter ægrotare, nunc tam magna tribulatione cæditur, ut etiamsi non sic esset infirmus, vix eam cum aliqua salute animi sustineret. Eum autem,* pergit idem sanctus, *modo cum regressus sum, periculosissime scandalizatum comperi de absentia mea : præsertim quoniam multi sunt hic, qui detrahendo nobis, cæterorum animos, a quibus diligi videmur, adversus nos perturbare conantur, ut locum in eis diabolo faciant. Cum autem irascantur nobis, de quorum salute satagimus, magnum illis consilium vindicandi, est libido noviendi, non in corpore, sed in corde* (*Epist.* 124, *n.* 2) : quibus quidem, ut opinamur, tacite innuit, transire eos ad Donatistarum partes velle. Quod ipsum in causa fuit, cur tota hieme ne pedem quidem Hippone efferret. Per illud ipsum absentiæ suæ tempus epistolam ad clerum et populum Hipponensem scripsisse videtur (*Epist.* 122) : hac enim calamitates in orbem pene universum sævientes memorat, quibus ad prospiciendum, ne iisdem similiter opprimerentur, excitari necesse erat Hipponenses. Etenim direpta Roma vastataque Italia Alaricus trajicere in Siciliam destinabat (*Oro-*

*sius, Hist. lib.* 7, *cap.* 43), inde in Africam, si Jornandi credimus, invasurus (*Jornandes, lib. de Reb. Goth.*). Porro malorum istorum metu civium Hipponensium nonnihil refriguit pietas. Multis jam retro annis vestire pauperes erant soliti, quod etiam absente aliquando Augustino præstare non omiserant. Eos sanctus Præsul antequam sese in viam daret, diligenter adhortatus fuerat, ut pium illud opus suo more prosequerentur, nihilominus tamen id comperit neglectum ab illis fuisse. Quamobrem per litteras eis amanter admodum conatur persuadere, ut idem christianæ charitatis officium pro suis quisque opibus, uti solebat antea, non detrectet exhibere impendente jam ruina et contritione mundi. Imitetur potius illos, qui ædibus ruinam minitantibus, fortunas suas tutiorem in locum transferunt: memor scilicet apostolici illius pronuntiati, *Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis* (*Philip.* IV, 5, 6). Suam illis absentiam purgat in principio epistolæ, ad eam coactum se esse asseverans aliis Christi membris subveniendi necessitate; qua etiam, nisi valetudinis infirmitate fuisset prohibitus, ad trajiciendum mare, quod non raro sui collegæ fecerant, inductus esset. Neque illic dissimulat absentiam hanc suam permoleste tulisse Hipponenses : quod ipsum non male in annum, ut mox dicebamus, quadringentesimum decimum quadrat. Adde quoque sub hiemis initium largienda fuisse pauperibus vestimenta.

3. Hoc ipso fortassis quadringentesimo decimo Christi anno quæstionibus Dioscori facere satis Augustinus aggreditur : quandoquidem se jam tum ætate canum, quod in hominem quinquaginta sex annos natum cadere potest, esse testatur (*Epist.* 118, *n.* 9); atque orta hic occasione dicendi de hæreticis, qui per id tempus tumultuabantur in Africa, deque opinionibus, quas operæ pretium erat cognoscere, Donatistas, Maximianistas, et Manichæos nominat (*Ibid.*, *n.* 12), nulla mentione injecta Pelagianorum inimicorumve gratiæ Christi, in quos concilium anno sequenti cogendum fuit. Porro Dioscorus ille juvenis erat, e Græcia oriundus, qui postquam prima græcanicæ linguæ rudimenta imbibisset, Romam ac dein Carthaginem, qua tum in urbe morabatur, venerat latinis litteris erudiendus (*Ibid.*, *nn.* 9, 10). Hic aliis quibuslibet doctrinis christianam præferebat, eamque profitebatur esse solam, qua posset æternæ vitæ spes afferri (*Ibid.*, *n.* 11). Is igitur cum suos revisurus jam esset in procinctu ad repetendam Græciam (*Ibid.*, *nn.* 1, 2), Augustino quemdam nomine Cerdonem destinavit, quæstionibus onustum longe difficillimis, tum in dialogos Ciceronis, ut varias philosophorum opiniones intelligeret, tum etiam in Oratorem ejusdem Tullii, ac libros de Oratore (*Epist.* 117). Permirum Augustino visum est, quod sibi tot curis tantum non obruto quæstiones proponerentur adeo difficiles, ab episcopi studiis atque occupationibus adeo discrepantes, ac in ea demum argumenta, quæ vel ætas ex memoria delevisset, vel ipsa cognitionum magis utilium oblitterasset investigatio; quæque idcirco in mentem ipsi revocanda fuissent ex libris, quos ne reperire quidem Hippone potuisset. Cum autem illæ ad explendam animi curiositatem spectarent omnes, maximum in modum abhorrebant ab institutis episcopi; cujus illud in primis refert, curiositati nimium indulgentes cohibere. Deum ipsum in epistola sua testem adducebat Dioscorus, omnino se ad eum interrogandum super hisce rebus necessitate compulsum. Quapropter quæ obtestationem illam sequebantur, quam attentissime perlegit Vir sanctus, nimirum ut, quid isthic esset tam urgentis necessitatis, cognosceret. Atqui facile deprehendit id prorsus nihil aliud esse, nisi quod verebatur juvenis, ne reversus in patriam, si forte istis quæstionibus respondere non posset, pro tardo ac stolido haberetur. *Hoc loco vero exarsi*, ait Augustinus, *ad rescribendum tibi : hoc enim languore animi tui penetrasti mihi pectus, et irrupisti in curas meas, ut dissimulare non possem, quantum me Deus adjuvaret, mederi tibi; non ut de tuis quæstionibus enodandis explicandisque cogitarem, sed ut felicitatem tuam pendentem ex linguis hominum atque nutantem a tam infelici retinaculo abrumperem, et cuidam sedi omnino inconcussæ stabilique religarem* (*Epist.* 118, *n.* 3). Ilic igitur demonstrat, cupiditatem ejus meram esse vanitatem, cui ab episcopis mos nullo pacto gerendus esset. Quin etiam eamdem nulli usui futuram, cum eo tempore reperiretur nemo, qui priscorum id genus philosophorum, quorum fere vel nomina oblivione sepulta essent, rimandis disquirendisque sententiis operam luderet suam : illi quidem nonnihil existimationis ac nominis, si qua ejus rei cura homini christiano esse deberet, accedere posse legendis, qui celebres etiamnum erant, Græcis philosophis; at vero quod ad Ciceronis libros, qui tum negligenter admodum habebantur apud Latinos, id eum pro certo tenere posse, repertum iri neminem, qui eorum in Græcia mentionem injiciat. *Facilius quippe*, inquit Vir sanctus, *corniculas in Africa audieris, quam in illis partibus hoc genus vocis* (*Ibid.*, *n.* 9). Quare ei nititur persuadere, ut scientiæ cuipiam magis necessariæ studeat, exempli causa hæreseon cognitioni; propter eas scilicet, quæ tum Orientem, quo iter ille destinabat, infestabant. Sed illum etiam atque etiam adhortatur, ut pietati incumbat, et humilitati in primis, cui virtuti inanis illius philosophiæ studium vehementer adversatur. Ei tamen quasdam philosophorum opiniones exponit, et sic velut in transcursu ejus partim enodat quæstiones; quæ vero de Platonicis tradit, ea sunt observatu dignissima. Quin etiam ad cætera philosophiæ problemata, quæ sua in responsione non attigerat, observatiunculas nonnullas addidit. Has in iisdem membranis scripsit, in quibus miserat ille suas quæstiones. At vero quæ ad rhetoricam spectabant, ea si suscepisset explananda, tempus in meris nugis atque ineptiis terere sibi visus esset. Dioscoro significat plura præstare sibi non licuisse : imo nec ea ipsa fuisse præstiturum, nisi morbus ubi paulum remisisset, eum ad discedendum Hippone reficiendi corporis gratia compulisset. Petit a Dioscoro, ut, qua ratione epistolam suam acceperit, sibi nuntiet. Porro quo tempore tabellarius epistolam Dioscori ad eum pertulit, infirma adhuc va-

letudine detinebatur : et postea etiam ipso in loco, ubi liberioris aeris gratia rusticabatur, febri per dies aliquot repetitus fuit.

4. Epistolam quoque ad Consentium scriptam rure, quo sanctus Vir ad tempus secedere necessum habuerat (*Epist.* 119, *n.* 1), dum adhuc libros de Trinitate componebat (*Epist.* 120, *n.* 13), atque tum datam esse cum reparandæ valetudini vacabat, suspicari licet. Verum utut est de tempore, cur ea scriberetur, id in causa fuisse reperimus. Consentius ille in insulis quibusdam, ubi verisimile quidem est eum solitariam vitam duxisse, cum multis aliis agebat (*Epist.* 119, *n.* 6). Induxerat autem animum libros edere, ubi Deum instar immensæ cujusdam lucis, sed tamen corporeæ, effingebat : quo figmento principii loco utens, nitebatur pro suo captu cum trium in Deo personarum, tum Incarnationis mysterium, explicare (*Ibid.*, *n.* 3). Ejus vero in simplicitate cum tantum inesset probitatis ac demissionis animi, ut ad veritatis cognitionem mereretur admitti, libros suos ad Augustinum destinavit, in ea epistola, quæ præfationis vice erat, testatus sibi propositum, fluctuantem suam fidem ejus sententia stabilire, neque illos libros eo tantum abs se missos ut legerentur, sed ut tanti Doctoris judicio subjicerentur atque emendarentur (*Epist.* 120, *n.* 1). Utrum eum postea ex occasione Vir sanctus viderit, aut litteris tantum allocutus fuerit, compertum non est; tametsi primum a fide propius recedat : verum utralibet ratione factum sit, ei clare aperteque declaravit, ejus sensum in idololatriæ cæcitatem incurrere (*Epist.* 119, *n.* 6); nec Deum corporis instar nobis animo cogitandum esse, sed in modum justitiæ ac pietatis, quarum nulla est imago corporea (*Ibid.*, *n.* 5). Et cum alioquin animadverteret, Consentio non solum virtutem esse non mediocrem, sed etiam ingenium neutiquam aspernandum, et iis quoque, quæ recte concepisset, scripto exprimendis idoneum, curam ejus gerere constituit peculiarem. Quare eum amanter ac non semel invitavit, ut ad se veniret, quædam quæ suis ex opusculis magis illi conducibilia judicabat, lecturus in emendatioribus codicibus (querebatur enim Consentius, se in mendosissimos incidisse); ac ubi quidpiam ostendisset paulo obscurius, ejus expositionem ab se coram auditurus; quo sic viva voce, quoad divina bonitas tribueret, eruditus in libris ipse suis propria errata per se corrigeret. Quin etiam jussit eum, donec Hipponem vacaret accedere, notas aliquas præfigere iis locis, quos minus intellexisset, ut illos postmodum præsens præsenti proponeret. Quod Consentio beneficium offerebat, id sane haud quaquam vulgare erat existimandum. Nam quantavis esset utilitas, quæ colligebatur ex Augustini scriptionibus, eam tamen multo luculentiorem percipiebant, qui vel ad plebem illum verba facientem, vel in familiari congressu dicentem audiebant (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 31). Delatam sibi gratiam haud dubie tanti, quanti par fuit, fecit Consentius : verum doceri se ab eo tam viva voce quam scripto cupiebat; quod inter eos, qui secum insulas illas habitabant, eodem errore tenerentur non pauci (*Epist.* 119, *n.* 6). Reduci se in viam sancti illius monitis haud satis habebat, nisi qui eodem adjumento indigebant, ii quoque illo neutiquam destituerentur. Optabat fratribus suis suum etiam esse Augustinum, cujus auctoritati cederent, parerent doctrinæ, summo sese subderent ingenio. Familiari disceptatione, quam ei sanctus Præsul pro paterna sua benignitate offerebat, ejus pudori magis consultum fuisset, quam refutatione publica : is vero, cum animæ suæ utilitatem, non sæculi fumos, quam ardentissime expeteret, amari nihil inesse in eo remedio putabat, quod foret sibi conducibile, quodque tum sibi, tum aliis cœlestem vitam, ac solidam veramque laudem allaturum esset. Neque enim existimabat homines fore adeo iniquos rerum æstimatores, ut eum, quod aliquantisper in errore fuisset, vituperarent potius, quam quod inde ad veritatis lucem emersisset, commendarent. Alypio episcopo, quem tum reducem e sua in Mauritaniam profectione fuisse credere licet, mentem suam aperuit, eumque rogavit, ut sibi hoc beneficii impetraret ab Augustino (*Ibid.*, *n.* 1). Hunc ipse postea quæsitum venit : at non potuit ejus conspectu, nedum colloquio frui. Nam sanctus Præsul rus, ubi eodem in loco eum forte aliquandiu morari oportebat, concesserat necessitate quadam compulsus. Ergo longioris moræ impatiens Consentius per litteras ab illo petiit, ut opiniones ac libros suos scripto emendare non gravaretur. Quibus addit et illa verba : *Cur ergo, vir, doctrinæ hujus, quæ in Christo est, culmen, arguere palam corrigendum de cætero filium dubitas, cum sententiæ tuæ anchora, nisi morsum altius presserit, nos certius stabilire non possit* (*Ibid.*, *n.* 6)? Reliquæ pariter hujusce epistolæ partes humilitatem Consentii referunt, et quo ipse loco Augustini auctoritatem ingeniumque habuerit, magnificis et præclaris passim declarat verbis. Ingenue confitebatur, se, qua ratione substantialis ac viva sit justitia, nondum cogitatione assecutum : adeoque non potuisse hactenus Deum, id est, viventem naturam justitiæ similem cogitare. Quapropter Augustinum obsecrabat in primis, ut sibi ad cognoscendam Dei unitatem ac discretionem personarum facem præferret (*Epist.* 120, *n.* 2). Jam autem apud animum suum statuerat, divina mysteria lumine fidei, non rationis, esse cognoscenda. Optatis ejus sanctus Doctor satisfecit scripta ad eum bene longa epistola, cujus ex lectione atque aliunde etiam petitis institutionibus adjutus, lucubrationem suam facilius emendaret (*Ibid.*, *n.* 20). Principio ostendit, non recte facere illum, qui divina mysteria intelligere se posse animo desponderet : ipsam enim fidem ratione niti, rationemque ad percipienda religionis arcana, quantum quisque intelligentia valet, conducere, dummodo illa prudenter utamur, neque usquam fundamentum fidei deseramus. Quam ob causam ille auctor est, ut istam recte intelligendi facultatem ardentibus ac fide nixis precibus a Deo efflagitet. *Ora*, inquit, *fortiter et fideliter, ut det tibi Dominus illuminationem, ac sic ea quæ forinsecus adhibet diligentia præceptoris sive doctoris*,

*possint esse fructuosa* (*Epist.* 120, *n.* 14). Atque ut ipse etiam pro sua parte afferat Consentio adjumentum, tradit ei quid inconcussa fide tenendum sit de Trinitate, ac simul qua ratione cogitari Deus animo valeat. Eum iterum hortatur, ut ad se veniat dies aliquot secum traducturus, ac de singulis quæ eum moverent, quæsiturus. Quin etiam humaniter arguit, quod hactenus id minime præstiterit. *Recte quippe verecundareris*, inquit, *ac te pigeret id agere, si vel semel voluisses, et me difficilem reperisses* (*Ibid.*, *n.* 1). Quibus ex verbis humanitatem sancti Viri, atque affabilitatem agnoscas. Spondet quoque curaturum se, ut Consentius perlegat quidquid de Trinitate, deque videndo Deo, aut jam lucubrasset, aut etiam tum lucubraret; cum nondum, propter amplitudinem difficultatemque argumenti, pervenire potuisset ad operis finem (*Ibid.*, *n.* 13) : quo sane non alios quam libros de Trinitate indicari, perspicuum est.

5. Honorium pravis quorumdam consiliis inductum sanctas ac salutares leges, quas antea contra Paganos atque hæreticos tulerat, omnes quodammodo antiquasse, concesso cuique eligendæ religionis arbitrio, supra vidimus. Hæc autem religionum licentia dum obtineret, Africani præsules decimo octavo kalendas julias anni quadringentesimi decimi Carthaginem in basilicam secundæ Regionis convenerunt. E cujus concilii actis id solum invenimus, Florentio, Possidio, Præsidio ac Benenato episcopis legationem ad Imperatorem à concilio demandatam esse (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 107). Quam ob causam instituta sit hæc legatio, colligere est ex constitutione Honorii ad Heraclianum comitem Africæ octavo kalendas septembris data, qua jus exercendi sacra propria hæreticis concessum plene planeque abrogatur, et constituta proscriptionis aut etiam capitis pœna, ne publicum ullum conventum habeant interdicitur (*Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 51). Eam enim legem legatorum hujus concilii industriæ ac diligentiæ non immerito tribuendam putant. Hanc ipsam reperire est laudatam in mandato ad Marcellinum de procuranda collatione scripto pridie idus octobris ejusdem anni; quo mandato Honorius conceptis verbis, quidquid vel ipse vel superiores imperatores catholicæ religionis gratia statuissent, quam exactissime observari præcipit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 4). Unde suo Marcellinus edicto, quod sub initium martii anno undecimo supra quadringentesimum dedit, testatur, per provincias singulas certos quosdam, qui Donati sectatores persequerentur sive convenirent, destinatos fuisse (*Ibid.*, *cap.* 5).

6. Episcopi legati, qui libertatis heterodoxis concessæ rescissionem obtinuerant, iidem quoque in mandatis habebant rei haud levioris momenti procurationem. Neque enim est, cur dubitemus, quin eorumdem precibus debeatur Collationis apud Carthaginem ineundæ mandatum pridie idus octobris ab Honorio datum (*Ibid.*, *cap.* 4). Vidimus jam supra quantis studiis Donatistas ad conveniendum secum de colloquio catholici antistites anno quadringentesimo tertio et quadringentesimo quarto sollicitarint : quanto contra supercilio illud recusarint Donatistæ; et tamen anno demum quadringentesimo sexto huc redacti fuerint, ut sese id velle et cupere simularent. Arbitrati sunt Catholici, bono illo, ut videbatur, adversariorum animo utendum esse (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 110, *et Brevic. Collat.* 3, *n.* 4). Cernebant, e plebeiis Donatianæ sectæ complures, et pene omnes dicere solitos : *O si in unum locum convenirent! o si aliquando conferrent, atque illis disputantibus veritas appareret?* (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 58.) *Præterea illorum furor*, ait Augustinus, *occupaverat Africam totam, nec prædicari a Catholicis veritatem contra suum patiebantur errorem; violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes : cum quibus apud episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus; quod vero ante ferme centum annos majores nostri cum eis egerant, jam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, ut saltem gestis nostra Collatione confectis eorum contunderemus inverecundiam et reprimeremus audaciam* (*Contra Julianum*, *lib.* 5, *n.* 5). Hæ præsertim fuerunt causæ, quibus, ut hocce colloquium expeterent, Africani præsules inducti sunt; non vero quod existimarent illud remedii semper adversus hæreticos expedire (*Operis imperfecti lib.* 1, *c.* 10). Tam operosi negotii, quod tandem confici vehementer intererat Ecclesiæ incœptor et perfector Augustinus fuit; aliis tamen episcopis suum quoque consensum adhibentibus, illiusque curas propria secundantibus industria (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 13). Directi sunt igitur ad Imperatorem legati, qui peterent, utriusque partis episcopos juberet convenire Carthaginem, ubi delecti utrimque ex omni numero nonnulli disputarent (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 4); quo sic posset, deprehenso manifeste mendacio, veritas apparere (*Ibid.*, 3, cap. 110). Prolatum à legatis fuit coram Honorio actum illud, quo Donatistæ ipsi colloquium anno quadringentesimo sexto postulaverant (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 4). Honorium autem, quominus petitum à se conventum animo lubenti prolixoque annueret, Imperii non prohibuit horrenda confusio. Qua sane in re clarissimo probavit argumento, non vanum fuisse quod affirmabat, utilitatem scilicet honoremque catholicæ Ecclesiæ curam suam aut unicam esse aut certe primam; nihil aliud neque pace neque bello quærere se, nisi ut in ditionibus suis Deus regnaret; dolere sibi quod provinciam Africam, cujus officiis (puta contra Attalum) fuisset adjutus, cerneret Donatistarum discidio lacerari (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 4). Honorius vero potestatem conveniendi ad colloquium eo proniori voluntate fecit, quod idem utraque pars poposcisset (*Ibid.*, *cap.* 5). Exstat adhuc Honorii rescriptum, quo rursus abrogata, quam hæreticis concesserat, libertate, Collationem a Catholicis expetitam permittit (*Ibid.*, *cap.* 4). Eam in mensem quartum, a promulgatione edicti, indicit; ac Donatistas, si quidem ad id tempus convenire detrectarent, statuit iterum ac tertio vocari; qua ratione rem adhuc in duos menses ampliabat; sin vero ne tum quidem

ad tempus constitutum adessent, populos demum universos ad præstandum catholicis episcopis obsequium teneri, restitutis in eorummet potestatem omnibus ecclesiis (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 30). Scriptum hoc Ravennæ datum est pridie idus octobris; sed quoto anno non dicitur : haud dubie tamen quadringentesimo decimo, quando quidem anno quadringentesimo undecimo habita Collatio fuit. Huc adde partem ejusdem rescripti Theodosiano codici insertam, et consulatu Varonis, qui in annum quadringentesimum decimum incidit, notatam; tametsi, quod ad diem attinet, non pridie, sed quarto idus ejusdem mensis ibi signetur (*Codice Theod.*, *de Relig.*, *lege* 3).

7. Imperiale præceptum de habendâ collatione universis Africanarum provinciarum judicibus missum est (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 140), necnon Flavio Marcellino directum cum mandatis, ut is consessui cognitor præsideret (*Ibid.* 1, *cap.* 4). Marcellinus ille ubique appellatur tribunus ac notarius; quæ dignitas haud multum recedit à munere eorum, quos Regi ab commentariis nominamus. Catholicæ erat communionis (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 2); eumque dicit Orosius virum in primis prudentem et industrium, necnon omnium studiorum bonorum appetentissimum (*Orosius*, *Historiæ lib.* 7, *cap.* 42). Primæ duæ dotes mirum quantum eluxerunt in Collatione, ubi non æquitatis ac moderationis tantum, sed etiam judicii sapientiæque egregia specimina dedit. Quam autem vehementer esset divinarum Litterarum studiosus, testis est Augustinus (*Epist.* 190, *n.* 20) : ex quo ejusdem integerrimos mores et pretiosam mortem suo inferius loco enarraturi sumus. Huic Honorius rescripto suo imperat, ut quicumque ex magistratibus negligentiores se in præstandis adminiculis ad conventum necessariis præbuerint, eos ipse sibi per litteras, quo puniantur, significet, ac primo quoque tempore sententiam abs se in ea causa latam nuntiet (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 4). Jussi sunt etiam proconsul ac vicarius Africæ ministros omnes, quibus ille ad obeundum munus sibi impositum opus haberet, ei tradere. Ergo ab imperiali Comitatu in Africam Collationis causa venit Marcellinus (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 13) : quem Augustinus pro Ecclesiæ utilitate missum affirmat; et causas ecclesiasticas eidem potissimum injunctas esse, ita ut de cœptis et molitionibus hæreticorum judicare, in eos ex legum severitate inquirere, ac ultimo quoque supplicio, ubi res exigeret, animadvertere posset (*Epist.* 135, *n.* 1-3). Multum quidem voluptatis ad Catholicos rediit, cum primum iis de reconciliatione, quam coire imperator colloquii beneficio cogitabat, nuntiatum fuit : at sibi temperare, quominus conceptum ea de re dolorem atque ægritudinem præ se ferrent, Donatistæ neutiquam valuerunt (*Serm.* 357, *n.* 3).

## CAPUT IX.

1 *Pinianus et Melania cum hujus matre Albina Tagastam adventant.* 2 *Hos illuc invisere Augustino non licet.* 3 *Hipponem venit Pinianus.* 4 *Eum sibi plebs Hipponensis in presbyterum poscit.* 5 *Ortum hinc tumultum compescit Pinianus, Hippone se mansurum adhibito jurejurando pollicitus.* 6 *Albinæ atque Alypii de iis quæ sibi sive Piniano evenerant querelæ.* 7 *Purgat se apud eos Augustinus.* 8 *Piniano postmodum abeundi quo vellet, haud dubie licentia ab Hipponensibus tributa.* 9 *Armentarium et Paulinam ad mundi contemptum et ad solvendum continentiæ votum hortatur Augustinus.*

1. Quos fructus sive imperatoris Honorii, sive Marcellini tribuni de promovenda tam diu a Catholicis expetita Collatione studium et cura peperit, in hujusce anni quadringentesimi undecimi decursu exponetur : jam quid ejusdem initio contigerit, aperiendum. Haud ita multo ante expugnatam Urbem, inde Melania senior familiam suam, videlicet Albinam nurum, juniorem Melaniam neptem, et Pinianum junioris hujus Melaniæ conjugem eduxerat. Hi porro omnes, genere atque opibus inter Romanos clarissimi, nobilissimæ illius urbis voluptates æque reliquerunt ac domicilium : hincque non alio migrarunt animo, quam ut sese ac sua Christo manciparent, vitam vere monasticam victuri (*Epist.* 126, *n.* 11). Cum expugnata non pridem Roma Rhegium urbem Alaricus incendit, morabatur adhuc una cum suis in Sicilia Pinianus (*Valois*, *in Euseb.*, *pag.* 129, *et Noris*, *Hist. Pelag.*, *pag.* 25). Melaniæ junioris Vita prodit, illam e Sicilia Carthaginem primum, atque inde Tagastam, ubi cum Piniano et Albina per hiemem agebat (*Epist.* 124, *n.* 1), trajecisse (*Surius*, *decemb. die* 31, *vel januar. die* 2). Optime sane cum Tagastensibus divino nutu actum est, quod hospites, qui sibi solatium acerbissimis illis temporibus præberent, apud se haberent adeo illustres. Quid iis cum natalium splendor, tum Christi gratia contulisset, jam ante audierant, auditumque charitate moti crediderant : sed quibus eadem non erat charitas, his, ne tam insolita res fidem superare omnem videretur, vix fando narrabatur. Tagastensis præsul Alypius vir dicendi peritus, quique sanctæ cujusdam eloquentiæ vi in animos hominum salutis amorem insinuabat, potiorem præ cæteris lætitiæ istius partem capiebat, ac una cum hospitibus suis in eloquii divini meditatione versabatur (*Surius*, *decemb. die* 31, *vel januar. die* 2). Illi contra, ut in Melaniæ Vita legere est, variis ornamentis iisque auro ac multiplici gemma distinctis, necnon et prædiis haud exiguis ejus Ecclesiam ditarunt; atque etiam Tagastæ monasteria duo, alterum virorum in quo monachi octoginta, feminarum alterum, in quo virgines centum et triginta degerent, sufficientibus ad id reditibus attributis construxere. Testatum quoque reliquit Augustinus, varii generis muneribus Tagastensem Ecclesiam ab iis donatam fuisse, ob eamque rem populum lætitiam præ se tulisse non vulgarem quidem, verum propriæ cupiditatis sordibus prorsus alienam (*Epist.* 126, *n.* 7) : quippe quod ejusmodi munificentiæ non ad privatos cives, sed ad ecclesiasticos viros, monachos, sanctimoniales ac pauperes tota rediret utilitas (*Epist.* 125, *n.* 2).

2. Non alia de causa tam longo itinere splendidis-

sima illa christianæ religionis lumina Tagastam petierant, nisi ut Augustini conspectu colloquioque fruerentur (*Epist.* 124, *n.* 1). Tamen eidem sancto, quantumvis esset studiosus amicorum cultor, atque hosce invisendi gratia pervolare maria se posse exoptasset, ne Tagastam quidem, ut et eos salutaret, et suis civibus de felicitate, quæ ipsis obtigerat, gratularetur, conferre sese integrum fuit. Adversari quidem videbatur hiems aspera tum et horrenda; quippe cum eo esset valetudinis habitu, ut natura frigus ferre non posset : ea tamen res eum ne Tagastam proficisceretur, non deterruit; sed cum animos Hipponensium vertente anno quadringentesimo decimo absentia sua offensos comperisset, arbitratus est officio ac muneri se defuturum suo, si profectionem aliam tam cito susciperet. Quocirca quam servitutem Ecclesiæ suæ debebat, eam judicavit voluptati, quam Tagastæ percepturus esset, anteponendam. Datis igitur ad Albinam, Pinianum ac Melaniam excusandi sui ergo litteris, testatur, culpam quam incurrebat, quod illos non inviseret, eam ipsam sibi pœnam esse, qua gravior imponi posset ei nulla : addit tamen sperare se, si quidem infelicior sit, quam ut videre eos Hippone sibi contingat, non defuturam occasionem, cujus beneficio utcumque liber, eos quacumque in regione Africæ futuri sint, conveniat.

3. Haud ita multis, uti videtur, diebus post datam hancce epistolam Pinianus cum Melania juniore Hipponem venit. Cum vero, quæ erat ejus humilitas, timeret, ne quam vim ab Hipponensi populo Augustinus, et a Barcinonensi Paulinus, passi fuerant, eamdem ipse quoque pateretur, fidem sibi ab Augustino dari voluit, sese ab eo presbyterum invitum nunquam ordinatum iri (*Epist.* 126, *n.* 1) : quin et ipsi pollicitus est sanctus Episcopus, ut eam dignitatem acciperet, auctorem se ac suasorem ei non futurum (*Ibid.*, *n.* 2). Cujus promissi, saltem quod ad posteriorem partem, testis præter unum, haud dubie Alypium, qui tum forte cum Piniano Hippone versabatur, nullus fuit. Pinianus multis variisque muneribus Augustinum donavit, quibus hic prout judicavit conducibilius utens, ea partim clericis ac monachis, partim laicis quibusdam indigentibus distribuit (*Ibid.*, *n.* 8). Porro hisce opibus, quas Augustino atque Alypio Pinianus tradebat, factum, ut ambo illi vererentur, ne in suspicionem iniquæ dispensationis inciderent. Qua in re cum ipsis minime sufficeret conscientiæ propriæ testimonium, sed curandum esset præterea, ut, quantum abhorrerent a studio privatæ utilitatis, hominibus, quos ex dominico præcepto erudire, quibusve ad pietatem exemplo suo præire tenebantur, clarum testatumque redderent (*Epist.* 125, *n.* 2), collocuti sunt de hoc inter se, et qua ratione Ecclesiæ filiis, imo et adversariis, planum facerent, in administrandis bonis ecclesiasticis mentes suas nulla cupiditatis aut avaritiæ nota inquinari, coram conferendo inquisiere (*Ibid.*, n. 1, *et Epist.* 126, *n.* 9). Quæ cautio quam ipsis necessaria fuisset, patuit ex tentatione quadam, quæ Dei permissu non multo post tempore contigit.

4. Factum enim est, ut ecclesiastico cœtui cum interessent aliquando una cum Alypio Pinianus ac Melania, universa plebs, necdum dimissis catechumenis, Pinianum sibi in presbyterum ordinari magnis clamoribus flagitaret (*Epist.* 126, *nn.* 1-3, 5). Ad eam accessit Augustinus, et concessa eorum clamoribus brevi mora, id sibi integrum non esse, propterea quod invitum illum ab se consecratum non iri promisisset, declaravit : simulque addidit, si contra fidem a se datam Pinianum haberent presbyterum, fore ut se ipsum episcopum non haberent. Quibus dictis ad sedem suam se recepit, quam in eo loci subsellia, et mox absidem vocat; quod genus erat suggesti multis gradibus editius (*Ibid.*, *n.* 1). Aderant quoque Pinianus et Melania, sed nonnihil remoti ab Augustino, ad quem augescente tumultu (nec enim eum sedavit Antistitis responsio) accesserunt (*Epist.* 125, *n.* 2). *Aliquantulum*, inquit sanctus Præsul, *inopinata mea responsione cunctati atque turbati, velut flamma vento paululum pressa, deinde cœperunt multo ardentius excitari; existimantes fieri posse, ut vel mihi extorqueretur, illud non servare promissum, vel me tenente promissi fidem, ab alio episcopo ordinaretur. Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores et graviores ascenderant, nec a promissi fide me posse dimoveri, nec ab alio episcopo in Ecclesia mihi tradita, nisi me interrogato ac permittente, posse ordinari; quod si permitterem, a fide nihilominus deviarem. Addebam etiam, nihil eos velle, si ordinaretur invitus, nisi ut ordinatus abscederet. Illi hoc posse fieri non credebant. Multitudo vero pro gradibus constituta, horrendo et perseverantissimo clamorum fremitu in eadem voluntate persistens, incertos animi consiliique faciebat* (*Epist.* 126, *n.* 1). Tum vero populus multa convicia in Alypium conjicere, quasi non ob aliud cuperet Pinianum secum retinere, nisi ut ejus munificentiam ac liberalitatem in proprios usus converteret. His gravissime commotus est Augustinus; tametsi quemquam e clericis aut monachis præsentibus haud comperisset esse reum illius injuriæ (*Epist.* 125, *n.* 5), sed tantum imperitum vulgus, quod compescere non valuit (*Ibid.*, *n.* 2), quodque tam ingenti reatu per Alypii orationes mereatur absolvi, vehementer cupit (*Epist.* 126, *n.* 1). In his turbis, tum ipse, tum Alypius ac Pinianus non immerito extrema omnia formidabant. Timendum quippe erat, *ne aliqui perditi*, ait Augustinus, *qui multitudini etiam bonorum plerumque miscentur, occasione seditionis et quasi justæ indignationis inventa, in aliquam vim sceleratam rapinarum cupiditate prorumperent* (*Epist.* 125, *n.* 3, *et Epist.* 126, *n.* 1).

5. Adduci non potuit præsenti periculo Augustinus, ut vel obiter Piniano suaderet, populi voluntati morem gerere, tametsi hoc se non facturum, uno tantum teste præsente, pactus esset. *Abscedere cogitabam*, inquit; *sed metuendum fuit, ne magis me absente atrocius quid faceret et reverentia minor, et dolor ardentior. Deinde si cum fratre Alypio discederem per populum constipatum, cavendum fuit, ne quisquam in eum manum mittere auderet : si autem sine illo, quæ frons es-*

*set existimationis, si quid ei fortassis accideret : et videret eum propterea deseruisse, ut furenti populo traderetur? Inter hos æstus meos gravemque mœrorem et nullius consilii respirationem, ecce repente atque inopinate sanctus filius noster Pinianus mittit ad me servum Dei,* Barnabam, *qui mihi diceret eum se velle populo jurare, quod si esset ordinatus invitus ex Africa omnino discederet; credo, existimans eos, quandoquidem pejerare non posset, non jam ulterius infructuosa perseverantia clamaturos, ad expellendum hinc hominem, quem saltem deberemus habere vicinum. Mihi autem, quia videbatur vehementiorem eorum dolorem post hanc jurationem fuisse metuendum, apud me tacitus habui : et quia simul petierat, ut ad eum venirem, non distuli. Cum mihi dixisset hoc ipsum, continuo et illud adjunxit eidem jurationi, quod mihi dum ad eum pergo, per alium Dei servum,* Timasium, *mandaverat, de præsentia scilicet sua,* hoc est, Hippone se remansurum, *si ei clericatus sarcinam nolenti nullus imponeret. Hic ego in tantis angustiis quasi aura spirante recreatus (neque enim potui sic sapere, ut tanto vel tumultu vel offensione magis everti vellem Ecclesiam cui servio, quam id quod a tali viro nobis offerebatur accipere) nihil ei respondi; sed ad fratrem Alypium gradu concitatiore perrexi, eique quid dixerit, dixi. At ille, ut existimo, devitans ne quid se auctore fieret, unde vos,* Albinam alloquitur, *putabat offendi, Hinc me, inquit, nemo consulat. Quo audito, ad populum tumultuantem perrexi : factoque silentio, quid promissum esset, cum promissione etiam jurationis aperui. Illi vero, qui solum ejus presbyterium cogitabant atque cupiebant, non ita, ut putabam, quod oblatum fuerat acceperunt; sed inter se aliquantulum mussitantes, petiverunt ut adderetur eidem promissioni atque jurationi, ut si quando illi ad suscipiendum clericatum consentire placuisset, nonnisi in ipsa Hipponensi ecclesia consentiret :* et hoc ea spe, quia per illam præsentiam creditum est eum etiam ad clericatum suscipiendum posse desiderantibus consentire. *Retuli ad eum; sine dubitatione annuit. Renuntiavi illis; lætati sunt; et mox jurationem pollicitam poposcerunt. Reverti ad filium nostrum, eumque inveni fluctuantem, quibusnam verbis comprehendi posset illa cum juratione promissio, propter necessitates irruentes, quæ possent eum ut abscederet cogere. Simul etiam quid timeret ostendit, ne quis irruisset hostilis incursus, qui esset discessione vitandus. Volebat addi sancta Melania, et aeris morbidi causationem : sed illius responsione reprehensa est. Ego autem dixi, gravem ab illo et non contemnendam causam necessitatis ingestam, quæ cives etiam emigrare compelleret : sed si hæc populo dicerentur, timendum esse, ne male nos ominari videremur; si autem sub necessitatis nomine fieret excusatio, nonnisi fraudulentam necessitatem putari. Placuit tamen ut de hac re populi animum experiremur; et nihil aliud quam id, quod putaveramus, invenimus. Nam cum ejus verba a diacono dicta recitarentur, et omnia placuissent; ubi nomen interpositæ necessitatis insonuit, continuo reclamatum est, promissioque displicuit, tumultu recrudescente, et nihil aliud quam fraude secum agi populo existimante. Quod cum sanctus filius noster vidisset, jussit inde auferri nomen necessitatis; rursumque ad lætitiam populus remeavit. Et cum lassitudinem excusarem, sine me ad plebem accedere noluit : simul accessimus. Dixit ei, quæ a diacono audita erant, se mandasse, se jurasse, eaque se esse facturum, continuoque omnia eo tenore, quo dictaverat, prosecutus est. Responsum est, Deo gratias, et petitum ut totum scriptum subscriberetur. Dimisimus catechumenos, continuoque scriptum subscripsit. Deinde peti cœpimus nos episcopi, non vocibus populi, sed tamen a populo per honestos fideles, ut nos quoque subscriberemus. At ubi cœpi subscribere, sancta Melania contradixit. Miratus sum quare tam sero, quasi promissionem illam et jurationem nos, non subscribendo, facere possemus infectam. Sed tamen obtemperavi, ac sic remansit mea non plena subscriptio; nec ultra nobis quisquam, ut subscriberemus, putavit instandum* (*Epist.* 126). Per eas turbas Albinæ sancti filii, Pinianus scilicet ac Melania, qui erant in abside, palam questi sunt, non presbyterum ab Hipponensibus, sed hominem divitem, pecuniarum cupiditate quæri (*Epist.* 125, *n.* 2). Et hanc narrationem, præter omissa quædam adjuncta, quæ ad rem nihil facerent, ipsissimam rei veritatem esse testatur Augustinus : proindeque Pinianum neque se, ut ferebatur, præcipiente, neque populo cogente jurasse, sed ipsum per se ac sponte sua id obtulisse. Cujus rei Barnabam ac Timasium, quos ille singulos ad se miserat, testes citat (*Epist.* 126, *n.* 6). Utrosque vocitat servos Dei, id est monachos. An autem Barnabas, quem appellatione sancti cohonestat, idem habendus sit ac presbyter ille Hipponensis (*Epist.* 213, *n.* 1), quem Augustinus familiæ suæ præfecerat, et cujus existimationem publice in sermone quodam defendit (*Serm.* 356, *n.* 15), non definimus. Erat eo tempore Timasius monachus, qui auctore atque impulsore Pelagio nuntium mundo remiserat (*Epist.* 177, *n.* 6) : sed hujus rursum nobis incidet mentio.

6. Cum habitaturum se Hippone Pinianus jurasset, oborta quadam necessitate alio die illinc discedere compellitur. Quod ubi populus Hipponensis cognovit, haud mediocriter tumultuatum est, ac multa incalescentibus animis dicta, quæ etiam scripto mandanda curarunt. Verum cum intellectum esset, id ab eo propter necessitatem privatam necnon animo revertendi factum ; nemo fuit, qui hoc boni non consuleret (*Epist.* 126, *nn.* 6, 13). Neque enim consilium fuerat, eum exsulis instar ibi retinere, sed sibi putabant abunde satisfactum, modo civium aliorum more sedem ac domicilium ibi figeret, nec unquam inde discederet, nisi cum voluntate redeundi (*Epist.* 125, *n.* 4). Quod autem Baronius refert, Pinianum Hippone elapsum esse clanculum, et Tagastam una cum suis reversum ; quippe qui se ejus, ad quod per vim et metum inductus esset, promissi religione non teneri probe sciret (*Baronius, ad annum* 409) ; ipsius est et dogma probare, et factum, quod contra manifestam Augustini auctoritatem asserit, stabilire. Rem autem iniquo animo tulit Piniani socrus Albina, scripsitque ad Augustinum

litteras doloris plenas (*Epist.* 126), in quibus invidioso nomine illam a Piniano promissam sui præsentiam Hipponensibus, exsilium vel deportationem aut relegationem appellabat : simulque rogabat num exigendum censeret ut impleatur extorta juratio : maxime cum Pinianus illa non discedendi juratione fecerit exceptionem necessitatis. Cum Augustino expostulabat, quod is promissionem hanc non prohibuisset : exprobrabat Hipponensibus, quod turpissimo pecuniæ appetitu inducti presbyterum habere voluissent, vel apud se retinere locupletem hominem, et divitiarum satis contemnentem, ut eas in alios divideret. Alypius quoque, qui Tagastam se forte receperat, epistola Augustino scripta contumeliosas tum jactatas in se voces recordabatur. Monebat etiam, quid de juramentis istiusmodi per vim extortis statuere oporteret, communi consilio discutiendum : quamvis in eo quod rescripserat commonitorio significaret, Pinianum Hippone, civium aliorum instar, ipsiusque adeo Augustini, deberehabitare (*Epist.* 125).

7. Ad Alypium Augustinus rescribens (*Ibid.*), dolere se graviter ejus injurias testatus est : quod vero ad jusjurandum Piniani, post celebratissima quædam Romanorum de hac ipsa re exempla turpe esse docet, si vel in controversia, utrum illud observandum esset, necne, ab ipsis poneretur : fore siquidem, ut episcoporum promisso vel etiam juramento nemo fideret, si datum frangi a tanto viro, aut vana ratione eludi permitterent ; neque enim secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem illius cui juratur, quam novit ille qui jurat, fidem jurationis impleri : sperare tamen se, cum ex benignitate divina, tum ex virtute Piniani, qui fidem Deo et Ecclesiæ pactam tanta cum religione servabat, non orituram eam segetem scandali et offensionis. Cum hoc responso, exemplum promissionis Piniani ex subscripta ab ipso chartula translatum et emendatum Alypio misit. Litteris autem Albinæ respondens (*Epist.* 126), testatur primum, ad eam scribere se, non ut dolorem ejus exasperet, sed leniat ; neque ut animam, quam venerabatur tanquam Deo dicatam, tristioribus dictis perturbet, sed ejus suspiciones sanet. Tum rei gestæ rationem illi aperit, quo ipsa per se animadvertat, non nisi spiritualis Ecclesiæ commodi, et earum quibus Pinianus ornatus erat, virtutum gratia, petitum illum ab Hipponensi plebe in presbyterum : qua in re ne minima quidem appareret avaritiæ cupiditatisve species ; ac proinde nullum præter se ea criminatione perstringi, quamvis id Albinæ studii fuerit, ut vitium quo laborare ipsum judicabat, non directe, ne paulo liberius aut inverecundius in Episcopum agere videretur, sed oblique ac velut alieno nomine sibi objiceret : se vero in beneficiis ponere hanc ejus charitatem, non in malam partem accipere : at cum ab eodem vitio alienum se ipse cognosceret, neque ullum rei intra conscientiam reconditæ testimonium afferre posset, se testari Deum, sibi bonorum Ecclesiæ administrationem, quam ob fratrum amorem et ob Dei timorem necessario curabat, tolerare se, non amare, ita ut ea, si salvo officio possit, carere cupiat. Quin etiam sibi persuasum asserit, eamdem in hoc Alypii mentem esse. Dein exemplo Pauli, qui simili in causa Dei testimonio fuerat usus, jusjurandum suum approbat. Ad jusjurandum tandem, quod Pinianus præstiterat, accedit, de quo non aliter hic loquitur, atque in datis ad Alypium litteris, ad quas Albinam remittit. Et hinc colligas eam Tagastæ, unde non reperitur recessisse ante id temporis, usque tum forsitan remansisse. Præterea deferendum Albinæ curavit commonitorium, in quo perscriptæ erant adversus Pinianum Hippone absentem Hipponensium civium querimoniæ.

8. Quid evenerit postea, nusquam traditur; nisi quod prodit beatæ Melaniæ Piniani uxoris Vita, eam in Ægyptum, atque inde in Palæstinam post annos septem cum admirabili vitæ sanctitate peractos in Africa, transiisse (*Surius, decemb. die* 31, *vel januar. die* 2). Neque enim illam in ea provincia anno supra quadringentesimum quinto decimo egisse verisimile est : quo anno Hieronymus suam ad Ctesiphontem epistolam, in qua parum honorifice de Melania illius avia loquitur, scribebat. Sed cum anno quadringentesimo decimo octavo Pelagium, qui per id tempus in Palæstina versabatur, Zosimus condemnasset (*Retract. lib.* 2, *cap.* 50), Albina, Pinianus, ac Melania de colloquio, quod cum eodem hæresiarcha inierant, Augustinum per litteras consuluere. His ille responsi loco duos suos de Gratia Christi deque originali Peccato libros dicavit, in quibus supra quam dici queat, lætari se, quod ii corpore, atque etiam magis quod anima recte valerent, significat. Anno proxime sequenti sanctum Præsulem eorum nomine salutavit, qui tum in Bethlehemitico monasterio vivebat, Hieronymus (*Apud Augusl.*, *Epist.* 202, *n.* 2). Atqui mutua illa amoris atque observantiæ signa sufficiunt, ut neque contra fidem datam, neque contra Augustini mentem Pinianum recessisse arbitremur : quem forte etiam, ut a jurejurando absolverent Hipponenses, auctoritate ac precibus evicerat sanctus Episcopus.

9. Epistolam Armentario et Paulinæ scripsit Augustinus (*Epist.* 127) hoc forte anno quadringentesimo undecimo : quandoquidem Urbem recens a barbaris direptam, ac mundum tantis calamitatibus infestari tradit, ut ex vanis illis falsisque illecebris, quibus homines in errorem inducere, ac stultos in sui amorem pellicere solebat, jam nullam ferme retineret. Armentarius sese una cum conjuge Paulina voto obstrinxerat, reliquum vitæ tempus Deo consecrandi, necnon, uti videtur, monasticum suscipiendi institutum. In Paulina quidem moræ nihil erat, quominus perpetuam Deo continentiam dicaret : verum nequaquam videtur ita paratus fuisse ad abdicandam conjugalem consuetudinem Armentarius, sed rem nonnihil distulisse. Quapropter Augustinus de hoc eorum mentis habitu certior ab ipsorum affine Ruferio factus (*Ibid.*, *n.* 1), utrique epistolam longe pulcherrimam direxit, in qua tamen perpetuo maritum alloquitur : atque ut votum, quod nuncupavit, quodque sine gravi piaculo frangi non potest, omni pro-

crastinatione omissa impleat, validis admodum argumentis suadet.

## CAPUT X.

*1 De Collatione inter episcopos Catholicos et Donatistas habita Carthagine : illam indicit Marcellinus. 2 Apud Carthaginem Augustinus instante Collatione concionatur. 3 Insolens Donatistarum in eam urbem ingressus, et eorumdem numerus. 4 Omnem Collationis rationem edicto præscribit Marcellinus. 5 Collationis loco suos omnes qui venerunt interesse volunt, ac subscriptiones suas dare actis recusant Donatistæ. 6 His Catholici conditionem eam offerunt, ut si causam obtinuerit Ecclesia, vel episcopatum retineant illi redeuntes ad unitatem, vel eo se ipsi pariter cum illis exuant. 7 Augustini alius ante Collationem sermo de Pace. 8 Episcopos, qui cum schismaticis disputent, Catholici designant, quos et egregio mandato communiunt.*

1. Marcellinus tribunus, cui provinciam cogendi Catholicos ac Donatistas in colloquium mandarat Imperator, statim atque venit in Africam, nihil dubio procul omisit, ut omni cura ac diligentia rem tanti momenti promoveret : quanquam non reperitur quidquam hinc ab eo præstitum ante edictum illud quod menses quatuor ante kalendas junias, seu verius ante decimum quartum kalendarum juniarum, id est, die circiter decimo quarto kalendas februarias anni quadringentesimi undecimi promulgari jussit. Hoc edicto, quod Honorii jussioni adjunctum per universam Africam misit (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 2), quoslibet episcopos tam Catholicos quam Donatistas a locorum magistratibus statuit juridico more appellandos, ut Carthaginem, suarum quisque partium peritiores viros ad ineundum colloquium electurus, intra designatos in imperiali jussione menses quatuor accedant (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 5). Non aliud se, nisi quod ex allatis ultro citroque documentis verum esse constiterit, judicaturum, per sanctissima quæque jurat. Verumtamen, cum is catholicæ communionis christianus venire in suspicionem posset apud Donatistas (*Possid., in Vita Augusti., c.* 4), suam illis æquitatem approbare nititur, ea concedens, quæ et juris limites prætergredi viderentur, et Imperatoris, ut ipse fatebatur (*Marcellin., sent. post. Collat.*), injussu fierent (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 2). Quippe recipit episcopos omnes Donatistas, qui ad colloquium vocati, se adfuturos esse responderint, in possessionem ecclesiarum ac jurium omnium suorum, quibus forte Catholici Cæsareorum decretorum vi fruerentur, restitutum iri ante ipsam Collationem (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 5). Ac jam tum, quasi per intercessionem, lites omnes actusque forenses iisdem intentatos intentandosve intermitti decernit. Necnon juratus promittit, qualiscumque futurus sit Collationis exitus, Donatistis qui eo venerint, ad propria reditum omnino liberum fore. Verum, quod maxime mireris, sese, siquidem illis habeatur suspectus, paratum ostendit, quemlibet ex eorum communione, paris aut etiam superioris dignitatis, in hoc judicio collegam admittere. Menses quatuor, intra quos habenda Collatio erat, kalendis juniis definit Marcellinus (*Ibid.*). Atque ita Augustinus legerat, quando edicto illius posteriori, in quo is quoque terminus figitur, eumdem diem, quem priori, constitutum asserit (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 3). Attamen in Collatione pronuntiavit scriba decimo quarto kalendas junias fixum edicto terminum claudi (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 27). Consentit etiam cum illo Augustinus, missumque in provinciam edictum, id est primum, sic habuisse agnoscit (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 8). Marcellinus vero dictam Collationi secundo edicto kalendarum juniarum diem profitetur (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 23). Quocirca in primo edicto non intra diem kalendarum juniarum, sed intra decimum quartum kalendarum juniarum diem legendum esset (*Ibid.*, *cap.* 5) : nisi si quis malit erratum ibi a scriba fuisse, quod alibi quoque ab eodem admissum observat Augustinus (*Ibid.*, *cap.* 27). Et secundum quidem edictum ita kalendas junias conventui assignat, ut alium diem definitum prius fuisse nequaquam significet. Et vero contendere in altero, necnon in tertio colloquio Catholici, præstitutos quatuor menses juxta edictum, primum videlicet, cujus eo loci verbis utuntur, ad diem kalendarum juniarum concludi (*Collat. Carthag.* 2, *cap.* 50; *Ibid.*, 3, *cap.* 404; *Brevic. Collat.* 2, *cap.* 3). Et hoc inde probabant, quod compellatus venire ad Collationem Primianus, adfuturum sese ad istam diem promisisset; ipsique Donatistæ delectis, qui suas in Collatione partes sustinerent, episcopis, non ante octavum kalendarum juniarum diem mandatum dedissent, nulla prius, quæ ad Collationis diem pertineret, vel petita dilatione, vel judicio flagitato (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 28).

2. Eo anno Pascha septimo kalendas aprilis celebrabatur; proindeque pridie idus maias Pentecoste. Hoc festum e consueta Ecclesiæ disciplina jejunium sequebatur (*Serm.* 357, *n.* 5), sive illud esset, quod feriis quarta et sexta, præter Paschale tempus, servabatur toto anno; sive solemnius aliquod; quæ sententia propius recedere a verbis Augustini videtur. Et quidem sermones ejus duos de jejunio Quinquagesimæ in Indicem retulit Possidius (*In Indiculo*, *cap.* 9). Per id certe tempus sanctus Doctor concionem de pace, cujus initium est : *Tempus est exhortari* (*Serm.* 357), pronuntiavit. Queritur in hac, Donatistas quam infensissimos paci ac reconciliationi animos præ se ferre. Catholicos ad pacem, ut illos ad eam trahere possint, hortatur; rogatque, ut omnem jurgii rixæque cum hæreticis occasionem, ne iratiores inde ac magis implacabiles evadant, summa diligentia fugiant. *Nunc curandis instatur*, inquit; *in fervore sunt oculi sauciorum, caute curandi, leniterque tractandi sunt* (*Ibid.*, *n.* 4). Monet ut quidquid illi vel contra Ecclesiam, vel contra Ecclesiæ antistites effutierint, patienter ferant : Deum tantum fusis pro illorum salute precibus alloquantur; cui et temporis hujusce jejunia offerant, cum pro schismaticis ad communionem catholicam revocandis, tum etiam pro episcopis, a quibus propugnanda esset Ecclesiæ causa, preces vero suas

uberiori adversus egenos liberalitate fulciant. Impellit præterea auditores, ut arrepta adventantium servorum Dei opportunitate hospitalitatem exerceant. Ubi sane episcopos Carthaginem Collationis causa accedentes, vel certe adhærentes eis monachos, significari nemo dubitet. Unde intelligas ea in urbe sermonem hunc habuisse Augustinum : et hic revera illius in proxime sequenti, quem Carthagine pronuntiatum indubie constat, mentionem facit (*Serm.* 358, *n.* 6).

3. Ad Collationis locum Catholici non composito ad fastum apparatu ac pompa, sed singuli venere ab ostentatione Donatistarum longe abhorrentes (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 11) : hi quippe Carthaginem quinta feria, quinto decimo kalendas junias, tanta cum magnificentia, tanta comitum turba ingressi sunt, ut omnium magnæ illius urbis civium oculos in se conversos distinerent (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 14, 29). Ipsique adeo jactitant Carthaginem omnem, imo universam Africam, adventus sui testem esse, ita ut nulli liceat ejus rei ignorantiam obtendere. Addunt inductos se eo, quod sibi denuntiatum a Marcellino fuerat, edicto, ut propere Carthaginem advolarent; senes, quamvis exactæ ac decrepitæ ætatis, non excusasse imbecillitatem; neque ullos relictos in provinciis, nisi quos adversa valetudo retinebat invitos. Et certe sic res habebat : quippe eorum primas suos omnes abjectis quibuslibet rebus eo concurrere jusserat, testatus nimirum eos qui cum reliquis venire detrectarent, id præsidii suæ erepturos causæ, quod haberent potissimum (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 41). Itaque cum ad Collationem publicis Gestis vocati sunt, adfuturos se prompto animo promisere; nec Marcellinum, tametsi catholicam religionem eum profiteri non ignorarent, judicem in fidei causa repudiavere (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 4). Porro quod eis tantopere primas optimum in causa sua futurum commendabat, id Augustino teste nihil erat aliud, nisi ut darent operam, quo numerosissimi esse viderentur (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 41). Quin etiam variis fraudibus ac mendaciis suorum amplificare multitudinem studuerunt : quibus tamen hactenus tantum profecere, ut ducenti septuaginta novem numerarentur, paulo videlicet pauciores quam Catholici (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 213), quos ad ducentos octoginta sex erat invenire (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 14, *et Collat. Carthag.* 1, *cap.* 214). Præter hos, ut acta Collationis tradunt, alii quoque catholicæ communionis viginti supra ducentos (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 215), seu verius, non amplius centum viginti (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 14), quem numerum Augustinus, necnon manuscriptus Collationis liber exhibent, in provinciis aut infirmitate, aut senectute, aut alia quapiam necessitate detenti remanserant. Fuere insuper viduatæ suis præsulibus Ecclesiæ sexaginta. Ac proinde, si rationem ad eum modum subducere libeat, quadringentos sexaginta sex episcoporum catholicorum sedes in Africa exstitisse dicamus, necesse est. Atqui absentes episcopos, vacantesque Ecclesias sibi plures esse quam Catholicis, in Collatione jactarunt schismatici, qui postea etiam plusquam quadringentos antistites per totam Africam se esse prædicarunt (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 41). Cæterum ab iis nullus nominatim designatus. Et sane illud quam futili et inepta vanitate dicerent, satis superque apparebat, cum ex imposturis quas exaggerando suorum numero adhibuerant, tum ex eo quod solis exceptis ægrotis deesse neminem, sua in Notoria erant apertissime professi.

4. Ubi Carthaginem utriusque communionis episcopi advenere, Marcellinus altero edicto Collationis locum, tempus atque ordinem constituit (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 3). Simulque adhibitis cautionibus, diligenter providit, ne cui, quod in Collatione dixisset, postmodum liceret inficiari. Decrevit igitur, cujusque partis episcopos septem, qui disputarent inter se, ab reliquis omnibus eligendos; quibus adderentur alii totidem, quos illis consulere, sicubi res postulare videretur, liberum foret; ac præterea quatuor alii, qui Gestorum conscriptioni præessent : et kalendis juniis conveniendum in thermas Gargilianas; qui locus tanquam omnium maxime opportunus delectus fuerat (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 18). Erat hic in urbe media, spatiosus admodum, clarus et algidus, et sane tam celebri conventu longe dignissimus : de quo Thrasamundi Vandalorum regis curis atque impensis restituto exstare epigramma observatur (*Rivius, in Vita Augustini, pag.* 359). Episcopos omnes tam Catholicos, quam Donatistas capere haud difficulter potuisset : quandoquidem eo simul universi intraverant. At quoniam magnus iste numerus confusionem indubie peperisset, statuit Marcellinus, ut episcoporum nemini, præterquam viginti octo, vel triginta sex memoratis, permittatur aditus; præsules rogat, subditos præmoneant sibi populos, ne die Collationis eodem conveniant. Huc addit velle se, utriusque communionis episcopos ante diem congressus polliceri, se ratum habituros quidquid a septenis ad colloquium electis fuerit actitatum; atque confectum hac de re actum, se præsente, ab omnibus obsignandum sibi dari : quidquid dicetur, statim notis ab astantibus sibi exceptoribus publicis, simulque a quatuor de utraque parte notariis ecclesiasticis scribi; quos etiam, ne eorum fides in dubium a quoquam revocari possit, quaterni Gestorum conscriptioni præfecti episcopi pervigili ac sollicita observatione custodiant. Præterea, ne quando hisce actibus vel minima corruptionis mutationisve criminatio impingi queat, a singulis antistitum ea subscribi quæ dixerint : quod idem se primitus ad interlocutiones suas præstiturum promittit. Tabellas denique ad eum modum descriptas et digestas una cum episcoporum quatuordecim, quos ad disceptandum elegissent, subscriptionibus statim publice affigi, quo et omnibus eas legere, et universo Carthaginensi populo de iisdem judicare liceat. *Nam cum eis*, verba sunt Marcellini, *me judicem dederit Augusta dignatio, quibus inferiorem me esse pro tanti nominis veneratione cognosco, fidei sollicitudinis meæ hac consideratione prospexi, ut de meo vellem judicio judicari. Ita quippe oculis, non solum urbis hujusce, verum etiam universæ provinciæ totus*

*emensæ disputationis ordo pandetur, ut tam prosecutiones disputantium episcoporum, quam pronuntiationum mearum series subsecuta digestis in publico voluminibus explicetur : hæc enim in judice securitas fidei est, ut de se non timeat judicari* (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 10). Obsignandæ etiam erant, quoad omnino decisa esset controversia, schedæ singulæ, tam Marcellini, quam episcoporum octo custodum sigillis. Porro cautiones illæ omnes ex singulari Dei in Donatistas benignitate veniebant : quas proinde isti non poterant, nisi cum summa ingrati animi noxa, contemnere (*Epist.* 141, *n.* 2). Atque adeo profitetur Marcellinus, si quis illas observare subterfugiat, quam causæ suæ diffidat, quamque parum bona fide agere statuerit, palam facturum. Idem epistolas ab utriusque partis primatibus subscriptas, quibus illi conditionibus in edicto propositis assentiri sese declarent, offerendas sibi decernit. At vero disertis verbis a Collatione excludit Maximianistas (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 10), qui scilicet, ut exiguitati et ignobilitati suæ honoris aliquid accerserent, oblato supplici libello ad illam admitti petierant : sed ea vanitas a catholicis despicatui habita est (*Contra Julianum, lib.* 3, *n.* 5).

5. Octavo kalendas junias anni quadringentesimi undecimi Donatistæ actum, quem Notoriam vocant, Marcellino curant denuntiandum, quo Januarius ac Primianus (qui duo soli subscripserunt) et cæteri sinceræ christianitatis episcopi et catholicæ veritatis (eorum enim hæc verba sunt) secundo illius edicto, maxime quod ad subscriptiones, assentiri se non posse profitentur ; utque sibi ad Collationem universis liceat accedere, vehementer postulant (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 14). Ideo vero videbantur nolle subscribere, ut possent de gestis corruptis, si e re sua foret, judici calumniari (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 15). Atqui licet Notoria illa suorum neminem a Collatione abesse peterent ; tamen hoc ipso die, octavo kalendas junias, e suis septem instituere, a quibus Ecclesiæ Dei causa (et hic eorum verbis uti visum) adversus traditores persecutoresque suos defenderetur ; polliciti, quidquid illi egissent, id se ratum habituros (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 148). Omnes quidem huic actui, sed non præsente Marcellino (*Ibid.*, *cap.* 154), subscripserunt (*Ibid.*, *cap.* 149) : quem licet in formam epistolæ confectum, tamen eligentes electis coram, seu præsentes præsentibus se dedisse testantur (*Ibid.*, *cap.* 148). Subscriptiones quoque suas gestis firmandis necessarias, quas primo recusarant, ut darent tandem aliquando compulsi sunt (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 15). Ab iis autem ad disputandum designati sunt, Primianus Carthaginensis, Petilianus Cirtensis, Emeritus Cæsareensis, Protasius Tubiniensis, Montanus Zamensis, Gaudentius Thamugadensis, et Adeodatus Milevitanus.

6. Cum Donatistæ in secundo Marcellini edicto multa, quæ ipsos moverent, offendere se dictitarent ; contra Catholici eidem se in omnibus consentire, ac quidquid præscribebat, se religiose observaturos promiserunt : qua de re Marcellino epistolam (quo nomine eam ipse a Notoria Donatistarum distinguit [*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 17]) obtulerunt. Ei subscripsere nomine aliorum episcoporum Aurelius Carthaginensis, et Silvanus Summensis decanus ac primas Numidiæ (*Ibid.*, *capp.* 16, 18). Exemplum ibi proponunt Maximianistarum, quos Donatistæ una cum universis per eos baptizatis receperunt, servato episcopis etiam a se prius damnatis honore proprio : unicum hoc sibi fuisse in Collatione expetenda consilium testantur, ut sibi demonstrare liceret, Ecclesiam toto terrarum orbe diffusam nullorum hominum sibi commixtorum peccatis perire potuisse : causam Cæciliani, patefacta ipsius innocentia, et iis, a quibus accusabatur, pro calumniatoribus habitis, finitam esse ; alios denique, quos isti criminabantur, aut esse innocentes, aut Ecclesiæ omnino delictis suis non obesse. Id autem potissimum eidem epistolæ celebritatem conciliat : quod ibi profitentur Catholici, sub Donatistarum leges, si modo probatum ab illis fuerit Ecclesiam in sola eorum communione remanere, ita se venturos, ut omnino de retinenda episcopali dignitate non cogitent : contra vero si demonstraverint ipsi culpam omnem hærere Donatistis, se nihilominus velle, sic illos secum tenere unitatem, ut honorem episcopatus non amittant : ubicumque episcopi duo fuerint inventi, alter Catholicus, alter Donatista, vicissim eos episcopalem occupaturos sedem, alio interim juxta considentem, paulo tamen humilius, remanente, qui locus peregrino episcopo assignari solebat : vel saltem suam cuique attribuendam fore Ecclesiam, donec altero vita perfuncto, dignitatem alter, prout erat usu receptum, solus obtineret. Quod si porro nimis impatienter duos uno in loco episcopos ferant populi ; tum episcopatu utrumque pariter exuendum, aliumque in eorum gradum sufficiendum ab iis antistitibus, qui competitores ipsi non habuerunt. *Quid enim dubitemus*, inquiunt catholici Patres, *Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An vero ille de cœlis in membra humana descendit, ut membra ejus essemus ; et nos, ne ipsa ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius, quam Christiani fideles et obedientes sumus : hoc ergo semper simus. Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur : quod ergo Christianis populis ad christianam pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus. Si servi utiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalibus sublimitatibus invidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi magis deposita collegerit, quam retenta disperserit. Nam qua fronte in futuro sæculo promissum a Christo sperabimus honorem, si christianam in hoc sæculo noster honor impedit unitatem* (*Ibid.*, *cap.* 16). Augustinus post recitatam intra concionem ipsius jussu litterarum istarum partem, in hunc locum ita disserit : *Dicam Charitati vestræ, et commemorem rem dulcissimam et suavissimam, quam Domino adjuvante sumus experti. Cum ante ipsam Collationem inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi episcopi debent esse, aut debent non esse ; quod vobis fatendum est, circumspicientes omnes*

*fratres et coepiscopos nostros, non facile nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, et de hac humilitate Domino sacrificare. Dicebamus, ut fieri solet, Ille potest, ille non potest; ille consentit hoc, ille non tolerat; loquentes magis pro suspicionibus nostris, qui corda illorum videre minime poteramus. Quando autem ventum est ut hoc palam fieret, in concilio universorum tam frequenti, pene trecentorum Episcoporum, sic placuit omnibus, sic exarserunt omnes, ut parati essent episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret: unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius usus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit: sed posteaquam illum senem liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutavit* (*De Gestis cum Emerito, n* 6). Propositum adeo christianum non episcoporum tantum firmavit subnotatio, sed etiam universi concilii ad Deum precatio consecravit (*Serm. ad Cæsar. Eccl. plebem, n.* 1). Quamvis autem veritati refragati fuerint Donatistæ, nihilo tamen secius eamdem illis offerre conditionem Catholici non destitere, quam et bona fide erga eos qui se ad Ecclesiam receperunt, implevere. Hoc saltem ea synodo Carthagine anno supra quadringentesimum decimo octavo celebrata constat, Donatistas in episcopalem dignitatem recipi solitos (*Cod. Can. Afric., cann.* 118, 119).

7. Aliis præterea locis admirandum illud promissum, quo præsulum Africanorum præcipui suo se honore abdicaturos receperunt, memorat Augustinus (*Serm.* 359, *n.* 5). Deumque comprecatur, ut quoniam illud e charitatis fonte profectum est, gratum habeat et acceptum (*Serm.* 358, *n.* 4). Qua de re, si quid plenius desideres, adeas licet sermonem de Pace et Charitate, qui post memoratam quidem epistolam, quantum ex eis, quæ de conditione hac ab antistitibus oblata dicit, conjicimus, sed ante ipsum tamen Collationis diem habitus est. Ibi citatur secundum Marcellini edictum, imo et tertium, quo quidem, ut jamjam exposituri sumus, Catholicorum epistolam promulgavit. In eo populum sanctus Episcopus obtestatur, ut Marcellini edicto morem gerens in Collationis locum non irruat, quin etiam per illum locum, quoad ea plane soluta sit non transeat; ne qua scilicet tumultuandi occasio iis qui nihil omnino maluissent, præberetur (*Ibid.*, *n.* 6). Ibi pius Antistes studium præ se fert oppido inflammatum revocandi schismaticos ad unitatem: quæ vera esset illorum victoria. *Nam*, inquit, *non vincit nisi veritas, victoria veritatis est charitas* (*Ibid.*, *n.* 1). Qua ratione defendi oporteat Cæciliani causam, et quo studio cavendum cuique, ne hæreat in quolibet homine, ibi ostendit (*Ibid.*, *n.* 3). *Quid vobis*, ait ad populum, *injungamus? Partes forte uberes pietatis. Nos disputemus pro vobis: vos orate pro nobis. Orationes etiam vestras jejuniis et eleemosynis adjuvate. Addite pennas illis, quibus volant ad Deum. Sic agentes negotium, fortasse utiliores nobis eritis, quam nos vobis. Nemo enim nostrum in hac disputatione de se præsumit: in Deo est tota spes* (*Ibid.*, *n.* 6).

8. Marcellinum rogabant sua epistola Catholici, ut eam quamprimum omnium oculis proponeret: quo forte, etiam ante Collationem, schismaticorum vel infirma vel dura corda, exhibitæ ibi piæ charitatis testificatione, aut sanarentur, aut edomarentur (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 16). Id ut præstaret Marcellinus, sua ipse pollicitatione, qua omnium judicio suam agendi rationem permissurum se receperat, satis superque impellebatur (*Ibid.*, *cap.* 17). Itaque cum epistolam Catholicorum, tum Donatistarum Notoriam publice affigi novo edicto jussit. Inde cum factum esset, ut isthæc Notoria innotesceret Catholicis, hi Marcellino litteras alias ab Aurelio item ac Silvano subscriptas obtulere, quibus timere se significant, ne a Donatistis, suos omnes ad Collationem admitti sine ulla, ut palam erat, causa efflagitantibus, aliquid in ea emergeret seditionis: consentiunt tamen illorum postulatis ea lege, ut ex Catholicis episcopi illi octodecim juxta secundum Marcellini edictum designati, soli interessent, ne scilicet, si quid tumultus excitaretur, in alios quam Donatistas posset conferri. Addunt optime secum agi sese existimaturos, si vanum fuisse metum illum deprehenderint, neque alia de causa voluisse Donatistas consilio interesse universos, nisi ut, post illud solemni reconciliatione terminatum, in eamdem ecclesiam una cum Catholicis sese conferrent, gratias Deo pro reparata communionis societate reddituri (*Ibid.*, *cap.* 18). In hac epistola tam perspicue, tam valide simul ac breviter ipsa tota exposita est causa, ut ea lecta Donatistæ non sine ineptia questi fuerint, rem a Catholicis prius actam, quam de præviis ad eam conditionibus agi cœptum esset (*Ibid.*, *capp.* 18, 20, *et Brevic. Collat.* 1, *capp.* 7, 8). Tertio kalendas junias anni quadringentesimi undecimi omnes catholicæ communionis episcopi designarunt antistites ad Collationem, et mandatum quo instructos illos volebant, in ecclesia Carthaginensi scripserunt præsente Marcellino, ipsi autem concioni, quæ ducentis sexaginta sex episcopis constabat, Aurelio Carthaginensi et Silvano Numidiæ primate præsidentibus. Renuntiati sunt, qui in Collatione disputarent, Aurelius Carthaginensis, Alypius Tagastensis, Augustinus Hipponensis, Vincentius Culusitanus, Fortunatus Constantinensis, Fortunatianus Siccensis, Possidius Calamensis. A consiliis fuere isti septem, Novatus Sitifensis, Florentius Hipponensium-Diarrhytorum, Maurentius Thubursicensis, Priscus Quidiensis, Serenianus Miditensis, Bonifacius Catacquensis, et Squillacius Scillitanus. Custodiendæ Gestorum conscriptioni præfecti sunt, Deuterius Cæsareensis, Leo Moptensis, Asterius Vicensis, ac Restitutus Tagorensis (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 55, 57). Hosce ducentos sexaginta sex episcopos secundum inaugurationis suæ ordinem subscripsisse verisimile est. At vero electorum octodecim, uno Aurelio excepto, qui subscripsit omnium princeps, nomina postremo loco subnotantur (*Ibid.*, *capp.* 136, 142). Porro ab universis præsulibus servata hæc fuit in subscribendo forma: *N. episcopus N. Carthagini constitutus, præsente V. C. Marcellino Tribuno et Notario, mandato a nobis facto*

*consensi et subscripsi ;* vel, *mandavi et subscripsi* (*Ibid.*, *cap.* 57). Quibus vero demandata erat disputandi provincia, hi loco vocum istarum, *Mandato a nobis facto consensi ;* reponebant, *Hoc mandatum suscepi.* Eo autem Catholicorum mandato simul et responsione ad schismaticorum Notoriam, quidquid majoris momenti dicendum erat, continebatur : idque de industria. Quippe vulgatum fuerat, Donatistarum esse consilium, de præscriptionibus ac formulis quibusdam, quæ rei tantum decisionem protraherent, litigare ; quod eis si negaretur, timendum erat ne colloquium solverent (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 10). Itaque scriptionibus illis testatum esse Catholici voluerunt, quam invicta essent veritatis, cujus a partibus stabant, arma ; ut si contingeret Collationem solvi per Donatistas, nemini tamen non abunde notum fieret, eos haud alia de causa noluisse conferre, nisi quod de victoria desperarent, quippe responsis omnino destituti.

## CAPUT XI.

1 *Collationis habitæ kalendis junii initia.* 2 *Donatistæ Catholicos omnes, ut de subscriptionibus mandati eorum certiores fiant, vocari volunt.* 3 *Oblatam consedendi facultatem non accipiunt Donatistæ : delectos autem pro se disputaturos renuntiant.* 4 *In subscriptionibus mandati disputatoribus suis dati aliquoties peccasse convincuntur.* 5 *Necnon in Quodvultdeo episcopo mendacium admisisse.* 6 *Ad Collationem secundam condicta die non veniunt ex Donatistis nisi septem episcopi disputatores, ex Catholicis vero adsunt octodecim delegati.* 7 *Donatistis conceditur dilatio.*

1. Die ad colloquium constituto, nimirum kalendis junii anni quadringentesimi undecimi, quo anno in quintam feriam incidebant, Marcellinus cum viris variæ dignitatis, sive rerum forensium administris viginti, ac notariis ecclesiasticis, Catholicis duobus ac totidem Donatistis, in secretarium thermarum Gargilianarum ingressus, eo etiam antistites, qui ad januam stabant, e Catholicis videlicet octodecim electos, ac universos Donatistas introduci jussit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 1). Atque ita Donatistæ arrogantiam illam posuere, qua aliquot ante annis, indignum esse jactitaverant, martyrum filios cum progenie Traditorum convenire (*Ad Donatistas post Collat. nn.* 1, 39). Principio quidem Marcellinus rescriptum Imperatoris, suaque ipsius edicta, necnon varias utriusque communionis episcoporum ad se epistolas recitari jussit. Cum autem in priori suo edicto Marcellinus schismaticæ factioni promisisset alium, quemcumque voluissent, collegam in hoc judicio se recepturum ; respondit Petilianus, non decere, quibus primus cognitor non petentibus datus esset, eligi ab ipsis secundum (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 6, 7). Verum propria conscientia propriusque timor alter illis cognitor ac judex fuit, eo ipso quem Honorius dederat, longe sagacior et severior (*Ad Donatistas post Collat*, *n.* 46). Hic antequam causa diceretur, prior judicavit. Perlectis hisce scriptis, Emeritus præteritum jam esse disputandi tempus, et quatuor illos menses, quos præscripserat Imperator, a decimo quarto kalendas junii elapsos contendit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 20). Sed eos ad kalendas usque protendi docuit Marcellinus ; imo exactis quatuor mensibus potuisse adhuc et alios duos adjici (*Ibid.*, *cap.* 30). Quo tamen prohibiti non sunt Donatistæ, quin postea Catholicos, quasi ad legitimum diem non adfuissent, prægravare tentarent : eadem enim secunda quoque cognitione ingesserunt, ubi validius etiam fuerunt a Catholicis revicti (*Collat. Carthag.* 2, *capp.* 48, 50). Sic factum, ut eo conatu nihil aliud Donatistæ consecuti sint, nisi ut clarum exploratumque fieret omnibus, quantopere vererentur, ne discussa penitus causa, tum factionis suæ debilitas, tum vires Catholicorum proderentur. Questus fuerat Marcellinus vitilitigationes adhiberi a Donatistis, causæ quæ agebatur gravitate indignas : quare illi, ut formulis forensibus procul amandatis, juberet solam in hoc judicio valere Scripturarum auctoritatem, petiere (*Ibid.*, 1, *capp.* 30, 31). Actionem Marcellinus ab electione personarum (quod eo præsente necdum Donatistæ præstiterant) auspicandam censebat ; illi vero forensem hanc etiam formam esse contendebant, ac proinde simul cum reliquis omittendam. Nihilominus tamen cum urgentibus Donatistis sciscitatus ex Catholicis fuisset, placeretne more forensium judiciorum agere, an sola divinarum Scripturarum auctoritate ; responsumque esset, in mandato contineri omnium voluntatem, cujus quidem terminos prætergredi sibi non liceret, neque tamen id forensibus tricis ullo pacto hærere : obtinuit tandem Marcellinus ut recitaretur, tametsi intercederent Donatistæ, ac formam esse minime necessariam dictitarent ; *cum in uno*, inquit Emeritus, *consfet Ecclesiæ tota persona* (*Ibid.*, *cap.* 47). Lecto mandato bona fide confessi sunt, eo fori jurisque formulas excludi ; atque adeo faciendum sibi esse, ut Catholicis ex divinæ legis testimoniis respondeatur (*Ibid.*, *cap.* 70) : verum hujusce promissi memoriam brevi abjecerunt.

2. Post mandati lectionem petiere, ut qui illud subscripsissent, introducerentur, ne forte pro episcopis inferiores clerici subdititias inseruissent subscriptiones. Suspicati sunt Catholici Donatistas, cum nihil tumultus usquedum ausi essent excitare, veriti ne in ipsos, qui prope soli erant, omnis invidia recideret, de accersendis Catholicis eo consilio urgere, ut per multitudinis confusionem tumultu sensim excitato disceptationem abrumperent (*Ibid.*, *capp.* 81, 83, 84). Quapropter aliquandiu refragati sunt, quoad Donatistæ ipsi suos ex una parte, Catholicos e diversa collocandos esse proposuerunt, ut, si quæ turbæ exortæ essent, in insontes tamen non posset ejus rei culpa derivari. At vero postea intellectum est, Donatistas, ut præsentes Catholicos sisti peterent, non alia re inductos, quam quod persuadere sibi neutiquam possent eorum, quos cum apparatu ac pompa urbem ingredi non viderant, tantum esse numerum, quantus ex subscriptionibus apparebat. Consensere itaque Catholici, ut coepiscopos suos, qui forte in ecclesiam aliquam convenire inter se statuerant, vocarentur

(*Ibid., cap.* 89); cum autem non pauci per varia loca dispersi esse possent, recepit Alypius illos adducturum se in diem crastinum. Attamen introductis iis, qui pro foribus reperti sunt, quosque ex composito vocatos nulli dubitemus; eorum a quibus subscriptum fuerat mandatum, abesse, præter eos qui Carthagini ægrotabant, repertus est nemo. In hoc subscriptionum examine, schismatici Catholicis vitio dabant, quod in quo tractu unus tantum esset ipsorum episcopus, illi nonnunquam duos aut etiam plures haberent (*Ibid., capp.* 65, 117): at Catholici idem quoque apud istos inveniri demonstrabant (*Ibid., cap.* 125, *vel* 126). Mutuo criminabantur sese, quod episcopos in villis, in fundis et agris, vel in sedibus sine plebe constituissent (*Ibid., capp.* 181, 182). Denique sibi invicem, quæ alii ab aliis passi erant, objicere non omittebant: verum ejusmodi altercationes, quæ a cardine rei tantum avertebant, Marcellinus, quoad in se erat, resecabat. Cum Felicianus Mustitanus, e Maximianistarum quondam factione, nominaretur, institit Alypius, ut eum Donatistæ suæ communionis esse aperte profiterentur (*Ibid., cap.* 122; *Brevic. Collat.* 1, *cap.* 12): id vero illi recusarunt. Episcopus ibi quidam, pro Paulino episcopo catholico præsente, sed litteras nesciente, subscribit (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 133).

3. Post recitata Catholicorum omnium nomina, Marcellinus episcopos rogat ut sedeant: quod nimirum illis stantibus ipsi sedere molestum sit. Oblatum honorem recusant Donatistæ, sibi interim simul ac Marcellino verbis adblandientes magnificentissimis (*Ibid., capp.* 144, 145). Tametsi autem eum sic efferebant laudibus, ut dicerent, ait Augustinus, *honorificum, justum, reverentem, benignum;* causam tamen propter quam agendam tam multi convenerant, apud eum agi nolebant (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 13). Adacti sunt illi tandem aliquando, ut pro sua parte disputaturos instituerent, seu verius eos, quibus istam provinciam jam inde ab octavo kalendas junii delegaverant, renuntiarent (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 143). Lectum est igitur factum ea de re mandatum, quo quidem soli continentur septem disputaturi: verum alios quoque septem, qui prioribus essent a consiliis, item quatuor, a quibus gesta custodirentur, electos esse, Augustinus auctor est (*Epist.* 141, *n.* 2); quod ipsum in primæ Collationis calce expressum legas (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 218).

4. Lectum mandatum secutæ sunt subscriptiones, quas illi denuo confirmarunt; idque urgentibus quidem Catholicis, sed Donatistis ipsis acrius etiam instantibus (*Ibid., capp.* 152, 154, 165, 175). Hoc isti obnixe a Marcellino efflagitarunt, præcipuam causæ suæ fiduciam in numero se repositam habere palam professi; quamvis ea de re haudquaquam agi Marcellinus moneret, atque adeo satis habiturum se, modo primi decem testimonium de cæterorum subscriptione ferrent; in quo nec refragabantur Catholici: verum Donatistis morem gerere oportuit. Qui tertio inter eos loco subscripsit Felix, episcopum se urbis Romæ professus est (*Ibid., cap.* 157): neque etiam hic Catholici morati sunt, nisi quod suum Innocentio jus servandum dixerunt (*Ibid., capp.* 161, 163). Quorumdam nomina recitata sunt, qui neutiquam accesserant Carthaginem, sed eorum absentium vice, tametsi mandatum suum *præsentes præsentibus* dirigerent, alii subscripserant (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 14). Sic episcopi sui loco, qui captus oculis venire nequiverat, Manilius presbyter Bazienus subscripsit, ne nomen quidem ejus exprimens (*Collat. Carthag.* 1, *capp.* 182, 183). Sic quoque Rufinus presbyter pro antistite suo Juliano absente subscripsisse repertus est (*Ibid., capp.* 193, 195). Item professi sunt alii episcopi, manum se rogatos quatuor e suis collegis commodasse, qui adversa, ut prædicabant, valetudine detenti in itinere fuerant (*Ibid., capp.* 208, 209). Felix Zummensis nec repertus est ipse, nec quis ejus nomine subscripsisset; atque adeo communicatis inter se consiliis Donatistæ huc confugere coacti sunt, ut dicerent, illius forte ac Felicis cujusdam Lambiensis, qui tunc ægrotabat, confusa fuisse nomina (*Ibid., capp.* 200, 201): prius autem Felicem illum Zummensem morbo distineri affirmaverant (*Ibid., cap.* 114). Novatus Sitifensis antistes catholicus, cum Donatum videret loci cujusdam ditioni suæ subditi episcopum sese ferentem, ibi nullum esse nec episcopum nec ullo omnino Donatistam asseruit (*Ibid., capp.* 203, 204). Asellicus quoque Tusuritanus episcopus juratus asseveravit tertio kalendas maias, quo die ex Arzugibus, regione ad Africæ meridiem sita, profectus est, Victorianum, qui sibi Aquensis Donatistarum episcopi titulum arrogabat, presbyterum tantum fuisse, atque adeo illum in itinere ordinatum, tametsi adulterii postulatus esset, cujus adhuc penderet cognitio (*Ibid., cap.* 207, *vel* 208).

5. Id porro videtur observatu longe dignissimum, quod in Quodvultdeo Cessitano episcopo contigit (*Ibid., capp.* 206, 207); in quo scilicet manifestissimi mendacii convicti sunt (*Epist.* 141, n. 1). Etenim cum istius episcopi subscriptio, perinde ac si illam Carthagine exarasset, inter alias haberetur, nec tamen ille suo nomine recitato responderet; et cum quæreretur ubi esset, subita perturbatione cæcati, ipsi eum confessi sunt in itinere defecisse. *Et cum quærerent Catholici, quomodo potuerit apud Carthaginem subscribere, qui fuerat in itinere defunctus; illi diu fluctuaverunt perturbati, et nescientes quid responderent. Nam primo dixerunt, non de ipso, sed de alio fuisse suggestum. Et cum Catholici putassent de alio, id est, de clerico eos dicere, qui pro mortuo subscribere potuit; quæsitum est, utrum clericus suo nomine, an illius pro mortuo subscripserit.* Sed post magnas angustias perturbationis, atque inconstantis et variæ responsionis suæ, *responderunt ipsum quidem subscripsisse præsentem, cum octavo kalendas junias mandatum fieret; sed quoniam æger subscripserat, remeantem ad propria in itinere defecisse. Quo audito Catholici petierunt superiora eorum verba recitari, ut ipsa varietas deprehensa claresceret. Quod cum factum fuisset, et inde appareret quam parum sibi in responsis suis constarent; quæsivit Cognitor, utrum*

*saltem sub Dei testificatione firmarent, eum fuisse Carthagini, quando præsentes præsentibus mandaverunt, ut subscriberent. Ubi vehementius perturbati,* nec se perjurio illigare ausi, *responderunt : Quid si et alius pro eodem apposuit? Hanc eorum falsitatem deprehensam judicio Dei relinquens, jussit cætera nomina recitari* (*Brevic. Collat.* 1, *cap.* 14). Atque ita Donatistæ, qui Catholicorum subscriptiones idcirco voluerant examinari, quia falsas in eis nonnullas deprehendi posse crediderant (*Ad Donatist. post Collat. n.* 56), suis se retibus implicuere. In hac autem contentione cum subfrigide dixisset Petilianus, *Non est humanum mori?* continuo ab Alypio responsum est, *Humanitatis est mori, sed humanitatis est fallere* (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 207). Perlectis Donatistarum subscriptionibus Alypius sexdecim adhuc episcopos catholicos, qui mandatum subscriberent, præter quatuor alios in urbe morbo impeditos, obtulit (*Ibid.*, *capp.* 212, 215). Quo factum est ut in episcoporum omnium supputatione Donatistas numero vincerent Catholici. Dein episcopos omnes, exceptis triginta sex illis, qui ad Collationem selecti fuerant, dimiserunt (*Ibid.*, *cap.* 216). Sed quoniam hora diei jam undecima præterierat, hoc est, sexta pomeridiana erat, Marcellinus de partium consensu Collationem in perendinum diem, nimirum in diem sabbati, tertium nonas junias, distulit, ut quæ dicta fuerant et tantum notis excepta, per interjectum illum diem exscribi et in dilucidiorem formam digeri possent (*Ibid.*, *cap.* 219).

6. Postridie, quarto videlicet nonas junias anni undecimi supra quadringentesimum, quæ sexta erat feria, actores Donatistæ, defensorum Ecclesiæ veritatis titulum sibi arrogantes, Marcellino Notoriam obtulere, qua cum exposuissent, longiora esse superioris Collationis acta, quam ut brevi describerentur, Catholicorum mandati copiam interim sibi fieri petierunt, ut ad propugnandam, quam susceperant, causam, essent parati (*Ibid.*, 2, *cap.* 12). Jussit Marcellinus mandati exemplum illis dari : quod utique in eorum animos perturbationem, ut ipsi confessi sunt, injecit non minimam (*Ibid.*, *capp.* 33, 36), cum revera, quod ei responderent, nihil succurreret. Hinc prosequendæ postero die, id est tertio nonas junias, Collationis, quantumvis ad id arctis se promissis obligassent, mutavere consilium, sperantes scilicet fore, ut per moram aliquam animos recipere sibi liceret. Attamen ad colloquii locum hoc die junii tertio se contulere, ex iis quidem soli septem disputatores; e Catholicis vero octodecim delegatorum nullus defuit (*Ibid.*, *cap.* 2). Rogavit denuo Marcellinus, uti sederent. Continuo morem gessere Catholici. Verum Donatistæ non modo hunc honorem respuerunt, sed etiam jactitarunt, ne cum Catholicis una sederent, divinis legibus sibi esse vetitum. Hoc Patres catholici dissimularunt, ut ne in confutandis iis quæ ad rem nihil facerent, luderent tempus. Extemplo tamen consurrexere omnes. Quin et sede removeri jussa, Marcellinus ipse in pedes stetit, professus sibi non licere per eam venerationem, qua prosequebatur antistites, sedere, dum idem facere illi recusarent (*Ibid.*, *capp.* 3, 4). Donatistæ suam ipsorum arrogantiam hac agendi ratione satis declarabant. Et quidem in tertia Collatione Catholici per occasionem quarumdam litterarum ab illis scriptarum, quibus respondebant, deridiculam illam vanitatem perstrinxere : quippe eos Scripturas perperam interpretari; aut si propter verba psalmi, *Non sedi in concilio impiorum*, secum, quos impiorum nuncupatione notatos volebant, consedere prohiberentur, neque etiam in eumdem ingredi locum debuisse propter proxime sequentes ejusdem psalmi voces, *Et cum iniqua gerentibus non introibo* (*Psal.* XXV, 4); quando vero jam secum eodem introire minime dubitassent, quominus etiam consederent, detrectare neutiquam debere (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 18).

7. Marcellino igitur cæterisque stantibus Notoria, quam pridie obtulerant Donatistæ perlecta est (*Collat. Carthag.* 2, *cap.* 12). Sciscitanti deinde Tribuno, numquid parati essent episcopi sua quisque verba subscribere (*Ibid.*, *c.* 13); primo quidem Donatistæ moris hoc esse negaverunt; deinde vero tum responsuros sese dixerunt, cum sibi gestorum superioris collationis, quæ nondum omnino descripta fuerant, traditum esset exemplum : cupere enim se prius quam res ultra promoveretur, ea denuo legere, necnon accuratiori judicio expendere, quod utique in exemplari notis exarato minus poterant, utpote qui eas non nossent; cum alioquin notas alterius sciret nemo (*Ibid.*, *capp.* 16, 20, 33, 38, 43). Et hoc non aliud erat, quam tempus trahere, ac prolationibus agere velle ne ad judicium veniretur (*Ibid.*, *cap.* 36). Itaque respondebatur a Catholicis, eos in prima Collatione, si quid gestorum apographo opus esset, prospicere debuisse, nec polliceri se prius ad colloquium redituros, quam sibi ad id paratis esse liceret : nunc vero post fidem datam amplius procrastinare, haudquaquam integrum esse; illos pridie ejus diei Catholicorum mandatum petiisse, nec ullius præterea alterius rei mentionem fecisse (*Ibid.*, *cap.* 49). Quin etiam superiorem Collationem potius in recensendis episcoporum subscriptionibus, atque in aliis hujusmodi, quam in re ullius ad negotium momenti, fuisse collocatam (*Ibid.*, *cap.* 40). Verum istis minime contenti, diem Collationi constitutum jam inde a quarto decimo kalendas junias elapsum esse, quemadmodum pridie fecerant, moleste objectabant (*Ibid.*, *capp.* 48, 50). Denique cum in petenda dilatione mentem obfirmarent, ut hoc illis a judice concederetur, Augustinus obtinuit (*Ibid.*, *cap.* 56). Et ipsi quidem haud iniqua postulabant : sed cum se pridie promisso ad agendum hoc die negotium obligassent; jam non erat, cur istiusmodi postulatorum haberetur ulla ratio (*Ibid.*, *cap.* 66). Illis igitur, quamvis parum libenti animo, tamen dilationem indulsit Marcellinus (*Ibid.*, *cap.* 61); cumque notarii sese eodem die castigatas schedas expleturos promisissent (*Ibid.*, *cap.* 63), promisere similiter eas se subscripturos Donatistæ (*Ibid.*, *cap.* 64). Hoc pacto caput illud, cui primo refragati erant, tandem aliquando admisere (*Ad Donat. post Collat. n.* 15). Non enim eos fugiebat, quin, si dicta propria sub-

scriptionibus confirmare detrectarent, hinc liquido appareret, ipsos, ne suis verbis revincerentur, timuisse. Quocirca satius esse duxerunt, verbis suis postea fucum quærere ac nebulas, quam illa jam inde a principio damnare. Ergo ubi se subscripturos acta Donatistæ receperunt, fidem quoque dedere notarii, si quidem eodem aut proximo die subscriberentur, laborantibus diu noctuque exceptoribus ita absolvi posse eadem acta, ut feria quarta, septimo die iduum juniarum ederentur in publicum (*Collat. Carthag.* 2, *cap.* 65). Tum vero Catholici pariter ac Donatistæ ad feriam quintam, sextum earumdem iduum diem, sese in concilium, ut de summa rei tandem disputetur, conventuros polliciti sunt ( *Ibid.*, *capp.* 66, 67). Marcellinus quoque petentibus Donatistis annuit, ut primo mane septimi jam ante memorati traderentur utrisque utriusque Collationis exempla; quod impletum, scripto testari tenerentur. (*Ibid.*, *capp.* 67, 68). Sic terminata est secunda Collatio, Tribuno promittente edictum quo ipsorum Donatistarum precibus concessam fuisse ampliationem declararet, ab se promulgatum iri (*Ibid.*, *capp.* 72, 73). Hoc utique Alypius petierat, veritus ne quam hinc Donatistæ caperent occasionem populi falsis rumoribus, quemadmodum pridie factum fuerat, perturbandi. Cum autem per hancce disceptationem Donatistas fratrum nomine semel compellasset Augustinus, dictum Petilianus non sine offensione accepit, neque de hoc aliter, quam de injuria expostulavit (*Ibid.*, *capp.* 49, 50 ). Scribæ diligentiam vel majorem suis promissis exhibuere ( *Ibid.*, 3, *cap.* 3); nam octavo idus junias, hora diei tertia, id est, nostro in Galliis numerandi more, circiter nona matutina, duarum Collationum acta in ecclesiam, quam Theoprepiam vocabant, detulerunt ad Donatistas; cujus rei testimonium dedit Montanus Zamensis (*Ibid.*, *cap.* 5). Ea quoque duabus post horis in basilicam Restitutam delata Catholicis tradiderunt; quod et Fortunatianus Siccensis scripto testatus est (*Ibid.*, *cap.* 4). Sed in testimonii sui scheda perscripsere schismatici, duas hasce Collationes adversus traditores et persecutores suos sese sustinuisse. Utrique autem dicto die ad colloquium tertium redituros se promiserunt. Dubium non est quin Marcellinus, ut fidem liberaret, utriusque Collationis acta, simul atque descripta fuere, publice affigi jusserit : nec alio forte referendum est illud edictum, quod in capite secundæ Collationis memoratur, ubi, quæ jam inter episcopos gesta fuerint, atque initi partem conflictus omnium oculis, uti promiserat, proponere se testatur.

## CAPUT XII.

1 *Tertia Collatione sexto idus junias habita instant Donatistæ, ut discutiatur quinam pro petitoribus habendi sint, utque de petenda Collatione Catholicorum mandata expendantur.* 2 *Iidem catholicam Ecclesiam agnoscunt eam esse, quæ toto orbe propagata est.* 3 *Ut intelligatur, utri sint petitores, varia acta recitantur; sicque invitis Donatistis ad rei caput acceditur.* 4 *Donatistæ proferunt libellum de Ecclesiæ, ut loquuntur, puritate.* 5 *Hunc refutat Augustinus, ac de gravissimo illo capite controversiam expedit.* 6 *Acceditur ad quæstionem de Cæciliano et de schismate.* 7 *Maximianistarum historia perturbati ac oppressi Donatistæ, nec causam causæ, nec personam personæ præjudicare confitentur.* 8 *Controversiam de veritate Cirtensis concilii movent.* 9 *Locum Optati, quo ipsi revincuntur, inspici volunt.* 10 *Iidem prolatis documentis, quibus Cæciliani ac Felicis innocentia declarabatur, omnes difficultatum nodos secant.* 11 *Catholicis demum causam adjudicat Cognitor.*

1. Sexto idus junias Collationem, prout condixerant, primo mane auspicati sunt. Catholicos de more octodecim numero, Donatistas vero tantum undecim ibi repertos introduci Marcellinus jussit; ac deinde decrevit ut amotis supervacanearum morarum tergiversationibus, tandem de cardine totius rei disputarent. Mox Catholici Donatistarum esse dixerunt, quoniam ipsos tanquam persecutores suos ac traditores in mandatis suis proscidissent, objecta crimina legitimis argumentis adstruere; necnon in universum sui ab Ecclesia discidii causas proferre (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 14). Quibus a schismaticis responsum est, primum omnium discutiendum esse, utri vel petitorum vel defensorum personam sustinerent; eamque ob rem, ab utris petita Collatio fuisset, examinandum (*Ibid.*, *cap.* 16). Id quidem obstinate ingesserunt, ut Catholicis petitorum partes suscipientibus, ipsi ad forensem modum cavillarentur : unde ortæ fuissent dilationes ac tricæ infinitæ. Nec tamen Marcellinus alienum ab ea inquisitione animum præ se ferebat : sed cum abunde perspectum esset Catholicis, quo spectarent adversarii; licet hos ipsos vere accusatores esse, jam satis mandato suo demonstrassent; nolebant tamen in hoc inquiri penitius; agendum ante omnia de rei ipsius capite admonentes (*Ibid.*, *capp.* 18, 98). Rogabant in primis ostenderent Donatistæ, quas ob causas secessionem ab Ecclesia Scripturis divinis promissa, ac toto terrarum orbe diffusa, fecissent (*Ibid.*, *cap.* 82) : tum probarent id, quod receperant, nimirum apud se esse catholicam Ecclesiam (*Ibid.*, *cap.* 75). Qua occasione Augustinus : *Deus nos*, ait, *disputatores et collatores magis, quam litigatores esse voluit. Non interponantur, quæ ad rem necessaria non sunt. Ecclesia est quam asserimus testimoniis Scripturarum divinarum, omnibus nota, in monte, sicut scriptum est, altissimo constituta, ad quam veniunt omnes gentes. Si est aliquid contra istam Ecclesiam quod dicatur, jam dicatur, et nullæ moræ interponantur. Quamdiu ista tanta populi exspectatio suspensa est? De anima sua omnes cogitant, et nos moratorias præscriptiones ad hoc interponimus, ut ad finem cognoscendæ veritatis nunquam veniatur!* (*Ibid.*, *cap.* 21.) Neque tamen ibant inficias, quin suis ipsorum precibus Imperator, ut ipse rescripto quod denuo recitatum est testabatur, Collationem concessisset : sed non contenti ea professione hæretici, præterea instabant, oblatum Honorio supplicem libellum proferendum esse, declaranda legatorum nomina, et edenda quæ a Catholicis hac de re acceperant mandata; quod ni fieret, omnino nullius

fere momenti rescriptum, quod impetraverant. Id vero prorsus a causa alienum esse contendebant Catholici, quibus tametsi Marcellinus in hoc faveret, expugnari tamen nunquam potuit pervicacia Donatistarum. *Exspectatio*, *non dico hujus civitatis*, ingerebat Augustinus, *sed universi pene generis humani suspensa est; aliquid de Ecclesia cupit audire: et nos adhuc forenses formulas discutimus, et miserrime litigamus!* (*Ibid.*, *cap.* 41.) *Quanta aguntur, ut nihil agatur!* (*Ibid.*, *cap.* 40.) Item alius e Catholicis episcopus : *Quid est aliud*, inquit, *causam dimittere, et personas quærere; nisi effugere velle? Quare venisti?* (*Ibid.*, *cap.* 56.) Isthæc autem controversia de Catholicorum ad Honorium legatione continuatur ad usque articulum Collationis nonagesimum septimum, ubi rursus urgentur ab hæreticis Catholici, ut se petitores esse profiteantur.

2. Nonnulla quoque de Catholicorum nomine interjecta sunt (*Ibid.*, 3, *capp.* 22, 50, 75, *etc.*) : de quo quid judicandum esset, post decisam causæ totius summam declaratum iri Marcellinus pronuntiavit (*Ibid.*, *capp.* 36, 94); interim non licere sibi, hunc titulum illis negare, quos eodem cohonestasset in rescripto suo Imperator (*Ibid.*, *capp.* 92, 94, 147). Cum examinari Tribunus voluisset, utri vere petitores dicendi essent, eas vero partes Catholici, ne quam ansam Donatistarum cavillis darent, in se recipere declarent; Augustinus hoc esse respondit Catholicorum consilium, criminationes videlicet, quibus Ecclesiam Donatistæ vel in suo mandato impetebant, diluere, neque ob aliud petiisse Collationem, nisi ut iidem Donatistæ, a quibus petita quoque fuerat, vel discidii sui æquitatem approbare, vel iniquitatem illius agnoscere atque emendare possent (*Ibid.*, *capp.* 110, 116) : jam Marcellini esse, utris petitorum nomen conveniret pronuntiare (*Ibid.*, *cap.* 108). Schismatici tantisper de Catholici significatu litigarunt : fassi tamen sunt, id nominis abjudicari adversariis suis non posse, dummodo universum terrarum orbem sibi communionis vinculo conjunctum esse demonstrarent (*Ibid.*, *cap.* 102). Magnum autem veritatis partibus momentum ex eo accessit, quod cum dicerent Catholici Ecclesiam toto orbe diffusam falsis criminationibus ab illis esse appetitam, palam professi sunt schismatici, nolle se litem universis totius orbis Ecclesiis intentare; illas siquidem a Christianorum Africæ controversia prorsus alienas, exspectare potius certaminis exitum, ut eos sibi communione copulent et Catholicorum secum nomine gaudere velint, qui hac in Collatione vicerint (*Ibid.*, *cap.* 99). Sic enim agnoscebant sibi nihil esse, quod Ecclesiæ per mundum universum diffusæ objicerent. Ex qua confessione illud quoque consequebatur, Cæcilianum scilicet idcirco ab eadem illa Ecclesia non fuisse resecatum, vel quia innocens esset ipse, vel quia fieri non posset, ut ejus culpa commaculararentur, qui communionem ipsius retinerent. Et hæc argumenti vis etiam ad Africanos omnes catholicos pertinebat; quippe qui eidem illi Ecclesiæ copulati, Catholicorum nomen in ejus unitate semper tenuerant. Quæ sane manifesta erat horum victoria, nec sine divino beneficio concessa. Negatum quidem est ab hæreticis, illos in communione hac universali esse : verum ipsi huc recidisse causæ difficultatem summa cum voluptate cognoverunt. Itaque petiit continuo Alypius, ut sibi liceret, quod quærebatur, argumentis demonstrare (*Ibid.*, *cap.* 102) : sed alio disputationem vertere conati schismatici, denuo legatorum mandata sibi exhiberi poposcerunt, Ecclesiæ causa, quam jam ingressi erant, omissa (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 5). Cum vero Augustinus in Ecclesia toto orbe propagata velle se gradum figere profiteretur, *Hanc*, inquiens, *Ecclesiam elegimus retinendam;* illi reposuit Emeritus, *Sic semper eligere, et mutare consuesti* (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 100, 101). Quibus sine dubio Manichæorum hæresim, in qua hæserat adolescens, ipsi tacite exprobrabat : sed ne uno quidem verbo ad privatam illam injuriam repellendam dicto, Vir sanctus orationem suam prosecutus est.

3. Pronuntiavit tandem Cognitor, eos, qui crimina aliis intenderent, haberi petitores; si quidem ipsam Collationem ab utrisque partibus petitam fuisse probaretur (*Ibid.*, *cap.* 120). Quod ut Catholici planum facerent, actum eorum, quæ tertio kalendas februarias anni quadringentesimi sexti apud Præfectos professi fuerant Donatistæ, legendum obtulerunt (*Ibid.*, *cap.* 124). At omnino non licuit ultra diem, quo datum prænotatur, legendo procedere : nam cum Donatistæ hoc in actu sese impedivissent et implicassent, ne suis ipsorum verbis, quod apposite illis objectat Possidius, convicti tenerentur, nihil omisere, quo lectionem ejus prohiberent (*Ibid.*, *cap.* 141). Eamque ob rem illud jam detritum et toties a Cognitore repulsum, hic etiam obtruserunt ; velle se legatorum, a quibus fuerat impetrata Collatio, mandata expendere. Quod etsi tam ardenti studio efflagitarent, ut concilium ea de causa prope viderentur soluturi; id tamen æquum negare Marcellinus perseveravit; quippe qui non alia legi, quam quæ utraque pars in medium proferre vellet, jussurum se promisisset (*Ibid.*, *cap.* 140). Quocirca postquam nihil hac via promovere se intellexerunt, acta quædam Catholicorum obtulere ante annum sextum a quadringentesimo confecta, quibus ut schismaticis coeundi ad colloquium ediceretur necessitas, variorum criminum eos insimulabant. Petebant igitur Donatistæ, eadem acta tanquam antiquiora his quæ Catholici proferebant, præmitti, atque illos ex objectis ibidem criminibus petitores declarari (*Ibid.*, *cap.* 141). Interea Catholici relationem Anulini ad Constantinum obtulere, ut, si rationem temporum sequi placeret, ab ea, ut multo antiquiore, duceretur exordium (*Ibid.*, *capp.* 144, 148). Et revera Marcellinus hunc servari ordinem jussit (*Ibid.*, *cap.* 150). Unde factum est, ut illa quæstio, utri scilicet petitores essent, quam eo solum animo Donatistæ injecerant, ut a præcipuo rei capite averterent, sensim ad illud non sine divino consilio deduceret (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 7, *et Ad Donatistas post Collat. n.* 43).

Hoc illi animadverterunt, neque ullo modo sibi valuerunt temperare, quin illud ægre se ferre testarentur, ac palam dicerent : *Sensim in causam inducimur* (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 151 ). Quo dicto satis aperte declarabant, id sibi unice in omnibus suis molitionibus propositum, ne quid fieret, efficere; atque adeo dissimulare neutiquam posse, quin sibi veritatem obesse scirent. Easdem querelas paucis interjectis iterant (*Ibid.*, *cap.* 193). *O violentia veritatis*, exclamat Augustinus, *quolibet equuleo*, *quibuslibet ungulis fortior ad exprimendam confessionem! Hujus timoris apertissimam vocem quis de illorum clauso pectore excuteret*, *et non dico si eos donis largissimis ditaremus*, *sed si eos pœnis crudelissimis torqueremus? Clamant præclari viri*, *qui ad agendum videbantur electi*, *ac se potius ad non agendum electos esse testantur*, *et invidiose judici conqueruntur*, *sensim se in causæ interna deduci* (*Ad Donatistas post Collat. n.* 43 ). *O magna*, *sed non miranda confusio! quando enim dæmon sic exorcistam timeret?* (*Ibid.*, *n.* 44.) Ergo, ut penitiorem illam inquisitionem eluderent, Catholicos pactam standi solis Scripturis fidem, dum chartis publicis utuntur, violare obtenderunt (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 149). Huic petitioni responsum est ab Augustino, suis Ecclesiam esse catholicam, eosque ad illius auctoritatem divinis eloquiis firmandam semper esse paratissimos; ut autem leges vel gesta vel quæcumque de archivis offerant recitanda, ab ipsis cogi Donatistis, qui prius talibus agunt. *Crimina enim*, inquit, *dicunt traditionis*, *et ea aut non probant archivis*, *et nihil dicunt; aut probant*, *et archivis nos vicissim agere compellunt* (*Ibid.*, *cap.* 155). Cui responsioni cum Marcellinus esset suffragatus (*Ibid.*, *cap.* 156), Donatistæ non erubuerunt denuo ad rejectam jam diu querelam de legatorum proferendis in medium mandatis confugere, sed non alio atque antea successu (*Ibid.*, *capp.* 157, 164). Jussit itaque Marcellinus actum, quem Donatistæ afferebant, anno quadringentesimo tertio confectum, legi (*Ibid.*, *cap.* 174); Catholicos interim rogans, ut sua, tametsi antiquiora, differri paterentur (*Ibid.*, *cap.* 170). Peracta ea lectione, Marcellinus apparere quidem dixit petitores esse Catholicos, quando illi schismatis atque hæreseos crimen Donatistis impingerent; verumtamen, quo de hac re statueretur æquius, alia acta similiter esse recitanda (*Ibid.*, *capp.* 177, 180). Quo nihil minus tergiversatoribus Donatistis cordi erat. Quapropter hic etiam ad solitas artes redierunt, et cavillationes de præscripto die, quem elapsum esse causabantur, de mandato, deque ratione procedendi ingesserunt, eadem cantilena aures indesinenter obtundentes, ut scilicet vel omnino rei caput omitteretur, vel saltem, qui tam longa tamque plena fastidii acta perlegeret, esset nemo (*Ibid.*, *capp.* 181, 183, 188, 215). Vicit tamen aliquando tandem Cognitor tam longas obstinationes, et relationem Anulini, qua Donatistarum querelas de Cæciliano ad Constantinum deferebat, recitari voluit (*Ibid.*, *capp.* 216, 220): ad eumque modum de causa tractari cœptum est. Perlecta Anulini de Cæciliano epistola, Donatistæ (quo haud dubie occurrerent iis quæ inde fuerant consecutura) Augustinum rogarunt, quo nomine defenderet Cæcilianum, ejusne filius esset, an non (*Ibid.*, *capp.* 221, 227). Quibus ille, nullum vere ac proprie patrem vel caput in his quæ ad fidem ac salutem pertinerent, præter unum Christum, agnoscere Catholicos, respondit; ac proinde quod se Paulus Corinthiorum patrem diceret, nequaquam ad eum modum accipi debere, sed tantum quia esset dispensator evangelici ministerii (*Ibid.*, *capp.* 222, 242 ) : Cæcilianum igitur non patris, non matris, quod illi insulse interrogaverant, locum obtinere apud Catholicos (*Ibid.*, *cap.* 231), sed tantummodo fratris, sive boni sive mali; hoc enim Ecclesiæ nihil officere : ejus se causam defendere, quia innocentem eum arbitrabantur; at si secus foret, ipsi uni culpam suam fraudi futuram : si vellent adversarii ab ejus accusatione discedere, nec eum defensuros quoque Catholicos; atque adeo causam tanto breviorem fore (*Ibid.*, *capp.* 230, 232, 233). Producta est diuticule hæc disputatio : cumque interea Marcellinus Donatistis nonnunquam responderet verbis Augustini; Petilianus illum insimulavit, dejerans plus æquo favere Catholicis (*Ibid.*, *capp.* 233, 234).

4. Augustinum, ubi sermoni suo de paterni nominis proprietate finem imposuit, Donatistæ sciscitati sunt, a quo esset in episcopum consecratus (*Ibid.*, *cap.* 243). Possidius vero, ut qui magni illius viri præceptoris sui perspectum haberet animum, respondit, causam Augustini, qualiscumque tandem illa esset, defendendam hic non suscepisse Catholicos (*Ibid.*, *cap.* 245). Nihilosecius tamen illi institere, atque in sancti Episcopi ordinatione quærere calumniæ quidpiam videbantur. Ubi tamen ipse manus sibi à Megalio impositas palam esset professus, simulque rogasset, haberent ne aliquid, quod contra dicerent; alio sermonem detorserunt (*Ibid.*, *cap.* 247). Libellum itaque totius concilii sui nomine obtulerunt, quo ex auctoritatibus divinis probare contendebant, pastores malos maculas esse ac nævos Ecclesiæ, cujus in filiis improbum nullum esse oporteret, saltem deprehensum ac manifestum : occultos enim aliquos in ea latitare, ipsa vi veritatis fateri cogebantur (*Ibid.*, *cap.* 249). Declaravit Marcellinus, istum libellum non omnium suæ partis, sed tantummodo septem disputatorum nomine debuisse conscribi (*Ibid.*, *cap.* 252, 253) : unde liberum erat Catholicis, illum explodere, et quominus recitaretur, intercedere; at ne minimam quidem moram aut cunctationem injicere voluerunt, ne argumentorum, quibus utebantur adversarii, vim formidare viderentur (*Ad Donatist. post Collat. n.* 49). Libellum igitur suum Donatistæ curarunt legendum ab uno ex ipsorum episcopis. Legentem sine interruptione ulla Catholici æquis et benignis auribus audierunt (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 257-259, *et* 264). Scriptum autem illud eo animo confecerant, ut Catholicorum mandato, quod recitatum in prima Collatione fuerat, responderent. Atqui demonstravit Augustinus, nihil eos, quod eidem mandato satisfaceret, attulisse; quod ipsum

sola utriusque scripti lectione clarum erat (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 10). Quare percommodum accidit Catholicis, ut suum ipsorum mandatum adversariis per Notoriam postulantibus edidissent, eisdemque pariter petitam concessissent septem dierum dilationem, quo illi elucubratam aliquam ac per tot dies meditatam responsionem afferrent : siquidem hinc liquido erat animadvertere, quibus capitibus illi nihil responsi darent (quæ sane perquam gravia erant), ipsa non fuisse memoriæ vitio prætermissa : sed quod essent responsione omni superiora (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 49).

5. Recitato isto codice schismatici ipsi Catholicos, ut ei responderent, interpellarunt (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 260) : his accidere nihil poterat optatius ; eamque provinciam Augustinus, tametsi perpetuo interturbarent adversarii, suscepit (*Ibid.*, *capp.* 264, 267). Et illo quidem urgente adversarios de palea dominicæ areæ usque ad ventilationem toleranda, negabat Emeritus aream in Evangelio legi (*Ibid.*, *cap.* 262) : sed citatis ex Joanne verbis eum sanctus Præsul revicit ; ipsique adeo Donatistæ secreto Emeritum sui monuerunt erroris : quem quidem ita correxit, ut nec tamen hæreticam vel schismaticam posuerit perversitatem. Continuo enim subjecit paleæ nomine malos occultos significari (*Contra Gaudentium*, *lib.* 2, *n.* 4). Quanquam hæc responsio in actis Petiliano tribuitur (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 263). Tribuni tandem auctoritate vix Augustinus obtinuit, ut sibi continua serie ac nullo interpellante loqui liceret (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 16). Sermonem suum, quem universim Catholicis adscribit, nobis ipse redegit in compendium. Illic omni studio quæstionem hanc firmare aggreditur, improbos hic ab Ecclesia manifestos perinde atque occultos tolerari, nec eorum peccatis, qui cum illis versantur, bonos infici. Exstat adhuc in actis Collationis hujus orationis initium (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 281) ; reliqua vero, una cum serie actuum, quorum præter articulorum titulos nihil superest, desiderantur. Quod autem sanctus Doctor dixerat, seminatos in Ecclesia malos a diabolo, id illi refellere studuerunt (*Ibid.*, *capp.* 282, 283). Catholici vero cum aliunde idem confirmarunt, tum vel maxime auctoritate Cypriani episcopi, quem in primis sibi venerationi esse schismatici præ se ferebant. Cujus quidem verbis, quoties ea sibi objiciebantur, cum respondere neque auderent, neque valerent, renuebant tamen ejus auctoritati concedere (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 20, *et Ad Donatistas post Collat. n.* 10). Ad hæc Catholicos calumniabantur, quasi duas existere Ecclesias docuissent, quarum etiam altera mortalis esset. Quæ criminatio eo nitebatur, quo præsentem Ecclesiæ statum, in quo mortalis est, hoc est hominibus morti obnoxiis constans, a futuro, in quo sancti regnaturi sunt mortalitatis legibus expediti, distinxerat Augustinus (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 283, 287, *Brevic. Collat.* 3, *nn.* 16, 19). Verum haud magnum huic negotium fuit calumniam dissolvere : etenim cum sua ipsius verba relegi petiisset, eo redacti sunt Donatistæ, ut non quod ille dixerat, sed quod animo cogitaverat, accusarent (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 284, 285). Atque ad eum modum terminata videbatur Ecclesiæ causa, in qua hoc sibi proposuere Catholici, nullis eam maculari, nec Cæciliani, nec cujusvis alterius culpis demonstrare. Ac Donatistæ ipsi placitum illud tandem agnovere, cum in angustias compulsi Maximianistarum historia (*Epist.* 141, *n.* 6 ; *Brevic. Collat.* 3, *nn.* 21-23, *et* 27), sibi a veritate verba illa, quæ toties illis Augustinus oggerit, exprimi passi sunt, nimirum, *Nec causa causæ, nec persona personæ præjudicat* (*Epist.* 141, *n.* 6 ; *Epist.* 142, *n.* 3 ; *Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 24, *etc.*). Itaque pronuntiavit Marcellinus, caput hoc ampliori disputatione non indigere, ac se postquam alia omnia discussa essent, de eo quoque laturum esse sententiam : jam igitur schismatis causam atque originem examinandam (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 289). Instabat contra utraque pars, ut de unaquaque re, statim atque absolutum esset ejus examen, pronuntiaret (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 21) : at ille, hoc per leges non licere respondit ; ac judicis officium esse, de toto negotio simul ferre sententiam, mentemque suam, quoad omnino causa peracta sit, premere (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 292, 314).

6. Cum originem et causam discidii primam explorari vellet Marcellinus, id quominus fieret, obnixius Donatistæ obsistere cœperunt (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 21) ; adeo ut ejus rei, utpote quæ episcopos contingeret, Christum unum judicem esse causarentur ; necnon Catholicos vocarent in invidiam, quod eam ad humanum tribunal detulissent (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 245, 297). Huc etiam solitas inserebant querelas de persecutionibus quas perpeti viderentur. Sed Catholici eadem illa, quæ tam invidiose criminabantur, eos priores admisisse monstrarunt. Neque illis quidquam profuit, quod Circumcellionum scelera dictitarent nihil ad episcopos pertinere ; quandoquidem furiosos illos ducibus eorum clericis tot tamque horrenda mala commisisse constabat. Hæc autem de vexationibus atque injuriis controversia longius producta est : verum cum Marcellinus præcepisset prolata a Catholicis instrumenta legi, finis ei tandem impositus fuit. *Salva ergo causa Ecclesiæ, confirmata et incommutabiliter fixa ac stabilita, tanquam supra fundamentum petræ quam portæ inferorum non vincant : hac ergo salva*, Augustinus inquit, *venimus et ad causam Cæciliani, jam securi, quidquid ille inveniretur admisisse. Et diximus, Salva causa Ecclesiæ, cui nihil præjudicat peccatum Cæciliani, videamus et ipsius causam, qualis sit. Si invenerimus eum innocentem ; jam vos ubi eritis, qui et in ipsa humana calumnia defecistis? Si autem inventus fuerit nocens, si inventus fuerit reus ; nec sic victi sumus, quia unitatem Ecclesiæ, quæ invicta est, obtinemus. Inventus sit prorsus reus; hominem anathemo, Christi Ecclesiam non desero. Hoc fecimus, diximus : deinceps eum ad altare inter episcopos, quos fideles et innocentes credimus, non recitabimus. Hoc solum fecimus. Numquid propter Cæcilianum rebaptizaturi estis orbem terrarum? Hac securitate constituta et firmata, cœpit discuti causa Cæciliani* (*Serm.* 359, *n.* 6). Recitata est igitur Anu-

lini proconsulis ad Constantinum imperatorem de Donatistarum accusationibus adversus Cæcilianum epistola; item alia ejusdem Anulini, qua Constantinum certiorem faciebat, missos ab se ad Romanam synodum Cæcilianum ac ejus adversarios: quæ epistola interiit (*Collat. Cathag.*, 3, *capp.* 316, 318). Huic lectioni additæ quoque sunt Constantini ad Miltiadem aliosque antistites ad concilium Romanum destinatos litteræ, necnon et prima Romani concilii anno supra trecentesimum decimo tertio habiti sessio (*Ibid.*, *capp.* 319, 321). Hic vero interturbarunt Donatistæ, nec prius tumultuari destiterunt, quam eis Tribunus concederet ut quæ spectarent ad Cæciliani damnationem, legerentur (*Ibid.*, *capp.* 322, 335). Tum illi exortum hinc esse discidium contendentes, quod persecutionis tempore divina volumina præcessor Cæciliani Mensurius tradidisset, accusationem illam ut probarent, cum ejusdem Mensurii epistolam ad Secundum Tigisitanum, tum hujus responsionem ad Mensurium recitarunt (*Ibid.*, *capp.* 334, 342). Familiares erant illæ epistolæ, nec ullo pacto, veræne essent an secus, constare poterat. Sed ex iis nequaquam fiebat manifestum, codices sacros Mensurium tradidisse: quod ipsum tamen haud obscure de Secundo innuebant (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 27). Lecta est deinde, assentientibus Catholicis, lata in Cæcilianum à Carthaginensi concilio sententia (*Ibid.*, *n.* 26, *et Collat. Carthag.* 3, *capp.* 346, 347). Quam in rem animadversum voluere Catholici, publico nullo judicio damnatum fuisse Mensurium; et Carthaginense concilium, quod contra Cæcilianum legerant, non habere consulem et diem; quamvis hoc meræ negligentiæ magis, quam fraudi, lubentes ipsi tribuerent: denique Cæcilianum in eo damnatum absentem, idque ab episcopis qui, cujus criminis illum condemnabant, hoc idem sibimet in alio concilio condonarunt (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 351). Ultimum autem illud ut planum facerent, Cirtense concilium anno trecentesimo quinto habitum legi postularunt; cujus testimonium, cum consul et dies ejus legeretur, eo infirmare conati sunt schismatici, quod ei temporis nota, præter actuum ecclesiasticorum, uti volebant, consuetudinem, esset adscripta (*Ibid.*, *cap.* 353). Sed Catholici nunquam non sui moris fuisse contenderunt, consulem et diem conciliis adscribere (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 27). Attamen Donatistæ hinc disputandi finem non fecerunt, donec palam edixit Cognitor, decreti fidem adjectione consulis non perire (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 393, 396). Ergo a concilio Cirtensi ad Carthaginense reditum est. Institere Catholicis Donatistæ, ut ejus auctoritatem agnoscerent, ac Cæcilianum, quandoquidem in eo fuerat condemnatus, reum esse confiterentur. Responsum est a Catholicis, Donatistas ipsos liquido significasse, cum rem ad Constantinum detulerunt, hujusmodi condemnationem minime sufficere (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 30).

7. At vero etiam, quam infirmum esset petitum ex illo concilio Carthaginensi argumentum, multo lucidius allata Priminiani eodem plane modo a Maximianistis damnati historia demonstrarunt: ita ut schismatici veritatis retibus impediti, et in horrendas contrusi angustias, nihil invenirent, quod in ea, in quam eos Maximianistarum mentio conjecerat, consternatione reponerent, nisi quod erat Catholicis fundamenti loco, nempe nec causam causæ, nec personam præjudicare personæ (*Ad Donat. post Collat.*, *c.* 30; *Collat. Carthag.* 3, *cap.* 372). Hinc erumpit Augustinus in illa verba: *O responsum breve, liquidum, verum! Non potuit enim pro nobis brevior, et certior, et liquidior ferri sententia* (*Serm.* 164, *n.* 13). Nihil aliud ex iis extorquere cupiebant Catholici. *Illud*, ait, *si montes aureos daremus, quando emere possemus* (*Ad Donat. post Collat.*, *n.* 52.)? *Multis quidem verbis superfluis*, addit idem sanctus, *gesta oneraverunt; et quia non potuerunt efficere, ut causa non ageretur, hoc fecerunt multum loquendo, ut quod actum est, difficile legeretur. Sed debent vobis etiam istâ eorum pauca verba sufficere, ne propter nescio quæ nescio quorum hominum crimina, oderitis unitatem catholicæ Ecclesiæ; quia sicut ipsi dixerunt, relegerunt, subscripserunt, nec causa causæ præjudicat, nec persona personæ* (*Epist.* 141, *n.* 7). Latius excurrit Augustinus, ut eos usus indicet, quos Ecclesia potest ex illa veritate elicere, quam Donatistæ illius lingua confessi sunt, qui defensorum causæ suæ erat nobilissimus (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 2-4). *Non enim scivit quid dixit*, inquit Augustinus; *sed Caiphæ similis, cum esset Pontifex, prophetavit* (*Serm.* 164, *n.* 13). Post ipsam Collationem verba sua in alienos sensus convertere moliti sunt: sed frustra. Hinc exclamat Augustinus: *O mira defensio! Tam densum et arctum est, ubi eis adhæserunt pedes, ut eos evellere conantes, frustra et manus et caput figant, et in eodem luto hæsitantes arctius involvantur* (*Ad Donat. post Collat.*, *n.* 25). Et hinc erat, cur vel pertinacissimi Donatistarum sibi hoc uno verbo nullum responsi locum relinqui non dissimularent (*Epist.* 173, *n.* 7).

8. Ut Collationis historiam prosequamur; rogavit Tribunus, num ad Constantinum ante concilium Carthaginense, an tantum post illud celebratum perfugerint Donatistæ (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 377): cui quid illi responderint, non habetur. Catholici vero, id sive ante sive post memoratum concilium factum fuerit, expendendum esse Constantini judicium, ac lectionem actuum prosequendam contenderunt (*Ibid.*, *capp.* 379, 382): atque ita post varias schismaticorum de Cirtensi concilio vitilitigationes, Romanæ synodi, quæ Cæcilianum crimine liberaverat, continuata est atque absoluta lectio (*Ibid.*, *cap.* 403). His peractis Donatistæ, cum de synodo Romana, quemadmodum eos Marcellinus interrogaverat (*Ibid.*, *cap.* 405), esset respondendum, ad Cirtense concilium redeuntes, hoc idcirco suppositicium esse affirmarunt, quod persecutionis tempore nequaquam liberum fuerit concilia ulla celebrare (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 32; *Collat. Carthag.* 3, *capp.* 407, 408). In eam rem inquiri voluit Marcellinus (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 413). Catholici ergo christianas plebes fervente quoque persecutione solitas congregari commonstrarunt præsertim ex gestis martyrum, qui confite-

bantur in passionibus suis se collectam et dominicum egisse. Quapropter petiere, ut e suis aliquos, a quibus acta hujuscemodi confessiones exhibentia afferrentur, mittendi potestas sibi fieret (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 419). Qua negata, atque inde expostulantibus Catholicis, Donatistæ ipsi quædam martyrum gesta in medium protulere recitanda (*Ibid.*, *cap.* 432). Pro se quoque Catholici alia martyrum acta deprompsere, unde privatos quosdam domum habendis fidelium cœtibus (quod illi contendebant nulla ratione potuisse fieri) suam accommodasse, imo etiam nonnullos in carcere ipso Baptismum collecta plebis ibidem facta accepisse constabat (*Ibid.*, *capp.* 433, 449, 451, 453). Quibus recitatis, non semel pronuntiavit Tribunus duodecim episcoporum concilium, quale Cirtense fuerat, tunc facile, quamvis persecutionis tempore, potuisse congregari (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 33; *Collat. Carthag.* 3, *cap.* 444). Donatistæ autem acta sua, nimirum, ut vero simile est, sanctorum Saturnini, Dativi et aliorum ideo produxerunt, ut his ostenderent Cirtense concilium tempore persecutionis habitum fuisse, cum ipsa pridie idus februarias anni trecentesimi quarti notarentur. Catholici contra, notis temporum necdum discussis, asserebant non fuisse nisi undecim post mensibus celebratum. Et certe elapsi erant a martyrum passione menses tredecim; quandoquidem anno trecentesimo quinto habitum fuit tertio nonas martii. Sed Officium tum concilii hujus, cum actorum illorum tempus, consideratis consulibus ac diebus computare jussum, unum omnino mensem intercessisse renuntiavit. Ea re nonnihil turbati sunt Catholici; quippe qui tantummodo post finitam Collationem deprehenderunt reapse acta martyrum Diocletiani et Maximiani consulatu, gesta autem Cirtensis concilii post eorumdem consulatum consignata esse; hinc porro lapsum esse Officium, quod in his, perinde atque in illis actis, non post consulatum, sed simpliciter consulatum legisset (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 433, 435, *et Brevic. Collat.* 3, *n.* 32). Longior illa fuit disceptatio de Cirtensis concilii actis, neque Donatistæ finem faciebant urgendi Catholicos, ut ea suppositicia atque adulterina esse faterentur : tametsi fraudem hic factam nullo ipsi comprobarent argumento (*Epist.* 141, *n.* 11). Cum tandem Marcellinus evicisset, ut de Romana synodo responderent, Miltiadem, quo præside habita fuerat, dixerunt traditionis reum : quam accusationem vanis quibusdam ac futilibus testimoniis adornabant (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 471).

9. Ubi visa est quæstio de Romano deque Cirtensi concilio abunde discussa, Constantini ad Eumalium de sententia, qua partibus auditis Cæcilianum innocentem ipse pronuntiarat, litteræ perlectæ sunt (*Ibid.*, *capp.* 515, 530). His quod objici posset, nihil invenerunt Donatistæ, nisi quod cavillati sunt, eas nomina consulum non præferre : sed Cognitor ea re nequaquam infirmari rescriptum declaravit (*Ibid.*, *capp.* 523, 525, 528). At continuo post, earumdem litterarum exemplum, in quo consules notabantur, repertum est (*Ibid.*, *cap.* 534). Tum illi ad aliam responsionem confugerunt, et quidem haud paulo solidiorem, si modo veritati esset innixa. Dixerunt itaque, post datum illud rescriptum, ab eodem principe condemnatum fuisse Cæcilianum, ejusque rei Optatum testem esse (*Ibid.*, *cap.* 532). Jam ante rogaverant, ut recitaretur locus Optati, et hoc Marcellinus curaturum sese promiserat : quapropter, cum illud secundo petiissent, annuere quoque Catholici, palam tamen contestati prius, errorem ejusdem auctoris, si forte eum labi contigisset, sibi officere haudquaquam posse; quandoquidem illius scripta non habenda essent ab errandi conditione libera, quod unius erat Scripturæ canonicæ (*Ibid.*, *capp.* 480, 482, 533). Verum illud unum deprehensum est, videlicet Optatum scribere, per aliquantum temporis Brixiæ pacis ergo detentum Cæcilianum fuisse (*Ibid.*, *cap* 536). Tum contenderunt Donatistæ, Optatum verbis mollioribus extenuare voluisse Cæciliani damnationem. Sed responsum est, debere itaque illos aliud testimonium, quo id probarent, evidentius reperire; in quo eorum diligentia frustra fuit. Jussit vero Marcellinus paginam codicis, ut inde Optati sensus nosceretur, totam recitari : cujus lectione patuit, proditum litteris ab Optato fuisse, concilium Romanum omnem criminis suspicionem a Cæciliano sententia sua removisse. Ex illo enim ab Officio recitatum est : *Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus.* Quod cum recitaretur, Donatistæ dixerunt hoc se non petiisse recitari, simulque stomachabantur adversus eos, qui risum tenere non potuerant, cum audissent quam apertam contra se paginam protulissent. Sed quia risus non poterat notariorum tabulis excipi, verbis Donatistæ suis apud Acta risos se esse testati sunt, cum dicerent, *Audiant qui riserunt :* quod ab exceptoribus scriptum, et a Donatistis subscriptum est (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 38, *et Ad Donat. post Collat.*, *n.* 54).

10. Hic jam *apertissime nos adjuvare cæperunt*, inquit Augustinus, *tanquam a nobis essent instructi, vel tanquam nobiscum ad innocentiam Cæciliani defendendam declarandamque delecti* (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 54). Quin imo hac in parte ipsorummet Catholicorum sedulitatem vicerunt : etenim pro Cæciliano monumenta Catholici quidem bina, illi autem quaterna in medium protulere (*Epist.* 14, *n.* 12), nimirum Optati testimonium cum tribus aliis lectionibus, quarum duas Catholici, cum illis instructi non essent, maximi emptas voluissent (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 54). Erat hoc ab iis docendum, Cæcilianum a Constantino, qui eum, ut Catholici demonstraverant, priore judicio absolverat, in posteriori cognitione fuisse damnatum : quod ut efficerent, supplicem libellum eidem principi ab se oblatum produxerunt (*Brevic. Collat.* 3, *nn.* 39, 40); quo sane et illos ab eo condemnatos, et declaratam Cæciliani innocentiam, exploratum erat. Dein imperatoris memorati ad Verinum litteras intulere, quibus eos graviter detestatus, nequitiam eorum Domini judicio, qui jam in illos cœperat vindicare, dimittebat. In eos afferri nihil poterat luculentius; neque id eos forsitan latebat :

verum a Tribuno impetraturos se sperabant eamdem libertatem, quam a Constantino per hasce litteras permissam ipsis esse patebat : sed ille aliud sibi ab Honorio præceptum esse respondit (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 155, 552). Atque adeo nihil aliud consecuti sunt prolatis tot instrumentis, nisi ut ipsos damnatos fuisse palam fieret; simulque convincerentur quam inique Catholicis odium et invidiam propter id concitassent; quod apud Imperatorem causam egissent Ecclesiæ; cum et ipsi Cæcilianum a majoribus suis apud Constantinum faterentur accusatum, iisque agentibus ab illo damnatum, etsi mendaciter, jactitarent (*Epist.* 141, *n.* 8). Jam videbantur afferre nihil posse, quod Ecclesiam cumulatius adjuvaret : attulerunt tamen, et non secus ac Balaam invito animo Dei populo bene precatus est; sic isti contra voluntatem partibus Ecclesiæ catholicæ, Deo compellente, mirum in modum faverunt. Quippe in rem Ecclesiæ erat, Felicem quoque Aptungensem, a quo fuerat ordinatus Cæcilianus, innocentem demonstrare : cujus quidem rei documenta Catholicis ad manum erant, ut ea, ubi causæ ratio id postularet, depromerent : neque tamen illis forsitan usi essent, quando satis aliunde manifesta erat Cæciliani innocentia. Sed ipsos Donatistæ præverterunt, et Constantini, quod facturos illos sperasset nemo, litteras in medio posuere, quibus, discussa causa, Felicem a traditionis crimine liberatum fuisse agnoscebat; idemque decernebat, ut Ingentius, qui adversus Felicem, falsum se fecisse fassus erat, ad Comitatum, ubi Cæciliani accusatores molesti nimium ac pertinaces confutandi erant, mitteretur. Donatistæ litteras illas, ipsis vehementer adversas, eo proferebant, quod eas sententia in ipsos a Constantino lata posteriores haberi vellent : quo videlicet causam eodem illo judicio persuaderent finitam nullo modo fuisse; atque adeo examinari oportere, quid hujusce Ingentii missionem esset consecutum (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 55). Sed respondebatur a Catholicis, nihil amplius esse dubii, quin absolutus fuisset a Constantino Cæcilianus; jamque hoc illis incumbere, ut institutum alterum judicium argumentis legitimis docerent (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 42). Quin postea, collatis inter se temporum notis, intellectum est Ingentii causam absolutione Cæciliani priorem exstitisse. Hinc interim illud compendii accedebat Catholicis, quod, quibus testimoniis utebantur adversarii, ea mirifice Felicis innocentiam adstruebant. Hanc tamen ipsi quoque præterea confirmaverunt, oblata Æliani proconsulis, qui de causa illius cognoverat, relatione ad Constantinum; imo et ipsis ejusdem cognitionis actis; ad quæ monumenta quod opponerent, nihil ponderis alicujus inventum a Donatistis.

11. Catholici tandem, ubi videre jam satis ea discussa esse, quæ sibi defendenda fuerant, petierunt ut litem Cognitor sententia sua finiret (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 571, 576). Donatistæ contra eadem sine fine ingerebant, et quæ ipsi pro se attulerant, ea queritabantur ex voluntate adversariorum adulterata (*Ibid.*, *cap.* 583). Quare comperto jam novi instrumenti, quod legeretur, nihil superesse, Marcellinus partes utrasque locum sententiæ scribendæ secedendo dare jussit. Oborta demum nocte (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 16) (nam illa ætate sæpe contingebat, ut judices audiendi necessitate usque ad multam noctem sedere cogerentur, nec nisi noctu lites dirimerent), episcopis rursus introduci jussis, Marcellinus sententiam recitavit : qua totum summatim negotium complexus, confutatos a Catholicis Donatistas omnium argumentorum manifestatione pronuntiavit. Quod posteaquam evulgatum est, mirum quanta exstitit omnium lætitia, quod Deus tandem, a quibus staret veritas, a quibus autem mendacium atque error, prodidisset (*Collat. Carthag.* 3, *capp.* 584, 585).

## CAPUT XIII.

1 *Quantum eminuerit in Collatione Augustinus.* 2 *Donatistarum quot tricæ ac tergiversationes.* 3 *Quam prudenter sese gesserit Marcellinus.* 4 *Donatistæ ad Imperatorem provocant.* 5 *Collationis acta Marcellinus scripto in schismaticos edicto promulgat.* 6 *In compendium illa redigit Augustinus.* 7 *Post Collationem frequentes ad Ecclesiam se recipiunt Donatistæ.* 8 *In his nominatim Gabinus ac virgo Felicia.*

1. Is exitus fuit celeberrimi illius conventus, quem Africana Ecclesia jam totos octo annos expetebat, quemque in præcipuis episcopatus Augustini fructibus jure numeramus. Certe quidem extra controversiam est, ipsum ex Catholicorum parte ejus quasi mentem exstitisse; nec alia, ut nos quidem arbitramur, ulla re melius intelligitur, quantum ingenio valuerit doctor ille ac vindex Ecclesiæ. Etenim licet ubique ipse præclaras Alypii dotes extollat, licet etiam quibus disputandi provincia demandata est, ii dubio procul omnium Africanorum antistitum ejus ætatis clarissimi juxta ac peritissimi fuerint; nihilosecius tamen in omnibus Augustini dictis, ea dilucet ingenii vis, ea facilitas ac suavitas, tantum denique gratiæ simul et nervorum, ut aliorum præ illo lumina evanescant, exstinguanturque. Juridiciales formulas, et curam observandi sicubi quidpiam peccent Donatistæ, Alypio et Possidio relinquit : at quoties ardua quædam et magni momenti quæstio agitatur, aut firmanda est Ecclesiæ fides, tum vero illi disceptandi munus ac vicem omnes deferunt. Hinc est cur eum in primis duabus Collationibus vix quidquam locutum reperias : in iis vero quæ nobis e tertia relicta sunt, nusquam fere illum non audiamus. Si qui porro animadverterunt, eadem ab illo in suis libris multo clarius ac vehementius tractata, quam in Collatione; iidem simul confitentur, non licuisse illi per frequentes Donatistarum interpellationes eadem isthic ingenii libertate agere (*Bald. in Historia Collat.*, *pag.* 125, *C*, *D*). Nec forte immerito aut istiusmodi perturbationi, aut contentionis fervori tribueris, quod observatum quibusdam, tanquam ab incuria profectum, inter sacramenta regni Judæ, quæ legitima erant, et regni Israel, ubi præter legem celebrabantur, non satis distinxisse Catholicos; sed generatim affirmasse, repudiatam a Pro-

phetis nunquam fuisse Judaicorum sacrorum communionem.

2. Ex omni sane actorum contextu advertere est, quot artes, quot cavillationes adhibuerint Donatistæ. Petilianus qui causidici munus in foro obierat, atque in hac causa partes agit præcipuas, multo magis arte forensi, quam ecclesiastica doctrina pollere se prodit. Emeritus vero, qui secundas ipse sustinet, etsi videtur aliqua præditus dicendi facultate, tanta verborum ambage mentem exprimit, ut eam plerumque ægre admodum assequamur (*Bald. in Historia Collat. pag.* 123) Moratoriæ eorum vitilitigationes ac strophæ eo spectabant omnes, ut rei decisionem traherent. Quo factum, ut multo plus temporis et verborum in leviculis rebus et a proposito alienis insumptum sit, quam in ipso causæ capite. Imo verius dixeris, illos hoc unum secutos fuisse, ut agendo multa, prorsus ageretur nihil. Hinc Donatistas alloquitur sanctus Augustinus in hæc verba : *Ecce episcopi partis vestræ, quos omnes elegerunt, ut pro omnibus loquerentur, conati sunt, quantum potuerunt, ut omnino ipsa causa non ageretur, propter quam tantus numerus episcoporum utriusque partis de universa Africa, et de tam longinquis locis, Carthaginem venerat. Et cum omnis anima suspensa exspectaret in tanta collectione quid ageretur, illi vehementer instabant ut nihil ageretur. Quare hoc, nisi quia causam suam malam sciebant, et facillime se posse vinci, si ageretur, dubitare non poterant? Ipse ergo animus eorum, quo timebant ne causa ageretur, jam victos eos esse monstrabat. Si enim extorquerent quod volebant, ut jam collatio ipsa non fieret, nec disputationibus nostris veritas appareret : redeuntes a Carthagine, quid vobis erant responsuri? quid demonstraturi? Credo, prolaturi erant Gesta, et dicturi vobis : Nos instabamus ut causa non ageretur, illi instabant ut ageretur. Vos exspectatis videre quid egerimus : ecce legite ubi eos vicimus, ut nihil ageremus. Forte et vos responderetis, si cor haberetis : Nihil ergo acturi, utquid istis? vel potius, qui nihil egistis, utquid redistis?* (*Epist.* 141, *n.* 3.) Scribit idem alio loco : *Congregantur ex universa Africa tot episcopi, ingrediuntur Carthaginem cum tanta speciosi agminis pompa, ut tam magnæ civitatis oculos in se intentionemque convertant. Qui loquantur pro omnibus, eliguntur ab omnibus. Locus etiam re tanta dignus in urbe media procuratur. Utrique conveniunt; judex præsto est, tabulæ patent, suspensa omnium corda exitum tantæ Collationis exspectant. Tunc a lectissimis et disertissimis viris, quantis viribus agi debuit aliquid, tantis agitur ut agatur nihil* (*Ad Donatistas post Collat.*, *c.* 25, *n.* 43). Verum quam suspectam ipsi haberent causam suam, nullo alio certiori probari posset argumento, quam quod tantopere ne res enodaretur explicareturque, formidabant. Ergo ante omnia schismaticis debilitatis inopiæque suæ consciis, ut ne omnino controversia tractaretur, in votis fuerat : sed quando illud non valuerunt assequi, saltem acta longis suis ac superfluis sermonibus adeo produxerunt, ut vix ea quisquam legere sustineret. *Quod illi*, inquit Augustinus, *utrum magis inopia veritatis, an industria calliditatis egerint, nescio. Hinc tamen solum causam tam pessimam utcumque adjuvare potuerunt, quam potius deserere debuerunt. Denique si in illos, qui egerunt, intendant cæteri accusationem, eosque potius asserant a nobis fuisse corruptos, ut tot prosecutionibus, vel a se prolatis lectionibus sic adjuvarent causam nostram, sic perimerent suam; nescio quemadmodum se possint defendere, et ab ista suspicione purgare, nisi forte dicant, Si corrupti essemus, causam tam malam, et per nos et per illos convictam, cito etiam finiremus : nunc vero vel inde credite, nos ex animo adfuisse, et aliquid prodesse voluisse, quod multum loquendo egimus, ne quod actum est facile legeretur, et nos esse victos cito cognosceretur. Si hoc ab eis non fieret, nec ipsis, nec nobis jurantibus forsitan crederetur, illa quæ pro nobis contra se, et tam multa dixerunt, et tam multa legerunt, gratis eos nobis omnia præstitisse. Nec tamen ipsis, sed Deo potius hinc agimus gratias. Ut enim illa omnia vel loquendo, vel legendo, pro causa nostra promerent atque propalarent, veritas eos torsit, non charitas invitavit* (*Ibid.*, *n.* 57). *Enervare vires veritatis conati sunt, et inanium nebulis prosecutionum ejus serenitatem nebulare, quantum potuerunt, enisi sunt. Adfuit Dominus, vicit serenitas ejus nebulas eorum* (*Serm.* 164, *n.* 12). Ita nihil ferme in medium afferebant, quod non potius cum Catholicis, quam secum faceret.

3. Qui præerat huic judicio Marcellinus, ad causam tanti momenti industriam plane singularem cum civilis atque ecclesiastici juris peritia conjunctam attulit : non quidem ut ab utra parte staret veritas dignosceret ; quippe etiamsi corruptus a Donatistis fuisset ; eos tamen propriis ipsorum probationibus convictos non potuisset non damnare : sed ut ejusmodi litigatorum tricas et fallacias explicaret, atque amotis tergiversationibus, ad tractandum id quod agebatur, eosdem adduceret. Is lenitudine quoque ac patientia usus est incredibili ; adeo ut in suspicionem animi adversus Donatistas propensioris vocari potuisset, si minor ejus exstitisset integritatis ac probitatis existimatio. *Verum de industria ad eum modum se gerebat. Nam cum eos videret premi veritate, nec eis videri vellet adversus ; nimium patienter pertulit homines per inania vagantes, et tam multa superflua dicentes, et ad eadem toties convicta redeuntes* ( *Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 57 ).

4. Quanquam autem ad ferendum judicium ei Donatistæ ipsi præiverant, sive prolatis adversus semet instrumentis, sive illa, quam dissimulare non potuerunt, causæ diffidentia et desperatione : tamen ad Imperatorem ipsi appellarunt, iis vehementer mirantibus qui gesta vidissent, propriaque eorum verba ibi scripta et subscripta, quibus causam ipsi suam peremerant, inspexissent (*Possidius, in Vita Augustini, n.* 15 ; *Augustinus, Ad Donatistas post Collat., n.* 16 ). Atqui dum illi provocabant a judice, nihilosecius se e certamine victores abiisse jactitabant ( *Serm.* 359, *n.* 6 ). Eademne sit illorum provocatio, atque scriptio illa, quam ipsos fama ferebat statim a Collatione edidisse, et quam refellit Augustinus libro ad Donatistas post Collationem scripto (*Ad Donatistas post Collat., n.* 32),

non satis constat. Sed in hac eos ipsos Scripturæ locos, qui jam in Collatione discussi fuerant, rursus proferre non verebantur : istum videlicet ex Apostolo petitum, *Nolite jugum ducere cum infidelibus* (II. *Cor.* VI, 14), aliosque hujusmodi; sed præcipue ostentabant illum Aggæi, *Quicumque accesserit illo, inquinabitur* (*Aggæi* II, 14). Ibidem conabantur explicare, quod in Collatione dixerant, Causam causæ, et personam non præjudicare personæ (*Ad Donatistas post Collat., n.* 25). Causabantur sententiam noctu pronuntiatam esse (*Ibid., nn.* 16, 20, 58); se ipsos in Collationis loco quasi in carcere inclusos; ereptam sibi facultatem libere, quæ vellent, in medium proferendi; et quod cum judex fidem catholicam profiteretur, etiam propensiore animo fuisset in Catholicos (*De Gestis cum Emerito, n.* 2). Emeritus defensor eorum in Collatione præcipuus (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 14), aliquot post annis, fueritne auctoritate victus, an potentia oppressus, cuilibet ex ipsis actis patere dicebat (*De Gestis cum Emerito., n.* 3). Tum vero ipse, cum alii judicem a Catholicis auro corruptum fuisse in vulgus sparserunt (*Ibid., n.* 2; *Ad Donatistas post Collat., nn.* 1, 39, 57, *etc.*) Quanquam vero Imperatorem appellaverint, nihilominus tamen tertiæ Collationis acta perinde, atque superiorum duarum, subscripserant : sed nusquam fere non addito, salva appellatione se subscribere. Marcellini subscriptio, tametsi primum se subscripturum spopondisset, tamen omnino in trium dierum actis desideratur. At fieri sane potuit, ut partibus in id consentientibus hoc onere liberatus fuerit.

5. Quin acta Collationis, ubi primum fuere descripta concinnius, publice proposita fuerint, nulli censemus ambigendum. Et huc indubie referendum est subjunctum extremæ Collationi Cognitoris edictum. Sed non ita perspicuum est, an hoc haberi debeat pro sententia secundum Catholicos pronuntiata, qua ille, teste Augustino, omnia quæ de prolixa trium dierum actione potuit recordari, complexus est (*Brevic. Collat.* 3, *n.* 43). Hoc autem in edicto sequentia declarat tanquam evidentissime probata (*Labbe, tom.* 2, *pag.* 1505) : Alieni sceleris noxa alium fieri reum omnino non posse; atque adeo non potuisse Ecclesiam collatis in Cæcilianum criminibus infici; neque tamen illum admissi cujuspiam convictum ullo modo fuisse; quandoquidem ei Concilium, a quo fuit inauditus et absens condemnatus, officere haud magis valuit, quam absenti quoque Primiano Maximianistarum synodus : fuisse autem crimine liberatum in multis posterioribus judiciis; Donatum vero auctorem discidii pronuntiatum : Felicem Aptungensem de calumniosa criminatione similiter in solemni judicio purgatum esse. Perstringit ibi Donatistarum pertinaciam, quibus perire in errore suo, quam libere in viam salutis redire, satius videbatur : utque periculum faciat, num forte, quod ab eis obtinere vis veritatis non valuit, sit expressura severitas; aut saltem prohibeat, ne quam sibi, eamdem quoque aliis perniciem afferant, gravissima mulcta proposita edicit, ut omnes omnium ordinum viri provideant pro sua virili, ne conventus illorum aut in urbibus, aut uspiam omnino sinant coire; itemque dent operam, ut ecclesiæ suo ipsius jussu Donatistis ante Collationem redditæ, quam primum tradantur Catholicis. Persancte affirmat, eos qui jam istorum in factionem transfugient, pœnam legibus super ea re promulgatis, sed necdum tamen plene observatis, constitutam vitare ulterius non posse. Item universos, qui Circumcelliones in suis prædiis habuerint, eorum conatus seditiosos coercere jubet : qui ni paruerint, loca illa a fisco mox occupanda; quippe hoc non fidei catholicæ tantum, sed etiam publicæ tranquillitatis interesse. Attamen concessam edicto suo superiore Donatistis commeatus securitatem confirmans, ne qua reditus illis intercludatur, vetat, donec suis quisque sedibus redditi declarent, utrum ad Ecclesiam redire, atque eas conditiones, quas illis jam ante Collationem obtulerant, ac etiam tunc offerebant Catholici, accipere demum sententia esset. Testatur quoque jam peracta Collatione Augustinus, episcopali dignitate illos non abdicari, qui se ad catholicam communionem referrent; tametsi, qui præfracto animo perseverabant in errore, hinc superbiendi ansam caperent (*Ad Donatistas post Collat., n.* 58). Marcellinus appellationis Donatistarum suo in edicto disertis verbis non meminit : hoc nimirum nihil aliud, quam superiores leges, ipso Imperatoris de habenda Collatione mandato renovatas, observari jubet. Marcellino jam vita functo Honorius gesta Collationis lege tertio kalendas septembris anni supra quadringentesimum decimi quarti data confirmavit, et rata atque legitima haberi voluit (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 55).

6. Eadem Gesta vigilantissimi quique episcoporum, ac potissimum Carthaginensis, Hipponensis, Tagastensis, et Constantinensis, per quadragesimale jejunium, quo tempore hanc audire lectionem populo magis vacabat, a capite ad calcem curabant recitari : ipseque adeo Augustinus, cum anno quadringentesimo decimo octavo esset Cæsareæ, Deuterio hujusce civitatis antistiti, ad imitandum eumdem morem, auctorem se atque hortatorem præbuit (*De Gestis cum Emerito, n.* 4). Signat haud dubie gesta illa suo in Chronico Idacius, ubi ad annum quadringentesimum duodecimum ait : *Augustinus habetur insignis : inter cujus studia magnifica, Donatistas ab eo Dei adjutorio superatos probata fides demonstrat Actorum.* Nec ea sane fuerunt incognita Græcis : quando quinta synodus ex centesimo octogesimo septimo tertiæ Collationis articulo verba quædam Augustini profert, quibus licere anathema in demortuum dicere, demonstret. Acta priorum duarum Collationum, cum parte tertiæ ad nostram ætatem usque pervenerunt, sed mendis fœdata compluribus. Cum ea porro longissima sint, et impeditissimis rerum ambagibus implicata atque ad legendum molesta; Marcellus quidam, quem nonnihil auctoritatis in hoc judicio Marcellinus habere voluerat, in compendium ipsa redigere, a Severiano et Juliano, Catholicus videlicet a Catholicis rogatus est. Exstat adhuc epistola, qua certiores eos Marcellus fa-

cit, sese, quod optaverant, præstitisse, necnon arithmeticas notas articulis ubique addidisse, quo, quidquid fuerit libitum inveniatur commodius (*Labbe*, *tom.* 2, *pag.* 1337). Utrum autem opella hæc Marcelli eadem putanda sit, atque articulorum Collationis tituli, quos illius epistolæ subjectos et cuique Collationi præfixos videas, non definimus; his certe actorum compendium quoddam exhibetur. Verum cum idem perobscurum sit atque imperfectum, nequaquam prohibuit, quin Augustinus aliud, quod etiam nunc pro numero sessionum Collationis tripartitum exstat, concinnaret. Laborem hunc suum ea re utilitatem allaturum esse existimavit, quia in eo liceret, quidquid in Collatione gestum esset, cognoscere; necnon eadem opera, quoties liberet, acta ipsa consulere, numerorum scilicet beneficio, qui ad operis hujusce marginem (unde nunc quidem absunt) adscripti, Collationis articulos denotabant. Testatur sanctus Doctor lucubrationem illam, quem Breviculum Collationis appellat (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 39), opus multi sudoris fuisse; neque tamen sibi liberum id non suscipere, propterea quod, qui prolixa adeo Gesta perlegeret, esset nemo (*Epist.* 139, *n.* 3). Bonifacium comitem ad idem illud Breviarium remittit (*Epist.* 185, *n.* 6). Atqui non ei dedit operam, nisi post libros de Baptismo parvulorum absolutos, nimirum anno duodecimo supra quadringentesimum : uti Deo dante postea sumus demonstraturi.

7. Verum anno huic quadringentesimo undecimo adscribendus videtur Sermo in Apostolum ad Galatas, quem fortean Carthagine Augustinus, cum jamjam publice affigenda erant Collationis acta, pronuntiavit (*Serm.* 164, *n.* 15). In eo causam hanc inter alias unam esse indicat, cur Donatistarum præsules animum in secessione obfirmarent, nimirum quod eorum timerent offensionem, quibus falsitatem diutissime vendiderant. Simul etiam explicat, quam illis mentem, quæ verba ad plebes, quas seduxerant, veritatis amor, si hanc in pectore habuissent, suggerere debuerat. *Dicant*, inquit, *suis : Simul erravimus, simul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad foveam, et secuti estis cum duceremus ad foveam; et nunc sequimini cum ducimus ad Ecclesiam. Melius quidem erat, si nunquam erraremus : sed vel quod secundum est faciamus, ut errorem aliquando emendemus* (*Ibid.*, *n.* 14). Tum subjungit : *Possent ista dicere : indignantibus dicerent, iratis dicerent, aliquando et illi ponerent indignationem, amarent vel sero unitatem.* Ac demum ad Catholicos conversa oratione sic eos alloquitur : *Nos tamen, fratres, patientes circa illos simus; in fervore sunt et tumore oculi quos curamus. Non dico ut curare cessemus; sed ut non insultationibus ad majores amaritudines provocemus; rationem leniter reddamus, non de victoria superbe exsultemus* (*Ibid.*, *n.* 15). Attamen sperato successu non plane caruit prudens illa, quam Augustinus tenuit, agendi ratio : siquidem Collationem consecuti sunt multorum, etiam Circumcellionum, ad Ecclesiæ fidem reditus. De his sermonem habens Augustinus : *Exercenda est*, ait, *charitas, amandi et ipsi. Multi correcti fleverunt, multi correcti : nos novimus, ad nos venerunt de numero ipsorum furiosorum. Flent quotidie præterita sua, nec satiantur lacrymis, attendentes eorum furorem, qui non digesta ebrietate vanitatis adhuc sæviunt* (*Serm.* 359, *n.* 8). De iisdem habet alibi sequentia : *Ex hoc genere quis ignorat quam multi antea per diversas mortes ibant, et peribant; et nunc in illorum comparatione, quam pauci suis ignibus ardeant? Sed si putas moveri nos oportere, quia isto modo tot millia moriuntur; quantum existimas nos habere consolationis, quod a tanta dementia partis Donati, ubi non solum nefariæ divisionis error, verum etiam furor iste lex facta est, longe atque incomparabiliter plura millia liberantur? Neque enim isti, qui pereunt, illorum saltem numero æquantur, qui ex ipso genere nunc jam tenentur ordine disciplinæ, colendisque agris, amisso Circumcellionum et opere et nomine, inserviunt, servant castitatem, tenent unitatem : quanto minus coæquantur isti perditi numero utriusque sexus, non solum puerorum et puellarum, juvenum et virginum, verum etiam conjugatorum et senum; quorum innumerabiles ex Donatistarum nefaria dissensione in pacem Christi veram et catholicam transeunt? Isti quippe, qui se incendunt, nec tot homines sunt, quot loca sunt populis plena, quæ ab exitiali peste erroris illius et furoris per hanc instantiam perficiendæ unitatis eruuntur* (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 33).

8. Nominatur inter eos, qui se a Donati factione retraxere, in primis Gabinus quidam, ut vir præ cæteris honore illustris (*Ibid.*, *nn.* 12, 13, 43). Anno quadringentesimo decimo octavo Donatistarum Cæsareensium vix quisquam erat, qui se in gremium Ecclesiæ catholicæ non retulisset; quamvis tamen eorum plurimis necdum plane cognita esset atque perspecta veritas (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 2). Neque sane fieri poterat, quin in tot tantorumque populorum agminibus essent adhuc nonnulli ipsa novitate turbati; sed et ipsi paulatim ab hac infirmitate sanabantur. Et si ficti aliqui perseverarent, non utique propter ipsos non fuerant colligendi veraces (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 27). Exstat præterea inter Augustini Sermones brevis quædam ad populum oratio, cujus initium est : *Deo gratias, fratres, congratulamini fratri vestro* (*Serm.* 360). Ex ejus autem inscriptione ac stilo haud injuria quis conjecerit, illam fuisse ab Augustino compositam; sed nomine Donatistæ illius, qui publicas Deo gratias, quod se ab errore liberasset, agit. Idem hic sermo prænotatur ad vigilias Maximiani seu Maximini habitus, id est, ni fallimur, inter nocturnum Officium Africani cujusdam martyris eo vocabulo nuncupati, sed cujus cognitio ad nostram memoriam usque non pervenit. Sic psalmum septuagesimum secundum exposuit in pervigilio sancti Cypriani, an autem Carthagine, non explicat : illud solum extra dubium est, haudquaquam multo post elapsum præsentem annum id factum; quandoquidem Honoratum epistola sua medio circiter anno quadringentesimo duodecimo data ad eamdem expositionem remittit (*Epist.* 140, *n.* 13). Quo studio sibi populus aures præberet, ibi

significat, seque negat ejus ardori parem esse jam posse : ac demum ab eo sibi vim adhiberi blande queritur (*Enarr. in Psal.* LXXII, *n.* 34). In eorum numerum, quos Deus voluit a servis suis compulsos in aulam nuptialem ingredi, virgo quædam nomine Felicia refertur, quam Christus virginitatis sibi nuncupatæ fructu perstantem in schismate destitui non est passus. Eam in posterum Augustinus in sua diœcesi, ut verisimile quidem est, commorantem, pro filia sibi egregie chara, et honorabili corporis Christi membro, necnon Spiritus sancti præsentia vivo habuit. Ad nos usque pervenit epistola, qua illam oborto quodam scandalo perturbatam solatur, hortaturque ut uno Deo, non hominibus, nitatur, ac simul ne minus inde Ecclesiam, in cujus sinum se receperat, amare pergat. Rogat eam, ut, quo animo litteras illas acceperit, certiorem ipsum faciat rescriptis suis, sese, ut ad ipsam scriberet, salutis illius studio et sollicitudine adductum asseverans (*Epist.* 208). Post Collationem reversus Hipponem Augustinus curavit, ut acta Collationis populo recitarentur. Et hoc ipsum fortassis indicat, cum in sermone nonagesimo nono per æstivos calores non longe post finitam Collationem pronuntiato, quædam referens quæ in eadem fieri contigerat, addit : *Quod etiam in Gestis ipsis legere potestis* (*Serm.* 99, *n.* 8). In Donatistas plurimum ea in concione invehitur.

# *LIBER SEPTIMUS.*

Annos complectitur octo a quadringentesimo undecimo, ex quo anno rem habere cœpit Augustinus cum inimicis gratiæ Dei.

## CAPUT PRIMUM.

1 *Pelagius hæresim suam proferre incipit.* 2 *Discipulus ejus Cœlestius a Carthaginensi concilio condemnatur.* 3 *Pelagianos oppugnat Augustinus, ac libros ad Marcellinum duos de Baptismo parvulorum scribit.* 4 *Epistolam ad eumdem seu librum superioribus tertium contra Pelagianos adjungit.* 5 *Liber eidem Marcellino nuncupatus de Spiritu et Littera.* 6 *Carthagine contra Pelagianorum errorem sermonem habet ad populum.* 7 *Pelagio rescribit.* 8 *In epistola ad Anastasium gratiæ necessitatem ad legem implendam probat.* 9 *Honorato respondens disserit de gratia novi Testamenti.*

1. Bello Donatistarum post centum et quinque circiter annos, per quos ab iis vehementer admodum agitata est Africana Ecclesia, jam tandem feliciter confecto, aliud continuo cum Pelagianis suscipiendum fuit, quod universæ Ecclesiæ longe illo futurum erat periculosius magnitudine, ac diuturnitate molestius. Verum ut de tot præliis, quæ cum Donatistis pro Ecclesiæ pace commissa sunt, palmam tulit Augustinus, per quem videlicet totum illud instauratæ unitatis bonum et cœptum et perfectum est (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 13); sic in quovis cum inimicis gratiæ Dei certamine, jam inde a tempore quo in eos dimicari cœpit, catholica acies ejusdem sancti viri ductu et pugnat et vincit (*Prosper, Contra Collatorem, n.* 2). Copiis illis inimicis gratiæ Dei, quæ totius fidei christianæ fundamenta evertere moliuntur, Pelagianis nomen esse a Pelagio earum auctore ac duce, nemo nescit (*Epist.* 176, *nn.* 3, 4). Hic in insula Britannia, unde illi Britoni cognomen, humili loco natus est. Monasticæ vitæ institutum secutus, existimatione sanctitatis aliquandiu floruit haud vulgari. Erroris sui semina ab veteribus philosophis, necnon ab Origene collegit (*Epist.* 178, *n.* 2; *Epist.* 157, *n.* 21; *Epist.* 175, *n.* 6). Ea Romæ, ubi diutissime vixit, spargebat cum in scriptis, tum in sermonibus et contentionibus privatis; tametsi in his timide, et vitato quantum licebat strepitu versaretur (*De Peccato originali, n.* 24). Prius absentis et Romæ constituti Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovit Augustinus; postea vero cœpit ad eum fama perferre, quod adversus Dei gratiam disputaret (*De Gestis Pelagii, n.* 46). Illa sancti Doctoris verba, *Da quod jubes, et jube quod vis*, Pelagius Romæ cum a quodam episcopo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo qui illa commemoraverat litigavit (*De Dono perseverantiæ, n.* 53). Postea vero quam in Africam venit, Hipponensi littore, cum Augustinus illinc abesset, exceptus est, anno, ut videtur, quadringentesimo decimo : sed quod ejus hæresim saperet, ibi omnino nihil ab illo auditum est; quia et citius quam putabatur, inde profectus est. Postmodum ejus faciem Carthagine semel et iterum vidit Augustinus, anno scilicet quadringentesimo undecimo, quando propter collationem, quam Catholici cum Donatistis habituri erant, maximis occupationibus distinebatur. Pelagius vero tunc abscedens Carthagine ad transmarina loca properavit (*De Gestis Pelagii, n.* 46).

2. Interea per ora eorum qui Pelagii discipuli ferebantur, dogmata recentis hæresis fervebant in Africa (*Ibid.*). Erant ibi quidam, qui ubicumque poterant, hæc sui erroris nova semina spargerent. Nam et unus eorum nomine Cœlestius, isque discipulorum Pelagii facile princeps, qui in civitatis Carthaginensis Ecclesia jam ad presbyterii honorem subrepere cœperat, a catholicis viris christianæ fidei amore animatis, propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes, ad judicium episcopale perductus est (*Epist.* 157, *n.* 22). Concilium ea de re apud Carthaginem cum collegis suis habuit Aurelius ipso fortassis incunte anno quadringentesimo duodecimo, certe annis ferme quinque ante aliam Carthaginensem synodum in Pelagii et Cœlestii ejusdem causa anno quadringentesimo decimo sexto celebratam (*Epist.* 175, *n.* 1). Concilio libelli, quibus accusationes Cœlestio intentatæ

continerentur, oblati sunt duo, stetitque in eum ex adversa parte Paulinus diaconus. Fragmentum ex gestis hujusce concilii profert Augustinus, unde commonstrat Cœlestium in hoc episcopali judicio damnare noluisse eos qui dicunt, *Quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, et non genus humanum; et, Quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem* (*De Peccato originali, nn.* 2, 3). Idem tamen Cœlestius ora christiana non sustinens (*Contra Julianum, lib.* 3, *n.* 9), in libello suo brevissimo confiteri coactus est, propter baptizandos parvulos, quod et ipsis redemptio sit necessaria (*De Peccatorum meritis, lib.* 1, *n.* 62; *Epist.* 157, *n.* 22, *et de Peccato originali, n.* 21), licet noluerit confiteri, ex Adam in eos transiisse peccatum (*De Peccatorum meritis, lib.* 2, *n.* 58, *et De Peccato originali, n.* 21). Sed *quanquam noluerit de originali peccato aliquid expressius dicere, tamen ipso redemptionis nomine*, ait sanctus Doctor, *non parum sibi præscripsit. Unde enim redimendi essent, nisi a diaboli potestate, in qua esse non possent nisi originalis obligatione peccati? aut quo pretio redimuntur, nisi Christi sanguine, de quo apertissime scriptum est, quod in remissionem effusus sit peccatorum* (*Epist.* 157, *n.* 22)? Fuit in Diospolitana synodo relatum, præter memorata duo capita, accusatum quoque Cœlestium apud Carthaginense concilium, quod doceret, *Adam mortalem factum fuisse, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset; et, Quoniam Lex sic mittat ad regnum, quemadmodum et Evangelium; et, Quoniam ante adventum Christi fuerint homines sine peccato; et, Quoniam neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat* (*De Peccato originali, n.* 12). Hæc Augustinus duobus in locis, quorum quidem altero nonnulla ex his capitibus esse testatur, quæ non meminit contenta gestis ecclesiasticis concilii hujus Carthaginensis; cui ipse quidem non interfuerat, sed cum venisset Carthaginem, eadem gesta recensuerat (*De Gestis Pelagii, n.* 23). Atqui Cœlestium in eo convincere non difficile fuit, corrigere vero nequaquam. Quapropter cum auditus, convictusque, atque etiam opiniones suas confessus esset, damnata sunt, quorum insimulatus fuerat, dogmata (*Epist.* 157, *n.* 22); ipse autem reportavit dignam sua perversitate sententiam (*De Gestis Pelagii, n.* 46), excommunicationis videlicet pœna mulctatus (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 33). Quo facto judicio abscessit infamis, et profugit ex Africa (*Orosius, in Apologia*).

3. Etsi qui Pelagiano errori sese imbuendos tradidissent, pauciores haud dubie reperirentur in Africa, iique Cœlestii condemnatione deterriti, jam non auderent contra Ecclesiæ fundatissimam fidem nisi occulte mussitare (*Epist.* 157, *n.* 22): attamen decrevit sanctus Antistes novam hæresim, ipsius quidem judicio pestiferam æque atque impiam, instanter oppugnare; quamvis hoc prius non ageret nisi sermonibus et collocutionibus, ubi commodum atque utile videretur (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 33). Sed oborta mox quædam necessitas eum ad illam scripto quoque refellendam induxit. Marcellinus quippe, idem ille qui collationis Carthaginensis cognitor fuerat, cum ejusdem hæresis sectatoribus, quos ipse quotidie disputatores molestissimos patiebatur, refutandis impar esset, quæstiones illorum ab urbe Carthagine ad Augustinum per litteras retulit, rogans solutionem earum sibi scribere ne gravaretur (*De Gestis Pelagii, n.* 25). Explicari petebat in primis quæstionem de Baptismo parvulorum: quia contendebant illi, *Adam etiamsi non peccasset, fuisse moriturum, nec ex ejus peccato quidquam ad ejus posteros propagando transiisse* (*De Peccatorum meritis, lib.* 3, *n.* 1). Nam etsi faterentur jam, uti Marcellinus litteris suis intimabat, etiam in parvulis per Baptismum remissionem fieri peccatorum; *Non tamen originaliter*, inquiebant, *sed in vita jam propria, posteaquam nati sunt, peccatum habere cœperunt* (*Ibid., lib.* 1, *n.* 62). Nuntiabat præterea Marcellinus, apostolicum illud testimonium, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* v, 12), in aliam quamdam novam opinionem per ipsos detorqueri. Nec silentio mittebat quæstionem, qua suadere conarentur, quod *in hac vita sint, fuerint, futurique sint filii hominum non habentes ullum omnino peccatum* (*De Peccatorum meritis, lib* 3, *n.* 1). Id temporis sanctus Doctor molestiis curisque, ob negotia quæ ipsi peccatores, et ii forsitan Donatistæ, facessebant, maximopere præpediebatur; quod ipse, quæ sua erat animi demissio, peccatorum suorum meritis imputat (*Ibid., lib.* 1, *n.* 1): non potuit tamen committere, quin viri, quocum erat magna et sancta necessitudine conjunctus, tam laudabili desiderio morem gereret. Ea insuper, quam erga Ecclesiam Christi habere eum oportebat, charitatis sollicitudo minime patiebatur, ut dum istarum sententiarum contentiosissimis assertionibus jam usquequaque ferventibus multorum animos infirmorum perturbatos cerneret, sibi interim silentium imperaret (*De Gestis Pelagii, n.* 25): maxime vero cum novi illi hæretici doctrinæ suæ virus publice ac privatim, non viva voce tantum, sed etiam libris spargerent, hisque eo magis noxiis, quo majori calliditate atque artificio erant scripti (*Possidius, in Vita Augustini, n.* 21). Porro inter illa, quæ refutandis Pelagianis, solvendisque Marcellini quæstionibus commentatus est, ordinem ducunt libri duo *De Peccatorum meritis et remissione*. Sic enim eos in Retractationibus nuncupat (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 33): alibi tamen, *De Baptismo parvulorum;* quo eosdem titulo Hieronymus appellat (*Contra Pelag., dialogo* 3, *cap.* 6). Primo libro demonstrat, mortem hominis venire ex merito peccati Adæ, eo etiam peccato totam illius teneri stirpem obstrictam; atque idcirco baptizari parvulos, ut peccati sui originalis remissionem accipiant. Secundo autem docet, hominem in hac vita sine peccato esse posse per Dei gratiam et liberum suum arbitrium, non tamen esse quemquam in hac vita sine ullo prorsus peccato; quia nemo sit qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel facere non delectat; denique uno excepto Media-

tore Christo nullum esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem. In hoc secundo libro libellum a Cœlestio concilio Carthaginensi oblatum, quo redemptionem parvulis opus esse fatebatur, obscure signat (*De Peccatorum meritis, lib.* 2, *n.* 58). Verum aperte profitetur in Retractationibus, se tantum post istud concilium, cujus sententia idem ille excommunicatus fuerat, scripsisse hos libros (*Retract. lib.* 2, *cap.* 33), id est anno quadringentesimo duodecimo. In his tamen tacenda adhuc arbitratus est adversariorum nomina ; quod eos hac agendi ratione facilius posse corrigi speraret. Hoc in opere meminit Augustinus cujusdam ex eo genere fatuorum, qui reliquis ludos præbent, moriones vulgo dicti. *Talium quidam*, ait, *fuit ita christianus, ut cum esset omnium injuriarum suarum mira fatuitate patientissimus, injuriam tamen Christi nominis, vel in se ipso religionis, qua imbutus erat, sic ferre non posset, ut blasphemantes videlicet cordatos, a quibus hæc, ut provocaretur, audiebat, insectari lapidibus non desisteret, nec in ea causa vel dominis parceret. Tales ergo prædestinari et creari arbitror, ut qui possunt, intelligant Dei gratiam, et Spiritum qui ubi vult spirat, ob hoc omne ingenii genus in filiis misericordiæ non præterire, itemque omne ingenii genus in gehennæ filiis præterire, ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (*De Peccatorum meritis, lib.* 1, *n.* 52). Paucis deinde interjectis addit, fatuum illum in Christi gratia multis acutissimis præferendum.

4. Jam autem absolutis hisce libris atque ad Marcellinum transmissis, Carthaginem profectum esse beatum Antistitem, verisimile est. Namque eumdem illum Marcellinum ita alloquitur : *Libros de Baptismo parvulorum, cum jam codicem ipsum Præstantiæ tuæ misissem, cur abs te rursus acceperim, oblitus sum : nisi forte cum inspicerem, mendosos eos reperi, et emendare volui; quod mirabiliter impeditus, adhuc usque non feci* (*Epist.* 139, *n.* 3). Paucis post diebus, cum in ejus manus venissent Pelagii expositiones in Pauli Epistolas, argumentationem ibi quamdam adversus originale peccatum reperit, a se minime confutatam : nam in mentem sibi omnino non venerat, quemquam posse talia cogitare vel dicere (*De Peccatorum meritis, lib.* 3, *n.* 1). Quapropter cum superioribus libris ad umbilicum perductis nihil addi posse judicaret, epistolam hac de re propriam Marcellino scripsit, quam et operi suo tertii libri instar annexuit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 33). Id temporis Carthagine agebat Marcellinus (*De Peccatorum meritis, lib.* 3, *n.* 10). Atqui Pelagius Ecclesiæ fidem non ex sua persona impugnabat, sed tanquam aliena objecta referens : eadem tamen, ubi semel hæreseos suæ signum sustulit, pertinacissima animositate defendit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 33). Quin etiam Romæ, qua in urbe multi jam probe noverant quos gereret animo sensus, illum veluti sub hoc pallio propriam mentem insinuare non dubitabant (*De Peccato. orig.*, *n.* 24). Nihilominus tamen Augustinus, adhuc moderatius cum illo agendum putans, eamdem omnino artem ac rationem, qua ille abusus fuerat, in eo refellendo secutus est : imo cum Pelagius ob sanctitatem morum prædicaretur a multis, eum non dubitavit honorificentius appellare. Hæc illa est profecto ad Marcellinum epistola, quam Augustinus Carthagine, ut prioribus duobus libris jungeretur, incœptam nondum omnino perfecerat, quo tempore de pervulgandis gestis contra Donatistas confectis alias eidem litteras scripsit (*Epist.* 139, *n.* 3).

5. In secundo libro docuerat, fieri posse ut sit homo sine peccato, si velit, cum Dei adjutorio ; quamvis nullus, excepto Christo, tam perfectæ justitiæ hac in vita sit. Hoc permotum se fuisse rescripsit Marcellinus, quod dixisset fieri posse eam rem, cujus nullum exstaret exemplum. Novæ huic quæstioni respondit Augustinus novo libro, cui titulum fecit, *De Spiritu et Littera* : quia quæstionem explicans, occasionem cepit disputandi contra Pelagianos de adjutorio gratiæ Dei, ostendens videlicet, non eo nos a Deo adjuvari ad operandam justitiam, quod legem dedit plenam bonis sanctisque præceptis, sed quod ipsa voluntas nostra adjuvetur impertito spiritu gratiæ ; sine quo adjutorio doctrina legis littera est occidens, quia reos potius prævaricationis tenet, quam justificat impios (*Retract. lib.* 2, *cap.* 37 ; *De Spiritu et Littera*, *n.* 1). Testatur se, hoc in opere, quantum Deus adjuvit, contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius, acriter disputasse (*Retract. lib.* 2, *cap.* 37) : atqui in illos tamen eam adhuc moderationem tenuit, ut neminem adversariorum nominatim appellaverit.

6. Quin etiam immoderato quodam studio revocandi homines ab errore, tantum ipsis Vir sanctus indulgebat, ut patienter ferri juberet, etiam cum ipsi Catholicos antiquæ fidei defensores non vererentur inter disputandum habere tanquam hæreticos et novatores. *Parum est enim*, ait, *quia isti disserunt et disputant nescio quas impias novitates : et nos conantur arguere, quod aliquid novum dicamus* (*Serm.* 294, *n.* 19). Sic omnino loquebatur ad Carthaginensem plebem in sermone, quem Aurelii episcopi impulsu (*De Gestis Pelagii*, *n.* 25), aliquanto post editos priores ad Marcellinum libros, nec tamen ante annum, ut nobis quidem videbatur, Christi quadringentesimum decimum tertium (*Vide Præfat. tomi* 10, § 6), pronuntiavit in basilica Majorum, in natali martyris Guddentis, quinto kalendas julii : ubi posteaquam quæstionem de Baptismo fusius tractavit, primum quidem divinas auctoritates proferens, dein gestans quoque in manibus epistolam gloriosissimi martyris Cypriani quæ est ad Fidum, et de hac re verba ejus recitans atque pertractans, ut error nefarius de quorumdam cordibus auferretur ; ad extremum pius Antistes claudit disputationem in hæc verba : *Impetremus ergo, si possumus, a fratribus nostris, ne nos insuper appellent hæreticos; quod eos talia disputantes nos appellare possimus forsitan, si velimus, nec tamen appellamus. Sustineat eos mater piis visceribus sanandos, portet docendos, ne plangat mortuos. Nimium est quo progrediuntur ; multum est, vix ferendum est, magnæ patientiæ adhuc ferri. Non abutantur hac patientia Ecclesiæ, corrigantur, bonum est. Ut amici exhortamur, non ut inimici litiga-*

*mus. Detrahunt nobis, ferimus : canoni non detrahant, veritati non detrahant; Ecclesiæ sanctæ pro remissione peccati originalis parvulorum quotidie laboranti non contradicant. Fundata ista res est. Ferendus est disputator errans in aliis quæstionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis ; ibi ferendus est error : non tantum progredi debet, ut etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur. Non expedit. Adhuc forte nostra non est reprehendenda patientia : sed debemus timere ne culpetur etiam negligentia. Sufficiat Charitati vestræ ; habete ad illos qui nostis illos, habete cum illis amice, fraterne, placide, amanter, dolenter : quidquid potest faciat pietas ; quia postea diligenda non erit impietas* (*Serm.* 294, *n.* 20).

7. Litteris etiam circiter hoc idem tempus ad se datis a Pelagio rescribens Augustinus, tametsi ab ejus laudibus temperaverit, illum nihilominus tam honorifice habuit, ut ipsius ille epistolam in Diospolytana synodo, ut testimonio tanti viri, intentatum hæreseos crimen a se depelleret, legendam protulerit. Hæc porro hujusmodi erat : *Domino dilectissimo et desideratissimo fratri Pelagio, Augustinus, in Domino salutem. Gratias ago plurimum, quod me litteris tuis exhilarare dignatus es, et certum facere de salute vestra. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, et cum illo æterno vivas in æternum, domine dilectissime, et desideratissime frater. Ego autem, etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ Benignitatis epistola continet ; benevolo tamen animo erga exiguitatem meam ingratus esse non possum : simul admonens ut potius ores pro me, quo talis a Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris.* Et alia manu : *memor nostri incolumis Domino placeas, domine dilectissime et desideratissime frater* (*Epist.* 146). Ibi dixit eum sibi esse desideratissimum, quoniam valde cupiebat cum præsente aliquid colloqui : jam enim audierat, contra gratiam, qua justificamur, quando hinc aliqua commemoratio fieret, aperta cum contentione conari. Alia pariter hujus epistolæ suæ verba singula expendens, nihil causæ fuisse ostendit, cur eam pro se ad intentati criminis depulsionem valere Pelagius autumaret. Nam ipsum ibi, quoad sine ipsius offensione, aut quæstionis ullius discussione liceret, de Dei gratia recte sapere admonebat. Quanquam postea sanctum Virum pœnituit, quod tunc cum dolorem facere timeret, tumorem ulceris, uti jam intelligebat auxisset (*De Gestis Pelagii, n.* 50-52).

8. Revincendis etiam Pelagianis scripta est epistola ad Anastasium (*Epist.* 145). Nam postquam in ea docuit, non per legem, sed per gratiam, neque servili timore, sed libera charitate impleri justitiam : declarat se istam cum eo quæstionem per litteras tractasse, non propter ipsum, sed propter quosdam qui nimium arrogant humanæ voluntati, quam lege data putant, ad eam implendam sibi posse sufficere. Hanc profecto epistolam, in qua parcit adhuc adversariorum nomini, scripsit ante annum quadringentesimum decimum sextum, quo jam tempore nominare Pelagium non dubitabat. Anastasius autem ille mediis in tumultibus atque calamitatibus, quæ per idem tempus mundum, in Hispaniis fortasse, opprimebant, constitutus erat. Quamobrem ex eo sciscitatur Augustinus, quo statu res ejus essent, anve Deus quietem aliquam ipsi concessam voluisset : simulque adhortatur, ut et mundi adversitates charitate superet, et eam virtutem a Deo, qui solus ipsam impertiri potest, efflagitet. Acceperat sanctus Præsul ab Anastasio litteras, quibus an responsum, necne dedisset, fatetur omnino nescire se ; usque adeo curis ea tempestate distringebatur.

9. Dum epistolam ad Marcellinum supra memoratam (*Epist.* 139, *n.* 3), quam libris de Baptismo adjecit, scriberet Augustinus, simul etiam in manibus habebat epistolam ad Honoratum, cujus inquisitionibus ante omnia facere satis voluntas erat (*Epist.* 140 ; *Retract. lib.* 2, cap. 36). *Charitas enim*, inquit, *quæ tanquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus anteponit, quos tales vult esse, quales jam illi sunt, quos non contemnendo, sed de his confidendo, interim præterit* (*Epist.* 139, *n.* 3). Cum esset igitur Honoratus in catechumenorum numero, nondum Baptismo initiatus (*Epist.* 140, *n.* 48), scripsit Carthagine ad Augustinum sibi familiarem, atque illi quæstiones quinque explicandas proposuit. Eo sane tempore Augustinus contra Donatistas vehementer exercebatur : attamen satius esse existimavit, oblatam sibi ab Honorato Pelagianos impugnandi occasionem arripere. Quæstionibus ergo quinque illis propositis ab Honorato, sextam ipse addidit, nimirum quænam habenda sit novi Testamenti gratia : hancque adeo præcipua quadam cura ac diligentia discussit, atque ad illam reliquas omnes revocavit. Quibus et explanationem Psalmi vigesimi primi, cujus initio una ex Honorati quæstionibus contineba tur, innexuit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 36). Ea lucubratio, quam libris suis annumerat (*Ibid.*, *et Epist.* 139, *n.* 3), ac libri, etiam prolixi, sicuti revera est, appellatione donat (*Epist.* 140, *n.* 85), locum inter ejus epistolas pridem obtinuit. Post illam, opusculum cujus inscriptio est, *De Spiritu et Littera*, subjungit Augustinus (*Retract. lib.* 2, *cap.* 37) ; nec dubitare profecto liceat, quin ea posterius scriptum fuerit.

## CAPUT II.

1 *Augustinus ad Donatistas laicos post Collationem scribit.* 2 *Imperatoris Honorii rescripto damnantur Donatistæ.* 3 *Eorum rabies.* 4 *Cæditur ab illis Restitutus.* 5 *Quam vehementer agit Augustinus, ne cædium rei capite puniantur.* 6 *Operam dat, ut schismaticorum in Hipponensi diœcesi et in reliqua Numidia violentiæ compescantur.* 7 *Varia scribit opuscula.*

1. In eadem ad Marcellinum epistola, qua se Augustinus responsioni ad Honoratum concinnandæ operam dare significat, Carthaginensem Collationem in compendium a se redactam, necnon litteras de hac ipsa Collatione ad plebem Donatistarum proximis antediebus absolutas tradit (*Epist.* 139, *n.* 3). Jam supra de hocce Collationis compendio diximus : quod vero ad epistolam Donatistis laicis tunc scriptam, non alia forsitan existimanda est ab eo libro, cujus inscriptio est, *Ad Donatistas post Collationem* (*Retractationum*

*lib.* 2, *cap.* 40), in quo reipsa Vir sanctus eorum episcopos nullo modo alloquitur. Hoc in opere, quod cum justæ molis est, tum diligenter accurateque elucubratum, calumniæ diluuntur ac vana commenta, quæ, ne Marcellini parerent judicio, obtendebant. Eamdem etiam rem, sed brevius multo, tractat in alia quadam epistola, quam una cum synodo Zertensi postea, seu quod habet ipse, *rursus* edidit (*Ibid.*) : quæ quidem Zertensium Patrum epistola decimo octavo kalendas julias anni supra quadringentesimum duodecimi prænotatur. Quare si prior habenda, quæ est ad Donatistas post Collationem, quemadmodum vox illa, *rursus*, videtur indicare; eam, cum aliis omnibus temporis ejusdem scriptis, mense julio anni quadringentesimi duodecimi superiorem habere necesse est. Cum autem ea omnia Cœlestii condemnationem secuta sint, idcirco hanc quidem condemnationem anno quadringentesimo undecimo, scripta vero illa deinceps ab ineunte anno quadringentesimo duodecimo ad mensem circiter junium disponenda, sumus arbitrati. In eodem libro aperte significat Augustinus, decretum esse Catholicis, Donatistas persequi, eorumque impotentiam atque injurias auctoritate legum coercere, quando verbis ac doctrina ab hac agendi ratione revocari se non sinerent : nolle tamen ipsos cruento supplicio in quempiam animadverti, sed aliqua mitissima pœna (*Ad Donatistas post Collat.*, *n.* 21). Ex qua quidem Catholicorum voluntate conjicias, Augustinum post legem tertio kalendas februarias anni quadringentesimi duodecimi datam (*Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 52) ea scripsisse.

2. Marcellinus haud dubie Imperatorem de successu Collationis, quemadmodum in mandatis habuerat, certiorem fecerat; et aliunde ad ipsum de Marcellini sententia Donatistæ appellaverant; ergo necesse erat Honorium loqui. Atque ipsum horum respondisse appellationi, illosque, uti par erat, tanquam hæreticos damnasse, testis est Possidius (*Possidius*, *in Vita August.*, *c.* 13). Nec dubitandum videtur, quin ea ipsa de causa lex, qua desagimu, fuerit ab eo lata (*Codice Theod.*, *de Hæret.*, *lege* 51); quæ tamen, quantum conjectando licet assequi, nihil aliud quam legis integræ fragmentum est. Principio, quidquid anno quadringentesimo nono Donatistis fuerat concessum, ea revocat; contra vero, quidquid adversus illos decretum, renovat. Dein statuit quoslibet e Donatistis, qui redire ad catholicam societatem recusaverint, tam episcopos et clericos, quam laicos et Circumcelliones, pro sua cujusque dignitate, mulcta affici pecuniaria, cui solvendæ mulieres non secus ac mariti, seorsim condemnentur : qui post ejusmodi mulctam irrogatam non resipuerint, eos facultatibus omnibus spoliari : quisquis illos receperit, præstiteritve adversus constitutum huic rei exsecutorem perfugium, eamdem ipsi mulctam imperari. Servos colonosque corporea pœna ad ejurandum schisma adigi, ac eorum dominos quanquam catholicos, si illa neglexerint, perinde pecunia mulctari, atque Donatistas episcopos aliosve clericos, qui perseverarint in discidio, ex universa Africa diverso quemque loco exsulare; eorum denique ecclesias aut alia quælibet conventicula cum prædiis ad eadem pertinentibus Catholicorum episcopis, juxta decretum ea de re anno quadringentesimo quinto factum, aut saltem in lege octavo kalendas decembres anni quadringentesimi septimi lata propositum, attribui. Et hoc erat caput, de quo Donatistæ quam invidiosissime expostulabant, rati videlicet hinc facile persuasum iri, sese non alia de causa vexari agitarique a Catholicis, nisi ut ipsorum spoliis illi ditarentur (*Epist.* 185, *n.* 35). Tradit passim Augustinus injustam hancce querelam a Donatistis, etiam ante Collationem, adversus catholicos præsules eo usurpari solitam, ut quodam modo in sectæ suæ dispendio, cum eam in dies magis magisque imminutam cernerent, dolorem temperarent suum. *Ecce*, inquiebant, *ubi Gaius Seius donavit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus* (*In Joannis Evangelium tract.* 6, *n.* 25); Donatistarum scilicet apud Hipponem episcopus. At quam injustæ essent ejusmodi querimoniæ, et contra, quam ab omni parte justum Imperatoris edictum, sanctus Præsul ubique demonstrat. Ut vero illos omnino cogat obmutescere, hæc Ecclesiæ totius nomine profitetur : *Quisquis ex occasione hujus legis, quam reges terræ Christo servientes, ad emendandam vestram impietatem promulgaverunt, res proprias vestras cupide appetit, displicet nobis. Quisquis denique ipsas res pauperum, vel basilicas congregationum, quas sub nomine Ecclesiæ tenebatis, quæ omnino non debentur nisi ei Ecclesiæ, quæ vera Christi Ecclesia est, non per justitiam, sed per avaritiam tenet, displicet nobis. Sed nec facile ista monstratis; et si monstretis, nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus; neque propter paleam relinquimus aream Domini* (*Epist.* 93, *n.* 50). In eamdem rem addit et ista : *Hæc, si pauperum compauperes sumus, et nostra sunt et illorum (cum Catholici fiunt). Si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus; non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodam modo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus* (*Epist.* 185, *n.* 35). Alias se ipse apud populum curæ suæ creditum purgans, *Nostis*, *fratres mei*, inquit, *quia villæ istæ non sunt Augustini : et si non nostis, et putatis me gaudere in possessione villarum; Deus novit, ipse scit quid ego de illis villis sentiam, vel quid ibi sufferam; novit gemitus meos, si mihi aliquid de columba impertire dignatus est* (*In Joannis Evangelium tract.* 6, *n.* 25). Præterea ex eo, quod orthodoxi circa schismaticorum revocationem præ se ferebant, studio, illos sanctus Doctor charitate duci solitos, non cupiditate, docet. Etenim ubi primum quispiam ex istorum episcopis rediisset ad Ecclesiam, ei statim omnia sua, pecuniæ, vestes, fructus, vasa, rura, ædificia restituebantur (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *nn.* 50, 51).

3. Catholica ergo veritate Collationis beneficio illustrata, necnon Imperatoris edicto confirmata, plures quam antea Donatistarum episcopi in Ecclesiæ sinum se una cum clericis suis ac plebe generose adeo referebant, ut infracto animo vexari se, imo et membris

ac vita ipsa mulctari paterentur ab iis, qui mentem in errore pertinaciter obfirmassent (*Possidius, in Vita Augusl.*, *c.* 13). Neque enim omnibus, ut resipiscerent, a Deo concessum. Quinimo tanta fuit quorumdam pervicacia, ut se negarent unquam a schismate abducendos, etiam demonstrata sibi catholica veritate, ac Donatistarum perversitate (*Epist.* 139, *n.* 1). Eorum episcopi partim fugam arripuerunt (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 17), partim abditi delituerunt, ut Emeritus Cæsareensis, quem Catholici, cum ad ipsos colloquendi gratia esset egressus anno quadringentesimo decimo octavo, dimisere (*Ibid.*, *n.* 41). Multis præter illum, sed non tanti nominis, impune recedendi locum reliquerant; quamvis prædicarent Donatistæ, illorum, qui in hos incidissent, salvum evasisse neminem. Querebantur ea vexatione, qua immanior nunquam exstitisset, sese exagitari; nec jam, quo se reciperent, ullas sibi superesse latebras (*Ibid.*, *n.* 47). Nihilo tamen secius et conciliabula cogebant, et episcopos in eorum, qui se ipsi combusserant, locum sufficiebant. Coierunt quidem ante annum, ut videtur, quadringentesimum vigesimum episcopi cum Petiliano amplius triginta : qua in synodo constituere, episcopos ac presbyteros, qui catholicam communionem inviti essent amplexi, culpæ illius veniam impetrare posse, atque in suis honoribus recipi, modo nec rei divinæ operati essent, nec publice verba fecissent ad populum (*Ibid.*, *n.* 48). Quo sane decreto sectæ suæ fundamentum ipsimet subruebant. Verum quantalibet industria revocandis ad concordiam schismaticis Catholici insudarent, fuere tamen non pauci, qui non tantum in convivium salutis æternæ et sanctæ unitatis Ecclesiæ ingredi recusabant, sed etiam diris modis in Catholicos sæviebant (*Epist.* 173, *n.* 10), atque in primis in episcopos (*Epist.* 185, *n.* 50) et clericos (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 7). Ædes sacræ, quas illi apud Carthaginem tenebant, cum traditæ fuissent Catholicis, non multo post conflagrarunt; neque habebatur ambiguum, quin eas præ invidentia iidem incendissent. Cum etiam Circumcellionum agmen in Rogatum, quem prius ipsi episcopum Assuritanum instituerant, sed qui postea ex discidii fluctibus enatarat, impetum fecissent, linguam ei ac manum alteram amputarunt, quibus truncatus adhuc anno supra quadringentesimum decimo octavo vivebat (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 9). *Phrenetici*, ait Augustinus in sermone de charitate et concordia paulo post Collationem pronuntiato, *molesti sunt, qui mentem perdiderunt, et insani atque furiosi armati vagantur hac atque illac, quærentes quos occidant, quos excæcent. Nova enim nobis nuntiata sunt : cuidam presbytero nostro linguam exsecuerunt. Isti phrenetici sunt : exercenda est charitas; amandi et ipsi* (*Serm.* 359, *n.* 8).

4. Eadem illa tempestate nihil celebrius fuit ea diritate, quam in Restitutum atque Innocentium Hippo-Regiensis Ecclesiæ presbyteros catholicos exercuerunt (*Epist.* 133, *n.* 1). Mentionem jam fecimus vexationum, quas Restitutus Victorianæ in Hippo-Regiensi tractu presbyter ab illis idcirco pertulerat, quia veritatem divinitus sibi demonstratam secuturus, ab eorum factione defecisset (*Supra*, *lib.* 5, *cap.* 10, *n.* 3). Verisimile autem fuerit, eumdem illum esse, qui per hoc tempus vitam suam honore martyrii coronavit. Hunc enim cum Circumcelliones ac Donatistæ presbyteri per insidias intercepissent, non solum illius verba, quibus eos ad resipiscendum hortabatur, non admisere, verum etiam gladios in ejus adigentes jugulum, vitam ei cruenta nece eripuerunt (*Epist.* 134, *nn.* 2, 4). Erat quoque ardoris ejusdem reus Innocentius presbyter : quamobrem et illum ejusdem coronæ participem fieri voluerunt. Quippe vel iidem Circumcelliones, vel alii, eum domo per vim extractum, oculorum effosso altero, digitoque uno lapidis, ut Augustinus habet, ictibus præciso, fœde truncarunt (*Ibid.*, *n.* 2). Inter hosce grassatores ac sicarios primas obtinebat Donatus quidam olim Ecclesiæ colonus, qui cum iterato Baptismate inquinari se, atque etiam in diaconum a Donatistis adoptari passus esset, in audacissimis perditissimisque jure merito habebatur (*Epist.* 139, *n.* 2).

5. Crudelissimum illud facinus procul dubio in Ecclesiæ utilitatem cedere poterat. Etenim præterquam quod passio servorum Dei confirmandis in patientia debilioribus exemplo erat perquam idoneo, et universæ Ecclesiæ laudi atque honori vertebat; non aliud quidquam reperire licuisset, quo validius obmutescere cogerentur ii, qui ne criminum alienorum contagione polluerentur, ideo nolle se ad Ecclesiam catholicam reverti prædicabant; aut idcirco gloriabantur veritatem abs se defendi, quia persecutionem sustinebant (*Epist.* 133, 134, 139). Itaque vehementer optabat Augustinus, sceleris hujusce acta legitima sibi venire in manus, ut illa tum Hipponensi Ecclesiæ, tum aliis ejusdem diœceseos frequenti populo recitarentur. Nihilominus tamen neque ipse, neque alius quisquam clericorum suorum eos postulavit homicidii; sed qui civiles magistratus, atque adeo disciplinæ publicæ curam gerebant, ii rem detulerunt ad Marcellinum; ad quem et Circumcelliones clericosque Donatistarum cædis utriusque reos, ut de illis quæreret, cum custodia miserunt. Ejus enim potissimum diligentiæ causarum ecclesiasticarum injuncta fuerat cognitio; idque, ut verisimile est, lege tertio kalendas februarii posita; ea quippe Exsecutoris contra Donatistas mentionem facit; quo etiam titulo Dulcitius tribunus similiter ac notarius postea donatus fuit (*Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 52). Quanquam atrox erat, de quo quærebatur, scelus; Marcellinus tamen non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed solis virgarum verberibus confessionem illius a reis atque consciis expressit : *qui modus coercitionis*, inquit Augustinus, *et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab episcopis adhiberi* (*Epist.* 133, *n.* 2). Quapropter eum Vir sanctus laudat, quod in hoc crimen multa cum lenitate, atque adeo patris potius sollicitudine, quam judicis severitate usus, quæsivisset (*Ibid.*, *et Epist.* 134, *n.* 2). Jam restare id unum videbatur, ut in reos pro facti atrocitate, nimirum capitali supplicio,

animadverteretur. Ac poterat quidem Ecclesia sine ulla intercessione rem permittere omnem judicibus; quando istos non clerici, sed civili disciplinæ præfecti ad judicium adduxissent : imo non deerant ex ipso clericorum ordine, quibus primo illo calore, quem tanta tamque gravia facinora injicere solent, inflammatis, eos levioribus pœnis non sine quodam disciplinæ detrimento et neglectu affici posse videbatur. At contra Augustinus probe judicavit damnum ad Ecclesiam rediturum non minimum, si Donatistæ capitis punirentur; eam vero commoda percepturam longe maxima, si hac arrepta occasione, quanta sua esset adversus infensissimos hostes clementia et charitas, palam faceret. Alios quoque in hanc sententiam suam brevi redituros sperabat, ubi nimirum sedati fuissent primi illi motus, quos recentium factorum horror in eorum animis excitarat. Et sane molestum futurum erat, si judicii hujusce acta, quæ ut coram populo legerentur, Ecclesiæ exigebat utilitas, non possent ad finem usque recitari; ne videlicet cruento fine animos auditorum offenderent. Adde servorum Dei passiones sanguine inimicorum vindicari non posse, quin ipsarum quodam modo obscuretur splendor. Itaque veritus sanctus Præsul, ne hac in causa summo jure ageretur, Marcellinum obnixe oravit per litteras, severitatem suam non modo temperaret, sed ut alii quoque idem præstarent, efficeret : siquidem suspicabatur fore, ut judicium hoc forte ad Apringium proconsulem deferretur, christianum illum quidem et Ecclesiæ filium, atque ab hujusmodi cruentis suppliciis suapte natura alienum; sed tamen qui videbatur de capite sontibus amputando statuisse. Ergo et epistolam, ut ei redderetur, ad Marcellinum direxit. Quibus duabus in epistolis (*Epistt.* 133, 139) quidquid inest sibi facultatis dicendi et eloquentiæ, id omne eo confert, ut rei non capite damnentur, sed alia quapiam leviori pœna, quæ simul et male faciendi licentiam ipsis adimat, et tamen resipiscendi tempus atque in utili quopiam labore sese exercendi potestatem relinquat. Id enim illi maxime cordi erat, tum propter conscientiam, tum propter catholicam communionem commendandam.

6. Sub idem forte tempus, Marcellinus ad Augustinum litteras dedit, quibus missurum se ad eum Gesta reorum confessionem complectentia pollicebatur; simulque rogabat, num ea in Theoprepia, quæ Collationis tempore ecclesia erat Donatistarum Carthagine (*Collat. Carthag.* 3, *cap.* 5), affigenda viderentur; atque etiam ut fidem de promisso quodam scripto liberaret, admonebat (*Epist.* 139, *nn.* 1, 3, 4). Ad ea cupere se rescripsit Augustinus, ut promissa sibi Gesta mittantur, quæ scilicet quamprimum non modo in ecclesia Hipponensi, verum etiam, si fieri possit, in cæteris omnibus ejusdem diœceseos curet legenda : illis vero Carthagine affigendis locum omnium frequentissimum, sive in Theoprepia, sive alibi, deligendum esse. Obtestatur etiam, reorum capiti parcat; sin autem id concedi non possit, binas litteras, quas hac de re singulas ad illum et ad Proconsulem dedit, sententiæ inserat; aut saltem sontes in custodia tantisper haberentur, dum illis veniam de clementia Imperatorum impetrare curabit : quippe qui sciret, Gentilibus Anaunensium martyrum interfectoribus ante aliquot annos Imperatorem rogatum, ne morte punirentur, facile concessisse. Queritur et de injuriis ac violentiis, quibus in diœcesi sua schismatici, Macrobio episcopo duce, insanire ac debacchari pergebant. Nam quas locorum domini, legum timore ducti, clauserant Donatistarum basilicas, has Macrobius quoquoversum cursitans cum perditorum hominum ac mulierum satellitio, per vim aperiri sibi jubebat. Hæreticorum audaciam nonnihil Spondeus frenaverat, prædiorum, quæ Celer dignitate vir clarissimus in Hipponensi tractu possidebat, procurator. Sed cum is Carthaginem se contulisset, reseratis statim ecclesiis Macrobius suorum conventicula in ipsis Celeris aut Spondei possessionibus habuerat. Porro non sola Hippone-Regiensis, sed aliæ quoque per Numidiam Ecclesiæ graviorem a Donatistis tolerabant exagitationem. Hæ ut aliquid præsidii adversus imminens periculum sibi pararent, Delphinum episcopum Carthaginem misere. Ibidem erat quidam Augustini presbyter, ad quem is commonitorium per Peregrinum diaconum, qui Bonifacium antistitem eo comitatus fuerat, curavit perferri; aliud præterea commonitorium eidem presbytero una cum hacce ad Marcellinum epistola misit. Utrum autem ille idem sit atque Urbanus (*Epist.* 139), a quo perlatas Marcellini litteras acceperat, incertum est. Habet alio loco idem Augustinus, Hippone-Regio profectum cum Urbano, quem suscipiendi episcopatus causa vocabat, Peregrinum diaconum (*Epist.* 149, *n.* 34). Itaque Marcellinum obsecrat, ut commonitoria abs se Carthaginem directa legat, atque una cum Delphino et Bonifacio dispiciat, qua potissimum ratione eidem provinciæ, quam ejus curæ ac fidei commendat, consuli possit. Rogat etiam sanctus Antistes, ut Rufinum Cirtensem Principalem præsidio suo destitui ne patiatur (*Epist.* 139, *nn.* 2, 4).

7. Marcellinus descriptione quadam, ut jam diximus, ad se mittenda urgebat Augustinum. Hic vero se excusat eo nomine, quod, quamvis vel maxime cupiat, id tamen sibi cum per hominum frequentiam, qui perpetuo ad se de suis ipsorum negotiis adibant, tum per opera varia, quæ se in præsentiarum non sinebant omitti, præstare minime liceat. Sed forte satius fuerit illud ejusdem verbis explicare. *Si autem*, inquit, *rationem omnium dierum et lucubrationum aliis necessitatibus impensarum tibi possem reddere, graviter contristatus mirareris, quanta me distendant, quæ differri omnino non possunt, nec agere illa permittant, in quæ me petendo et admonendo urges volentem, et ineffabiliter, quia non possum, dolentem. Cum enim ab eorum hominum necessitatibus aliquantulum vaco, qui me sic angariant, ut eos nullo modo liceat evitare, nec contemnere oporteat; non desunt quæ dictanda præpono, sic in articulis temporum constituta, ut dilationem non ferant.* Et post interjecta nonnulla prosequitur in hunc modum : *Et quid faciam prorsus nescio. Audisti unde mecum Dominum depreceris : sed etiam quod tam instan-*

*ter et tam crebro me admones, nolo cesses, non nihil agens* (*Epist.* 139, *nn.* 3, 4). Diversas commentationes enumerat, a se per idem tempus elaboratas : de quibus omnibus jam a nobis actum, præterquam de memoratis ibidem litteris ad Marcellinum et ad Volusianum.

## CAPUT III.

1 *Augustinus et Marcellinus Volusianum ab idolorum cultu ad christianam fidem traducere student.* 2 *Augustini ad Volusianum percelebris epistola.* 3 *Concilium Zertense.* 4 *Presbyteri et clerici quidam Donatistæ, ac cives quoque Cirtenses ad catholicam Ecclesiam redeunt.* 5 *Quo in loco ponat Augustinus, ponique ab amicis velit suas lucubrationes.*

1. Volusianum Augustinus summa illa, quam adversus eum perpetuo adhibet, observantia, virum amplissimo loco natum fateri cogit. Certe quidem Baronius ipsum Melaniæ junioris avunculum fuisse opinatur (*Baronius, ad annum* 412), hoc est, Albinæ matris germanum fratrem ; siquidem Melaniæ junioris pater, unicus erat senioris Melaniæ filius. Quod si illum patruum vocet Metaphrastes, imputandus hic error traductori : idem enim exhibet Photii versio, quamvis in textu θεῖος, quæ vox patris matrisque fratrem peræque significat, habeatur (*Photius, Biblioth. codice* 53). Ejus ingenium et eloquentiam Augustinus ac et Marcellinus egregie commendant : verum ex illis quæstionibus quas fidei christianæ opponit, intelligere est, vel eam ipsum necdum professum esse, vel saltem nullo pacto in ea confirmatum ; atque adeo, ut ejus animæ consuleretur, tradendam fuisse illi uberius Ecclesiæ doctrinam. Matrem Volusiani sanctam vocat Augustinus, et in Christo dignissime honorandam (*Epist.* 137, *n.* 20). Hæc salutem filii vehementer exoptabat (*Epist.* 132), piisque a Deo precibus petebat (*Epist.* 137, *n.* 20). Quin etiam exoraverat Marcellinum, ut subinde Volusianum invisens, eum, quantum in se esset, colloquiis suis in bono proposito statueret atque firmaret (*Epist.* 136, *n.* 1). Sed non æque constat, an ejusdem rogatu Augustinus ad procurandam filii salutem animum adjecerit : hoc extra dubium est, eum non minus quam illam ejusdem rei sollicitum fuisse. Ad istum igitur epistolium dederat (*Epist.* 132), quo eum ad legendas Scripturas divinas, præsertim vero Paulinas epistolas, exhortabatur; si quid ille difficultatis isthic offenderet, scripto se ad omnia responsurum pollicitus. Huic autem is rescripsit urbanissima, quæ etiamnum exstat, epistola (*Ep.* 135), in qua sibi gratum esse illius promissum significat : utque inde statim aliquid utilitatis capiat, exponit ei colloquium quoddam se præsente initum, in quo nescio quis certas de Incarnatione Verbi quæstiones objecerat, ea contendens multa Deo indigna contineri. Ergo Augustinum, ut eos nodos explicet, rogat ; eamque in rem verbis utitur, quæ hoc loco recensere operæ pretium fuerit. *Interest famæ tuæ*, inquit, *ut quæsita noverimus. Utcumque absque detrimento cultus divini in aliis sacerdotibus toleratur inscitia; at cum ad antistitem Augustinum venitur, legi deest, quidquid contigerit ignorari* (*Ibid.*, *n.* 2). Hic solam de Incarnatione quæstionem, ne brevitatis epistolaris oblitus videatur, proponit : sed Marcellino aliisque plurimis fatebatur, non pauca superesse, quæ sibi vellet enucleata. Hujusmodi erat immutatio atque abolitio sacramentorum veteris Testamenti : necnon et doctrinæ Evangelii, quoad præcepta quædam majora, cum vita civili ac publico regnorum bono, ut ipsi quidem videbatur, repugnantia. Hæc omnia Marcellinus Augustino significavit, simulque ut non iis modo, quæ proposuerat Volusianus, sed cæteris quoque quæstionibus satisfaceret, obsecravit : futurum enim, ut ejus responsum in multorum manus perveniat, quos iidem illi difficultatum laquei implicatos impeditosque tenerent. Rogat inprimis ut illud accurate revincat, quod Christum affirmabant Ethnici nihil unquam, quod aliorum hominum vires superaret, effecisse, atque etiam majora, quam illum, miracula patrasse Apollonium Thianæum, Apuleium, et alios e magorum numero bene multos (*Epist.* 136, *nn.* 2, 3).

2. Ratus est Augustinus commentationes alias, quibus desudabat, omnes intermittendas ut Volusiano sine procrastinatione ulla responderet, atque in eo multorum quoque aliorum institutioni prospiceret. Quare laudibus quibus ab illo ornatus fuerat, per summam modestiam elevatis, necnon altitudine sacrorum voluminum ipsi ob oculos posita, quæstionem, quæ discutienda erat, aggreditur, deque Incarnationis mysterio quam luculentissime disputat : tum de Ecclesia sermonem instituens, eam ratione sane pulcherrima, et quæ sit quasi magni sui operis de Civitate Dei compendium, adstruit asseritque. Hic etiam Volusianum inducere nititur, ut sibi dubitationes suas omnes significet, nihil veritus ne usitatum modum epistolarum transeat ; illum denique Possidii verbis, quem hinc Hippone-Regio id temporis exstitisse merito collegeris, salutat (*Epist.* 137). Sufficere Augustinus existimavit, si Volusiano, de quibus interrogatus ab eo fuerat, responsum daret : quod autem ad reliqua, quibus et illum et alios multos angi, ex litteris Marcellini cognoverat, ipsi Marcellino suam super ea re sententiam rescribere maluit ; ut, si id ita conducere judicaret, epistolam ipsius ostenderet iis, qui sibi molestiam talia perpetuo objectantes facescebant ; aut sibi prius significaret, quidnam illi, quod sufficere posset, addendum videretur (*Epist.* 138, *n.* 1). Visuri sumus ad annum quadringentesimum vigesimum primum, Volusiano Urbis præfecto rescriptum, quo Cœlestius ac Pelagius in exsilium amandabantur, fuisse a Constantio destinatum (*Photius, Biblioth. codice* 53). Cui suum quoque Volusianus addens edictum, Cœlestium divinæ fidei et quietis publicæ turbatorem vocat (*Baron., ad ann.* 420, *n.* 5). Sed enim hinc illum Christo nomen dedisse haud quaquam sequitur, si modo idem ille sit, quemadmodum apud Photium legere est, qui sanctæ Melaniæ avunculus ; quandoquidem is, ut animam Baptismo expiaret, ab sororis filia multum oratus, instante demum obitu, abjurato Gentilium errore traductus est ad Christum et bapti-

zatus (*Photius, Biblioth. codice.* 53). Hæc ita legas in beatæ illius feminæ Vita, ubi diem ille dicitur obiisse, quo tempore in Constantinopolitana cathedra sedebat Proclus (*Surius, dec.* 31, *aut jan.*) ; quod Baronium induxit, ut illum anno quadringentesimo trigesimo quarto putaret collocandum.

3. Cum jam librum *post Collationem* Augustinus *ad Donatistas* scripsisset, habitum est anno quadringentesimo duodecimo Zertense concilium : ex quo nihil superest, præter epistolam ad eosdem decimo octavo kalendas julias scriptam (*Epist.* 141). Cum enim eorum episcopi jactarent judicem a catholicis, ut contra adversarios pronuntiaret, pecunia fuisse corruptum : putida illa ac deridicula calumnia apud imperitæ multitudinis animos fidem inveniebat, et quominus veritati plures manus darent, impedimento erat. Nulla quidem re confutari validius, quam ipsorummet Gestorum lectione poterat, in quibus videlicet tam multa causæ suæ contraria Donatistas ipsos protulisse, litteris consignatum fuerat; ut etiamsi religionem suam ab illis corrumpi passus fuisset Marcellinus, tamen adversus eos non ferre sententiam, nunquam esset ausus. At vero cum non omnibus integrum esset, eadem Gesta legere, multique adeo, quibus id licuisset, ipsa eorum prolixitate a legendo deterrerentur; expedire catholicis episcopis visum, cum ut salutem populorum promoverent, tum etiam ut pervicacibus nullam excusationis speciem relinquerent, quidquid paulo majoris momenti factum in Collatione fuerat, contractius eorum oculis subjicere. Hoc autem præstitere ejus epistolæ beneficio, quam ut ad illos dirigerent, divina charitate permoti sunt. Eam Augustinus communi totius concilii consensu ac nomine scripsit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 42) : ac præfert illa in capite Silvanum Summensem Numidiæ decanum, Valentinum Vagensem, Aurelium Maconadiensem, Augustinum et, præter eos quos reticet, alios quosdam. Fuit is conventus, ut vero proximum est, provincialis, quando cum Numidiæ concilium vocat Augustinus.

4. Aberat Hippone, hujusce forsitan Zertensis concilii causa, cum dedit aliam ad Saturninum et Eufratem presbyteros et conversos cum iisdem ad unitatem clericos epistolam (*Epist.* 142) ; in qua videlicet de convictis in Carthaginensi Collatione Donatistarum episcopis quædam, ut alibi observavimus (*In Præfat. tomi* 2), sub iisdem verbis dicuntur, quæ in istius concilii epistola legimus. Horum haud dubie reconciliatio per Augustini absentiam contigit : quapropter eis de suo ad Ecclesiam reditu lætus gratulatur, ac suam ipsius absentiam excusatam habeant, rogat; deinde varia, quibus universalitatem Ecclesiæ asserat, divinæ auctoritatis testimonia profert; ad extremum eis auctor est, ut suas quisque partes atque officium gnaviter atque alacriter impleat. Proximo post tempori adscribi potest, quæ sancti Antistitis profectionem quamdam secuta est, Cirtæ totius ad catholicam unitatem conversio. Quippe in urbe hac, Numidiæ domina, omnes ad Ecclesiam rediere, exceptis paucissimis, quos in discidio vel amor vel timor hominis (forte Petiliani) retinuit, quibusque congregari cum eo, nisi clanculum, non licebat : quod quidem post iter illuc ab Augustino susceptum, sed eo tamen inde jam regresso, contigit. Unde ille ansam arripuit, ut huncce felicissimum eventum non suis laboribus arrogaret, sed uni Deo referret acceptum : Cirtenses vero plerique omnes Deum hac in re illius opera usum existimantes, dederunt ad illum litteras, quibus et eorum, quæ apud se evenerant, certiorem illum facerent, et simul, ut se inviseret, orarent. Rescripsit ad ea sanctus Præsul, cupere se vehementer illud itineris, ac Deum, ut sibi hujusce desiderii finem annuat, comprecari; idque eo propensiori voluntate se suscepturum, quod non proprium suum opus, sed Dei conspecturus pergeret (*Epist.* 144, *n.* 1-3).

5. Animadvertimus supra Bonifacium episcopum, ac presbyterum Hipponensem, eum forte cui Urbano nomen, tum fuisse Carthagine, cum epistolam cujus initium est, *Gesta quæ promisit Præstantia tua* (*Epist.* 139), scripsit Augustinus : atqui illorum uterque inde litteras singulas sancto Præsuli a Marcellino retulit. Quibus epistolis duabus ipse unica respondit, quæ incipit, *Epistolam tuam* (*Epist.* 143). In ea quem in locum sibi a Bonifacio allatam imprudens conjecerit, nescire se profitetur; tametsi probe meminerit, id ex se isthic quæri petique, undenam magis Pharaonis suppetere aqua potuerit, quam in sanguinem converterint, jam conversa in sanguinem tota aqua Ægypti. In ea vero, quam Urbanus ei reddiderat, difficultatis cujusdam ex ipsius libris de Libero Arbitrio enodationem Marcellinus sciscitabatur; eique simul indicabat, familiari cuidam suo (forte ipsi Volusiano), quæ de virginitate sanctæ Mariæ epistola ad Volusianum tradiderat, non omnino satisfecisse. Ad locum porro libri sui tertii de Libero Arbitrio respondens testatur in primis, nolle se sic legi, aut ab amicis defendi, tanquam ipse, sicut scriptores sacri, illi videlicet homines Dei qui Spiritu sancto acti locuti sunt, nulli credatur errori obnoxius : quinimo jam ibi significat, operum suorum omnium sese eo animo recognitionem meditari, ut scripto ad id in vulgus emisso, quæ sibi minus in iis probentur, quamque parum sibi ipse parcat, palam demonstret. Deinde tamen affirmat, nihil in eo, qui tangitur, loco dictum a se, quod quisquam recte reprehendat. Et certe non alios, quam Pelagiani dogmatis sectatores, verba de quibus agebatur, carpere ausos, liquido cognoscitur.

## CAPUT IV.

1 *Librum de Fide et Operibus edit Augustinus.* 2 *Ad Paulinam de videndo Deo scribit, necnon ad Fortunatianum, cujus ope in gratiam cum episcopo quodam, qui ejus adversus erroneam opinionem dicta non sine offensione acceperat, redire cupit.* 3 *Varias sibi mutuo epistolas mittunt Paulinus et Augustinus.* 4 *Hic ad scribendum suum opus de Civitate Dei appellit animum.*

1. Opus suum de Spiritu et Littera non ita pridem ediderat Augustinus, cum ad scribendum de Fide et Operibus animum appulit (*De Fide et Oper., n.* 21),

ut nimirum quibusdam responderet scriptis, quæ sibi nonnulli, laici quidem, sed divinorum eloquiorum studiosi fratres miserant (*Retractat. lib.* 2, *cap.* 38). Ita porro istarum scriptionum auctores fidem in Christum distinguebant a bonis operibus, ut ad æternam vitam non sine illa, sine his tamen pervenire nos posse existimarent. Docebant propterea, omnes ad percipiendum Baptismi sacramentum et ad Dominicam mensam admittendos esse; nec curandum omnino, de corrigenda vita, necne, cogitarent; imo vero, etiamsi statuisse eos constaret in criminibus ac flagitiis suis perseverare; de quibus emendandis ii nonnisi post acceptum Baptisma essent admonendi (*De Fide et Oper.*, *nn.* 1, 10); novum enim esse, imo perversum atque præposterum, prius docere quemadmodum vivere debeat christianus, ac deinde baptizari (*Ibid.*, *nn.* 33, 1). Atque illi in opinionem adeo perniciosam præcipites acti sunt amore hominum quorumdam, quibus eo denegatus forte fuerat Baptismus, quod repudiata priore conjuge aliam in matrimonium duxerant (*Ibid.*, *n.* 2). Quæ res Augustinum compulit, ut non solum doceret, qua ratione vitam instituere debeant, qui gratia Christi sunt regenerati; verum etiam quales esse conveniat, qui cupiunt ad lavacrum regenerationis admitti. Quæ toto volumine disputaverat, ea capite ultimo velut in fascem revocat colligitque (*Retract. lib.* 2, *cap.* 38).

2. Idem eodem circiter tempore ponit opusculum illud, quod Paulinæ de videndo Deo scripserat (*Ibid.*, *cap.* 41). Hoc in opere quale sit futurum post generalem resurrectionem beatorum corpus, utrumve naturam spiritualem, cujusmodi Deus est, cernere oculis possit, discutere, sancti Doctoris non est consilium (*Ibid. et Epist.* 147, *n.* 49). Spondet autem, se in commentatione quapiam ex professo, si Deus juverit, hac de re disputaturum (*Epist.* 147, *n.* 54). Et eam quidem libro de Civitate Dei vigesimo secundo tractat. Egit quoque de hoc argumento in quadam epistola, quod Commonitorium ad episcopum Siccensem Fortunatianum vocat (*Retractat. lib.* 2, *cap.* 41; *et Epist.* 148): necnon in alia ad Italicam aliquanto ante scripta (*Epist.* 92). In hac dixerat, istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros; ad id asserendum eo adductus, quod timendum esset, ne Deus ipse corporeus et in loci spatio intervalloque visibilis crederetur (*Epist.* 148, *n.* 1, *et Epist.* 92, *n.* 3). Ea ratione antistitem quemdam ex amicis Siccensi diœcesi in Proconsulari conterminum refellebat paulo vehementius, sic videlicet ardore reprehensionis abreptus, ut verba sua ad observantiam episcopali dignitati debitam non satis exigeret; qua quidem lege eo se minus putaverat obstrictum, quod suis in litteris neminem ex nomine appellaret. Nihilosecius tamen id episcopus ille in pejorem partem, suique adeo contumeliam rapuit. Optavit Augustinus cum illo venire in colloquium; sperans fore, ut ejus animum sibi reconciliaret petita suppliciter venia. Quod cum conatus esset, *scribente ad eum*, inquit, *viro venerabili*, *nobisque omnibus honore præferendo*, nimirum, ut nos interpretamur, Aurelio Carthaginensi, venire ille nolunt, dolum forsitan in se suspicatus, sive id Augustino esse animi illudere ipsi, atque de errore insultare: quod immane quantum ab ejus ingenio abhorrebat. Attamen antistitem illum adeundum sibi domum non putavit, ne, si minus excusationem ille admitteret, id offensionem et scandalum pareret (*Epist.* 148, *n.* 4). Verum cum ei contigisset Fortunatianum episcopum videre, quanto et quam vero dolore ob amici abalienationem pungeretur, illi aperuit; simulque rogavit, eum inviseret, certiorem de sinceritate animi sui redditurus; non enim se illum aspernari, sed in illo Deum ipsum venerari ac timere, utque sibi offensam hanc ille condonet, obtestari (*Ibid.*, *n.* 1). Eidem Fortunatiano postea memoratam epistolam scripsit, in qua iteratis iisdem precibus, ut se de impetrata ab illo episcopo venia exhilaret, quam humillime atque amantissime potest obsecrat. Atqui quantolibet mitigandi viri istius desiderio teneretur, eo tamen haudquaquam est prohibitus, quominus veritatem jam abs se propugnatam constantissime tueretur. Etenim testatur se, quod in ejus gratiam scripsisset, minime pœnitere: ac Deum, quomodo nos quæ sensu percipiuntur cernimus, videri omnino non posse, ne a gloriosis quidem corporibus, confirmat auctoritate Athanasii, Ambrosii, Gregorii, ac vel maxime Hieronymi. Sin autem corpora tam prope ad naturam spirituum accessura, ut res incorporeas oculis usurpare valeant, episcopus ille existimet; se ad audiendum, quibus rationum momentis opinionem suam stabiliat, paratissimum esse (*Ibid.*, *n.* 4): interea, dum hæc quæstio exacte pacateque discussa fuerit, cor ipsum, quo dubium non est, quin Deum simus visuri, parandum mundandumque. Innuere autem videtur, eos, quorum testimonio utitur, jam vita migrasse: quod si ita foret, illam epistolam post annum vigesimum a quadringentesimo, quo sanctus Hieronymus obiit, rejicere oporteret. Sed verba illa non tam rigide putamus interpretanda: siquidem Fortunatianus Siccensis anno quadringentesimo undecimo Collationi Carthaginensi interfuit; unde colligas ei successisse in episcopatu Urbanum, quem Ecclesiæ Siccensi anno quadringentesimo decimo sexto necnon et quadringentesimo decimo nono præfuisse visuri sumus; neque etiam parum verisimile est, eumdem jam inde ab anno quadringentesimo decimo tertio factum ejus sedis episcopum. Quocirca tardius isto anno memorata epistola poni non potest.

3. Urbanum presbyterum, cujus mentionem in epistola ad Marcellinum extremo circiter anno quadringentesimo duodecimo data fecit Augustinus (*Epist.* 143, n. 2), illum ipsum esse non dubitamus, de quo idem in sermone ad plebem dicit: *Sanctus frater et coepiscopus meus Urbanus noster, qui hic presbyter fuit, et modo est Siccensis episcopus* (*Sermon. Fragm.*, *n.* 1, *primi fragm.*). Sed nec alium etiam significat, dum Peregrinum diaconum Hipponensem Urbano ad subeundum episcopale munus anno forte quadringentesimo decimo tertio proficiscenti comitem fuisse tra-

dit (*Epist.* 149, *n.* 34). Is Roma, quo iter susceperat, jam in Africam anno post quadringentesimum decimo sexto remeaverat (*Serm. Fragm., n. 1 primi fragm.*) : Peregrinus vero, qui cum eo Siccam fuerat profectus, Hipponem nondum repetierat, cum Augustinus epistolam, cujus est initium, *Quod de perventione tam prospera* (*Epist.* 149), ad Paulinum dedit : quæ proinde nec ante annum quadringentesimum decimum tertium, neque post quadringentesimum decimum quintum scripta fuit. Ea autem ad plures Paulini epistolas responsionem continet. Nempe Augustinus epistolam Carthagine ad illum per hiemem anni quadringentesimi octavi vel quadringentesimi noni destinarat (*Epist.* 95) : hujus Paulinus, quæ sibi forte elapsa erat, sibi mitti apographum, aut de integro resurrectionis, de qua in eadem illa epistola agebatur, materiam edisseri, cupiit. Simul Augustino proponit in Vetus ac Novum Instrumentum quæstiones novem ; quas cum ipse summa expendit diligentia, tum Augustinum obtestatur, ut suam de illis sententiam sibi rescribat, ac de nona in primis, quæ circa Simeonis ad Mariam dicta versabatur (*Paul., apud August., Epist.* 121, *n.* 14). Acceptis hisce litteris, quæ a Paulino circiter annum quadringentesimum decimum scriptæ fuerunt, Augustinus confestim illi respondit, ac ejus quæstiones partim expedivit, partim properante tabellario omisit. Exemplum vero epistolæ, quod Paulinus petierat, adjungendum huic responsioni curavit. Hanc porro, quam desideramus, responsionem verisimile est datam haud multis ante diebus fuisse, cum aliam addidit Paulinus, quæ similiter periit, qua itidem de psalmo sexto decimo, deque verbis Simeonis ad Mariam Augustinum consulebat. Hæc Hipponem cum est perlata, tum Cataquæ apud Bonifacium ejusdem urbis episcopum diversabatur Augustinus. Quapropter illam Hippone sibi transmissam accipiens, Cataquæ responsum dedit ; sed ibi græcum psalterium, unde psalmi decimi sexti expositionem peteret, non reperit. Istud quoque responsum excidit ; sed neque Paulino redditum fuit ; sicuti nec illa epistola, qua prius Augustinus ad ejus quæstiones novem responderat. Quare denuo ad illum scribere necessum Paulinus habuit, cum anno supra quadringentesimum duodecimo vel tertio decimo Quinti presbyteri et aliorum aliquot adventum illi nuntiavit, de quorum itinere nihil aliud habemus compertum. Is autem ibi destinatum abs se quoddam misericordiæ, ut appellat, consilium significabat Augustino (*Epist.* 149, *n.* 1) ; cujus contubernales, divino mancipatos obsequio, universim quidem, Peregrinum vero diaconum nominatim, uti conjicimus, salutabat (*Ibid.*, *n.* 34). Postremæ illi epistolæ Paulini Augustinus prima data occasione Rufini diaconi, qui ex Hipponensi portu solvebat, memoratam epistolam circiter annum quadringentesimum quartum decimum rescripsit. Ibi quæstionibus a Paulino propositis satisfacit ; eam tamen quæ ad Simeonis verba pertinebat, nonnisi leviter attingens, eo scilicet, quia illud argumenti in altera epistola ad eumdem scripta, cujus exemplum sicut et alterius quæ incipit, *Cum vos fratres nostri* (*Epist.* 95), illi transmittebat, jam ante tractaverat (*Epist.* 149, *n.* 33). De prædestinatione ibidem, quanquam non ex professo, tamen clare admodum et valide disputat (*Epist.* 95).

4. Opus de Civitate Dei contra Gentiles, qui religionem Christianam maledictis et calumniis ob expugnatam Urbem proscindebant, non paucorum annorum spatio elucubratum, hoc primum anno susceptum est. Id enim scripsit Augustinus ad Marcellinum tribunum, qui anno ipso quadringentesimo decimo tertio, idibus septembris cæsus vivere desiit : nec tamen diu ante illius cædem manum huic admovit operi ; quandoquidem libros ejus duos, cum illa contigit, vix perfecerat. Hinc haud dubie factum, ut qui Marcellinum alloqui cœperat in exordio primi ac secundi libri, nunquam in reliquis sermonem ad eum convertat. Cum idem ipse Marcellinus libros in hoc argumentum confici deprecatus fuisset (*Epist.* 136, *n.* 3) ; responderat ei anno quadringentesimo duodecimo Augustinus, ejusmodi quæstiones a se tum pertractari, non quemadmodum de his agendum est librorum negotio, sed quemadmodum potest epistolari sat esse colloquio (*Epist.* 138, *n.* 1) : quod quidem facile nos adducit, ut eum tunc temporis nondum inchoasse opus istud arbitremur. Sed cum simul Marcellinum rogat, ut sibi si quid ad convincendos infideles adhuc necessarium judicet, significare ne gravetur *ut vel epistolis*, ait, *vel libris, si adjuverit Deus, ad omnia respondere curemus* (*Ibid.*, *n.* 20) ; nemo isthic non videat, qua ratione sensim ad libros de Civitate Dei conscribendos sanctus Doctor inductus sit. Ergo zelo domus Dei, ut loquitur, exardescens adversus Gentilium blasphemias, propugnationem illius suscipere apud animum suum constituit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 43, *n.* 1). Sed abs singulari hocce argumento ad tractandum generatim de utraque civitate, mundi videlicet ac Dei, sic calamum transtulit, ut simul aggressus sit, et quidquid in gentilitii cultus defensionem splendidius afferri poterat, evertere, et christianam religionem invictis rationum momentis astruere. Quæ porro grandi illo opere per duos supra viginti libros pertractantur, eorum summa capita in Retractationibus attingit. Tot libros nonnisi pluribus annis interruptisque vicibus ei licuit ad umbilicum adducere, coacto videlicet ab illis sæpius stilum removere, ut ad ea quæ magis urgere videbantur, illum converteret (*Ibid.*). Priores duos vel tres, ut a nobis jam dictum, hoc anno, proximos vero istis duos anno quadringentesimo decimo quinto composuit, cum eos paulo ante quadragesimale jejunium esset exorsus (*Epist.* 169, *n.* 1). Primum vulgati sunt ab eo tres illi primi : nec ita multo post in quam plurimorum manus pervenerunt. Non defuere inter idololatras, qui de refellendis illis cogitarent ; imo, ut responsum suum in lucem emitterent, dicebantur nihil aliud exspectare, nisi opportunitatem aliquam, cujus beneficio id illis sine metu legum imperialium liceret. *Quos admoneo*, inquit Augustinus, *non optent quod eis non expedit. Facile est enim cuiquam videri respondisse, qui tacere noluerit. Aut quid est loquacius vanitate ? quæ non*

*ideo potest quod veritas, quia, si voluerit, etiam plus potest clamare quam veritas. Sed considerent omnia diligenter : et si forte sine studio partium judicantes talia esse perspexerint, quæ potius exagitari, quam convelli possint garrulitate impudentissima et quasi satirica vel mimica levitate, cohibeant suas nugas ; et potius a prudentibus emendari, quam laudari ab imprudentibus eligant. Nam si non ad libertatem vera dicendi, sed ad licentiam maledicendi tempus exspectant ; absit ut eis eveniat, quod ait Tullius de quodam qui peccandi licentia felix appellabatur : O miserum, cui peccare licebat ! Unde quisquis est, qui maledicendi licentia felicem se putat, multo erit felicior, si hoc illi omnino non liceat : cum possit deposita inanitate jactantiæ etiam isto tempore tanquam studio consulendi, quidquid voluerit, contradicere ; et quantum possunt, ab eis quos consulit amica disputatione, honeste, graviter, libere, quod oportet audire* (*De Civit. Dei*, *lib.* 5, *cap.* 26, *n.* 2). Quo tempore Orosio, ut historiam suam conscriberet, auctor fuit, nimirum anno supra quadringentesimum decimo sexto vel decimo septimo, ipse maximi illius operis librum undecimum commentabatur, editis jam decem primis, *quorum orientes radii*, ut ejusdem Orosii verba hic repræsentemus, *mox ut de specula ecclesiasticæ claritatis elati sunt, toto orbe fulserunt* (*Orosius*, *Historiæ præfatione*). Quarti decimi, scribens contra Adversarium Legis et Prophetarum anno circiter quadringentesimo et vigesimo, meminit. Tradit etiam Augustinus ad calcem decimi octavi libri, jam annos a Theodori consulatu, qui in annum trecentesimum nonagesimum nonum incidit, ferme triginta numerari ; quo se sub annum Christi quadringentesimum vigesimum sextum scribere indicat.

## CAPUT V.

*1 Marinus Heracliani debellator partam existimationem amittit cæde Marcellini. 2 Hunc eumdem illum esse, de cujus nece in epistola ad Cæcilianum narratur. 3 Marcellinus cum suo fratre in custodia habetur Marini jussu. 4 Hic ut Ecclesiæ imponat, mittendos ad Imperatorem qui eis veniam postulent, persuadet. 5 Damnatur cum fratre Marcellinus, et gladio feritur. 6 Marinus Imperatoris gratia excidit : Marcellinus probitatis et innocentiæ fama martyriique laurea insignis. 7 Clanculum Carthagine discedit Augustinus, Marcellini necem graviter dolens.*

1. Ponenda est hoc anno Heracliani rebellio Africæ comitis, qui Romam oppugnatum venit, classe amplius navium tribus millibus instructa. Verum is a Marino comite fusus fugatusque in Italia, postmodum Carthagine, quo se ex fuga receperat, jam ante tertium nonas augusti, ut quidem suadere videntur conjecturæ, extremo supplicio affectus est. Trajecit deinde Marinus in Africam, ubi ejus maxima procul dubio cura in eo versata est, ut Honorii rescriptum in Heraclianum et omnes perduellionis ejus conscios tertio nonas julii promulgatum (*Codice Theod.*, *de Pœn.*, *lege* 21) ad effectum adduceretur (*Orosius*, *Historiæ lib.* 7, *cap.* 42). At nomen suum æternæ infamiæ nota hoc ille affecit, quod Marcellinum tribunum, cujus tot ac tanta erant in Ecclesiam merita, de medio sustulit. Fatendum quidem est, Hieronymum tradere, illum fuisse ab hæreticis interfectum (*Hieron.*, *contra Pelag.*, *dialogo* 3) : sed cum ejus neci societatem Heraclianicæ tyrannidis, quamvis extra noxam esset, obtentam adjicit ; non ambigue significat, mortem illi non intulisse Donatistas, nisi illorum opera, qui leges judiciaque administrabant. Et certe Orosius illum a Marino comite seu privata invidentia stimulato, seu pecuniis Donatistarum, ut creditu quidem proclive est, corrupto punitum capitali sententia asserit (*Orosius*, *Historiæ lib.* 7, *cap.* 42).

2. Multa, quæ ad ejus mortem pertinent, reperire est in Augustini ad Cæcilianum epistola (*Epist.* 151) ; ubi tamen nominatim exprimi neminem invenias ; sed de fratribus duobus, quorum innocentiam pro compertissima semper habet, Carthagine gladio percussis, conscripta est. Horum alterum laudibus plane singularibus celebrat sanctus Doctor, virum stilo depingens omni virtutum genere decoratum, ac celebrem multum corde vitaque christiana. Illum in causa Ecclesiæ venisse in Africam, et in eo Ecclesiæ ipsi maxime factam persecutionem asseverat. Gratuita crudelitate, nulla necessitate (quamvis et aliæ causæ, quas suspicari licebat, nec opus erat committere litteris, forsitan fuissent) Marinum atrociter contristasse Ecclesiam, scribit : impiis autem isto supplicio placere conatum esse illum, vel placuisse lætatum. Cædis adeo nefariæ auctor illam in necessitatem et Imperatoris præceptum transferre moliebatur ; tametsi imperialis Comitatus tam spectatam exploratamque haberet utriusque fratrum innocentiam, ut nec indulgentia illis danda visa sit, ne qua suspicio eorum famæ ex eo hæreret. Et revera Marcellini necem improbatam ab Aula fuisse, visuri sumus. Erant ea tempora calumniæ mirum in modum obnoxia, ut etiam unico teste adhibito impune in quemlibet, utpote quem criminis ex sese invidiosi credibiliter insimulare facile esset, extremo animadverteretur supplicio. Quod sane aptius in nullum aliud, quam in perduellionis crimen, maxime post tantam, quanta Heraclani fuit, defectionem, cadere queat. Quæ etiam magna tunc erat illius, a quo damnatus est, potestas, ea intra spatium temporis non ita longum haud mediocriter imminuta fuit. Et reapse statim a nece Marcellini Marinus ex Africa revocatus, loco suo ac favore excidit. Quibus omnibus, ut Marcellinum ipsum ea epistola designari nobis persuadeamus, adducimur. Certe nihil, quod huic nostræ opinioni refragetur, videmus ; idque merito possumus affirmare, cui melius res iis litteris relatæ conveniant, reperiri posse neminem. Dubium profecto nullum est, quin temporibus Innocentii papæ, qui vitam ad annum usque quadringentesimum decimum septimum produxit, scriptæ fuerint. Sunt autem Cæciliano inscriptæ, viro provectæ jam tum ætatis et magna probitatis existimatione, verum adhuc catechumeno. Erat is reipublicæ administrationi implicatus, multisque impeditus communibus curis ac negotiis (*Ibid.*). Quapropter

nos quidem nihil videmus, quominus eumdem illum esse persuasum habeamus, qui prætorio sub anni quadringentesimi noni initium præfectus fuit; atque etiam eum ipsum, ad quem de coercendis in Hipponensi tractu Donatistis circiter annum quadringentesimum quintum epistolam dedit Augustinus (*Epist.* 86) : illum enim Vir sanctus veterem amicum vocat (*Epist.* 151, *n.* 1).

3. Post Heracliani cladem contigit ut Cæcilianus in Africa cum Marino comite una esset, longa sibi familiaritate, ut ferebant, conjuncto. Cum autem aliquando ad eum venisset Cæcilianus, Marcellinum ac fratrem ejus Comes accersivit : quibus dimissis remansit, ut ferebatur, Cæcilianus, et secretum cum illo colloquium habuit; simulque missi, qui fratribus manum injicerent, et utrumque in tetrum carcerem ac tenebricosum detruderent. Nihilosecius tamen isthic lætitia Marcellinus perfundebatur, necnon majori potiebatur felicitate, quam ipsemet Marinus, utpote qui nec dignitate nec potentia assequi poterat, quominus furoris proprii stimulis miserum in modum lancinaretur. Quodam die frater ejus, cum jam pariter in custodia tenerentur, ait illi : *Si ego hæc pro meritis patior peccatorum meorum ; tu, cujus vitam novimus tam attente ferventerque christianam, quibus malis meritis ad ista perductus es? At ille : Parvumne, inquit, mihi existimas conferri divinitus beneficium, si tamen hoc testimonium tuum de vita mea verum est, ut hoc quod patior, etiamsi usque ad effusionem sanguinis patiar, ibi peccata mea puniantur, nec mihi ad futurum judicium reserventur? Hic forte aliquis*, subdit Augustinus, *credat cum fuisse sibi conscium aliquorum occultorum impudicitiæ peccatorum. Dicam ergo quid me Dominus Deus, ad magnam meam consolationem, ex ejus ore audire, et plane scire voluerit. Cum de hoc ipso, ut sunt humana, sollicitus solus cum solo agerem, jam in eadem custodia constituto, ne quid esset, unde majore et insigniore pœnitentia Deum sibi placare deberet ; ille, ut erat verecundiæ singularis, cum ipsam, licet falsam, meam suspicionem erubesceret, sed admonitionem gratissime acciperet, modeste graviterque subridens, et utraque manu meam dexteram apprehendens : Testor, inquit, sacramenta quæ per hanc afferentur manum, me nullum esse expertum concubitum, præter uxorem, nec ante, nec postea* (*Ibid.*, *n.* 9).

4. Atque hæc agebant Carthagine ; qua in urbe procul dubio beatus Augustinus jam ante versabatur : neque enim verisimile est, per tempus illi futurum fuisse liberum illuc ex proposito sese conferre. Is porro nihil reliquit intentatum, ut Marinus ne Marcellini nece cor Ecclesiæ dolore percelleret, neve suam ipsius animam tanto scelere perimeret. Quin Cæcilianus ipse, quem nonnullæ rationes suspicione procuratæ hujus detentionis onerabant, Ecclesiæ precibus suas conjunxit, cumque Marinum sæpe monuisset, sæpe suppliciter orasset, spem lætioris successus ostendebat non exiguam. Episcopis subinde affirmabat, omnem se operam atque industriam in id negotii conferre; a quibus etiam illud omnino ad amoliendam abs se invidiam necessarium esse, convincebatur. Multa præclaraque promittebat Marinus ; sed eo tantum, ut fucum faceret antistitibus, neu captivos e vinculis eximerent. Hoc quippe fieri ab iis posse credebatur, sive intercessione atque interventu Ecclesiæ apud Imperatorem, sive etiam adhibita nonnulla violentia, quod videntur ea sancti Præsulis verba significare, *Ecclesiastica manus posset eos eripere* (*Ibid.*, *n.* 5). Atque eam ob rem, ut episcoporum unus ad Imperatorem, fratrum acturus causam, mitteretur, non consensit modo, sed etiam petiit, promittens interea, donec factus esset certior, quid missus episcopus impetrasset, ejus se cognitionem ampliaturum. Destinatus revera fuit ad Comitatum cum diacono quidam episcopus; isque fratribus non veniam quidem obtinuit, ne videlicet eorum existimatio vel tenui suspicione læderetur, verum Marino comiti imperata, ut quamprimum eos dimitteret, neque ulla pœna vel injuria afficeret. Sed responsum Imperatoris prævertit Comes.

5. Tertio die ante natalem martyris Cypriani, hoc est, pridie idus septembris, invisit Cæcilianus Augustinum, eique spem, quam unquam antea, meliorem dedit : Romam enim profecturum sese propediem, sperareque adeo sibi, priusquam discederet, illud beneficii Comitem esse concessurum. Beato Antistiti persancte affirmavit, se Marino cum ad illum venisset, aperte declarasse, familiaritatem illam, qua sese tam frequentibus colloquiis dignabatur, si quidem hosce fratres damnaturus esset, sibi non honori, sed damno futuram longe maximo : etenim cum obscuræ essent nemini, quæ sibi cum illis intercedebant, alienationis causæ, omnes facile credituros, se nec inconsulto nec dissentiente captum utriusque de medio tollendi consilium. Denique manu ad altare porrecta dejeravit, vere se Marino dixisse ea omnia, quibus ille adeo permotus sibi visus sit, ut minime dubitaret, quin amborum venia pro viatico, id est, munerum illorum loco, quibus donari solebant amici discedentes, sibi ab eo concederetur. Quibus auditis, fatetur Augustinus sibi tam certo persuasum fuisse, Cæcilianum liberandis iis sedulam operam ac sinceram præstare, ut eam opinionem etiam viso tam contrario exitu non exuerit. Enimvero, cum postridie ejus diei accepisset, utrumque carcere eductum, ad Comitem sententiæ pronuntiandæ causa perductum esse; perculsus quidem fuit non mediocriter : verumtamen iis, quæ audierat ex Cæciliano, confirmatus, deque eorum liberatione tantum non certus, Comitem existimavit Cypriani martyris pervigilium eo delegisse, ut fidem suam Cæciliano liberaret, atque ita fidelibus hoc inopinato eventu exhilaratis ad locum sancti Martyris ascenderet, parcendi benignitate, quam occidendi potestate sublimior. Sed Marino longe alia mens erat; necdum enim licuerat Augustino, quæ in ea quæstione gererentur, sciscitari, cum ecce illi affertur de fratrum supplicio tristis nuntius. Siquidem cum nihil æque vereretur Comes, quam ne Ecclesiæ interventu suæ crudelitati eriperentur, utrumque,

cum id minime exspectabatur, damnavit, atque e vestigio truncari jussit. Quin etiam quo magis negotium maturaretur, locum eidem assignavit prius non hominum suppliciis, sed urbis ornamento destinatum. Etenim damnatorum sanguine nunquam antea fuerat funestatus, nisi quod paucis ante diebus reos aliquot capitalem ibi pœnam luere voluerat; idque de industria factum ab illo persuasissimum fuit, ut ne videlicet percusso ibidem Marcellino, rei indignitatem horroremque loci augeret insolentia. Non enim ei poterat esse obscurum, quam luctuosa Ecclesiæ futura esset ea damnatio; qua sanctæ illi matri cruciatum inferre non veritus, eo graviori scelere se obligavit, quod ipsum inter ejus filios retulerat accepti ab ea Baptismi beneficium. Frater, cujus ille consilium in tanto scelere secutus est, quondam in capitis discrimine constitutus confugere ad Ecclesiæ opem coactus fuerat : imo vero Marinus ipse, cum aliquando patroni incurrisset offensam ( is enim insperata felicitate ad tantam potentiam devenerat ), Ecclesiæ patrocinium beneficii loco imploraverat, quod illi nequaquam fuerat denegatum.

6. Nitebatur quidem præcepto Imperatoris, quod sibi per litteras significatum prædicabat, obsequendi necessitatem obtendere : sed quod legatus episcopus ab Imperatore mandatum plane contrarium obtinuit, id vero planissimum fecit Comitis mendacium. Et certe continuo revocatus ex Africa, et munere omni ac dignitate spoliatus, conscientiæ propriæ, ut eam pœnitentiæ suæ vel pœnæ testem haberet, permissus est (*Orosius*, *Historiæ lib.* 7, *cap.* 42). Quod ad Marcellinum, is quidem vita cessit, non virtutum suarum modo, susceptorumve pro Ecclesia laborum mercedem ac fructum, sed etiam meritam effuso sanguine martyris lauream recepturus; quo eum nomine donat Ecclesia in Romano Martyrologio : ubi cur octavo idus apriles celebretur ejus memoria, causam vel auctoritatem nullam afferunt. Enimvero illum idibus septembris pridie videlicet ejus diei, qui Cypriani passione solemnis erat, percussum vidimus. Quod ut constabit, dubium nullum erit, quin ejus percussio evenerit præsenti anno; cum et defectionem Heracliani sit secuta, et antecesserit legem post obitum ejus tertio kalendas septembris anni quadringentesimi decimi quarti datam ab Honorio, qua is gesta Collationis, cui Marcellinus præfuerat, habere vult perpetuam firmitatem ( *Codice Theod.*, *de Hæreticis*, *lege* 55). Isthic Imperator, ut existimationem illius, quanquam perduellionis specie trucidati, sartam tectam velle se ostendat, ipsum spectabilis memoriæ virum appellat : Augustinus vero eumdem non religiosæ tantum (*Epist.* 166, *n.* 7; *Epist.* 169, *n.* 13), sed etiam sanctæ memoriæ titulo nobilitat ( *De Natura et Gratia*, *n.* 25); cujus amici sibi charissimi (*Epist.* 190, *n.* 20) et in Christi charitate gratissimi ( *Epist.* 166, *n.* 6) interitum deplorans : *Quæ illi*, ait, *probitas in moribus*, *in amicitia fides*, *in doctrina studium*, *in religione sinceritas*, *in conjugio pudicitia*, *in judicio continentia ; erga inimicos patientia*, *erga amicos affabilitas*, *erga sanctos humilitas*, *erga omnes charitas ; in beneficiis præstandis facilitas*, *in petendis pudor*, *in recte factis amor*, *in peccatis dolor ! Quantum decus honestatis*, *qui splendor gratiæ*, *quæ cura pietatis! Quæ in subveniendo misericordia*, *in ignoscendo benevolentia*, *in orando fiducia ! Quod salubriter sciebat*, *qua modestia loquebatur ! quod inutiliter nesciebat*, *qua diligentia scrutabatur ! Quantus in eo contemptus-rerum præsentium ! quanta spes*, *et desiderium bonorum æternorum ! Ne relictis omnibus sæcularibus actionibus susciperet cingulum militiæ christianæ*, *vinculum præpediebat uxorium*, *quo jam innodatus cœperat concupiscere meliora*, *quando jam non licebat illa*, *quamvis inferiora*, *disrumpere. Quid ergo huic in morte accidit mali*, *ac non potius plurimum boni*, *cum hæc habens dona ad Christum*, *sine quo inaniter habentur*, *ex hac vita migrarit?* (*Epist.* 151, *nn.* 8, 10.)

7. Post illam Marini comitis tam impiam tamque crudelem perfidiam, non potuit abs se impetrare Augustinus, ut Carthagine diutius moraretur. Quocirca postridie ejus ipsius diei se dedit itineri : sicque, cum illum alloqui Cæcilianus voluisset, is de maturato illius discessu certior factus est. Idcirco autem sese clanculum ex urbe subripuit, ut ne distineretur gemitibus, lacrymis, clamoribusque plurimorum e clarissimis civibus, qui, ut Comitis furorem atque gladium declinarent, in ecclesiæ asylum confugerant. Hic enim quanquam illorum vita minime periclitabatur, tamen haud dubie illum erant obsecraturi, ut pro se Comiti supplicaret; quod sane decori nequaquam sinebat ratio. Nam si adversus Comitem Vir sanctus eo verborum terrore usus fuisset, quod necesse ad procurandam animæ salutem videbatur, id ille nunquam boni consuluisset. Quare tantam indignitatem non ferens, abscessit. *Dolebam graviter*, inquit magnus Præsul, *vicem venerabilis coepiscopi mei tantæ rectoris Ecclesiæ*, *ad cujus pertinere dicebatur officium*, *post hominis tam nefariam fallaciam adhuc se præbere humilem*, *quo cæteris parceretur :* iis videlicet, qui se receperant in ecclesiam; nisi forte nonnulli etiam in custodia haberentur. *Fateor*, addit, *cum tantum malum nullo pectoris robore potuissem tolerare*, *discessi* (*Ibid.*, *n.* 3). Quanquam alias etiam, præter Marcellini necem, discessus sui causas affert; (quarum) *una est*, inquit, *quoniam laborem*, *quem in illa urbe perpeti necesse est*, *et quem si exponere velim*, *aliud tantum loquendum est*, *jam sustinere non possum*, *quod infirmitati meæ propriæ*, *quæ nota est omnibus qui familiarius me noverunt*, *accessit etiam senectus*, *quæ generis humani est communis infirmitas. Altera causa est*, *quod statui*, *si Dominus velit*, *quantum mihi ex illis occupationibus*, *quas Ecclesiæ*, *cui proprio munere servio*, *necessitas flagitat*, *datur temporis*, *id totum impendere labori studiorum ad ecclesiasticas scientias pertinentium; ubi me arbitror*, *si Dei misericordiæ placet*, *etiam posteris aliquid profuturum* (*Ibid.*, *n.* 13). Tum Cæcilianum olim catechumenum, qui a sancto Doctore verum discere quærebat, graviter admonet, ne se per Baptismum adjungere fidelibus diutius procrastinet ea vana ratione, quasi fideles non possint rempublicam recte administrare

(*Epist.* 151, *n.* 14). Eumdem etiam erga Marinum qua ratione se gerat, docere prius non omisit. *Hunc si diligis*, ait, *detestare; si non vis ut in æternum puniatur, exhorre. Sic existimationi tuæ, sic est vitæ illius consulendum* (*Ibid.*, *n.* 11). Hæc autem epistola dici non absurde potest exeunte hoc anno scripta.

## CAPUT VI.

1 *Demetrias Urbe a Gothis capta in Africam una cum matre et avia transmittit.* 2 *Probam Demetriadis aviam per litteras instituit, eique de orando Deo præcepta tradit Augustinus.* 3 *Hujus suasu Demetrias virginalem sanctimoniam amplectitur.* 4 *Augustinus de velatione Demetriadis cum tota Ecclesia gaudet.* 5 *Librum de Bono viduitatis Julianæ ejus matri scribit.* 6 *Demetriadis virginis instituendæ obtentu Pelagius epistolam edit hæresis suæ veneno suffusam.*

1. Etsi grave admodum erat vulnus, quod Augustini animo inflixerat indignissima Marcellini cædes; dolor tamen ejus multum remisit viso insigni divinæ gratiæ opere, cujus et ipse in eadem illa peregrinatione Carthaginensi, in qua sanguis amici pene sub ejus oculis fusus fuerat, minister exstitit: si tamen ponere hoc anno placeat memorabile illud gratiæ miraculum, quo Demetrias, virgo in orbe Romano nobilitate ac divitiis prima, in quam unam Proborum, Olibriorum, atque Aniciorum sanguis confluxerat, nuntium rebus omnibus, cum jamjam nuptura putabatur, remisit, ut Christum Jesum sibi sponsum haberet; atque ut sic eam gentem, in qua familiares erant consulatus ac maximæ quæque Imperii dignitates, virginitatis etiam honore ac laude augeret. Patrem illa Anicium Hermogenianum Olibrium, parentibus Sexto Petronio Probo et Proba Anicia Faltonia prognatum, matrem vero Julianam habuit. Agebat Demetrias Romæ una cum avia Proba, et Juliana matre, cum Urbs a Gothis anno quadringentesimo decimo capta est: simulque illæ Roma egressæ sunt, quando ea ferme adhuc incendio fumabat (*Hieron.*, *Epist.* 8). Tum porro Proba, verita ne qui post vastatam Italiam profectus fuerat, iterum in Urbem rediret Alaricus, suam suorumque omnium, in quibus Juliana cum Demetriade filia erat, vitam ac salutem cymbæ commisit. Felici quidem successu pervenit in Africam: sed isthic in Heraclianum comitem, qui rem Imperatoris agere simulans, totam illam provinciam misere divexabat, incidit. Quare cum sanctæ matronæ conservanda esset earum, quas haud exiguo numero secum habebat, feminarum pudicitia, illam data opum suarum parte a tyranno quasi redimere coacta est: quod tamen minime obstitit, quominus ditissima adhuc remaneret.

2. Cum autem in universa Africa nullus esset Augustino illustrior, in ejus cognitionem se suis litteris insinuare Proba et Juliana non omiserunt (*Epist.* 188, *n.* 1). Et forte eo commercio nata est epistola, ex qua discimus Probam, ut de valetudine ejus certior fieret, litteras ad eum dedisse, in quibus hæc dicebat, *quod in corpore corruptibili anima constituta, terrena quadam contagione constringitur; et tali onere quodam modo depressa curvatur, ut in ima multa, quam in summo unum, facilius concupiscat et cogitet* (*Epist.* 131). Respondit ei Augustinus merito ipsam, quam impotens sit natura, quamque tota in terrena propendeat, agnoscere; sed Christum, ut illam erigeret, ad nos descendisse: quod vero ea præsentes calamitates bonorum futurorum spe tolerabiles ducat, recte facere. Simulque eisdem illis calamitatibus atque infortuniis non minimam afferri utilitatem docet. Ipsi futuræ vitæ præmia præsentisque solatia a Deo precatur; seque ad extremum commendat *dilectioni orationique omnium vestrum*, inquit, *in quorum cordibus per fidem habitat Christus.* Cum id ætatis esset Proba, ut sibi pro se minus timendum videretur; tunc porro ad eam maxime pertinebat, orando concertare pro suis (*De Bono viduit.*, *n.* 29). Quare merito sanctum Antistitem petiit, ut de orando Deo sibi aliquid scriberet, quo nempe et quid a Deo, et qua ratione poscendum sit, edoceretur (*Epist.* 130, *nn.* 1, 9). Promisit Augustinus, se tam dignæ vidua christiana petitioni facturum satis: et cum primum ei per otium licuit, fidem suam studuit liberare, atque hac de re prolixiorem epistolam, cujus in libro de Viduitate ipse meminit, ad illam destinavit (*De Bono viduit.*, *n.* 29). Qua quidem epistola Probam non minus graviter, quam modeste, ad amplexandam juxta præceptum evangelicum majorem perfectionem cohortatus est; nec frustra: nam cum ipsa per se tantam ad benignitatis officia propensionem haberet; novo tamen charitatis ardore correpta fuit ex adhortatione Augustini: idque tunc contigit, quod scribit Hieronymus: *Habitas, id est a majoribus acceptas, vendere dicitur possessiones, et facere sibi amicos de iniquo mammona, qui se recipiant in æterna tabernacula: ut erubescat omnis ecclesiastici ministerii gradus, et cassa nomina monachorum, emere prædia, tanta nobilitate vendente* (*Hieron.*, *Epist.* 8). Augustinus in hac ad Probam epistola Julianæ nurus ejus mentionem facit (*Epist.* 130, *n.* 30), sed interim Demetriadis plane oblitus: quod quidem argumento est, scriptas hasce litteras prius fuisse, quam se nobilis illa virgo Christo devovisset. Et revera ejusdem ad Probam epistolæ jam meminit in libro de Viduitate, quem non multo post Demetriadis consecrationem editum esse verba illa, *modo cœpit* (*De Bono viduit.*, *n.* 24), aperte declarant.

3. Consecrationem Demetriadis jam ab anno quadringentesimo undecimo factam velle Baronius videtur (*Baron.*, *ad annum* 413, *n.* 13): et sane ita necesse erit, si, cum primum eam vidit Augustinus, hoc ipsi propositum Deus injecit: sed rem eo modo contigisse haudquaquam narrat sanctus Antistes. Enimvero si Hieronymus Demetriadi anno tantum, ut ipse Baronius tradit, quadringentesimo decimo tertio, vel potius decimo quarto scripsit; cur is dicendus sit, ut de re statim ab initio per totum terrarum orbem pervagata scriberet, duos vel tres annos exspectasse, nihil nobis occurrit. Augustinus, ut jam a nobis dictum, Probam ac Julianam primum ex ipsarum litteris cognoverat (*Epist.* 188, *n.* 1): illas postea præsens præsentes vidit, jam inde ab anno quadringentesimo undecimo, et quoties postmodum Carthaginem venit, salutarium præ-

ceptionum, quas a Deo didicerat, semina in earum pectora spargere non destitit : illæ vero eadem non tanquam hominis cujuspiam, verum, id quod erant, tanquam ipsiusmet Dei verba excepere. Exhortationes illius, opitulante Dei gratia, fructus in ea domo peperere longe maximos. Etenim haud ita multo post, quam Carthagine ille discesserat, Demetrias præceptis sibi ab illo datis recte ac feliciter usa sanctimoniam virginalem professa est; terrenoque marito, cui jamjam erat tradenda, castos sponsi cœlestis amplexus anteposuit. Testatur Augustinus, ea in re se atque Alypium junctis operis laborasse; sed nulla parte laus ejus aut merces minuitur, quod eam cum amico tam unanimi tamque intimo habuerit communem. Erat jam Demetrias in procinctu ut nuberet, cum virginitatis votum nuncupavit. De hoc porro nobilissimæ illius virginis facto singularia multa, eaque pulcherrima prodit Hieronymus (*Hieron., Epist.* 8) : quæ quidem acceperat a sanctis quibusdam ac nobilibus feminis, quibus ex Galliis ob hostiles depopulationes excedere coactis, et per Africam, ut Jerosolyma peterent, iter facientibus, ibi Demetriadem videre contigerat. Demetriadis igitur capiti flammeum (sic vocat sanctus Presbyter virginitatis insigne) post invocatum Dei nomen publice imposuit pontifex (is fuit Aurelius episcopus Carthaginensis), et castam illam virginem Christo Domino consecravit (*Ibid.*).

4. Nequaquam Proba ac Juliana commisere, quin Demetriadis propositum per litteras Augustino significarent (*Epist.* 150), eique muneris aliquid in solemnitatis, qua velata illa fuerat, testimonium mitterent, ingens illud Dei beneficium, exhortationum ejus fructum esse profitentes (*Epist.* 143, *n.* 1). Antevertit earum epistola celeritatem famæ; sanctoque Augustino tam lætus nuntius ante securam attulit voluptatem, quam de veritate illius dubitare contigisset : quod profecto futurum erat, si rem tantum vulgatis rumoribus accepisset. Quanta autem lætitia sanctum Antistitem ingens illud gratiæ miraculum perfuderit, scire cupienti, satis fuerit epistolam, quam ea de re ad Probam atque Julianam circiter initium anni quadringentesimi decimi quarti scripsit, perlegere (*Epist.* 150). Quocumque Probæ nomen pervenerat, hoc est in regiones universas, virginitatis, quam professa Demetrias fuerat, fama perlata est (*Ibid.*). *Cunctæ per Africam Ecclesiæ*, Hieronymi verba sunt, *quodam exsultavere tripudio : non solum ad urbes, oppida, viculosque, sed ad ipsa quoque magalia, celebris fama penetravit. Omnes inter Africam Italiamque insulæ hoc rumore completæ sunt, et inofenso pede longius gaudia cucurrere.* Idem proxime ante : *Quasi ex radice fecundâ*, inquit, *multæ simul virgines pullularunt, exemplumque patronæ et dominæ* (quæ vota erant Augustini [*Ibid.*]) *secuta est clientum turba atque famularum* (*Hieron., Epist.* 8). Quare non immerito Augustinus Julianæ domum non parvam Christi ecclesiam esse dicit (*Epist.* 188, *n.* 3), ejusque familiam alibi domesticam ecclesiam appellat (*De Bono viduit., n.* 29).

5. Paucis post diebus, quam Demetrias sanctioris vitæ institutum esset professa, ad matrem ejus Julianam librum seu epistolam de Bono viduitatis scripsit Augustinus. Id eum Juliana coram rogaverat, cumque is sanctæ feminæ refragari ac renuere non valuisset, hæc eum per litteras sæpe sæpius promissi admonuerat. Igitur aliquot horas ipsum, quibus distringebatur, occupationibus suffurari oportuit, illius ut voluntati satisfaceret. Illud autem hoc in opere sibi proposuit, nimirum et docere sua officia viduas christianas, et eas ad bonum, quod abs se faciendum esse noverint, animose atque alacriter suscipiendum adhortari. Quanquam enim ad Julianam solam, non tamen soli Julianæ, aut quæ in ejus erat contubernio, socrui Probæ Faltoniæ scribebat; sed et viduis omnibus, quæ hanc ejus lucubrationem erant lecturæ (*Ibid., n.* 1). Ibi inter cætera id potissimum suadet Julianæ, adversariorum gratiæ Christi perniciosa fugere colloquia (*Ibid., n.* 21).

6. Tum vero cum illustriores Ecclesiæ viri Demetriadem, ab avia et a matre ejus rogati, præceptis informare ac in sancto proposito confirmare studerent; Pelagius quoque sibi deesse noluit, quin hacce colligendæ famæ simulque tradendi sui erroris occasione uteretur. Epistolam ergo et ipse nobilis illius virginis instituendæ causa eam scripsit, quæ in Augustinianarum appendice, incipiens, *Si summo ingenio*, conspicitur (*Append., Epist.* 17). Inter ea præcepta, quibus Demetriadem instruit Pelagius, id eam monet, ut sibi in Urbe, quæ vox Romam proprie significat, solitudinem instituat (*Ibid., cap.* 23). Et certe, quominus eo Proba jam tum reversa fuerit, nihil prohibet. Videmus saltem ab Hieronymo Demetriadem, ut fidem Innocentii sequatur, admoneri; nulla interim neque Aurelii, neque Augustini, mentione facta (*Hieron., Epist.* 8). Apparet insuper, epistolæ Pelagianæ famam ad Augustinum nequaquam ante annum quadringentesimum decimum sextum aut decimum septimum pervenisse : quod quidem, si semper in Africa remansisset Demetrias, vix fieri potuisset. Illud saltem extra dubium, hanc epistolam ipsum nonnisi post synodum Palæstinam, quæ tantum sub anni quadringentesimi decimi quinti finem celebrata est, conspexisse : cum is, an ante synodum illam, an vero postea scripta fuerit, ambigat (*De Gratia Christi, n.* 23). Augustinus epistolam hanc forte jam viderat, cum ipse atque Alypius Demetriadis matrem admonuere, ne aures præberet iis hominibus, qui fidem sermonibus suis corrumpebant (*Epist.* 188, *n.* 2). Juliana plurimum illis ob hancce admonitionem debere se rescripsit; eosdemque certiores fecit, ejusmodi homines sibi perinde ac suis invisos esse; denique familiam suam omnem semper usque adeo fuisse retinentem catholicæ fidei, ut in ea nullus unquam hæresi ulli, ne levissimæ quidem, adhæserit. Commodum accidit, ut Alypius Hippone esset, quo tempore responsio illa Julianæ Augustino reddita est. Quapropter ei rescripta conjunctim suo nomine miserunt (*Ibid., n.* 1). Ac primum quidem affirmant, cum operam suam ad promovendam filiæ ipsius Demetriadi velationem adhibuerint, in-

equum visum iri nemini, si id sibi juris sumere non dubitent, ut ipsas de sua salute, ac de gratiæ adversariis commonefaciant. Tum eam rogant de libro quodam Demetriadi inscripto, necnon erroribus longe periculosissimis referto, sibi nuntiet, an illum ipsa evolverit; cujusve habeatur auctoris, aut qua fronte illum Demetrias exceperit ea docentem, unde credat virginalem suam sanctitatem, omnesque spirituales divitias, nonnisi ex se ipsa sibi esse; atque ita prius quam sit plenissime beata, discat Deo esse, quod absit, ingrata. Et ipsi quidem hanc epistolam Pelagio adjudicare se non dissimulant, sed pleniorem illius rei quærebant confirmationem (*Epist.* 188, *n.* 4). Sua ipsos minime fefellit opinio: etenim in libro de Gratia Christi anno quadringentesimo decimo octavo in lucem edito, Augustinus haud semel eamdem illam commentationem tanquam Pelagii citare nihil dubitat. Atque hinc intelligas licet, Augustini et Alypii ad Julianam rescripta eo quidem opere antiquiora esse, verum paucis admodum diebus, quandoquidem in his Pelagii ad Innocentium litteras, anno quadringentesimo decimo septimo circiter mensem septembrem Zosimo redditas, memorant (*Ibid.*, *n.* 14).

## CAPUT VII.

1 *Honorii lex severior in Donatistas pertinaces.* 2 *Donatus Mutugennensis et alius pariter cum eo presbyter de parte Donati in custodiam dantur.* 3 *Augustinus Macedonio scribit de intercessionibus episcoporum pro reis.* 4 *In iis intercessionibus quam prudenter ac verecunde sese gereret Augustinus, teste Macedonio, cui ille de christiani magistratus officiis verisque virtutibus doctrinam tradit.* 5 *Contra Pelagianos ad Hilarii quæstiones a Sicilia missas respondet.*

1. Sibi facile persuadebant Donatistæ, sese Ecclesiæ per Marcellini cædem non minus detrimenti, quam cruciatus attulisse: verum haud multo post Deus eos docuit, illam mortuo Marcellino non ereptam sibi esse potestatem, qua Ecclesiam ante natum Marcellinum tutatus fuerat. Etenim decimo kalendas julias hujus ipsius anni quadringentesimi decimi quarti legem Honorius contra eos tulit, quæ quidem legis tertio kalendas februarias anni quadringentesimi duodecimi promulgatæ singulis pene capitibus insistebat, sed ad eorum severitatem multum addebat (*Codice Theod., de Hæreticis, lege* 44). Enimvero cum lex anni quadringentesimi duodecimi vel nobilissimo cuique quinquaginta tantum auri pondo mulctæ nomine irrogaret, hæc eosdem ducentis argenti libris mulctat; addito, irrogatam summam esse toties ab unoquoque exigendam, quoties ad communionem schismaticorum redierit; qui si plus quinquies relapsus fuerit, tum ejus nomen ad Imperatorem, ut illi pœnam aliquam adhuc severiorem quærat, deferendum esse: quin et superiori adjicit, dominos, qui procuratores suos, a quibus cœtus in eorum prædiis coire Donatistæ non sint prohibiti, impunitos reliquerint, fructibus omnibus, qui uno anno in iisdem prædiis colliguntur, mulctandos; clericos antequam eis aqua et igni interdicatur, universis suis facultatibus spoliandos; et generatim quoslibet Donatistas, infames, ex omnium congressu et societate proscriptos, intestabiles, denique privatos omni contrahendi jure, declarandos. Præterea tertio kalendas septembris ejusdem anni quadringentesimi decimi quarti auctoritate sua, uti jam dictum est, Collationis acta comprobavit (*Ibid.*, *lege* 55).

2. Etsi Augustinus apud judices magno studio ageret, ut imperialium legum in Donatistas severitatem christiana mansuetudine mitigarent; attamen faciendum sibi putabat, ut illarum auctoritate sensim traducerentur ad Ecclesiam catholicam, ii præcipue, quorum in sua Hipponensi diœcesi residentium saluti prospicere tenebatur (*Epist.* 133, *et Epist.* 134). In ea procul dubio erant duo illi presbyteri partis Donati, qui sancto Episcopo vel satagente, vel saltem cupiente comprehensi sunt, atque Hipponem perducti, ut judicibus forte, quibus legum imperata exsequi incumbebat, sisterentur, utque in custodia, ne violentas sibi manus inferrent, servarentur. Alter eorum, cui Donato nomen, oblatum equum non modo recusavit, sed etiam sese ad terram collidens graviter sauciavit: postea jam adductus Hipponem, præcipitem se in puteum dedit, unde illum invitum ac reluctantem eduxere Catholici. Tanta hujus erat pervicacia, ut clamitaret perpetuo, velle se in errore perseverare, velle in eo perire: cogendum ad bonum, quodcumque demum illud sit, neminem, quando Deus nos nostri juris atque arbitrii esse voluisset: Christum discipulos suos, cum eos deficere ab illo libuisset, non retinuisse; Apostolisque suis optionem ac plenam facultatem seu recedendi seu remanendi permisisse; ad extremum, non debere sibi vitio verti, quod vim sibi afferre statuisset; Apostolum enim bonis et laude dignis adscripsisse actionibus, si quis corpus flammis absumendum traderet. Cum ei, quæ constituta in Collatione fuerant, objectabantur, partium suarum causam jactabat, etiam contra Augustinum, defendere se posse, modo revocaretur id quod Donatistæ concesserant, personam non præjudicare personæ. Angebat magnopere Augustinum miseri istius presbyteri lugenda conditio, eumque maxime sollicitum habebat salutis ipsius cura. Hac ergo stimulatus epistolam ad eum misit (*Epist.* 173), amoris simul et vehementiæ plenam, qua vanas illas rationes argutationesque evertebat, quibus sibi ille fucum in sua pertinacia atque cæcitate faciebat. Declarat ibi, quid inducat Ecclesiam, ut vim aliquam adhibeat. Quod autem confessi Donatistæ fuerant, personam non præjudicare personæ, demonstrat, si non possit ei, privato scilicet presbytero, officere, quod illi tam solemniter concesserant; multo minus Ecclesiæ universæ fraudi futurum, quod commisit committereve potuit Cæcilianus. Eum denique provocat, ut argumento, quod ex historia Maximianistarum Catholici petierant, commodius si qua possit ipse respondeat.

3. Augustinus superiore anno, ut vidimus, opus suum de Civitate Dei adorsus est, cujus et librum quartum ac quintum proxime sequenti absolvit. Quod cum ita sit, nequaquam abs re videbitur, huic anno

ejus ad Macedonium Africæ tunc vicarium, epistolas, quas partim post missos ad eumdem primos tres hujusce operis libros dedit, assignare (*Possid., in Vita August., c.* 20). Atque ipsius quidem Macedonii epistolas ad Augustinum habemus binas, scite profecto ac eleganter scriptas (*Apud August., Epistt.* 152, 154) : totidem quoque Augustini ad ipsum responsiones perquam egregias (*Epistt.* 153, 155). Hunc Augustinus, cum propter præclaras ejus dotes atque in gerendis publicis rebus prudentiam et integritatem, tum ob hoc potissimum magni faciebat, quod animum ipsius, ut dicit, charitate æternitatis et veritatis, atque ipsius charitatis affectu divinæ illi cœlestique reipublicæ, cujus regnator est Christus, agnosceret inhiantem, videret propinquantem, ejusque potiundæ amplecteretur ardentem (*Epist.* 155, *n.* 1). Quapropter cum talis ac tantus vir amicitiam inire cum sancto Præsule, necnon per litteras cum eo colloqui, scriptave ejus aliqua videre percuperet (*Ibid., n.* 11), gratum ille acceptumque habuit; promisit aliquot e suis opusculis ei se missurum (*Epist.* 152, *n.* 3), ac eidem per Bonifacium episcopum, forte Cataquensem, litteras quibus ab ipso veniam reo cuidam petebat, misit (*Ibid., n.* 1). Macedonius certe haudquaquam erat commissurus, ut repulsam ab se ullam ferret Antistes, quem unice colendum vereque suspiciendum putabat (*Epistt.* 152, 154, *tit* ). Præterquam quod erat ipse tanta propensione in clementiam, ut cum sua sponte reos, ne criminibus patrocinari videretur, absolvere non auderet; eos de se optime meritos existimaret, a quibus de pœna sontibus condonanda rogatus esset (*Epist.* 152, *n.* 3). Verum, cum vellet ut inquiebat, sibi pro concessa gratia mercedem ab Augustino rependi, eum per litteras urbanitatis plenissimas rogavit, sibi ille consilii sui rationem aperiret, anve religionis christianæ officiis consentaneum esset, pro reis episcopos intercedere : simul, ut promissa sibi ab eo scripta mitterentur, petiit; quo scilicet, quandoquidem ejus præsentia frui interim non liceret, saltem ipsius doctrina aleretur (*Ibid., n.* 1). Itaque Augustinus primos tres libros de Civitate Dei curavit ad eum deferendos. Quod vero ad propositam sibi ab eo quæstionem, verbo illi respondit, vitam scilicet ac salutem reis eo animo petere episcopos, ut illis facta emendare ac per pœnitentiam eluere liceat: *Ne istam vitam*, ait, *sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium* (*Epist.* 153, *n.* 3). Hac tamen de re paulo fusius eorum gratia disputat, qui forte non eadem, qua pollebat Macedonius, sagacitate prædíti, epistolam hanc suam lecturi essent. Exponit etiam, qua ratione pro reis interpellare fas sit : necnon de legibus in restituenda re aliena servandis multa præcipit. Quin illud itidem notat, Macedonium innata quadam humanitate impulsum, pro clerico qui delictum aliquod admiserat supplicasse; cujus quidem precibus mitigatum Aurelium pœnas eidem clerico debitas temperasse apparet : de qua actione ita loquitur Augustinus, ut eidem se fuisse præsentem significet (*Ibid., nn.* 16, 19).

4. Augustinus, qui episcoporum intercessiones in eadem epistola approbaverat, ac Macedonii fidem, qua ei se postulationes ejusmodi non negaturum quodammodo receperat, habebat obstrictam, haud negligenter jure suo utens, reos ad se confugientes patrocinio suo destitui non est passus (*Epist.* 152, *n.* 3; *Epist.* 154, *n.* 1) : verum eam exhibuit hac in re sapientiam et verecundiam, ut non modo ejus respuere postulata non potuerit Macedonius, sed etiam, quin modestiam ipsius laudibus cumularet, nequaquam sibi temperaverit. Atque in Vitam sancti Viri transcripsit Possidius illa verba : *Miro modo afficior sapientia tua, et in illis quæ edidisti, et in his quæ interveniens pro sceleratis mittere non gravaris. Nam et illa tantum habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil supra sit; et hæc tantum verecundiæ, ut nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, nôn in negotio esse, dijudicem, domine merito venerabilis, et vere suspiciende pater. Non enim instas (quod plerique homines istius loci faciunt) ut quodcumque sollicitus volueris, extorqueas; sed quod tibi a judice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones subserviente verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est* (*Ibid., et Possid., in Indic., n.* 25). Simul Macedonius, quæ ex illius operibus legerat, magnifica prædicatione extollit (*Epist.* 154, *n.* 2) : eaque non alia fuisse a primis libris de Civitate Dei, non obscure indicant, cum ipsius (*Ibid.*), tum Augustini verba (*Epist.* 155, *n.* 2). Macedonium in procinctu fuisse apparet ad redeundum in Italiam, unde scripturum Augustino, si qua id fieri possit, promittit : *ut tantæ doctrinæ opus*, inquit ille, *debitis, etsi non satisfacientibus, remuneretur obsequiis* (*Epist.* 154, *n.* 3). Illum ante profectionem munere, quod se dignum esset, donatum voluit Augustinus : etenim ipsi præstantissima epistola respondit (*Epist.* 155), qua præcipua quæque viri christiani, ac præsertim potestatem gerentis officia eidem ponebat ob oculos; illud in primis eum admonens, ut omnes suas virtutes divinæ bonitati acceptas referret, atque istum finem in omnibus magistratus sui officiis sibi propositum haberet, subditos ad Deum æternamque vitam adducere. Hanc Possidius, *De veris Virtutibus;* alteram vero ad Macedonium epistolam, *De Intercessionibus episcoporum* appellat (*Possid., in Indic., cap.* 1).

5. Hoc forte anno quadringentesimo decimo quarto librum seu epistolam ad Hilarium de quæstionibus e Sicilia missis scripsit Augustinus (*Epist.* 137). Hanc siquidem anno quadringentesimo decimo quinto Hieronymus et Orosius memorant, ac *nuper* scriptam esse testantur. Neminem ex toto christiano orbe latebat, quam longe inter Ecclesiæ doctores eruditione ac scientia præstaret Hipponensis episcopus; quem vel ipse Volusianus nondum fidelis, nihil quod ad sacram doctrinam pertineret, ignorare audierat. *Cum ad Augustinum venitur*, inquiebat ille, *legi deest, quidquid contigerit ignorari* (*Epist.* 135, *n.* 2) : atque adeo Augustini famæ interesse asserebat, ut sua sibi quæsita per eum explicarentur. Cum ergo animadverteret Hi-

larius, tradi a quibusdam apud Syracusas nova hæc dogmata, *Posse esse hominem sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit; infantem non baptizatum morte præventum non posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur. Divitem manentem in divitiis suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si forte ex ipsis divitiis mandata fecerit*, etc., de his Augustinum consuluit; persuasus ipsius gratia, id est, concessa ei divinitus ad docendum facultate, *quæ*, ait, *omnibus nota est*. Hinc enim summa eum pollere auctoritate, significare videtur istis verbis: *De his omnibus rogo, quantis valeo precibus, Sanctitatem tuam, ut jubeas nos apertius instrui, quo noverimus quatenus sentire debeamus* (*Epist.* 156). Quamobrem Augustinus, posteaquam affatim explicuit, quid de illis Pelagianis quæstionibus censeret: *Accepisti*, ait, *quod mihi videtur: melius exponant ista meliores; non isti quorum jam novi sententiam reprobandam, sed alii qui veraciter possunt. Nam et ego paratior sum discere, quam docere; et tu magnum conferes beneficium, si ea quæ illic a sanctis fratribus adversus istorum vaniloquia disseruntur, non me facias ignorare* (*Epist.* 157, *n.* 41).

## CAPUT VIII.

*1 Psalmi plures tum anno Christi quadringentesimo decimo quinto, tum ante expositi. 2 Orosius presbyter ab extrema Hispania venit ad Augustinum. 3 Hic illius consultationi facturus satis librum contra Priscillianistas et Origenistas conscribit. 4 Orosium cum suis aliquot scriptionibus mittit ad Hieronymum, a quo edoceri de animæ præsertim origine cupit. 5 Timasium et Jacobum revocat ab errore Pelagii, contra quem opusculum edit de Natura et Gratia. 6 Ad quæsita quædam Evodii, eaque præcipua, respondet per aliquot epistolas. 7 Librum de Perfectione justitiæ hominis componit.*

1. In epistola ad Evodium hoc vertente anno quadringentesimo decimo quinto data variæ commentationes notantur, quas Augustinus, ut ipse tradit, ante Pascha, ac jam imminente Quadragesima incœptas, tunc temporis ad umbilicum adduxerat (*Epist.* 169, *n.* 1). In his autem libros duos, quartum scilicet et quintum de Civitate Dei, memorat: quibus addit peramplas a se dictatas Psalmorum sexagesimi primi, septuagesimi primi et septuagesimi septimi expositiones. Psalmos alios seu calamo seu sermone jam bene multos explicuerat: nam vidimus trigesimum sextum Carthagine ab eo inter concionandum jam inde ab anno quadringentesimo tertio explanatum fuisse (*Supra*, *lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 6); ac in memorata epistola docet vehementer exspectari flagitarique ab ipso reliquos Psalmos, quorum necdum expositionem neque scriptura neque habito ad plebem sermone ediderat (*Epist.* 169, *n.* 1). Innuit etiam id sibi tunc, nimirum sub anni a quadringentesimo quinti decimi exitum, in animo fuisse, omnino huic operi, simulque alteri de Civitate Dei, absolvendo incumbere, eamque ob rem libros de Trinitate adhuc differre; cum præterea et majoris essent difficultatis, et minoris, saltem pleriusque hominum, utilitatis. Et reapse maximo huic operi extremam imposuit manum, ac Psalmos omnes partim dictando, partim concionando edisseruit; atque etiam et hoc et illo modo nonnullos.

2. Post memoratas in tres illos Psalmos commentationes, subjungit Augustinus libros a se per Orosium Hieronymo missos, tum alium quoque eidem Orosio, *Contra Priscillianistas et Origenistas*, inscriptum (*Ibid.*, *n.* 13). Orosius autem Hispanus presbyter, qui et Paulus in iis, quæ ex ejus operibus adhuc supersunt, vocitatur, in extrema Hispania, scilicet Oceani littore, natus erat (*Ibid.*, *et Epist.* 166, *n.* 2). Is cum non communione tantum catholicus, verum etiam pietate ac fidei christianæ studio succensus esset, patriam suam tunc a Barbaris diripi vastarique minus gemuit, quam fidem per Hispanias variis erroribus oppugnari. Audita igitur Augustini fama, eo doctore de capitibus, quibus angebatur, quidquid vellet, discere se posse, necnon suo erga sacras litteras amori ab illo plene cumulateque satisfactum iri existimavit. Hoc uno consilio eum, ut in Africam ex ultimis Hispaniis trajiceret, adductum fuisse testis est omni exceptione major Augustinus (*Epist.* 169, *n.* 13). Videtur nihilominus ad propositum exsequendum citius quam destinaverat, Barbarorum crudelitate coactus. Enimvero de se ipse asserit, se in tumultu quodam, infortunii formidine perculsum aufugisse (*Oros.*, *Hist. lib.* 5, *cap.* 2); Barbarorum vix evitasse insidias; atque etiam postquam jam mare conscendisset, saxis ac telis petitum, demum repentinæ nebulæ beneficio, cum jamjam capiendus videretur, evasisse: quæ pericula tanta fuisse addit, ut ea sine lacrymis nemo nisi durus audire queat (*Ibid.*, *lib.* 5, *cap.* 20). Dicit præterea, cum e patria vi quadam occulta ejectus, ac sine voluntate, sine necessitate, sine consensu esset egressus, in Africam trajecisse, neque se navigationem suam eo tendere prius comperisse, quam ad ejus provinciæ littus appelleret; tum demum considerato, qua ratione deportatus eodem fuisset, cursus sui finem et consilium deprehendisse; ac revocato collectoque animo cognovisse, eo se divinitus ad Augustinum dirigi, ut Hispanicis malis remedium in ipso reperiret (*Apud August.*, *Orosii Consult.*, *n.* 1). Sicque a verisimili non abhorret, eum, qua sese præcipiti festinatione ad navem rapiebat, in quoddam navigium, quod alio vela faceret, ingressum esse, attamen Deo cursum illius moderante, ad oram appulisse Africanam.

3. Cum Augustini colloquium vehementer optaret Orosius, exspectaretque opportunitatem, ut capita, de quibus erudiri se cupiebat, eidem in libellum relata traderet; contigit ut eodem, quo ipse, desiderio procurandæ omnium salutis permoti Paulus atque Eutropius episcopi commonitorium de quibusdam hæresibus sancto Doctori offerrent. Porro quoniam isti non omnes, sed certas quasdam hæreses prodiderant, eapropter sibi necessarium duxit Orosius, omnes omnino dogmatum hæreticorum arbores cum ipsis radicibus ac ramis colligere. Hanc in rem ille beato Præsuli consultationem seu commonitorium epistolari forma

obtulit, ubi quæ Priscilliani, quæve Origenis venena Hispaniam eo tempore infestarent, exposuerat (*Ibid.*). Discendi cupiditas illa, qua flagrabat Orosius, non poterat non esse acceptissima Augustino : is ergo illius optatis ut satisfaceret, librum, cui titulus est, *Contra Priscillianistas et Origenistas*, scripsit, atque ipsi nuncupavit Orosio. In eo quanta potuit tum brevitate, tum perspicuitate usus, nihil fere adversus Priscillianistarum errores dixit; eo quod suis contra Manichæos disputationibus, quas Orosius vel jam legerit, vel legere commode possit, stabilita principia essent, quibus et ipsi Priscillianistæ profligantur (*Contra Priscill. et Origen.*, *n.* 1). In fine, dum de cœlestium spirituum distinctione loquitur, pulchre admodum de hujusmodi quæstionibus obscuris, eisque non necessariis, disserit : ac ingenue fatetur Orosio, ad illud respondere se neutiquam posse. *Quo*, inquit, *me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, et quid inter se differant, nescio* (*Ibid.*, *n.* 14). Alibi quoque fructum hunc affirmat ex sua peregrinatione capturum fuisse Orosium, quod illis, quæ de se fama vulgabit, posthac non tantum fidei sit habiturus (*Epist.* 166, *n.* 2). Huic tractatui Augustinus locum assignat inter eos, quos anno quadringentesimo decimo quinto composuit : cumque editum eum oporteat non multo post Orosii adventum in Africam, cur hic in eam provinciam prius eodem anno quadringentesimo decimo quinto venisse dicendus sit, non videmus.

4. Etsi quem ex navigatione sua fructum sibi proposuerat Orosius, eum abunde viso auditoque Augustino perciperet : Augustinus tamen, qui eum vellet pleno fenore locupletari, non contentus illi tradidisse quæ noverat, ipsi fontem uberrimum, unde quidquid abs se doceri posse non putabat, facili negotio hauriret, indicavit; atque ut Hieronymum conveniret, est adhortatus. Id Augustini sive consilium, sive præceptum, quam libenter accepit Orosius, eique morem gerere lætus decrevit. Illum sanctus Antistes, ut in reditu prius ad se diverteret, quam in patriam remearet, rogavit; quod se præstiturum recepit Orosius. Augustino pergratum fuit, quod eam occasionem Hieronymo dubitationes suas proponendi nancisceretur : etenim pro summo suo in veritatem studio, multum desiderabat cum eo colloqui per litteras; quippe cujus ingenium atque eruditionem plurimi faciebat. Atqui opus ad istud erat homine ad agendum fido, ad parendum prompto, ad ferendos itineris labores exercitato. Talem autem jamdiu quærebat sanctus Præsul; nec ipsi facile occurrebat. Quocirca eas omnes aliasque dotes in Orosio adhuc juvene nactus, illum ad se divino consilio hujusce rei gratia missum existimavit. Arripuit igitur occasionem, ac Hieronymo deferenda curavit scripta duo longiuscula, quæ libros ipsemet vocitat (*Epist.* 169, *n.* 13; *Epist.* 190, *n.* 20), eoque titulo in Retractationibus suis recenset, quamvis hac nostra ætate inter illius epistolas numerentur ( *Epistt.* 166, 167). Hieronymum in primo consulit de origine animæ hominis; in altero autem de sententia illa Jacobi, *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* ( *Jacobi* II, 10 ). Hosce libros Hieronymus non sine honoris testificatione memorat : sed illis respondere eo recusavit, quod neque sibi otium ad id necessarium suppeteret, neque utilitatibus Ecclesiæ conduceret, Augustinum ac Hieronymum, vel in minimis, opinione divisos videri. Et hoc forte Augustino, præterquam quod illum sibi de his aliquando responsurum sperabat, potissimum in causa fuit, cur eosdem illos libros, quoad vixit Hieronymus, publici juris facere noluerit (*Apud August.*, *Epist.* 172, *n.* 1; *Retract. lib.* 2, *cap.* 45). Exinde enim ut eorum apographum cuipiam daret, non modo induci non poterat, sed neque amicis credebat domum deferendos : id gratiæ tantum concedens, ut eosdem lectum ad se venirent. Certe in hac parte, antequam Hieronymi litteras (*Apud August.*, *Epist.* 172) accepisset, sese gerebat liberius : nam inter alios complures libros, quos Evodio describendos offert, hos quoque annumerat (*Epist.* 169, *n.* 13). Videtur idem ab Hieronymo traductionem Septuaginta interpretum, ab eo factam, atque astericis verubusque distinctam, per Orosium petiisse (*Epist.* 172, *n.* 2) : necnon epistolas aliquot tum ad virginem Eustochium, tum ad hujus matrem Paulam juniorem scripisse, quibus illas, ut procedere ac progredi in virtute pergerent, adhortaretur.

5. Ad scribendum librum de Natura et Gratia jam forte Augustinus aggressus erat, cum ex Africa discessit Orosius. Hic enim non ita multo post, quam in Palæstinam pervenisset, ipsomet Pelagio præsente, sanctum Antistitem hujusce hæretici libro, sibi ab illius discipulis tradito, eorumdem rogatu plenissime respondere affirmavit ( *Orosius, in Apologia* ). Per id quoque temporis de scripto quodam Augustini loquitur Hieronymus, quod nondum sibi in manus venerat, quodque Pelagium recta impugnare ferebatur (*Contra Pelag.*, *dial.* 3, *cap.* 6). Augustinus similiter eidem libro locum eos inter, quorum epistola anno quadringentesimo decimo quinto vertente data meminit, postremum assignat. Pelagii librum Augustino miserant Timasius et Jacobus (*De Natura et Grat.*, *n.* 1) adolescentes honestissime nati, et institutis liberalibus eruditi (*Epist.* 179, *n.* 2), qui ipsiusmet Pelagii hortatu, omni spe sæculari abjecta, sese ad Dei servitium contulerant (*Epist.* 177, *n.* 6; *Epist.* 179, *n.* 2). Sed vix illi se Pelagii opera sæcularibus vinculis expediverant, cum se laqueis multo funestioribus, nimirum inductæ per illum hæreseos, implicarunt; a quibus tamen eos Deus eripuit subsidio ac monitis Augustini. Hic enim intermissis confestim quæ in manibus erant, librum non mediocri intentione perlegit (*De Nat. et Grat.*, *n.* 1); reperitque Pelagium naturam hominis contra Dei gratiam quanta poterat argumentatione defendere (*Retract. lib.* 2, *cap.* 42). Is autem liber erat dialogi forma, quemadmodum ex locis ab Augustino citatis intelligitur, concinnatus. In eo sibi ipse quæstionem illam opponebat : Numquid gratiam non excluderet, cum sine peccato vivere hominem posse contenderet? Cui rei verbis disertis gratiæ opem divinamque misericordiam necessariam esse profitebatur. Augustinum quidem

eos, qui seclusa gratia de justificatione hominis loquerentur, cum horrore detestantem, lætitia repente perfudit confessio gratiæ tam aperta. Verum pergenti ipsi legere cætera, perspicuum tandem fuit, sub hac voce æquivocationem latere (*De Nat. et Grat.*, *nn.* 11, 12): cum illic Pelagius veram Christi gratiam non modo non agnosceret, sed etiam contraria ei multa loqueretur (*Epist.* 169, *n.* 3), eaque omnino moliretur persuadere, quæ illam de fidelium cordibus creditam deleant (*Epist.* 186, *n.* 1). Isti ergo libro, quia id fieri oportere videbat, edita in vulgus disputatione respondit Augustinus, qui hoc suum opus eo inscripsit *De Natura et Gratia;* quod ibi gratiam defendat, non quidem contra naturam, sed per quam liberatur et regitur natura (*Retract. lib.* 2, *cap.* 42). Ibi dictum illud Pelagii *hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit*, ab Augustino condemnari, affirmat Orosius ( *In Apologia* ). Nulla autem libri a Pelagio scripti verba non discutit et confutat, aperiens nimirum et quantopere aliorum verborum error fugiendus sit ac detestandus, et simul quantum in illis ipsis verbis, quæ minime mala videantur, tamen propter affectatum veræ gratiæ ejusque auxilii silentium, inhæreat suspicionis (*Apud August.*, *Epist.* 168). Cum eam Augustini lucubrationem accepissent Timasius et Jacobus, scriptis litteris gratias egerunt, et singularem ex ejus lectione se voluptatem cepisse testificati sunt; affirmaruntque, tametsi jam ante abdicassent errorem, tamen ei se debere plurimum, quod arma sibi, quibus illum in aliis oppugnarent, suppeditasset. In hac epistola, quam Augustini beneficio etiam nunc habemus integram, Timasius et Jacobus, quod hoc tam præclarum gratiæ Dei munus, sic enim eumdem librum vocitant, non prius acceperint, dolere se testantur; contigisse siquidem, ut nonnulli, quorum cæcitas hac tam perspicuæ veritatis illustratione indigeret, id temporis absentes essent; quos tamen idem gratiæ donum, licet serius, sperarent accepturos. Quibus verbis eos Pelagium potissimum significasse, suspicatus est Augustinus (*De Gestis Pelagii*, *n.* 49).

6. Jam quidem absoluta erat illa de Natura et Gratia disputatio, verum hic annus necdum evolutus, cum Augustinus responsionem ad quæsita Evodii de Trinitate et columba scripsit (*Epist.* 169). Sanctus ille Uzalensis antistes, quocum is arcta quadam necessitudine jam inde a Baptismo conjunctus erat, varias ei quæstiones de rebus maxime arduis, quemadmodum, quæ restant, utriusque epistolæ planum faciunt, proponere consueverat. Huic sanctus Doctor ejus momenti rebus studiisque tunc occupari se innuerat, a quibus nollet avocari. Nihilominus tamen ei circa præcipuas inquisitiones satisfecit, partim anno præsenti, partim superiore; missis interim aliis, ex quarum explanatione minus existere posset emolumenti: quippe cujus certa esset sententia, non pati se a laboribus magis necessariis, quique plurihus conducerent, abduci, ut difficultates, quæ solos eruditos spectarent enuclearet. Ubi autem quæstionem de visis prodigiosis quibusdam ab Evodio prolatis pertractat, cupere se profitetur, rationem aliquam ad manum habere, qua piorum ac sanctorum visa, ab imaginationibus plane eorum simillimis, quas persæpe vel error vel impietas in fraudem inducit, dignoscere valeret: additque citius fore, ut se de fallacibus visionibus narrantem tempus deficiat, quam ejusmodi illusionum exempla (*Epist.* 159, *n.* 5). Et hinc intelligas fuisse id temporis et veras et falsas visiones, atque Augustinum cautionem, ne temere omnes vel respueret, vel admitteret, summam adhibuisse (*Supra*, *lib.* 5, *cap.* 8, *n.* 3).

7. Nobis non licuit ante hoc tempus librum de Perfectione justitiæ hominis collocare, quem in Indiculo (*Cap.* 4) non temere post opus de Natura et Gratia ponit Possidius: quandoquidem Augustinus in memorata ad Evodium epistola (*Epist.* 169) illius non meminit. Verumtamen proximum post illam epistolam locum eidem tribuere, rationi satis congruum vel hoc uno videatur, quod Paulo et Eutropio episcopis scriptus sit, illis videlicet, qui Augustino libellum adversus aliquas hæreses paulo ante obtulerant, quam Orosius in Africam appulsus de iisdem ad ipsum scriberet. Tum forte in episcoporum illorum manus venit chartula, e Sicilia per fratres seu quosdam Catholicos allata, quæque in fronte sic prænotabatur: *Definitiones ut dicitur Cœlestii.* Hanc illi statim dederunt clarissimo fidei assertori ac vindici, atque ut ei responderet, petierunt. Is inscriptionem quidem Cœlestii non esse judicavit, sed breves istas definitiones vel potius ratiocinationes non abhorrere ab illius ingenio detexit, inspecto alio ejus opere, cujus auctorem eum esse constabat. Adjuncta definitionibus erant Scripturæ testimonia, eoque totum id spectabat, ut humanæ vires astruerentur, suadereturque posse hominem hic sine peccato esse (*De Perfect. justitiæ*, *n.* 1). Chartulam eo pacto refellit Augustinus, ut nondum illos reprehendere audeat, qui dicerent, fuisse vel esse in hac vita aliquos homines justos sine peccato (*Ibid.*, *n.* 44): quorum nihilominus opinionem, auctoritate Carthaginensis concilii anno quadringentesimo decimo octavo damnatam, postea sanctus Doctor ut perniciosum errorem carpit, et cavere jubet (*Contra Duas Epist. Pelag.*, *lib.* 4, *n.* 28). Interim vero in isto libro hoc docet atque huc incumbit, ut nostra omnis in ipsa, qua per fidem ambulamus, peregrinatione justitia intelligatur hæc esse, ut ad illam perfectionem plenitudinemque justitiæ, ubi in specie jam plena et perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine et perfectione tendamus (*De Perfect. justitiæ.*, *n.* 18).

## CAPUT IX.

*1 Pelagii hæresis in Palæstina impugnatur ab Hieronymo, eademque in Jerosolymitano conventu discutitur. 2 Pelagius ab Herote et Lazaro accusatus perducitur ad episcopale judicium habitum Diospoli, ubi hæresis Pelagii ipso absoluto Pelagio condemnatur 3 Pelagianorum in Hieronymum et virginem Eustochium post illius synodi judicium violenter facta. 4 Post eamdem Diospolitanam synodum varias scriptiones vulgat Pelagius.*

1. Orosius in Palæstinam veniens, ab Hieronymo

pro suo merito, et pro ea, quam ab Augustino habebat, commendatione exceptus est (*Apud August., Epist.* 172, *n.* 1). Illuc Pelagius ante duos vel tres forte annos advenerat, ac primo necessitudinem aliquam cum Hieronymo, cum ei notus adhuc non esset, conjunxerat. Id sane his verbis, *ne veterem lædere videamur necessitudinem* (*In Jerem. lib. 4, præfat.*); significat sanctus Presbyter: qui posteaquam perniciosissimam, ut vocat, hæresim clam ab illo disseminari ac sensim pullulare intellexit, operam dare constituit, ut ea de Ecclesiis auferretur (*Apud. August., Epist.* 172, *n.* 1). Scriptio ipsius in illam hæresim prima fuit, quæ est ad Ctesiphontem epistola, in qua disputationem hac de re promittebat uberiorem. Tria deinde contra Pelagianos volumina forma dialogorum composuit, quibus manum jam inde ab extremo julio præsentis anni admoverat. Eodem, quo Hieronymus, Pelagiani erroris horrore perculsi Jerosolymitani quoque presbyteri, contra hostem antiquæ fidei veniunt. Cum illis, ac illorum forte inductu, conventum Jerosolymis hoc ipso anno quadringentesimo decimo quinto, die quarto vel tertio kalendas augusti, habet Joannes episcopus. Eo vocatus Orosius Cœlestium jam a concilio Carthaginensi damnatum fuisse declarat: Pelagii autem librum ab ipsius discipulis proditum refelli ab Augustino: cujus sancti Doctoris in Pelagianas aliquot quæstiones epistolam, missam nuper ad Siciliam, in eodem conventu legit. Introductus postea Pelagius, interrogatur ab omnibus, an ea quæ ab Augustino essent refutata, docuisset. Quibus ille cum respondisset: *Et quis est mihi Augustinus?* hac responsione in episcopum, cujus ore Dominus universæ Africæ unitatis sanitatem exstincto Donatistarum schismate indulserat, injuriosa offensi sunt quotquot aderant, et Pelagium non e conventu solum, sed etiam ex Ecclesia expellendum conclamarunt. Tum vero Joannes, quo liberius injuriam Augustino illatam Pelagio ignosceret, eamdem in se recipere professus est. *Augustinus ego sum*, inquit. Cui ab Orosio, sive etiam ab aliis, statim repositum: *Si Augustini personam sumis, Augustini sequere sententiam.* Pergit Orosius urgere Pelagium. Joannes autem post multam disceptationem, in qua Pelagio ipsi studio et opera adesse videtur, obstrepentibus plurimis ac dicentibus, non posse eumdem advocatum et judicem esse, pronuntiat fratres mittendos cum epistolis ad Innocentium papam, universis quod ille decerneret secuturis; ac sic utrique parti interim silentium imperatur (*Orosius, in Apologia*). In eo conventu mentem Pelagii Joannes sive errore sive fallacia interpretis adeo non est assecutus, ut aliquot post diebus ipsum Orosium blasphemiæ arguerit: quam ille criminationem vulgata mox apologia ab se propulsare compulsus est.

2. Mensibus ab Jerosolymitano conventu, quem presbyteralem vocare licet, quinque nondum exactis, vocatur Pelagius ad aliud in Palæstina episcopale judicium (*De Gest. Pelagii*, *n.* 53). Ejus accusatores fuere Galli duo, Heros Arelatensium et Lazarus Aquensium episcopi, qui perversitate disputationum ejus offensi, libellum Eulogio Cæsareensi episcopo obtulerunt, erroribus, quos ex Pelagii Cœlestiique libris exscripserant, refertum, cum capitulis eidem Cœlestio objectis damnatisque in Carthaginensi concilio, cumque iis, quæ ad Augustinum e Sicilia transmissa fuerant. Concilium hanc ob causam apud Diospolim, quæ urbs in Scripturis Lydda appellatur (*Act.* IX, 32, 35, 38), habitum est hoc eodem anno quadringentesimo decimo quinto, circiter diem decimum tertium kalendas januarias, cui episcopi numero quatuordecim, quos inter primo loco sedit Eulogius, adfuerunt. Heros autem et Lazarus propter gravem unius eorum ægritudinem, præsentes esse minime potuerunt (*De Gest. Pelagii*, *n.* 1). Recitato eorum libello, Pelagius capitula sibi ab iis objecta partim agnovit; sed simul eo, quo volebant adversarii, sensu negabat ab se dicta, verum alio plane, quique a vera fide nihil abhorreret: partim inficiatus est, illa tanquam meras ineptias explodens; imo etiam anathema dicens iis, a quibus propugnarentur (*Photius, Biblioth. cod.* 54). Quod vero ad Cœlestii doctrinam, quam a concilio Carthaginensi et ab Augustino damnatam asseverabant, eam ad se contendit neutiquam pertinere (*De Gest. Pelagii, nn.* 57, 58); nihilominus tamen in eos, qui ipsam tenerent tenuerantve, anathema pronuntiavit (*Ibid., n.* 47). *Objecta* ut loquitur Innocentius papa, *partim ille vitando suppressit; partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit; aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo* (*Apud Augustinum, Epist.* 183, *n.* 3). Verum *præter illa quæ, quo modo potuit, ausus est qualicumque ratione defendere, objecta quædam sunt, quæ nisi remota omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathematizatus exisset* (*Epist.* 186, *n.* 32). Id quidem fusius legere est apud Augustinum, utpote qui et Antistitum et Pelagii verba ex autographorum, quæ ad se missa fuerant, fide referat, adjectis etiam, ubi res postulare videbatur, observationibus ac refutationibus suis (*Ibid. et De Gest. Pelagii, nn.* 23, 24, 65; *De Pecc. origin., n.* 12). Cum autem in concilio nemo esset, qui intentatas Pelagio accusationes defenderet, ac tergiversationes ejus atque mendacia detegeret, neque Græci præsules ejusdem libros, latine videlicet editos, examinare per se valerent; id unum, quod sequerentur, supererat, nempe opiniones Pelagii ex ipsius verbis ac testimonio judicare: atque ita decepti, eum, ut homines erant, nullo ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum, tanquam catholicum pronuntiarunt (*Cont. Julianum, lib.* 1, *n.* 19). Sic de judicio Diospolitano Pelagius quidem quantum ad hominum conspectum attinet, velut absolutus, suo tamen palam damnato dogmate, egressus est (*Ibid., lib.* 2, *n.* 34).

3. *Post hoc judicium*, uti narrat Augustinus, *ibi a nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur* tanta mala, *ut Dei servi et ancillæ ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissima cæde afficerentur, diaconus occideretur, ædificia*

*monasteriorum incenderentur, vix ipsum* Hieronymum *ab hoc impetu atque incursu impiorum in Dei misericordia turris munitior tueretur : quorum scelerum fama usquequaque volitante animi graviter vulnerati sunt* (*De Gest. Pelagii, n.* 66). De his quando certior factus fuit Innocentius papa, scripsit hanc in rem binas epistolas, unam ad Joannem Jerosolymitanum episcopum, alteram ad Hieronymum presbyterum.

4. Post eamdem Diospolitanam synodum editioni Gestorum mora dolose allata (*Ibid., n.* 55), confestim epistola carnalis ventositatis et elationis, quæ Pelagii ad amicum suum quemdam presbyterum scribentis esse dicebatur (*Ibid., n.* 54), celeritate præcedens in manus hominum prævolavit ; in qua sic res acta exponebatur, ut tacita divina gratia, sola ibi legeretur infelix et se ipsam decipiens, velut victrix, humana superbia. Præterea Gestorum Palæstinorum tanquam breviarium Pelagius in chartula fecit, quæ facile ac cito usquequaque discurrens, ei vice apologiæ esset (*Ibid., n.* 57) : quam ob id forte Augustinus, cui eamdem ille sine litteris ipsi nominatim scriptis misit (*Ibid., n.* 1), chartulam defensionis ejus vocat (*Ibid., n.* 57), et conscriptam ab eo defensionem suam, qua se dicebat objectis respondisse Gallorum (*Epist.* 169, *n.* 7). Atqui in eadem chartula, breviationis obtentu, Gesta locis quibusdam adulterabat, aut obscurabat (*De Gest. Pelagii, nn.* 57, 58). Opusculum denique, in quo de Gestis Palæstinæ synodi gloriabatur (*De Pecc. origin., n.* 15), sub idem tempus scripsit pro libero arbitrio (*Ibid., n.* 14), quatuor in libros digestum ; cujus operis sui in litteris Romam missis, scriptisque circiter ineuntem annum quadringentesimum decimum septimum ad Innocentium papam, commemorationem fecisse reperitur (*De Grat. Christi, n.* 32). In his quatuor libris quæcumque pro gratia videbatur dicere, qua juvamur, ut declinemus a malo, bonumque faciamus, eo modo, eaque verborum ambiguitate dicebat, ut a suo dogmate non recederet omnino (*Ibid., n.* 45).

## CAPUT X.

1 *Litteræ Hieronymi simulque aliæ Herotis et Lazari per Orosium afferuntur in Africam.* 2 *Concilium Carthaginense, hujusque exemplo Milevitanum, Innocentio papæ scribunt contra Pelagium.* 3 *Idem præstant quinque conjunctim episcopi Africani.* 4 *Africana decreta contra Pelagianos errores nota facit Augustinus Hilario Narbonensi.* 5 *De iisdem erroribus in Pelagio deprehensis ad Joannem Jerosolymitanum scribit.* 6 *Epistola ad Oceanum ab eo missa.* 7 *Doctrinam Ecclesiæ in Scripturis penitius rimandi provincia datur Augustino a duobus conciliis.*

1. Cum Orosius, quem Augustinus ad Hieronymum, ut ab eo quidnam de anima credendum sit, addisceret, anno superiore miserat, hoc anno quadringentesimo decimo sexto reverteretur in Occidentem ; Hieronymus opportunitate usus, litteras abeunti tradidit, quibus apud Augustinum, quod ejus duobus libris, nimirum de anima, deque sententia Jacobi non responderit, temporis difficultatem excusavit (quod quidem in absolutionis Pelagii tempus cadere satis superque intelligebatur), testatus sibi decretum esse ipsum amare, suspicere, colere, mirari, ac ipsius dicta, quasi sua defendere ; necnon jam se in dialogo contra Pelagianos edito, ipsius, ut dignum erat, recordatum fuisse (*Apud Augustinum, Epist.* 172, *n.* 1). Hoc autem in hæc verba sanctus Presbyter præstiterat : *Scripsit dudum vir sanctus et eloquens episcopus Augustinus ad Marcellinum, qui postea sub invidia tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocens cæsus est, duos libros de Infantibus baptizandis contra hæresim vestram,* etc. *Unde supersedendum huic labori censeo, ne dicatur mihi illud Horatii, In sylvam ne ligna feras* (*Satyrar. lib.* 1, *sat.* 10, *vers.* 34). *Aut enim eadem diceremus ex superfluo ; aut si nova voluerimus dicere, a clarissimo ingenio occupata sunt meliora* (*Cont. Pelagian., dial.* 3). Præterea Orosius litteras in Africam attulit ab Herote ac Lazaro, quibus Pelagius et Cœlestius nefarii anathemandique erroris auctores arguebantur (*Epist.* 175, *n.* 1) : atque horum unus, id est Cœlestius, etiam ad presbyterium in Asia pervenisse ; alter autem, scilicet Pelagius, agere Jerosolymis dicebatur, ibique nonnullos decipere, quamvis longe plures qui ejus sensus diligentius indagare potuerunt, ac præcipue Hieronymus, adversus eum pro gratia Christi confligerent (*Epist.* 176, *n.* 4).

2. Has litteras Proconsularis Provinciæ episcopis, qui consuetum statumque quotannis concilium tunc temporis Carthagine celebrabant, Orosius reddidit. Lectis in synodo litteris animadvertunt præsules, gravissimum ab detestandi erroris magistris esse fidei catholicæ periculum. Quapropter judicii episcopalis, quo ante annos quinque Cœlestius apud Carthaginem damnatus fuerat, acta recitari jubent. Et quamvis eo judicio tantum illud vulnus tunc excisum ab Ecclesia videretur ; nihilominus tamen communi deliberatione censent, hujusmodi erroris auctores, nisi hunc apertissime anathemarint, ipsos anathemari oportere ; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognitaque in eos lata est sententia, sanitas procuretur. Hoc autem a se gestum curant Innocentio papæ intimandum, ut suis ipsorum statutis etiam apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas. Nam complures, qui eorum, ut aiunt, perhibentur esse vel fuisse discipuli, hæc mala, quibus fundamenta christianæ fidei conantur evertere, quacumque possunt, affirmare non cessant (*Epist.* 175, *nn.* 1, 2). Qui eo tempore Sedem apostolicam non sine singulari Dei providentia obtinebat Innocentius, is tanta diligentia studebat rebus Ecclesiæ, ut si quæ pro illa tunc suggerenda erant, apud eum tacerent Africani præsules, hoc potius ex incuria veniret, quam ex timore ullo, ne vel ea negligeret ipse, vel moleste gravateque acciperet (*Epist.* 176, *n.* 1). Quocirca provinciæ Numidiæ synodus in urbe Milevo congregata, eum per litteras exemplo Carthaginensis concilii rogat, dignetur magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem curam adhibere ; atque eos, ne hæresis novæ ac nimium perniciosæ, quæ orationis a majoribus, simulque Baptismi a parvulis necessita-

tem aufert; laqueis implicentur, instanter et celeriter providere.

3. Christiana fides in discrimen tam apertum, tamque propinquum adducta visa est sanctis illis episcopis, ut ex his ipsis, qui de duobus provinciæ Carthaginensis ac Numidiæ conciliis litteras contra inimicos gratiæ Christi (*Epist.* 177) miserant ad Innocentium papam, quinque conjunctim suo nomine, Aurelius videlicet, Alypius, Augustinus, Evodius, ac Possidius, familiares ad eumdem litteras, ubi de ipsa causa aliquanto studiosius ageretur, scripserint (*Epist.* 186, *n.* 2). Ex hisce litteris intelligimus, epistolam ab Augustino ad Pelagium, qua ad defensionis ipsius seu purgationis in Diospolitana synodo chartulam respondebat, fuisse scriptam : hanc enim ad Innocentium dirigunt, petentes ut eam mittat ipse Pelagio, quem ipsius inductum auctoritate lubentius eam lecturum putant (*Epist.* 177, *n.* 15). Ad omnia Innocentius episcopis Africanis rescripsit eo modo, quo fas erat atque oportebat apostolicæ Sedis antistitem (*Epist.* 186, *n.* 2).

4. Post missas a duobus supra laudatis conciliis epistolas ad Innocentium, ac prius forte quam eidem scripsissent quinque episcopi, contigit ut Palladius quidam mare trajecturus, ab Augustino commendatitias litteras ad Hilarium episcopum, forte Narbonensem, peteret (*Epist.* 178, *n.* 1) : hac occasione gaudens usus est Augustinus, ut huic antistiti ea nota faceret, quæ recens in Africa decreta fuerant adversus hæresim Pelagianam. Hujus novæ tunc hæresis præcipua capita paucis ipsi verbis aperit : ut cura pastorali caveat homines, qui pestifera illa impietate contradicunt orationibus nostris (*Ibid.*, *n.* 3), dum asserunt hominem posse suis viribus ad tantam justitiam pervenire, ut neque hoc illi sit dicere necessarium, *Dimitte nobis debita nostra* ; et illud, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 12, 13), sic accipiunt, tanquam orandus sit Deus, ne quispiam irruens corporaliter nos humanus casus affligat, non quo nos ad superandas peccatorum tentationes adjuvet; quoniam eas vincere ita sit in nostra potestate, possibilitate naturæ, ut hoc inaniter impetrandum orationibus arbitremur (*Sermonum Fragm.*, *n.* 3 *primi fragm.*).

5. Litteras ad Joannem Jerosolymorum episcopum, qui anno superiore conventum cum presbyteris aliquot in causa Pelagii habuit, dederat Augustinus, nec ab illo rescripta ulla sumpserat : id tamen sanctus Præsul haud in malam partem accipiens, iterato ad illum scripsit. Nam quia auditione acceperat, Pelagium multum diligi a Joanne, hunc monet eam illi exhibendam esse ab ipso dilectionem, ut ipse falli a Pelagio non existimetur. Hæresim ergo Pelagii retegit contentam libro per eum ad extollendas naturæ vires composito, quem illi transmittit, una cum opusculo de Natura et Gratia a se contra istum librum elaborato : petitque vicissim, ut sibi mittat Gesta ecclesiastica Palæstinæ synodi, quibus Pelagius perhibetur esse purgatus (*Epist.* 179).

6. Hoc etiam anno, neque multo post Orosii reditum, Augustinus responsionem ad geminas ternasve epistolas Oceani dedit; quem celebrem amicum illum Hieronymi fuisse (*Apud Augustinum, Epist.* 165, *n.* 3), quippe qui ejus non modo evolvendis scriptis operam daret, sed doctrinam ex ore quoque loquentis exciperet (*Epist.* 180, *n.* 2), haudquaquam ambigimus. In suis ille epistolis de origine animæ primum agens, proponebat ex Hieronymi sententia, quomodo Deus adulterinis etiam conceptibus juste animas largiatur. Verum non hancce quæstionem, sed illam potius molestam esse respondet Augustinus, qua quæritur : Si novæ ex nihilo animæ singulæ singulis nascentibus fiunt, quomodo juste in damnationem dantur, quæ sine Baptismo de corporibus exeunt? Neque probat sanctus Doctor, solvendæ aliæ de officioso utilique mendacio quæstioni, adhiberi ab Occano exemplum Domini, de die et hora finiendi sæculi nec Filium scire dicentis. Nam existimat tropicam locutionem, qualis ista fuit, nullo modo recte dici posse mendacium. Petit denique, ut novum quemdam Hieronymi librum de resurrectione carnis mittere sibi non differat.

7. Baronius et eum secuti scriptores nonnulli, conciliis apud Carthaginem ac Milevum anno præsenti celebratis tribuunt id, quod Augustinus anno quadringentesimo vigesimo sexto tradidit (*Epist.* 213, *n.* 5), Scripturarum scilicet meditandarum seu exponendarum curam sibi a fratribus et patribus suis coepiscopis in duobus conciliis Numidiæ et Carthaginis ante paucos annos impositam fuisse (*Baronius, ad annum* 416). Verumtamen jam inde ab exeunte anno quadringentesimo decimo tertio id sibi propositum testabatur, quidquid temporis a necessariis Ecclesiæ suæ officiis liberum habiturus esset, hoc totum ecclesiasticæ doctrinæ studiis, ut ad posteros quoque utile aliquid transmitteret (*Epist.* 151, *n.* 13), impendere. Post susceptam a synodis hancce provinciam, sanctus Antistes, ut ei satisfaceret, dies quinque vacuos, puta per hebdomadas singulas, a populo suo impetravit (*Epist.* 213, *n.* 5). Hac de re confecto instrumento, acclamavit populus, et aliquantisper fidem servavit. At non multo post eorum, qui cum Episcopo tractare de suis rebus cuperent, improbitas pactum infregit, eumque ab otio suo violenter abduxit. Non permittebatur nec ante meridiem, neque post, interquiescere : sed ut alienis negotiis operam daret, ea ob quæ vacare volebat, deserere atque abjicere cogebatur. Inter hujus otii fructus non postremo loco numerandæ videntur expositiones in Joannem : quas quidem etsi forte aliquanto ante hoc tempus aggressus est Augustinus, non absolvit tamen, nisi post corporis Stephani martyris, quæ anno quadringentesimo decimo quinto prope elapso contigit, revelationem jam ubique fere gentium cognitam et pervulgatam. Huc enim spectat illud in Tractatu centesimo vigesimo : *Quod certe*, ait, *modo in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur* (*In Joannis Evangelium tract.* 120, *n.* 4).

## CAPUT XI.

1 *Augustini impulsu historiam suam scribit Orosius.*
2 *Innocentius papa ad Africanos rescribens, Pelagium et Cœlestium, damnata utriusque doctrina, anathe-*

*mate mulctat.* 3 *De Gestis Palæstinæ synodi librum in vulgus edit Augustinus.* 4 *Bonifacii comitis præclaræ dotes atque ad se uni Deo, rebus omnibus abdicatis, mancipandum propensus animus.* 5 *Liber ad ipsum de Correctione Donatistarum scriptus ab Augustino.* 6 *Liber ejusdem ad Dardanum de Præsentia Dei.* 7 *Epistolam ad Paulinum Augustinus suo et Alypii nomine scribit contra Pelagianos.*

1. Anno post quadringentesimum vel sexto decimo juxta Marcellini chronicon, vel septimo decimo secundum nonnullos alios, Orosius Historiam suam elucubravit. Fieri enim potuit, ut eam anno illo priore inciperet, nec tamen ante posteriorem hunc absolveret. Eum certe constat illam non scripsisse, nisi postquam se contulisset Bethlehem, ibique Hieronymi conspectu potitus esset (*Orosius, Historiæ libro* 7, *cap.* 43). Innuere videtur, hanc a se in Africa fuisse scriptam (*Ibid., libro* 5, *cap.* 2) : quod quidem creditu haud admodum difficile sit; quippe cum Augustinum, qui ei operis hujus suscipiendi auctor fuit, in principio et in fine compellet. Enimvero cum Pagani neque futura meditantes, neque recolentes præterita, ex Urbis expugnatione, necnon aliis Romani Imperii calamitatibus ansam arriperent blasphemandi, contendentes eas conferre in religionem christianam, exstincti idolorum cultus effectum esse hunc jactitantes : præceptum sibi ab Augustino dicit, ut e scriptoribus omnibus funestissimos quosque ab hominum memoria eventus excerperet, bella, pestes, annonæ caritates, terrarum concussiones, inundationes fluviorum, ignium subterraneorum eruptiones, vim grandinis extraordinariam, criminum etiam maxime insignia, et demum quotquot legere est in monumentis historiarum, tragica argumenta : dein ex his omnibus historicam seriem et unum quasi corpus eo contexeret, ut hinc intelligeretur, pluresne a christianis temporibus hujusmodi clades evenissent (*Ibid., lib.* 1, *præfat.*). Non poterat Augustinus id per se exsequi, districtus nimirum aliis occupationibus, et potissimum libris de Civitate Dei, quorum tunc undecimum in manibus habebat, lucubrandis operam navans (*Ibid.*). Hanc itaque provinciam dedit Orosio, quem etiam per Julianum Carthaginensem, servum Dei, quia tum fortassis Carthagine morabatur Orosius, ad eam suscipiendam impulit. Paruit ille ultro ac lubens, ipso vel desiderio morem gerendi ei, quem ut patrem observabat, de successus periculo securus : quippe opus suum omnino permittebat sancto Doctori, ut si minus dignum quod in lucem ederetur illud judicaret, tenebris damnaret (*Ibid., lib.* 7, *cap.* 43). Generalem igitur omnium gentium historiam aggressus, eam ab ipsa rerum creatione ad annum Christi quadringentesimum decimum septimum pertexuit : cupiditates et punitiones hominum peccatorum, conflictationes sæculi, et judicia Dei, quam brevissime et quam simplicissime potuit, explicans. Affirmat porro, ex investigatione sedula, præteritos dies, non solum æque ut hos graves, verum etiam tanto atrocius miseros, quanto longius a remedio veræ religionis alienos, se comperisse (*Ibid., lib.* 1, *Præfat.*)

2. Sub anni hujus initium Innocentius papa epistolis concilii Carthaginensis, concilii Milevitani, et quinque episcoporum, anno superiore ad se missis, singulis singulas epistolas rescripsit; ipsorum in Pelagianos et doctrinam comprobans, et judicium sententiamque confirmans. *Pelagium Cœlestiumque* (Apostolici in eos decreti pars hæc præcipua est), *id est, inventores vocum novarum, ecclesiastica communione privari, apostolici vigoris auctoritate censemus donec resipiscant. Hæc igitur, fratres charissimi, in supradictos maneat fixa sententia; absint atriis Domini, careant custodia pastorali, ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum* (*Apud August. Epist.* 182, *n.* 6). Hoc ipso anno Augustinus Carthagine concionem habuit, die dominico, nono kalendas octobris, in qua palam profitetur, nunquam ferme ad populum verba facere se, quin gratiæ divinæ necessitatem, propter ingratos quosdam homines, a quibus ea parum agnoscebatur, at contra viribus naturæ nimium tribuebatur, declararet (*Serm.* 131, *n.* 6). Hortatur fideles, istis compatiantur; nec tamen, si quem ejusmodi deprehenderint, falsa quadam misericordia capti, occultum illum esse patiantur. Jubet illos redargui, ac si quidem in errore pertinaciter animum obfirment, ad se adduci. *Jam enim*, inquit, *de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem apostolicam : inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error!* (*Ibid. n.*, 10.)

3. Ad eum finiendum pertinere in primis putavit, ut Palæstinæ synodi, ubi se Palagius purgatum fuisse jactitabat, judicium haberetur : animum siquidem induxerat, in eo Pelagium hæresim suam, ut a catholicis episcopis absolveretur, ejurasse, atque apud ipsos fidem omnino professum esse christianam. Acceptis igitur hoc tandem tempore synodi Gestis, rem ita se habere, non sine maxima animi voluptate comperit : atque ut hæretici fraudem retegeret, librum contra Gesta illa breviata, quæ Pelagius in suæ defensionis chartula vulgaverat, scribere quamprimum aggressus est (*De Gestis Pelagii, n.* 2) : ne quis forte esset, qui eo velut absoluto, ipsa quoque ejus dogmata putaret judices approbasse. Itaque hoc in libro, *De Gestis Pelagii* inscripto, Augustinus singula errorum capita Pelagio apud synodum objecta, cum ejusdem ad illa responsis, diligentissime excutit. Tametsi vero ille dogmata ipsa damnans, quæ inimica gratiæ Christi adversus eum de Herotis et Lazari libello legebantur, catholicus a synodo pronuntiatus sit; ipsi tamen suspicionem hæreseos adhuc hærere ostendit : ac demum sic eum synodi sententia esse absolutum, ut ipsa hæresis, propter quam ad episcopale judicium pertractus est, incunctanter damnata fuerit (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 47).

4. Tradit Augustinus, se quo tempore de Gestis Pelagii scripsit, eodem ipso composuisse librum de Correctione Donatistarum (*Ibid., cap.* 48). Bonifacius, cui liber inscribitur; inter maximos imperii Romani viros numerabatur : et scriptum reliquit Procopius, illum atque Aetium tum ob fortitudinem

reique militaris peritiam, tum ob animi magnitudinem cæterasque virtutes, haud immerito Romanorum ultimos posse appellari (*Procopius, Historiæ Vandal.* 1, 195). Quanto apud omnes erat in honore propter humanam magnitudinem, tanta eum veneratione propter insignem pietatem colebant sanctissimi quique ejusdem ætatis episcopi. Verum is tantum decus ad extremum usque non retinuit : cum enim a Deo mentem et cogitationem avertisset, in tot tamque atroces calamitates immersus fuit, ut ad fulciendam temporaneam fluxamque fortunam suam, coactus sit Ecclesiæ atque Imperio immane vulnus infligere, cui sanando nec ipse, nec omnes Romanæ vires, per totos centum annos, pares fuerunt. Eum in mediis bellorum et armorum curis vehementi ardore divinarum rerum cognitionem quærere mirabatur Augustinus (*Epist.* 185, *n.* 1) : neque poterat ejus commendationi quidquam ad illud addere, quod monitis ad vitæ rationem probe instituendam ei, prout expetierat, datis subjecit, epistolam suam magis ei speculum esse, ubi qualis sit videat, quam ubi discat qualem eum esse oporteat (*Epist.* 189, *n.* 8). In primis ipsum ad pudicitiæ conjugalis curam abhortabatur (*Ibid.*, *n.* 7) : verum Bonifacius ultra illa consilia progredi peroptabat; et quamvis conjugatus, filiam saltem unam, quam comiti Sebastiano uxorem dederat, sustulisset (*Victor Vitensis, De Persecutione Vandal.*, *lib.* 1, *n.* 6); nihilominus tamen a vanitate sæculi abhorrebat, nihilque habebat optatius, quam renuntiato mundanis rebus divortio monachum vivere ac uni Deo mancipari (*Epist.* 220, *n.* 3). Re quidem ipsa mortua conjuge, cum non multo post Tubinis in Numidia Augustinum atque Alypium solos offendisset, suum utrique consilium patefecit : sibi propositum, abdicatis omnibus publicis et bellicis rebus, in beata quiete reliquam vitam agere, ut jam nonnisi contra dæmones in solitudinis silentio cum sanctis aliquot Christi militibus decertaret (*Ibid.*, *n.* 12). Ab eo consilio illum sancti viri dehortati sunt ; ejus operam in hoc honoris gradu utilem admodum Ecclesiæ futuram commonentes : arma sua tantum eo converteret, ut illi pacem, repressis Barbarorum incursionibus, firmam pararet : nihil præter necessaria sibi suisque inter homines expeteret (*Ibid.*, *nn.* 3, 12) : terrenas opes neque oblatas respueret, neque ambiret negatas, imo nec ablatas quidem, ne in istam necessitudinem perduceretur, *ubi*, ait Augustinus, *cum amantur bona, perpetrantur mala* (*Ibid.*, *n.* 5). Denique, ut inter arma corporalia spiritualibus armis tutius fortiusque muniretur, quam severissime continentiam servaret. Ad eum igitur modum, et in hominum commercio manere, et cœlibem vitam nihilominus colere decrevit Bonifacius (*Ibid.*, *n.* 4). Quod quo tempore factum sit, ignoratur. Augustinus atque Alypius id consilii non alia mente Bonifacio dabant, quam quia ejus saluti ita convenire arbitrabantur : at qui non fallatur, præter Deum, reperias neminem : Deus autem judicio humanis cogitationibus inscrutabili, duos e sanctissimis viris in re tanta passus est cæcutire; atque adeo innocenter Bonifacio ruinam ac perniciem accersentes, Vandalis in Africam irrumpendi causam præbere.

5. Verum ut redeamus ad librum, cujus occasione, quis esset Bonifacius, exponendum fuit, hoc in libro disputatur omnino de Donatistis, qui forte haud infrequenter molestos se Bonifacio exhibebant. Itaque cum nobilis ille vir cognoscere Donatistarum sectam cuperet, scripsit ad Augustinum, quid illos inter atque Arianos discriminis esset, inquirens (*Epist.* 185, *n.* 1). Ei Augustinus totam hujusce schismatis rationem aperuit, fundamenta subruit, paralogismos, quibus illud firmare nitebantur, rejecit : ac potissimum legum in illos ab Honorio propositarum æquitatem, utilitatem, necessitatemque prosecutus est (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 48). Sub epistolæ finem his illum verbis alloquitur : *Hos tibi ipsi*, inquit, *tanquam fideli filio, mater Ecclesia, ubi potueris, et quomodo potueris, sive ipse loquendo et respondendo, sive ad doctores Ecclesiæ perducendo, in adjutorio Domini corrigendos sanandosque commendat* (*Epist.* 185, *n.* 51). Ab eodem petit acta Collationis in compendium abs se redacta perlegat; hæc apud Optatum episcopum forte invenienda (*Ibïd.*, *n.* 6). Quem quidem episcopum haud absurde quis putaverit Vesceritanum esse, in provincia Sitifensi (*Collat. Carthag.* 1, *cap.* 120) : quandoquidem Augustinus ait, hunc ipsum librum, siquidem apud Optatum non sit, nullo negotio de Ecclesia Sitifensi sumi posse. Ex quibus satis intelligas, Bonifacium tunc in eo tractu versatum fuisse. Id operis etsi inter libros suos referat Augustinus, habemus nunc inter ipsius epistolas.

6. Liber de Præsentia Dei, qui pro epistola quoque numeratur, per anni hujus æstatem compositus est (*Epist.* 187, *n.* 1), atque ob eam rem proxime post libros de Gestis Pelagii et de Correctione Donatistarum ab Augustino recensitus (*Retract. lib.* 2, *cap.* 49). Egregium istud opus referendum est acceptum Dardano, viro hujus sæculi dignitate perquam illustri (*Epist.* 187, *n.* 1) : qui religioso quodam amore impulsus, duas illas quæstiones, grandi intentione et aviditate discendi, explicari sibi postulavit : alteram, quomodo Christus nunc in cœlo sit, qui latroni in cruce dixerit, eum secum illo die futurum in paradiso ; num forte quia Christus ubique existit, an quia paradisus in cœlo situs est ; alteram, utrum infantes, etiam in utero existentes, non Deum noverint, siquidem Joannes in utero exsultavit ad præsentiam matris Domini (*Ibid.*, *n.* 3). Ad priorem quæstionem Augustinus accurate studioseque respondens, disputat quo pacto rebus in omnibus, ac præcipue in templo suo, hoc est in homine fideli, dicendum sit inesse naturam divinam ; qua de causa tractatum illum inscribit, *De Præsentia Dei* (*Retract. lib.* 2, *cap.* 49). Ad posteriorem ubi ventum est, animum in Pelagianam hæresim, non tamen expresse nominatam, potissimum intendens, disputationem de parvulorum regeneratione copiosam, eamque valde necessariam instituit. Ibi usum rationis et voluntatis infantibus tribuere quam absurdum sit os-



(Seize.)

tendit. In illis tamen baptizatis, quamvis id nesciant, Spiritum sanctum habitare, idque quomodo recte intelligatur, statim explicat (*Epist.* 187, *n.* 25).

7. Ad Paulinum episcopum Nolanum post Innocentii papæ obitum scribens suo et Alypii simul nomine (*Epist.* 186), apertius istam hæresim, longeque vehementius oppugnat : cujus auctorem Pelagium eum esse nuntiat, qui, ut forte distingueretur a Pelagio Tarenti, Brito cognominabatur, et quem ut servum Dei, perinde atque ipsi, dilexit Paulinus. Mittit eidem Paulino Africanorum duorum consiliorum et quinque episcoporum epistolas hac de causa scriptas ad Innocentium papam, Innocentiique ad illas responsa : adjunctis haud dubie Gestis Palæstini judicii, *de quo*, ut ait, damnatus *Pelagius exisset, nisi objecta sibi contra gratiam Dei dicta, quæ obscurare non potuit, ipse damnasset* (*Ibid.*, *n.* 31). Eumdem nihilominus, in libris post illud judicium ab ipso editis, haudquaquam de adjutorio divinæ gratiæ recte sentire, hinc perspicuum esse affirmat, quod aliquando ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat : aliquando autem quotidiano gratiæ Dei muniri nos confitetur auxilio, quamvis habeamus ad non peccandum forte ac firmum liberum arbitrium ; ut videatur auxilium gratiæ tanquam ex abundanti putare concedi, scilicet ut quod homines facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Præterea auditione acceperat Augustinus, esse in civitate Nolana quosdam pro errore, quo dicebant infantes non baptizatos habere vitam æternam, tanta obstinatione nitentes, ut ab Pelagio ipso, quam ab hac sententia, potius discederent. Alios memorat alio circa parvulorum Baptismum errore teneri, quo nimirum infantes, qui non baptizati pereunt, reos propriorum constituunt peccatorum, liberi arbitrii usu ab ipsis commissorum : ut qui bona malave cogitare non possunt, putentur per liberum arbitrium vel pœnam mereri posse vel gratiam. Nec perfugium istud, quantumvis ineptum, silentio præterit : *Quod enim potuerunt*, inquit, *magna et acuta ingenia cogitare, aut inopiæ est tacendo vitare, aut arrogantiæ contemnendo præterire ( Ibid.*, *n.* 13 ). Quædam in hac epistola post annos fere duodecim improbare cœperunt ii, qui Pelagianæ hæreseos reliquias fovere potius, quam doctrinam catholicam de prædestinatione ac de perseverantiæ dono profiteri, animum induxerant (*De Dono persev.*, *n.* 55). Augustinus ante finem ejusdem epistolæ profert duodecim errores, quos in Palæstina synodo vel invitus damnavit Pelagius, ac totidem subjicit oppositas illius sententias, quas Ecclesia catholica semper tenuit. Libellum ex hac parte epistolæ factum reperire est in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ (*Cod. Can. Rom.*, *can.* 18) : nec a veritate longe abhorret, sicuti visum est erudito viro (*Quesnel.*, *in Leon.*, *tomo* 2, *diss.* 13, *cap.* 21 ), huncce libellum, quo distinctius proponuntur ea, quæ Cœlestio seu Pelagio ejusque discipulis erant profitenda, missum fuisse ad Zosimum papam ab episcopis Carthaginensis concilii hoc anno celebrati ; quibus nimirum videbatur, id minime sufficere, quod se generaliter apostolicæ Sedis consentire doctrinæ profiterentur (*Contra Duas Epist. Pelag.*, *lib.* 2, *n.* 5).

## CAPUT XII.

1 *Romam venit Cœlestius : hunc Zosimus mitissime tractat, proque illo scribit ad episcopos Africanos.* 2 *Pelagii ad Innocentium epistola redditur Zosimo, quæ hujus quoque ambiguis verbis deluditur, atque ejus gratia in Africam scribit.* 3 *Zosimo Carthaginense concilium ducentorum quatuordecim episcoporum respondet, ac Innocentii sententiam in memoratos hæreticos dictam tuetur.* 4 *Zosimus ad Africanos rescribit, nihil se post acceptas ipsorum litteras immutasse. Plenarium concilium Africæ canones octo vel novem edit contra Pelagianos.* 5 *Ab eodem concilio sancita quædam de rebus spectantibus ad Donatistas.* 6 *Pelagianî cum a Zosimo papa, tum ab Honorio imperatore damnati.* 7 *Eorum damnationem subscriptionibus suis firmant omnes episcopi, præter octodecim, qui provocant ad plenariam synodum.* 8 *Pelagiani non sine multo Augustini labore ab Ecclesia victi sunt.* 9 *Is libros ad Pinianum duos contra Pelagium scribit.*

1. Pelagium et Cœlestium non diu latuit lata in ipsos tum ab Africana Ecclesia, tum ab apostolica Sede sententia : neque sibi illi defuere, quin sine cunctatione purgare se conarentur. Cœlestius quidem Romam se conferens, Zosimum Innocentii sucessorem adit, de facto contra se in Africa judicio queritur, contenditque se falso venisse apostolicæ Sedi in suspicionem erroris, et libellum fidei suæ offert ea arte concinnatum, ut rejici a Zosimo nequaquam possit ; maxime cum se instrui velle profiteatur, dicatque ibi disertis verbis : *Si forte, ut hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur* (*De Pecc. origin.*, *n.* 26). Non hoc tamen contentus Zosimus, explorat hominis animum variis interrogationibus, ac se purgare molientem ad consentiendum Innocentii litteris (*Cont. Duas Epist. Pelag. l.* 2, *n.* 5), crebra interlocutione constringit ; ita ut omnia, de quibus postulatus est, damnare se respondeat secundum ejusdem beatæ memoriæ papæ sententiam (*Ibid.*, *n.* 6), et omnia quæ Sedes apostolica damnaret, se damnaturum esse promittat (*De Pecc. origin.*, *n.* 8). Hujusmodi Cœlestii responsis inductus est Zosimus, ut eum, non quidem a vinculis excommunicationis statim absolveret, sed duntaxat quam mitissime tractaret. Nam interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locum sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessit. Quinimo de rebus cum ipso gestis epistolam erga eum benevolentiæ plenam dedit ad Aurelium cæterosque Africanos episcopos, quorum de ejus causa judicium ut nimis properatum culpare videtur : accusatores porro illius durius habet, mulctatque excommunicatione. Annum Christi quadringentesimum decimum septimum refert epistola : diem vero minime adjectum habet (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *Zosimi epist. ad episc. Afric.*, *de causa Cœlestii*).

2. Pelagius autem in Palæstina tunc temporis agens, se quoque molitus est per litteras ad Innocentium,

quem defunctum esse nesciebat, scriptas purgare (*De Gratia Christi*, *n.* 32). Litteræ successori illius Zosimo redditæ sunt, una cum libello fidei, quem simul mittebat, desinente in hæc verba : *Hæc est fides, papa beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus et tenemus. In qua si minus perite aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes* (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *Libell. fidei Pelagii*, etc., *n.* 14), etc. Deceptus etiam ab isto Zosimus, sicut pro Cœlestio fecerat, pro Pelagio quoque epistolam alteram ad Africanos præsules hoc eodem anno, die undecimo kalendas octobris, misit, in qua in Herotem et Lazarum acerbioribus multo quam in superiori epistola verbis invehitur : idque pollicetur sibi, fore ut ipsi quoque Africani præsules inde cum ipso pariter persuasi, Pelagium et Cœlestium pro catholicis habeant, quod ambo isti damnanda damnarent, et sequenda sequerentur, nec ii post mortem et interitum revixissent inventique essent, puta ad fidem redeundo, sed omnino mortui non essent nec periissent, de quibus videlicet falsa vulgata sunt (*Part.* 1, *Hypomnesticon contra Pelag.*, *lib.* 5, *cc.* 9-10).

3. Quod autem Zosimo Pelagius imposuerit, nihil profecto mirum. Hic enim tam callide verba sua composuerat, tantaque industria æquivocationis caliginem offuderat veritati, ut cum ejus scripta in Africam a Zosimo fuissent transmissa, vix ipsemet Augustinus, quin ea catholica judicaret, deque Pelagii rèditu ad rectam fidem lætaretur, sibi temperaverit (*De Peccato originali*, *n.* 20). Sed virus, quod in prolixioribus ejus libris animadverterat, effecit ut ista quoque ipsi suspecta essent : quæ cum inspexisset attentius, eorum denique ambiguitatem ac vitium deprehendit. Quod ad Cœlestium, rescripserunt Africani præsules non sufficere, ait Augustinus, quod se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire fatebatur ; sed aperte eum debere anathematizare quæ in suo libello prava posuerat (*Contra Duas Epistolas Pelag.*, *c.* 3). Ex eorum epistola ad Zosimum in concilio ducentorum quatuordecim episcoporum scripta hoc decretum profert Prosper : *Constituimus in Pelagium atque Cœlestium per venerabilem episcopum Innocentium de beatissimi apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvari ; ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus* (*Prosper*, *Contra Collatorem*, *n.* 15).

4. Anno subsequente Zosimus Africanis episcopis respondit per litteras duodecimo kalendas aprilis datas (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *Zosimi epist. ad Afr. episc.*, *de causa Cœlest.*), quibus eos certiores fecit, nihil se post acceptas ipsorum litteras immutasse, sed in eodem statu cuncta, quemadmodum rogatus ab ipsis fuerat, reliquisse. Neque per eum stetit, quominus in Cœlestii causam, ex illorum voluntate consilioque, diligentius inquireretur. Verum cum ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, et nulli ambigua remaneret ; se subtraxit ille et negavit examini (*Contra Duas Epistolas Pelag.*, *lib.* 2, *n.* 5). Neque etiam Pelagius, tametsi visus est ad tempus aliquid dicere, quod fidei catholicæ conveniret, Romanam Sedem usque in finem fallere prævaluit (*De Peccato originali*, *n.* 24). Post rescripta quippe Africani concilii, non ea tantum pestifera ejus dogmata, quæ in Africam pervenerant, sed alia quoque ipsius in urbe Roma, ubi diutissime vixerat, atque in his fuerat prius sermonibus contentionibusque versatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt ; quæ tandem papa Zosimus ab universis Catholicis exsecranda censuit. Posteriores illæ Zosimi litteræ pervenerunt in Africam tertio kalendas maias. Tunc temporis præsules Carthaginem conveniebant ad concilium, quod hàc in urbe ipsis kalendis maiis habitum notatur, atque ab Augustino dicitur plenarium totius Africæ (*Epist.* 215, *n.* 2). Inde profecti sunt octo illi sive novem contra Pelagianam hæresim canones, qui Milevitanæ synodo fuerant falso adscripti (*Vide Præfat. in tomum* 10).

5. Materiam huic tam frequenti concilio non soli præbuere Pelagiani : siquidem canones quoque in eo plures conditi reperiuntur de rebus, quæ ad Donatistas pertinebant. Generalis synodus idibus juniis anni quadringentesimi septimi coacta Carthagine, ecclesias ac populos, qui Donatistarum secessionem ante legem Honorii anno quadringentesimo quinto latam reliquissent, statuerat fore episcopi illius, a quo fuissent conversi ; alios vero secuturos antistitem urbis ejus, cui, dum schismaticis partibus adhærebant, subditi erant (*Codice Canonum Afric.*, *cann.* 98, 99). Ex ea constitutione lites inter episcopos de finibus diœceseon suarum ortæ, concilium præsentis anni, ut in ea nonnihil immutaret, impulere (*Ibid.*, *cann.* 117, 118). Præterea quantumcumque studium exstinguendi Donatistarum discidii præ se tulissent Afri antistites, erant tamen inter hos nonnulli, qui de convertendis iis, quos plebi suæ admixtos esse cognoscebant, parum admodum gerebant sollicitudinis. In istos animadvertit concilium, et quosdam hac in re officii sui negligentes excommunicationis pœna plecti jubet (*Ibid.*, *can.* 113). Restabant, quemadmodum conjicere est, negotia non pauca, quæ moram longiusculam, ut constituerentur, desiderabant : igitur ne diutius tot præsules Carthagine retinerentur, electi sunt ex unaquaque provincia terni, qui cum Aurelio, quidquid esset reliqui, componerent. E Numidia cum Alypio et Restituto delectus fuit Augustinus. Hic itaque quoad in Mauritaniam proficisceretur, ubi decimo quarto et duodecimo kalendas octobris agebat, remansit Carthagine : qua in urbe illum occupatissimum varia detinuerunt negotia (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 1).

6. Nondum Carthagine discesserat Augustinus, cum allatis ad Africam nuntiis comperit, Pelagianos tum Imperatoris lege, tum apostolicæ Sedis auctoritate

damnatos esse. Lex ab Honorio hanc in rem pridie kalendas maias anni quadringentesimi decimi octavi data est, qua impiæ commentationis et dogmatis exsecrandi auctores Pelagium ac Cœlestium ex Urbe, si forte in ea versarentur, expelli : ac si qui de cætero quibuscumque locis reperti fuerint hujusce sacrilegii sectatores, ipsos rite convictos, in exsilium ejici jubet (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *Sacr. rescript. contra Pelag. et Cœlest.*). Imperatores in ista constituenda lege judicium ab Aurelio atque ab Augustino factum se secutos fuisse diserte profitentur litteris ad utrumque seorsum datis, anno quadringentesimo decimo nono, die quinto iduum juniarum (*Apud Augustinum, Epist.* 201, *n.* 1) : de judicio sane loquuntur Africani concilii contra Pelagianos superiore anno celebrati, cui videlicet, non secus atque præsentis anni concilio, *dux Aurelius*, uti canit Prosper, *ingeniumque Augustinus erat* (*Carmine de Ingratis, parte* 1, *cap.* 3). Horum antistitum existimatio et auctoritas vim habuit procul dubio non minorem ad inducendum Zosimum, ut in eosdem hæreticos sententiam damnationis tum demum proferret. Hac ille hæresis novæ auctores, vel certe acerrimos notissimosque suasores, Pelagium et Cœlestium, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto christiano orbe damnavit (*Apud Augustinum, Epist.* 190, *n.* 22, *et De Peccato originali, n.* 25 ). Litteras hac de causa misit quasdam specialiter ad Africanos, alias autem universaliter ad omnes episcopos; atque istis litteris suis, quas conscripsit per orbem catholicum perferendas papa Zosimus, exsecranda Pelagii et Cœlestii dogmata attexuit (*De Peccato originali, n.* 24). Romanos clericos episcopi sui sententiam toto animo amplexos esse, vel ipsi testes sunt Pelagiani ; quando eos arguunt, non erubuisse prævaricationis crimen admittere (*Contra Duas Epistolas Pelag., lib.* 2, *n.* 5). Certe Sixtum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, eumdem illum, quem favere inimicis christianæ gratiæ (*Epist.* 194, *n.* 1), atque illorum magni momenti patronum esse ante fama jactarat, priorem, id est, vel ante omnes, vel ante promulgatam damnationis sententiam, anathema eis in populo frequentissimo pronuntiasse, eadem fama non tacuit (*Epist.* 191, *n.* 1). Augustinus qui, sicuti diximus, Carthagine a concilio kalendarum maii remanserat, prius nuntio illo exhilaratus est sibi longe jucundissimo, quam inde recederet. Neque id Vir sanctus ex communi fama tantum, sed etiam ex propriis Sixti ad Aurelium litteris per Leonem acolytum allatis didicit. Ibi de Pelagiano perniciosissimo dogmate, vel contra de gratia Dei quid sentiret, exponebat Sixtus, et id quidem paucis : unde episcopi præsentes ejus epistolam describere festinabant, tanta erat eorum lætitia ; et illam cunctis ostendere gestiebant.

7. Pelagianæ hæresis damnationem subscriptionibus suis firmarunt episcopi omnes catholici ; qua de re conquesti Pelagiani dictitabant : *Simplicibus episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est* (*Contra Duas Epist. Pelag., lib.* 4, *n.* 34 ). Qui subscriptiones suas recusarunt, numerantur octodecim (*Ibid., lib.* 1, *n.* 3) ; quorum antesignanus haud dubie fuit Julianus episcopus Eclanensis, hanc ob causam a Zosimo damnatus (*Contra Julianum, lib.* 1, *n.* 13 ). Hic una cum suis sese ab Ecclesia catholica segregavit (*Serm.* 181, *n.* 3), testatus sibi suisque decretum esse, non communicare cum Manichæis (*Contra Duas Epistolas Pelagianorum, lib.* 1, *nn.* 4, 42). Audientiam postulant (*Ibid., n.* 42), datoque ad Zosimum libello provocant Pelagiani episcopi ad plenariam synodum (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *Libell. fidei S. J. C.*). Quin et ipsum Imperatorem petunt, causæ suæ judices dari jubeat (*Contra Duas Epistolas Pelagianorum, lib.* 1, *n.* 42). *Verum absit a christianis potestatibus terrenæ reipublicæ*, inquit Augustinus, *ut de antiqua catholica fide dubitent ; et ob hoc oppugnatoribus ejus, locum et tempus examinis præbeant. Istorum nempe superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur : cum potius vigilantia et diligentia pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur* (*Ibid., lib.* 4, *n.* 34). Hoc petendi concilii generalis obtentu Ecclesiis Orientis, ut eas in suas partes allicerent, quomodo molesti intervenerint, docet epistola ab octodecim episcopis Pelagianis, e quorum numero Julianus, Thessalonicam ad Rufum urbis antistitem missa (*Ibid., lib.* 1, *n.* 3), qua illius sive aliorum Orientalium præsulum societatem adversus impiam Manichæorum hæresim efflagitant (*Ibid., lib.* 2, *n.* 1). In eo quippe sita erat omnis illorum vis ac industria, ut orthodoxis hæresim exsecrandam impingerent, quo sic proprios obtegerent errores, ac naturæ, legis, liberique arbitrii commendatione, gratiam condemnarent (*Ibid., lib.* 4, *n.* 26). Istam epistolam, quam Augustinus tribus posterioribus ad Bonifacium libris refellit, ipse memorat agnoscitque Julianus ( *Operis imperfecti lib.* 2, *cap.* 178).

8. Victoriæ de Pelagianis reportatæ gloriam Augustino præcipue debitam, cujus inter alios omnes, qui ad eos de Ecclesia pellendos operam contulerunt, industria major, majus opus fuerit, Prosper haud injuria prædicat (*Carmine de Ingratis, parte* 1, *cap.* 3). Cæterum non maximis tantummodo laboribus, sed gravissimis quoque molestiis ea sancto Doctori victoria stetit : quod Hieronymus perspicue docet in litteris ad illum circiter hoc tempus datis. Ibi quas vel Romæ passa fuerit veritas difficultates indicat, cum dicit : *Contra flantes ventos ardore fidei perstitisti.* Malum etiam quod a Pelagii Cœlestiique fautoribus imminebat insuperabili gratiæ vindici, atque ab ipso fortiter contemptum significat, cum subdit : *Maluisti, quantum in te fuit, solus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari. Scit quid dicam prudentia tua.* His demum adjicit verba illa magnifica et præclara : *Macte virtute; in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rur-*

*sum fidei venerantur atque suspiciunt, et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur : et me pari persequuntur odio; ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant* (*Apud Augustinum*, *Epist.* 195). Eidem aliis post scriptis litteris de jugulata per ipsum Cœlestiana hæresi gratulatur (*Ibid.*, *Epist.* 202, *n.* 1).

9. Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus a Zosimo papa, necnon ab imperatore Honorio damnata est, scripsit Augustinus in ejusdem hæresis auctores libros duos, ad Pinianum, Albinam ejus socrum conjugemque Melaniam (*Retract. lib.* 2, *cap.* 50; *De Peccato originali*, *n.* 18). Hi videlicet suaserant Pelagio, quicum forte in Palæstina per id temporis versabantur, ut quæcumque adversus eum dicerentur, scripto damnaret : quibus ille responderat ea calliditate, quæ cuivis, dum non plane perspectus esset ejus animus, facile persuaderet, ipsum nihil tenere nisi sanum, nisi catholicum (*Vide Præfat. in tomum* 10, *cap.* 20). Enimvero quisquis gratiam Dei, qua Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, negaret omni momento omnique actui necessariam, huic ille anathema dicebat (*De Gratia Christi*, *n.* 2). Agnoscebat unum idemque Baptisma esse, ac iisdem verbis in infantibus quibus etiam in majoribus celebrandum (*Ibid.*, *n.* 35) : cumque adhuc interrogaretur ulterius, infantes in peccatorum remissionem Baptismum percipere fatebatur : doctrinam de parvulorum Baptismo suam de libello, quem Romam miserat, ipsis recitans (*De Peccato originali*, *n.* 1). Se itaque, cujus innocentia etiam fuisset in Palæstino judicio probata, dicebat eadem cum Cœlestio sententia non debuisse teneri (*Ibid.*, *n.* 9). Non parva ipsos id quod Pelagius professus erat, lætitia affecit : attamen de ejus verbis Augustinum consulendum adhuc esse duxerunt (*Ibid.*, *n.* 5). Quamobrem scriptis communi nomine litteris, quid ipsi de hoc sermone videretur, sciscitati sunt. Litterarum perlator sanctum Antistitem Carthagine reperit, ab eoque ibi occupationibus licet densioribus impedito, responsum tulit : nec breve quidem (*De Gratia Christi*, *n.* 1). Nam cum sanctos illos ea, quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, inexpleto semper desiderio legere compertum haberet (*De Peccato originali*, *n.* 48), non dubitavit integra duo volumina, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato originali, ad ipsos dirigere : quibus in libris quænam sit Pelagii vera mens circa hoc utrumque caput, ex iis ipsis operibus ejus docet, quorum ille se purgandi causa in epistola ad Innocentium locos producebat.

## CAPUT XIII.

1 *Augustinus Cæsaream ob Ecclesiæ negotia proficiscitur.* 2 *In eam urbem disputatum cum eo venit Emeritus, quo præsente ac obmutescente concionatur Augustinus.* 3 *Altera die Emerito intra ecclesiam constituto et perseverante in silentio suo, id commode ad causæ suæ utilitatem vertit sanctus Episcopus.* 4 *Hic pravam consuetudinem civium Cæsareensium habito ad plebem sermone abolet.* 5 *Ad Optatum rescribit super quæstione de animæ origine.* 6 *Idem respondet Mercatori.* 7 *Cœlestino quoque ac Sixto.* 8 *Adversus Aptum de cavendo Judaismo scribit ad Asellicum.*

1. Sanctus Præsul magna illa negotia, quibus Carthagine fuerat occupatus, non, quo se reficeret a labore deseruit, sed ut susceptis novis laboribus studium in Ecclesiam suum probaret. Enimvero ex ea civitate decedens, iter Cæsaream Mauritaniæ aggressus est : qua in urbe decimo quarto et duodecimo kalendas octobres hujus ipsius anni versabatur (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 1). Porro eadem urbs Algerium, ut existimant, hodie dicitur, centum viginti circiter leucis dissita ab Hippone-Regio : unde cum per hanc iter ad illam esset, hac transisse eum non dubitamus : verumtamen haudquaquam eum ibi diu commoratum fuisse, ex epistola ad Mercatorem conjicere est (*Epist.* 193, *n.* 1). Hoc autem itineris ut ipse cum aliis aliquot episcopis susciperet, Zosimi papæ litteris inductus est (*Epist.* 190, *n.* 1), nimirum ad conficienda gravia quædam Ecclesiæ negotia, quæ cujusmodi fuerint, nisi quod ad Donatistas ea nihil pertinuisse certum est (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *n.* 16), ignoramus. Eum certe omnem illam peragrasse regionem videntur ista significare : *Per quas totas terras cum intentionem nostram huc atque illuc, quæ ingerebantur sensibus, diversa raptarent* (*Epist.* 193, *n.* 1). Cæterum Cæsareæ quid gestum fuerit, ignotum est. Convenerunt eodem inter cæteros Deuterius, ejus ipsius sedis antistes, et, quod insolens in Africa, metropolitanus dictus, Alypius Tagastensis, Possidius Calamensis, Rusticus Cartenitanus, Palladius Tigabitanus; aliorum nomina non recensentur (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 1). Adfuerunt etiam ejusdem provinciæ episcopi (*Retract. l.* 1, *c.* 51).

2. Donatistis Cæsareæ urbis præerat Emeritus, nobis jam memoratus non semel, idemque clarus potissimum ob ea, quæ pro factionis suæ causa egerat in Carthaginensi collatione. Illa finita Cæsaream repetierat, ubi pertinax in schismate, etiam multa, quibus relatam ab Ecclesia victoriam elevaret, confinxerat jactitaratque (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 3). Ad eum quamdam scriptionem, quæ temporis injuria periit, direxerat Augustinus; illam sane perquam utilem, quippe in quam sanctus Doctor, quidquid ad exstinguendum discidium valebat, brevi atque expedita ratione coegerat. Elucubravit illud operis circiter annum quadringentesimum decimum sextum : quandoquidem ipsum inter ea, quæ ad Hieronymum anno quadringentesimo decimo quinto misit, et librum de Gestis Pelagii ponit (*Retract. l.* 2, *c.* 46). Verum hoc pacis opus cum filium pacis Emeritum non invenisset, ad auctorem suum illa reversa est. Nihilominus tamen præsulem suum imitati non sunt Cæsareenses Donatistæ; utpote qui ad catholicam communionem ferme omnes sese retulerint, licet non eadem omnes sinceritate. Erant siquidem adhuc complures, qui de veritate ambigerent; imo et nonnulli ex utroque sexu animo semper ac voluntate schismati adhærescebant (*De Gestis cum Emerito*, *nn.* 1, 2) : ut autem et hi cæcitate liberarentur, et confirmarentur illi, Deus id, quod narraturi sumus, permisit. Ab urbe, cum isthuc adventavit Augustinus, Emeritus aberat, quem tunc temporis, ne

caperetur, delituisse, obscurum non est. Verum, ut comperit ibi præsentem esse Hipponensem episcopum, eo sponte sua decimo quarto kalendas octobris illius videndi causa accessit. Nuntiatum est ex improviso Augustino eum adesse ; ad eum videndum sanctus Antistes continuo convolavit. Ipsum in platea stantem offendens, post primas honoris urbanitatisque significationes locum illum utrique neque commodum neque decentem esse commonuit : quocirca eum rogavit in ecclesiam secum una venire ne gravaretur. Annuit ille haud invitus. Unde Augustinum spes incessit communionem catholicam eum bono libentique animo jam-jam amplexurum. Imo et hoc ab ipso jam præstitum fuisse, rumor vulgavit (*Contra Gaudentium*, *lib.* 1, *n.* 15). Eo pacto futurum erat, ut Deuterius Emerito, qui suis civibus charus erat, cedere episcopatu, sicuti Catholici facturos se Donatistis ante Collationem sponderant, cogi posset : qua tamen retardata non fuisset reconciliatio ; quandoquidem ad id paratissimus erat Deuterius ; affirmatque Augustinus, olim sibi notum esse animum hujusce præsulis, qui non esset commissurus unquam, ut Ecclesiæ utilitati privatum honorem anteponeret (*Serm. ad Cæsareensis Eccles. plebem*, *n.* 1). Verum ei hoc suæ virtutis specimen dare per Emeritum non licuit. Hic una cum Augustino se contulit in ecclesiam, quo maxima multitudo utriusque communionis confluxit (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 15, *et Possid.*, *in Vita Augustini*, *c.* 14). Vix eodem ingressus est, ac primo sermone compellatus, ut ambiguis hisce vocibus respondet : *Non possum nolle quod vultis, sed possum velle quod volo* (*Serm. ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem*, *n.* 1). Cæterum nec in sui, nec in factionis defensionem quidquam addere valuit; sed in recusanda communione perseveravit. Venerat isthuc non alia haud dubie de causa, quam ut schismatis sui patronum ageret : verum antequam meditata posset effari, hæc ab Augustino per antecessionem adeo funditus eversa intellexit, ut, quid contradiceret, non inveniret (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 15). Ubi videre hoc trahi diutius, eumque intra ipsos ecclesiæ catholicæ parietes in discidio et hæresi persistere contumacem, Augustinus ad populum adstantem verba facere aggressus est. *Multa dixi de pace*, inquit, *multa de charitate, multa de sanctæ Ecclesiæ catholicæ, quam Deus promisit et præstitit, unitate. In quo meo sermone et vos alloquebar, et illum exhortabar ; et quantum in me poterant viscera charitatis, omnes in periculo animæ suæ constitutos in illo meo sermone parturiebam, et parere Domino cupiebam* (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 1). In tota orationis serie pius Præsul nunquam non ostendit sperare se, fore ut Emeritum ab errore divina clementia revocet. At quantumcumque studium atque industriam adhibuerit illius charitas, hic post auditam eam concionem in pertinacia mentem obfirmavit : de quo tamen nec tunc quidem desperavit Augustinus. Concessum etiam est spatium, per quod in urbe ei securo esse liceret (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 15).

3. Duobus post diebus, id est, feria sexta in duodecimum kalendas octobris anni a quadringentesimo decimi octavi incidente, episcopi, presbyteri, diaconi, clerus universus ac plebs frequentissima in majorem basilicam Cæsareensem convenit. Deuterius omnium primus et tanquam consessus præses nominatur. Aderat etiam Emeritus : notarii, a quibus omnia scriberentur, atque in tabulas referrentur, adhibiti. Ratus est Augustinus prudenter ea utendum occasione, sin minus ad Emeriti salutem procurandam, saltem in gratiam eorum, quibus clariore quadam circa discidium expositione opus erat (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 1). Quoniam igitur cum ipse Emeritus, tum alii factionis ejusdem, Marcellini auctoritate sese in collatione Carthaginensi oppressos, nec ea omnia, quæ pro sua causa dicenda habebant, expromere permissos querebantur (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 14) ; Augustinus enarratis numerosissimæ illi concioni, quæ feria quarta gesta fuerant, Emeritum rogavit, quidquid potissimum secum facere judicaret, in medium proferret : ad respondendum paratum esse se, disputationem illam utriusque partis nemini præjudicio futuram, populo tamen præsenti non sine fructu abituram : nihil esse quod ille timeat, fore autem ipsi rem plenam gloriæ, sive coram civibus suis vincat, sive victrici cedat veritati. Retulit Emeritus, victor an victus abiisset, veritati an potentiæ concessisset, ex actis Carthaginensis collationis haud difficulter intelligi. Hic Augustino scisciranti, si nihil dicere statuisset, quid ergo venisset ; reposuit, eo se animo venisse, ut hoc ipsi quod requirebat diceret. Urgente adhuc sancto Viro, quæ illum causa adduxisset, et responsum notario exspectante : *Fac*, id est, *scribe*, inquit Emeritus (*De Gestis cum Emerito*, *nn.* 2, 3, *et Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 14) ; post quod verbum veluti obmutescens, ultra respondere quidquam nec voluit, nec potuit. Augustinus, cum denuo moram illi dedisset ad loquendum, et demum intelligeret ipsum in silentio pertinacem esse, incœpti ad plebem sermonis cursum continuavit. Disseruit de Carthaginensi collatione, cujus acta ut quotannis per Quadragesimam legi curaret, Deuterium obsecravit. Voluit ab Alypio recitari epistolam eam, qua Catholici antistites pacis et unitatis intuitu dignitatum suarum spontaneam abdicationem Donatistis obtulerant : cui recitationi observationes et exempla charitatis christianæque humilitatis perquam egregia ipsemet inseruit (*De Gestis cum Emerito*, *n.* 4). Denique totum schismaticarum partium fundamentum evertit narrata Maximianistarum historia, in qua haud leviter immoratus, vocem ab Emerito nullam, non secus ac mutum esset allocutus, expressit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 51). Illum cognati ac cives sui, ut cum sancto præsule colloquium iniret, obtestati sunt instantius, polliciti, modo Catholicos superaret, nihil in se moræ futurum, quin vel fortunarum, vel etiam vitæ periculo, sese ac ejus referrent communionem : at illius animo major diffidentia insederat, quam ut ipsum quidquam hiscere aut mutire sineret (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 14). *Sed hoc quantum ad ipsius exitium atque supplicium*, ait Augustinus, *tantum ad aliorum confirmationem salutemque profecit. Si enim viderent Emeritum nobis com-*

*municantem, suspicarentur hominem formidantem : cum autem viderunt et in parte Donati permanentem, et tamen adversus Catholicam reticentem, magis illis apparuit contra suos silendo clamare. An vero cum voce atque ore sano et libero staret, non erat pro vestra causa contra nos testis idoneus Emeritus ille, ille Emeritus, inquam, et inimicus et mutus?* (*Contra Gaudentium, lib.* 1, *n.* 15.) Dimittitur tandem Emeritus nulla affectus injuria, ut veritatis victoriam lenitas Ecclesia sane digna coronaret : ipse autem in posterum delituit (*Ibid.*, *n.* 41). Augustinus tabellas sive acta eorum, quæ hac in re duodecimo kalendas octobris disputata fuerant, citat (*Retract. lib.* 2, *cap.* 51) : atque ut planum omnibus faciat, rationum penuria obmutuisse Emeritum, provocat Gaudentium episcopum Thamugadensem, virum primariæ apud Donatistas auctoritatis, ad respondendum (*Contra Gaudentium, lib.* 1, *n.* 15).

4. Facere non possumus, quin hic referamus fructum longe maximum in Cæsareenses ex illo itinere Augustini profectum. Rem ipsismet Viri sancti verbis narrabimus. *Denique*, inquit ille, *cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam Catervam vocabant; neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solemniter dimicabant; et quisque ut quemque poterat occidebat : egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum evellerem, pelleremque dicendo; non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi adspexi, immanem illam consuetudinem a patribus et avis longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius possidebat, devictam, antequam reipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est* (*De Doctrina christiana, lib.* 4, *n.* 53).

5. In eadem illa peregrinatione Cæsareensi, aut non multo postquam inde discessisset, epistolam de Animæ origine scripsit ad Optatum episcopum ( *Epist.* 190 ). Is angebatur circa animæ originem, utrum ea per propagationem ex anima a Deo creata atque Adamo indita descenderet, anve singulis hominibus singulas de novo Deus crearet, nosse cupiens. Attamen in ultimam hanc opinionem, uti videtur, concesserat; deque eodem argumento quoddam ediderat opusculum, necnon litteras ad amicos quosdam suos familiarissimos destinatas : quæ cum perlatæ essent Cæsaream, ipsi Augustino illic adhuc versanti traditæ sunt a famulo Dei, cui nomen Renato ; qui sanctum doctorem tantopere ad respondendum instigavit, ut hoc recusare, quamvis rebus aliis tunc occupatus, nequaquam posset. Videtur quoque in epistola sua optasse ipsemet Optatus de sancti Doctoris sententia super ea re certior fieri. Augustinum præterea ad id induxit Muressis quidam Optati necessarius, qui tunc Cæsaream veniens, se quoque super eodem argumento litteras ab Optato accepisse dicebat; rogabatque Augustinum, ut quid ea de re sentiret, vel voce vel scripto sibi aperiret, quo illud posset Optato significare. Dedit itaque litteras ad ipsum Optatum sanctus Doctor, Cæsarea, quod satis declarant illæ voces, *cum in eodem oppido remoraremur*, jam profectus. De proposita autem difficultate illi rescripsit, non habere se quod certo statuat, propter argumenta, quæ in utramque partem faciebant : id tantummodo cavendum esse, ne quis hacce quæstione abutens, de peccato originali, quod constans et catholicum dogma erat, vellet ambigere ; atque ita Pelagii Cœlestiique novam hæresim imprudens admitteret, quam recenti memoria damnarant concilia et Romani antistites Innocentius ac Zosimus; quorum epistolas, saltem postremi hujus, ne forte ad Optatum necdum pervenissent, simul mittebat. Non contentus fuit procul dubio hac responsione idem Optatus; illi siquidem Augustinus præterea duas epistolas, quæ temporum injuria intercidere, super eodem argumento misit. Laudat Fulgentius eruditionem atque ingenii vim eam, qua cum in hisce tribus epistolis, tum in aliis quibusdam suis operibus quæstionem illam sanctus Doctor excusserat : sed ejusdem in primis modestiam prædicat, utpote quæ eum deterruit, ne de re peræque gravi et abstrusa quidquam decerneret. *Cujus quæstionis*, ait, *profunditatem sibi imperscrutabilem cernens, nullam voluit hujus rei definitam proferre sententiam, incongruum prorsus existimans aliquid affirmare sine dubitatione velle, quod alter posset contraria responsione convellere* ( *Fulgentius, de Prædestinatione et Gratia, lib.* 5, *cap.* 18). Pertractatis ergo latius contrariis sententiis, tum ea quam sibi Hieronymus , ab quolibet errore, Origenis, Manichæi, Priscilliani, Tertullianive abhorrens, elegit, scilicet singulas singulis nascentibus animas a Deo creari (*Apud Augustinum, Epist.* 165, *n.* 1, *et Contra Rufinum, lib.* 2) : tum alia qua propagari animas et non quotidie fieri a Deo ita creditur, ut ab erroribus hæreticorum quorumvis super animæ natura recedatur; non ausus est ipse Augustinus alteram ex illis partem vel repudiare unquam, vel astruere (*Epist.* 66, *nn.* 8, 28, *et Epist.* 190, *n.* 21). Quapropter cum ingenio sancti Doctoris nihil eo magis consentit, nedum ejus doctrinæ quidquam derogat, quod in fine epistolæ Cœlestini legimus : *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere* (*Append. tomi* 10, *part.* 2, *epist. Cœlestini Papæ, pro Prosp., et Hilar.*, etc., *n.* 15). Hujus prudentissimi papæ vestigiis insistens Africanorum episcoporum exsulum synodus, cum regulas catholicæ fidei de gratia similiter traderet, non absimiliter adjunxit hoc monitum : *Quæstionem vero animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare* (*Ibid., epist. synod. episc. Afric. exulum*, *n.* 16). Quo sane modo sese gerebat Augustinus , si quando cum Pelagianis decertans incurreret in quæstiones nondum divinæ revelationis

ope liquido explicatas. Neque alia de causa etiam illam sine contentione non semel tractavit, an scilicet vivi reperti adveniente Domino in sæculi fine ex hac mortalitate ad immortalitatem sine media morte transituri sint (*Epist.* 193, *n.* 9 *seqq.*, *et de Civit. Dei*, *lib.* 20, *cap.* 20).

6. Augustinus Hipponem reversus calamum, quo Mercatori rescriberet, arripuit. Nam hujus apud Carthaginem, prius quam Cæsaream proficisceretur, litteras acceperat, quibus respondere nondum ipsi gravioribus negotiis occupatissimo ac interdum perlatoris occasione carenti licuerat. Propterea Mercator, quem ejus scripta vehementi ac præfervido ingenio fuisse indicant, secundis ad eum datis litteris, quod nihil accepisset responsi, perinde querebatur, quasi neglectus despectusque esset ab Augustino : cui aliud simul opusculum adversus novos hæreticos, Pelagianos scilicet, ab ipso considerandum probandumque mittebat. His perlectis, sanctus Doctor animi commotionem, quam ibi Mercator præ se ferebat, non modo non accepit in malam partem, sed et maxime gratam habuit; atque ejusdem querimonias sinceritatis charitatisve indicia esse credidit, non iracundiæ vel simultatis. Itaque rescribendi per Albinum Ecclesiæ Romanæ acolythum occasionem nactus, dilatum responsum, prout bonitate sua atque humilitate dignum erat, illi excusavit; ac dubiis quibusdam sibi ab eo propositis circa id quod mortem peccati effectum ac pœnam esse negabant Pelagiani, satisfecit. Enimvero objiciebant illi, neque Enochum, neque Eliam obiisse; necnon asseverare Paulum eos, qui Christo veniente superstites erunt, non morituros, sed ei vivos obviam raptum iri in aera : unde colligebant ipsi, cum omnes homines mortem non subeant, aut eos sine peccato natos, quod Catholici de solo Christo posse affirmari contendebant; aut pœnam peccati mortem non esse. Objectionem hanc Augustinus explodit; eo quod nimirum, ut maxime certum esset a moriendi necessitate quosdam fore immunes, haud tamen difficulter concipi possit, id singulari aliquo Dei privilegio concessum iri, quo, si voluerit, quosdam huic pœnæ eximere potest, non secus ac multis aliis non eximit. Epistolam suam terminat professione illa humilitati ejus tam familiari, malle se ex aliis quæstionum abstrusarum solutionem discere, quam ex semet eam illis tradere. *Plus amo*, ait, *discere, quam docere. Ut ergo discamus, invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis* (*Epist.* 193, *n.* 13).

7. Albinus ille acolythus superioris epistolæ perlator, alias quoque duas detulit, unam (*Epist.* 192, *n.* 1) ad Cœlestinum Ecclesiæ Romanæ tunc temporis diaconum, ac postea præsulem; quam epistolam Augustinus ejus litteris Hipponem, cum longe abesset, allatis reddidit, ut ei mutuam benevolentiam testaretur : alteram autem (*Epist.* 191) ad ejusdem Ecclesiæ presbyterum, eumque deinde Cœlestini in episcopatu successorem Sixtum, scriptam, qua ei, ut jam a nobis observatum, ob susceptam gratiæ defensionem contra Pelagianos, quibus ipsum favere fama erat, plurimum gratulatus est. Hac epistola prolixiorem aliam se missurum esse pollicebatur : quam reipsa paulo post ad eum perferendam dedit Firmo presbytero (*Epist.* 194, *n.* 1). Hanc sanctus Doctor posterioribus gratiæ inimicis aliquando velut ob oculos ponens : *Inspiciant*, ait, *quam dedi ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, quando adversus Pelagianos acerrima conflictatione certavimus* (*De Dono perseverantiæ*, *n.* 55). Illic et solita effugia intercludit Pelagianis, et eorum contra gratiam objecta dissolvit : petitque postremo Sixtum, ut si quæ alia noverit eos adversus catholicam fidem excogitare, necnon quæcumque adversus eosdem pro fide ipse disseruerit, nota faciat sibi (*Epist.* 194, *n.* 47).

8. Si qua res id temporis locum præberet Pelagianæ hæresis perniciem commonstrandi, Augustinus ea opportunitate solerter utebatur et perlibenter. Aptus quidam, idem ille forsitan episcopus e parte Donati Tusurritanus (*Collat. Carthag.*, *cap.* 120), qui æmulum suum in Collatione agnovit Asselicum, Judæum se ac Israelitam vocitari volebat; necnon Judaizare Christianos, id est, abstinere ab escis Lege prohibitis, ac cæteros Judaicos ritus observare docebat (*Epist.* 196, *n.* 16). Asellicus itaque, sive Asselicus, ille, nisi fallimur, Tusurritanus antistes catholicus, qui Collationi cum Apto Tusurritano episcopo Donatista adfuit, litteras de cavendi Judaismi disceptatione ad Donatianum Bizacenæ provinciæ anno quadringentesimo decimo octavo primatem misit : quas iste ad Augustinum perferendas curavit, ut eis responderet, vehementer obsecrans (*Ibid.*, *n.* 1). Morem gessit Augustinus, ac demonstravit Christianos vere Judæos et Israelitas, Abrahami quoque ac Saræ filios non carne, sed spiritu esse : nec tamen eis, nisi perraro hæc usurpanda vocabula, nec ea quotidiano usu frequentanda; ne videlicet recepta olim consuetudo loquendi perturbetur, et cum Judæis carnali generatione de Abrahæ stirpe venientibus confundantur Christiani (*Ibid.*, *n.* 9-16) : a quibus illa quidem opera Legis, quæ sunt in veteribus sacramentis, nunc revelato Testamento novo, nequaquam observanda esse. At illa quæ in Lege ita præcepta sunt, ut valeant ad informandos mores fidelium, sic accipienda et observanda docet, ut quidquid in eis quisque proficit, non sibi, sed gratiæ tribuat (*Ibid.*, *n.* 1-8). Nam ii, *qui cum profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic adversantur, ut se humanis viribus divina existiment implere mandata; non quidem nomine*, inquit sanctus Doctor, *sed errore Judaizant. Hoc genus hominum*, ait, *capita sibi invenerat Pelagium et Cœlestium, impietatis hujus assertores acerrimos : qui recenti judicio Dei, per diligentes et fideles servos ejus etiam catholica communione privati sunt, et propter cor impœnitens, adhuc in sua damnatione persistunt* (*Ibid.*, *n.* 15).

## CAPUT XIV.

*1 Anno quadringentesimo decimo nono Honorius mandatum Aurelio, necnon Augustino mittit, quo episcopi quilibet subscriptiones contra Pelagianam hæresim suas dare teneantur. 2 Prodigia Jerosolymæ alibique nuper visa narrat Augustinus in concione apud Carthaginem. 3 Hieronymus Augustini amore incensus, præsertim ob jugulatam ipsius ope Cœlestianam hæresim, 4 Augu-*

*stinus ad Hesychium Salonensem de fine sæculi scribit.* 5 *Edit librum de Nuptiis et Concupiscentia primum.* 6 *Quæstiones et Locutiones in Heptateuchum.* 7 *Vincentius Victor libris de Origine animæ redarguitur ab Augustino, et ad revocanda perperam ab se dicta compellitur.* 8 *Pollentio libri de Conjugiis adulterinis duo scribuntur.* 9 *Refellitur adversarius Legis et Prophetarum.*

1. Agitari superiore anno cœpit Apiarii causa, presbyteri nimirum illius Siccensis, qui per Urbanum episcopum suum excommunicatus, deque suo dejectus gradu, ad apostolicam Sedem, cum tamen id ei per Africanæ Ecclesiæ consuetudines aut leges minime liceret (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 125), appellavit. Ea res disceptationem inter Romanum antistitem et episcopos Africanos longam peperit ac permolestam, quæ ante mortuum superiori exeunte anno Zosimum finiri non potuit. Zosimi successor Bonifacius Africanorum agendi rationem, et ad se datas ab ipsis litteras, quantumvis graves essent ac fortes, haudquaquam in deteriorem partem accepit : id siquidem nullatenus prohibuit, quominus cum Hipponensi episcopo, qui celebratorum in Africa de Apiarii negotio conciliorum pars magna fuit, necessitudinem habuerit singularem. Hic sanctæ memoriæ papa laudatur a Prospero, quod contra inimicos gratiæ Dei non solum auctoritate sua apostolica, sed etiam Imperatorum, quorum pietas studio illius opitulabatur, edictis egerit (*Prosper*, *Contra Collatorem*, *n.* 57). Ipsius curæ fortassis illud adscribendum edictum, quod Aurelio, die quinto idus junias, anno quadringentesimo decimo nono, inscriptum est (*Apud August.*, *Epist.* 201). Honorius ibi significat, edictum superioris anni adversus Pelagium atque Cœlestium a se recenti sanctione renovatum esse, simulque constitutum, ut quisquis eos, quocumque ditionis suæ loco constiterint, sciens non proderet, aut expelleret, ipsemet in exsilium pelleretur. Episcopos autem qui minime obniterentur iisdem hæreticis, aut cum eis tacite consentirent, ab Aurelio admoneri jubet officii sui. Vult adigi omnes universim antistites ad subscribendam Pelagii damnationem, ita ut recusantes dignitate sua exuantur, atque in perpetuum expulsi civitatibus suis, communione priventur. Datum est edictum haud absimile ab Imperatore ad Augustinum, qui videlicet suis meritis auctoritatem et existimationem eam sibi comparaverat, ut honore primariæ sedi Africanæ proprio dignus haberetur.

2. Carthaginensi concilio præsentis anni cum adfuisset Augustinus, ab illa forsitan urbe priusquam abiret, sermonem in basilica Restituta illum habuit, in quo prodigiorum, quæ Jerosolymæ anno, uti docent Chronologi, quadringentesimo decimo nono visa sunt, tanquam admodum recentium meminit. Ibidem etiam narrat, Sitifensem civitatem gravissimo terræ motu concussam fuisse (*Serm.* 19, *n.* 6). Titulus dictum esse die Munerum prodit; ex quo intelligit Sirmundus, exhibitum isto die fuisse gladiatorium certamen : sed minus a vero abhorret, notari vel statum solummodo diem, quo illud olim exhibebatur, vel aliud muneris genus, quod loco gladiatorii certaminis exhiberi cœptum fuerit ab anno quadringentesimo tertio, aut quadringentesimo quarto, quo gladiatores abolevit Honorius (*Prudentius*, *adversus Symmachum*, *lib.* 2, *et Theodoretus*, *Hist. ecclesiast. lib.* 5, *cap.* 25).

3. Qui Alexandriam a supra memorato Carthaginensi concilio missus est Innocentius presbyter, ut veros ac germanos canones synodi Nicænæ ab Cyrillo reciperet, idem ille, quantum conjectura assequi licet, epistolam illuc ab Augustino contra Pelagianos scriptam detulit. In ea sanctus Doctor Pelagium ab Hieronymo in dialogis Scripturarum oppressum molibus, ut Julianus tradit, prædicabat (*Operis imperfecti lib.* 4, *cap.* 88). Verum periit hæc epistola, non secus ac alia quam tunc eidem Innocentio dederunt Augustinus et Alypius perferendam ad Hieronymum, sciscitantes librisne Pelagiani cujusdam, qui se Aniani diaconi Celedensis nomine ferebat, adversus ipsum editis respondisset. Nam per eumdem Innocentium rescripsit illis Hieronymus, per dolorem ab obitu beatæ Eustochii acceptum, id aggredi necdum sibi integrum fuisse; sperare tamen, fore ut non magno negotio illud præstaret; ac ipsos nihilominus gratum sibi facturos, si hoc laboris in se vellent recipere. Eisdem Albinæ, Piniani, Melaniæ ac Paulæ junioris nomine salutem dicit (*Apud August.*, *Epist.* 202, *n.* 2). Hieronymus anno sequenti migravit ad superos. Hac itaque sanctus Presbyter epistola sua, ut Baronio visum est, ultima, ultimam sui in sanctos illos episcopos amoris declarationem contineri voluit in hæc verba : *Mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ Reverentiæ; testem invocans Deum, quod si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer; semper quidem pro merito virtutum vestrarum, sed nunc maxime, quia cooperatoribus et auctoribus vobis hæresis Cœlestiana jugulata est* (*Ibid.*, *n.* 1).

4. Augustinus ad Hesychium Salonæ, quæ Dalmatiæ metropolis est, antistitem, litteras circiter hunc annum dedit. Nam quo tempore ei scripsit, eo jam a Christi nativitate anni ferme quadringenti et viginti, ab illius autem resurrectione vel ascensione plus minus trecenti nonaginta numerabantur (*Epist.* 199, *n.* 20). Superstitem etiam Hieronymum adhuc fuisse obscurum non est (*Epist.* 197, *nn.* 1, 5, *et Epist.* 198, *nn.* 1, 7). Contigerant eo tempore quædam prodigia (*Epist.* 198, *n.* 5; *Philastrius*, 12, 8; *Idacius*, *ad annum* 418; *Marcellinus et Prosper*); hinc porro Hesychio nata occasio videtur ad Augustinum per unum e suis presbyteris, cui nomen Cornuto, scribendi, ut disceret ex eo, numquid novissimi adventus Domini tempus imminere non putaret : idque satis intelligitur, ipsum Hesychium idem illud tempus ex septuaginta Danielis hebdomadibus, quas secundo adventui Christi accommodabat, eruere voluisse : qua de re Augustinum sententiam rogabat. Huic sapientissimus Præsul per eumdem presbyterum respondit, a ratione alienum videri, eam rem quærere, quam ipse Christus tectam esse voluisset; neque aliud quidquam certius de hoc affirmari posse, nisi quod evangelica lex nondum per orbem universum esset promulgata,

De septuaginta autem hebdomadis non dubitare se, quin eas de primo adventu interpretari oporteret. Cum vero ab Hesychio, ut easdem illi exponeret, esset rogatus, ad eum, quod Hieronymus in Danielem super eodem loco commentatus fuerat, misit, petens ut quid ipsi de hoc videretur, sibi rescriberet. Epistola hoc pulcherrimo fine clauditur : *Mallem quidem eorum, quæ a me inquisisti, habere scientiam, quam ignorantiam; sed quia id nondum potui, magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri* (*Epist.* 197, *n.* 5). Exstat Hesychiana responsio (*Apud August., Epist.* 198), eaque ferme in hoc versatur, ut neque diem, neque annum judicii notum habere nos posse, nequaquam eat inficias; contendat vero ejusdem tempus quodam modo sub nostram cadere cognitionem, imo etiam nos ad illud explorandum teneri adstrictos. Tum addit ex prodigiis, quæ apparuerant, aliisque calamitatibus ac bellis, quæ illis temporibus continuo sæviebant, haudquaquam temere concludi, illud jam non esse remotissimum : populos autem, qui fidem hactenus amplexi non fuerant, ad eam intra spatium non ita magnum adduci posse. Quod ad septuaginta hebdomadas, Hieronymum ait nihil definire, utpote in hoc dubium ac fluctuantem. Ad extremum iis, qui easdem primo adventui adaptarent, difficultatem unam opponit, quam diluant. Hisce litteris Augustinus epistola altera respondet (*Epist.* 199) : ac primum omnium desiderium adventus Dominici ab inquisitione temporis, quo ille fiet, distinguit; alterum ad Christianorum officium pertinere docens, alterum Evangelio adversari; quandoquidem nemo sibi arrogare debet cognitionem eam, quam Apostolis suis negatam Christus voluit. Deinde fatetur quidem a Christo nato horam novissimam, hoc est, extremum tempus agi; at vero quamdiu idem producendum sit, ignorari; perinde errari ab eis posse, qui Christum brevi, atque ab eis qui tarde venturum crederent; eosque tutissime facere, atque ab Evangelio recedere propius, qui a pronuntiando super ea re abstinerent : affirmare autem Christum propediem adfuturum, siquidem nonnisi post longum intervallum esset venturus, periculosum esse; calamitates et bella nihil distare ab eis, quæ sub Gallieno atque aliis temporibus visa fuerant : signis item, quæ vulgabantur, nihil inesse præter morem solitum : neque etiam a ratione alienum videri, quæ super ea re leguntur in Evangelio, ad intellectum spiritualem traducere. Ad extremum contendit, id quod a Davide pronuntiatum est, *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5), sua ætate non fuisse completum, nedum fuerit Apostolicis temporibus. Hujus loci occasione docet, Africam innumeris barbaris nationibus incoli, quibus hactenus Evangelium incognitum esse, ex iis qui Romam in servitutem inde abducebantur, deprehendere quotidie licebat (*Epist.* 199, *n.* 46).

5. Nuncupatos comiti Valerio libros de Nuptiis Augustinus in suis Retractationibus secundo post Gesta cum Emerito, quæ ad annum quadringentesimum decimum octavum pertinent, loco recenset (*Retract. l.* 2, *c.* 53). Ipsi beatus Doctor sæpius, et forte jam ab anno quadringentesimo decimo septimo scripserat, ab eo nulla responsione resalutatus; quod ei sollicitudinem aliquam afferebat : sed tandem aliquando tribus ejus epistolis eodem ferme tempore exhilaratus est; prima sibi per Vindemialem episcopum reddita, neque multo post secunda et tertia per Firmum presbyterum, a quo Sixti litteras medio circiter anno post quadringentesimum decimo octavo receperat, quemque hominem Dei vocitat (*Epist.* 200, *n.* 1). Comperit eo tempore, ac forte etiam ex eodem illo presbytero, incidisse in Valerii manus commentationem quamdam Pelagianam ipsi illi comiti inscriptam, qua Augustinum originale peccatum astruendo nuptias damnare jactitabant. Quamvis Valerius calumniam illam fide robustissima irrisisset, Augustinus tamen doctrinam Ecclesiæ contra ejusmodi criminationem sibi defendendam esse putavit. Hac igitur de causa primum composuit duorum librorum, quos *De Nuptiis et Concupiscentia* inscripsit. In hoc quæ sint nuptiarum bona demonstrat, hæc distinguens a concupiscentia, quam esse malum, non de nuptiarum natura, sed in nuptias ex hominis peccato derivatum docet : quo tamen malo conjugalis pudicitia bene utitur ad liberorum procreationem. Id operis post Pelagium atque Cœlestium damnatos lucubravit, illudque nuncupavit Valerio comiti, tum quod idem scriptionem a Pelagianis sibi directam recepisset; tum quod ipsis illis hæreticis constanter ac efficaciter restitisset; tum denique quod conjugalem castitatem, quæ ad hujusce disputationis argumentum pertinebat, coleret quam severissime (*De Nuptiis et Concupiscentia, lib.* 1, *n.* 5). Remotis enim tantis rationum momentis, haudquaquam is erat, qui viro ea dignitate conspicuo, necnon impedito negotiis, libros suos non petenti obtruderet; quod impudentiæ, quam urbanitati, propius existimabat. Librum hunc epistola comitata est laudum ejusdem comitis plena, in quo ne veritatis limites transilierit, verendum non est. Etenim præterquam quod nihil erat ejus charitate magis sincerum, ipsum præterea cavere, ut ipse testatur, oportebat, ne suspicionem adulantis incurreret (*Epist.* 200, *n.* 1). Et revera Pelagiani hinc occasionem arripuerunt jactandi, illum non alio consilio scribere ad militarem virum, nisi ut ejus potentiam adversus ipsos concitaret (*Operis imperfecti lib.* 2, *cap.* 14).

6. Inter primum hunc librum ad Valerium, et secundum ad eumdem, Augustinus in Retractationibus suis non parvum librorum numerum interjicit. Horum primi sunt, in septem primos divinæ Scripturæ libros totidem Locutionum libri, quibus et septem alios Quæstionum in eosdem divinos libros adjunxit (*Retract. lib.* 2, *capp.* 54, 55). Incumbebat eodem tempore utrique operi. Libros Quæstionum, quæ in Locutionibus non semel citantur, composuit legendo sanctas Scripturas (*Quæst. in Heptateuchum lib.* 2, *quæst.* 62; *lib.* 6, *quæst.* 29; *lib.* 7, *quæstt.* 49, 51) et varia Septuaginta interpretum exemplaria conferendo, interdum etiam adjuncta, cum versionibus Aquilæ ac Symmachi, traductione ex hebræo (*Ibid., lib.* 1, *Præfat.*).

Hieronymi hanc esse non dubitamus ; quando alia nulla hoc titulo exstabat apud Latinos, et cum Vulgata nostra editione consentiunt ea quæ ex eadem illa profert Augustinus (*Quæstionum, in Heptateuch. l.* 5, *qu.* 20 ; *l.* 6, *quæstt.* 7, 15, 19, 24, 25 ; *l.* 7, *quæstt.* 21, 55). Igitur cum ea ratione Scripturæ vacaret lectioni, statuit apud se, quidquid difficultatis occurreret, chartis mandare ; contentus interim nonnulla adnotare, cursim expendere alia, et ea duntaxat expedire, quæ longioris moræ non indigerent. Quapropter commentationem hanc Quæstionum titulo voluit inscriptam : tametsi illarum pleræque ibi sic disputatæ reperiantur, ut abunde illustratæ enucleatæque videri queant. Sed ne illæ quidem, quas scripto consignare satis habuit, omnino sua utilitate destituuntur ; cum sit inveniendi initium, quid investigandum sit cognoscere. Cœperat in libros Regum eadem ratione inquirere ; at cum nonnihil in eo labore promovisset, eum ab illo quædam magis necessaria revocarunt (*Retract. lib.* 2, *cap.* 55, *n.* 1). Quod vero ad libros Locutionum, collectio est phrasium Scripturæ propriarum, quæ non aliunde, quam ex ratione modoque idiomatis græci vel hebræi, profluxerunt ; quæ videlicet cum in latina consuetudine minus usitatæ sint, occasionem præbent parum advertentibus, ibi quosdam mysticos sensus captandi. Qui *nonnunquam*, ait sanctus Doctor, *exsculpunt aliquid quod a veritate quidem non abhorreat ; non tamen id sensisse auctor, a quo hoc scriptum est, invenitur* (*Ibid.*, *cap.* 54). Putavit igitur ad intelligendos locos bene multos, quibus aliquid obscuritatis inesse videbatur, nihil aliud requiri, quam quo sensu in aliis usurparentur locis quorum expeditus esset intellectus, observare, ut idem quoque minus claris locutionibus accommodetur. Dedit ipse operam excerpendis ejusmodi loquendi formis seu idiotismis ex quinque libris Moysis et ex Josue ac Judicibus ; unde septem illi libri, qui Locutionum titulo inscribuntur, constant. Interdum easdem locutiones tantummodo exscribit ; interdum vero enucleat.

7. Memoratis Quæstionum ac Locutionum libris subjicit quatuor illos occasione Vincentii Victoris in lucem editos, qui *De Anima et ejus origine* inscribuntur (*Ibid.*, *cap.* 56). Erat hic Vincentius Victor juvenis in Mauritania Cæsareensi natus, et ex Rogatistarum factione, quæ Donatistarum particula et scissura erat, ad Ecclesiam conversus : qui cum apud Petrum quemdam presbyterum Hispanum esset, incidit in Augustini commentationem, qua Vir sanctus fatebatur (quæ ipsius erat modestia) ignorare se, an omnes animæ ab una Adami anima propagarentur, anve singulis quibusque hominibus nascentibus singulas Deus crearet ; minime tamen dubitare, quin anima spiritus esset, non corpus. Displicuit ex æquo Victori, et quod Augustinus non doceret sine cunctatione quid de animæ origine tenendum sit, sed propagationem animarum verisimilem esse duceret ; et quod animæ naturam indubitanter diceret incorpoream. Ergo hanc in rem binos ille ad eumdem Petrum presbyterum libros, sed Pelagianis aliquot placitis aliisque erroribus refertos, conscripsit (*De Anima et ejus origine*, *lib.* 3, *n.* 2). Cæsareæ tunc agebat Renatus monachus (*Retract. lib.* 2, *cap.* 56), idem forte qui sancto Augustino in eadem urbe Optati de animæ origine inquirentis epistolam anno quadringentesimo decimo octavo exhibuerat : is ergo licet ex laicorum ordine, fide tamen admodum orthodoxa, cum libros, quorum doctrinam minime probabat, et in quibus Augustinum indigne habitum videbat, offendisset, eos diligenter descriptos ad illum curavit perferri (*De Anima et ejus origine, lib.* 2, *n.* 1 ; *lib.* 1, *n.* 35). Libros eosdem Cæsarea Hipponem transmissos æstiva tempestate, nonnisi extremo tamen autumno, accepit Augustinus ; cum videlicet per totum illud tempus, ob iter quodpiam nobis incognitum, abfuisset. Hic solitam et sapientiam et humilitatem exhibuit sanctus Doctor : quæ in se Victor aggressus erat, boni consuluit, gratissimumque habuit, quod cum ille sententia ab se dissideret, mentem suam declarasset scriptis etiam editis. Rebatur enim illum forsitan benevolentiæ causa id fecisse, ut ipsum ab errore, quo teneri judicabat, expediret. Nam sibi eam regulam Vir sanctus constituerat, ut quoties animum cujusquam minus exploratum haberet, ejus consilium potius approbaret tanquam bonum, quam pro malo condemnaret. *Ubi enim*, ait, *mihi animus erga me hominis ignotus est et incertus, melius arbitror meliora sentire, quam inexplorata culpare* (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 2). Quod Victor alii potius, quam sibi, ut decebat, mentem aperuerat, hoc illius dabat modestiæ : præterquam quod eum, qui opinionem suam minime dubiam esse crederet, ad se consulendum obligari potuisse non ducebat. Si autem juveni laico, inter disputandum, aliquod in Augustini contumeliam verbum exciderat, id eum sanctus Episcopus non conviciantis voluntate credebat, sed diversa sentientis necessitate fecisse. Attamen ut animi modestia et humilitate ad emendandum malum, quod sibi forte hærere poterat, sanctus Antistes impellebatur : ita veri amor non sinebat, ut quod sanum erat, indefensum relinqueret (*Ibid.*, *lib.* 4, *n.* 1) : hujus autem generis erant, quæ a Victore impugnabantur. Quare pro responsione sua quatuor libros reddidit, unum ad Renatum monachum, alterum ad Petrum presbyterum, et duos ad ipsum Victorem : quanquam ad Petrum epistola erat, sed libri nomen, quia separari a cæteris non debebat, accepit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 56). In his autem omnibus libris, in quibus multa scitu necessaria disseruntur, defendit de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem suam, et multos Victoris errores atque pravitates præsumptionis ejus ostendit ; ipsum tamen juvenem non præpropere detestandum, sed adhuc docendum putans, præsertim quia audierat eum nuper catholicum factum, quanta potest lenitate tractat (*Ibid.*, *et de Anima et ejus origine*, *lib.* 1, *n.* 2) : atque huic agendi rationi et labori sancti Doctoris tam felix respondit exitus, ut ab eodem Victore rescripta correctionis ejus acceperit (*Retract. lib.* 2, *cap.* 56).

8. Post libros de Origine animæ, duo de conjugiis adulterinis ad Pollentium libri locum in Retractatio-

nibus proximum occupant. Pollentius autem ille quis fuerit, nusquam reperias : id solum vere dixeris, virum pietate fuisse insignem, quem videlicet religiosum fratrem nominat Augustinus (*De Conjugiis adulterinis, lib.* 2, *n.* 1). Ille igitur cum evolveret eas commentationes, quibus hic ante plurimos annos sermonem in monte a Domino habitum exposuerat, admiratus est contendere, sanctum Præsulem, mulieribus legitime separatis ab adulteris conjugibus non licere, quoad hi fuerint superstites, aliis nubere, sed ipsis servandam esse continentiam. Quapropter Augustinum rogavit per litteras ut illam sibi dubitationem eximeret : sibi enim ita potius videri, mulieres, quæ ob aliam quam fornicationis causam a viris discederent, solas esse, quibus per horum vitam secundo conjugio interdiceretur. Idemque cum accepisset illum parando sibi responso dare operam, quasdam insuper de eadem materia novas quæstiones ad eum misit (*Ibid.*). His Augustino, postquam opus suum jam absolverat, redditis, cogitaverat Vir sanctus addito supplemento illis respondere : verum cum ejus liber citius, quam optaverat, ab amicis esset evulgatus, novum componere coactus est. In his itaque duobus libris Scripturarum auctoritate quæstionem de conjugio examinat, illam quidem, ipsius judicio, difficillimam (*Retract. lib.* 2, *cap.* 57),obscurissimam, implicatissimam (*De Conjug. adulter., lib.* 1, *n.* 32). Cum autem ei opponeretur inter alia, viros ab uxoribus separatos, continentiam servare non posse; objectionem evertit adducto præsertim exemplo clericorum, quibus continentiæ necessitas, iisque sæpenumero ad accipiendum honorem clericalem improvisa vi coactis imponebatur; qui tamen, divina gratia opitulante, istud oneris, de quo subeundo cogitaverant nunquam, religiosíssime perferebant (*Ibid., lib.* 2, *n.* 22). Præter hæc Augustinum rogarat Pollentius, numquid Baptismum catechumenis, qui morbo correpti illum petere non possent, conferendum crederet (*Ibid., lib.* 1, *n.* 33). Sanctus Doctor unicuique liberam esse vult hac in re sequendi, quod sibi optimum videbitur, facultatem : ipse vero id præstare existimat, ut idem sacramentum illis, etiamsi antea nullam illius accipiendi voluntatem aliam præ se tulerint, quam quæ in eorum fide nota est, conferatur. Ad quam sententiam multo efficacius valet id, quod amico cuidam suo evenisse in Confessionibus suis memorat (*Confess. lib.* 4, *n.* 8). Imo et gratiam illam ad eos quoque extendit, qui, cum retineant adulterina consortia, ad Baptismum, si sani corpore essent, non admitterentur. Quodque de baptizandis catechumenis constituit, idem in reconciliandis pœnitentibus servandum dicit. *Nec ipsos enim*, ait, *ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia* (*De Conjugiis adult., lib.* 1, *n.* 35).

9. Contigit sub idem tempus, ut Carthagine venum proponeretur codex anonymus Marcionistæ cujuspiam, aut alterius e sectis illis, quæ cum Manichæis Legem ac Prophetas condemnabant, et præterea mundi creationem dæmoni, non Deo, quod dogma alienum erat a Manichæis, tribuebant (*Retract. lib.* 2, *cap.* 58; *Contra Adversar. Legis et Proph., lib.* 1, *n.* 1). Hic doctrinam suam a Fabricio quodam, in quem Romæ inciderat, et cujus se discipulum esse gloriabatur, sibi traditam fuisse narrabat. Sibi proposuerat auctoritatem detrahere Veteri Testamento, variis adhibitis cum ex eodem, tum etiam e Novo testimoniis (*Contra Adversar. Legis et Proph., lib.* 2, *nn.* 3, 40). Utebatur auctoritate scriptorum apocryphorum (*Ibid., n.* 14); necnon in calce operis hæresim suam a paucitate sectatorum commendabat (*Ibid., n.* 41). Cum volumen hoc erroribus refertum prostaret, complures curiositate ducti ac delectatione periculosissima, vel illud legebant, vel legentibus aures præbebant : quo cognito fideles quidam animo vere christiano, librum ad Augustinum miserunt, petentes ut illum scripto quamprimum refutaret. Paruit itaque eorum voluntati, suamque ipsis responsionem, cui titulum fecit, *Contra Adversarium Legis et Prophetarum*, inscripsit. Hanc ille utilitati lectorum consulens, in binos libros partitus est : quorum in primo eos locos veteris Instrumenti, quos iste nebulo irridebat, nihil continere neque mali neque ridiculi defendit; in secundo autem Fœderis novi testimoniis, quæ adversus vetus, idem hæreticus adhibebat, respondet. In primo libro quartum decimum de Civitate Dei citat (*Ibid., lib.* 1, *n.* 18). Porro si quatuor libros de Origine animæ sub extremum autumnum anni quadringentesimi decimi noni lucubrarit, quominus hosce duos circiter incuntem quadringentésimum vigesimum scripserit, affirmare nihil prohibebit.

# *LIBER OCTAVUS.*

De reliquis Augustini actis ab Christi anno quadringentesimo vigesimo, ad annum quadringentesimum trigesimum.

## CAPUT PRIMUM.

*1 Donatistæ proprio furore exagitati se interimunt et comburunt. 2 Dulcitius tribunus et notarius Gaudentium ex Donati parte episcopum a consilio cremandi revocare studet, atque ab ipso epistolas duas accipit. 3 Dulcitii rogatu Gaudentio respondet Augustinus. 4 Librum Consentio scribit contra mendacium, quod eo nec ad investigandos Priscillianistas uti liceat Catholicis. 5 Ejusdem Consentii quæstiones explicat, in primis utrum nunc corpus Domini ossa et sanguinem habeat, et reliqua carnis lineamenta. 6 Ad Ceretium scribit contra Priscillianistas scripturis apocryphis abutentes ac perjurio.*

1. Vidimus jam ante quos progressus in Donatistarum schisma, tum Carthaginensis collationis, tum legum ab Honorio muniendis illius decretis latarum ope,

fecerit catholica Ecclesia. Vidimus insuper cujusmodi violenta facinora pepererit eorum dolor, qui suam expugnari contumaciam pati noluerunt : atqui furoris ipsorum nequaquam fuit hic terminus. *Sicut enim*, ait Augustinus, *charitas laborat Ecclesiæ sic eos ab illa perditione liberare, ut eorum nemo moriatur ; sic eorum laborat furor, aut nos occidere, ut suæ crudelitatis pascant libidinem, aut etiam se ipsos, ne perdidisse videantur occidendorum hominum potestatem* (*Epist.* 185, *n.* 11). Sunt igitur in usum revocatæ neces illæ horribiles ac lugendæ, quas illi quondam exercuerant, quibusque Circumcellionum nomen per orbem universum adeo celebre factum fuerat, imo et hominibus e secta sua paulo moderatioribus odiosum. Imperator in eos solo exsilio animadvertebat (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 21) : Catholici vero eosdem latere patiebantur non inviti (*Ibid.*, *n.* 41), quippe quos in exsilium pelli hoc solum animo postulabant, ne aliorum saluti essent impedimento (*Ibid.*, *n.* 12). Verumtamen cum extrema supplicia merito jure illorum facinoribus deberentur, hæc in se ipsi et statuebant et exsequebantur, facti sui ipsorum judices simul et carnifices. Cumque sancti martyres pro veritate mortem oppetant, hi quo prohiberent, ne veritas annuntiaretur, ne veritas teneretur, ne unitas amaretur, ne charitas susciperetur, ne compararetur æternitas, interibant (*Serm.* 325, *n.* 2). Si fides habenda Gaudentio, infinitam multitudinem abstulit id mortis genus (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 32). At vero Augustinus contendit non fuisse tot homines, qui sibi manus violentas afferrent, quot pagi, quot oppida, quot urbes integræ ac populi legum imperialium metu a schismate deficiebant. Illi porro cum se ferrum in vitam propriam conversuros, ac præcipitio vel igni tradituros minabantur, Catholicis hac arte persequendi moram se injecturos, necnon eorum ardorem imminuturos sperabant : sed videbatur Catholicis satius esse paucos exstingui perditos ac desperatos, quam in lethifero discidio innumeros relinqui, quos inde legum, quæ non sine divino nutu sibi suppetebant, beneficio eruere potuissent (*Epist.* 204, *nn.* 1, 2). Quorum consilio sic aspiravit cœlestis favor, ut nemine sibi necem consciscente, ingens numerus tum in Numidia, tum in reliquis Africæ provinciis cum Ecclesia in pacem redierit. Sin autem in aliquo loco id mali contingeret, Ecclesia, Davidis instar de Absalone interfecto mœstitiam suam pace regni sui acquisita consolantis, dolorem materni cordis leniebat, et sanabat instauratione unitatis ac tantorum liberatione populorum. *Quorum si videas*, ait ad Bonifacium, *in Christi pace lætitias, frequentias, alacritates, et ad hymnos audiendos et canendos, et ad verbum Dei percipiendum celebres hilaresque conventus, multorumque in eis cum dolore magno recordationem præteriti erroris, et cum gaudio considerationem cognitæ veritatis, et cum indignatione et detestatione mendacium magistrorum, quod modo cognoscant de nostris sacramentis quam falsa jactaverint ; multorum etiam in eis confessiones, quod olim vellent esse Catholici, nec inter homines tanti furoris auderent : horum ergo populorum congregationes per plurimas Africæ regiones ab illa perditione liberatorum, si sub uno conspectu videres ; tunc diceres, nimiæ fuisse crudelitatis, si dum timeretur ne homines desperati, et istorum innumerabili multitudini nulla æstimatione comparandi, suis et voluntariis ignibus cremarentur, isti in æternum perdendi, et sempiternis ignibus cruciandi relinquerentur* (*Epist.* 185, *n.* 32).

2. In illis autem, quorum amentia maxime fuit insignis, nobilitavit se Gaudentius Thamugadensis episcopus, celebris illius Optati Gildoniani successor, et unus e septem, quos Donatistæ suarum partium in collatione Carthaginensi patronos elegerant (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 52 ; *Retract. lib.* 2, *cap.* 59). Is primo cum fugisset, postmodum redierat (*Cont. Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 17), dejerans, si cogeretur communicare Catholicis, se incensa propria ecclesia cum aliis aliquot furiosis, qui adhuc eidem adhærebant, conflagraturum (*Ibid.*, *n.* 1, *et Retract. lib.* 2, *cap.* 59). Honorius imperator legum pro unitate latarum curam Dulcitio mandaverat, laico et militari viro, catholicæ communionis, quique, ut paucis ante annis Marcellinus, tribuni ac notarii dignitate ornatus erat (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 12). Huic muneris sui ratio non irrogandam illis capitis pœnam, sed tantum exsilii, permittebat (*Epist.* 204, *n.* 3). Inerat ipsi lenitatis plurimum ; ejusque opera non paucos a schismate ad catholicam unitatem Deus traduxerat. Cum essent Thamugadenses cæteris pertinaciores, Dulcitius adversus eos mansuetudine, ut decebat, uti cogitans, illos officii sui edicto monuit ; in quo inter alia, cum eos sciret sese cremandi animum habere, declarabat, ipsos mortem, quam mererentur, toleraturos : quo nimirum dicto necem, quam propriis manibus sibi ipsis afferrent, significabat : illi autem hoc ita sunt interpretati, quasi capitale supplicium ipsis intentasset. At ipse alio edicto promulgato mentem explicatius aperuit. Quin etiam litteras ad Gaudentium, quibus eum ad unitatem catholicam adhortaretur, et incendium, quo se ac suos cum ipsa in qua erat ecclesia consumere minabatur, dissuaderet (*Retract. lib.* 2, *cap.* 59). Dicebat esse ibi innocentes, quos ille ad exitium teneret invitos, id est, qui nisi auctoritatis ejus contemplatione ac reverentia inhiberentur, ad catholicam Ecclesiam sponte redirent (*Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 6). Addebat, caveret ne tantum basilicæ ædificium, ubi sæpius nomen Dei invocaverat, concrematum ab ipso fuisse diceretur : lætatum se, quod in provinciam aut forte etiam in urbem Thamugadensem adveniens absentem illum reperisset : contra vero, quod reversum eumdem videret, moleste ferre ; nolle siquidem sibi ejus persequenti occasionem dari, neque illius præsentiam obicem afferre saluti aliorum : si se ille innocentem crederet, fugeret potius juxta dominicum præceptum, quam se ipse cremaret (*Ibid.*, *n.* 12). Testabatur se quorumdam relatu cognovisse, virum illum esse prudentia præditum ; ac semper eum honorificentius tractabat, quam hæreticum deberet catholicus : sed hunc ea ratione redditum iri dociliorem sperabat (*Ibid.*, *n.* 3). Accepta Gaudentius hac epistola, actutum

brevissime, ne moram, ut dicebat, afferret perlatoribus, rescripsit (*Contra Gaud., l.* 1,*n.* 12). Ibi ille profitebatur, sibi quidem definitum et constitutum esse, si vim ullam imminentem cerneret, intra dominica castra vitæ exitum terminare, hoc est, semet cum ecclesia incendere : quod vero ad alios, tantum abesse, ut cogere illos sibi proponeret, ut potius omnibus, qui ex ecclesia decedere cuperent, auctor fuisset, illud palam ac libere declararent (*Ibid.*, *n.* 7). Postridie ejus diei aliud responsum priori verbosius fecit, in quo nitebatur furorem suum Scripturæ defendere testimoniis , in hisque exemplo Razii, cujus mortem liber secundus Machabæorum narrat (*Ibid.*, *n.* 12). Memorabat id quoque, quod Emerito contigerat, cum Augustinus vertente anno quadringentesimo decimo octavo Cæsaream petierat; sed rei dissimulata veritate (*Ibid.*, *n.* 15).

3. Dulcitius utramque epistolam Augustino deferendam curavit, orans illas ut refelleret ( *Retract. libro* 2, *cap.* 59 ), ac sibi præciperet, quo pacto ipsi esset hæreticis respondendum ( *Epist.* 204, *n.* 1 ) : id est, nisi nos fallit conjectura, quam rationem eum habere oporteret minarum, quibus in se ipsos ferro flammaque usuros jactitabant. Ad hoc retulit sanctus Antistes, minas hujusmodi nihili faciendas ; neque debere illum metu exitii miserorum aliquot deterreri, quominus aliorum saluti, quoad ejus fieri potest, consulat. De refellendis autem Gaudentii epistolis, ait id sibi per occupationes vix licere, aliisque in operibus jam se respondisse iis argumentis, quæ istæ continerent (*Ibid.*, *n.* 4 ) : illas tamen se exacte, cum ejus atque Eleusini, qui idem a se postulabat, gratia, tum sua in Thamugadensem populum charitate confutaturum ( *Ibid.*, *n.* 9 ). Quin etiam easdem, atque in primis adductum Razii exemplum, strictim dissolvit in ea ipsa ad Dulcitium epistola. Hunc porro Eleusinum, quem Augustinus honorabilem et charissimum filium suum vocat, necnon apud Thamugadenses tribunatum obiisse testatur, haud absurde quis putaverit eumdem illum esse Eleusinum, virum tribunitium, qui prædium in agro Hipponensi possidebat, ubi et beati Stephani ædicula seu memoria erat. Is filium adhuc infantulum, qui morbo fuerat sublatus, super memoriam, seu forte ædiculam sacras Martyris reliquias continentem posuit ; cumque Deo ubertim lacrymans supplicasset, eumdem vivum ac sospitem retulit ( *De Civit. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 19 ). Narrat insuper sanctus Præsul, dilectum atque honorabilem filium suum Eleusinum Hipponensi monasterio villam dono dedisse ( *Serm.* 356, *n.* 15 ) ; quam vel hinc intelligas fuisse proventus non mediocris, quod is illam diceretur vendidisse, cum hoc muneris ab eo gratis profectum nemo facile crederet : sed hunc rumorem falsum declaravit, atque hujus donationis testem se professus est Augustinus. Is ut primum sibi licuit, fidem suam de confutandis Gaudentii duabus epistolis liberavit, inque eam rem librum unum elucubravit, in quo præmissum adversarii contextum sua ipsius responsio sequebatur ; ut scilicet imperitioribus quoque clarum fieret, a se sine responso nihil prætermissum ( *Contra Gaudent.*, *lib.* 1, *n.* 1 ). Lecto hoc libro Gaudentius ipsimet Augustino rescripsit, non eum ut confutaret, sed tantummodo ne convictum se silentio suo fateri crederetur (*Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 1 ; *Retract. lib.* 2, *cap.* 59). Verumtamen dum infirmitati suæ velum obtendere cogitabat, illam multo manifestiorem reddidit. Quippe animadvertebat quilibet, voluisse quidem eum respondere, attamen nihil sani aut solidi opposuisse. Quo fiebat, ut desperatam ipsius causam esse ambigeret nemo. Haud erat magni negotii etiam mediocris prudentiæ viris, quam inepte Augustino ille responderet, collatis utriusque scriptis cognoscere : istud autem ut per singula capita demonstraretur, prolixiori disputatione indigebat. Erat Augustinus ad hunc laborem, si videretur ita necessarium, paratissimus : at ne interim sine responso Gaudentius relinqueretur, brevissimum dedit, qui secundus est in eumdem liber. Eo satisfactum esse hominum exspectationi inde conjicias, quod Vir sanctus ei nihil postea reperiatur addidisse. Hos ille duos libros quasi Gaudentio ipsimet inscriptos memorat. Possidio vero in Indiculo separatim notatur, *Responsionum contra epistolas duas Gaudentii episcopi Donatistarum, liber unus* ; et, *Ad Gaudentium Donatistarum episcopum, epistola una* ( *Possid., in Indic., cap.* 3 ). Quid Gaudentio cæterisque Donatistis inde ad mortem usque Augustini factum fuerit, nusquam reperimus.

4. Dum Augustinus Gaudentio respondebat, simul etiam operam dabat libro contra Mendacium, quem Consentio, non procul forte ab Hispania, ubi Priscillianistarum hæresis vigebat, agenti, destinavit ( *Retract. lib.* 2, *cap.* 60 ). Hic Augustino legenda multa miserat, eaque de Priscillianistarum dogmatibus, quæ singillatim, post accuratam inquisitionem et quam plurima ex quodam Frontone cognita, referebat ( *Contra Mendacium*, *nn.* 1, 4 ). Ad hosce hæreticos investigandos, qui hæresim suam non mendacio tantum, sed perjurio quoque adhibito existimabant occultandam, videbatur Consentio simulatione utendum esse Catholicis, fingendo se esse Priscillianistas, quo sic eorum latebras penetrarent. Id prorsus improbavit Augustinus, scripto hanc in rem libro, cui titulum indidit, *Contra Mendacium* ( *Retract. lib.* 1, *cap.* 27 ), eo quod aperto marte hoc vitium aggrediatur, solvens Scripturæ locos eos, quibus nonnulli, et in his forsitan ipse Consentius, eidem patrocinari moliebantur. Sed illud in primis demonstrat, ut maxime verum esset aliquando mentiri licitum esse, id tamen in rebus, quæ ad religionem pertinent, haud unquam sine magno crimine ac periculo posse usurpari. Hortatur Consentium, ut contra Priscillianistas, quando viribus ad hanc rem necessariis a Deo esset instructus, stilo decertet ; cum supervacaneum foret, illorum explorare atque eruere dogmata, si sine confutatione relinquerentur (*Contra Mendac.*, *n.* 25). At vero id ante omnia jubet, eorum doctrinam de mendacio in causa religionis usurpando oppugnet, inque eam rem Dictinii episcopi Priscillianistæ librum, cui Libræ nomen, refellat (*Ibid.*, *n.* 5). Illud porro con-

tra mendacium opus verno circiter tempore, anni, ut videtur, præsentis elucubratum fuit. Nec est dubium, quin hoc ipsum opus innuerit Augustinus, ubi aiebat : *Verum hic difficillima et latebrosissima gignitur quæstio, de qua jam grandem librum, cum respondendi necessitas nos urgeret, absolvimus* ( *Enchirid.*, *n.* 6 ). Quod enim attinet ad librum de Mendacio, compositum eum fuisse ad respondendum cuipiam non videmus. Huc adde, eumdem non ante prodiisse in lucem, quam Augustinus ad opera sua retractanda manum admovisset ( *Retract. lib.* 1, *cap.* 27 ).

5. Epistolam cujus initium est, *Quantum ad oculos attinet corporales* ( *Epist.* 205 ), non inviti crediderimus, et ad eumdem Consentium, et eodem quoque anno scriptam : Consentii vero epistolam, cujus ibidem Augustinus meminit, eam ipsam esse, quæ scribendo libro, de quo narrabamus, occasionem dederit. Præter hanc epistolam, separata chartula Consentius Augustinum quarumdam quæstionum solutionem rogarat : ut puta, utrum nunc corpus Domini ossa et sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta : utrum singillatim a creatore Deo corporum, quæ nunc fiunt, lineamenta formentur : utrum baptizati omnes veniam aliquando tandem consecuturi sint, etiamsi absque pœnitentia variis criminibus irretiti, de corpore exierint : utrum Dei flatus in Adam, ipsa sit ejus anima. His de rebus ad eum rescripsit Augustinus : sed præcipue super statu Dominici corporis ac beatorum in cœlo disseruit. Istarum quæstionum auctor idem ille forte est Consentius, qui ante decem circiter annos alia quædam de Trinitate inquirebat, cui videlicet Augustinus tunc respondens dicebat : *In libris tuis valde sum tuo delectatus ingenio. Ejus quippe es facultatis, ut possis ea quæ senseris explicare* (*Epist.* 120, *n.* 1 ).Quemadmodum et ipsi nunc de mendacio rescribens, dicit : *Valde sum tuo delectatus eloquio, et sanctarum memoria Scripturarum, ingeniique solertia* ( *Contra Mendac.*, *n.* 1 ). Ille anno quadringentesimo decimo insulas quasdam incolebat ( *Epist.* 119, *n.* 6 ), et in Africam Augustini videndi causa navigarat ( *Ibid.*, *n.* 1 ) : sed eum rus aliqua necessitate profectum, videre sibi non licuerat. Eo tamen tempore narrabat Augustinus, se quidpiam ab illo audisse; quod nisi ita dixerit, ut non coram, sed alio quodam modo id ab illo didicisse intelligatur, non convenit in eum Consentium, cujus modo quæstiones expendit Augustinus. Hunc enim in eorum numero ponit, quos cum nunquam vidisset, amabat tamen ; et quorum conspectum eo animo peroptabat, ut suum in eos amorem expleret ( *Epist.* 120, *n.* 1 ).

6. Eamdem Priscillianistarum hæresim Augustinus sua ad Ceretium episcopum epistola ( *Epist.* 237 ), cujus nos ætatem ignoramus, aggreditur. Ceretius ille, de quodam Argirio illi significaverat, et ad eum volumina duo miserat, eaque, uti videtur, apocrypha ; addito hymno uno, qui ferebatur esse Christi Domini, et super quo præcipue, quid ille sentiendum duceret, ex ejusdem litteris cognoscere cupiebat. Magna et continua negotia, quibus Vir sanctus tantum non opprimebatur, ei vix satis otii reliquerunt, ut horum voluminum alterum decurreret : quod enim ad alterum, id aliquo distractum est, ut illud postea reperire non licuerit. Exacto igitur non ita brevi intervallo respondit Ceretio, eique se existimare nuntiavit, Argirium aut Priscillianistarum sectæ nomen dedisse, aut saltem eorum errores sectari imprudentem; sibique neutiquam videri dubium, quin scripta illa, quæ ejus missu ad se perlata fuerant, non alia essent ab hisce apocryphis, quibus perinde atque divinis abutebantur. Refert bene multa verba ex eo hymno, quem ipsi hæretici ipsum hunc esse jactitabant, qui finita ultima cœna fuerat a Christo dictus, quoque ejusmodi mysteria comprehenderentur, quibus capiendis vulgaris notæ homines pares non essent. Eo nihil contineri ostendit, quod canonicæ auctoritatis libri non haberent, si ratio qua illum publice interpretabantur, spectaretur : vero tamen simillimum esse, illos hæresis suæ dogmata isthic occultare, quæ suis tantummodo prodant; quia revera nefaria sunt et detestanda : iis præceptum quoque, ut occultandorum dogmatum suorum causa, etiam cum falsa juratione mentiantur, tradi in hæc verba : *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Testatur abunde se id aliaque illius sectæ scelera habere cognita ex iis viris, qui cum in illa prius hæsissent, inde postea divino beneficio erepti fuerant.

## CAPUT II.

*1 Julianus libros adversus Augustinum quatuor, et aliquot pro Pelagianis epistolas scribit.* 2 *Augustinus excerptas ex primo librorum Juliani sententias refellit, edito ad Valerium libro secundo; necnon contra duas Pelagianorum Epistolas, libris quatuor ad Bonifacium scriptis.* 3 *Hos omnes Augustini libros in Italiam defert Alypius.* 4 *Alios sex libros in Julianum Augustinus edit.* 5 *Rescriptum ab Constantio imperatore promulgatur contra Pelagianos; et Cœlestis deæ templum solo æquatur.*

1. Vidimus anno superiori, quemadmodum Augustinus ad Valerium comitem librum de Nuptiis et Concupiscentia primum direxerit. Is liber in lucem vix prodierat, cum Julianus e Pelagii factione episcopus Eclanensis libros in illum unum quatuor evulgavit. Illius tamen reipsa ne quidem quartam partem perstringebat, contentus quæ debiliora putaret, exagitare, quasi futurus esset nemo qui totum utrumque opus evolveret (*Cont. Julian.*, *lib.* 1, *n.* 2). Veritate desertus, ad maledicta convertebatur (*Ibid.*, *n.* 3) : Catholicos injuriose Manichæorum nomine appellans, atque in primis Augustinum, quem etiam contemptus causa vocitabat Pœnum disputatorem (*Ibid.*, *lib.* 3, *n.* 32). Obtrectabat quoque nonnullis, qui Pelagiana ejurata hæresi, ad orthodoxam fidem redierant, quorum aliquos Augustinus asserere videtur sibi notos esse, ac vitam vivere longe castissimam ; quod vero ad alios, quinam essent ii, nescire se (*Ibid.*, *lib.* 6, *n.* 35) : sed Valerium comitem tractabat honorificentius (*Oper. imperf. lib.* 1, *cap.* 10). Irrito conatu desudabat (*Ibid.*, *cap.* 67), quo in suum sensum detorqueret celebria illa verba Apostoli, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24.) Quædam Basilii et Chrysostomi dicta, quæ contende-

bat hæresi suæ favere, proponebat (*Contra Julian.*, *lib.* 6, *n.* 69). Denique se argumentis omnibus a Catholicis ad probandam originalem culpam allatis responsurum pollicebatur (*Operis imperf. lib.* 1, *n.* 1.) Hos quatuor libros Turbantio nuncupavit, suæ factionis episcopo : quem virum magno virtutum fulgore conspicuum prædicat in aliis ad Florum libris. At proxime post editos hosce posteriores libros, postque has a Juliano laudes, eumdem Turbantium Deus, Ecclesiæ pro illo precibus exoratus, ab Pelagiano errore liberatum, ad fidem catholicam sua operatione et miseratione convertit, illo ipso forsitan ad id usus opere, quo eum Julianus in hæresi obfirmare studuerat (*Ibid.*, *lib.* 2, *cap.* 11, *et lib.* 5, *n.* 4). *Sanctus forte Turbantius*, ait Augustinus, *ipso opere tuo lecto, quod ad eum te scripsisse commemoras, etiam propterea in catholicam fidem respiravit, quoniam te in tali causa defecisse cognovit* (*Ibid.*, *lib.* 4, *n.* 30). Conscripto hoc opere Julianus, actutum epistolam in Urbem misit per quam quos posset, ut dicit sanctus Doctor, suos aut inveniret, aut faceret (*Cont. Duas Epist. Pelag.*, *lib.* 1, *n.* 3). Ibidem audientiæ, hoc est synodi, quam Pelagiana factio flagitabat, meminit (*Ibid.*, *n.* 12). Hanc epistolam Augustinus primo suo libro ad Bonifacium refellit. Quanquam videtur Julianus vana quadam de causa voluisse illam abdicare ; nec prohibuit Augustinus : *Si eam*, inquit, *non agnoscis*, *ecce non sit tua* (*Operis imperf. lib.* 1, *n.* 18). In eadem epistola istud ipsum legere erat, quod Pelagianorum octodecim episcoporum nomine ad Thessalonicensem antistitem missa epistola continebat, scilicet Augustini dicta ab suis ipsorum inimicis in odium veritatis esse suscepta (*Cont. Duas Epist. Pelag. lib.* 1, *n.* 9 ; *lib.* 4, *n.* 20) : quo e loco utrasque sub hoc idem tempus scriptas fuisse conjicias licet : atqui hoc saltem minime ambiguum est, easdem haudquaquam tardius in lucem prodiisse.

2. Cum utraque hæc epistola in manus Bonifacii papæ, non sane nisi vigilantissima Catholicorum Romanorum diligentia, venisset (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 3) ; hic illas Augustino curavit deferendas per sanctum Alypium, qui transmarinam profectionem hac tempestate cur susceperit, nobis ignotum est. Tunc porro ipsi, cum Ravennæ esset, litteras ad Augustinum dedit Valerius comes, quibus et gratias de misso sibi libro agebat sancto Doctori, et eum simul admonebat, ut per memoratum Alypium audiret, quid hæretici contra quosdam hujus libri locos jactarent (*De Nupt. et Concup.*, *lib.* 2, *n.* 1). Eidem Alypio Ravenna posthac Romam profecto Valerius chartulam misit ad Augustinum deferendam, qua continebantur sententiæ de libro primo Juliani, per quempiam ad libitum nonnullis etiam mutatis decerptæ, atque ad eumdem Comitem, ut Augustini libro responsum brevius atque expeditius haberet, transmissæ (*Operis imperf. Præf.*). Has ergo sententias perferendas ad Augustinum curavit, petens ut easdem, quam maxima posset celeritate, refutaret. Alypius Romæ a Bonifacio papa benignissime acceptus est, ubi cum eo convivens, parvo licet tempore, magno ei junctus affectu, eumdem ipsi quoque Augustino amicitiæ strictissimo nexu obligavit (*Cont. Duas Epist. Pelag.*, *lib.* 1, *n.* 1). Quapropter Bonifacius Alypio duas illas epistolas, ut a nobis jam observatum, alteram quam Julianus Romam, alteram quam octodecim episcopi ad Rufum Thessalonicensem scripserant, ob hoc præcipue tradidit, quod in utraque sanctum Doctorem calumniose habitum cerneret (*Ibid.*, *lib.* 2, *n.* 3). Rediit itaque Alypius in Africam duobus hisce libris ac memorata sententiarum chartula onustus. Has Augustinus sententias ex libris Juliani collectas esse conjiciens, melius fore judicabat, si universo ipsi operi ejus refellendo daret operam : verumtamen arbitratus est sibi festinandum, ut Valerio comiti satisfaceret (*De Nupt. et Concup.*, *lib.* 2, *n.* 3). Quamobrem in illas sententias alterum eidem Valerio librum, eodem titulo, *De Nuptiis et Concupiscentia*, inscriptum, quantocius edidit, anno jam a primi libri editione uno circiter exacto : atque ibi confutatis Juliani calumniis ostendit, catholicum dogma de originali malo ab Manichæorum hæresi longissime distare. Libros etiam quatuor duabus memoratis epistolis refellendis elucubravit ; ita ut primo libro epistolam quæ ipsius, ut ferebatur, Juliani, tribus sequentibus aliam, quæ octodecim episcoporum erat, redargueret. Enimvero cum gratiæ adversarios a sollicitandis per varias commentationes infirmiorum animis videret non interquiescere, officii sui esse judicavit, iisdem eadem ratione occurrere ; tum nec Catholicorum quemquam decipi ab iis pateretur, tum ne ipsi se vel suos in illo nefario errore firmarent. Illud operis ipsi potissimum Bonifacio mittere constituit, ut illud, non tam discendi gratia evolveret, quam examinandi emendandique, quoties in locum aliquem, qui sibi minus probaretur, incideret. Dum ibi injuriosam illam, qua secum agebant Pelagiani, rationem commemorat : *Spero*, inquit, *de Domino Deo nostro, quod non sine mercede, quæ in cœlis est, illi me lacerant dente maledico, quibus me pro parvulis, ne fallaci laudatori Pelagio perditi relinquantur, sed veraci Salvatori Christo liberandi offerantur, oppono* (*Cont. Duas Epist. Pelag.*, *lib.* 1, *nn.* 2, 3).

3. Alypius in Italiam iterum sub ejusdem anni quadringentesimi vigesimi finem aut sub proxime sequentis initium trajiciens, novas illas Augustini adversus Pelagianos lucubrationes, quatuor scilicet ad Bonifacium libros (*Operis imperf. lib.* 1, *n.* 85) et secundum ad Valerium, detulit (*Ibid.*, *n.* 7). Contra molestissimos inimicos gratiæ Dei venire tunc necesse erat, quando in illis maxime partibus hæresim suam ab interitu vindicare omni studio conabantur. Hanc sane Alypio vel solam vel præcipuam iterandæ navigationis causam fuisse arbitrati illi, hinc ad obtrectandum orthodoxis ansam arripuerunt, Juliani stilo eam in rem insolentius abutentes. Criminabatur ille, Alypium hac profectione octoginta et amplius equos tota Africa saginatos tribunis adduxisse (*Ibid.*, *n.* 42) ; sibi vero exinde blandiebatur in hunc modum : *Amplissimam esse nostri negotii dignitatem, ut ipsa rerum consideratio et appensio indicat, quas tuemur, ita etiam vester pavor ; qui contra nostrorum sanguinem, pecuniarum*

*effusione, hæreditatum largitate, equorum transmissione, populorum seditione, potestatum corruptione pugnantes, et fidem vestram, quæ a nobis impugnatur, erubescitis profiteri* (*Oper. Imp. l.* 1, *n.* 74). Ac post multa ad eamdem calumniandi causam reversus : *Cur ergo*, ait, *tantis totam Italiam factionibus commovistis? cur seditiones Romæ conductis populis excitastis? cur de sumptibus pauperum saginastis per totam pene Africam equorum greges, quos prosequente Alypio tribunis et centurionibus destinastis? cur matronarum oblatis hæreditatibus potestates sæculi corrupistis, ut in nos stipula furoris publici arderet? cur dissipastis Ecclesiarum quietem? cur religiosi Principis tempora persecutionum impietate maculastis?* (*Ibid.*, *lib.* 3, *n.* 35.) Sed impotentiam hominis atque insignem impudentiam Augustinus hac responsione retundit : *Aut calumniaris, aut nescis quid loquaris : et ideo aut mendax, aut temerarius ista loqueris. Quid te autem nequius, si hæc ipse finxisti? quid stolidius, si fingentibus credidisti? Jam vero quod etiam scribere ausus es, neque veritus ne ad ea loca libri pervenirent tui, quæ terra marique transeuntem seu venientem collegam meum Alypium susceperunt, ubi legi apertissime tua falsiloquia, sine tua irrisione, vel potius detestatione, non possunt; cui non dico impudentiæ, sed dementiæ comparatur?* (*Ibid.*, *lib.* 1, *cap.* 42.) Denique improbam Juliani dicacitatem rursum castigans, ait : *Sicut falsa sunt crimina quæ objicis nobis; ita falsa sunt dogmata quæ fingitis vobis* (*Ibid.*, *lib.* 3, *n.* 35).

4. Quatuor Juliani libros nondum viderat Augustinus, cum eorum excerpta refutavit : sed non ita multo post in ejus manus illos venisse hinc intelligitur, quod eorum confutationem proxime post libros ad Bonifacium ponat (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 62). Episcopus quidam (Claudio nomen erat [*Epist.* 207]), hos ad eum priusquam peteret, misit. Acceptos igitur sanctus Doctor sedulo excussit, ac tales legendo reperit, quales esse antequam eos haberet, existimaverat, scilicet fallaciis ac mendaciis refertos : et sane non poterant nisi ejusmodi telis veritatem, quam impugnabant, adoriri (*Operis imperfecti lib.* 1, *n.* 17). Eadem illa lectione deprehendit, excerpta quæ sibi miserat Valerius, in nonnullis ab Juliani opere discrepare. Unde veritus est, ne ipsum Julianus, vel alius quispiam, vulgatam ad ea responsionem conspiciens, fraudis reum ageret (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 62). Non omisit certe Julianus id ei criminis injuriosissime impingere, quamvis illius criminationes per se confractæ corruerent : imo vero sanctum Doctorem non obscure excerptorum, quibus responderat, auctorem designabat (*Operis imperfecti lib.* 1, *n.* 19). Ad confutandum igitur Juliani opus, præter alia, hujus etiam accusationis metus eum impulit : id autem sex libris luculenter præstitit. Ac primum quidem quia Julianus in eos omnes, qui ex Adam trahi peccatum originale dicerent, conferebat impium Manichæorum dogma, hanc in clarissimos quosque Ecclesiæ Patres recidere calumniam ostendit, allatis in eam rem tam Græcorum quam Latinorum testimoniis : quin etiam ipsius potius Juliani temerariis quibusdam sententiis Manichæos adjuvari demonstrat. Secundus etiam liber ex Patrum sententiis, quæ Juliani argutiis ac sophismatis ibi opponuntur, constat. Cum autem Augustinus vereretur, ut tot tam sanctorum tamque eruditorum Patrum auctoritati cederet Julianus; imo neque dubitaret, quin etiam ipsos hac in re errasse dicturus esset; propterea ne quidquam ex toto illius opere non explosum destructumque remaneret, singulos quatuor Juliani libros singulis totidem suis refellit, exquisitis confirmans argumentis et veram esse doctrinam catholicam, et Pelagianis placitis Manichæorum hæresim stabiliri (*Contra Julianum, lib.* 3, *n.* 1). Principio totius operis aperte profitetur, se Juliani contumelias non prorsus contemnere. Verum (quod Catholicos disputatores, qui a gratiæ Dei inimicis male habentur, animadvertere juvat) non ob aliud sese iis commotum declarat, nisi quod inde sibi materia præberetur, tum lætitiæ et exsultationis propter mercedem quam habebat uberiorem in cœlis, tum mœroris et tristitiæ propter periculum Juliani, cujus vicem præ sua in eum charitate, necnon eorum qui ab illo decipiebantur, dolebat (*Ibid.*, *lib.* 1, *n.* 1). Quod ad monomachiam sibi oblatam a Juliano attinet, eam ipse nequaquam putat accipiendam. *Absit*, inquit, *ut mihi apud Catholicos arrogem, quod te tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Unus sum e multis, qui profanas vestras novitates, ut possumus, refutamus, sicut unicuique nostrum Deus partitus est mensuram fidei* (*Ibid.*, *lib.* 6, *n.* 22). *Absit ut ad monomachiam vos provocem, quos, ubicumque apparueritis, ubique diffusus Christi debellat exercitus; qui debellavit apud Carthaginem Cœlestium, quando illic ipse non eram; et rursus Constantinopoli, tam longe a regionibus Africanis : qui debellavit in Palæstina Pelagium, ubi causam vestram suæ damnationis timore damnavit* (*Ibid.*, *lib.* 3, *n.* 4). In primo libro Hieronymi commemorat tanquam mortalitate jam defuncti (*Ibid.*, *n.* 34). Atqui sanctus ille presbyter diem obiit anno tantum quadringentesimo vigesimo pridie kalendas octobris : quo fit, ut hosce libros in annum quadringentesimum vigesimum primum referre non dubitemus.

5. Consentiunt inter se chronographi, Constantium imperatorem Honorii levirum e vita hoc anno quadringentesimo vigesimo primo migrasse, cum omnino sex menses imperasset, septimo secundum Olympiodorum inito. Hujus inter alia, quæ sui erga Ecclesiam ardoris reliquit monumenta, exstat rescriptum ad Volusianum præfectum Urbi, ut Roma pellatur Cœlestius. Cui rescripto Volusianus obtemperans jubet Cœlestium, quem divinæ fidei et quietis publicæ perturbatorem appellat, Roma atque omni vicina regione exturbari, proscriptionis pœna illis, qui eumdem occultaverint, intentata. Sub ejusdem principis imperio, tribunus nomine Ursus omnia ædificia celeberrimi templi Cœlestis deæ Carthaginensium ad fundamenta usque diruit, ac solum illius sepeliendis mortuis destinavit (*Prosper, de Prædestinatione, lib.* 3, *cap.* 38). Hæc ædes jam fuerat Christianis tradita, necnon in ecclesiam ab Aurelio consecrata : sed nihilo secius

infideles ex vani cujusdam vaticinii auctoritate fore sperabant, ut priscas suas superstitiones aliquando in hoc superbo ædificio redivivas cernerent; atque adeo necessum erat, ut Deus hanc illis fiduciam prorsus adimeret.

## CAPUT III.

1 *Nonnulli Manichæorum detecti Carthagine.* 2 *Victorinum Manichæum ejicit Augustinus.* 3 *Enchiridion in gratiam Laurentii componit.* 4 *Paulino eum consulenti scribit librum de Cura pro mortuis gerenda.* 5 *Ad octo quæstiones Dulcitii respondet.*

1. Ex proxime allato Prosperi loco, unde Ursum tribunum id temporis in Africa degisse discimus, insuper admonemur, ut quæ ibidem circa Manichæos hujus ipsius Ursi opera gesta sunt, hic referamus. Cum ille, quem non modo tribunum, verum etiam regiæ domus procuratorem nuncupant, fidem catholicam profiteretur, interceptos aliquot e numero eorum, quos Electos atque Electas vocabant Manichæi, in quibus erat puella quædam nomine Margarita nondum nata annos duodecim, et Eusebia quædam quasi sanctimonialis, adduxit in ecclesiam apud Carthaginem, ubi et ab episcopis interrogati fuere, atque in primis ab Augustino; qui cum præ cæteris exsecrabilem hanc sectam cognitam haberet, necnon eorum blasphemias ex propriis ipsorum libris demonstraret, eos ad illas confitendas adegit, ac flagitiosarum libidinum, quas inter se exercebant, et quarum levissima erat virginum constupratio, confessionem ex ore Electarum expressit. Margarita turpitudines illas prima confessa est, a qua postmodum Eusebia, quæ se virginem esse prædicaverat, dedecus ac propudium suum fateri coacta, alia etiam sectæ suæ abominanda facinora aperuit. Per omnem illam inquisitionem cuncta ecclesiasticis gestis mandabantur; et forte hinc est, quod Possidius *ad tabulas* auditos esse Manichæos tradit. Idem etiam subjungit, cura ac diligentia, quam episcopi adhibuere in hoc negotio, Ecclesiam Domini nova accessione locupletatam, necnon armis novis, quibus adversus fures atque latrones defenderetur, instructam. Idem adhuc postea illorum non sacramentum, sed, ut cum Augustino loquamur, exsecramentum episcopi detexere confessione cujusdam inter alios Manichæi nomine Viatoris; cujus rei acta sancto Augustino Quodvultdeus Carthaginensis diaconus misit (*Possidius*, *in Vita Augustini*, *c.* 16; *Augustinus*, *De Hæresibus*, *hær.* 46). Hoc ipsum verisimile est desiderari ab Augustino, cum anno circiter quadringentesimo vigesimo septimo eumdem diaconum rogat, se de Theodosio, qui Manichæos aliquot prodiderat, certiorem faceret, num et ipse et qui detecti ab ipso fuerant, quos dicebat errores emendasse, in catholica fide perseverarent (*Epist.* 222, *n.* 2). Exstat fragmentum actorum quorumdam ejusmodi, in quibus de Manichæis indagandis explorandisque agebatur (*Admon. in lib. de Actis cum Felice, tom.* 8); siquidem Felix, qui sectam illam ejuraverat, sese jurejurando obligat ad eos omnes, quos eidem superstitioni addictos nosset, deferendos; quam in rem homines duos ac feminas aliquot, qui partim in tractu Cæsareensi, partim Hippone-Regio habitabant, nominat. Illius denuntiationem sequitur Commonitorium Augustini nomen præ se ferens, nec ipso auctore indignum, in quo quid circa redeuntes ad Ecclesiam Manichæos observandum esset, præcipitur (*In Appendice tom.* 8). Illic eos ante omnia libellum tradere jubet, errores suos pristinos complectentem, quorum suppliciter veniam petent, et Manichæum cum flagitiosis ipsius deliramentis ea verborum forma detestabuntur, quæ præscribitur in Commonitorio. Si libellum eorum probet episcopus, iis qui solum Auditores inter illos fuerint, litteras dabit die et consulatu præsenti subnotatas, quibus eosdem ad Ecclesiæ misericordiam confugisse testabitur: ne videlicet aut ad ecclesiastica tribunalia, aut ad laicos magistratus citari possent; quod huic hæresi, quam severissime civiles leges ab ipso etiam Diocletiano latæ puniebant, ad id temporis adhæsissent. Qui si denuo redirent ad vomitum; jam in eos, qua digni sunt, juris severitate animadverti Commonitorium jubet, hoc est, fideles ab eorum consortio, vel amicitia, vel quacumque societate christiana se abstinere. Quod vero ad alios spectat, acceptis episcopi testimonialibus litteris, statuitur eos piis aliquibus viris, sive clericis, sive laicis, commendari oportere, qui una vel juxta habitantes, ipsos ad verbum divinum frequentius audiendum impellerent, testimoniumque redderent eorum vitæ, ut intelligeretur quandonam ad Baptismum, si necdum eo essent initiati (nam videbatur Manichæis Sacramentum hoc supervacaneum), admitti deberent, aut ad reconciliationem, si redacti in ordinem pœnitentium fuissent: at generaliter neutrum eis facile concedendum, nisi si mortis periculum aliud persuadeat. Ad Electos porro quod spectat, monet testimonium resipiscentiæ nonnisi difficulter eis dandum ab episcopo, ut ne loca ubi probationis causa collocati fuerint, nempe monasteria vel xenodochia, in quibus tam diu manere debent, quoad Baptismum aut reconciliationem illis jam negandam non esse constet, facile deserant.

2. Erat Victorinus nescio quis e secta Manichæorum, qui simulata fide catholica hypodiaconus Ecclesiæ Mallianensis in Mauritania Cæsareensi fuerat constitutus (*Epist.* 236, *n.* 1). Hic Hipponem venerat, ubi errores suos docuerat haud paucos homines, quibus mentem suam ideo aperiebat, quod ad se discendi gratia eos ventitare arbitraretur. Quapropter re cognita Augustinus in eo convincendo non laboravit. Cum enim de doctrina hominem interrogasset, ille qui sensus suos nimis multis patefecerat, quam ut negationem speraret sibi profuturam, sponte sua Manichæum se esse confessus est: cæterum non Electis, sed tantum Auditoribus adscriptum se contendit. Quin etiam oravit sanctum Antistitem, ut se in veritatis ac doctrinæ catholicæ viam reduceret. At vero hic in sene dissimulatam sub sacro honore clericatus hæresim exhorruit: illum coerceri jussit, atque ex urbe ejici. Et ne provinciam Mauritaniæ inficeret, Deuterio Cæsareensi episcopo metropolitano rem significavit, quo

videlicet præmonitus malo occurreret; caveret ne pœnitentia illi, nisi prius detectis omnibus, quos nosset, Mallianæ atque adeo totius provinciæ Manichæis, concederetur; illum denique vitari, ac dignitate abdicari, seu denuntiari Hippone abdicatum, juberet (*De Gestis cum Emerito, n.* 1). Simul eidem Deuterio exponit, quas blasphemias crederent, quamve disciplinam observarent Manichæorum Auditores.

3. Enchiridion suum seu Manuale non ante hunc annum Christi quadringentesimum vigesimum primum composuit : quandoquidem in eo Hieronymus cum sanctæ memoriæ laudatur elogio (*Enchirid.*, *n.* 23). Inscribitur hoc opus ad Laurentium Dulcitii fratrem (*De octo Dulcitii Quæstionibus, quæst.* 1, *n.* 10), qui Augustinum per litteras petierat, ut sibi librum conscriberet enchiridii forma, quem semper haberet in manibus : in quo disceret quid maxime nos amplecti oporteat, quidve ob varias hæreses præ cæteris fugere; quibus in rebus fidem ratio sequatur ac stabiliat, quibus contra illi refragetur, et solam, utpote ad ejus premenda vestigia impar, deserat; quibus finibus spes nostra contineatur; quæ sit christianæ doctrinæ summa, quodve certum ac proprium fidei catholicæ fundamentum. Atqui hæc tanta tamque ardua sibi paucis omnia definiri peroptabat (*Enchirid.*, *n.* 1). Sanctus Augustinus, qui cum ejus eruditione plurimum delectabatur, tum multo vehementius eum adjungi veris sapientibus cupiebat, postulatam institutionem ipsi negare noluit. Cumque omnes illius quæstiones eo pertinerent, ut quid credendum sit, quid sperandum, quid amandum denique cognosceret; sanctus Præsul, *De Fide, Spe et Charitate* in commentatione sua disseruit; cui etiam hunc ipsum titulum indidit in variis locis : tametsi Laurentii prudentiæ permittat, ut illud, si maluerit, *Enchiridion* appellet (*Retract. lib.* 2, *cap.* 63; *Epist.* 231; *De octo Dulcitii Quæstion.*, *quæst.* 1). Testatur autem hic se diligenter de ratione colendi Dei, quæ vera hominis sapientia est, disputasse. In quæstione super his quæ pro mortuis frequentat Ecclesia, num scilicet ea non essent apostolicæ adversa sententiæ (quod tunc temporis ab eo Paulinus quærebat), affirmat sanctus Doctor, illa quibus prosunt, quia cum viverent, ut sibi possent prodesse meruerunt, aut ad hoc prodesse ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

4. Enchiridio Augustinus librum illum subjicit, cujus inscriptio est : *De Cura pro mortuis gerenda* (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 64). Ejus argumentum suggessit Paulinus, qui dubio procul amicitiam Augustini nunquam non coluerat; quanquam a multis retro annis nullum ejus rei specimen advertimus. Contigerat autem ut matrona quædam Flora nomine, vidua, atque in Africa degens, humando filio, quem sat credibile est haud procul Nola diem obiisse, locum in sancti cujuspiam æde a Paulino peteret. Hanc ille missa epistola solatus est, id simul nuntians, de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. In hac sancti Felicis basilica, quam Paulinus construxerat, erant sacræ cellæ, sive sacella orationi et mortuorum sepulturæ destinata. Cum porro Floræ Paulinus rescriberet, eadem usus est opportunitate, ut litteras ad Augustinum daret. In his ab eo sciscitabatur, num credat prodesse cuique post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur : ac si id quidem videri dicebat, non esse inanes motus animorum religiosorum atque fidelium pro suis ista curatium : et adjungebat vacare non posse, quod univer[sa] pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit; ut hi[nc] et illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum sepeliendo ejus corpori talis provide[atur] tur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto mo[do] quæsita sanctorum (*De Cura pro mortuis gerenda*, *n.* 1). Aliunde vero sibi dubitationem id injicere aiebat, quod non satis videret, quonam pacto illa conciliari queat opinio cum hoc Apostoli pronuntiato : *Unusquisque recipiet prout gessit in corpore* (II *Cor.* v, 10). Modesta illa inquisitio tam illustris episcopi, tamque in sacris Litteris eruditi, mirum quantum distat ab eorum confidentia, qui ob eamdem difficultatem orationes pro spiritibus dormientium fieri solitas proscripsere. Vim difficultatis ille æque vidit, atque isti; sed præ istis abjecte de se sentiebat Vir sanctus : siquidem neque Paulum, neque Ecclesiam condemnare ausus, animo tranquillo, quoad sibi cum fide quærenti rem Deus revelaret, exspectavit; ac tandem ad voti finem Augustini beneficio pervenit. Hic Paulino respondere diu distulit; et forte etiam hujus officii omnino fuisset oblitus, adeo negotiorum aliorum mole premebatur, nisi ipsum ad id Candidianus presbyter nullis datis induciis compulisset (*De Cura pro mortuis gerenda*, *nn.* 1, 25). Illic propositum sibi ex Pauli sententia dubium circa orationes pro mortuis solvit (*Ibid.*, *n.* 2). Quod vero ad sepulturam apud memorias martyrum attinet, eam autumat non ad aliud prodesse defuncto, nisi ut affectus pro illo supplicationis, ea etiam martyrum patrocinio commendans, augea[t] (*Ibid.*, *n.* 22). *Cum ergo*, ait, *fidelis mater fidelis defuncti corpus desideravit in basilica martyris poni, quidem credidit ejus animam meritis martyris adjuvari hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit; et hoc profuit, si quid profuit. Et quod ad idem sepulcrum currit animo, et filium precibus magis magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum, non mortui corporis cus, sed ex loci memoria vivus matris affectus* (*Ibid.*, [*n.*] Narrat oblata vivis multorum defunctorum et sa[n]rum visa : et tandem quæ sua esset animi consi[l]in iis difficultatibus, quarum enodationem no[n] acceperat, mirum in modum ibi expromit (*Ibid.*, *n.* [...]

5. Dulcitius in Africa circiter annum quadringentesimum vigesimum, ut supra vidimus, agebat exsequendis adversus Donatistas legibus ab Imperatore præfectus. Idem ibidem adhuc morabatur, cum Augustinum de variis quæstionibus per litteras Carthagine datas consuluit, quæ illi per Paschalia festa sunt redditæ (*De octo Dulcitii Quæstion.*, *Præfat.*). Tunc quidem responsum eis scribere sancto Doctori neutiquam licuit;

eo quod post sacros illos dies statim sese contulit Carthaginem, unde nonnisi tribus mensibus exactis ad suos reverti permissus est. Quin autem eo gravissimis negotiis pertractus sit, nulli ambigendum; tametsi de his nihil compertum habeatur, nisi quod ipse litteris prodidit, ibi se occupationum, quæ sibi in hac urbe nunquam deerant, multitudine districtum adeo fuisse, ut ad dictandum quidpiam otium omnino nullum suppeteret. Reversum inde, negotiis quæ magis urgebant, nimirum propriæ diœceseos, mentem adjicere per dies quindecim oportuit; quibus peractis nonnihil otii nactus, sine mora ad satisfaciendum Dulcitio incubuit. Rogatus ab eo fuerat super octo quæstionibus Scripturæ seu ecclesiasticæ doctrinæ; quas omnes, si quintam exceperis, in variis operum suorum locis explicarat. Quapropter quæ jam de septem aliis disputaverat, satis habuit excerpere, quo simul et Dulcitii tam laudabile desiderium expleret, et se labore liberaret de integro eadem recudendi; quæ sane res, cum permolesta sibi, tum inutilis Dulcitio erat futura. Hoc autem in scripto historiam admodum singularem refert, quam ipsiusmet verbis subjiciemus. *Dicam quod factum est*, inquit, *in Mauritania Sitifensi. Neque enim Deus sanctorum Patrum, non ipse est etiam Deus noster. Viduam in proposito continentiæ constitutam Celticchius quidam catechumenus juvenis rapuit, ut haberet uxorem. Antequam concumberent, pressus somno et territus somnio, Sitifensi episcopo eamdem vehementissime requirenti, revocavit intactam. Vivunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, et ipso in se facto miraculo conversus ad Dominum, ad episcopatum venerabili probitate pervenit, illa in sancta viduitate persistit* (*De octo Dulcitii Quæst.*, *quæst.* 7, *n.* 3). In Carthaginensis concilii epistola ad Cœlestinum undecimus inter episcopos Celticchius nominatur. Hujus libri contextus docet, dominicum Paschatis diem hoc anno incidisse in tertium kalendas apriles: quod per episcopatum Augustini annis supra quadringentesimum decimo nono solum et trigesimo contigit. Atqui de ultimo hoc id nullus intelligat, cum secundus Retractationum liber, in quo eadem hæc commentatio recenseiur, eo usque non perveniat. Superest igitur ut illud anno quadringentesimo decimo nono tribuamus, quo anno mense maio vertente Carthagine erat sanctus Præsul. Verum quominus opinionem hanc, licet ratione tam plausibili fultam, admittamus, facit Enchiridion in hoc eodem tractatu allegatum (*Ibid.*, *quæst.* 1, *n.* 10, *et quæst.* 2, *n.* 4), quod ante annum quadringentesimum vigesimum primum, quando illic Hieronymus sanctæ memoriæ vocitatur, scribi non potuit. Eumdem enim Hieronymum tradit Prosper anno tantum quadringentesimo vigesimo pridie kalendas octobris obiisse, quem et Augustinus adhuc mense septembri anni quadringentesimi decimi octavi in vivis agere ponebat, et nos etiam anno quadringentesimo decimo nono epistolam ad eumdem Augustinum misisse ostendimus. Fatendum tamen est mendum in Augustini contextum irrepsisse, ac pro tertio kalendas aprilis reponendum esse vel septimo kalendas aprilis, quo die Pascha hoc anno quadringentesimo vigesimo secundo evenerat; vel decimo kalendas aprilis, quo die Bucherius asserit fuisse anno quadringentesimo vigesimo quinto celebratum a quibusdam Latinorum, queis Hipponensem Ecclesiam adjungi oportere verisimile est.

## CAPUT IV.

1 *Curat Augustinus, ut episcopus Fussalæ ordinetur Antonius.* 2 *Ejusdem Ecclesiæ administrationem adimere illi cogitur.* 3 *Antonius Numidiæ primati et Bonifacio papæ fucum facit, ut in integrum restituatur.* 4 *Cœlestinum obsecrat Augustinus, ut sententiam in illum latam vigere sinat, ac secum pro Fussalensis Ecclesiæ pace collaboret.* 5 *Alioquin sanctus Vir, quod illius ordinationi per imprudentiam suffragatus sit, propriam dignitatem exuere cogitat.*

1. Baronius anno quadringentesimo vigesimo tertio mortem Bonifacii papæ octavo kalendas novembris, Cœlestini vero ejus successoris electionem tertio nonas novembris ponit. Sed hujus rei veritatem cognoscere haud in promptu est: nec minus saltem videtur probabile, sub finem anni quadringentesimi vigesimi secundi desiisse vivere Bonifacium, Cœlestinum vero in ejus locum anno quadringentesimo vigesimo tertio suffectum esse. Et hæc quidem causa est, cur anno supra quadringentesimum vigesimo secundo historiæ Antonii Fussalensis, qua non facile aliam memoratu digniorem in Augustini vita reperias, exordia collocemus. Fussala castellum seu oppidum erat in confinio Hipponensis territorii positum (*Epist.* 209, *n.* 2), atque ab ipsa Hippone quadraginta millibus, hoc est leucis sexdecim, distans; quod tamen Hipponensis diœceseos finibus comprehendebatur, cum ad Augustini tempora proprium episcopum nunquam habuisset. Litteris consignavit aliquot miracula, quæ hoc in loco, dum illum idem gubernaret, et post Maximini Sinitensis conversionem, id est, post annum quadringentesimum quintum, evenere (*De Civitate Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 6). Erat Fussalæ locisque finitimis numerosa plebs; sed ea omnis miserrimo casu in schisma præceps ierat (*Epist.* 209, *n.* 2). Restabant solum in ejus agro pauci Catholici; at in oppido ne unus quidem. Primi presbyterorum, quos ibidem Augustinus constituit, spoliati, cæsi, debilitati, excæcati, atque etiam trucidati sunt: verum inutiles ac steriles eorum cruciatus non fuere; et post infinitos labores ac pericula tandem aliquando divina aspirante clementia nullus illius regionis locus cum Ecclesia in pacem non rediit, ac pauci, qui remanserunt Donatistæ, non jam de vexandis aliis, sed de occultandis se ipsis cogitabant. Sanctus Hipponensis Antistes, qui timoribus ac doloribus suis alios parturierat, hos quoque Christo Domino lucrari cupiebat (*Ibid.*, *n.* 4). Quare cum propter loci longinquitatem se tantum curæ, quantum oportebat, huic rei impendere non posse intelligeret, nulla suæ dignitatis, quam parte illa jurisdictionis resecata ibat imminutum, ratione habita, statuit operam dare, ut ibi constitueretur episcopus (*Ibid.*, *n.* 2). Quæsivit ergo aliquem non imparem ei muneri, cui etiam obeundo necessaria sive conducibilis erat linguæ

punicæ cognitio (*Epist.* 209, *n.* 3). Ad id e clero suo presbyterum, qui ei paratus videbatur, designavit. Tum provinciæ Numidiæ primati (is vero tunc, nisi fallimur, Silvanus Summensis erat), cujus sedes ab Hippone-Regio longe erat dissita, scripsit, petens ut ad ordinationem hanc accederet. Cumque ille venisset paratis jam rebus omnibus, presbyter, quem Vir sanctus huic episcopatui destinabat, omnino illum accipere noluit. Docuit eventus postea, satius futurum fuisse, rem tanti momenti differri in aliud tempus, quam præcipitari : sed tunc Augustinus sibi non committendum putavit, ut cum gravissimum et sanctissimum senem accersisset e tam longinquo, eum re infecta dimitteret. Quapropter adolescentem Fussalensibus non petentibus obtulit nomine Antonium, quem secum tunc habebat (hoc enim forsan Fussalæ gestum est), quemque jam inde a puero educaverat; verum cujus nec ætas satis adhuc matura erat, nec indoles satis probata (*Ibid.*, *n.* 9); cum eum in nullo officio clericatus, præterquam lectoris, explorasset (*Ibid.*, *n.* 3). Hunc tamen ab Antistite suo sibi propositum Fussalani obviis manibus exceperunt, æque videlicet, atque ille, nescii eorum quæ postea accidere. Ac eo pacto Antonius ordinatus fuit, inque episcopali sede collocatus. Quo tempore facta fuerit hæc ordinatio, ignoramus; quanquam tamen a ratione non videtur alienum, eam Carthaginensi collatione, in qua Antonii nomen non legitur, posteriorem dicere. Hunc ipsum in Milevitana synodo anno quadringentesimo decimo sexto celebrata, nominari inter ultimos, opinio est; atque ita manus ei Silvanum Summensem imposuisse, necessum erit.

2. Id porro dolorem Augustini animo incussit eo acriorem, quod iis, quos filiorum loco habebat, consulere dum voluerat, e contrario maxima damna invitus attulisset. Negat se Antonii, quem aluerat, vitam traducere velle ; at fatetur tamen rationem, quam ille tenuerat, tam graves peperisse offensiones, ut de ipsa judicium necessario instituendum fuerit (*Ibid.*, *n.* 4). In eo rerum capitalium atque adulteriorum ab hominibus non suæ diœcesis accusatus est; a Fussalanis vero intolerabilis dominationis, rapinarum, multorumque per vim admissorum postulabatur, negantibus, ut ejus auctoritatem diutius ferrent, induci se posse ; et sane dubitabat nemo, quin justo dolore pungerentur (*Ibid.* *n.* 5). Verumtamen cum alia graviora crimina, quorum insimulabatur, probari non potuissent, ea res tantum illi conciliavit misericordiæ, ut cætera quæ deprehensa manifestaque erant, jam minus animos percellerent ; nec omnia simul abdicatione digna viderentur. Damnatus igitur tantummodo ad eorum omnium, quæ Fussalensibus abstulerat, restitutionem, et communione, quoad illis satisfecisset, privatus est (*Ibid.*, *n.* 4). Consentienti Antonio huic sententiæ honor episcopatus integer relictus est (*Ibid.*, *n.* 6); quod speraretur scilicet fore, ut qui juventutem necdum esset egressus, ad bonam frugem emergere valeret (*Ibid.*, *n.* 5). Quin etiam illud est animadvertere, de permittenda ipsi Ecclesiæ suæ administratione actum in judicio, eamque rem legatis Fussalensibus esse propositam ; hi vero obnixe reclamarunt, professi citius, quam id fieret, ad extrema omnia se descensuros; nimirum vel redituros ad schisma pristinum, vel forte etiam Antonium ipsum interempturos. Celer vir spectabilis, quem sibi infensum esse atque alios in se potentia sua concitasse jactabat Antonius, tunc temporis potestatem nullam gerebat : unde non erat obscurum, Fussalensium abalienationem ab Antonio ex illius instigatione non proficisci. Necesse itaque fuit ei diœcesis suæ administrationem adimere, concessa venia ibidem habitandi; ne si inde alio mitteretur, in alienam cathedram contra statuta conciliorum translatus illicite diceretur (*Ibid.*, *n.* 7). Quidquid in eo judicio decretum est, simul in tabulas referebatur : quod in universa Africa id temporis usu receptum fuisse, dubitet nemo. Fatetur porro Augustinus, hoc judicium ad exactam severitatem minus compositum videri posse ; necnon isthic æquo remissius actum esse testatur; an autem alius episcopus Fussalæ constitutus interim fuerit, anve redierit ad suam curam, silentio prætermittit. Ultimum tamen a fide minus alienum est, si non omnino certum habeatur : quandoquidem honore episcopali Antonio in propria sede conservato, si alium antistitem illuc induxissent, biceps futura erat hæc Ecclesia. Huc et illud adde, ipsum Augustinum sub extremos vitæ suæ annos litteris commendasse presbyterum quemdam Fussalensem in hæc verba : *Non enim possumus necessitates hominum hujusmodi desere-re, qui nostri non coloni, sed, quod majus est, fratres sunt, et in charitate Christi ad curam pertinent nostram* (*Epist.* 224, *nn.* 1, 3). Quæ res nequaquam prohibet, quominus defuncto Antonio ibidem constitutus fuerit alius episcopus. Quippe ex notitia Africæ cognoscere est sedisse Fussalæ episcopum nomine Meliorem.

3. Finito judicio, quantum Fussalensibus rependere Antonius deberet, æstimatum est; isque pecuniam illam, ut communionem obtineret, deposuit. Quod vero ad alteram pœnæ sibi impositæ partem, ipsa illa indulgentia, quæ adhibita adversus eum fuerat, colorem ei suppeditavit, ut ipsam a Sede apostolica rescindi curaret, obtendens videlicet sese episcopatu, siquidem reus fuisset deprehensus, oportuisse abdicari; quod autem id factum non esset, argumento esse, nec se privari sede sua merito potuisse (*Epist.* 209, *n.* 7). Convenit itaque primatem, Valentinum forte Baianensem, qui Silvano Summensi in ea dignitate successit; et quanquam sanctus ille ac venerabilis senex gravitate erat præditus, ipsi tamen astutia sua, ac forte etiam mendacibus atque interpolatis actis imposuit; ita ut hic eorum, quæ ab illo dicebantur, nihil non credens, illum Bonifacio papæ tanquam ab omni culpa alienum commendaverit (*Ibid.*, *n.* 6). Secundum Antonium judicavit Bonifacius, deque illo in jura sua restituendo, si tamen sibi rerum statum in suo libello sincere aperuisset, scripsit in Africam (*Ibid.*, *n.* 9). Fussalanis jam nihil aliud intentabatur, quam judicum ac magistratuum imperialium potestas; atque adeo militaris manus adhibenda, quæ ad parendum Sedis

apostolicæ judicio miseros adigeret : ita ut infelix ille populus, intra Ecclesiam catholicam, ab episcopo catholico timeret acerbiora iis, quæ in schismate a legum Imperatoris catholici auctoritate timuerat.

4. Sublato interim e rebus humanis Bonifacio, Cœlestini in ejus locum suffecti opem Fussalenses imploravere, illum per Christi misericordiam obtestantes, ut se ex eis malis eriperet, quæ sibi inferebat, aut illaturum minitabatur Antonius (*Epist.* 209). Quin etiam de Augustino, a quo ejusmodi episcopum acceperant, querebantur : quod jure ab eis factum esse, humiliter ac modeste agnoscit sanctus Antistes. Itaque non solum eis inde non factus offensior, sed contra eorum postulatis fautorem se apud Cœlestinum papam præbuit, ad quem et præclaram ea de re epistolam, quam etiamnum habemus (*Ibid.*), quæque hoc anno quadringentesimo vigesimo tertio, pro instituto a nobis ordine, ponenda est, misit. Quin etiam videtur ipsemet primas fraudem, qua deceptus ab Antonio fuerat, intellexisse ; quippe qui acta et monumenta omnium, quæ ad causam hanc pertinebant, ad Cœlestinum perferenda curaverit. Augustinus in suis ad eumdem illum pontificem litteris principio ei gratulatur, quod sine turbis aut ullo discidio ad apostolicæ dignitatis apicem fuerit evectus : deinde quanto se dolore Antonii causa afficiat, exponit. Mox narrata rei totius historia, Papam obtestatur, ut ejusdem monumenta ad eum a primate transmissa legat expendatque. Rogat postea, ægritudini suæ compatiatur ; Fussalensem Ecclesiam ab eo, a quo miserum in modum divexabatur, liberet ; ac bene de hoc populo et de Antonio ipso eadem opera mereatur, ne hic ingentia mala inferat, neve illi eadem patiantur, prohibendo, simulque occurrendo illis criminibus, quæ ipsius restitutionem erant secutura. Sed per Christi sanguinem et memoriam apostoli Petri, qui Christianorum præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres (I *Petr.* v, 3), Cœlestinum obsecrat, ne Fussalenses ad obediendum Antonio per vim compelli sinat (*Epist.* 209, *n.* 9). Nam apparet illis temporibus accidisse, ut mitterentur ab apostolica Sede, aut saltem peterentur, eorum quorum intererat precibus, mittendi in Africam clerici Romani, qui sententiarum illius exsecutores essent (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 138) : quibus haud dubie injungebatur, ut civilium potestatum opem, ubi res posceret, implorarent. Ejusdem Antonii nunquam nisi summa cum moderatione et tanquam filii sui mentionem facit Augustinus ; verum quo illum diligebat vehementius, hoc magis damnandæ illius cupiditati obsistebat.

5. Quam imprudens culpam incurrerat, Antonium in episcopalem ordinem cooptando, passim fatetur : at quo potuit ultra progredi sancti Viri humilitas ac pœnitudo ? *Me sane*, inquit, *quod confitendum est Beatitudini tuæ, in isto utrorumque periculo, tantus timor et mœror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi episcopaeus abscedere, et me lamentis errori meo convenientibus dedere, si per eum cujus episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, et, quod ipse Deus avertat, etiam cum vastantis perditione perire conspexero. Recolens enim quod ait Apostolus,* « *Si nosmetipsos judicaremus, à Domino non judicarenur* » (I *Cor.* XI, 31) ; *judicabo me ipsum, ut parcat mihi qui judicaturus est vivos et mortuos. Si autem et membra Christi, quæ in illa regione sunt, ab exitiabili timore ac tristitia recreaveris, et meam senectutem hac misericordi justitia fueris consolatus, retribuet tibi et in præsenti, et in futura vita, bona pro bonis, qui per te nobis in ista tribulatione succurrit, et qui te in illa sede constituit* (*Ep.* 209, *n.* 10). Cœlestinus dubio procul epistola illa tam vehementi permotus est, omnino que noluit orbare Ecclesiam eo Præsule, cujus doctrinam ac famam defendit, patronus omnium longe illustrissimus. Quare, cum Augustinus ad extremum usque spiritum Hipponensi Ecclesiæ præfuerit, et Fussalensem quoque rexerit anno supra quadringentesimum vigesimo septimo vel vigesimo octavo ; hinc judicatur Cœlestinum, ut Antonius hujus sedis administratione spoliatus maneret, consensisse. Quod etiam confirmat ejusdem pontificis in Augustinum jam vita functum amor ac veneratio. Atqui licet a Papa in hac æquissima petitione repulsam tulisset, ei tamen licuisset ab illa injustitia vindicare se beneficio professionis ejus, qua Patres Africani declaraverunt nolle se tolerare diutius, ut vel ipsi episcopi in posterum ad curiam Romanam provocarent (*Codice Canonum Afric.*, *can.* 138).

## CAPUT V.

*1 Stephani martyris reliquiæ sub annum Christi quadringentesimum vigesimum quartum habentur Hippone. 2 Januarius Hipponensis presbyter, pecuniis quas contra communis vitæ propositum retinuerat, Ecclesiæ legatis, moritur. 3 Sermonem de hac re ad populum habet Augustinus ; hæreditatem Januarii respuit, et filiis ipsius relinquit, ac declarat se clericis, qui proprium aliquid habere velint, indulgere ut extra domum episcopalem habitantes gradus sui honorem servent. 4 Altero postea sermone testatur suos omnes clericos in vitæ communis proposito permanere velle, atque a proprio abhorrere, eosque de clericorum tabula delendos, qui aliquid sibi retinerent ; tum etiam eos, qui divites pecuniosique audiebant, apud eumdem populum purgat. 5 Decem liberorum, quibus mater imprecata fuerat, horribilis pœna. 6 Ex illis decem Paulus divinitus sanatur apud Hipponem. 7 Alia post die sanatur ibidem Palladia. 8 Gallam et Simpliciolam Quintiliano commendat Augustinus.*

1. Nondum exactum erat biennium, ex quo Augustinus Hippone Stephani martyris reliquias habebat, cum librum ultimum de Civitate Dei, quem vertente anno quadringentesimo vigesimo sexto absolutum fuisse supra diximus (*Sup.*, *lib.* 7, *cap.* 4, *n.* 4), elucubrabat (*De Civ. Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 20). Quocirca non potuit easdem sacras reliquias, nisi sub anni ut minimum quadringentesimi vigesimi quarti finem adipisci. Neque multum a fide abhorreat, sermonem de sancto Stephano quartum (S[illegible] 317) in earum receptione ; ac de eodem martyre quintum (*Serm.*

318), antequam sub ara conderentur, esse pronuntiatum. Etenim venerandum hoc pignus sanctus Antistes in quadam ecclesiæ suæ cella sacra, quod sacellum vocamus, deposuit, cujus in fornice jussit insculpi quatuor versus, ut inde cuncti fideles admonerentur, insolita illa prodigia tunc temporis sancti Stephani precibus ac reliquiis perpetrata, ipsi Deo accepta referri oportere (*Serm.* 319, *n.* 7). Ad evulganda eadem miracula Augustinus in Africam omnium primus consuetudinem hanc induxit, ut in quorum gratiam facta essent, illud libello coram omni plebe recitando proponerent ac testificarentur (*De Civ. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 20). Hujusmodi libelli infra bienium Hippone ad septuaginta ferme dati, atque unum ex eisdem legi jusserat, quo die sermonem de Stephano martyre sextum pronuntiavit (*Serm.* 319). Inter omnia illa miracula Hippone per duos primos annos, ex quo isthuc beati Protomartyris reliquiæ illatæ erant, facta, Augustinus tres tantum mortuos ad vitam revocatos nominatim indicat (*Ibid.*, *n.* 17-19), addita Pauli ac Palladiæ curatione (*Ibid.*, *n.* 22), quam nos sequenti anno memorabimus. Porro si ponamus jam dictas reliquias hoc ipso anno quadringentesimo vigesimo quarto Hipponem allatas fuisse, nihil vetuerit quominus de ædicula, ubi servabantur, id interpreteris, quod sanctus Præsul in sermone de vita et moribus clericorum suorum secundo, circa initium anni quadringentesimi vigesimi quinti non ita multo post Epiphaniam habito (*Serm.* 355, *n.* 7) dicit, Heraclii diaconi opere ac pecunia memoriam sancti Stephani constructam (*Serm.* 356, *n.* 7). Sin autem anno duntaxat quadringentesimo vigesimo quinto sancti Stephani reliquiæ Hipponem pervenerint, jam difficilius ædicula, quam excitavit Heraclius, Stephano sacra diceretur. Tunc enim sermo ille, in quo de memoratis reliquiis agitur, haberi nisi ineunte anno post quadringentesimum vigesimo sexto non potuisset : cum tamen idem Heraclius, qui tunc temporis diaconi tantum officio insignitus erat, postmodum ad presbyterii gradum fuerit evectus (*Epist.* 213), ac deinde ab Augustino die sexto kalendas octobres anno quadringentesimo vigesimo sexto designatus, ut ei succederet, atque interim res Hipponensis Ecclesiæ administraret procuraretque.

2. Quidquid sit, plane constat sanctum Antistitem ætate gravem atque omnino canum fuisse tum, cum de vita clericorum suorum habuit duos celebres illos ad Hipponensem plebem sermones (*Serm.* 355, *n.* 7; *Serm.* 356, *nn.* 7, 13). Horum isthæc occasio fuit. Vidimus sub exordia episcopatus Augustini, sanctissimum illum virum suos omnes clericos in domum episcopalem coegisse, quibuscum abdicata rei cujuslibet proprietate in perfecta bonorum omnium societate vivebat (*Serm.* 355, *nn.* 1, 2). Nemini manus ad clericatum imponebat, nisi hac lege, ut secum vitam illam communem sequeretur (*Ibid.*, *n.* 6); quod etiam illum apparet coram universo populo disertis verbis declarasse. At satis idem habebat, illud innotuisse omnibus suis clericis, hanc esse vivendi rationem, quam in suo contubernio amplecti tenerentur (*Ibid.*, *n.* 2) : quod vero ad praxim, conscientiæ eorum illam permittere malebat, quam nihilne prorsus possiderent, scrupulosius inquirere; propterea quod ejusmodi inquisitio quiddam odiosæ suspicionis præ se ferret. Verumtamen imposuit ipsi Januarius quidam presbyter. Hic enim ad eum venit, vitam communem promisit, una habitavit, de facultatibus Ecclesiæ sustentatus est. Erant ei liberi duo, filius ac filia; quos in monasteriis Hipponensibus, puerum cum viris, puellam cum feminis, alendos collocavit. Omni omnino possessioni renuntiasse, ac de suis fortunis eo modo constituisse putabatur, quo ejus propositi virum decebat. Minime tamen ignotum erat, certam pecuniæ summam eum reservasse : verum id filiæ suæ esse prædicabat. Cum autem virgo illa nequedum e pueritia excessisset, nihilque certi ex ejus propensione in cœlibem vitam (quamvis ad eam vinculo jam aliquo alligatam fuisse appareat) circa ipsam decerni posset; nemini licebat in sequiorem partem accipere, si pater id quod ejus esse dictitabat, servaret; dum tandem adulta faceret inde, quod virginem Christi deceret, quando optime jam facere posset. Interim autem ægrotare Januarius cœpit : de hac pecunia, tanquam de proprio, testamento cavet; liberorum suorum hunc quidem cum vituperio, illam vero cum laude exhæredat, necnon facultatum suarum hæreditate Hipponensi Ecclesiæ legata moritur (*Ibid.*, *n.* 3). Ubi hanc in presbytero societatis suæ fraudem deprehendit Augustinus, hinc magnum dolorem animo concepit, detestatusque est factum illud, quod præter damnum saluti Januarii allatum, offensionem quoque ac scandalum injiciebat Ecclesiæ, necnon omnino bonum illum odorem, quem in plebem spargebant ipsius clerici, exstinguebat (*Serm.* 356, *n.* 2). Is igitur, qui solebat eas hæreditates respuere, quas abdicatis liberis parentes Ecclesiæ legatas voluerant, ad hanc recipiendam induci nequaquam potuit (*Serm.* 355, *n.* 4). *Filiorum ipsius sit*, ait ille, *quod reliquit, ipsi inde faciant quod voluerint. Videtur enim mihi, quia si eam* (hæreditatem) *suscepero, in isto facto, quod mihi displicet, et quod doleo, ejus particeps ero* (*Ibid.*, *n.* 5).

3. Postquam ad eum modum conscientiæ suæ satisfecit, ratus est officii sui, propriam existimationem apud populum, cujus sub oculos et cui vivebat, exonerare invidia, et coram eo suam agendi rationem exponere, ne quis inde lapsus arriperet occasionem. Rogavit itaque plebem, in crastinum adesset frequentior. Cumque jam omnes convenissent, sermonem ad eos plane simplicem ac familiarem habuit, sed permovendis animis maxime accommodum. Hic illis posuit ob oculos illud vivendi institutum, quod una cum clero suo tenere semper decreverat; item Januarii culpam ac suam ipsius voluntatem, qua prohibere, ne memorata hæreditas susciperetur ab Ecclesia, statuerat; tum rationes addidit, quibus persuasus apud se proposuerat, alias quoque rejicere, tametsi hocce tam prudens tamque generosum consilium non-

nulli improbarent, reprehenderentque (*Serm.* 355 *n.* 1). Post hæc declaravit, se præcepisse omnibus suis clericis, quibus adhuc aliquid esse proprii videretur, utputa iis qui necdum cum fratribus paternas facultates erant partiti, vel qui ætatem eam, qua liceret de illis statuere, necdum attigerant : declaravit, inquam, istis omnibus se præcepisse, ut sua universa, siquidem in suo contubernio remanere vellent, aut venderent erogarentque, aut donarent mitterentque in commune ; eamque rem infra Epiphaniæ tempus, quod festum in aliquot forte menses erat celebrandum, fieri edixisse (*Ibid.*, *n.* 6). Hanc legem antea constituerat, ut cui voluntas esset a proposito vitæ communis discedere, eum clericali munere abdicaret ; quia desereret sanctæ societatis promissum cœptumque consortium. At vero isthic profitetur, sibi, ut eamdem illam legem permutaret, animum induxisse ; ac proinde, si quis clericorum habere aliquid proprium, quam Deo et Ecclesia contentum esse malit, cum servato suo gradu posse ubi libuerit, extra domum episcopalem degere : non nescire se hoc esse malum, hoc esse cadere a proposito, hoc esse deserere sanctam professionem, ac votum violare ; perinde ac si virgo monasterium quod erat ingressa deserat, virginitatem interim colere perseverans : sed hypocrisim sibi multo deteriorem videri ; eoque nolle se illos ad id necessitatis redigere, ut hac simulatione continua plane corruant ; neque causam præbere posse, cur suis illi propter ablatum clericatum querelis, quæ forsan aliquibus etiam episcopis non censerentur injustæ, Ecclesiam turbari pergant ; malle vel claudos habere, quam plangere mortuos (*Serm.* 356, *n.* 14) : sibi ergo sufficere, illis quantum periculum et quantum malum sit, cadere a proposito, ob oculos posuisse ; ac post illa eosdem divino permittere judicio : ipsis clericatus polliceri se conservationem, eorum vero esse, an felicitatis æternitatem sperare possint, dispicere. Orationi deinde finem imponit, pollicens plebi, ad eam se post Epiphaniam relaturum, quidnam de suis clericis, de quorum obsequio nihil non exspectabat, statuisset, quidve de Januarii liberis, quibus infelix parens præter alia mala etiam litem reliquerat. Soror enim a patre quidquid fuerat relictum, suum esse, prout ipsemet tam sæpe affirmaverat, contendebat ; frater vero nitebatur testamento patris, qui de hac pecunia tanquam de propria, non autem tanquam de filiæ deposito, quid fieri vellet mandaverat. Decrevit sanctus Præsul quasi communis parens controversiam hanc dirimere, ac probum aliquem virum assumere secum ex laicis, ut illam secundum æquitatis normam simul dijudicarent (*Serm.* 355, *n.* 3). At cum ipsi liberaverunt hoc labore : rem amice composuerunt, secutique sunt consilium beati Viri, ut inter se pecuniam partirentur, suadentis (*Serm.* 356, *n.* 11). Neque vero plus negotii eidem facessivere sui clerici ; sed omnes ille presbyteros, diaconos, subdiaconos, horumque ex ordine Patricium nepotem suum, quales volebat reperit, hoc est, eorum neminem non animo et voluntate pauperem (*Ibid.*, *n.* 3). Etenim si quis quidpiam habere permittebatur, illud religiosa piaque necessitate retinebat, aliorum causa, non sua, neque ulla in avaritiam propensione. Quocirca omnes socialem de integro vitam amplexi sunt, lætique excepere Viri sancti consilium, quo e clericorum albo omnes eos, qui deinceps proprium habere deprehenderentur, expungere constituerat (*Ibid.*, *n.* 14).

4. Transacto igitur Epiphaniæ festo gratos hosce nuntios populo, quemadmodum erat pollicitus, retulit ; ut quoniam aliorum quidem laudibus, aliorum vero criminationibus, quæ sua conditio erat, obnoxium sese intelligebat ; qui se diligebant, pudore non perfunderentur ab eis, a quibus non amabatur. Primum itaque jussit Lazarum diaconum ex Apostolorum Actis locum eum, ubi describitur primorum Christianorum vita, ad quam quidem cleri sui mores dirigere cogitabat, recitare ; quem locum insuper ipse quoque pronuntiavit. Deinde clericorum suorum omnium, vel qui legitimas ob causas necdum omnino rebus suis renuntiare potuerant, vel qui injuria proprium habere dicebantur, singillatim rationem reddidit. His ita gestis, licentiam qua concesserat, ut illis extra episcopii domum de proprio liceret vivere, revocavit : declaravitque, quandoquidem omnes in socialem vitam consensissent, quisquis deprehensus fuerit habens proprium, eum a se clericali gradu dejectum iri. *Interpellet contra me*, ait Vir sanctus, *mille concilia*, *naviget contra me quo voluerit ; sit certe ubi potuerit : adjuvabit me Deus*, *ut ubi ego episcopus sum*, *ille clericus esse non possit. Audistis*, *audierunt : sed spero in Deum nostrum et misericordiam ejus*, *quia sicut dispositionem meam istam hilariter acceperunt*, *sic eam pure fideliterque servabunt* (*Ibid.*). Initum quoque inter Januarii filios pactum memorat ; post quæ subdit sperare se, eos a quibus diligitur, audacter lætitiam suam testaturos, alios autem dolorem suum pressuros silentio : verum si qui sint, qui velint in se quidpiam deblaterare et cavillari, eos se publice, siquidem id res exigere videatur, confutaturum (*Ibid.*, *n.* 11). *Ante oculos vestros*, inquit, *volo sit vita nostra. Scio quia quærentes licentiam male faciendi*, *quærunt sibi exempla male viventium*, *et multos infamant*, *ut socios invenisse videantur. Ideo quod nostrum est*, *fecimus : plus quid faciamus*, *non habemus. Ante oculos vestros sumus. Nullius aliquid desideramus*, *nisi bona opera vestra* (*Ibid.*, *n.* 12). Ex hoc sermone cognoscere est, quo plerique clericorum ejus in statu essent. Nam de illis solis loquitur, in quibus nonnihil reprehensione dignum videbatur. Quapropter quod ad presbyteros suos attinet, id solummodo asseverat, eos, quidquid de ipsorum opibus vulgo jactetur, pauperes esse, ac nihil secum ad ipsius societatem attulisse, nisi ipsam, qua nihil charius est, charitatem. *Subdiaconi pariter pauperes sunt*, *Deo propitio*, inquit, *misericordiam Dei exspectant. Unde ipsi faciant*, *non habent : nullas habentes facultates*, *finierunt mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi*, *nemo eos distinguit ab illis*, *qui aliquid attulerunt. Charitatis unitas præponenda est ter-*

*renæ commodo hæreditatis* (*Serm.* 356 *n.* 8). Ex diaconis autem si qui forte venerant in suspicionem deserti propositi ad habendum proprium; hoc ab istis nominatim singillatimque purgatis crimen amolitur. Orationem denique finit in hæc verba : *Nemo laceret servos Dei : quia non expedit lacerantibus. Servis Dei quidem merces falsis detractionibus crescit; sed crescit etiam pœna detrahentibus. Nolumus cum detrimento vestro magnam habere mercedem. Minus ibi habeamus, et tamen vobiscum ibi regnemus* (*Ibid.*, *n.* 15).

5. Curatio Paulo et Palladiæ hoc eodem anno divinitus concessa est; quod quidem miraculum non fuit cæteris, quæ tunc temporis apud Hipponem per Stephani martyris reliquias facta sunt (*De Civit. Dei*, *l.* 22, *c.* 8, *n.* 20, *in not.* Hinc vero), quod ad rem grandius, sed tam clarum atque illustre, ut in ea urbe reperiretur nullus, qui hoc non vidisset vel didicisset, nullus qui oblivisci ulla ratione posset (*Ibid.*, *n.* 22). Cæsareæ in Cappadocia familia erat non ignobilis, eaque liberis decem, nimirum septem masculis ac feminis tribus constans; inter quos Paulus sextum sibi locum, Palladia septimum vindicabat. Contigit autem ut patre defuncto, non multis post illius obitum diebus, cum fratres omnes domi essent, natu maximus matrem viduam gravibus atque intolerandis afficeret injuriis, in tantum ut ei etiam manus non dubitaret inferre; nullo interim e fratribus, neque impietatem illam curante, neque verbo saltem fratris insaniam coercente. Hanc tam atrocem injuriam mulier infelix acerbissime tulit, ita ut illis iracundiæ motibus, qui sexui isti perquam familiares sunt, æstuans dolorem suum ulcisci primogenito suo dira imprecando constituerit. *Cum autem ad sacri Baptismatis fontem*, inquit in libello curationis suæ Paulus, *post gallorum cantus memorato filio suo iram Dei imprecatura properaret; tunc ei nescio quis in patrui nostri similitudine, ut intelligitur, dæmon occurrit, et ab ea prior, quo pergeret, requisivit. Cui illa, ad maledicendum filio suo ob intolerabilem contumeliam se ire respondit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mulieris corde insaniente locum facile invenire potuit, ut omnibus malediceret, persuasit. Illa autem vipereis inflammata consiliis, sacrum fontem provoluta corripuit, et sparsis crinibus nudatisque uberibus hoc a Deo potissimum postulavit, ut extorres patria et circumeuntes alienas terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo* (*Serm.* 322). Precem, quam ei dolor suggerebat, audivit Deus, et quantumvis scelerata illa foret, se tamen ea passus est exorari : quippe cum is undecumque justus sit, nonnisi justum ipsius judicio haberi potest in filios adversus matrem impietatis reos animadvertere. Major natu e vestigio fuit tremore horribili correptus, quo ipsi etiam inter dormiendum membra quatiebantur. Tum alios fratres sororesque, secundum ordinem quo nati erant, intra unum annum illa eadem omnes pœna corripuit (*De Civit. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22). Misera ac maledicta parens eo punita severius, quo se promptius pleniusque videbat exauditam, cum neque impietatis suæ conscientiam, neque opprobrium hominum ferre diutius posset, laqueo guttur astringens, luctuosam vitam termino funestiore conclusit (*Serm.* 322). Et sic una familia tum filios, quem honorem obedientiamque parentibus deberent, edocuit, tum parentes, ne sui nominis oblivisceretur, neve iracundiæ impetu sese adversus filios abripi sinerent, admonuit. Liberi conspectum civium suorum in lugendo illo statu non ferentes, patria excesserunt, et alius alio, prout cuique placuit, profecti sunt; atque ad eum modum toto pene vagabantur orbe Romano, miseriam suam omnium exhibentes oculis (*De Civit. Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22), necnon superbos exemplo supplicii sui deterrentes (*Serm.* 323, *n.* 1). Secundus fratrum Ravennæ reliquiarum sancti Laurentii, quæ illic recens collocatæ fuerant, ope sanitatem recuperavit. Paulus ac Palladia loca omnia, in quibus fieri miracula dicerentur, magno salutis recipiendæ desiderio petituri, sese viæ committunt. Quo factum, ut variis in regionibus miseria sua celebres evaderent. Petiere inter alias urbes Anconem in Italia, atque Uzalim in Africa, utramque propter beati Stephani miracula insignem. Verumtamen in neutra restitui in pristinum statum potuere; aut potius Deus, qui nullo negotio id poterat præstare, noluit, Hipponi-Regio spectandam utriusque curationem reservans. Quare illud eis significavit manifesta quadam ipso kalendarum januariarum die visione, quæ tribus ante mensibus, quam hoc fieret, accidit. *Ait enim mihi quidam*, ut Augustinum alloquens Paulus ille testatur, *aspectu clarus, et candido crine venerabilis, quod intra tertium mensem desiderata esset mihi sanitas adfutura. Sorori autem meæ in visione Sanctitas tua in ea effigie, in qua te præsentes videmus, apparuit : per quod nobis significatum est ad istum locum nos venire debuisse. Nam et ego Beatitudinem tuam sæpius postea videbam per alias civitates in itinere, quo veniebamus, talem prorsus, qualem modo conspicio. Admoniti ergo evidenti auctoritate divina ad hanc venimus civitatem ante dies ferme quindecim* (*Serm.* 322), nimirum circiter octavo idus martias. Hic diebus singulis ecclesiam, et in ea memoriam sancti Stephani frequentabant, fusis lacrymis comprecantes Deum, ut et sibi peccatum ignosceret, et optatam valetudinem restitueret. Et illic, et quacumque ibant, convertebant in se civitatis aspectum. Et nonnulli, qui eos alibi viderant, causamque tremoris eorum noverant, aliis, ut cuique poterant, indicabant (*De Civit. Dei*, *lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22).

6. Venit et Pascha, atque ipso die dominico mane, cum jam frequens populus præsens esset, et loci sancti cancellos, ubi martyrium erat, idem juvenis orans teneret, repente prostratus est, et dormienti simillimus jacuit : non tamen tremens, sicut etiam per somnum solebat. Stupentibus qui aderant, atque aliis paventibus, aliis dolentibus, cum eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, et potius exitum exspectandum esse dixerunt (*Ibid.*). Ipse autem alienatus a sensu, ubi tunc fuerit nescivit. Verum, cum paulo post surrexisset, liberatum se ab agitatione illa et perfecte sanatum esse cognovit (*Serm.* 322). *Stabat*

*incolumis*, ait Augustinus, *intuens intuentes. Quis ergo se tenuit a laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus ecclesia usquequaque completa est. Inde ad me curritur, ubi sedebam jam processurus : irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi novum, quod alius prior dixerat, nuntiantes : meque gaudente, et apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum ; plena erat ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias ! Deo laudes ! nemine tacente, hinc atque inde clamantium. Salutavi populum, et rursus eadem ferventiore voce clamabant. Facto tandem silentio, Scripturarum divinarum sunt lecta solemnia. Ubi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore et pro illius jucunditate lætitiæ. Magis enim eos in opere divino quamdam Dei eloquentiam, non audire, sed considerare permisi* (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22). Habemus etiamnum oratiunculam, quam super hoc eventu pronuntiavit (*Serm.* 320), aut certe ejusdem orationis compendium : quippe creditu difficile est, ipsum, quominus plura diceret, sibi temperasse. Attamen illic sermonis sui brevitatem excusat, ejusque causam affert defatigationem suam, ac magnitudinem pridiani laboris, cui quidem ferendo se parem futurum fuisse negat, jejunio scilicet maceratum, nisi orationum sancti Stephani subsidium sibi adfuisset. Enimvero observatum a Paulino fuit (*In Vita sancti Ambrosii, n.* 38), die sabbati, quo sanctus Ambrosius migravit ad superos, obeundis Baptismi ceremoniis, quas ipse peragere solus consueverat, vix quinque episcopos suffecisse. Paulum Augustino adstitisse proximum ex hoc sermone licet intelligas : quandoquidem hic illum populo ostendit, ejusque conspectum loco esse dicit eorum libellorum, quos alii ad pervulganda beati Stephani precibus obtenta beneficia tradebant. Et sane apparet, Augustinum illa re contentum, libellum a Paulo neutiquam petiturum fuisse (*Serm.* 321); at cum eumdem domum ad prandium adduxisset, necnon accurate omnem illam suæ ac maternæ fraternæque calamitatis historiam narrare jussisset, ratus est eam populo exponi oportere, ut inde providentiam divinam magis suspicerent, atque in sanctorum suorum memoriis admirabilem prædicarent. Quocirca postridie ejus diei, cum verba solito suo more fecisset, oratiunculam, quæ etiamnum exstat, habuit; qua pollicitus est, curaturum se, ut narratio hæc litteris texeretur, ac postera die recitaretur (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22).

7. Feria tertia post Pascha conscensa exedra, unde plebem suam alloquebatur, Paulum quoque ac sororem ejus Palladiam, quæ necdum sanitatem receperat, ejusdem suggesti gradus, petita prius quodam modo populi voluntate, jussit conscendere, ut omnium obtutibus permitterentur. *Intuebatur*, ait Vir sanctus, *populus universus sexus utriusque, unum stantem sine deformi motu, alteram membris omnibus contrementem. Et qui ipsum non viderant, quid in eo divinæ misericordiæ factum esset, in ejus sorore cernebant. Videbant enim quid in eo gratulandum, quid pro illa esset orandum* (*Ibid.*). Pauli deinde recitatus est libellus, quem ille finiebat orando, ut pro sorore divinæ benignitati supplicarent, pro se autem gratiarum actiones referrent rependerentque. Hac peracta lectione sanctus Præsul utrumque dimisit e gradibus. Palladia ad memoriam memorati martyris oratum se contulit : ipse vero populum, quæ modo lectis et auditis conveniebant, docere cœpit ; idque primum testificatus est, sperare se fore, ut reliquis fratribus sanitas, qua jam Paulus gaudebat, restitueretur (*Serm.* 323, *n.* 1). Cum affirmasset in libello suo idem Paulus, frequenter sibi apparuisse beatum Antistitem ; hic serio ne suum in honorem illud convertatur, vetat. *Quid enim sumus*, inquit, *quia ego apparui istis nesciens ? Illi enim me videbant, et ego nesciebam : et admonebantur, ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego ? Homo sum unus de multis, non de magnis* (*Ibid.*, *n.* 2). Exorsus postea erat loqui de miraculis iis, quæ Anconæ atque Uzali reliquiarum ejusdem sancti martyris beneficio patrabantur, cum ecce exauditus est subito de ipsius memoria clamor ingeminantium, Deo gratias ! Christo laudes ! (*Ibid.*, *n.* 4.) Porro acclamationes illas excitaverat curatio Palladiæ, quæ vix ad cancellos, quibus memoria claudebatur, accesserat, cum fratris instar in solum collapsa erat quasi dormiens, moxque surrexerat perfecta salute recuperata (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22). His, qui videre miraculum, illico magno cum plausu Deo gratias acclamantibus, populus, qui Augustinum audiebat, eo concurrit ; dumque Vir sanctus, quidnam rei esset, sciscitaretur ; in basilicam atque ad suggestum, ex quo verba faciebat, eadem puella adducta est (*Serm.* 323, *n.* 4). *Tum vero tantus*, inquit ille, *ab utroque sexu admirationis clamor exortus est, ut vox continuata cum lacrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, ubi paulo ante steterat tremens. Exsultabant eam similem fratri, cui doluerant remansisse dissimilem : et nondum fusas preces suas pro illa, jam tamen prævium voluntatem tam cito exauditam esse cernebant. Exsultabant in Dei laudem voce sine verbis, tanto sonitu, quantum aures nostræ ferre vix possent. Quid erat in cordibus exsultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est ?* (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 22.) Ubi sedatus est ille strepitus, nihil aliud sanctus Doctor addidit præter paucula verba, quibus misericordiam Dei, a quo ipsa eorum vel sola precandi voluntas audita fuerat, commendaret. Die sequenti perrexit, quemadmodum pridie fecerat, inquirere, quid causæ esset cur Deus hoc miraculum Hippone potius quam aut Anconæ aut Uzali factum voluerat (*Serm.* 324). Verumtamen quod ex eodem sermone superest, insignis miraculi Uzalc in infantulo ante susceptum Baptismum exstincto facti solam relationem continet. Unde conjicias eumdem sermonem ad nostram memoriam integrum non pervenisse.

8. Hoc ipso anno forsitan Augustinus, cum aliquandiu Gallam, quæ viduitatem erat professa, et filiam ejus Simpliciolam quæ Christo virginitatem suam voverat, divini eloquii cibo pavisset, eas a se dimissas

in patriam, Quintiliano, qui episcopale munus ibi gerebat, litteris commendavit. Ferebant illæ secum memorati martyris reliquias : *Quas non ignorat Sanctitas vestra,* ut scribit ille ad Quintilianum, *sicut et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis* (*Epist.* 212). Nec longe etiam ab hoc tempore Uzalim se contulit, ubi Petroniam clarissimam feminam ad miraculum, quod sua causa idem Stephanus ediderat, scripto libello declarandum impulit : auctorque fuit Evodio, ut illud quoque ab iis, qui sanati eadem ratione essent, exigeret (*De Civitate Dei, lib.* 22, *cap.* 8, *n.* 21).

## CAPUT VI.

1 *Severi Milevitani episcopi obitus.* 2 *De Heraclio presbytero.* 3 *In eum sibi successorem designatum Augustinus rerum administrationem transfert.* 4 *Contentiones inter Adrumetinos monachos super quæstione de gratia et libero arbitrio.* 5 *Liberi arbitrii contra gratiam defensores adeunt ad Augustinum, a quo docentur, et accipiunt cum binis epistolis librum de Gratia et Libero Arbitrio, ad Valentinum et cum illo monachos.* 6 *Alium ad eosdem librum de Correptione et Gratia mittit sanctus Doctor.*

1. Severus Milevitanus episcopus, Augustini amicus et pernecessarius, sub anni quadringentesimi vigesimi sexti initium ex hac vita migravit (*Epist.* 213, *n.* 1). Is ante mortem eum, quem volebat sibi succedere, designarat : sed rem populo, uti par erat, proponere insuper habens, sufficere existimavit, illum coram suis clericis instituisse. Hic autem defectus in causa fuit, cur eo mortuo ne quid turbarum in plebe oriretur, subtimerent. Quocirca fratres, nimirum, ut conjicere licet, clerici atque in primis servi Dei, hoc est monachi, Augustinum rogarunt, ut ad consulendum tranquillitati illo accederet. Adspiravit ei divina clementia, et quanquam nonnulli offensionem aliquam ob consilium hoc a Severo sibi non communicatum præ se ferebant ; tamen hæc tristitiæ nubecula confestim sereno lætitiæ cessit, et cum primum designatum sibi futurum præsulem cognovere, illum volentes lubentesque accepere : quo pacto pacate ac de consensu omnium consecratus est. Inductus fuit hoc eventu Augustinus, ut apud se denuo revolveret turbas illas, quas sæpe numero in aliis Ecclesiis post episcoporum mortem, horum ambitione, illorum nato ad contentiones ingenio excitatas non sine dolore aspexerat. Ergo arbitratus natum se duobus supra septuaginta annis vitam multum producere jam non posse, decrevit prospicere Ecclesiæ suæ securitati, eamque ob rem, quis sibi successurus esset, designare. Id ne fieret, Ecclesia quandoque prohibuit : verum in ejusmodi rebus, quæ per se neque inter bona neque inter mala referuntur, eadem Ecclesia rem eamdem modo permittere, modo prohibere potest, prout conducibilius judicaverit. At certe prohibitio illa de successore sibi instituendo id temporis nequaquam obtinebat in Africa ; quando sanctus Augustinus et ipse sibi successorem designavit, et idem illud in Severo comprobavit ; estque tra omnem controversiam, eum, ut hoc faceret, nec nbitione nec propriæ utilitatis studio ductum, sed unum Ecclesiæ commodum sibi proposuisse. Itaque reversus Milevo die sabbati, septimo kalendas octobris anni supra quadringentesimum vigesimi sexti, plebem rogavit in crastinum quanta maxima posset frequentia conveniret, de re maximi momenti auditura.

2. Igitur dominico die, sexto kalendas ejusdem mensis, in basilicam Pacis Hipponensium-Regiorum coivit numerosa plebs : quo etiam Augustinus duobus episcopis, Religiano et Martiniano, septem presbyteris, ac reliquis e clero comitantibus venit (*Ibid.*). Sermonem, ut sui moris erat, nullum habuit, certus præ impatientia cognoscendi, quæ se relaturum promiserat, populum ad alia animum advertere non posse. Quapropter cum paucis proposuisset, quantæ sibi esset necessitatis, plebis suæ paci consulere ; professus est, ut incommodum, quod Milevi obortum erat, fugeret, nullamque ansam querimoniarum cuiquam relinqueret, declarare se voluntatem suam, quam et divinæ consonam putabat, hanc esse, ut Eraclius presbyter sibi in episcopatum succederet. Cui statim omnes cum plausu et acclamatione suffragati sunt. Eraclius autem, sive Heraclius, quo nomine interdum appellatur, septem presbyterorum, qui cum sancto Episcopo præsentes aderant in eo conventu, nominatur ultimus, unde colligas eum ex antiquiorum numero non fuisse. Certe quidem erat adhuc juvenis, ac diaconatus officio tantum fungebatur (*Ibid.*, *n.* 5), quo tempore Augustinus Sermones de vita et moribus clericorum suorum pronuntiavit (*Serm.* 356, *n.* 7). Ejus vero jam tum adeo vita eminebat, ut gaudium faceret sancti Præsulis, qui nequaquam habebat necesse populo, cui probe notus ille erat, et a quo nemini non fuisset antepositus, quidquam dicere in ejus commendationem, ne cujus sapientiam prædicaret, læderet modestiam (*Epist.* 213, *n.* 2). Ipsius, diaconi adhuc, opera in oculis universi populi radiabant. Apparet hæreditatem paternam illi obvenisse admodum luculentam ; quam partim excitandæ memoriæ Martyris, id est sancti Stephani, quemadmodum visum nobis supra, insumpserat, partim Augustino, prout satius esse judicaret, distribuendam tradere voluerat. Et certe, si qua pecuniæ cupiditate sanctus Præsul ductus fuisset, nec aliud nisi pauperum, quorum ad se spectabat cura, indigentiam considerasset, non erat istiusmodi donum rejecturus ; verum cum famæ suæ rationem, non sua, sed plebis sibi commissæ causa (ipsi enim sufficiebat propriæ conscientiæ testimonium), maximam haberet ; auctor Eraclio fuit, ut hac pecunia fundum emeret. Paruit ille isti consilio, et agrum hunc Ecclesiæ largitus est. Atqui aliud etiam præ oculis habebat idem Sanctus : *Fateor enim vobis,* inquit ille ad populum, *et ipsa suspecta mihi adhuc ejus ætas fuit : et verebar ne forte, ut sunt homines, matri ejus hoc displiceret ; et diceret inductum a me fuisse adolescentem, ut bona ejus paterna consumerem, et eum egentem relinquerem. Ideo volui ejus pecuniam in illa possessione servari ; ut si aliquid, quod Deus avertat, aliter quam volumus evenisset, redderetur villa, ne culparetur episcopi fama. Scio enim quantum vobis sit fama mea ne-*

*cessaria : nam mihi sufficit conscientia mea. Emit etiam spatium*, pergit Augustinus, *ab ista postea Ecclesia, notum vobis, et sua pecunia ædificavit domum; et hoc nostis. Ante paucos dies priusquam sermonem de hac re haberem vobiscum, eam donavit Ecclesiæ. Exspectabat enim ut eam perficeret, et perfectam donaret. Fabricandi autem domum necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitavit matrem suam huc esse venturam; si autem venisset, in re filii sui habitaret : modo si venerit, in opere filii sui habitabit. Testimonium ei perhibeo, pauper remansit : sed in charitatis possessione permansit. Aliqui servuli ei reliqui fuerant, jam quidem in monasterio viventes, quos tamen Gestis ecclesiasticis manumissurus est hodie. Nemo ergo dicat, dives est : nemo existimet, nemo male loquatur, nemo se ipsum vel animam suam suis dentibus laniet. Pecuniam nullam habet servatam, utinam quam debet restituat!* (*Serm.* 356, *n.* 7.)

3. Hoc apud Hipponensem plebem testimonium servati sancti propositi Eraclio adhuc inter diaconos constituto dedit Augustinus; illius haud dubie virtus incrementum ab eo tempore non modicum ceperat, quando illum Hipponensis Episcopus, non modo presbyterali munere dignum judicavit, verum etiam sibi adoptavit in successorem. Hoc populo, uti diximus, declaravit, et in nomine Christi ad illud munus designavit (*Epist.* 213, *n.* 5) : atque ut eadem illa res, quod attinet ad homines, firma rataque maneret, ad auctoritatem authenticam actui conciliandam, jussit a notariis ecclesiasticis, et sua ipsius verba, et populi sibi respondentis acclamationes, stilo excipi. Quod vero ad voluntatis divinæ placita ac decreta, plebem adhortatur, ut junctis precibus, eorum quæ Deus in ipsis operatus fuerat, confirmationem ab eodem impetrare satagant : *Hoc ergo volo*, inquit, *hoc a Domino Deo nostro nunc etiam in ætate frigida votis ferventibus posco; hoc ut mecum oretis, exhortor, admoneo, rogo, ut omnium in pace Christi collatis et conflatis mentibus confirmet Deus, quod operatus est in nobis. Qui misit mihi eum, servet eum, servet incolumem, servet sine crimine; ut qui facit gaudium viventis, locum suppleat morientis* (*Ibid.*, *n.* 2). Ardentius atque affectu plenius nihil reperias. Heraclium porro sibi successorem designasse contentus, episcopum eum consecrari noluit, in hoc scilicet peccatum esse existimans, quod vivo Valerio ipse fuisset consecratus (*Ibid.*, *nn.* 4, 5). Illum igitur in ordine presbyterali voluit remanere; nihilo tamen secius omne negotiorum pondus in eumdem contulit, populum obsecrans, perque Christum obstringens, ut in emergentibus negotiis adirent ad Heraclium, quo eis ipse pro sua sapientia provideret, vel a se tanquam a patre, ubi necessarium haberet, consilium et auxilium posceret. Non enim cogitabat suo se populo subtrahere, aut ei ullo pacto deesse in necessariis : at sibi tantummodo quietem aliquam eo animo quærebat, non ut otiaretur ac per desidiam tempus tereret, sed ut se totum, quoad in hac vita superesse Deus concederet, Scripturarum studio traderet. Jam ante a nobis observatum est, duo concilia Numidiæ et Carthaginis eidem ante paucos annos commisisse hanc provinciam. In eam rem populus illi quinos dies per hebdomadas singulas concesserat. Verum non diu istud servatum est : neque minus mane quam a prandio causas audire Vir sanctus cogebatur. Et hoc quidem fuit, cur plebi supplicaret, molem hanc in Heraclium transferri sineret, annueretque : quam petitionem nihil cunctata plebs gratam se habere significavit (*Ibid.*, *n.* 5). Petiit demum Augustinus, ut qui possent, rerum in præsentia gestarum tabulas obsignarent, eaque omnia populus ultimo suo suffragio communiret; quod et factum est illico variis acclamationibus, quas quidem in episcopis eligendis usurpari solitas, vero simile est (*Ibid.*, *n.* 6). Sub hæc Vir sanctus perrexit ad offerendum sacrificium, populo prius impense admonito, ut sacræ hujus supplicationis hora se quisque ab aliis curis avelleret, ac sedulo pro Hipponensi Ecclesia, pro se atque Heraclio precarentur (*Ibid.*, *n.* 7). Et hæc porro continent hujusce conventus acta, quæ inter Augustinianas epistolas inserta sunt. Extant Heraclii presbyteri sermones duo : unus Augustino præsente habitus, in quo se ille prædicandi verbi Dei provinciam nuper suscepisse necessitate compulsum, atque illud jam ante prædicare cœpisse profitetur; alter de verbis Domini, Matthæi capite decimo quarto, ubi Dominus super aquas ambulavit, et Petrus titubavit. Maximinus Arianæ sectæ episcopus, qui sub idem tempus Hipponem venit, principio disceptavit cum Heraclio sive Eraclio presbytero, per quem postea ipse Augustinus ad ineundum cum eodem hæretico colloquium vocatus est (*Collat. cum Maximino*, *n.* 1).

4. Libri ad monachos Adrumetinos neque post hoc tempus, neque ante conscripti sunt : quandoquidem in Retractationibus circa annum quadringentesimum vigesimum septimum editis comprehenduntur, nec tamen ibi nisi ultimum locum occupant. Erat porro apud Adrumetum, civitatem in Bizacena provincia celebrem, monachorum congregatio, cui tunc abbas præerat Valentinus. Cum ex ejus alumnis quidam nomine Florus, ad urbem Uzalensem, quæ patria ipsius fuit, una cum Felice Adrumetinæ item congregationis monacho venisset, is repertam illic Augustini ad Sixtum epistolam (*Epist.* 194), dictante eodem Felice, transcripsit (*Apud Augustinum, Epist.* 216, *n.* 2). Hanc vero, cum Adrumetum allata esset, in alienum sensum rapuerunt nonnulli, quinque forsitan aut non multo plures monachi, qui ab sociis suis, quos rectius epistolam intelligere certum erat, contendebant ita defendi gratiam, ut liberum arbitrium adimeretur; et consequens esset, Dominum in extremo judicio non redditurum unicuique secundum opera ejus (*Ibid.*, *n.* 3). Ingravescente in dies discidio, cum etiam imperiti illi in monachos innocentes invidiam commoverent, perturbarentque omnia, ratus est Florus officii sui esse, hujus rei tandem Valentinum abbatem admonere. Hic epistolam illam vere Augustini esse, eaque non aliam quam orthodoxam doctrinam tradi minime dubitans, animum induxit operam dare, ut impias illas quæstiones ab inscitia quorumdam e suis

alumnis profectas auferret (*Apud Aug. Ep.* 216, *n.* 1): eamque ob causam misit ad Evodium Uzalensem episcopum, illius super his quæstionibus rescripta flagitans (*Ib.n.* 3). Ubi comperit Evodius, esse inter Adrumetinos monachos tam vehementes super gratia et libero arbitrio vel Dei justitia contentiones, rescripsit, quod ipsi veritatis indagationi studerent, sibi probari id quidem, verum studium istud oportere ab asperitate omni et contentione esse alienum; e contentione turbas nasci, ab amore autem veritatis pietatem requiri. Dein illis secundum Augustini doctrinam exponit, liberum arbitrium esse quidem in homine, sed a perpetrata Adami culpa saucium atque infirmum, eique sanando Christum Salvatorem missum fuisse. Tum additis hanc in rem aliis documentis, illos admonet, si quando inter legendum illustriorum virorum scripta incidunt in ea quæ difficulter intelligant, non debere ipsos præcipitanter in eorum condemnationem ferri, sed oratione, ut eadem illa mente assequantur, contendere? (*Tom.* 10, *Epist. Valent. ad Aug., in not.* Rescripsit.)

5. Imperitorum querelis nec Evodii episcopi responsio, nec etiam a Sabino sancto quodam presbytero data in epistolam, de qua disceptabatur, expositio satisfecit (*Epist.* 216, *n.* 3). Hinc Augustinum ipsummet convenere duo, Cresconius duntaxat et Felix, alius hic quidem ab eo qui Flori comes apud Uzalim fuerat; atque horum duorum discessu, alii fratrum quieti remanserunt. Apud sanctum Doctorem conquesti sunt isti, gratiam sic prædicari a quibusdam e suis fratribus, ut ab iis et negetur liberum arbitrium, et affirmetur nos ex nostris operibus judicandos non esse: a pluribus tamen aliis cum gratia liberum arbitrium agnosci testati sunt (*Epist.* 214, *n.* 1). Iidem insuper excitatæ apud se perturbationis causam in Florum transferebant (*Ibid.*, *n.* 6). Suam igitur ad Sixtum epistolam illis coram exposuit Augustinus (*Epist.* 215, *n.* 1), ac præterea epistolam ad Valentinum et ejus congregationis monachos scripsit in arduam illam de voluntate et gratia quæstionem (*Ibid.*, *n.* 2). Ibi rogabat, sibi mitti Florum, id nimirum conjectans, quod res erat, adversus illum ideo tumultuari nonnullos, quod non satis ab iis intelligeretur, cum difficillimam quæstionem et paucis intelligibilem solvere atque enodare conaretur (*Epist.* 214, *n.* 6). Epistolam hanc tradidit monachis reditum parantibus in monasterium suum, ubi Pascha, quod hoc anno quadringentesimo vigesimo septimo in tertium nonas apriles incidebat, celebraturi erant. Verum vel quidpiam ne proficiscerentur intercessit, vel illos Augustinus aliquanto diutius ob id solum apud se tenuit, ut contra novam hæresim Pelagianorum instructiores ad suos redirent (*Epist.* 215, *n.* 1). Transacto Pascha, epistolam iis alteram adhuc dedit ad Valentinum et ejus monachos, quos de Floro ad se destinando rursum compellat in hæc verba: *Si quid de vobis mereor, veniat ad me frater Florus* (*Ibid.*, *n.* 8). Illis etiam per eosdem misit duorum conciliorum Carthaginensis provinciæ et Numidiæ, necnon quinque episcoporum ad Innocentium epistolas, cum tribus ejusdem papæ responsis; epistolas quoque Africani concilii ad Zosimum, et Zosimi ad universos totius orbis episcopos; denique concilii plenarii totius Africæ constitutiones adversus errores Pelagianos: quæ omnia illis dirigenda esse credidit, quibus cognoscerent quemadmodum catholica Ecclesia in Dei misericordia Pelagianæ hæresis venena depulerit (*Ibid.*, *n.* 2). His addidit novum de hac ipsa quæstione, circa quam laborabant, scriptum à se librum in eorum gratiam, cui titulum indidit, *De Gratia et Libero Arbitrio, ad Valentinum et cum illo monachos;* ubi demonstrat quidem copiose, homines libero arbitrio esse præditos, sed hoc multo copiosius, liberum scilicet arbitrium gratiæ præsidio destitutum nihil posse: atque ad ejus lectionem eos exhortans ait: *Repetite assidue librum istum; et si intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum* (*De Gratia et Libero Arbitrio, n.* 46). Huncce librum et alia supra memorata instrumenta, quæ ad Pelagianorum condemnationem spectabant, monachis, per quos mittebantur, ante discessum in præsentia legerat, necnon Cypriani pariter librum in Orationem Dominicam, in quo sanctus ille martyr gratiam luculenter commendat.

6. Augustini litteras librumque sibi et suis fratribus nuncupatum ea qua par erat veneratione accepit Valentinus: neque commisit, quin fratrem Florum ad illum mitteret; data insuper epistola (*Apud Augustinum, Epist.* 216), qua id omne quod in monasterio suo gestum fuerat, narrabat sancto Præsuli, ac suam ipsius fidem, eamdem et fratris Flori esse affirmans, profitebatur. Augustinus lectis Valentini litteris, quas frater Florus aliique cum eo simul ad ipsum venientes attulerant, egit Deo gratias, quod eorum in Domino pacem, et in veritate consensionem, et in charitate flagrantiam ex illis cognovisset: verum de fratre Floro nominatim, catholicam in eo fidem de gratia et libero arbitrio invenisse se lætatus est. *Unde hi potius corrigendi sunt*, ait, *quos quidem propitio Deo correctos esse jam existimo, qui eum non intelligebant* (*De Correptione et Gratia, nn.* 1, 2). Accepit tamen sanctus Doctor, idque forsitan ex ipso Floro, esse in Adrumatensi monasterio quemdam, qui diceret: *Si Deus operatur in nobis velle et operari, nequidquam præcipiunt qui præsunt quid agendum vel fugiendum sit; aut saltem postquam quod bonum rectumque sit præceperint, tantummodo orent Deum, ut id discipuli agant; non autem eos corripiant, si non egerint, cum Deus non illis dederit ipsam, qua præcepta ejus fiunt, fidelem Dei et proximi charitatem* (*Retractationum libro* 2, *c.* 67, *De Correptione et Gratia, n.* 3-6). Ut hoc etiam telum, quo validius nihil ab iis qui terrena sapiunt intorqueri posse videatur, a tradita doctrina gratiæ depelleret Augustinus, alterum librum, qui *De Correptione et Gratia* prænotatur, ad eosdem Valentinum et cum illo monachos scripsit; non quo adversus eos ipsos, quorum rectum erat cor cum Deo, sed adversus ipsas

humanas, ut ait, cogitationes pro cœlestis et divinæ gratiæ charitate certaret. Nam ille ipse monachus, cujus animo occurrerat ejusmodi cogitatio, potuit recto in Deum corde non ob aliud mentem de hac re suam aperire, nisi ut istum quoque nodum solertissimus ac perspicacissimus gratiæ Doctor explicaret. Explicuit sane perquam diligenter Dei adjutus revelatione; quo fit ut non injuria librum suum hoc fine concludat : *Quæ cum ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiam : et ideo sic est præcipienda justitia, ut a Deo gratia, qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur, et hoc utrumque ita faciendum est, ut neque justa correptio negligatur* (*De Correptione et Gratia*, *n.* 49). Hic quidem liber parvus mole est, sed doctrina maximus; totus mysteriis refertus, universam divinæ gratiæ œconomiam oculis subjicit, ut jure merito aureus a doctissimis nuncupetur. *Ego quidem*, eminentissimi viri verba sunt, *hunc librum soleo appellare clavem, qua ad universam Augustini de divina gratia et libero arbitrio doctrinam aditus aperitur* (*Noris, Historiæ Pelag. lib.* 1, *cap.* 23) : quem sane librum sanctus Prosper merito plenum divinæ auctoritatis in epistola ad Augustinum nuncupavit (*Apud Augustinum, Epist.* 225, *n.* 2).

## CAPUT VII.

1 *Contra Pelagiani erroris reliquias in Vitali deprehensas Augustinus pugnat, et sententias de gratia duodecim profert.* 2 *Palatinum monet, petendum a Deo gratiæ adjutorium ad perseverandum in bono.* 3 *Leporii contra fidem Incarnationis et gratiæ errores in Galliis damnantur.* 4 *Ad sanam fidem revocatur Leporius opera Augustini.* 5 *Hic recensendis suis opusculis incumbit.* 6 *Speculum ex universæ Scripturæ locis ad conformandos vel emendandos mores idoneis instituit.*

1. Circa quæstionem de gratia Dei et libero arbitrio laborabat Vitalis quidam, perinde atque monachi Adrumetenses. Vir ille in Carthaginensi Ecclesia eruditus (*Epist.* 217, *n.* 2), ac vitæ forsitan genere ac professione monachus erat; ob idque non alia quam fratris appellatione decoratur ab Augustino; qui etiam ut ad servi Dei, cui salutem dicit, sese modum componat, sibimetipsi servo Christi ac per ipsum servo servorum ipsius titulum sumit. Illum quidem non credebat hæreticum esse Pelagianum; sed tam orthodoxum esse volebat, ut nihil istius ad ipsum transiret, vel in ipso relinqueretur erroris (*Ibid.*, *n.* 25). Pelagiani *quippe omnia ad fidelem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt*, inquit sanctus Doctor, *libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino putent esse poscenda : tu autem, si ea quæ de te audio vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis donum esse Dei; sed ex nobis nos habere contendis ut credere incipiamus : cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentis* (*Ibid.*, *n.* 29). Vitalis ergo divinas auctoritates errori suo contrarias alio detorquebat, ne ex illis gratiam Dei ad initium quoque fidei ac piæ voluntatis necessariam esse constaret. Nam ad illud Apostoli, *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere* (*Philipp.* II, 13), respondebat, per legem suam, per Scripturas suas Deum operari ut velimus, quas vel legimus vel audimus; sed eis consentire vel non consentire, ita nostrum esse, ut si velimus fiat, si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus (*Epist.* 217, *n.* 1). Nec secus interpretabatur Psalmographum, idcirco dictum putans, gressus hominis dirigi a Domino, ut viam ejus velit (*Psal.* XXXVI, 23); quia ejus doctrinam, suasione præcedente, subsequente consensione sectatur; quod libertate naturali si vult facit, si non vult non facit, pro eo quod fecerit, præmium vel supplicium recepturus. Ad eumdem modum, per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fieri dicebatur, quod scriptum est, *Præparatur voluntas a Domino* (*Prov.* VIII, 15): ac non per occultam inspirationem gratiæ Dei. Contra hunc Vitalis errorem Augustinus in epistola circiter hoc tempus ad eum scripta profert argumentum ex precibus Ecclesiæ, judicio suo, ac re quoque ipsa, perquam validum, et persuadendæ veritati valde idoneum. Ecclesia quippe et pro infidelibus rogat ut convertantur, et pro iisdem conversis ad fidem gratias agit; quemadmodum et pro ipsis fidelibus Deum precatur, ut in eo quod esse cœperunt ejus munere perseverent. *Atqui*, ait, *hæc a Domino poscenda esse non renuis; quid restat, frater Vitalis, nisi ut ab illo ea donari fatearis, a quo poscenda esse consentis* (*Epist.* 217, *n.* 5 *sqq*). Urget eumdem auctoritate sancti Cypriani de libro in Orationem Dominicam, et libro de Mortalitate. Monens deinde ut, si vere volumus defendere liberum arbitrium, ne oppugnemus unde fit liberum, docet arbitrium eorum, qui fideles fiunt, per Christum liberari a diaboli potestate, ut illo non impediente credant in ipsum libera voluntate. Quoniam tandem quæstio adversus Vitalem tractanda hæc omnino erat, utrum præcedat gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, utrum nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus; proponit illi duodecim sententias de gratia, quæ totam hanc quæstionem dirimunt : cum ex illis non solum omnibus, sed etiam singulis id conficiatur, ut confiteamur gratia Dei præveniri hominum voluntates; et per hanc eas potius præparari, quam propter earum meritum dari. Hæc autem ad numerum duodenarium redigit, ut facilius memoriæ mandentur, distinctiusque teneantur. Sese, cum sit propitio Christo christianus catholicus, asserit indubitanter scire, hæc illa totidem dogmata esse catholica extra controversiam omnem posita, a quibus recedere nequaquam liceret, quæve ad fidem pertinere ne Vitalis quidem repugnare posset. Si tamen ex eis aliquod esset, de quo censeret dubitandum, rogabat id sibi significaret; ut eidem ipse pro ea, quam Dominus daret, facultate responderet. Interim quæ contra proferre potuit frater Vitalis, et quæ partim protulere postea qui vulgo dicuntur Semipelagiani, ea diluit et evertit egregius gratiæ defensor. Denique in extrema epistola hoc addit, si contendat ille pro eis qui credere nolunt, ut

velint credere, non orandum esse ; itemque gratias Deo non agendas, cum hi, qui credere nolebant, idipsum voluerint ; tunc necessum fore, ut is alia via refellatur ; qui si perseveret in errore, dandam operam, ne alios in illum pellicere queat, nimirum ut ab Ecclesiæ corpore rescindatur.

2. Sub idem forte tempus dabat Augustinus hæc Palatino monita : *Ora ne intres in tentationem. Ipsa quippe oratio admonet te, quod indigeas adjutorio Domini tui, ne spem bene vivendi in te ponas. Bonum quoniam jam cœpisti, est unde gratias agas. Sciens autem unde acceperis, ab illo pete ut perficiatur, a quo datum est ut inciperetur. Cum timore itaque et tremore tuam salutem operare. Deus est enim qui operatur in te et velle et perficere pro bona voluntate; quoniam præparatur voluntas a Domino, atque ab ipso gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet. Hæc cogitatio sancta servabit te, ut sapientia tua pietas sit ; id est, ut ex Deo sis bonus et Christi gratiæ non ingratus* (*Epist.* 218, *n.* 3). Palatinus iste patria, ut videtur, Hipponensis, quidquid in sæculo speraret, Christi operante gratia contempserat, ut exoneratus jugum Domini et sarcinam ejus tolleret : isque in loco ubi necessariæ hortationes ei affatim suppetebant, in quodam fortasse monasterio Carthaginensi, Deo serviebat. Augustinus, ad quem ille scripserat miseratque cilicia, eumdem ad perseverandum in bono proposito cohortatur per litteras, atque missa ab eo cilicia se velut servandæ humilitatis et frequentandæ orationis symbola gratissime accepissè profitetur.

3. Augustinus in supra memorato libro de Correptione et Gratia, cum doceret subveniri nobis per potentiorem gratiam Salvatoris, de Filio Dei incarnato hac occasione disserens, dixit, neminem esse tam cæcum, tamque ignarum in fide, ut dicere audeat, quamvis de Spiritu sancto et virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, et sine peccato bona opera faciendo, meruisse ut esset Dei filius (*De Correptione et Gratia, n.* 30). Quapropter cum in hunc errorem se lapsum esse confiteatur aperte Leporius in emendationis suæ libello ; hæc Leporii emendatio, quæ Augustini potissimum labori ac diligentiæ tribuitur (*Gennad., De Scriptoribus ecclesiasticis, c.* 59), secuta sit necesse est supra memoratum librum. Sed et præcessit illa Opus imperfectum in Julianum, ubi sanctus Doctor in hunc ipsum errorem e Pelagiana hæresi emergentem animadvertit. Leporius ergo, professione monachus, vitæ innocentiam, qua in Galliis florebat, non auxilio divino, sed libero arbitrio propriisque viribus arrogabat, doctrinam Pelagianam secutus. Quin etiam recensitus est inter primos præcipuosque duces eorum, qui per id tempus e Pelagianæ hæreseos principiis et antiquam Ebionitarum impietatem renovarunt (*Cassianus, De Incarnatione, lib.* 1, *cap.* 4), et Nestorianæ jecerunt fundamenta (*Facundus Hermianensis, lib.* 4). Deum ex virgine natum esse aut hominem factum dicere verebatur, hoc unum concedere animum inducens, Jesum Christum cum Deo perfectum hominem editum fuisse (*Leporius, in libello Emendationis*). Quo pacto proprietates divinas ita disjungebat ab humanis, ut duos Christos efficeret, necnon quartam Trinitati personam adjiceret. Ad hæc effutiebat, Christum sibi gloriam comparasse labore, religione, fide, bonis operibus : ei, quæ tantummodo puris hominibus conveniunt, adscribens, ac ipsum ferme ad conditionem sanctorum hominum, licet præter intentionem, dejiciens. Errores etiam suos evuigavit scripta epistola, quæ omnibus orthodoxis offensionem præbuit. Itum est obviam ab eruditis Galliarum viris, qui Leporio, ut pravas suas opiniones corrigeret, persuadere conati sunt : sed frustra. Quapropter impiis ejus dogmatibus Gallorum episcoporum Proculi et Cylinnii auctoritate damnatis, solum vertere cogitur.

4. Expulsus e Galliis Leporius transmisit in Africam cum aliquot erroris sui sociis. Illic Aurelius Carthaginensis, Augustinus et alii nonnulli operam pariter, ut eum ab errore revocarent, suam contulerunt, sed præ cæteris Augustinus. Errorem aliquando tandem agnovit, detestatusque est ; ac ejusdem virus vivo cum dolore ac sancta quadam impudentia publice confessus est. Qui cum eo trajecerant, etiam cum eo sententiam mutavere. Porro quemadmodum primo in Galliis vulgatus erat illius error, ita resipiscentiam suam illic palam apparere voluit : ut quos peccati sui testes habuerat, haberet et pœnitentiæ. Quocirca isthuc libellum misit lacrymis ac gemitibus doloris sui plenum ; in quo sic male conceptam persuasionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides (*Cassianus, De Incarnatione, lib.* 1, *cap.* 4). Leporius ergo emendationis suæ libellum ad Proculum et Cylinnium direxit, eosque ut sibi ignoscerent, comprecatus est. Hanc vero ille in Carthaginensi basilica, ubi proinde hæc gesta fuisse colligere est, obsignavit præsentibus episcopis, nimirum saltem Aurelio, Augustino, Florentio et Secundino : quam et Dominus ac Bonus, Leporii forte socii, subscripsere, suam pariter esse hanc fidem contestati. Iidem quatuor antistites memoratam epistolam, ut et eam Leporii esse testarentur, et ejus doctrinam approbarent, sua quisque subscriptione communicrunt. Quin etiam litteras ad Proculum et Cylinnium dederunt super Leporii et consortum ejus conversione (*Apud Augustinum, Epist.* 219), cujus omnem gloriam redire ad misericordiam divinam volunt. Quam Galli iidem præsules adversus Leporium adhibuerant severitatem, non damnant, contra vero prædicant, fatentes, nisi ea præcessisset, lenitatem qua ipsi postmodum usi sunt, futuram inutilem. Rogant, ut quod factum a se fuerat, illi suo suffragio comprobent ; Leporium recipiant per suam ipsius epistolam, seu libellum ad eos missum emendationis ipsius fidem facientem, quemadmodum ipsi per pœnitentiam cujus oculati testes erant, eumdem receperant ; ejus emendationem omnibus iis, quibus offensionem ejusdem culpa incusserat, significent, ac responsis datis gaudium, quod ex fraterna correctione ceperint, secum communicent. Eorum se exspectare

consensum, ut illi communionem, qua privatus ab eis fuerat, restituant, minime significant : sed contra absolute dicunt eumdem a se fuisse receptum, rati dubio procul, quando is pravas opiniones ob quas incurrerat damnationis pœnam, ejuraverat, se posse illam sententiam tollere, nec eum esse ad primos suos judices remittendum. Ex hujus epistolæ stilo censet Jacobus Sirmundus eam ab Augustino dictatam esse.

5. Omnium qui ab Augustino retractantur librorum seriem, ut jam observavimus, claudit liber de Correptione et Gratia. Inde vero non temere colligas, hunc librum et Retractationum opus uno eodemque propemodum tempore perfecta fuisse, sub finem videlicet anni quadringentesimi vigesimi septimi. Nam etsi liber ille in Galliis ante visus sit, quam sanctus Doctor Retractationes easdem vulgasset; hanc tamen lucubrationem, siquidem libros contra Maximinum anno quadringentesimo vigesimo octavo confectos non comprehendit, nemo putaverit absolutam multo post exactum superiorem annum : neque etiam diu multoque ante, quippe cum in libro de Doctrina christiana quarto, quem tum fecit, cum secundum librum Retractationum vix inceperat, tradat Augustinus annos ferme octo vel amplius effluxisse, ex quo Cæsaream mense septembri anni post quadringentesimum decimi octavi petierat. Augustinus jamdudum proposuerat, suos omnes libros, epistolas ac sermones adhibita judicis severitate recensere; necnon rigidi censoris instar, quidquid in illis reprehendendum putaret, opusculo ad hoc ipsum instituto colligere (*Retractationum prologo, n.* 1) : nec sane pauca erant, quæ a se dicta scriptave noluisset. Marcellino jam inde ab anno quadringentesimo duodecimo testabatur, optare se ut incumbere huic labori sibi liceret (*Epist.* 143, *nn.* 2, 3); quo palam faceret, quam non esset acceptor personæ suæ. Igitur indicem pertexuit librorum suorum, quos idcirco secundum ætatem cujusque ordinavit, ut si quibus placeret eosdem ex illa serie evolvere, quomodo scribendo ipse profecerit, animadvertere valerent (*Retractationum prologo, n.* 3). *Propterea nunc facio libros,* ait, *in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem; sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisse . quandoquidem arrogantius loquor, quum verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. Sed interest quantum et in quibus rebus erretur; et quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adjiciantur ei, quæ proficienti defuerunt; et perficiendus quam puniendus potius judicetur* (*De Dono perseverantiæ, n.* 55). Eidem catalogo inserere voluit eas quoque commentationes, quas post conversionem adhuc catechumenus ediderat, eo quod publici juris factæ essent, nec sine fructu legerentur, modo quædam in illis errata excusarentur, aut saltem non putarentur amplectenda (*Retractationum prologo, n.* 3). Accurate in singulis quibusque operibus, quæ vel se ipsum offenderent, vel alios offendere possent, adnotat, illustrando locos obscuros ac pravis interpretationibus obnoxios (*Epist.* 224, *c.* 2); et corrigendo quidquid ab ecclesiastica regula alienum putavit (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 28) se illis tum immiscuisse, cum Ecclesiæ usum vel doctrinam necdum satis esset assecutus. Faciendum sibi putavit, quando ex tot lucubrationum suarum exemplis nævi, qui irrepserant, expungi non possent, ut eorum admoneret omnes homines, atque ita se ipse sub magistro uno judicaret, cujus de offensionibus judicium evadere cuperet (*Retractationum prologo*, *nn.* 2, 3). Eo ductus consilio, quidquid homines parum cordati dicturi erant, nihili fecit. Nam de prudentibus id certum exploratumque habebat, eos sibi vitio nunquam daturos, quod errores suos humili modestia corrigeret, cum ad perfectionem humanis viribus superiorem sibi non licuisset pervenire, ut scilicet nusquam laberetur (*Epist.* 143, *nn.* 2, 3). Primum librum sanctus Doctor ex iis composuit, quæ ante episcopatum; secundum vero, ex iis quæ jam episcopus ediderat. Ea ratione comperit (namque hactenus illud ignoraverat [*Epist.* 224, *n.* 2]) se opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus in lucem emisisse (*Retractationum lib.* 2, *cap.* 67). Duos hosce libros ut ante publici juris faceret, quam epistolas ac sermones suos recensuisset, a fratribus fuit compulsus. Possidius testatur titulum illis inditum fuisse, *De Recensione librorum* (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 28). Verumtamen cum eorumdem meminit Augustinus, ut plurimum verbo Retractare utitur. Itaque hodie *Retractationes* inscribuntur iidem libri, quomodo apud ipsummet Augustinum, et secundum eum apud Prosperum et Cassiodorum inscriptos reperias. Sed cave ne vocem hanc idem sonare putaveris, quod palinodiam, ut dicunt, canere : illa quippe apud Augustinum passim recensere ac secundam curam adhibere significat. Et reipsa quanta quanta severitate hanc exerceat censuram, in hoc ferme occupatur, ut mentem suam aperiat, providcat ne in sequiorem sensum verba quædam paulo obscuriora accipiantur, aut emendet alia nonnulla; interim errorem, in quem inciderit, nullum retractans, præter Semipelagianum, ne quem forte deterreret ejus observantia et existimatio, quominus hac in parte a sententia ipsius discederet. Idem ipse varios ex istis duobus libris producit locos, ubi errorem illum, in quem ante episcopatum lapsus fuerat, abjurabat. Sanctum Doctorem recensendis suis operibus desudare, etiam priusquam hac de re quidquam edidisset, ferebatur in Galliis; et illum Hilarius obsecrabat, ut ubi primum ea recensio in lucem exiisset, hanc ad se mitteret (*Epist.* 226, *n.* 10). Quocirca Augustinus in suo ad Hilarium responso, eamdem ab eo necdum lectam fuisse, ut certum ponit (*De Dono perseverantiæ, n.* 27). Aggressus est deinde recensionem epistolarum suarum, e quibus multas

jam relegerat, cum eum respondere octo Juliani libris oportuit (*Epist.* 224, n. 2). Atqui ne tum quidem laborem, quem oppido necessarium judicabat, intermisit: horum operum alteri diem, alteri noctem, cum non aliud majoris momenti negotium obstaret, impertiebatur. Verum quantovis teneretur desiderio memoratum opus perficiendi, illud tamen imperfectum relinquere primum Vandalico bello, dehinc propria sua morte coactus est. Possidius enim duos tantum Retractationum libros agnoscit. Supplevit hoc quodam modo idem Possidius eo indiculo, quem e sancti Viri libris, epistolis ac sermonibus contexuit; quibus omnibus summam mille triginta scriptionum confici affirmat; *exceptis iis*, addit ille, *qui numerari non possunt, quia nec numerum designavit ipsorum* (*Possidius, in Indiculo, cap.* 10). Innumerabiles esse illius epistolas ac sermones Victor Vitensis auctor est (*De Persecutione Vandal., lib.* 1, *n.* 3). Neque hoc profecto sibi quisquam ægre persuadeat de illo Antistite, qui totos triginta annos oraculi loco universæ Ecclesiæ latinæ fuit; qui aliorum rogatu quacumque data occasione verba facere compulsus est (*Retractationum prologo, n.* 2); qui denique ad extremam usque ægritudinem assidue verbum Dei prædicavit (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 31).

6. Videtur Possidius innuere, Augustinum illud operis quod *Speculum* inscripsit, composuisse circiter idem tempus, quo Retractationes suas, et paulo antequam vel descenderent in Africam, vel Hipponem-Regium accederent Vandali (*Ibid., c.* 28). Ea commentatio constat excerptis ex utroque Testamento locis, in quibus nobis aliquid a Deo præcipitur aut prohibetur: non enim propterea composita est, ut illa discamus, quæ tantummodo nos oporteat credere; neque ut proponantur in quibus sacra quadam obscuritate exerceamur; verum ut præceptis simplicibus atque a figurarum involucro liberis, quæ fideles omnes servare necesse sit, nostri instituantur mores. Hanc autem collectionem eorum gratia concinnavit, qui jam credentes, obedire Deo volunt; maxime vero, quibus non licet multæ lectioni operam dare, quo se ipsos in ea contemplantes, ubi Deo pareant aut non pareant, quantum profecerint in operibus bonis, quidve sibi adhuc desit ad perfectionem, deprehendant: et sic ipsi de bonis, quæ in se animadverterint, gratias agant; omnes suas curas ac preces ad eorum conservationem fideli pietate conferant et nervos suos ad ea, quibus se destitutos viderint, comparanda intendant. Et hoc fuit causæ, cur eisdem excerptis Speculi titulum inscriberet; quibus duntaxat adjecit præfationem, qua consilii sui rationem reddit. Locos illos secundum ordinem librorum Scripturæ refert: cum autem inter ipsos nonnulli videantur sibi invicem contrarii, hos sanctus Antistes, post absolutum Speculum, quæstionibus propositis expositurum se conciliaturumque pollicetur. Lucubrationem hanc nusquam invenias; imo vero eam ab Augustino omnino non fuisse editam hinc judicare est, quod Possidius nullam ejus mentionem facit, tametsi ne præfationem quidem Speculo præfixam ab auctore silentio præterierit.

## CAPUT VIII.

1 *Bonifacius secundam uxorem ducit, et magnis postea calamitatibus conflictatur.* 2 *Bellum ei hosti Imperii declarato infertur, misso Mavortio aliisque in eum ducibus.* 3 *Augustinus Bonifacium per litteras ut in officium redeat adhortatur.* 4 *Segisvultus cœpti in Bonifacium belli curam suscipit.* 5 *Effundunt se Vandali in Africam Dei nutu, ut puniantur alii, alii coronentur.* 6 *Africæ per Vandalos ferox et horrenda depopulatio.* 7 *An episcopis liceat in istiusmodi calamitatibus fuga sibi consulere.*

1. Antequam hunc annum claudamus, repetenda est Bonifacii comitis historia; qui nunc mirum quantum mutatus ab illo est, cujus ante aliquot annos fecimus mentionem. Diximus illum in Africa anno quadringentesimo decimo septimo in bello gerendo contra Barbaros occupatum, de abdicandis omnibus cogitasse; at ei persuasisse Augustinum atque Alypium, ut in comitis munere perseverans, Dei et Ecclesiæ rebus, quod profecto faciebat, operam præberet, servans interim propositum colendi perfectam continentiam, ac nihil de fortunæ commodis aut vanis honoribus augendis sollicitus (*Epist.* 220, *n.* 3). Is Castinum in Hispanias anno vigesimo secundo post quadringentesimum secutus, ibidem cum illo adversus Vandalos depugnavit (*Prosper, in Chronico*); nec dubium, quin militaris ejus peritia funestum hujusce belli exitum avertisset, nisi arrogans ingenium Castini reveritus, in portum Urbis, ac inde in Africam sese recepisset. Prosper certe discessum illum Imperio fuisse multarum calamitatum et malorum subsequentium initium tradit. Hoc tamen non ita statim apparuit: e contra cum Placidia anno quadringentesimo vigesimo tertio ineunte Constantinopolim perfugere esset coacta; Bonifacius, quod ei solus fidem servaverit, ac necessariam ipsi pecuniam ex Africa transmiserit, ab historicis commendatur. Idem quoque defuncto Honorio, quod quidem decimo octavo kalendas augusti anni hujus contigit, illam in recuperando Occidentali Imperio, quod Joannes occupaverat, juvit (*Ibid.*). Postquam hic anno quadringentesimo vigesimo quinto victus necatusque esset, ac Valentinianus Romæ nono kalendas octobris ejusdem anni Augustus sub matris tutela declaratus; Bonifacium ex Africa in Urbem evocavit Placidia; quem et novis dignitatibus auxit (*Epist.* 220, *n.* 4). Ejus ruinam ad tantum istum honorum cumulum plerique omnes retulere; quippe quo in illum Aetii, qui jam tunc in aula plurimum valere cœperat, concitata esset invidentia. Quanquam sanctorum virorum judicio, causa ejusdem casus præcipua fuit, quod cupiditati obsecutus, quam colere instituerat, continentiam deseruisset (*Ibid., n.* 5), atque iterum uxorem Pelagiam quamdam prædivitem feminam duxisset domum (*Marcellinus, in Chronico*). Hæc Arianam hæresim profitebatur; sed eam ille ducere noluit, nisi prius factam Catholicam: quod utcumque Augustino, quem summus dolor ceperat ob nunquam sibi exspectatum harum nuptiarum nuntium, solatio

fuit (*Epist.* 220, *n.* 4). Porro conjugio huic illud dedecoris accedebat, quod, tametsi uxor ejus catholicam fidem amplexa diceretur, tamen in ipsius domo tantam sibi auctoritatem arrogaverant Ariani, ut ejusdem filiam, ex hoc forte matrimonio natam, baptizarent. Unam quidem, ut superius observatum, ex priore conjuge tulerat, quam nuptui tradiderat Sebastiano comiti : verum cum ille comes fidei catholicæ esset addictus, uxorem eum duxisse Arianam, credibile non videtur. Quin etiam ancillas Deo dicatas de domo Bonifacii ferebant ab eisdem hæreticis rebaptizatas. Illum quoque uxore legitima non contentum, pellices etiam domi alere jactabat rumor. At vero, si conjugium hoc scelerum scaturigo exstitit, illud etiam insignium calamitatum innumera consecuta est multitudo : quibus calamitatibus causam ipsemet Bonifacius partim præbuisse dicitur (*Ibid.*, *n.* 5).

2. Memoriæ prodit Prosper, bellum ei publico nomine indictum fuisse, quod redire in Italiam jussus non paruisset (*Prosper*, *in Chronico*). Rem paulo latius narrat Procopius. Atqui ex Augustino intelligitur, Bonifacium belli causam solitum rejicere in eos, qui illi optime de republica merito malam gratiam et contraria reddidissent (*Epist.* 220, *n.* 8); atque in hoc etiam, quod bona sæculi hujus, quæ nimirum vel sperabat, vel possidebat, sibi negata aut aliis delegata doleret (*Ibid.*, *n.* 5). Venit Hipponem eo tempore Bonifacius : at sanctum Antistitem præ corporis imbecillitate vix loquentem reperit : atque ita, quæ ad ipsius salutem necessaria erant, audire ab illo nequaquam potuit (*Ibid.*, *n.* 2). Bellum, quod ille adversus Imperium sustinuit, nova culpa fuit, et aliarum pene innumerarum fons atque origo. *Quis non videat, quod multi homines tibi cohæreant ad tuendam tuam potentiam vel salutem, qui etiamsi tibi omnes fideles sint, nec ab aliquo eorum ullæ timeantur insidiæ, nempe tamen ad ea bona quæ ipsi quoque non secundum Deum, sed secundum sæculum diligunt, per te cupiunt pervenire; ac per hoc qui refrenare et compescere debuisti cupiditates tuas, explere cogeris alienas? Quod ut fiat, necesse est multa quæ Deo displicent, fiant. Nec sic tamen explentur tales cupiditates; nam facilius resecantur in eis qui Deum diligunt, quam in eis qui mundum diligunt, aliquando satiantur. Vides tam multa contrita, ut jam vile aliquid, quod rapiatur, vix inveniatur* (*Ibid.*, *n.* 6). Ad hæc, cum Bonifacius in armis eo solum remansisset, ut provinciam tutaretur ab Afris barbaris, quos omnino perdomitum iri, statim atque summum copiarum imperium obtinuisset, communis erat exspectatio; contra vero tametsi hac jam potestate polleret, numerosumque ductaret exercitum; tamen iidem illi barbari altissime in provinciam irrumpebant, omnia devastabant, expilabant, depopulabantur; ita ut multa, quæ plena populis erant, loca in deserta converterent, nec resistente quoquam, nec Bonifacio, ut coercerentur, providente, quippe quem propriæ suæ salutis cura vehementer occupatum habebat (*Ibid.*, *n.* 7). Etenim eodem hoste Imperii declarato, curavit Felix in illum ut exercitus mitteretur, ducibus Mavortio, Galbione ac Sinoce; qui cum Bonifacium obsiderent (quonam in loco non exprimitur), Mavortius et Galbio per obsidionem interfecti sunt proditione Sinocis; quem ipsum postea Bonifacius detecta ejusdem perfidia interemit (*Prosper*, *in Chronico*).

3. Bonifacio, dum versaretur in periculis, non scripsit Augustinus, veritus scilicet, ne vel perlator litterarum in discrimen veniret, vel ipsæ litteræ, quibus Comitis consilia improbaret, in ejusdem adversariorum manus inciderent (*Epist.* 220, *n.* 2). Sed cum postea fidum hominem et ipsimet Bonifacio charum nactus esset, Paulum videlicet diaconum, sua adversus illum charitas beatum induxit Præsulem, ut ipsi pro sua in Christo æterna salute aliquid loqueretur (*Ibid.*, *n.* 1). In damnis quæ ex bello patiebatur Africa, ad superiores causas potius attendebat Augustinus, ut qui nescius non esset debere homines quidquid mali tolerant, suis peccatis imputare : at vero cum impense Comitem diligeret, optabat ex eorum numero illum non esse, per quos Deus temporaliter populorum crimina ulciscitur, et quos postmodum æternis suppliciis punit (*Ibid.*, *n.* 8). Principio illi in memoriam revocat *pristinam pietatem*, desiderium omnia relinquendi, et continentiæ servandæ propositum. Deinde ob oculos eidem summo cum affectu charitatis ponit, quam lugendum in statum adductus esset, cum secundo suo matrimonio, tum bello, quod susceptum ab eo fuisset; quæ scelera vel ipse per se committeret, vel sua causa ab aliis committi oporteret. Quod ad rationes, quibus sese purgari Bonifacius existimabat, suum non esse de illis pronuntiare testatur; quando utramque partem non audierat : sed ad Bonifacium pertinere, ut si non apud homines, certe apud Christum ipsum, cujus se fidelem servum profitebatur, et apud conscientiam propriam, in qua se solo sæcularis vanitatis amore eo devenisse perspecturus erat, innocentiam suam defendat : tandem ut maxime verum esset, laboribus suis non parem gratiam rependisse Imperium, haud esse christiani, cujusmodi erat, mala sive pro bonis sive pro malis reddere (*Ibid.*, *et n.* 5). His addit, si se consulat, quid sequendum in tanta necessitate videatur; non habere se quid consilii super dignitatum atque opum ipsius conservatione suggerat : verum si animæ, quam cæteris omnibus ipsi oportet esse pretiosiorem, consultum velit, eum a se illud Joannis auditurum : « *Nolite diligere mundum nec ea quæ in mundo sunt* » (I *Joan.* II, 15). *Ecce consilium*, pergit sanctus Vir, *arripe, et age. Hic appareat si vir fortis es. Vince cupiditates, quibus iste diligitur mundus; age pœnitentiam de præteritis malis, quando ab eis cupiditatibus victus per desideria non bona trahebaris* (*Epist.* 220, *n.* 9). Eumdem jam ante compellaverat in hæc verba (*Ibid.*, *n.* 5) : *Christianus es, cor habes, Deum times : tu ipse considera quæ nolo dicere, et invenies de quantis malis debeas agere pœnitentiam; propter quam tibi credo Dominum parcere, et a periculis omnibus liberare, ut agas eam sicut agenda est; sed si illud audias quod scriptum est, « Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem*

(*Eccli.* v, 8). Bonifacio, ut id temporis ejus res habebant, in proclivi non erat hoc sequi consilium. Quapropter illud ei commendat, Deum etiam atque etiam orare obsecrareque, uti se necessitatum, quibus implicitus erat, vinculis expediret. *Tunc enim*, inquit Augustinus, *finiuntur istæ necessitates, quando vincuntur illæ cupiditates* (*Epist.* 220, *n.* 10). Jungi vult precibus eleemosynas, atque insuper, quantum illius valetudo patietur, jejunium (*Ibid.*, *n.* 11). Si conjugem ille non haberet, tum se illi dicit auctorem fore, non modo ut continentiam servaret, verum etiam ut ad vitam in societate servorum Dei piis operibus traducendam, quod prius fieri prohibuerat, se reciperet : verum sibi integrum non esse, illum ad hoc vitæ genus adhortari, propter conjugem videlicet, quæ continentiæ ab eodem nuncupatæ minime conscia, ipsi nupserat : ut ea refragante votum suum servare haudquaquam posset : felicem illum fore, si se illa ad colendam eamdem virtutem pateretur induci, ut isto pacto, quod se Deo debere noverat, exsolveret; sin autem illud non posset, saltem intra conjugales limites se contineret, atque interim peteret a Deo, ut quod sibi tunc non licebat, liceret aliquando. *Verumtamen*, ait, *ut Deum diligas, non diligas mundum; ut in ipsis bellis, si adhuc in eis te versari opus est, fidem teneas, pacem quæras; ut ex mundi bonis facias bona opera, et propter mundi bona non facias opera mala, aut non impedit conjux, aut impedire non debet* (*Ibid.*, *n.* 12).

4. Hæc epistola fortasse Bonifacium impulit, ut aliquanto post in officium rediret. At ei tunc morem gerere, nisi gratiæ miraculo plane singulari, non poterat. Oportebat eum aut suam ac familiæ fortunam omnino deserere, aut ad extrema illa ferri, quo eumdem redactum visuri sumus. Enimvero quibus ejusdem ruina cordi erat, effecere ut cœpti contra eum belli cura in Segisvultum comitem transferretur (*Prosper, in Chronico*). Is Gothus, atque Arianus erat, ut videtur : nam Maximini Ariani episcopi, qui cum Gothis in Africam venerat, opera utebatur. Segisvultus, cum non fuerit, nisi post Mavortium cum aliis qui adversus Bonifacium missi fuerant ducibus necatum, huic bello præfectus, difficulter admodum potuit in Africam ante annum quadringentesimum vigesimum octavum trajicere. Maximinum Carthagine Hipponem venisse ipsius jussu cognoscimus (*Collat. cum Maximino*, *n.* 1) ; quod cum ita sit, magnas hasce duas urbes eidem oportet paruisse : cæterum de bellicis ejus facinoribus nihil usquam est invenire. Quin si standum Procopii testimonio, post Vandalorum exscensionem Carthagine erat Bonifacius.

5. In præsentem annum incidit Vandalorum in Africam irruptio, qua nullum toto vitæ curriculo eventum insigniorem tristioremve conspexit Augustinus. Bonifacius nempe fœdere cum Vandalis sui adversus Imperium defendendi causa inito, illos maio mense anni quadringentesimi vigesimi octavi secundum opinionem propius a verisimili recedentem, ex Hispaniis in Africam evocavit, atque eorum libidini permisit hanc tantam tamque florentem provinciam, quam tribus exceptis urbibus totam biennio occuparunt. Huc trajecere Dei potius quam Bonifacii accitu; nimirum ut a populis admissorum pœnas expeterent; ipsique adeo confitebantur, se hac in expeditione non tam motu proprio, quam divino impulsu agi. Salvianus, quam justus fuisset ille impulsus, ex consuetis ac familiaribus Afrorum sceleribus demonstrat, maxime vero ex impudentia et blasphemiis, hoc est rebus iis, quæ Dei religionisque honorem spectant : ac justitiam divinam eo clarius elucere ostendit in hac Vandalorum irruptione, quod hi fœdas spurcasque libidines ex ea provincia delevere (*Salvian., de Gub., lib.* 7). Is quidem hac in re multus est, tamque horribilem Africæ imaginem depingit, ut difficulter hic modum tenuisse videatur. Enimvero cum isthic essent complures sanctissimi episcopi; quis dubitet eorum curis ac laboribus in bene multis e populo Deum aspirasse? Atque simul verissimum est, quo pluribus ad salutem præsidiis instructa erat hæc provincia, eo fuisse eorum crimen immanius, qui eisdem abusi, vel in infidelitate Paganorum, vel in schismate Donatistarum, vel in Manichæorum aliorumque popularium hæreticorum impiis dogmatibus, vel denique in vitiis et criminibus contumaces permanserunt. Ipsi quoque sancti Africani antistites agnoscunt non sine dolore, perfectum esse hocce flagellum tum ex improborum peccatis, tum etiam e timiditate bonorum; qui, ne facultatum temporalium jacturam facerent, malis, de quibus ingemiscebant, obsistere verebantur (*Serm. de Tempore barbar.*, *cap.* 1 ). Cum autem Deus æque misericors sit ac justus, hasce pœnas Africæ misericordia perinde atque justitia temperatas fuisse, non immerito dixerimus. Quippe calamitates illæ temporales multos dubio procul bonos Christianos, à quibus patienti animo sunt exceptæ, perpurgarunt. Ad hæc cum Deus plurimos opera sanctorum episcoporum, quos eis præfecerat, maxime vero Augustini, ad martyrium præparasset, ad ipsius gloriam pertinebat, ut virtutem, qua eosdem exornaverat, omnium oculis proponeret; et illud sane docuit eventus Nam Vandalorum tyrannis, qua per annos centum Africam tenuere, minus celebris evasit horrenda illius devastatione, quam ingenti numero confessorum atque martyrum, quos illic istorum coronavit immanitas. (*Victor Vitens., de Persec. Vandal., lib.* 1, *n.* 1, *sq.*).

6. Gensericus cum ingenti exercitu, non ex solis Vandalis, verum etiam ex Alanis, Gothis, aliisque omne genus nationibus conflato trajiciens, Africam otio rebusque omnibus affluentem reperit : de qua Salvianus ita loquitur, ut ea ditiorem in provinciis totius Romani Imperii nullam exstitisse significet (*Salvian., de Gub., lib.* 7). Sed brevi faciem ejus mutavere Barbari. *Divina*, inquit Possidius, *voluntate et potestate provenit, ut manus ingens diversis telis armata et bellis exercitata, immanium hostium Vandalorum et Alanorum, commixtam secum habens Gothorum gentem, aliarumque diversarum personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset et irruisset : universaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras*

*transiens provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta, quæ potuit, exspoliatione, cædibus, diversisque tormentis, incendiis, aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est; nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. Et hanc ferocissimam hostium grassationem et vastationem, ille Dei homo, et factam fuisse et fieri, non ut cæteri hominum, sentiebat et cogitabat : sed altius et profundius ea considerans, et in his animarum præcipue vel pericula vel mortes prævidens, solito amplius (quoniam ut scriptum est, « Qui apponit scientiam, apponit dolorem » [Eccle.* I, 18]; *et « Cor intelligens, tinea ossibus) » fuerunt ei lacrymæ panes die ac nocte (Psal.* XLI, *4), amarissimamque et lugubrem præ cæteris suæ senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum ædificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos; Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos; et in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate, perdita animi et corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire; hymnos Dei et laudes de ecclesiis deperiisse, ædificia ecclesiarum quam plurimis locis ignibus concremata; solemnia, quæ Deo debentur, de propriis locis desiisse sacrificia; sacramenta divina vel non quæri, vel quærenti qui tradat non facile reperiri; in ipsas montium silvas et cavernas petrarum et speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones alios fuisse expugnatos et interfectos, alios ita necessariis sustentaculis evolutos atque privatos, ut fame contabescerent : ipsosque Ecclesiarum præpositos et clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse : vix tres superstites ex innumerabilibus Ecclesias, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, et Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, et earum permanent civitates, et divino et humano fultæ præsidio; licet post ejus obitum urbs Hipponensis incolis destituta ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala cujusdam sapientis sententia consolabatur dicentis : Non erit magnus magnum putans, quod cadunt ligna et lapides, et moriuntur mortales. Hæc ergo omnia ille, ut erat alte sapiens, quotidie ubertim plangebat* (*Possid., in Vita August., cap.* 28).

7. Cæterum Vir Dei neque fidem suam, neque episcopalem fortitudinem dolore, quo tantas inter calamitates afficiebatur, frangi debilitarive sinebat : quod quidem is epistola ad Quodvultdeum episcopum data liquido demonstravit. Rogatus enim ab hoc episcopo, præsulum hoc in casu quod esset officium, an eis liceret fugam populis permittere, ac se ipsos recipere periculi vitandi gratia : paucis quidem illi respondit, sed pro ejusdem necessitate sat multis, nempe nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant; nec episcopos ministerii sui vincula illa sacra, quibus eos, ne Ecclesias deserant, Christi charitas alligavit, posse rumpere; atque adeo quamdiu ipsorum præsentia plebi necessaria est futura, eis nihil prorsus aliud relinqui, nisi ut se totos divinæ voluntati committant, et spem suam in superno adjutorio collocent (*Epist.* 228, *n.* 1). Honoratus Thiabensis episcopus, idemque a Possidio sanctus vir appellatus (*Possidius, in Vita August., c.* 30), eadem postmodum ab Augustino de præsulibus et clericis sciscitatus est. Hic sancto Antistiti significabat, non videre se, quid aliud remanendo in sedibus suis vel sibi vel populo suo profuturi sint episcopi, nisi ut ante ipsorum oculos viri cadant, feminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, atque ipsi quoque in tormentis deficiant, cum de ipsis quæritur quod non habent. Augustinus sufficere putavit, ei suam ad Quodvultdeum epistolam mittere. Sed illi iterum Honoratus hoc sibi satisfactum non esse significavit, quando Christus et fugere præcepisset, et præceptum suum exemplo proprio confirmasset. Hoc igitur fuit in causa, cur ei sanctus Doctor novam super ea re scriberet epistolam (*Epist.* 228, *n.* 2), quam dicit Possidius instituendis episcopis aliisque Ecclesiæ ministris apprime utilem et necessariam, ob idque sibi visum, eam, licet longiusculam, Vitæ sancti Præsulis inserere (*Possidius, in Vita August., c.* 30). Porro id ille in ea docet, fugam episcopis tum demum licitam esse, cum vel ipsi specialiter quæruntur, et per alios qui non ita quæruntur, potest impleri necessarium ministerium; vel recessit universa plebs. Ultimo huic approbando quorumdam Hispanorum antistitum exemplum adducit; primo autem Athanasii; cui poterat et Cyprianum adjungere : demptis autem duabus hisce conditionibus, ignorantia sola aut ignavia clericum, maximeque episcopum, induci posse, ut populum ministerio suo, quo tempore potissimum eo indiget, desertum patiatur. Quia vero ab alio præsule fuerat objectum, si Christus in eis persecutionibus, ubi potest fructus esse martyrii, fugiendum præcepit; multo magis fugiendas esse passiones steriles, quando est barbaricus et hostilis incursus : respondet Augustinus, verum esse id quidem de his quos ecclesiastici officii non tenent vincula; secus autem de iis qui, quod fidelibus operam suam debeant, remanent; eos enim charitatis hujus beneficio meritum illustrioris martyrii sibi comparare, quam si retinendæ tantum fidei causa paterentur. At cum ipsamet charitas videretur ad id inducere, ut optaretur cleri partem aliquam, ne deessent qui evadentibus barbaricum furorem opitularentur, secedere; monet eos qui sponte consilium hoc essent amplexuri, ne vel notarentur ignavia, vel præ aliis, judicio suo, magis Ecclesiæ necessarii viderentur, sortibus rem committere posse : neque hoc ulli præterquam ignaris culpatum iri, quamvis eam rationem minus usitatam esse fateretur. Asserit Augustinus hanc animi magnitudinem, qua episcopus cum plebe sibi divinitus credita mediis in periculis perseverat, non mundanæ cupiditatis fumo, sed cœlestis amoris flamma generari, et amorem hunc a Deo proficisci, necnon ab ipso precibus esse efflagitandum. *Oremus ergo*, ait, *ut ab illo de-*

*tur a quo jubetur* (*Epist.* 228, *n.* 7). Hoc demum addit pro coronide, consilium in his calamitatibus nullum conducibilius relinqui, quam ut confugiatur ad orationis præsidium, atque obnixe divina clementia imploretur. Porro ex hac epistola judicare est, Calamam urbem aliasque complures a civibus omnino desertas ac desolatas fuisse; quando Possidius, qui ab Augustini sententia, quam tot tantisque laudibus prosequitur, discedere nunquam in animum induxisset, sese atque alios finitimos antistites Hipponem perfugisse testatur (*Possidius, in Vita August., c.* 28).

## CAPUT IX.

1 *Ultimum opus in Julianum sanctus Doctor aggreditur.* 2 *In colloquium venit cum Maximino Arianorum episcopo, quem et editis libris confutat.* 3 *Maximum ab Ariana hæresi conversum adhortatur, ut suos aliosque eodem errore implicatos ad catholicam fidem adducere studeat.* 4 *Refellit Sermonem Arianorum.* 5 *Colloquium cum Pascentio eidem Arianæ hæresi addicto scriptis ad eumdem litteris evulgat.* 6 *Elpidio in fide Trinitatis erranti rescribit.*

1. In illa totius Africæ vastatione, dum eo tantum incumberent plerique omnes, ut vel patriæ laboranti opem ferrent, vel sese saltem eriperent ab interitu; sanctus Antistes institutum nihilominus suum in adjuvanda continuis suis laboribus Ecclesia, propugnandaque adversus illius hostes veritate ac fide, constanter tenebat. Jam ante observatum nobis est, scriptis a Juliano in primum Augustini librum de Nuptiis et Concupiscentia quatuor libris, excerpta quædam ex illorum primo sanctum Doctorem suo de Nuptiis et Concupiscentia secundo refutasse; ac postea quatuor illos integros adeptum, contra eosdem simul prolixius opus, cujus inscriptio in Retractationibus non alia legitur, nisi : *Contra Julianum libri sex*, edidisse. Alypius librum de Nuptiis et Concupiscentia secundum jam inde ab anno quadringentesimo vigesimo primo, quantum conjectura nobis licet assequi, secum in Italiam tulit. Hoc autem adortus est maturata responsione Julianus, cum sex libros, quibus quatuor sui refutati ab Augustino fuerant, necdum cognitos haberet; quandoquidem an eos Augustinus legisset, addubitat (*Operis imperfecti lib.* 4, *n.* 38). Ista Juliani responsio libris octo constabat in quibus erat ille vagabunda loquacitate non copiosus, sed odiosus eis, qui rebus inhærentes superflua verba contemnunt (*Ibid., lib.* 3, *n.* 20). In hoc scite Augustinus jocatur, aitque illum, siquidem eidem viæ insistere constituit, amplius mille volumina, ut sex suis libris, quibus illius quatuor confutavit, respondeat, nullo negotio posse conficere (*Ibid., lib.* 1, *n.* 34; *lib.* 4, *n.* 5). Nihilo tamen minus perpetuo brevitatis studium jactabat, perinde ac si multa, quæ potuisset adjungere, reticuisset. Hinc illi Augustinus : *Ideo contra unum librum meum libros octo scripsisti, quia per tua compendia dialectica diu disputare noluisti* (*Ibid., lib.* 1, *n.* 34). Sed ne librum quidem Augustini totum octo suis oppugnat (*Ibid., lib.* 2, *n.* 127); imo nullam ejus partem refellens, vix tertiam attingit (*Ibid., lib.* 4, *n.* 5). Horum sex in Augustiniana refutatione continentur, in quibus Catholicos vix unquam aliter nominat, quam Traducianos et Manichæos, ac maxime sanctum Antistitem, quem illic quoque Tractatorem Pœnum vocitat, Alypium autem Vernulam peccatorum Augustini (*Ibid., lib.* 1, *n.* 7). Verum convicia illa nihili sibi, vel potius magni pendenda putat Augustinus; *quia quando pro defensione catholicæ fidei ab hæreticis contumelias audio*, inquit, *pro laudibus habeo* (*Ibid., lib.* 3, *cap.* 18). Julianus opus illud suum inscribit Floro, inter Pelagianæ factionis episcopos celebri, cujus rogatu vel potius auctoritate paterna adductum se prædicat, ut misso brevioris operis consilio magnum hoc susciperet (*Ibid., lib.* 1, *nn.* 2, 7). Et alio loco illud oneris sibi a sanctis viris et ejus temporis confessoribus, hoc est, ab iis qui Pelagiani dogmatis causa solum vertere jussi fuerant, impositum jactat (*Ibid., lib.* 1, *n.* 51). Duos Retractationum libros jam absolverat Augustinus, cum idem illud opus videre sibi contigit. Nempe Alypius sub id temporis tertio Romam profectus, illud ibi cum accepisset, nondum totum descripserat, cum oblatam occasionem noluit præterire, per quam Augustino quinque ejusdem operis libros deferendos curavit, promittens alios tres cito se esse missurum, multumque instans ne respondere differret (*Epist.* 224, *n.* 2). Revocandis ad examen Epistolis ac Sermonibus suis tunc operam dabat sanctus Doctor, et plurimas epistolarum jam legerat, tametsi nihil adhuc inde dictaverat, cum eum etiam isti Juliani libri occupare cœperunt. At cum operum suorum recognitionem gravioris duceret necessitatis, quam ut dimittenda videretur; duobus hisce laboribus, ut jam observatum, otium suum ita partitus est, ut uni interdiu, alteri nocte incumberet. Aliæ tamen supervenientes curæ ejus generis ac momenti, ut eas negligere haudquaquam posset, ipsum ab eo quod habebat in manibus averterunt. Juliano enm in modum respondebat, ut primo hæretici illius textum exhiberet, deinde quæ ad eum revincendum viderentur apposita, subjungeret (*Ibid., n.* 1). Hæc ratio eum ad iteranda crebro eadem responsa adigebat, eo quod Julianus in inculcandis iisdem erroribus perpetuus esset : sed malebat Vir sanctus nimiam suam diligentiam a celerioribus ingeniis sibi condonari, quam a tardiusculis de neglecta ipsorum tarditate secum expostulari (*Operis imperfecti lib.* 6, *n.* 17). Is autem ibi historiam hanc observatu minime indignam refert : *Erat apud nos*, inquit, *Acatius quidam honesto apud suos ortus loco : clausis oculis natum se esse dicebat; sed quia intus sani palpebris cohærentibus non patebant, medicum eos ferro aperire voluisse, neque hoc permisisse religiosam matrem suam, sed id effecisse imposito ex Eucharistia cataplasmate, cum jam puer quinque fere aut amplius esset annorum; unde hoc se satis meminisse narrabat* (*Ibid., lib.* 3, *n.* 162). Huic in Julianum operi sanctus Doctor ad extremam usque vitam operam navavit, cui adhuc instabat in urbe Hippone jam a Vandalis obsessa; sed morte occupatus, idem opus imperfectum relinquere

coactus est (*Prosper, in Chronico*), quemadmodum etiam liquido tradit Possidius, ubi mentionem de illo facit in hæc verba : *Contra secundam Juliani responsionem, imperfectum Opus* (*Possidius, in Indiculo, cap. 4*).

2. Diximus supra jussu Segisvulti Hipponem venisse Maximinum (*Supra, cap.* 8, *n.* 4). Venerat autem, ut ipse jactitabat, *contemplatione pacis* (*Collat. cum Maximino, n.* 1) : quod quidem clarius non explicat. Idem testatur infra, se adductum ad respondendum timore Dei et studio colligendi fratres seu discipulos suos, quos Augustinus non exhortationibus tantum privatis, sed et publico tractatu, in quo de invisibilitate Dei disputaverat, sibi eripere Ecclesiæque reconciliare conatus erat (*Ibid., disput. Maximini, n.* 26). Innuebat forsitan quosdam Segisvulti Gothos, qui ne Catholicorum partes Hippone potiores essent, neutiquam efficere valebant; quandoquidem Maximinus leges verebatur imperiales (*Collat. cum Maximino, n.* 4), Augustinus vero tanquam principum auctoritate munitus loquebatur (*Ibid., disput. Maximini, n.* 1). Ille primum amicum cum Heraclio presbytero colloquium iniit ab ipso, ut inquiebat, provocatus (*Collat. cum Maximino, n.* 1) : at Heraclius postea vocavit Augustinum. Hic rogantibus plurimis in colloquium venire consensit : quod ipsum recusare Maximinus, ne a suis asseclis desereretur, ausus non est (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 17). Convenere igitur coram magna frequentia hominum nobilium aliorumve tam clericorum quam laicorum ; necnon et notariorum, qui utrimque dicta exciperent. Maximinus principio adscita quadam modestiæ specie palam agnovit, Augustinum sibimet ipsi injuriam vel eo fecisse, quod secum in colloquium venire dignatus sit. Tum Ariminensem fidem tenere se professus est ; cujus dehinc diversa capita declaravit : quæ sanctus Doctor, quantum ipsi licuit per tempus, redarguit (*Collat. cum Maximino, n.* 1). Unde ex ea controversia discere est, quæ esset hujus hæreseos doctrina, quibusve fallaciis hæretici debilitatem ejus operire et simpliciori-bus imponere niterentur ; ac demum quam de divina Trinitate fidem catholica sequeretur Ecclesia. Illic Maximinus, quæ cogitat, non expeditissime tantum effert, sed etiam suaviter atque ornate ; licet se nec rhetoricæ arti, nec humanioribus litteris unquam studuisse prædicaret. Certe quidem felici memoria erat præditus, necnon in numerato habebat Scripturæ testimonia longe plurima, quæ magna linguæ volubilitate efferebat : atque adeo multa, eaque pulcherrima dicebat, sed ad rem minime pertinentia. Unde fiebat, ut, cum multum declamitasset, non effecisse quidquam, neque ad interrogata respondisse reperiretur. Hoc se de industria facere postrema sua disputatione, quam ad finem usque diei produxit, abunde ostendit : non enim per tempus licuit eam relegere, ut ab Augustino redargueretur. Sed nec Maximinum inducere, ut colloquium die sequenti continuaret, licebat, eo quod se Carthaginem urgenti necessitate revocari obtenderet. Proindeque oportuit uno verbo illi respondere Augustinum : verum recepit idem hic sanctus, se disceptationem scriptis traditurum, ac Maximino, quam falsa dogmata tueretur demonstraturum : quod promissum subscriptione sua munivit. Maximinus quoque propria manu scripsit in culpa fore se, nisi accepto illius libro singulis capitibus satisfaceret. Augustinus fidem liberavit suam, eoque magis id illum præstare necessum fuit, quod reversus Carthaginem Maximinus, e collatione victorem se discessisse gloriabatur ; quia videlicet illic se verbosiorem exhibuerat (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 17). Quamvis autem illius victoria commentum esset, non erat tamen expeditum tardioribus ac minus in fide eruditis de ipsa judicare. Scripsit itaque Vir sanctus duos libros admodum prolixos, quorum priore iis quæ ipsemet proposuerat, Maximinum minime respondisse planum fecit : in posteriore autem, ejusdem hæretici disputationem prolixiorem, cui in colloquio respondere temporis angustia fuerat prohibitus, totam refutavit. Hos libros sanctus Præsul eo reticet in Retractationibus, quod his jam ante summam manum apposuerat. Sed illorum in ejusdem Vita, necnon in Indice mentionem facit Possidius (*Ibid., et in Indiculo, cap.* 5). Dicta ejusdem Maximini quædam redarguit sanctus Antistes in sermone ad plebem, qui hoc titulo prænotatur : *Contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa, blasphemabat* (*Serm.* 140) : sed an sermo ille colloquium superius memoratum præcesserit, an secus, ignotum est.

3. Hæc sancti Antistitis cum Maximino disputatio monet, ut alia contra hæresim Arianam opuscula, ea præsertim quorum tempus explorare nobis non licuit, hoc loco velut in fascem colligamus. Erat Maximus quidam, dictus in antiquis codicibus medicus Thenitanus Eunomianista, qui pridem irretitus Arianis dogmatibus, etiam persuasu suo eamdem pestem aliis e familia sua afflaverat (*Epist.* 170, *n.* 10). Attamen is jam gravis ætate, divino beneficio inde emersit, seque catholicæ Ecclesiæ consociavit, Augustino atque Alypio præsentibus ; quos ad hoc operam suam contulisse nulli dubitemus. Verumtamen apparet, illum ad reducendos, quos a veritate averterat, atque alios e suis, quos spes fuerat ipsius reditum secuturos, minus ferventem se præbuisse. Atque hoc sanctos antistites impulit ad scribendum eidem Maximo ; quem cohortantur, ut illos urgeat, pro illis oret, illos demum ad Ecclesiam adducat. Reliquam epistolam in explicando divinæ Trinitatis mysterio, ut Maximum in fide magis ac magis confirmarent, posuere. Peregrinum quoque episcopum, fortasse Thenitanum, datis simul ad eum litteris (*Epist.* 171) petiere, ut prima nata occasione certiores ipsos faceret, num epistolam Maximus grato accepisset animo, suisque ipsorum monitis obtemperasset. Ad hæc eumdem Peregrinum obsecrant, uti suis ipsorum verbis illi significet, prolixas epistolas ad familiarissimos suos, etiam ad episcopos, ea, qua illa scripta erat, forma scribere se *solere*, *ut* et cito scribantur, et charta teneatur *commodius*

cum leguntur : *ne forte*, inquiunt, *istum morem nostrum nesciens, factam sibi arbitretur injuriam.*

4. Tametsi hæretici ex Ariana secta nulli alias Hippone degerent; quosdam tamen eo intulerat adventantium frequentia (*In Joan. Evang. tract* 40, *n.* 7). Ibi ergo cum aliquando, anno videlicet, ut ex Retractationum serie intelligitur, quadringentesimo decimo octavo, Sermo quidam Arianorum, sive Hipponensium, sive aliorum cura prodiisset (*Retract. lib.* 2, *cap.* 52), ac sancto Doctori, a fidelibus catholicis missus esset, hunc ipse quanta diligentia et brevitate potuit, confutavit; atque ne textum cogeretur, quem excutiebat, opusculo suo passim inserere, Sermonem in illius fronte integrum præfixit, numeris adhibitis, quibus refutationis suæ loci quique indicarentur (*Cont. Serm. Arianor.*, *cap.* 39).

5. Pascentius quidam comes domus regiæ, addictus Arianæ hæresi, *qui*, ut narrat Possidius, *per auctoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, et quam plurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat et perturbabat* (*Possid., in Vita August.*, *c.* 17), Augustinum provocavit ad sermonem cum ipso conferendum apud Carthaginem, interpositis (id est, præsentibus) honoratis et nobilibus viris (*Epist.* 228, *n.* 9). *Sed idem hæreticus*, pergit Possidius, *tabulas atque stilum, id est notarios ad excipiendum, quod magister noster* (Augustinus) *et ante congressum et in congressu instantissime fieri volebat, ne adessent, omni modo recusabat. Et dum id pernegasset, dicens quod metu legum publicarum periclitari tabulis scriptis nollet, atque interpositis (hoc est, præsentibus) id placere Augustinus episcopus cum suis qui aderant consacerdotibus videret, ut absque ulla scriptura privatim disputarent, collationem suscepit; prædicens, ut postmodum contigit, quod post solutum conventum esse cuiquam posset liberum forte dicere, nullo scripturæ documento, se dixisse quod forte non dixerit, vel non dixisse quod dixerit. Et miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit quid crederet, et ab illo quid teneret (id est, quid contra fidem catholicam diceret), audivit (nam alioqui a Pascentio obtinere non potuit, ut suam fidem disertis verbis diceret); et vera ratione atque auctoritate Scripturarum probata docuit, et ostendit nostræ fidei firmamenta : illius autem asserta nulla veritate, nulla Scripturarum sanctarum auctoritate suffulta docuit, et frustravit. Et ut a se invicem partes digressæ sunt, ille magis magisque iratus et furens, mendacia multa pro fide sua falsa jactabat, victum esse a se ipso proclamans multorum ore laudatum Augustinum. Quæ cum minime laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium, et in eis litteris quidquid inter partes dictum vel gestum fuerat, fideliter intimavit : ad ea, si negarentur, probanda magnam testium habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles, qui tunc aderant, viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, unum vix reddidit rescriptum, in quo magis injuriam facere, quam suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod a volentibus et a valentibus legere comprobatur* (*Possid., in Vita August.*, *c.* 17).

6. Idem Possidius epistolam quoque ad Elpidium, inter opera adversus Arianos suscepta refert (*Idem, in Indic.*, *cap.* 5). Et sane hic Elpidius in Trinitate errabat, ac Filium Patri æqualem dicere, stultum ducebat (*Epist.* 242, *n.* 2). Is nunquam viderat Augustinum : attamen ei venit in mentem illum benevolentiæ ergo, ut prædicabat, ab errore velle revocare (*Ibid.*, *n.* 1). Eam ob rem cujusdam episcopi suæ sectæ libellum illi transmisit, hortatusque est ad mare trajiciendum, ut Bonosum ac Jasonem doctissimos viros, quorum e colloquio uberes fructus esset reportaturus, audiret. Quantumvis ridiculum esset Elpidii consilium, ei tamen sanctus Doctor cum benignitate respondit, quod in se benevolentiam testaretur, seque ab errore liberatum vellet, gratiam debere se ac profiteri : verum uter eorum erret in fide vel in cognitione Trinitatis, aliam quæstionem esse dicit; optatque nosse eum Deus faciat, quod nosse se putat. De libello autem ab episcopo Elpidii edito, sese auctoris vanitatem infirmitatemque spondet ostensurum, si per otium singillatim illum excutere sibi sit liberum (*Ibid.*, *n.* 5). Atqui quominus id operis aggrederetur, prohibuere sine dubio varia illa negotia, quibus distentum se passim conqueritur.

## CAPUT X.

*1 In prædestinationis et gratiæ doctrinam superioribus libris ab Augustino explicatam insurgunt Massilienses et alii quidam in Galliis haud in totum a Pelagianis abhorrentes. 2 Catholicam fidem contra eos defendit Augustinus scriptis Prosperi et Hilarii impulsu libris de Prædestinatione sanctorum. 3 Quodvultdeus rogat sanctum Doctorem, ut de hæresibus scribat. 4 Urgente Quodvultdeo Augustinus aggreditur opus de Hæresibus, quod imperfectum relinquere cogitur. 5 Dioscori conversionem miraculi plenam narrat per litteras Alypio seni.*

1. Verum quantacumque curarum eum multitudo premeret, non propterea deponebat e memoria sanctus Doctor, sibi defendendæ gratiæ impositam esse a Deo provinciam. Itaque præterquam quod stilo decertare cum Juliano ad extremam usque vitam non destitit, novis adhuc non longo ante mortem ipsius tempore surgentibus gratiæ inimicis sese sine mora objecit. Multi nimirum servorum Christi, id est, monachorum, qui in Massiliensi urbe consistebant (*Epist.* 225, *n.* 2), aliique in aliis Galliarum locis (*Epist.* 226, *n.* 2) nonnulli Augustini scripta evolventes, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputabat sanctus Doctor, illud Patrum opinioni et ecclesiastico sensui contrarium dictitabant : atque hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem temporis afferre : deinde sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem : uno verbo, quidquid sibi Augustinus ex adversa parte

opponit in libro de Correptione et Gratia, vel in libris contra Julianum; hoc totum ipsi pro se regerebant summa contentione ac pugna : tum doctrinam illam ædificationi audientium contrariam esse dicebant, atque ea propter, etiamsi vera sit, non promendam. Cæterum obstinationem suam vetustatis nomine defendentes, contendebant Paulum, cujus auctoritate nititur Augustinus, a nullo hactenus ita esse intellectum. Quod ad parvulos spectat, in quibus divina elucet prædestinatio, tales aiebant perdi talesque salvari, quales futuros illos in majori ætate, si ad eam pervenirent, scientia divina prævidisset (*Epist.* 225, *n.* 5). Nec absimiliter quæstionem de majoribus, cur Evangelium non omnibus prædicetur, enodabant; id affirmantes præscientiæ esse divinæ, ut ideo quibusdam populis non prædicetur, quod illud non sint recepturi (*Ibid.*, *et Epist.* 226, *n.* 3). Præterea discrimen constitutum ab Augustino inter gratiam Adamo datam, et eam quæ nobis datur, moleste ferebant (*Epist.* 226, *n.* 6). Nec volebant cuiquam talem dari perseverantiam, a qua non permittatur prævaricari, sed a qua possit sua voluntate deficere, et quæ vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit (*Ibid.*, *n.* 4). Quidam etiam ex iisdem Gallis adhuc propius a Pelagiana hæresi recedentes, gratiam salvantem distinguebant ab initiali gratia, et hanc nihil aliud esse ponebant, quam rationem et liberum arbitrium homini nihil prius merenti, quia nec existenti, Creatoris beneficio concessum; atque ejus ope nihilominus hominem, dum bono naturæ bene utitur, ad salvantem gratiam pervenire (*Epist.* 225, *n.* 4). Ac sic cum in majoribus, qui libero utuntur arbitrio, duo sint quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, et hominis obedientia; priorem volebant obedientiam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare qui salvat; et voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem (*Ibid.*, *n.* 6). Tandem quantum quisque ad malum, tantum habere facultatis ad bonum prædicabant; paripque momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat (*Ibid.*, *n.* 4). Hæc aliaque contra fidem prædestinationis et gratiæ jactabantur a viris qui vitæ merito vel sui in Ecclesia gradus dignitate tantum præstabant, ut non facile quisquam, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, obsistere eorum disputationibus auderet (*Ibid.*, *n.* 7) : ac proinde necessarium existimarunt Prosper et Hilarius, vir uterque laicus, Augustinum per litteras admonere, ut suam ipsius auctoritatem illis objiciens, quæ in istis quæstionibus obscuriora sunt et ad percipiendum difficiliora, quam lucidissimis expositionibus aperire non gravaretur : quippe qui sperarent, non solum se disputationum ejus præsidio roborandos, sed etiam ipsos adversarios defæcatissimum lumen gratiæ recepturos (*Ibid.*, *n.* 9). *Quidquid*, ait Hilarius, *pro ea gratia, quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissime accipiemus, tanquam a nobis charissima ac reverendissima auctoritate decretum* (*Epist.* 226, *n.* 10). Eidem significat, a Prospero se obtinuisse epistolam, quam suæ conjunctam illi mittit, qua ipse Prosper, quantum in se fuit, adversariorum dogmata principiaque omnia complexus est. Hujus ille initio declarat sancto Doctori, jam non solo urbanitatis officio, ut in priore quadam epistola fecerat, ad eum scribere se, sed amore fidei, qua Ecclesia vivit. *Excubante enim*, inquit, *pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet : cum potius reum futurum esse me crederem, si ea quæ valde perniciosa esse intelligo, ad specialem patronum fidei non referrem* (*Epist.* 225, *n.* 1).

2. Moleste tulit Augustinus, quod divinis eloquiis, quibus Dei gratia prædicatur, quæ omnino nulla est, si secundum merita nostra datur, tam multis manifestisque non cederetur : Prosperi tamen et Hilarii studio, ac pia erga errantes cura motus est, ut istorum causa, post tot libros et epistolas de hac re suas, adhuc ageret, quod se satis egisse credebat (*De Prædest. sanct.*, *lib.* 1, *nn.* 1, 2). Duos itaque ad eosdem Prosperum et Hilarium libros *De Prædestinatione sanctorum* scripsit, hoc ambos titulo (quamvis horum alter nunc vulgo *De Dono perseverantiæ* vocitetur) non injuria prænotatos (*Admon. in lib.* 2 *de Prædest. sanct.*, *et Præfat. in tom.* 10, *cap.* 29) : cum in utroque sancto Doctori scopus sit, Ecclesiæ catholicæ de prædestinatione, qua nos Deus elegit, non quia sancti futuri eramus, sed, quemadmodum Apostolus docet, ut sancti essemus (*Ephes.* 1, 4), doctrinam tueri (*De Prædest. sanct.*, *n.* 35-39, *et De Dono persever.*, *nn.* 34, 48, *etc.*); duosque contra illam singillatim convellere errores Gallorum, qui ut ex Prosperi Hilariique litteris intelligere erat, et initium fidei, et præterea usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituebant potestate, ut Dei dona esse non putarent; neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes et voluntates : etsi cætera ipsum dare concederent, cum ab illo credentium fide impetrantur (*De Dono persever.*, *n.* 42). Primo igitur libro docet Augustinus, donum Dei esse non solum incrementum, sed etiam initium fidei : gratia duritiam cordis auferri; et ad Christum venire omnes, qui a Patre docentur ut veniant : quos autem docet, misericordia docere; et quos non docet, judicio non docere. Ostendit quid intersit inter gratiam et prædestinationem : porro prædestinatione Deum ea præscivisse, quæ esset ipse facturus. Prædestinationis adversarios, qui se ad incertum voluntatis Dei deduci nolle dicuntur, miratur malle se ipsos infirmitati suæ, quam firmitati promissionis Dei committere. Gratiæ et prædestinationis veritatem docet relucere in parvulis qui salvantur, nullis suis meritis discreti a cæteris qui pereunt; non enim inter eos discerni ex præscientia meritorum,

quæ si diutius viverent, fuerant habituri : præclarissimum autem exemplum prædestinationis et gratiæ esse ipsum Salvatorem. Denique prædestinatos ante mundi constitutionem electos esse, non quia credituri præsciebantur et futuri sancti, sed ut tales essent per electionem gratiæ. In secundo libro probat perseverantiam illam, qua in Christo usque in finem perseveratur, esse donum Dei : quod quidem donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Illud non secundum accipientium merita, sed aliis Dei misericordia dari, aliis justo ejus judicio non dari. Cur ex majoribus ille potius quam iste vocetur, quemadmodum et ex duobus parvulis, cur iste assumatur, ille relinquatur, inscrutabile; inscrutabilius vero, cur ex duobus piis, huic perseverare donetur, non illi : sed illud tamen certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Postea refellit quod adversarii jactant, prædestinationis definitionem esse utilitati exhortationis et correptionis adversam : asserit contra prædestinationem utiliter prædicari, ut homo non in se ipso, sed in Domino glorietur. Quæ ab illis contra prædestinationem objectantur, eadem vel contra Dei præscientiam, vel contra gratiam illam, quam excepto initio fidei et perseverantiæ perfectione, necessariam esse consentiunt, posse objectari. Prædestinationem enim sanctorum nihil aliud esse, quam præparationem beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Verum prædestinationem congrua ratione prædicari jubet, ac non eo pacto, ut apud imperitam multitudinem redargui ipsa prædicatione videatur. Postremo illustrissimum prædestinationis exemplum nobis positum ob oculos Dominum Jesum rursus commendat. His præsertim ex libris agnosci voluit Hormisdas papa, quid Romana et catholica Ecclesia de libero arbitrio et gratia Dei profiteatur : cujus auctoritate libros eosdem episcopi Africani pro fide in Sardinia exsules maxime commendant in epistola synodica. *Præ omnibus*, inquiunt, *studium gerite, libros sancti Augustini, quos ad Prosperum et Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisda Sedis apostolicæ gloriosus antistes, in epistola quam consulenti se sancto fratri consacerdotique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio catholicæ laudis inseruit. Cujus hæc verba sunt : « De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est, catholica sequatur et servet Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Prosperum et Hilarium abunde possit agnosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur »* (*Append. tomi* 10, episc. African. epist., n. 17). illis Pelagiani erroris reliquiis non recordatur Augustinus in libro de Hæresibus : quia partem hanc operis ad Quodvultdeum, quod altero adhuc libro constare debebat, jam fortasse ad umbilicum adduxerat, cum Prosperi et Hilarii litteras accepit.

3. Cum animo reputaret Quodvultdeus Carthaginensis diaconus, quanta gratia Deus Hipponensem Episcopum ad alios instituendos donaverat; interpellare eumdem, senio licet et infirmitate corporis laborantem, constituit, rogaturus ut de omnibus ab Ecclesia condita natis hæresibus narrationem texat; ubi quæ sint illarum dogmata, quibus opinionibus a veritate dissentiant, quidnam ad ipsas revincendas Scriptura et ratio suggerat, qua ratione qui eas abjurant, Ecclesia suscipiat, quarum denique illa Baptismum admittat vel respuat, ab eodem exponatur. Quoniam autem Augustino futura erat immensi laboris provincia universas hæreses refellere; cogit se continuo intra breviores limites Quodvultdeus, seque contentum fore testatur, modo ille per compendium adnotet, cujusmodi sint earum placita, quamve doctrinam catholica Ecclesia adversus easdem tueatur; qui ampliorem cognitionem cuperent, mittendo ad illas disputationes, quas vel ipse Vir sanctus, vel alii super eodem argumento lucubraverant. Hic labor haud dubie poterat utilitatem non mediocrem, tum rudibus, tum ipsis etiam eruditis afferre : quocirca illum ut sanctus Doctor ne detrectet, eum per Christi nomen, qui doctum sine invidentia esse ipsi concesserat, obtestatur. Non diffitetur quidem gravissimum onus imponere se, meliora cogitanti, et disponenti majora sancto seni, et querelas corporis sustinenti. *Sed me animavit*, ait ille, *Beatitudinis tuæ benevolentia omnibus comprobata : quam dum considero, magis timui, ne non petendo superbus, non quærendo desidiosus, non pulsando piger a Domino judicarer* (*Epist.* 221, *n.* 1). Cogitaverat jamdudum Augustinus, hunc illum laborem suscipere; ac eum utique suscepisset, nisi perpensa rei difficultate, illud oneris vires suas longe superare esset arbitratus (*De Hæres.*, *præfat.*). Nactus igitur opportunitatem Hipponensis cujusdam primarii civis, cui nomen Philocalo (*Epist.* 222, *n.* 1), confestim ad Quodvultdeum epistolam, quæ temporis injuria perdita est, misit, qua illi postulatum nimii laboris ac negotii esse ob oculos ponebat. Huic aliam paucis post diebus adjecit per suum quemdam hypodiaconum, quem Carthaginem proficisci causa quæpiam adigebat. Hisce litteris hæresum catalogos a Philastrio atque Epiphanio jam concinnatos fuisse testatur; quarum si minorem numerum Epiphanius, Philastrio longe doctior, constitueret, id hinc fieri, quod sit operosissimum, quidnam pro hæresi haberi debeat, pronuntiare (*Ibid.*, *n.* 2). Paratum se dicit ad eum transmittere Epiphanii librum, græcum illum quidem, sed quem latine qui redderet, Carthagine nullo negotio reperiret. Petit a Quodvultdeo Augustinus, ut sibi de Theodosio, deque Manichæis quos hic prodiderat, ac de profectione sanctorum episcoporum scribat. De Theodosio isto supra egimus (*Lib.* 8, *cap.* 3, *n.* 1) : quod vero ad episcoporum iter, illud eo spectare potest, quod Alypium Romæ anno quadringentesimo vigesimo octavo commoratum esse observavimus (*Ibid.*, *cap.* 9, *n.* 1); quippe ante hoc tempus eam Augustini epistolam datam fuisse nihil vetat.

4. Quodvultdeus alteram hanc ad Augustinum epistolam tantum receperat, cum infelicitatem suam aliis

litteris cum beato Doctore conquestus est, quod videlicet, ne rem tantæ utilitatis universæ Ecclesiæ futuram impetraret, per sua ipsius peccata stetisset. Aiebat nihilominus e Christi misericordia et eis visceribus pietatis, quibus ad bene de aliis merendum nunquam paratus non erat Vir sanctus, sperare se fore, ut alimentum, quod sibi atque aliis postulabat, ille non negaret. Ejus epistola cæteris capitibus, quorum in sua mentionem Augustinus fecerat, minime respondet: at hujus rei videtur hæc esse causa, quod ex scriptoribus placuit ea resecare, ut quæ pertinebant ad librum de Hæresibus, sola ponerentur. Etenim ne illa quidem salutatiuncula, quam in fine addere manu propria solemne erat, servata est. Ibidem aperte profitetur, nihilominus ei se molestum tam diu futurum esse, quoad sibi postulata ille concessisset: *ut quod non impetrat privilegium, ubi nullum est meritum, saltem indefessa importunitas mereatur* (*Epist.* 223, *n.* 3). Asserit Augustinus, ab illo se crebrescentibus petitionibus coactum, ac vehementer urgente illo hoc opus suscepisse, nec sibi unquam alium ullum tantopere institisse poscendo. Igitur cedendum tandem aliquando putavit; in quo etiam divina voluntate, quam nomine ipso idem diaconus significabat, motum se dicit (*De Hæres., præfat.*) Quare cum forte fortuna Fussalensis presbyter Carthaginem esset profecturus, primam Quodvultdei epistolam Vir sanctus relegit, lucubrationem hanc saltem exordiri cogitans, ut quasi specimine transmisso eum doceret, quam difficile onus ille sibi vellet impositum. Atqui nihil omnino scribere potuit ob emergentes occupationes, quæ etiam, ut responsum ad Julianum intermitteret, in causa fuerunt. Tunc ergo nihil aliud quam Fussalensem presbyterum, ejusque causam Quodvultdeo commendavit; addens nihilominus sperare se fore, ut cum primum quæ se distinebant expediisset, necnon quinque Juliani libris respondisset, operi, quod ille expetebat, incumberet, ac simul reliquis retractandis opusculis suis, noctem uni, alteri diem impendendo: si tamen tres Juliani libri ad se prius allati non fuissent (*Epist.* 224, *n*, 1). Fidem suam demum liberaturus hoc vertente anno quadringentesimo vigesimo octavo vel ineunte sequenti manum admovit operi; cujus quidem binas partes facere cogitabat: primas videlicet de hæresibus quæ post Christi adventum et ascensum adversus doctrinam ipsius exstiterunt: posteriores de quæstione perquam utili, scilicet quid faciat hæreticum; ut nimirum omne genus hæreses sive notas sive ignotas declinare, deque omnibus quæ nascerentur in posterum, sententiam ferre in promptu esset (*De Hæres., Præfat.*). Id consilii magnam sane utilitatem præferebat, siquidem illud adduci potuisset ad exitum: sed res erat plenissima difficultatis, cum generalis nulla regula, quis definiendus sit hæreticus ostendere valeat, eo quod non omnem errorem habere oporteat pro hæresi. A Christo passo ad suam usque memoriam octoginta octo hæreses in primo libro enumerat: neque proinde quotquot fuere unquam, aut earum de quibus loquitur, dogmata omnia se recensuisse sibi persuadet; quod superare humanam putat facultatem (*Ibid., perorat.*). Quæ dicit, ea potissimum ex Epiphanio, quem tamen non usquequaque sequitur, desumit. Huic Philastrium quoque ac Eusebium a Rufino conversum, quem dedita opera videtur ob hoc ipsum legisse, adjungit; iis præterea adhibitis cognitionibus, quas per se sibi comparaverat. Postremo loco memorat Pelagianos: nondum satis exploratam habens novam hæresim Nestorianorum. Librum suum, statim atque ultimam illi manum apposuit, ad Quodvultdeum eo deferendum curavit, ut cum ille, tum alii qui eumdem essent lecturi, inde vehementius accenderentur ad implorandam a Deo gratiam ac lucem, queis ad alteram partem, cujus tanta erat utilitas futura, absolvendam opus habebat. Sed illam ut conscriberet vel perficeret, divinum consilium non concessit: ob idque liber de Hæresibus a Possidio imperfectum opus appellatur.

5. Epistola quæ inscripta est, *Alypio seni*, ad hoc fere tempus pertinet: nisi forte alius iste sit ab episcopo Tagastensi, qui profecto ad provinciæ Numidiæ decanatum seu primatum hac demum ætate pervenisse, non temere existimetur. Cæterum quoquo anno exarata fuerit epistola, rem memoria dignam illic Alypio narrat Augustinus in hæc verba: *Archiater etiam Dioscorus christianus fidelis est, simul gratiam consecutus; audi etiam quemadmodum: neque enim cervicula illa vel lingua, nisi aliquo prodigio domaretur. Filia ejus in qua unica acquiescebat, ægrotabat, et usque ad totam desperationem salutis temporalis, eodem ipso patre renuntiante, pervenit. Dicitur ergo, et constat; cum mihi hoc et ante fratris Pauli reditum comes Peregrinus, vir laudabilis et bene christianus, qui cum eis eodem tempore baptizatus est, indicarit: dicitur ergo ille senex tandem conversus ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse, christianum fore, si illam salvam videret. Factum est. At ille quod voverat, dissimulabat exsolvere: sed adhuc manus excelsa. Nam repentina cæcitate suffunditur; statimque venit in mentem unde illud esset: exclamavit confitens, atque iterum vovit, se recepto lumine impleturum esse quod voverat. Recepit, implevit; et adhuc manus excelsa. Symbolum non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, et se non potuisse excusaverat: Deus viderat. Jam tum post festa omnia receptionis suæ, in paralysim solvitur multis ac pene omnibus membris, et etiam lingua. Tunc somnio admonitus confitetur per scripturam, ob hoc sibi dictum esse accidisse, quod symbolum non reddiderit. Post illam confessionem redduntur officia omnium membrorum, nisi linguæ solius: se tamen didicisse symbolum, ideoque memoria jam tenere, nihilominus in eadem tentatione litteris fassus est: sicque omnis est ab eo deleta nugacitas; quæ, ut scis, multum decolorabat naturalem quamdam ejus benignitatem, eumque insultantem Christianis faciebat valde sacrilegum* (*Epist.* 227).

## CAPUT XI.

1 *Bonifacius cum Placidia in gratiam redit; idque, præter alios, agente, ut videbitur, Dario comite; cujus amicitiam quærit Augustinus.* 2 *Victus a Vandalis*

*Bonifacius Hipponem-Regium se recipit: eo Vandali ad eum obsidendum admovent: interea morbo corripitur Augustinus.* 3 *Sanitates divinitus factæ ad Augustini preces: animo toto se lacrymis et pœnitentiæ dedit, ut ad exitum se comparet: moritur; ac oblato pro commendanda ejus depositione sacrificio, sepelitur.* 4 *Annus obitus Augustini: hoc ipso anno ad Ephesinam synodum a Theodosio vocabatur.* 5 *Hippone-Regio urbe aliquanto post tempore incendio vastata, conservantur nihilominus ibidem ipsius scripta: quorum indiculum Possidius Vitæ ejusdem a se litteris commendatæ adjunxit.* (Vid. tom. ult. hujus edit.).

1. Superiori anno Bonifacium comitem, fortunæ temporalis servandæ causa, societatem cum Vandalis iniisse vidimus: attamen Deus satis habuit, decretas pœnas ab Africa per iniquam hujusce comitis voluntatem exegisse: usus enim est adversus eum clementia, eique admissa sua utcumque reparandi facultatem dedit, ipsum cum Placidia reconcilians. Procopius Bonifacii reditum in gratiam acceptum refert eorum, quos idem in Urbe habebat, amicorum officiis. Placidia Darii comitis forsitan opera in hocce negotio usa est. Is namque post editum anno quadringentesimo vigesimo primo Enchiridion de Fide, Spe, et Charitate, atque ultima Augustini ætate venit in Africam (*Epist.* 231, *n.* 7; *Epist.* 229, *n.* 1); et eo missus erat ad conciliandam pacem, ad bellum voce componendum, ac ne cujusquam sanguis quæreretur: qua in re illum asserit Augustinus gloria superiorem esse fortissimis et fidelissimis bellatoribus, qui Deo suis ipsorum armis opitulante, fregerunt hostem indomitum, ac reipublicæ provinciisque quietem pepererunt (*Epist.* 229, *n.* 2). Bonifacium certe cum Imperio reconciliatum esse constat, non ex Procopio solum, verum etiam ex Possidio, a quo ille a Vandalis, anno videlicet quadringentesimo trigesimo, intra Hipponis-Regii muros obsessus dicitur (*Possid., in Vita August., c.* 28). Neque etiam dubium est, bellum a Dario, sin minus exstinctum, saltem dilatum fuisse, ac mala, quæ tunc ad calamitatum cumulum devenerant, sopita (*Epist.* 230, *n.* 3). Ab anno autem quadringentesimo vigesimo primo nulla occasio nobis occurrit, in quam illud queat apte quadrare, nisi dicamus hunccc comitem, dum agebat cum Bonifacio, simul etiam cum Vandalis egisse, necnon cum eis fecisse inducias: hac enim belli dilatione nihil aliud videtur significari. Accepit Darius pacis obsidem quemdam Verimodum, patria, quantum conjectura licet assequi, Romanum, aut saltem affinitate cum Bonifacio junctum: quandoquidem ab Augustino salutatur, quem et ille mutuo resalutat, quodque sui meminisset, impendio gaudere se testificatur (*Ibid. et Epist.* 229, *n.* 2; *Epist.* 231, *n.* 7). Darius christianam religionem sibi a majoribus transmissam profitebatur; nec tamen a vana Paganorum superstitione satis abhorrebat: sed lecto demum Augustino, gentiles ritus, ut nunquam alias, abunde affatimque contempsit (*Epist.* 230, *n.* 4). Quin etiam ad eum pietatis gradum pervenit, ut sanctus Præsul de eodem locutus reperiatur, tanquam de magno quodam viro, a quo laudari se ideo gaudebat, quod is propter Christum diligeret servos ejus; necnon vir bonus, et non in superficie, sed in christiana charitate esset christianus (*Epist.* 231, *nn.* 2, 6). Quapropter amicitiam ejus sibi comparare sanctus Vir magni putabat. Illi de pace sive induciis, quas fecerat, gratulatum scripsit (*Epist.* 229), voluptatem fortassis ob id maximam præ se ferens, quod res amico suo Bonifacio obtigisset longe gratissima. De libris autem suis, illos dicit forsitan ipsi non displicuisse, dummodo illis evolvendis plus charitatis adhibuisset, quam severitatis. Ad extremum ut se sua aliqua epistola dignetur petit. Darius illius voluntati morem gessit: ac benevolentiam erga virum sanctum ac venerationem plane singularem litteris amplissimis testatus est (*Epist.* 230). Ibi quæ ad pacem conciliandam gesserat, illi significat, addens sperare se, votorum ejusdem atque orationum præsidio fore, ut bellum quod ipse duntaxat distulisset, penitus tolleretur. De historia Abagari mentionem facit; et sanctum Antistitem obtestatur, ut ad se scribat, librosque Confessionum una transmittat. Ipse vero per Lazapum presbyterum deferenda ad eum curavit quædam medicamenta, quæ ejusdem valetudinem levare posse medicus affirmarat: his pecuniam quoque adjecisse videtur, ad coemendos illius bibliothecæ libros; tametsi hoc silentio præterierit. Comitis dona et laudes grato animo Vir sanctus accepit; quia bonam dantis et laudantis mentem arguebant: quocirca ei tam incitato tamque tenero affectu respondit, ut in hoc a suo more ipse recederet. Non solas Confessiones ad eum misit; sed ejus postulatum superare cupiens, adjecit quatuor tractatus, quos libros vocat, *De fide rerum quæ non videntur*, *de Patientia*, *De Continentia*, *De Providentia*, necnon grande opus *De Fide, Spe et Charitate*, quod vulgo *Enchiridion* appellatur (*Epist.* 231, *n.* 7). Rogat, ut sibi suum de hisce lucubrationibus judicium, siquidem illas prius legere potuerit, quam proficiscatur ex Africa, rescribat: sin autem secus, illud Carthagine relinquat, unde ipsum Aurelius dominus suus ac frater ad se deferri jubeat.

2. Bonifacius in gratiam receptus a Placidia, nihil intentatum reliquit, ut Vandalos, cum quibus tam strictam iniisse societatem eum serius æquo pœnitebat, qua precibus, qua promissis, ad excedendum ex Africa impelleret: sed frustra fuit; seque deludi ab eo Barbari conquesti sunt (*Procopius*). Itaque arma capere, atque ad eos vi ac ferro ejiciendos aggredi coactus est. Verum cum manus, forte jam ab anni quadringentesimi vigesimi noni exitu, cum illis conseruisset, victus; atque Hipponem, quæ urbs tunc temporis valida erat, ex fuga petere compulsus est. Hoc modo Deus eum Augustino e vivis haud multo post exituro reddidit: unde licet existimes, hanc ipsi gratiam Deum impertitum esse, quod eumdem, uti jam cum Imperio, ita secum reconciliare decrevisset: saltem non est, cur sanctum Præsulem hujus rei causa omni ope conatum, ac sapienter tam opportuna occasione usum fuisse addubites. Hipponem quoque Possidius atque alii complures e vicinis antistitibus confu-

gere. In causa fuit hic Bonifacii receptus in eam urbem, cur illam Vandali sub rege suo Genserico obsessum venerint (*Possid.*, *in Vita August.*, *c.* 28) anno quadringentesimo trigesimo, sub exitum mensis maii vel junii initium, quando beatus Augustinus, qui ad superos quinto kalendas septembris ejusdem anni migravit, tertio obsidionis mense in extremum incidit morbum, quem duas tresve hebdomadas, ut solet, durasse verisimile est; cum is neque diuturnus neque brevior fuisse animadvertatur, atque aliunde certum sit eumdem ultra decem dies productum (*Ibid. c.* 31). Dolori, quem sanctus Præsul ex aliarum Africæ civitatum ruina ceperat, tantum augmenti ex propriæ suæ urbis obsidione accessit, quantum facile secum quilibet conjiciat. *Tunc*, ait Victor Vitensis, *illud eloquentiæ, quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen; atque dulcedo suavitatis dulcius propinata, in amaritudinem absinthii versa est* (*Victor. Vitensis, De Persec. Vandal. lib.* 1, *n.* 3). Eumdem continuo recreavit hoc solatium, quod tunc plures episcopos, inque iis Possidium, discipulorum illustrissimum, secum habuerit. *Nobiscum*, ait ille, super his infortuniis *sæpissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia præ oculis nostris posita considerabamus dicentes: « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum »* (*Psal.* CXVIII, 137). *Pariterque dolentes, gementes, et flentes orabamus miserationum patrem et Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur. Et forte provenit, ut una cum eodem ad mensam constitutis, et inde confabulantibus, nobis diceret: Noveritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, ut aut hanc civitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos servos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certe ut me de hoc sæculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem et nos, et nostri omnes, et ipsi qui in eadem fuerant civitate, a summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit febribus fatigatus, et illa ultima exercebatur ægritudine. Nec suum sane Dominus famulum fructu suæ precis fraudavit. Nam et sibi ipsi, et eidem civitati, quod lacrymosis depoposcit precibus, in tempore impetravit* (*Possid., in Vita August., cc.* 28, 29). Quibus verbis id indicare videtur Possidius, quod a Procopio traditur, fessos obsessionis mora Barbaros, ab ea tandem recessisse: quæ res civibus deserendæ urbis, quod eos fecisse Possidius ait, ac salutis suæ asserendæ facultatem dedit.

3. Non dubium est quin Possidius ad extremum hunc morbum relata voluerit ea, quæ paucis interjectis subjicit in hæc verba: *Itemque* (*novi*), *ad ægrotantem et lecto vacantem quemdam cum suo ægroto venisse, et rogavisse, ut eidem manum imponeret, quo sanus esse posset: eumque respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc utique primitus præstitisset: et illum dixisse, visitatum se fuisse, sibique per somnium dictum esse: Vade ad Augustinum episcopum, ut eidem manum imponat, et salvus erit. Quod dum comperisset, facere non distulit; et illum infirmum continuo Dominus sanum ab eodem discedere fecit* (*Ibid.*, *c.* 29) Visum est divinæ clementiæ hoc miraculo, quod per eum in ultimo vitæ curriculo perpetravit, ejus in agendo sanctimoniam, necnon in scribendo doctrinam ac pietatem quasi obsignare. *Novi quoque*, ait idem auctor, *eumdem et presbyterum, et episcopum, pro quibusdam energumenis patientibus ut oraret, rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogasse, et dæmones ab hominibus recessisse* (*Ibid.*). Et hæc omnino de exterioribus Sancti hujus nostri miraculis reperias. *Dicere autem nobis*, inquit Possidius, *inter familiaria colloquia consueverat, post perceptum Baptismum, etiam laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod et ipse fecit ultima, qua defunctus est, ægritudine: nam sibi jusserat Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat: et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, a nobis postulavit præsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est; et omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei, usque ad ipsam suam extremam ægritudinem, imprætermisse, alacriter et fortiter sana mente sanoque consilio in Ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, et, ut scriptum est, nobis astantibus et videntibus, et cum eo pariter orantibus, obdormivit cum patribus suis, enutritus in bona senectute; et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est* (*Ibid.*, *c.* 31). Prosper ad annum Christi quadringentesimum trigesimum, scilicet Theodosio decimum tertium et Valentiniano tertium consulibus, obitum ejus refert his verbis: *Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto kalendas septembris, libris Juliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, et gloriose in defensione christianæ gratiæ perseverans* (*Prosper, in Chron. ad ann.* 430). E vita migravit annos natus septuaginta sex, quorum ferme quadraginta in obeundis tum presbyteratus tum episcopatus officiis exegerat, a Deo, videlicet tam producta ætate donatus, ut Ecclesiæ utilitati et felicitati serviret. *Testamentum*, pergit Possidius, *nullum fecit; quia unde faceret, pauper Dei non habuit. Ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat. Si quid vero ecclesia vel in sumptibus vel in ornamentis habuit, fidei presbyteri, qui sub eodem domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisit, nec suos consanguineos, vel in proposito, vel extra constitutos, in sua vita et morte vulgi more tractavit: quibus, dum adhuc superesset, id si opus fuit, quod et cæteris erogavit, non ut divitias haberent, sed ut aut non, aut minus egerent. Clerum sufficientissimum, et monasteria virorum ac feminarum, continentibus cum suis præpositis plena, Ecclesiæ dimisit, una cum biblio-*

*thecis, libros et tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habentibus* (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 31).

4. Marcellinus Augustini obitum anno quadringentesimo vigesimo nono consignavit (*Marcell., in Chron.*) : sed Prospero eum anno quadringentesimo trigesimo adscribendi testimonium, quo nobis ad sancti Præsulis consecrandam memoriam ne optari quidem possit ullum aliud splendidius, suffragatur. Etenim cum Nestorianorum hæresis Theodosium juniorem impulisset, ut œcumenicam synodum Ephesum convocaret, eamque ob rem litteras daret ad omnes metropolitanos ; misit etiam in Africam per quemdam magistrianum, cui nomen Ebagnio (*Liberat. brev., cap.* 5), sacrum rescriptum Augustino præcipue, id est, potius quam Capreolo tunc temporis Carthaginiensi episcopo, destinatum (*Capreol., Epist. ad Synod. Ephes., parte* 2, *act.* 1) : quo rescripto illum, ut accedere ad concilium dignaretur, peculiari ratione rogabat Imperator. Quo hic loco Augustinum haberet, alia quoque declarat epistola, his ipsis metropolitanis, quos ad concilium invitaverat, mense julio anni sequentis missa (*Noris, Hist. Pelag. lib.* 2, *cap.* 9). Hic enim clarissimus Præsul proxime post Thessalonicensem antistitem, ante omnes nudos metropolitanos, collocatur. Sacra Imperatoris ad metropolitanos, signatur decimo tertio kalendas decembris anni quadringentesimi trigesimi data (*Concil. Ephes. parte* 1, *can.* 32) ; proindeque Augustinum quinto kalendas septembris anni quadringentesimi vigesimi noni obiisse, jure dixerit nemo.

5. Post Augustini transitum, Hippo-Regius Vandalorum sustinere impetus perseveravit : et quamvis ii portum ipsum interclusissent (*Possidius, in Vita August., c.* 28), nunquam tamen urbem, neque vi, neque deditione capere potuerunt : ita ut post longum spatium ad ejus muros nullo operæ pretio consumptum, obsessionem totos ferme quatuordecim menses productam, solverint (*Procopius*). Haud multo post liberatam obsidione Hipponem, Bonifacius accepto Roma et Constantinopoli valido subsidio, collatis signis iterum cum Vandalis pugnavit, sed æque infelici successu : profligati omnino fuere Romani ; alius alio fugam capessivit ; Bonifacius vero in Italiam vela fecit, anno salutis quadringentesimo trigesimo secundo. Hipponenses omni spe defensionis tum demum, ut vero est simile, destituti, urbem suam deseruere. Hanc hostes incendio deleverunt, excepta tamen, quam Ecclesiæ Vir sanctus reliquerat, bibliotheca, quæ mediis in flammis Arianisque Barbaris conservata est; quando Possidius eos, quibus cordi fuerit emendatiora Augustini exemplaria legere vel transcribere, ad Hipponensem mittit bibliothecam (*Possidius, in Vita Augustini, c.* 18) : et hoc utique fieri, nisi singulari Dei præsidio non potuit (*Baronius, ad ann.* 430, *et Rivius, in Vita S. August. lib.* 4, *cap.* 11, § 8). Invidus diabolus, cum tanti Doctoris opera per Vandalos abolere haudquaquam valuisset, ut eorum saltem auctoritatem ac doctrinam labefactaret, varias artes et calumnias adhibuit, quas multis in locis diversis hominibus afflavit. Verum non credimus nostri esse instituti, ea de re hoc loco disputare, neque exponere quemadmodum ei præstantissimi defensores continuo in Prospero, Hilario, ac Cœlestino papa divinitus excitati sunt; sicut nec laudes, quibus eumdem et vivum et mortuum viri in Ecclesia clarissimi decoraverunt, huc in acervum congerere. Possidius Calamensis episcopus, qui ejus in contubernio annos ferme quadraginta vixerat (*Possid., in Vita August., c.* 31), ejusdem gesta ex eis quæ tum ipse per se observaverat, tum in familiari congressu ab illo audierat, memoriæ prodidit ; ratus nimirum hanc ad rem adhibendas esse, quas divino munere acceperat, ingenii et sermonis facultates, ut ad Ecclesiæ catholicæ ædificationem aliquid conferret. Quin etiam ut sancta veritatis aviditate succensis omni ratione satisfaceret, idem sancti Doctoris vitæ attexuit operum illius indiculum, in quo qui terrenis opibus divinam veritatem anteponunt, inter incredibilem illam scriptorum multitudinem, quæ sibi magis conducibilia judicarent, seligere, ac sine invidentia communicare cum indigentibus possent (*Ibid., c.* 18). Elucubravit illud operis jam collapso in cineres Hippone-Regio, mortuoque, uti videtur, Bonifacio (*Ibid., c.* 28), post annum videlicet quadringentesimum trigesimum secundum ; verum ante annum quadringentesimum trigesimum nonum, quo expugnata fuit Carthago a Vandalis, conscriptum fuisse manifestum est; quandoquidem necdum Carthaginem et Cirtam excisas esse, sed divino et humano fultas præsidio, etiam tunc stare significat. Cæterum qualis dono Dei, quantusque in Ecclesia exstiterit, cujus res gestas memoriæ ac litteris mandat, videri vult in ipsius pro illa editis libris et tractatibus : in quibus, uti affirmat, semper vivere a fidelibus invenitur. *Et in suis quidem scriptis*, pergit idem Possidius (*Ibid., c.* 18), *ille Deo acceptus et charus sacerdos, quantum lucente veritate videre conceditur, rectæ ac sanæ fidei, spei, et charitatis, catholicæ Ecclesiæ vixisse manifestatur : quod agnoscunt, qui eum de divinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror, plus ex eo proficere potuisse, qui eum et loquentem in Ecclesia præsentem audire et videre potuerunt, et ejus præsertim inter homines conversationem non ignoraverunt. Erat enim non solum eruditus scriba in regno cœlorum, de thesauro suo proferens nova et vetera ; et unus negotiatorum, qui inventam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparavit* (*Matth.* XIII, 45, 46) : *verum etiam ex iis ad quos scriptum est,* « *Sic loquimini, et sic facite* » (*Jacobi* II, 12) ; *et de quibus Salvator dicit,* « *Qui fecerit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* » (*Matth.* V, 19).

# IN PRIMUM TOMUM

## Præfatio. (1)

De hujusce tomi editione, Erudite Lector, non est a nobis instituenda longa præfatio. Complectitur hæc pars eadem omnino Augustini opuscula, quæ apud Erasmum et Lovanienses continebantur. Illud tantum interest discriminis, quod in Appendicem rejecimus nonnulla, quæ pro genuinis Augustini lucubrationibus habuerant viri eruditi; et quod quædam S. Doctoris opera loco tantisper movimus, ut seriem ordinemque temporis, quo unumquodque opus ab Auctore prodiit, quoad ejus fieri potuit, servaremus. Et quidem opportune in hoc tomo disposita sunt ea, quæ Augustinus juvenis ac nondum presbyter scripsit; ita tamen ut primum locum obtinerent libri Retractationum, quos edidit senex, quasi præviam introductionem ad alios libros. Retractationes porro Confessionum libri, quos episcopus vulgavit, non immerito consequuntur : quia sicut in scriptis suis si quid obscurum, si quid dubium, si quid veritati non satis consonum irrepserat, retractando explanavit, enodavit, emendavitque; ita in Confessionum libris si quid in moribus ac vita sua a veræ quam tradit pietatis tramite aberraverat, piaculari confessione expiavit. Sicque in libris Retractationum sincerum ac minime fucatum veritatis amorem cum singulari modestia inspirat, in Confessionibus veram pietatem et disciplinam : quibus dotibus instructum esse oportet eum, qui ad ejus doctrinam contendit ex animo.

Illis non sine uberi fructu, multoque voluptatis sensu decursis, succedebant apud Erasmum et Lovanienses opuscula quædam, nimirum de Grammatica, Categoriæ, Principia Dialecticæ, et Principia Rhetoricæ; in quibus eruditionem, ingenium solertiamque Augustini desiderabant cordati lectores, qui ab ipso limine a perlegendis tomi primi operibus referebant pedem, quasi ejusdem farinæ alia subsequerentur. At hujusmodi quisquilias propius inspicientes, cum certis argumentis deprehendissemus non pertinere ad Augustinum, inde eas in spuriorum scriptorum classem amandavimus; ut post Retractationum Confessionumque lectionem studiosos nihil remoretur a lectione librorum, quos Augustinus recens conversus elucubravit.

Neque vero propterea strictim, ut pluribus in mentem venire solet, prætereunda, aut quasi e limine salutanda sunt nobilis ingenii prima monumenta, quasi nihil reconditæ doctrinæ contineant, quæ a catechumeno neophytoque, stilo perpolito in dialogorum formam perfecta sunt. Certe enim quæstiones illic perquam difficiles, in quibus olim maxima quæque ingenia desudarunt, defeceruntque, discutit ipse gnaviter, ac sagacissime resolvit. Quam gravissimis rationum momentis de veritatis perceptione contra Academicos, tum de Beata vita, de Ordine rerum, de Animæ quantitate et immortalitate, deque aliis magni momenti rebus inter disputandum occurrentibus agat, quis non admiretur? Deinde in quinque postremis tomi ejusdem opusculis, quæ adversus Manichæos dictavit, quam variis et multiplicibus eorum hæresim, quam validis ac invictis argumentis labefactat et evertit? quæ nimirum opuscula ita mirari se atque suspicere dicebat S. Paulinus, *ut dictata divinitus verba* crederet (*Epist.* 24, *n.* 2). Denique dum tirocinii sui partes implet, atque animum nuper ab hæresi conversum catholicæ fidei penitus subigit, nihil omnino prætermittit, quo alios liberet a perniciosis illis erroribus, in quos infeliciter incurrerat. Et sive de Philosophis, sive de Manichæis pœnas repetit, contra eorumdem errores communit lectoris animum, veræque fidei ac religionis Christianæ fundamenta menti altius infigit. Quid quod ab ineunte vitæ melioris proposito ita comparatus fuit vir sanctus, ut artes ipsas liberales non jejuno illo vulgarium auctorum modo tractaret, sed animo plane christiano, quatenus lectorum animos ad Conditoris amorem perduceret? Ita enim mentem hac de re suam aperit in lib. 1 Retract., c. 6. Unde quinque de Musica absolutis libris adjecit sextum, qui totius argumenti summam ad Deum traducit, erigitque.

Jamvero qui Augustinianæ doctrinæ animum assuefacere, ejusque præceptis et institutis penitus imbuere voluerit, per eosdem necesse est ut proficiat gradus, et ad absolutam illius perfectionem pedetentim assurgat. Non pigeat eamdem incedere viam, quam tenuit Augustinus, vir tantus. Eo invitat aut argumenti dignitas, aut modus tractandi res, ubique summo et plane christiano homine dignus : ubique quid discas, aut quomodo discas invenies. Sane in his de quibus agimus libris graves passim occurrunt sententiæ, studiosis instituendis perutiles, quarum vel una cuivis fuerit pro integri libri compendio. Accedit quod in iis, quæ juvenes scribimus, pinguior incedat oratio, ac plenior eloquentiæ succo; plusque habeat vivacioris ingenii, quam ea quæ torpente jam ætate meditamur. Id experimento constat in primis hisce libris, quos Rhetoricæ præceptis perfecte imbutus elimavit Augustinus ante pauloque post baptismum suum. Habent ergo plurimum momenti hæc opera, sive ingenium et eloquentiam, sive doctrinam ac pietatem spectes. Quod de omnibus dicimus, id de eo quod de Libero arbitrio inscripsit Augustinus, expertus est Odo, postea episcopus Cameracensis, qui dum forte fortuna a quodam clerico hunc librum coemisset, in scrinii angulum projecit, utpote qui

(1) Hic incipit tomus primus Benedictinæ editionis, præposita solum epistola dedicatoria. M.

adhuc *mundanæ sapientiæ deditus, magis delectabatur lectione Platonis, quam Augustini.* Cum vero post duos ferme menses Boetium de Consolatione Philosophiæ discipulis prælegens, ad quartum librum, in quo de libero arbitrio disserit, pervenisset; recordatus empti libri, *vocato ministro suo jussit eum sibi deferri.* Lectis duabus tribusve paginis, convocatis scholaribus suis, *Vere,* inquit, *hactenus ignoravi Augustinum tantæ tamque delectabilis fuisse facundiæ.* Perlegendo tertium librum, in virum alterum mutatus, scholas paulatim deserit, ecclesiam frequentat, ac demum sæculo nuntium remittit. Hæc ex Herimanno Tornacensi monacho discimus (*a*). Idem expertus fuerat Paulinus (*Epist.* 25, *n.* 1) jam a nobis laudatus, qui easdem Augustini contra Manichæorum hæresim scriptiones primas, *et de scholasticis facultatibus affluentes, et de cœlestibus favis dulces, ut animæ suæ medicas, et altrices* avidissime lectitare solebat. *Hos igitur libros,* inquit, *lectioni habeo, in his me oblecto, de his cibum capio, non illum qui perit, sed qui operatur vitæ æternæ substantiam.* Tum in Augustini laudem exclamat : *O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur,* etc.

Cæterum quantum operæ in emendando hocce tomo posuerimus, nihil interest explicare per partes. Admoni tiones in opusculorum fronte præfiximus, atque argumentum cujusque libri ascripsimus initio. Capitulationum lemmata sæpius inconcinna mutavimus passim, earumdemque numericas notas marginibus affixas, ne receptis citationibus confusio gigneretur, retinuimus, mutatis tamen interdum et multiplicatis sectionibus, quas in numeros etiam distinguere visum est, ut facilior esset Augustini lectio. Notulas in margine inferiori apposuimus, ubi insigniorum correctionum rationem reddidimus. Comparavimus rerum Scripturæque Indicem [1] in hujus tomi opuscula, studiosis nonnihil utilitatis, uti speramus, allaturum. Alia præstitimus demum, quæ superius in præfatione generali abunde explicantur.

[1] Patrum Maurinorum rationem non omnino sequi nobis visum est. Inutilis enim est index analyticus particularis cuique tomo suffixus, cum indice generali claudendum sit totum opus ; saltem multo magis proderit indicem rerum, prout in quolibet volumine veniunt, ad finem uniuscujusque posuisse. Quod in Benedictina editione a multis, nec immerito, desideratur. M.

(*a*) Herim. in Narrat. Restaurationis Abb. S. Mart. Tornac., n. 4, Spicileg. tom. 12.

# ADMONITIO

## DE DUOBUS RETRACTATIONUM LIBRIS.

Quid causæ sanctum Augustinum ad retractandas castigandasque lucubrationes suas impulerit, aperit ejus præfatio in sequentes libros. Id negotii aggressus est sub ultimam vitæ suæ periodum; certe non multo ante annum Christi 427, cum in quarto de Doctrina Christiana libro, quem in Retractationibus testatur a se, dum huic rei incumbit, conscriptum esse, annos numeret *ferme octo vel amplius* a sua apud Cæsareenses peregrinatione, unde ipsum labente anno 418 rediisse liquet. Cum autem scriptiones suás omnes, nempe Libros, Epistolas, Sermones, seu quos dictaverat, seu quos dixerat, ad examen revocare animo destinasset, a Libris suis rem adorsus est : jamque omnes hactenus editos expenderat, cum epistolam secundam scripsit ad Quodvultdeum (*Epist.* 224), anno forte 428, quo tempore Prosper et Hilarius in Galliis nondum rescierant editum quidquam hujusce operis, uti ex Hilarii Epistola intelligitur (*Epist.* 226), cujus tamen libros duos antequam eorum litteras recepisset, absolutos fuisse rescribit Augustinus in lib. de Prædest. SS., c. 3. Quod itaque dicit Possidius c. 28, *Ante proximum diem obitus sui, a se dictatos et editos recensuit libros ;* id rigide ex litterarum apicibus non interpretandum est : præsertim cum eodem ipse loco volumina hac de re duo ante Vandalorum in Africam irruptionem peracta referat.

Epistolis etiam exigendis operam dabat Augustinus, jamque bene multas sedulus relegerat, tametsi nullam in eas animadversionem in scripta redegerat; cum ecce Juliani pelagiani posteriores octo libros prodiisse audit, eosque adhortante Alypio refellere aggreditur; atque interim cœptum opus remissius agit, quod demum morte præoccupatus absolvere non valuit.

Porro S. Doctor libros suos, ex temporum plerumque ordine recensitos, duas coegit in classes, ut quos a conversionis suæ die scripserat nondum Episcopus, horum retractationem codex unus complecteretur; alter cæterorum. Quorum omnium titulos, tempora, argumenta et occasiones hic persequitur, ac postremo singulorum initia diligenter notat. Huic operi Possidius titulum tribuit, *de Recensione Librorum.* Omnes tamen libri editi ac scripti *Retractationum libros* appellant, uno forte excepto vetustissimo Ms. codice Corbeiensi, qui, mutato vocabulo, in fine libri primi sic habet : *Explicit liber primus Recognitionum.* Apud ipsum Augustinum tum in epistola ad Quodvultdeum, libroque de Prædest. SS., cc. 3 et 4 ; tum in brevi qui hisce libris subnectitur epilogo, nomen *Retractationis*, seu *Retractationum* opus istud obtinet. Atque hoc perquam opportunum, quo intelligas non modo errata reprehendi, verum etiam defendi recte dicta; et quos imperiti locos sollicitabant, tractatione iterata firmari. *Retractabam*, ait in laudata epistola ad Quodvultdeum, *opuscula mea : et si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset ; partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet et posset, operabar.* Denique opus illud celebrarunt eo nomine veteres, Prosper, ad Exc. Genuensium; Cassiodorus senator, de Institutione div. Script., cap. 16; Beda, præfat. in lib. Retract. in Act., etc.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# RETRACTATIONUM
## LIBRI DUO (a).

### Prologus.

1. Jam diu est ut [1] facere cogito atque dispono quod nunc adjuvante Domino aggredior, quia differendum esse non arbitror, ut opuscula mea, sive in Libris, sive in Epistolis, sive in Tractatibus, cum quadam judiciaria severitate recenseam, et quod me offendit, velut censorio stilo denotem. Neque enim quisquam, nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit, non ea debuisse a me dici quæ postea mihi etiam displicerent; verum dicit, et mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum et ego sum. Neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem [2].

2. Sed, ut volet, quisque accipiat hoc quod facio; me tamen apostolicam illam sententiam et in hac re oportuit intueri, ubi ait : *Si nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur* (I *Cor.* XI, 31). Illud etiam quod scriptum est, *Ex multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X, 19), terret me plurimum; non quia multa scripsi, vel quia multa etiam, quæ dictata non sunt, tamen a me dicta conscripta sunt (absit enim ut multiloquium deputem, quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine ac prolixitate dicantur) : sed istam sententiam Scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certe videantur, sive etiam convincantur non necessaria. Quem vero Christus fidelium suorum non terruit, ubi ait : *Omne verbum otiosum quodcumque dixerit homo, reddet pro eo rationem in die judicii?* (*Matth.* XII, 36.) Unde et ejus apostolus Jacobus : *Sit*, inquit, *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Jacobi* I, 19). Et alio loco : *Nolite*, inquit, *plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Ibid.* III, 1, 2). Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum jam sim senex : quanto minus cum juvenis cœpi scribere, vel apud populos dicere; tantumque mihi tributum est, ut ubicumque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer, et esse *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Restat igitur ut me ipse judicem sub

RETRACTATIONUM LIBRIS EMENDANDIS ADHIBITI SUNT CODICES

Mss. Corbeiensis optimæ notæ annos præferens fere 900, Theodoricensis qui olim Hincmari Remensis fuit, Jolyensis an. 800. Item pervetusti Floriacensis, Albinensis, Benignianus; et aliquanto ætate posteriores Pratellensis, Michaelinus, Beccensis, Victorini tres, Sorbonici tres, Regius, Regio-montensis, Germanensis : præter alios quosdam studiosorum virorum opera in rem nostram recensitos. Hi sunt Arnulfensis, Cisterciensis, Vedastinus, Vaticanus, Anglicani sex, scilicet ex Bodleiana bibliotheca tres, ex Collegio Mertonensi duo, et ex archiva Laudina unus : quorum sex codicum Lectionibus, absoluta jam hacce Editione ad nos per V. C. E. Bernardum Astronomiæ in Oxoniensi Academia professorem transmissis, confirmantur passim castigationes hic factæ. Subsidio fuerunt etiam Lectiones a Lovaniensibus ex Mss. quatuor Belgicis collectæ. Consule Notitiam Codicum Mss. in tomo qui inscribitur Augustiniana.

Editi demum antiquiores et castigatiores adhibiti sunt Am., id est, qui per Joannem Amerbachium an. 1505 prelum subiit; Er. qui Desiderii Erasmi cura Frobenianis typis excusus fuit an. 1529; et Lov. qui juxta Lovaniensium Theologorum recognitionem ex Plantiniana typographia an. prodiit 1577.

COMPARAVIMUS PRÆTEREA EDITIONES

1° Er. Guill., *id est alteram Erasmi Parisiis datam in ædibus Carolæ Guillard*, 1541, *Basiliensique multo auctiorem.*
2° Lugd., *id est Lugdunensem anni* 1561.
3° Venet., *id est Venetam anni* 1584.
4° Lov. Par., *id est Lovaniensium, quæ prodiit Parisiis* 1651.
5° Lov., *id est alteram Lovaniensium, quæ prodiit Antuerpiæ* 1662.
6° Benedict., *id est Benedictinam Antuerpiæ recusam* 1700-1702. M.

In hisce Retractationum libris Lemmata capitum, necnon opusculorum initia quæ referuntur in capitis cujusque fine, sic repræsentamus, uti exstant in Mss., nonnunquam vero paulo aliter atque in editis exhibebantur.

PRÆCIPUARUM ABBREVIATIONUM EXPLICATIO.

Edd. Editi.
Reg. Regius codex.
Vatic. Vaticanus codex.
Theodoric. Theodoricensis codex. M.

[1] Lovanienses habent, *jam diu istud*. At Mss. supra designati hanc præferunt lectionem, *jam diu est ut*, quæ sane Augustino familiaris est. Sic in Epist. 71, ad Hieron., n. 2, legitur : « quod jam diu est ut exspecto. » — Er. Guill., *jam diu istud*, ut Lovanienses. M.

[2] Addunt Lov. : *Sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ; ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Id porro non habent editi ab Joan. Amerbachio, et a Desid. Erasmo, neque quatuordecim e Mss. quos inspeximus. Adscitum puta ex Epist. 143, Augustini ad Marcellinum. — Er. Guill. ut Lovanienses. M.

(a) Scripti ann. 426 aut 427.

magistro uno, cujus de offensionibus meis judicium evadere cupio. Magistros autem plures tunc fieri existimo, cum diversa atque inter se adversa sentiunt. Cum vero idipsum dicunt omnes, et verum dicunt, ab unius veri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illius multa dicunt, sed cum addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falsiloquium.

3. Scribere autem ista mihi placuit, ut hæc emittam in manus hominum, a quibus ea quæ jam edidi, revocare emendanda non possum. Nec illa sane prætereo, quæ catechumenus jam, licet relicta spe quam terrenam gerebam, sed adhuc secularium litterarum inflatus consuetudine scripsi : quia et ipsa exierunt in notitiam describentium atque legentium, et leguntur utiliter, si nonnullis ignoscatur; vel si non ignoscatur, non tamen inhæreatur erratis. Quapropter quicumque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inveniet enim fortasse quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea, ordine quo scripta sunt, legerit. Quod ut possit, hoc opere, quantum potero, curabo ut eumdem ordinem noverit.

# *LIBER PRIMUS.*

## IN QUO RETRACTANTUR LIBRI QUOS SCRIPSIT NONDUM EPISCOPUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Contra Academicos, libri tres.*

1. Cum ergo reliquissem, vel quæ adeptus fueram in cupiditatibus hujus mundi, vel quæ adipisci volebam, et me ad christianæ vitæ otium contulissem; nondum baptizatus, contra Academicos vel de Academicis primum scripsi, ut argumenta eorum, quæ multis ingerunt veri inveniendi desperationem, et prohibent cuiquam rei assentiri, et omnino aliquid, tanquam manifestum certumque sit, approbare sapientem, cum eis omnia videantur obscura et incerta, ab animo meo, quia et me movebant, quantis possem rationibus amoverem. Quod miserante atque adjuvante Domino factum est.

2. Sed in eisdem tribus libris meis, non mihi placet toties me appellasse Fortunam (*Lib.* 1, *c.* 1, *n.* 1 *et* 7); quamvis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum eventum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Unde et illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, Forte, forsan, forsitan, fortasse, fortuito : quod tamen totum ad divinam revocandum est providentiam. Hoc etiam ibi non tacui, dicens : *Etenim fortasse, quæ vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio et causa secreta est.* Dixi quidem hoc, verumtamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam, cum videam homines habere in pessima consuetudine, ubi dici debet, Hoc Deus voluit, dicere, Hoc voluit fortuna. Quod autem quodam loco dixi, *Ita comparatum est, sive pro meritis nostris, sive pro necessitate naturæ, ut divinum animum mortalibus inhærentem nequaquam philosophiæ portus accipiat*, etc. (*Ibid.*), aut nihil horum duorum dicendum fuit, quia etiam sic sensus posset esse integer; aut satis erat dicere, *pro meritis nostris*, sicut verum est ex Adam tracta miseria; nec addere, *sive pro necessitate naturæ*, quandoquidem naturæ nostræ dura necessitas merito præcedentis iniquitatis exorta est. Itemque illic quod dixi, *Nihil omnino colendum esse, totumque abjiciendum quidquid mortalibus oculis cernitur, quidquid ullus sensus attingit* (*Ibid.*, *n.* 3); addenda erant verba, ut diceretur, *quidquid mortalis corporis ullus sensus attingit* : est enim sensus et mentis. Sed eorum more tunc loquebar, qui sensum non nisi corporis dicunt, et sensibilia non nisi corporalia. Itaque ubicumque sic locutus sum, parum est ambiguitas evitata, nisi apud eos quorum consuetudo est locutionis hujus. Item dixi : *Quid censes aliud esse beate vivere, nisi secundum id quod in homine optimum est, vivere?* Et quid dixerim, *in homine esse optimum*, paulo post explicans : *Quis, inquam, dubitaverit, nihil esse aliud hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominanti obtemperare convenit cætera quæque in homine sunt? Hæc autem, ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest* (*Ibid.*, *c.* 2, *n.* 5). Hoc quidem verum est; nam quantum attinet ad hominis naturam, nihil est in eo melius quam mens et ratio : sed non secundum ipsam debet vivere, qui beate vult vivere, alioquin secundum hominem vivit, cum secundum Deum vivendum sit, ut possit ad beatitudinem pervenire; propter quam consequendam non seipsa debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est. Item respondens ei, cum quo disputabatur : *Hic plane, inquam, non erras; quod ut tibi omen sit ad reliqua, libenter optaverim* (*Ibid.*, *c.* 4, *n.* 11). Hoc licet non serio, sed joco dictum sit, nollem tamen eo verbo uti. Omen quippe me legisse non recolo, sive in sacris Litteris nostris (*a*), sive in sermone cujusquam ecclesiastici disputatoris : quamvis abominatio inde sit dicta, quæ in divinis Libris assidue reperitur.

3. In secundo autem libro prorsus inepta est et insulsa illa quasi fabula de Philocalia et Philosophia, quod *sint germanæ et eodem parente procreatæ* (*Lib.* 2, *c.* 3, *n.* 7). Aut enim philocalia quæ dicitur, non nisi in nugis est, et ob hoc philosophiæ nulla ratione germana : aut si propterea est hoc nomen honorandum, quia latine interpretatum, amorem significat pulchritudinis, et est vera ac summa sapientiæ pulchri-

(*a*) *Omen* tamen legimus III Reg. XX, 33. At S. Augustinus vel non legerat in versione qua utebatur, vel quia sermo ibi est de Paganis viris, profani vocabuli usum inde approbandum esse non existimavit.

tudo; eadem ipsa est in rebus incorporalibus atque summis philocalia quæ philosophia, neque ullo modo sunt quasi sorores duæ. Alio loco de animo, cum agerem dixi : *Securior rediturus in cœlum* (*Lib.* 2, *c.* 9, *n.* 22). Iturus autem, quam, *rediturus* dixissem securius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorum de cœlo lapsos sive dejectos, in corpora ista detrudi (*a*). Sed hoc ego propterea non dubitavi dicere, quia ita dixi, *in cœlum*, tanquam dicerem, ad Deum, qui ejus est auctor et conditor sicut beatus Cyprianus non cunctatus est dicere : *Nam cum corpus e terra, spiritum possideamus e cœlo, ipsi terra et cœlum sumus* (*Cypr., lib. de Orat. Dom.*). Et in libro Ecclesiastæ scriptum est : *Spiritus revertatur ad Deum, qui dedit illum* (*Eccle.* XII, 7). Quod utique sic intelligendum est, ut non resistatur Apostolo dicenti, nondum natos nihil egisse boni aut mali (*Rom.* IX, 11). Sine controversia ergo quædam originalis regio beatitudinis animi, Deus ipse est, qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus e terra. Nam quod attinet ad ejus originem, qua fit ut sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam; an similiter ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio.

4. In libro tertio : *Si quid mihi videatur quæris, inquam; in mente arbitror esse summum hominis bonum* (*Lib.* 3, *c.* 12, *n.* 27). Verius dixissem, In Deo : ipso enim mens fruitur, ut beata sit, tanquam summo bono suo. Nec mihi illud placet quod dixi : *Liquet*[1] *dejerare per omne divinum* (*Id.*, *c.* 16, *n.* 35). Item quod dixi de Academicis, quia verum noverant, cujus simile appellabant verisimile, idque ipsum verisimile appellavi falsum, quod approbabant; duas ob causas non recte dictum est : vel quod falsum esset, quod aliquo modo esset simile alicujus veri, quia in genere suo et hoc verum est; vel quod approbabant ista falsa, quæ vocabant verisimilia, cum illi nihil approbarent, et affirmarent nihil approbare sapientem. Sed quia hoc ipsum verisimile etiam probabile nuncupabant, hinc factum est ut hoc de illis dicerem. Laus quoque ipsa, qua Platonem vel Platonicos seu Academicos philosophos tantum extuli (*Id.*, *c.* 17, *n.* 37) quantum impios homines non oportuit, non immerito mihi displicuit; præsertim quorum contra errores magnos defendenda est christiana doctrina. Illud etiam quod in comparatione argumentorum Ciceronis, quibus in libris suis Academicis usus est[2] mea, nugas esse dixi (*Id.*, *c.* 20, *n.* 45), quibus argumenta illa certissima ratione refutavi; quamvis jocando dictum sit, et magis ironia videatur, non debuit tamen dici. Hoc opus sic incipit : *O utinam, Romaniane, hominem sibi aptum.*

[1] Er. et Lov. habent *libet dejerare*. Sed melius cum Am. scripti octodecim, *liquet dejerare*, quod usurpatum est ex Terentio in Eunucho, act. 2, scen. 3.

[2] Sic codex Benign. : *usus est, mea nugas esse dixi*; supple, *argumenta*. Alii plerique, *meas*, ut in vulgatis.

(*a*) Platonicos, ut videre est lib. 12 de Civit. Dei, c. 26.

## CAPUT II.

*De Beata Vita, liber unus.*

Librum de Beata Vita, non post libros de Academicis, sed inter illos ut scriberem, contigit. Ex occasione quippe ortus est diei natalis mei, et tridui disputatione completus, sicut satis ipse indicat. In quo libro constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatam vitam, nisi perfectam cognitionem Dei. Displicet autem illic quod Manlio Theodoro, ad quem librum ipsum scripsi, quamvis docto et christiano viro, plus tribui quam deberem (*In præfat.*, *n.* 7, *sqq.*). Et quod Fortunam etiam illic sæpe nominavi. Et quod tempore vitæ hujus in solo animo sapientis dixi habitare vitam beatam (*Disput.* 3), quomodoli-bet se habeat corpus ejus; cum perfectam cognitionem Dei, hoc est qua homini major esse non possit, in futura vita speret Apostolus, quæ sola beata vita dicenda est, ubi et corpus incorruptibile atque immortale spiritui suo sine ulla molestia vel reluctatione subdetur. Sane istum librum nostro in codice interruptum reperi, et non parum minus habere, et sic a fratribus quibusdam descriptus est, nec adhuc apud aliquem integrum inveneram, ex quo emendarem quando hæc retractavi. Hic liber sic incipit : *Si ad philosophiæ portum.*

## CAPUT III.

*De Ordine, libri duo.*

1. Per idem tempus, inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de Ordine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, utrum omnia bona et mala divinæ providentiæ ordo contineat. Sed cum rem viderem ad intelligendum difficilem, satis ægre ad eorum perceptionem, cum quibus agebam, disputando posse perduci; de ordine studendi loqui malui, quo a corporalibus ad incorporalia potest proficI.

2. Verum et in his libris displicet mihi sæpe interpositum fortunæ vocabulum (*Lib.* 2, *c.* 9, *n.* 27). Et quod non addebam, Corporis, quando sensus corporis nominavi (*Lib.* 1, *cc.* 1, 2, *etc.*). Et quod multum tribui liberalibus disciplinis (*Id.*, *c.* 8; *et lib.* 2, *c.* 14), quas multi sancti multum nesciunt; quidam etiam, qui sciunt eas, sancti non sunt. Et quod Musas quasi aliquas deas, quamvis jocando, commemoravi (*Id.*, *c.* 3, *n.* 6). Et quod admirationem vitium nuncupavi (*Ibid.*, *n.* 8). Et quod philosophos non vera pietate præditos dixi virtutis luce fulsisse. Et quod duos mundos, unum sensibilem, alterum intelligibilem (*Id.*, *c.* 11, *nn.* 31, 32), non ex Platonis vel ex Platonicorum persona, sed ex mea sic commendavi, tanquam hoc etiam Dominus significare voluerit, quia non ait, Regnum meum non est de mundo; sed, *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36); cum possit et aliqua locutione dictum inveniri; et si alius a Domino Christo significatus est mundus, ille congruentius possit intelligi, in quo erit cœlum novum et terra nova, quando complebitur quod oramus, dicentes, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Nec Plato quidem in hoc erra-

vit, quia esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod ecclesiasticæ consuetudini in re illa non usitatum est, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe ille intelligibilem nuncupavit ipsam rationem sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur ut dicat, irrationabiliter Deum fecisse quod fecit; aut cum faceret, vel antequam faceret, nescisse quid faceret; si apud eum ratio faciendi non erat. Si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamen isto nomine nos uteremur, si jam satis essemus litteris ecclesiasticis eruditi.

3. Nec illud mihi placet, quod cum dixissem, *Summa opera danda est optimis moribus;* mox addidi: *Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit; bene autem viventes facillime exaudiet* (*Lib.* 2, *c.* 20, *n.* 52). Sic enim dictum est, tanquam Deus non exaudiat peccatores; quod quidam dixit in Evangelio, sed ille qui nondum cognoverat Christum, a quo fuerat jam illuminatus in corpore (*Joan.* IX, 30, 31). Nec illud mihi placet, quod Pythagoræ philosopho tantum laudis dedi (*Lib.* 2, *c.* 20, *n.* 53), ut qui hanc audit vel legit possit putare, me credidisse nullos errores in Pythagorica esse doctrina, cum sint plures, iidemque capitales. Hoc opus sic incipit: *Ordinem rerum, Zenobi.*

## CAPUT IV.

### *Soliloquiorum libri duo.*

1. Inter hæc scripsi etiam duo volumina secundum studium meum et amorem, ratione [1] indagandæ veritatis, de his rebus quas maxime scire cupiebam, me interrogans, mihique respondens, tanquam duo essemus, ratio et ego, cum solus essem; unde hoc opus Soliloquia nominavi, sed imperfectum remansit: ita tamen ut in primo libro quæreretur, et utcumque appareret, qualis esse debeat qui vult percipere sapientiam, quæ utique non sensu corporis, sed mente percipitur; et quadam ratiocinatione in libri fine colligitur, ea quæ vere sunt immortalia esse. In secundo autem, de immortalitate animæ diu res agitur, et non peragitur.

2. In his sane libris non approbo quod in oratione dixi: *Deus, qui nisi mundos verum scire noluisti* [2] (*Lib.* 1, *c.* 1, *n.* 2). Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera: neque enim definitum est hic quid sit verum, quod nisi mundi scire non possint; et quid sit scire. Et illud quod ibi positum est, *Deus, cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat* (*Id.*, *c.* 1, *n.* 3); si Deus intelligendus est, addenda fuerant verba, ut diceretur, quem mortalis corporis sensus ignorat. Si autem mundus dictus est, quem sensus ignorat, ille recte intelligitur, qui futurus est cœlo novo et terra nova: sed etiam hic addenda erant illa, ut diceretur; mortalis corporis sensus. Sed illo more adhuc loquebar, quo sensus proprie corporis appellatur; nec assidue repetendum est, quod et superius inde jam dixi (*Lib.* 1 *Retract.*, *cc.* 1, 3), sed hoc recolendum, ubicumque ista locutio in meis litteris invenitur.

3. Et ubi dixi de Patre et Filio, *Qui gignit, et quem gignit, unum est* (*Lib.* 1, *c.* 1, *n.* 4); dicendum fuit, unum sunt, sicut aperte ipsa Veritas loquitur, dicens: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Nec illud mihi placet, quod in ista vita Deo intellecto jam beatam esse animam dixi, nisi forte spe. Item quod dixi; *Ad sapientiæ conjunctionem non una via perveniri* (*Lib.* 1, *c.* 13, *n.* 23), non bene sonat; quasi alia via sit præter Christum, qui dixit: *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). Vitanda ergo erat hæc offensio aurium religiosarum; quamvis alia sit illa universalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo canimus: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas doce me* (*Psal.* XXIV, 4). Et in eo quod ibi dictum est, *Penitus esse ista sensibilia fugienda* (*Lib.* 1, *c.* 14, *n.* 24), cavendum fuit ne putaremur illam Porphyrii falsi philosophi tenere sententiam, qua dixit: Omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego, Omnia sensibilia; sed, *ista*, hoc est, corruptibilia; sed hoc potius dicendum fuit: Non autem talia sensibilia futura sunt in futuri sæculi cœlo novo et terra nova.

4. Item quodam loco dixi, quod *disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas oblivione obrutas eruunt discendo, et quodam modo refodiunt* (*Lib.* 2, *c.* 20, *n.* 35). Sed hoc quoque improbo: credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt; non quia ea noverant aliquando, et obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est. Contra quorum opinionem quanta pro suscepto opere dabatur occasio, in libro duodecimo de Trinitate, disserui (*Lib.* 12, *c.* 15). Hoc opus sic incipit: *Volventi mihi multa ac varia mecum.*

## CAPUT V.

### *De Immortalitate Animæ, liber unus.*

1. Post libros Soliloquiorum jam de agro Mediolanum reversus, scripsi librum De Immortalitate Animæ, quod mihi quasi commonitorium esse volueram propter Soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanserant: sed nescio quomodo me invito exiit in manus hominum, et inter mea opuscula nominatur. Qui primo ratiocinationum contortione atque brevitate sic obscurus est, ut fatiget, cum legitur, etiam intentionem meam, vixque intelligatur a meipso.

2. Deinde cogitans nihil aliud quam animos hominum, in quadam argumentatione ejusdem libri dixi: *Nec esse in eo quod nihil discit, disciplina potest.* Itemque alio loco dixi, *Nec ullam rem scientia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertinet disciplinam* (*Cap.* 1, *n.* 1), nec venit in mentem Deum non discere disciplinas, et habere omnium rerum scientiam, in qua etiam præscientia est futurorum. Tale est illud quod ibi

[1] Lov., *rationis*. At plures Mss. necnon Am. et Er., *ratione*. — Lov. Par., *ratione*. M.

[2] *Qui nonnisi mundos verum scire voluisti*. Hæc lectio est Vatic. codicis et lib. 1 Sent., dist. 2, magis quidem perspicua: verum S. Augustino familiarior altera quam retinuimus. Sic libro 3 contra Academ., cap. 17: «Quæ nisi paucis sapientibus ignotæ essent.»

dictum est, *Non esse vitam cum ratione ulli, nisi animæ* (*Cap. 4, n.* 5) : neque enim Deo sine ratione vita est; cum apud eum et summa vita, et summa sit ratio. Et illud quod aliquando superius dixi, *Id quod intelligitur, ejusmodi esse semper* (*Cap.* 1, *n.* 1), cum intelligatur et animus, qui utique non ejusmodi est semper. Quod vero dixi, *Animum propterea non posse ab æterna ratione separari, quia non ei localiter jungitur* (*Cap.* 6, *n.* 11), profecto non dixissem, si jam tunc essem Litteris sacris ita eruditus, ut recolerem quod scriptum est : *Peccata vestra separant inter vos et Deum* (*Isai.* LIX, 2). Unde intelligi datur etiam earum rerum posse dici separationem, quæ non locis, sed incorporaliter junctæ fuerant.

3. Quid sit etiam quod dixi, *Anima si caret corpore, in hoc mundo non est* (*Cap.* 13, *n.* 22), non potui [1] recordari. Numquid enim animæ mortuorum aut non carent corpore, aut in hoc mundo non sunt? Quasi vero inferi non sint in hoc mundo. Sed quia carere corpore, in bono posui, fortasse nomine corporis pestes corporeas appellavi. Quod si ita est, nimis insolenter verbo usus sum. Illud quoque temere dictum est : *A summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est, in quantumcumque est. Per animam ergo corpus subsistit, et eo ipso est, quo animatur, sive universaliter, ut mundus, sive particulariter, ut unumquodque animal intra mundum* (*Cap.* 15, *n.* 24). Hoc totum prorsus temere dictum est. Hic liber sic incipit : *Si alicubi est disciplina.*

## CAPUT VI.

*Disciplinarum libri.*

Per idem tempus quo Mediolani fui, Baptismum percepturus, etiam Disciplinarum libros conatus sum scribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab hujusmodi studiis non abhorrebant; per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere. Sed earum solum de Grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi : et de Musica sex volumina; quantum attinet ad eam partem quæ Rythmus vocatur. Sed eosdem sex libros jam baptizatus, jamque ex Italia regressus in Africam scripsi; inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis; de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia, sola principia remanserunt, quæ tamen etiam ipsa perdidimus : sed haberi ab aliquibus existimo (*a*).

## CAPUT VII.

*De Moribus Ecclesiæ Catholicæ, et de Moribus Manichæorum, libri duo.*

1. Jam baptizatus autem cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa et fallaci continentia vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros; unum de Moribus Ecclesiæ Catholicæ; alterum de Moribus Manichæorum.

2. In eo igitur qui est de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, ubi posui testimonium, in quo legitur, *Propter te afficimur tota die; æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 22; *Rom.* VIII, 36); mendositas nostri codicis me fefellit minus memorem Scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam ejusdem interpretationis alii codices non habent, *Propter te afficimur* : sed, *Propter te morte afficimur;* quod uno verbo alii dixerunt, *mortificamur*. Hoc esse verius græci libri indicant, ex qua lingua in latinam secundum Septuaginta interpretes, veterum divinarum Scripturarum est facta translatio : et tamen secundum hæc verba, id est *Propter te afficimur*, multa disputans dixi (*Lib.* 1, *c.* 9, *nn.* 14, 15), quæ in ipsis rebus non tanquam falsa improbo. Verumtamen convenientiam Scripturarum veterum et novarum, quam demonstrare cupiebam, ex his duntaxat verbis non utique demonstravi; unde autem mihi error obrepserit, dixi : ex aliis vero testimoniis eamdem convenientiam sufficienter ostendi (*Id.*, *c.* 16, *n.* 26-29).

3. Similiter et paulo post testimonium posui de libro Sapientiæ, secundum codicem nostrum, in quo scriptum erat : *Sobrietatem enim sapientia docet, et justitiam et virtutem* (*Sap.* VIII, 7). Et secundum hæc verba disserui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inventas (*Lib.* 1, *c.* 16, *n.* 27). Quid enim verius, quam quod sapientia doceat veritatem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putavi; et actionis probitatem, quam per duo alia intelligi volui, per justitiam atque virtutem : cum codices ejusdem interpretationis veriores habeant, *sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem?* His enim nominibus latinus interpres quatuor illas virtutes, quæ maxime in ore philosophorum esse assolent, nominavit; sobrietatem appellans temperantiam, prudentiæ imponens nomen sapientiam, fortitudinem vero virtutis vocabulo enuntians, solam justitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapientiæ suis nominibus appellatas, sicut a Græcis vocantur, longe postea reperimus in codicibus græcis. Item, quod posui de libro Salomonis, *Vanitas, vanitantium* [1], *dixit Ecclesiastes* (*Eccle.* I, 2); in multis quidem codicibus legi, sed hoc Græcus non habet : habet autem, *vanitas vanitatum;* quod postea vidi; et inveni eos Latinos esse veriores, qui habent, *vanitatum*, non, *vanitantium*. Ex occasione tamen hujus mendositatis quæcumque disserui vera esse ipsis rebus apparet (*Lib.* 1, *c.* 21, *n.* 39).

[1] Er. et duo Mss., *non potui mortuos recordari.*

(*a*) Additur in vulgatis, « Hoc opus sic incipit : Omnia nomina tredecim; » quod initium est libri de Grammatica, adeoque male cum proxime antecedentibus cohæret isthæc clausula, quæ etiam abest a Mss. Ex libris autem Disciplinarum hic recensitis, quos dialogi more, atque eo consilio, ut « per corporalia ad incorporalia » deduceret, a se conscriptos dicit Augustinus, non reperiuntur nisi sex de Musica.

[1] *Vanitantium* restituimus ex sanioribus Mss. pro quo vulgati ferunt, *vanitatum*. Ac paulo post Am. et Er. ita prosequuntur : *Habet autem Vanitas vanitantium, quod postea vidi, et inveni eos Latinis esse veriores, qui habent, vanitantium, non, vanitatum*. Corrupte admodum; atque hic loci nihilo felicius variant Mss. — Benedictinorum lectioni favet Er. Guill. in margine. M.

4. Quod autem dixi : *Eum ipsum quem cognoscere votumus, hoc est Deum, prius plena charitate diligamus* (*Lib.* 1, *c.* 25, *n.* 47) : melius diceretur, Sincera, quam *plena ;* ne [1] forte putaretur charitatem Dei non futuram esse majorem, quando videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur, tanquam plena dicta sit, qua major esse non possit, quamdiu ambulamus per fidem: erit enim plenior, imo plenissima, sed [2] per speciem. Item quod dixi de iis qui subveniunt indigentibus, quia *misericordes vocantur, etiam si sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur* (*Id.*, *c.* 27, *n.* 53) ; non sic accipiendum est tanquam definierim, in hac vita esse tales sapientes : non enim dixi, Cum sint ; sed dixi, *etiam si sint.*

5. Alio loco ubi dixi (*Id.*, *c.* 30, *n.* 64) , *Jam vero cum hæc humana dilectio inhærentem uberibus tuis nutriverit et roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum, ubi ejus majestas ex tanta parte, quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit ; tantus charitatis ardor innascitur, et* [3] *tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, et homine sanctificato atque purgato, satis appareat quam divine dictum sit :* « *Ego sum ignis consumens* » (*Deut.* IV, 24 ; *Hebr.* XII, 29) ; possunt putare Pelagiani istam perfectionem in hac mortali vita me dixisse posse contingere. Sed non hoc putent : ardor quippe charitatis sequendo Deo factus idoneus, et tam magnus ut vitia cuncta consumat, in hac vita nasci et crescere potest ; perficere vero propter quod nascitur, ut nullum insit homini vitium, non consequenter hic potest : quamvis tanta ista res eodem ardore charitatis perficiatur, ubi perfici et quando perfici potest ; ut quemadmodum lavacrum regenerationis purgat a reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, et contraxit iniquitas ; ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus humana esse non potest in hoc sæculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ; mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi* (*Eph.* V, 25-27). Hic [4] est enim lavacrum aquæ in verbo quo mundatur Ecclesia. Sed cum tota dicat quamdiu hic est, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12) ; non utique hic est sine macula et ruga, aut aliquid ejusmodi : ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam, quæ hic non est, perfectionemque perducitur.

6. In alio libro cujus est titulus, de Moribus Manichæorum, illud quod dixi : *Dei bonitas omnia deficientia sic ordinat, ut ibi sint ubi congruentissime possint esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant unde defecerunt* (*Lib.* 2, *c.* 7, *n.* 9), non sic accipiendum est, tanquam omnia recurrant ad id unde defecerunt, sicut Origeni visum est ; sed ea omnia quæ recurrunt. Non enim recurrunt ad Deum a quo defecerunt, qui sempiterno igne punientur : quamvis omnia deficientia sic ordinentur, ut ibi sint, ubi congruentissime possint esse ; quia et illi qui non recurrunt, congruentissime in pœna sunt. Alio loco, *Nemo fere, inquam, de scarabæis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant* (*Id.*, *c.* 17, *n.* 63) ; cum hoc utrum verum sit, multi dubitent, multi ne audiverint quidem. Hoc opus sic incipit : *In aliis libris satis opinor egisse nos.*

[1] In Mss. fere omnibus, *nisi forte putatur*. In Edd. Am. et Er., *nisi forte putaretur*.
[2] Am. et Er. cum tribus Mss., *scilicet per speciem*.
[3] Mss. septem, *et in tantum*.
[4] Ita magno consensu Mss. At Edd., *hoc est*, quod mendum esse probat orationis series.

## CAPUT VIII.

*De Animæ Quantitate, liber unus.* — [Tom. 1]

1. In eadem urbe scripsi dialogum, in quo de anima multa quæruntur ac disseruntur ; id est, unde sit, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, cum ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abscesserit. Sed quoniam quanta sit, diligentissime ac subtilissime disputatum est, ut eam, si possemus, ostenderemus corporalis quantitatis non esse, et tamen magnum aliquid esse ; ex hac una inquisitione totus liber nomen accepit ut appellaretur, de Animæ quantitate.

2. In quo libro illud quod dixi, *omnes artes animam secum attulisse mihi videri ; nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quam reminisci ac recordari* (*Cap.* 20, *n.* 34), non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur, animam vel hic in alio corpore, vel alibi sive in corpore, sive extra corpus, aliquando vixisse ; et ea quæ interrogata respondet, cum hic non didicerit, in alia vita ante didicisse (*a*). Fieri enim potest, sicut jam in hoc opere supra diximus, ut hoc ideo possit, quia natura intelligibilis est (*Sup.*, *c.* 4, *n.* 4), et connectitur non solum intelligibilibus, verum etiam immutabilibus rebus, eo ordine facta [1], ut cum se ad eas res movet quibus connexa est, vel ad seipsam, in quantum eas videt, in tantum de his vera respondeat. Nec sane omnes artes eo modo secum attulit, ac secum habet : nam de artibus quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hic didicerit, non potest dicere. Ea vero quæ sola intelligentia capit, propter id quod dixi, cum vel a seipsa vel ab alio fuerit bene interrogata, et recordata respondet.

3. Alio loco : *Vellem, inquam, hinc plura dicere, ac meipsum constringere, dum quasi tibi præcipio, ut nihil aliud agerem quam redderer mihi, cui me maxime debeo.* Ubi videor dicere potius debuisse, Redderer Deo, cui me maxime debeo. Sed quoniam prius sibi ipse homo reddendus est, ut illic quasi gradu facto inde surgat atque attollatur ad Deum, sicut filius ille minor prius reversus est ad semetipsum, et tunc ait : *Surgam, et ibo ad patrem meum* (*Luc.* XV, 18) ; ideo sic sum locutus. Denique mox addidi : *Atque ita fieri amicum mancipium Domino* (*Cap.* 28, *n.* 55). Quod ergo dixi, *cui me maxime debeo*, ad homines retuli : magis enim mihi me debeo, quam hominibus cæteris, quamvis Deo magis quam mihi. Hic liber sic incipit : *Quoniam video te abundare otio.*

[1] In Edd. nullo prope nexu verba illa sic redduntur : *Verum etiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, ut cum.* Interpunctionem mutavimus abjecto *est*, quo carent scripti optimi.

(*a*) Vid. lib. 12 de Trinit., c. 15, n. 24.

## CAPUT IX.

*De Libero Arbitrio, libri tres.*

1. Cum adhuc Romæ demoraremur, voluimus disputando quærere unde sit malum. Et eo modo disputavimus, ut si possemus, id quod de hac re divinæ auctoritati subditi credebamus, etiam ad intelligentiam nostram, quantum disserendo opitulante Deo agere possemus, ratio considerata et tractata perduceret. Et quoniam constitit inter nos, diligenter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio; tres libri quos eadem disputatio peperit, appellati sunt, de Libero Arbitrio. Quorum secundum et tertium in Africa, jam etiam Hippone-Regio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi.

2. In his libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earumdem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant, ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, et Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt : eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichæi enim sunt), immutabilem quamdam et Deo coæternam introducere mali naturam. De gratia vero Dei, qua suos electos sic prædestinavit, ut eorum, qui jam in eis utuntur libero arbitrio, ipse etiam præparet voluntates, nihil in his libris disputatum est propter hoc proposita quæstione [1]. Ubi autem incidit locus ut hujus gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est; non, quasi inde ageretur, operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere, unde sit malum; et aliud est quærere, unde redeatur ad pristinum, vel ad majus perveniatur bonum.

3. Quapropter novi hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita nostra dari asserunt, non se extollant, quasi eorum egerim causam; quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro primo, malefacta justitia Dei vindicari; et addidi : *Non enim juste vindicarentur, nisi fierent voluntate* (*Lib.* 1, *c.* 1, *n.* 1). Item cum ipsam bonam voluntatem tam magnum bonum esse monstrarem, ut omnibus corporeis et externis bonis merito anteponeretur, dixi : *Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono : quid enim tam in voluntate quam ipsa voluntas sita est?* (*Id.*, *c.* 12, *n.* 26.) Et alio loco : *Quid ergo causæ est, inquam, cur dubitandum putemus, etiam si nunquam ante sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem et beatam vitam, voluntate turpem et miseram mereri ac degere?* (*Id.*, *c.* 13, *n.* 28). Item alio loco : *Ex quo conficitur, inquam, ut quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus rebus velit; assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere quod voluit* (*Id.*, *n.* 29). Itemque alibi dixi : *Hoc enim æterna lex illa, ad cujus considerationem redire jam tempus est, incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit; in beatitate autem et miseria præmium atque supplicium* (*Id.*, *c.* 14, *n.* 30). Et alio loco : *Quid, inquam, quisque sectandum et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit* (*Id.*, *c.* 16, *n.* 34). Et in libro secundo : *Homo enim ipse, inquam, in quantum homo est, aliquod bonum est, quia recte vivere cum vult, potest* (*Lib.* 2, *c.* 1, *n.* 2). Et alio loco dixi : *Recte fieri non posse, nisi eodem libero voluntatis arbitrio* (*Id.*, *c.* 18, *n.* 47). Et in libro tertio : *Quid opus est, inquam, quæri unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum; cum eum non nisi animi, et voluntarium, et ob hoc culpabilem esse fateamur : omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad perfruendum sempiterno bono, a lapsu temporalium convertamus?* (*Lib.* 3, *c.* 1, *n.* 2.) Et alio loco : *Optime, inquam, de te veritas clamat, Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas, est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est* (*Id.*, *c.* 3, *n.* 7). Item alio loco : *Si enim tu laudaris, inquam, videndo quid facere debeas, cum id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas; quanto magis ille qui et velle præcepit, et posse præbuit, et non impune nolle permisit?* Deinde subjunxi dicens : *Si enim hoc debet quisque quod accepit, et sic homo factus est, ut necessario peccet, hoc debet ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet, facit : quod si scelus est dicere; neminem natura sua cogit ut peccet* (*Id.*, *c.* 16, *n.* 46). Et iterum : *Quæ tandem esse poterit, inquam, ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim et ipsa voluntas est; et a radice ista voluntatis non recedit : aut non est voluntas; et peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccandi; aut nullum peccatum est prima causa peccandi : nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non ergo est cui recte imputetur nisi volenti* [1] (*Id.*, *c.* 17, *n.* 49). Et paulo post : *Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur potest* (*Id. c.* 18, *n.* 50). Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius usus est. Cui libro cum respondissem, titulum libri mei esse volui, de Natura et Gratia.

4. In his atque hujusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est qua et peccatur, et recte vivitur : quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa nisi Dei gratia

[1] Mss. aliquot cum Am. et Er., *propter hanc propositam quæstionem.*

[1] Lov. et codex Corb., *nisi voluntati.* Sed verius Am. et Er., cum Mss. aliis plerisque, *nisi volenti :* nam sic etiam Lov. lib. 3 de Libero Arbitrio.— Er. Guill., *volenti,* in margine. M.

liberetur a servitute, qua facta est serva peccati, et ut vitia superet, adjuvetur; recte pieque vivi a mortalibus non potest. Et hoc divinum beneficium quo liberatur, nisi eam præveniret, jam meritis ejus daretur, et non esset gratia, quæ utique gratis datur. Quod in aliis opusculis nostris satis egimus, istos inimicos hujus gratiæ novos hæreticos refellentes; quamvis et in his libris, qui non contra illos omnino, quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt, de Libero Arbitrio; non omnimodo de ista Dei gratia reticuimus, quam nefanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secundo libro, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo a quo sunt omnia bona, hoc est, Deo. Et paulo post : *Virtutes, inquam, quibus recte vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt : potentiæ vero animi, sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur : cæteris autem bonis, id est mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur; quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus : nemo autem bene utendo, male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei, non solum magna, sed etiam media et minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quam in mediis; et magis in mediis, quam in minimis bonis : sed magis in omnibus, quam si non omnia tribuisset* (*Lib.* 2, *c.* 19, *n.* 50). Et alio loco : *Tu tantum, inquam, pietatem inconcussam tene* [1], *ut nullum tibi bonum, vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo.* Itemque alio loco dixi : *Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest; porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est Dominum nostrum Jesum Christum, firma fide teneamus* (*Id.*, *c.* 20, *n.* 54).

5. Et in libro tertio, cum dixissem illud, quo et Pelagium de meis opusculis usum fuisse commemoravi, *Quis enim, inquam, peccat in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur potest;* continuo secutus adjunxi : *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, et corrigenda judicantur; sicut in divinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus,* « *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* » (I *Tim.* I, 13); *ait et propheta :* « *Delicta juventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris* » (*Psal.* XXIV, 7). *Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere et non potest. Nam unde sunt illæ voces :* « *Non enim quod volo, facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago.* » *Et illud :* « *Velle adjacet mihi; perficere autem bonum, non* » (*Rom.* VII, 15, 18). *Et illud :* « *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim invicem adversantur, ut non ea quæ vultis, faciatis?* » (*Galat.* V, 17.) *Sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura; nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit; ea quæ debet, facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset; nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo et non valendo esse qualem se debere esse videt. Pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna, si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur. Si autem injusta pœna est, quoniam pœnam esse nemo ambigit; injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, et pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam injustus dominator, aut subripere hominem potuit velut ignoranti Deo, aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo* [1], *ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc pœnâ justa de damnatione hominis veniat* (*Lib.* 3, *c.* 18, *nn.* 50, 51). Et alio loco : *Approbare, inquam, falsa pro veris ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore* [2] *carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera* [3] *voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est, loquimur* (*Ibid.*, *n.* 52).

6. Ecce tam longe antequam Pelagiana hæresis exstitisset, sic disputavimus, velut jam contra illos disputaremus. Cum enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est et magna, et media, et minima : in mediis quidem bonis invenitur liberum voluntatis arbitrium, quia et male illo uti possumus; sed tamen tale est, ut sine illo recte vivere nequeamus. Bonus autem usus ejus jam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus male uti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, et magna, et media, et minima ex Deo sunt; sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis, quæ virtus est, et in magnis numeratur bonis. Deinde dictum est, ex qua miseria peccantibus justissime inflicta, liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est libero arbitrio, cadere potuit, non etiam surgere : ad quam miseriam justæ damnationis pertinet ignorantia et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ; nec ab isto malo, nisi Dei gratia, quisquam liberatur (*Lib.* 2, *c.* 20; *et lib.* 3, *c.* 18) : quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum : quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia; nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in eodem tertio libro disputavimus (*Lib.* 3, *cc.* 20, 21). Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas Veteris Instrumenti, in quibus originale peccatum narratur; et quidquid inde in Litteris apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus Scripturarum, tan-

[1] Mss. quatuor, *pietate inconcussa tene.*

[1] Scripti plures ac potiores, *conturbando.*

[2] In Mss duobus, necnon in marg. Am. et Er., *calore.* — Er. Guill. in margine, *dolore.* M.

[3] Lov. cum aliquot Mss., *de illa voluntate.* Abest vero *illa* a Corb., pro quo apud Am. et Er., *libera.* Sic porro lib. 3 de Libero Arbitrio, unde huc revocavimus — Lov. Par., *de libera voluntate,* sine *illa.* M.

quam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur. Hoc opus sic incipit : *Dic mihi, quæso te, utrum Deus non sit auctor mali.*

## CAPUT X.

*De Genesi adversus Manichæos, libri duo.*

1. Jam vero in Africa constitutus, scripsi duos libros de Genesi contra Manichæos. Quamvis enim in superioribus libris quidquid disputavi, unde ostenderem Deum summe bonum et immutabilem creatorem esse omnium mutabilium naturarum, nec ullam esse naturam malam [1] sive substantiam, in quantum natura est atque substantia, adversus Manichæos nostra invigilaret intentio ; isti tamen duo libri apertissime adversus eos editi sunt in defensionem veteris legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnant. In primo, ab eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1), donec septem peragantur dies, ubi legitur Deus requievisse in die septimo. In secundo autem, ab eo quod scriptum est, *Hic liber creaturæ cœli et terræ* (*Id.* II, 4), donec Adam et mulier ejus dimissi sunt de paradiso, et custodia posita est ligno vitæ. Deinde in fine libri, errori Manichæorum fidem catholicæ veritatis opposui ; quid illi dicant, et nos quid dicamus, breviter aperteque complectens.

2. Quod vero dixi, *Illud autem non irrationabilium avium* [2] *oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium, se ad ejus præcepta implenda convertunt ; quod omnes homines possunt, si velint* (*Lib.* 1, *c.* 3, *n.* 6), non existiment novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes homines hoc posse, si velint ; sed præparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis, ut possint : quod hic ideo dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni. Quod vero ibi legitur, benedictionem Dei qua dictum est, *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 28), in carnalem fecunditatem post peccatum conversam esse credendam (*Lib.* 1, *c.* 19, *n.* 30) ; si non potest alio modo dictum videri, nisi ut putentur illi homines non habituri fuisse filios homines nisi peccassent, omnino non approbo. Illud etiam non est consequens, ut ideo intelligatur in allegoria tantummodo esse accipiendum, quod herbæ virides, et ligna fructifera omni generi bestiarum, et omnibus avibus, et omnibus serpentibus in libro Geneseos datur ad cibum, quia sunt et quadrupedia et volatilia quæ solis carnibus vivere videantur (*Id.*, *c.* 20, *n.* 31). Fieri enim posset ut alerentur ab hominibus etiam de fructibus terræ, si propter obedientiam qua ipsi homines Deo sine ulla iniquitate servirent, mererentur omnes bestias et aves omni modo habere servientes. Item movere potest quomodo dixerim de populo Israel, *Adhuc corporali circumcisione et sacrificiis, tanquam in mari gentium populus ille legi serviebat* (*Id.*, *c.* 23, *n.* 40) ; quandoquidem apud gentes sacrificare non poterant, sicut eos et nunc videmus sine sacrificiis remansisse ; nisi forte quod per Pascha immolant ovem, hoc in sacrificio deputetur (*a*).

3. In secundo etiam libro illud quod posui, nomine pabuli significari posse vitam (*Lib.* 2, *c.* 3, *n.* 4), cum melioris interpretationis codices non habeant, *pabulum ;* sed, *fenum ;* non satis apte dictum videtur. Non enim congruit feni nomen significationi vitæ, quomodo pabuli. Item videor (*Id.*, *c.* 5, *n.* 6) non recte appellasse verba prophetica quibus scriptum est, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* X, 9) ? quia non in ejus libro legitur, quem certi simus appellandum esse prophetam. Nec illud Apostoli, ubi adhibet testimonium de Genesi, dicens, *Factus est primus homo Adam in animam viventem* (I *Cor.* XV, 45) ; sicut ille voluit, intellexi, cum exponerem quod scriptum est, *Insufflavit Deus in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam vivam*, vel, *in animam viventem* (*Gen.* II, 7). Apostolus enim ad hoc adhibuit illud testimonium, ut probaret esse corpus animale : ego autem hinc putavi esse monstrandum, animalem factum prius hominem, non corpus hominis solum (*Lib.* 2, *c.* 8, *n.* 10). Quod autem dixi, *nulli naturæ nocere peccata nisi sua* (*Id.*, *c.* 29, *n.* 43), ideo dixi, quoniam justo qui nocet, non ei vere nocet, quandoquidem etiam mercedem ejus auget in cœlis : *sibi* autem peccando vere nocet ; quia propter ipsam voluntatem nocendi recipiet id, quod nocuit. Possunt sane Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, et ideo dicere, parvulis aliena non nocuisse peccata, quia dixi, *nulli naturæ nocere peccata nisi sua ;* non intuentes ideo parvulos, qui utique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccavit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata, nisi sua. Per unum quippe hominem, in quo omnes peccaverunt, peccatum intravit in mundum (*Rom.* V, 12) : non enim nulli homini, sed nulli naturæ dixi peccata nocere, nisi sua. Item in eo quod paulo post dixi, *Nullum esse malum naturale* (*Lib.* 2, *c.* 29, *n.* 43), possunt quærere similem latebram, nisi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis sine vitio primitus condita est : ipsa enim vere ac proprie natura hominis dicitur. Translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam, qualis nascitur homo, secundum quam locutionem dixit Apostolus : *Fuimus enim et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Hoc opus sic incipit : *Si eligerent Manichæi quos deciperent.*

## CAPUT XI.

*De Musica libri sex.*

1. Deinde, ut supra commemoravi (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 6), sex libros de Musica scripsi ; quorum ipse sextus maxime innotuit, quoniam res in eo digna cognitione versatur, quomodo a corporalibus et spiritualibus, sed mutabilibus numeris, perveniatur ad im-

[1] Mss. quatuor, *malum.*

[2] Ita Mss. constanter, hic et lib. 1 de Gen. contra Manichæos, ubi Edd. habent, *animalium.*

(*a*) Sancitum est Deut. XVI, 6, ne Pascha ubivis locorum mactare liceret. Hinc ergo a Judæis per orbem dispersis paschalem celebritatem aiunt quotannis ita recoli, ut nihilominus ab ovis immolatione religiose abstineant. Vide Hieron., Epist. 2, ad Nepotianum.

mutabiles numeros, qui jam sunt in ipsa immutabili veritate, et sic invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. Quod qui non possunt, et tamen ex fide Christi vivunt, ad illa certius atque felicius conspicienda post hanc vitam veniunt. Qui autem possunt, si desit eis fides Christi, qui unus mediator est Dei et hominum, cum tota sapientia sua pereunt.

2. In hoc libro illud quod dixi, *Corpora enim tanto meliora quanto numerosiora talibus numeris : anima vero istis quæ per corpus accipit, carendo fit melior, cum sese avertit a carnalibus sensibus, et divinis sapientiæ numeris reformatur* (*Lib.* 6, *c.* 4, *n.* 7), non sic accipiendum est, quasi non sint futuri numeri corporales in corporibus incorruptibilibus et spiritualibus; cum multo speciosiora et decentiora futura sint : aut anima eos sensura non sit, quando erit optima, quemadmodum hic eis carendo fit melior. Hic enim opus habet avertere se a carnalibus sensibus ad intelligibilia capienda, quia infirma est, et minus idonea utrisque simul adhibere intentionem suam : et in his corporalibus nunc illecebra cavenda est, quamdiu anima illici ad delectationem turpem potest. Tunc autem tam firma erit atque perfecta, ut numeris corporalibus non avertatur a contemplatione sapientiæ, et ita sentiat eos ut non illiciatur ab eis, nec eis carendo fiat melior; sed ita sit bona et recta, ut nec latere possint eam nec occupare.

3. Item quod dixi, *Hæc autem sanitas tunc firmissima erit atque certissima, cum pristinæ stabilitati certo suo tempore atque ordine hoc corpus fuerit restitutum* (*Id.*, *c.* 5, *n.* 13), non ita dictum putetur, quasi non sint futura post resurrectionem corpora meliora, quam primorum hominum in paradiso fuerunt, cum illa jam non sint alenda corporalibus alimentis, quibus alebantur ista : sed pristina stabilitas hactenus accipienda est, quatenus ægritudinem ita nullam corpora illa patientur, sicut nec ista pati possent ante peccatum.

4. Alio loco : *Laboriosior est, inquam, hujus mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, constantiam scilicet æternitatemque, non invenit : quoniam rerum transitu completur infirma pulchritudo, et quod in illa imitatur constantiam, a summo Deo per animam trajicitur : quoniam prior est species tantummodo tempore commutabilis, quam est ea, quæ et tempore et locis* (*Id.*, *c.* 14, *n.* 43). Hæc verba si eo modo accipi possunt, ut non intelligatur infima pulchritudo, nisi in corporibus hominum, omniumque animalium, quæ cum sensu corporis vivunt, ratio manifesta defendit. Hoc quippe in ea pulchritudine imitatur constantiam, quod in compage sua manent eadem corpora, in quantum manent : id autem a summo Deo in ea per animam trajicitur. Anima quippe ipsam compagem tenet, ne dissolvatur, et diffluat; quod videmus in corporibus animalium anima discedente contingere. Si autem infima pulchritudo in omnibus corporibus intelligatur, cogit ista sententia etiam ipsum mundum animal credere, ut etiam in ipsum [1], quod in illo imitatur constantiam, a summo Deo per animam trajiciatur (*a*). Sed animal esse istum mundum, sicut Plato sensit, aliique philosophi quamplurimi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum Scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi. Unde tale aliquid a me dictum quo id accipi possit, etiam in libro de Immortalitate Animæ temere dictum notavi (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 5, *n.* 3); non quia hoc falsum esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo, quod sit animal mundus. Hoc sane inconcusse retinendum esse non dubito, Deum nobis non esse istum mundum, sive anima ejus ulla, sive nulla sit. Quia si ulla est, ille qui eam fecit, est Deus noster : si autem nulla est, nullorum Deus potest esse iste; quanto minus noster ? Esse tamen spiritualem vitalemque virtutem, etiam si non sit animal mundus; quæ virtus in Angelis sanctis ad decorandum atque administrandum mundum Deo servit, et a quibus non intelligitur; rectissime creditur. Angelorum autem sanctorum nomine, omnem sanctam creaturam spiritualem, in Dei secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellaverim : sed spiritus angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare non solet. Proinde in eo quod circa finem libri hujus dixi, *Rationales et intellectuales numeri beatarum animarum atque sanctarum legem ipsam Dei, sine qua folium de arbore non cadit, et cui nostri capilli numerati sunt, nulla interposita natura excipientes, usque ad terrena et inferna jura transmittunt* (*Lib.* 6, *c.* 17, *n.* 58), non video quemadmodum vocabulum animarum secundum Scripturas sanctas positum possit ostendi; quandoquidem hic non nisi Angelos sanctos intelligi volui, quos habere animas nusquam me legisse in divinis eloquiis canonicis recolo [1]. Hic liber sic incipit : *Satis diu pene* [2].

## CAPUT XII.

*De Magistro, liber unus*

Per idem tempus scripsi librum cujus est titulus, de Magistro : in quo disputatur et quæritur, et invenitur, magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud etiam quod in Evangelio scriptum est : *Unus est Magister vester Christus* (*Matth.* XXIII, 10). Hic liber sic incipit : *Quid tibi videmur efficere velle cum loquimur ?*

## CAPUT XIII.

*De Vera Religione, liber unus.*

1. Tunc etiam de Vera Religione librum scripsi; in quo multipliciter et copiosissime disputatur, unum verum Deum, id est Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum religione vera colendum : et quanta misericordia ejus, per temporalem dispensationem concessa sit hominibus christiana religio, quæ vera religio est, et ad eumdem cultum Dei quemadmodum sit homo quadam vita sua coaptandus [3]. Maxime

[1] Lov., *idipsum*. Alii Edd., *in ipsum*.

[1] Lov., *canonicisque recolo*. Alii codices carent, *que*.

[2] In Edd. habetur : *Hic liber primus sic incipit : Modus quis pes est. Sextus autem : Satis diu pene*. Non admodum cohæret isthæc lectio; nostram a scriptis integerrimis usurpavimus.

[3] Mss. non pejores, *quadam suavitate coaptandus*.

(*a*) Vid. lib. 7 de Civit. Dei, c. 23.

tamen contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur.

2. In hoc libro quodam loco : *Sit, inquam, tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua.* Hic animam pro universa creatura incorporali posui non loquens more Scripturarum, quæ animam quando non translato verbo utuntur, nescio utrum velint intelligi nisi eam qua vivunt animalia mortalia, in quibus et homines sunt, quamdiu mortales sunt. Paulo post autem eumdem sensum melius sum breviusque complexus, ubi dixi : *Non ergo creaturæ potius quam Creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris, et perfecta religio est.* Creaturam quippe uno nomine utramque, id est spiritualem corporalemque significavi. Restat quod ibi dixi, *aut phantasmata sua :* propter quod hic dixi, *nec evanescamus in cogitationibus nostris.*

3. Item quod dixi, *Ea est nostris temporibus christiana religio, quam cognoscere ac sequi securissima et certissima salus est,* secundum hoc nomen dictum est, non secundum ipsam rem, cujus hoc nomen est. Nam res ipsa quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio quæ jam erat, cœpit appellari christiana. Cum enim eum post resurrectionem ascensionemque in cœlum cœpissent Apostoli prædicare, et plurimi crederent, primum apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani (*Act.* XI, 26). Proterea dixi, *Hæc est nostris temporibus christiana religio;* non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit.

4. Alio loco : *Intende igitur, inquam, in hæc quæ sequuntur, diligenter et pie, quantum potes; tales enim adjuvat Deus* (*Cap.* 10, *n.* 18-20). Quod non ita intelligendum est, quasi tantummodo tales adjuvet, cum adjuvet etiam non tales ut sint tales, id est, ut diligenter et pie quærant : tales autem adjuvat ut inveniant. Itemque alibi : *Deinde, inquam, jam erit consequens ut post mortem corporalem quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinæ stabilitati* (*Cap.* 12, *n.* 25). Quod sic accipiendum est, quia etiam pristina stabilitas corporis quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatem, ut in defectum non vergeret senectutis. Huic ergo pristinæ stabilitati restituetur hoc corpus in resurrectione mortuorum. Sed habebit amplius, ut nec alimentis corporalibus sustentetur; sed ad sufficientiam vivificetur solo spiritu, cum resurrexerit in spiritum vivificantem, qua causa etiam spirituale erit. Illud autem quod primum fuit, quamvis non moriturum, nisi homo peccasset, tamen animale factum est in animam viventem.

5. Et alibi : *Usque adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium* (*Cap.* 14, *n.* 27). Potest videri falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur, invenietur esse verissima. Peccatum quippe illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati, sicut superius ostendi, cum quædam commemorarem ex libro tertio de Libero arbitrio (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 9, *n.* 5). Quamvis et illa quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omnimodo possunt sine voluntate committi : quoniam et ille qui peccat ignorans, voluntate utique facit [1], quod cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille qui concupiscente adversus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, et in eo non facit quod vult : sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, et in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet justitiæ, servusque peccati. Et illud quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. Non itaque falsum est quod dixi, *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Ideo gratia Dei non solum reatus omnium præteritorum solvitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit Spiritu regenerationis; verum etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, et præparatur a Domino, quod fit spiritu fidei et charitatis.

6. Alio loco in eo quod dixi de Domino Jesu Christo, *Nihil egit vi, sed omnia suadendo et monendo* (*Cap.* 16, *n.* 31), non mihi occurrerat quod vendentes et ementes flagellando ejecit de templo. Sed quid hoc, aut quantum est? Quamvis et dæmones nolentes ab hominibus, non sermone suasionis, sed vi potestatis ejecerit. Item alio loco : *Prius, inquam, isti sequendi sunt, qui unum Deum summum, solum verum Deum et solum colendum esse dicunt : si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est.* Quod ita potest videri dictum, quasi de hujus religionis veritate dubitaverim. Dixi autem sicut ei congruebat ad quem scribebam. Sic enim dixi, *si apud hos veritas non eluxerit*, nihil dubitans quod apud eos elucesceret; quemadmodum ait Apostolus, *Si Christus non resurrexit* (I *Cor.* XV, 14), non utique dubitans quod resurrexerit.

7. Item quod dixi, *Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit* (*Cap.* 25, *nn.* 46, 47), verum est quidem : non enim nunc usque cum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium; aut nunc usque ad umbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi; et si qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora martyrum (*a*) in eadem civitate cæcum illuminatum

[1] Apud Am. et Er., *voluntarie utique peccat.* In Mss. sex, *voluntate utique peccat.*

(*a*) Protasii et Gervasii ; lib. 9 Conf., c. 7, n. 16.

fuisse jam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus.

8. Et alio loco illud quod dixi, *Sicut ait Apostolus,* « *Omnis ordo a Deo est,* » non eisdem verbis hoc dixit Apostolus, quamvis eadem videatur esse sententia. Ait quippe ille : *Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* [1] (*Rom.* XIII, 1). Et alibi : *Prorsus, inquam, nemo nos fallat : quidquid recte vituperatur, in melioris comparatione respuitur* (*Cap.* 41, *nn.* 77, 78). Hoc de substantiis atque naturis dictum est : inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis. Itemque alibi : *Sed nec sic quidem, inquam, ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati : aut affines, aut cives, nam et ista dilectio temporalis est. Non enim ullas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo et moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis et imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur* (*Cap.* 46, *n.* 88). Hunc sensum prorsus improbo, quem jam et superius improbavi in primo libro de Genesi contra Manichæos (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 10, *n.* 2). Ad hoc enim ducit, ut credantur illi conjuges primi non generaturi posteros homines, nisi peccassent; tanquam necesse fuerit ut morituri gignerentur, si de concubitu maris et feminæ gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura : ac per hoc, si et in parentibus et in filiis fecunditas felicitasque mansisset, usque ad certum sanctorum numerum, quem prædestinavit Deus, nascerentur homines non parentibus successuri morientibus, sed cum viventibus regnaturi. Essent ergo etiam istæ cognationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur.

9. Item alio loco : *Ad unum Deum tendentes, inquam, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus* (*Cap.* 55, *n.* 111). In his verbis meis ratio quæ reddita est, unde sit dicta religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam nominis hujus originem exposuisse latini sermonis auctores, quod inde sit appellata religio, quod religitur : quod verbum compositum est a legendo, id est eligendo, ut ita latinum videatur religo sicut eligo. Hic liber sic incipit : *Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ via.*

## CAPUT XIV.

*De Utilitate credendi, ad Honoratum liber unus.*

1. Jam vero apud Hipponem-regium presbyter scripsi librum de Utilitate credendi, ad amicum meum quem deceptum a Manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, et irridere in catholicæ fidei disciplina, quod juberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur. In hoc libro dixi (*Cap.* 3, *n.* 9) : *In quibus tamen legis præceptis atque mandatis, quibus nunc christiano uti fas non est; qualc vel sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia, et si quid hujusmodi est; tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat, nihil esse perniciosius, quam quidquid ibi est, accipi ad litteram, id est ad verbum : nihil autem salubrius, quam spiritu revelari. Inde est,* « *Littera occidit; spiritus autem vivificat* » (II *Cor.* III, 6). Sed aliter exposui verba ista apostoli Pauli, et quantum mihi videtur, vel potius ipsis rebus apparet, multo convenientius in eo libro qui inscribitur de Spiritu et Littera : quamvis non sit et iste sensus respuendus.

2. Item dixi, *Duæ sunt enim personæ in religione laudabiles. Una eorum qui jam invenerunt; quos etiam beatissimos judicari necesse est : alia eorum qui studiosissime et rectissime inquirunt. Primi ergo sunt jam in ipsa possessione; alteri in via, qua tamen certissime pervenitur.* In his verbis meis, si illi qui jam invenerunt, quos in ipsa possessione esse jam diximus, sic accipiantur beatissimi, ut non in hac vita, sed in ea quam speramus et ad quam per fidei viam tendimus, sint; non habet iste sensus errorem : ipsi enim judicandi sunt quod quærendum est invenisse, qui jam ibi sunt quo nos quærendo et credendo, id est viam fidei tenendo, cupimus pervenire. Si autem in hac vita putantur isti esse vel fuisse, id verum esse non mihi videtur : non quia in hac vita nihil veri omnino inveniri potest quod mente cernatur, non fide credatur; sed quia tantum est quidquid est, ut non faciat beatissimos [1]. Neque enim quod ait Apostolus, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, et, *Nunc scio ex parte* [2]; non cernitur mente : cernitur plane, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit quod ait : *Tunc autem facie ad faciem;* et, *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 12). Qui hoc invenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei quam tenemus, et quo credendo cupimus pervenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in ea possessione quo ducit hæc via, magna quæstio est. Et Angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quæstio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere merito quæritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt; sed adhuc exspectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, et caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, *facie ad faciem*, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando inquirere. Item quod dixi, *Nam scire magna et honesta vel etiam divina, beatissimum est*, ad eamdem beatitudinem referre debemus. In hac enim vita quantumcumque id sciatur, nondum est beatissimum; quoniam incomparabiliter longe est amplius quod inde nescitur.

3. Et quod dixi, *Multum interesse utrum aliquid*

[1] Lov. : *A Deo ordinata sunt.* Reposuimus ex Mss. *ordinatæ*, juxta græc. *tetagménai eisin.*

[1] Er. Lugd. Ven. : *Sed quia tantum non est quidquid est, ut nos faciat beatissimos.* M.

[2] *Et nunc scio ex parte*, reposuimus ex Mss.; nam in prius excusis mendose, *et nunc cernitur.*

*mentis certa ratione teneatur*, *quod scire dicimus ; an famæ vel litteris credendum posteris utiliter commendetur ;* et paulo post, *Quod scimus igitur, debemus rationi : quod credimus*, *auctoritati* (*Cap.* 11, *n.* 25), non sic accipiendum est, ut in sermone usitatiore vereamur nos dicere scire quod idoneis testibus credimus. Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus. Cum vero loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam divina Scriptura, non dubitemus dicere scire nos, et quod percipimus nostri corporis sensibus, et quod fide dignis credimus testibus ; dum tamen inter hæc et illud quid distet intelligamus.

4. Item quod dixi, *Nemini dubium est, omnes homines aut stultos esse aut sapientes* (*Cap.* 12, *n.* 27), potest videri esse contrarium illi quod legitur in libro tertio de Libero Arbitrio, *Quasi vero natura humana præter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem* (*Cap.* 24, *n.* 71). Sed illud ibi dictum est, ubi de primo homine quærebatur utrum sapiens fuerit factus, an stultus, an neutrum : quoniam nullo modo stultum dicere poteramus qui sine vitio factus est, cum sit stultitia magnum vitium ; et sapientem quomodo diceremus qui potuit seduci, non satis apparebat. Ideoque ad compendium dicere volui, quasi vero natura humana præter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem. Intuebar quippe etiam parvulos [1], quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes nec stultos possumus proprie dicere, nondum utentes libero arbitrio, seu bene seu male. Nunc autem aut sapientes aut stultos esse omnes homines dixi, eos volens intelligi qui jam ratione utuntur, qua discernuntur à pecoribus, ut homines sint, sicut dicimus beatos esse omnes homines velle. Numquid enim in hac sententia tam vera atque manifesta metuimus ne intelligantur et parvuli, qui hoc adhuc velle non possunt ?

5. Alio loco cum commemorassem, quæ Dominus Jesus fecit cum hic esset in carne, adjunxi, dicens : *Cur, inquis, ista modo non fiunt ?* Atque respondi : *Quia non moverent nisi mira essent ; si autem solita essent, mira non essent* (*Cap.* 16, *n.* 34). Hoc autem dixi, quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo.

6. In fine autem libri : *Sed quoniam sermo iste noster, inquam, multo processit longius quam putabam, hic finem libro faciamus, in quo memineris volo, nondum Manichæos me cœpisse refellere, et illas nugas nondum invasisse, neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse : sed voluisse tantummodo eruere tibi, si possem, falsam opinionem de veris Christianis malitiose aut imperite nobis insinuatam* [2], *et erigere ad magna quædam et divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat : placatiore autem animo tuo facto, ero fortassis in cæteris promptior* (*Cap.* 18, *n.* 36). Hæc non ita dixi, quasi nihil adversus Manichæos adhuc scripsissem, vel nihil de doctrina catholica mandassem litteris, cum tot superius edita volumina de utraque re non me tacuisse testentur : sed in hoc libro ad illum scripto nondum Manichæos refellere cœperam, et illas nugas nondum invaseram, neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperueram ; quoniam sperabam, hoc initio facto, ad eum ipsum me scripturum fuisse quæ hic nondum scripseram. Hic liber sic incipit : *Si mihi, Honorate, unum atque idem videretur esse.*

## CAPUT XV.

*Contra Manichæos, de Duabus Animabus liber unus.*

1. Post hunc librum scripsi adhuc presbyter contra Manichæos de Duabus Animabus, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, et quæ sit Deo coæterna ; et has ambas animas, unam bonam, alteram malam, in uno homine esse delirant : istam scilicet malam, propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum ; illam vero bonam, ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque utramque miscuerit : et omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ ; omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt. In hoc libro illud quod dixi, *Nullam esse qualemcumque vitam, quæ non ex ipso quo vita est, et in quantum omnino vita est, ad summum vitæ fontem principiumque pertineat* (*Cap.* 1, *n.* 1), ita dixi, ut tanquam creatura ad Creatorem pertinere intelligatur, non autem de illo esse tanquam pars ejus existimetur.

2. Item quod dixi, *nusquam* scilicet, *nisi in voluntate esse peccatum*, possunt Pelagiani pro se dictum putare, propter parvulos, quos ideo negant habere peccatum quod eis in Baptismate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur. Quasi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est reatu ejus implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate [1], qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista sententia qua diximus, *Nusquam nisi in voluntate esse peccatum*, quia dixit Apostolus : *Si autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Hoc enim peccatum usque adeo non est in voluntate, ut dicat : *Quod nolo, hoc facio.* Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum ? Sed hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et pœna peccati est ; quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus dicens : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum : velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non* (*Rom.* VII, 16-18). Perfectio quippe boni

[1] Lovanienses conjunctionem *etiam*, quæ hic perinde sonat ac *præterea*, omitti passi sunt. Nos in omnibus repertam Edd. huc revocandam esse duximus.

[2] Lov. et Er., *vobis insinuatam*. Mss. et Am., *nobis*. Significat Augustinus se cum Honorato quem alloquitur, a Manichæis olim fuisse delusum.

[1] Am. Er. et Pratel. cod., *nusquam esse potuerit*. Sorbon. et Regio-motensis, *nusquam esse constet*. Moxque Corb. et alii e Mss. non deterioris notæ habent, *nisi ex voluntate*.

est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene vivitur, non consentit voluntas : verumtamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia cui repugnat voluntas ; cujus concupiscentiæ reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit, studiosissime reluctatur. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipue intelligendum est, quod justa damnatio consecuta est. Hoc enim per unum hominem introivit in mundum : quanquam et hoc peccatum quo consentitur peccati concupiscentiæ [1], non nisi voluntate committitur. Propter hoc et alio loco dixi : *Non igitur nisi voluntate peccatur* (*Cap.* 9, *n.* 12).

3. Itemque alio loco ipsam voluntatem definivi dicens : *Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum vel adipiscendum* (*Id.*, *n.* 14). Quod propterea dictum est, ut hac definitione volens a nolente discerneretur, et sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali [2], nullo cogente peccando, hoc est libera voluntate peccando, quia et scientes contra præceptum fecerunt, et ille tentator suasit ut hoc fieret, non coegit. Nam et qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit ; ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas utique sicut definita est, animi motus fuit, nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit : ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit ; hoc enim factum est quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, utique volens peccat ; quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Qui vero cogenti [3] cupiditati bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est.

4. Itemque definitio peccati qua diximus, *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere* (*Cap.* 11, *n.* 15), propterea vera est, quia id definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. Nam quando tale est ut idem sit et pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi forte, si pia est, ut oret auxilium ? In tantum enim libera est, in quantum liberata est [4], et in tantum appellatur voluntas. Alioquin tota cupiditas [5], quam voluntas proprie nuncupanda est : quæ non est, sicut Manichæi desipiunt, alienæ naturæ additamentum, sed nostræ vitium a quo non sanatur nisi gratia Salvatoris. Quod si quisquam dicit, etiam ipsam cupiditatem nihil aliud esse quam voluntatem, sed vitiosam peccatoque servientem ; non resistendum est, nec de verbis, cum res constet, controversia facienda. Etiam sic enim ostenditur sine voluntate nullum esse peccatum sive in opere, sive in origine.

5. Rursus in eo quod dixi, *Jam quærere cœperam, utrum illud malum genus animarum, antequam bono misceretur, habuisset aliquam voluntatem. Si enim non habebat, sine peccato atque innocens erat, et ideo nullo modo malum* (*Cap.* 16, *n.* 17). Cur igitur, inquiunt, peccatum dicitis parvulorum, quorum voluntatem non tenetis ream ? Respondetur, non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus quid est origine, nisi Adam ? Porro autem Adam habebat utique voluntatem, qua voluntate cum peccasset, peccatum per eum intravit in mundum.

6. Itemque in eo quod dixi, *Natura esse malæ animæ nullo modo queunt*, si quæritur quomodo accipiamus quod ait Apostolus : *Fuimus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3) ; respondemus, naturam in his verbis meis me intelligi voluisse illam, quæ proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus. Nam ista propter originem natura appellatur : quæ origo utique habet vitium, quod est contra naturam. Et iterum in eo quod dictum est, *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis et insaniæ est*, Cur ergo, inquiunt, parvuli tenentur rei ? Respondetur, quia ex ejus origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, divinum scilicet servare mandatum. Quod autem dixi, *Illæ animæ quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere* [1] *non possumus* (*Cap.* 12, *n.* 17) : propterea non perturbat de parvulis quæstio, quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abstinendi summa potestas erat. Quod Manichæi de tenebrarum gente non dicunt, quam fabulosissime inducunt, eamque naturam semper malam, nunquam bonam fuisse contendunt.

7. Illud autem quæri potest quomodo dixerim, *Etiam si sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed natura deditæ, nosque, quanquam sint inferiores, aliqua tamen interiore vicinitate contingunt ; non illas ideo malas haberi oportere, quia nos cum eas sequimur et corporea diligimus, mali sumus ;* quandoquidem de illis hoc dixi, de quibus su-

[1] Mss. quatuor, *consentitur peccato concupiscentiæ.*
[2] In scriptis sex, *fecerunt humano generi originem mali.*
[3] Am. et Er., *volenti.*
[4] Edd., *quia in tantum liberata est.* Sed elegantiores Mss., omisso *quia*, ferunt, *in quantum liberata est.*
[5] Lov., *alioquin tutius cupiditas.* Prætulimus Am. et Er. lectionem, quam tuentur Mss. excepto uno fere Germ. in quo perperam legitur, *tam cupiditas ;* et altero Pratel. in quo, cum tribus Angl., *tutius tota cupiditas.* Probe quidem ; sed melius ut in cæteris amoto comparativo, quod reticere amat S. Aug. Sic 2 Retract., cap. 6 : « Quæ mihi quasi declamatio levis, quam gravis confessio videtur. »

[1] Am., Er. et Beccensis codex, *peccato eorum teneri.* Sic etiam Lov. in libro de Duabus Animabus.

perius loqui cœperam dicens : *Quanquam etiamsi eisdem concedatur inferiore alio genere animarum nos illici ad turpia ; non inde conficiunt aut illas natura malas esse, aut istas summum bonum* (*Cap.* 13, *n.* 20). De his enim disputationem usque ad hunc locum perduxi, ubi dixi : *Etiamsi sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed natura deditæ*, etc. Quæri ergo potest, cur, dixerim *quod interim incertum est*, cum prorsus dubitare non debuerim, non esse tales animas. Sed hoc ideo dixi, quia expertus sum qui dicerent diabolum et angelos ejus bonos esse in genere suo, et in ea natura in qua eos creavit Deus ordine proprio tales quales sunt : sed nobis malum esse, si illiciamur et seducamur ab eis ; si autem caveamus eos atque vincamus, decorum atque gloriosum. Et hoc qui dicunt, videntur sibi ut id probent, de Scripturis adhibere idonea testimonia ; vel illud quod scriptum est in libro Job ( XL, 14 ), cum diabolus describeretur, *Hoc est initium figmenti Domini quod fecit ad illudendum ab Angelis suis* ; vel illud, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* ( *Psal.* CIII, 26 ). Quam quæstionem, quæ non adversus Manichæos qui hoc non sentiunt, sed adversus alios qui hoc sentiunt suscipienda esset atque solvenda, pertractare atque enodare tunc nolui, ne librum multo quam vellem facerem longiorem : cum viderem etiam si hoc concederetur, tamen debere Manichæos ac jam posse convinci, introducentes insanissimo errore, naturam mali æterno bono coæternam. Ideo ergo dixi, *quod interim incertum est*, non quod ego inde dubitarem, sed quod inter me et illos, quos ita sapere inveneram, nondum esset ista quæstio dissoluta ; quam tamen in aliis longe posterioribus libris meis de Genesi ad litteram, secundum Scripturas sanctas quanta potui manifestatione dissolvi.

8. Alio loco, *Propterea, inquam, corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere et justitia jubemur, et natura possumus, et tunc in nostro genere optimi et beatissimi sumus* (*Cap.* 13, *n.* 20). Ubi quæri potest cur, *natura*, et non, Gratia possumus [1], dixerim. Sed contra Manichæos de natura quæstio versabatur. Et utique id agit gratia, ut sanata natura quod vitiata non potest, possit per eum qui venit quærere et salvum facere quod perierat. Quam tamen gratiam etiam tunc recolens oravi pro familiarissimis meis qui mortifero illo adhuc tenebantur errore, et dixi : *Deus magne, Deus omnipotens, Deus summæ bonitatis, quem inviolabilem et incorruptibilem* [2] *credi atque intelligi fas est, Trina Unitas, quam catholica Ecclesia colit, supplex oro, expertus in me misericordiam tuam, ne homines cum quibus mihi a pueritia in omni convictu* [3] *fuit summa consensio, in tuo cultu a me dissentire permittas* (*Cap.* 15, *n.* 24). Sic utique orans, jam fide retinebam, non solum conversos ad Deum gratia ejus adjuvari, ut proficiant ac perficiantur, ubi adhuc dici potest, pro merito conversionis illorum istam dari gratiam ; verum etiam ut convertantur ad Deum, ad ipsam Dei gratiam pertinere : quandoquidem pro eis oravi qui erant ab illo nimis aversi, atque ut ad illam converterentur oravi. Hic liber sic incipit : *Opitulante Dei misericordia.*

[1] Apud Am. et aliquot e Mss., *gratia potius dixerim.*
[2] Mss. quatuor addunt, *atque incommutabilem.* Am. et Er., *atque immutabilem.*
[3] Editi, *in hominum victu fuit.* At Mss., *in omni convictu.*

## CAPUT XVI.

*Acta contra Fortunatum Manichæum, liber unus.*

1. Eodem tempore presbyterii mei, contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum disputavi, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxeratque tam multos, ut propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio nobis altercantibus excepta est a notariis, veluti Gesta conficerentur ; nam et diem habet, et consulem. Hanc in librum memoriæ mandandam conferre curavimus. Versatur ibi quæstio unde sit malum : me asserente exortum fuisse hominis malum ex libero voluntatis arbitrio ; illo autem naturam mali Deo coæternam persuadere moliente. Sed consequenti die tandem confessus est, nihil se adversus nos invenire quod diceret. Nec sane catholicus factus est, sed tamen ab Hippone discessit.

2. In hoc libro illud quod dixi, *Animam dico esse factam a Deo, ut cætera omnia quæ a Deo facta sunt ; et inter illa quæ Deus omnipotens fecit, principalem locum datum esse animæ* (*Disput.* 1, *n.* 13), ita dixi, ut hoc generaliter de universa creatura rationali accipi vellem, quamvis in Scripturis sanctis animas dictas esse Angelorum, aut non omnino, aut non possit facile reperiri, sicut supra jam diximus. Item alio loco : *Ego dico, inquam, peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur* (*Disput.* 2, *n.* 21). Ubi peccatum illud intelligi volui, quod non est etiam pœna peccati : nam de tali pœna dixi alibi in eadem disputatione, quod dicendum fuit (*Disput.* 1, *n.* 15). Itemque dixi : *Ut postea eadem ipsa caro, quæ nos pœnis torsit in peccatis manentes, subjiciatur nobis in resurrectione, et nulla adversitate nos quatiat, quominus legem et præcepta divina servemus* (*Disput.* 2, *n.* 22). Quod non ita est accipiendum, tanquam et in illo Dei regno, ubi incorruptibile atque immortale corpus habebimus, de Scripturis divinis lex et præcepta sumenda sint : sed quia perfectissime ibi lex æterna servabitur, et illa duo præcepta de diligendo Deo et proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta et sempiterna dilectione tenebimus. Hoc opus sic incipit : *Quinto calendas septembris, Arcadio Augusto bis et Rufino viris clarissimis consulibus.*

## CAPUT XVII.

*De Fide et Symbolo, libe unus.*

Per idem tempus coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africæ concilium Hipponeregio habebant de Fide et Symbolo presbyter disputavi. Quam disputationem, nonnullis eorum qui nos familiarius diligebant studiosissime instantibus, in librum contuli ; in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur. In hoc libro cum de resurrectione carnis ageretur : *Resurget,*

*inquam, corpus secundum christianam fidem, quæ fallere* [1] *non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro attendit, qualis autem futura sit non considerat : quia illo tempore immutationis angelicæ, non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus* (*Cap.* 10, *n.* 23); et cætera quæ ibi de corporum terrestrium in corpora cœlestia mutatione disserui, quoniam dixit Apostolus, cum inde loqueretur, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed quisquis ea sic accipit, ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cœleste resurrectione mutari, ut nec membra ista, nec carnis sit futura substantia; procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit, dicens : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Unde constat Apostolum non carnis substantiam negasse in regno Dei futuram; sed aut homines qui secundum carnem vivunt, carnis et sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc utique nulla erit. Nam cum dixisset, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt;* bene intelligitur, tanquam exponendo quid dixerit, continuo subdidisse : *Neque corruptio incorruptionem possidebit* (I *Cor.* XV, 50). De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet, quisquis de Civitate Dei librum legerit novissimum (*a*). Hic liber sic incipit : *Quoniam scriptum est.*

## CAPUT XVIII.

*De Genesi ad litteram imperfectus, liber unus.*

Cum de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem; quoniam secundum allegoricam significationem Scripturæ verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est quemadmodum possent secundum historicam proprietatem quæ ibi dicta sunt accipi : volui experiri in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem; sed in Scripturis exponendis tirocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit. Et nondum perfecto uno libro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquievi. Sed in hoc opere cum mea opuscula retractarem, iste ipse ut erat imperfectus venit in manus; quem neque edideram, et abolere decreveram, quoniam scripsi postea duodecim libros quorum titulus est, De Genesi ad litteram. In quibus quamvis multa quæsita potius quam inventa videantur, tamen eis iste nullo modo est comparandus. Verum et hunc posteaquam retractavi, manere volui ut esset index, quantum existimo, non inutilis rudimentorum meorum in enucleandis atque scrutandis divinis eloquiis, ejusque titulum esse volui, de Genesi ad litteram imperfectus. Inveni quippe cum usque ad hæc verba dictatum : *Pater tantum Pater est, nec Filius aliud est quam Filius; quia et cum dicitur similitudo Patris, quanquam ostendat nullam intervenire dissimilitudinem, non tamen solus est Pater, si habet* [1] *similitudinem* (*Cap.* 16, *n.* 60). Post hæc repetivi verba Scripturæ rursus consideranda atque tractanda, *Et dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Huc usque dictatum librum imperfectum reliqueram. Quod autem ibi sequitur, addendum putavi cum eum retractarem : nec sic tamen perfeci, sed hoc quoque addito imperfectum reliqui. Si enim perfecissem, saltem de omnibus operibus et verbis Dei, quæ ad sextum diem pertinent, disputassem. In hoc libro ea notare quæ mihi displicent, vel defendere quæ aliis non bene intellecta displicere possunt, superfluum mihi visum est. Breviter enim potius admoneo ut illi duodecim libri legantur, quos longe postea episcopus feci, et ex ipsis de isto judicetur. Hic ergo sic incipit : *De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotente Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est.*

## CAPUT XIX.

*De Sermone Domini in monte, libri duo.*

1. Per idem tempus de Sermone Domini in monte, secundum Matthæum, duo volumina scripsi. In quorum primo propter id quod scriptum est, « *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* » (*Matth.* V, 9); *Sapientia, inquam, congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo* (*Lib.* 1, *c.* 4, *n.* 11). Quod merito movet quomodo dixerim. Non enim cuiquam provenire in hac vita potest, ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Quando quidem etiam si ei sic resisteret spiritus hominis, ut in nullum ejus labcretur assensum; non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo quod dictum est, *Nullum esse motum adversus rationem rebellem*, recte accipi potest id nunc agentibus pacificis, domando concupiscentias carnis, ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur.

2. Proinde quod alio loco, cum eamdem sententiam evangelicam repetens dixissem, *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9); adjunxi dicens, *Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut completa esse in Apostolis credimus* (*Lib.* 1, *c.* 4, *n.* 12) : sic accipiendum est, non ut in Apostolis hic viventibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse; sed hactenus hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea mensura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, Ista in hac vita compleri possunt, nam completa esse in Apostolis credimus; sed dictum est, *sicut completa esse in Apostolis credimus*, ut ita compleantur sicut in illis completa sunt, id est quadam perfectione, cujus capax est ista vita, non sicut complenda sunt illa quam speramus pace plenissima, quando dicetur : *Ubi est, mors, contentio tua?* (I *Cor.* XV, 55.)

[1] Nonnulli Cdd. habent *falli.*

(*a*) Vid. lib. 22 de Civit. Dei, cc. 5, 21.

[1] In Edd. Am., Er. ac Benignian. Ms., *sed habet similitudinem.*

3. Alio loco (*Lib.* 1, *c.* 6, *n.* 17) quod interposui testimonium, *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III, 34), nondum intellexeram de Christo proprie verius accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensuram daretur spiritus, non duplum peteret Elisæus quam fuit in Elia. Item quod scriptum est, *Iota unum, aut unus apex non transiet a lege donec omnia fiant* (*Matth.* V, 18), cum exponerem, nihil dixi posse aliud intelligi, nisi vehementem perfectionis expressionem (*Lib.* 1, *c.* 8, *n.* 20). Ubi merito quæritur, utrum ista perfectio sic possit intelligi, ut tamen verum sit, neminem jam utentem voluntatis arbitrio hic vivere sine peccato. A quo enim usque ad unum apicem lex perfici potest, nisi a quo fiunt universa divina mandata? Sed in eisdem mandatis est etiam quod jubemur dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12): quam orationem usque in finem sæculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quando quidquid non fit ignoscitur.

4. Sane quod ait Dominus, *Quicumque solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic*, et cætera, usque ad eum locum ubi ait, *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Id.* V, 18-20); multo melius et convenientius exposui in aliis posterioribus sermonibus meis, quod etiam hic retexere longum est. Ad hoc autem iste ibi perducitur sensus (*Lib.* 1, *c.* 9, *n.* 21), ut eorum sit justitia major, quam Scribarum et Pharisæorum, qui dicunt et faciunt [1]. De Scribis quippe et Pharisæis alio loco ipse Dominus ait: *Dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Illud etiam melius intelleximus postea quod scriptum est: *Qui irascitur fratri suo* (*Id.* V, 22). Codices enim græci non habent, *sine causa* [2], sicut hic positum est; quamvis idem ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo; quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.

5. Item quod dixi, *Hoc et de patre et de matre et de cæteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo et moriendo sortitum est* (*Lib.* 1, *c.* 15, *n.* 41), ita sonat, quasi non essent futuræ istæ necessitudines, si nullo naturæ humanæ præcedente peccato nemo moreretur; quem sensum jam superius improbavi. Essent enim profecto cognationes et affinitates, etiamsi originali nullo existente peccato, sine morte cresceret et multiplicaretur genus humanum. Ac per hoc aliter solvenda est quæstio, cur Dominus præceperit diligendos inimicos (*Matth.* V, 44), cum alio loco præcipiat odio habendos et parentes et filios (*Luc.* XIV, 26), non sicut hic soluta est, sed sicut eam posterius sæpe solvimus: id est, ut diligamus inimicos lucrandos regno Dei, et oderimus in propinquis, si impediunt a regno Dei.

6. Item de præcepto quo prohibetur uxor dimitti, nisi propter fornicationem, hic quidem scrupulosissime disputavi (*Lib.* 1, *c.* 91). Sed quam velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem; utrum eam quæ damnatur in stupris, an illam de qua dicitur, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te* (*Psal.* LXXII, 27), in qua utique et ista est (neque enim non fornicatur a Domino, qui tollens membra Christi, facit ea membra meretricis); etiam atque etiam cogitandum est atque requirendum. Nec volo in re tanta tamque ad dignoscendum difficili putare lectorem, istam sibi nostram disputationem debere sufficere: sed legat et alia, sive nostra quæ postea scripta sunt, sive aliorum melius considerata atque tractata; vel ipse si potest, ea quæ hic merito movere possunt, vigilantiore atque intelligentiore mente discutiat. Non quia omne peccatum fornicatio est; neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit, dicentes, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12): cum perdat omnem qui fornicatur ab eo. Sed quatenus intelligenda atque limitanda sit hæc fornicatio, et utrum etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamen propter istam quæ in stupris committitur, nulla quæstio est. Et ubi dixi hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam Scripturam dicentem: *Qui tenet adulteram, stultus et impius est* (*Prov.* XVIII, 22). Nec sane adulteram dixerim fuisse deputandam illam mulierem, etiam posteaquam audivit a Domino, *Nec ego te damnabo; vade, deinceps jam noli peccare* (*Joan.* VIII, 11), si hoc obedienter audivit.

7. Loco alio peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Joannes apostolus, *Non pro illo dico ut roget quis* (I *Joan.* V, 16), ita definivi ut dicerem: *Peccatum fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur* (*Lib.* 1, *c.* 22, *n.* 73). Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

8. In secundo item libro: *Nulli, inquam, licebit ignorare Dei regnum, cum ejus Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit, judicaturus vivos et mortuos* (*Lib* 2, *c.* 6, *n.* 20). Sed non video utrum recte dicatur homo Dominicus qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus: dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum (*a*). Sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe

[1] In prius excusis legitur, *qui dicunt et non faciunt*. Expunximus negantem particulam, quæ a Mss. abest, ut pronomen, *qui*, relativum sit ad eos quorum justitia major.

[2] Nunc tamen vix ullum reperias græcum codicem, qui non habeat *eikê, sine causa*; quod in suo quoque Chrysostomus legerat. Id radendum esse ait Hieronymus, Augustinus vero hic ad legitimum sensum revocat.

(*a*) Fortasse apud Athanasium, in Expositione Fidei; et apud Epiphanium, in Ancorato.

vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi. Item quod dixi, *Nullius enim fere conscientia Deum potest odisse* (*Lib.* 2, *c.* 14, *n.* 48), non video fuisse dicendum. Multi enim sunt de quibus scriptum est : *Superbia eorum qui oderunt te* (*Psal.* LXXIII, 23).

9. Alio loco in eo quod dixi, *Ob hoc dixisse Dominum*, «*Sufficit diei malitia sua*» (*Matth.* VI, 34), *quia cibos sumere urgebit ipsa necessitas, quam propterea malitiam nominatam arbitror quia pœnalis nobis est; pertinet enim ad hanc fragilitatem quam peccando meruimus* (*Lib.* 2, *c.* 17, *n.* 56), non attendi etiam primis hominibus data fuisse in paradiso corporis alimenta, antequam istam mortis pœnam peccando meruissent. Sic enim erant immortales in corpore nondum spirituali, sed animali, ut tamen in ejusmodi immortalitate corporalibus alimentis uterentur. Item quod dixi (*Id.*, *c.* 19, *n.* 66), *Quam sibi Deus elegit « gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam »* (*Ephes.* V, 27), non ideo dixi, quia nunc ex omni parte jam talis est ; quamvis ad hoc electa non dubitaretur, ut talis sit quando Christus apparuerit vita ejus : tunc enim et ipsa cum illo apparebit in gloria ; propter quam gloriam dicta est Ecclesia gloriosa. Item quod Dominus ait, *Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis*, operose quidem tria ista quid inter se differant exponendum putavi (*Lib.* 2, *c.* 21) ; sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit, ubi eodem verbo cuncta conclusit, dicens : *Quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* (*Matth.* VII, 7, 11)? non enim dixit, petentibus, et quærentibus, et pulsantibus. Hoc opus sic incipit : *Sermonem quem locutus est Dominus.*

## CAPUT XX.

*Psalmus contra partem Donati.*

Volens etiam causam Donatistarum ad ipsius humillimi vulgi et omnino imperitorum atque idiotarum notitiam pervenire, et eorum quantum fieri posset per nos inhærere memoriæ, Psalmum qui eis cantaretur, per latinas litteras feci : sed usque ad V litteram. Tales autem abecedarios appellant. Tres vero ultimas omisi ; sed pro eis novissimum quasi epilogum adjunxi, tanquam eos mater alloqueretur Ecclesia. Hypopsalma etiam quod responderetur, et proœmium causæ, quod nihilominus cantaretur, non sunt in ordine litterarum : earum quippe ordo incipit post proœmium. Ideo autem non aliquo carminis genere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua verba quæ vulgo minus sunt usitata compelleret. Iste Psalmus sic incipit : *Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate ;* quod ejus hypopsalma est.

## CAPUT XXI.

*Contra Epistolam Donati hæretici, liber unus.* — [Non exstat.]

1. Librum etiam contra Epistolam Donati, qui partis Donati secundus post Majorinum episcopus apud Carthaginem fuit, eodem presbyterii mei tempore scripsi ; in qua epistola ille agit, ut non nisi in ejus communione baptisma Christi esse credatur : cui nos contradicimus in hoc libro [1]. Dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia ; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait : *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit.* Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod a Domino dictum est, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ;* ut super hunc intelligeretur quem confessus est Petrus dicens, *Tu es Christus filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 18, 16) : ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, et accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra ; sed, *Tu es Petrus.* Petra autem erat Christus ; quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.

2. Alio loco dixi, *Nullius mortem Deus quærit ;* quod sic accipiendum, quia homo sibi acquisivit mortem deserens Deum, et acquirit qui non recurrit ad Deum, secundum quod scriptum est : *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13). Sed etiam illud non minus verum est : *Vita et mors a Domino Deo est* (*Eccli.* XI, 14) : vita scilicet a donante, mors a vindicante.

3. Item quod dixi Donatum, cujus epistolam refellebam, rogasse ut Imperator inter ipsum et Cæcilianum transmarinos episcopos judices daret ; non ipsum, sed alium Donatum, ejusdem tamen schismatis, hoc fecisse probabilius invenitur. Ille autem non erat Carthaginensis Donatistarum episcopus, sed a Casis-nigris, qui tamen primus apud Carthaginem ipsum nefarium schisma commisit (*a*). Nec sane Donatus Carthaginensis ut Christiani rebaptizarentur instituit ; quod ego eum instituisse crediderat, quando ejus epistolæ respondebam. Nec de libro Ecclesiastici [2] ipse abstulit de media sententia verba ad rem necessaria, ubi cum scriptum sit, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus* (*Id.* XXXIV, 30) ? iste sic posuit tanquam scriptum esset, *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Nos autem et antequam esset pars Donati, sic habuisse codices plurimos, verumtamen afros, ut non esset in medio, *et iterum tangit illum*, postea didicimus. Quod si tunc scissem, non in istum tanquam in furem divini eloquii, vel violatorem tanta dixissem. Hic liber sic incipit : *Abs te ipso præsente audieram.*

## CAPUT XXII.

*Contra Adimantum Manichæi discipulum, liber unus.*

1. Eodem tempore venerunt in manus meas quædam disputationes Adimanti, qui fuerat Manichæi discipu-

[1] *Cui nos contradicimus in hoc libro :* in quo *dixi.* Sic legendum cum Mss. Anglic. et aliquot e nostris.

[2] Mss. cum Am. et Er., *de libro Sapientiæ.*

(*a*) « Hic scilicet de Numidia veniens, » inquit Augustinus, « et contra Cæcilianum christianam dividens plebem, « adjunctis sibi ejusdem factionis episcopis, Majorinum apud « Carthaginem ordinavit episcopum. Cui Majorino Donatus « alius successit, qui eloquentia sua confirmavit hanc hære- « sim. » Ex lib. de Hæres. ad Quodvultdeum, cap. 69.

lus, quas conscripsit adversus Legem et Prophetas, velut contraria eis evangelica et apostolica Scripta demonstrare conatus. Huic ergo respondi, verba ejus ponens, eisque reddens responsionem meam. Quod opus uno volumine conclusi, et in eo quibusdam quæstionibus non semel, sed iterum respondi, quoniam quod primum responderam perierat, et tunc inventum est, cum jam iterum respondissem. Aliquas sane earumdem quæstionum popularibus ecclesiasticis sermonibus solvi : adhuc etiam quibusdam non respondi; aliquæ remanserunt, quæ rebus aliis magis urgentibus prætermissæ sunt, cumulo quoque oblivionis adjuncto.

2. In hoc ergo dixi : *Certis enim quibusdam umbris et figuris rerum ante Domini adventum, secundum mirabilem atque ordinatissimam distributionem temporum, populus ille tenebatur qui Testamentum Vetus accepit; tamen in eo tanta prædicatio et prænuntiatio Novi Testamenti est, ut nulla in evangelica atque apostolica doctrina reperiantur, quamvis ardua et divina præcepta et promissa, quæ illis etiam Libris veteribus desint* (*Cap.* 3, *n.* 4). Sed addendum erat, Pene, atque dicendum, Ut pene nulla in evangelica atque apostolica doctrina reperiantur, quamvis ardua et divina præcepta et promissa, quæ illis etiam Libris veteribus desint. Quid est enim quod in sermone evangelico in monte Dominus dicit, *Audistis quia dictum est antiquis hoc; ego autem dico vobis* (*Matth.* v, 21); si nihil ipse amplius præcepit quam præceptum est in illis veteribus Libris? Deinde regnum cœlorum illi populo fuisse promissum non legimus in iis quæ promissa sunt Lege data per Moysen in monte Sina (*Exod.* xix, 3-6), quod proprie Vetus dicitur Testamentum; quod præfiguratum dicit Apostolus per ancillam Saræ et filium ejus : sed et ibi figuratum est et Novum per ipsam Saram et filium ejus (*Galat.* iv, 22-31). Proinde si figuræ discutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ sunt præsentata, vel exspectantur præsentanda per Christum. Verumtamen propter quædam præcepta non figurata, sed propria, quæ non in Vetere Testamento, sed in Novo inveniuntur, cautius et moderatius diceretur, Pene nulla, quam nulla hic esse quæ non sint et illic; quamvis illic sint illa duo præcepta de dilectione Dei et proximi, quo rectissime omnia et legitima et prophetica et evangelica et apostolica referuntur.

3. Item quod dixi, *Tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur* (*Cap.* 5, *n.* 1), minus considerate dictum est. Et alios enim quosdam modos sine dubio prætermisimus; sicut dicitur filius gehennæ (*Matth.* xxiii, 15), vel filius adoptivus (*Rom.* viii, 14, 15) : quæ utique nec secundum naturam, nec secundum doctrinam, nec secundum imitationem dicuntur. Quorum trium modorum tanquam sola sint exempla reddidimus; secundum naturam, sicut Judæi filii Abrahæ (*Joan.* viii, 37) : secundum doctrinam, sicut filios suos, quos Evangelium docuit, Apostolus vocat (1 *Cor.* iv, 14) : secundum imitationem, sicut filii Abrahæ nos sumus, cujus imitamur fidem (*Galat.* iv, 28). Quod autem dixi (*Cap.* 12, *n.* 5), *Cum induerit incorruptionem et immortalitatem, jam non caro et sanguis erit* (1 *Cor.* xv, 54); secundum corruptionem carnalem dictum est carnem non futuram, non secundum substantiam, secundum quam Domini corpus etiam post resurrectionem caro appellata est (*Luc.* xxiv, 39).

4. Alio loco (*Cap.* 26), *Nisi quisque, inquam, voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco docet, ubi ait : « Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum »* (*Matth.* xii, 33). Quod non est contra gratiam Dei quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* i, 12). Cum enim hoc sit in potestate quod, cum volumus, facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est; sed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat potestatem. Sic intelligendum est et quod dixi postea, *In nostra potestate esse, ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur;* quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem : quæ cum fortis et potens præparatur a Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit. Hic liber sic incipit : *De eo quod scriptum est, « In principio fecit Deus cœlum et terram. »*

## CAPUT XXIII.

*Expositio quarumdam propositionum ex Epistola Apostoli ad Romanos.*

1. Cum presbyter adhuc essem, contigit ut apud Carthaginem inter nos qui simul eramus, ad Romanos Apostoli Epistola legeretur, et quædam interrogabar a fratribus : quibus cum, sicut poteram, responderem, voluerunt scribi potius quæ dicebam, quam sine litteris fundi. Ubi cum eis obtemperarem, liber unus accessit superioribus opusculis meis. In quo libro : *Quod autem ait, inquam, « Scimus quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum; » satis ostendit non posse impleri Legem, nisi a spiritualibus, quales facit gratia Dei.* Quod utique non ex persona Apostoli accipi volui, qui jam spiritualis erat; sed hominis sub Lege positi, nondum sub gratia. Sic enim prius hæc verba sapiebam; quæ postea lectis quibusdam divinorum tractatoribus eloquiorum, quorum me moveret auctoritas, consideravi diligentius et vidi etiam de ipso Apostolo posse intelligi quod ait, *Scimus quoniam Lex spiritualis est; ego autem carnalis sum :* quod in eis libris quos contra Pelagianos nuper scripsi, quantum potui diligenter ostendi. In isto ergo libro et hoc quod dictum est, *Ego autem carnalis sum;* et deinde cætera usque ad eum locum, ubi dicit, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vii, 14-25) : dixi hominem describi adhuc sub Lege, nondum sub gratia constitutum, bene facere volentem, sed victum concupiscentia carnis male facientem (*Prop.* 41-46). A cujus concupiscentiæ *do-*

minatu non liberat, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, dono Spiritus sancti, per quem diffusa charitas in cordibus nostris vincit carnis concupiscentias, ne consentiamus eis ad male faciendum; sed potius bona faciamus. Unde quidem jam evertitur hæresis Pelagiana, quæ vult, non ex Deo nobis, sed ex nobis esse charitatem qua bene ac pie vivimus. Sed in illis libris quos adversus eos edidimus, etiam spiritualis hominis jamque sub gratia constituti melius intelligi verba ista monstravimus, propter carnis corpus, quod spirituale nondum est, erit autem in resurrectione mortuorum; et propter ipsam carnis concupiscentiam, cum qua ita confligunt sancti, non ei consentientes ad malum, ut tamen ejus motibus, quibus repugnantibus resistunt, non careant in hac vita : non eos autem habebunt in illa, ubi absorbebitur mors in victoriam. Propter hanc itaque concupiscentiam motusque ipsos, quibus ita resistitur, ut tamen sint in nobis, potest quisque sanctus jam sub gratia positus dicere ista omnia, quæ hic esse dixi verba hominis nondum sub gratia positi, sed sub Lege. Quod hic ostendere longum est, et hoc ubi ostenderim dictum est (*Cap.* 6).

2. Item disputans quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum esse majorem; et quid in eodem majore similiter nondum nato reprobaverit, de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longe postea prolatum propheticum testimonium, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX, 13) : ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem : *Non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi creditурum esse præscivit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur* (*Prop.* 60). Nondum diligentius quæsiveram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ; de qua idem dicit Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5) : quæ utique non est gratia si eam merita ulla præcedant, ne jam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis quam donetur. Proinde quod continuo dixi, *Dicit enim idem apostolus, « idem Deus qui operatur omnia in omnibus »* (I *Cor.* XII, 6); *nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus* : ac deinde subjunxi, *Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum* (*Prop.* 61); profecto non dicerem, si jam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri; quæ dantur in eodem Spiritu. Utrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, et utrumque tamen datum est per Spiritum fidei et charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est, *Charitas cum fide a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo* (*Ephes.* VI, 23).

3. Et quod paulo post dixi, *Nostrum est enim credere et velle, illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris* (*Prop.* 61), verum est quidem, sed eadem regula, et utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi, *Quia neque velle possumus nisi vocemur; et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra et cursus noster, nisi Deus et vires currentibus præbeat, et perducat quo vocat;* ac deinde subjunxi, *Manifestum est ergo, non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse* (*Rom.* IX, 16), *quod bene operamur* : omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei : non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantum electorum. Itaque quod paulo post dixi, *Sicut enim in iis quos eligit Deus, non opera sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur; sic in iis quos damnat, infidelitas et impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsum pœnam etiam male operentur;* verissime dixi : sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putavi quærendum esse, nec dixi.

4. Et alio loco : *Cujus enim miseretur*, inquam, *facit eum bene operari; et quem obdurat* (*Ibid.*, 18), *relinquit eum ut male operetur. Sed et illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur; et ista obduratio præcedenti impietati* (*Prop.* 62). Quod quidem verum est; sed adhuc quærendum erat utrum et meritum fidei de misericordia Dei veniat [1], id est, utrum ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit ut fidelis esset. Legimus enim, dicente Apostolo, *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem* (I *Cor.* VII, 25) : non ait, Quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam ut esset fidelis. Rectissime itaque alio loco in eodem libro dixi, *Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei et vocamur ut credamus, et credentibus præstatur ut bene operemur, non est gentibus ista invidenda misericordia* (*Prop.* 64) : quamvis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractaverim. Hic liber sic incipit : *Sensus hi sunt in Epistola Pauli ad Romanos.*

## CAPUT XXIV.

*Expositio Epistolæ ad Galatas, liber unus.*

1. Post hunc librum exposui ejusdem apostoli Epistolam ad Galatas, non carptim, id est aliqua præter mittens, sed continuanter et totam. Hanc autem expositionem uno volumine comprehendi. In quo illud quod dictum est, *Priores ergo apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed a Deo per hominem missi sunt, per Jesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus apostolus, qui per Jesum Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est*, propter immortalitatem dictum est, *totum jam Deum*, quam post resurrectionem habere cœpit; non propter divinitatem semper immortalem, a qua nunquam recessit, in qua totus Deus erat, et cum moriturus adhuc erat. Hunc autem sensum sequentia manifestant; adjunxi enim dicens : *Priores sunt cæteri Apostoli per Jesum Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem :*

[1] Apud Am. legitur : *Meritum fidei misericordiam Dei præveniat.* Apud Er. et Mss. aliquot : *Meritum fidei misericordia Dei præveniat.*

*novissimus est apostolus Paulus per Jesum Christum jam totum Deum, id est ex omni parte immortalem* (*Num.* 2). Hoc enim dixi, exponens quod ait Apostolus, *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem:* quasi jam Jesus Christus non sit homo. Sequitur enim, *Qui suscitavit illum a mortuis* (*Galat.* I, 1) : ut hinc appareret cur dixerit, *Neque per hominem.* Proinde, propter immortalitatem jam nunc non homo Christus Deus : propter substantiam vero naturæ humanæ, in qua ascendit in cœlum, etiam nunc mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5),quoniam sic veniet quomodo eum viderunt qui viderunt euntem in cœlum (*Act.* I, 11).

2. Item quod dixi, *Gratia Dei est qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo: pax autem qua reconciliamur Deo* (*Num.* 3), sic accipiendum est, ut tamen sciamus etiam utrumque ad generalem Dei gratiam pertinere : quomodo in populo Dei aliud specialiter Israel, aliud Judas ; et tamen utrumque generaliter Israel. Item cum exponerem, *Quid ergo? Lex transgressionis gratia proposita est* [1] (*Galat.* III, 19), ita distinguendum putavi, ut interrogatio esset, *Quid ergo?* ac deinde responsio, *Lex transgressionis gratia proposita est* [1](*Num.* 24). Quod quidem non abhorret a vero ; sed melior mihi videtur ista distinctio, ut interrogatio sit, *Quid ergo lex?* et inferatur responsio, *Transgressionis gratia proposita est.* Quod autem dixi : *Ordinatissime itaque subjunxit,* « *Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege* » *: ut intelligamus eos esse sub Lege, quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant; id est, non se teneant invictos in charitate justitiæ, sed a concupiscente adversum se carne vincantur* (*Num.* 47); hoc ex illo sensu est, quo sentiebam id quod dictum est, *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur ; ut non ea quæ vultis faciatis* (*Galat.* V, 17, 18), ad eos pertinere qui sub Lege sunt, nondum sub gratia. Adhuc enim non intellexeram hæc verba et illis qui sub gratia sunt, non sub Lege, propterea convenire, quia et ipsi concupiscentias carnis, contra quas spiritu concupiscunt, quamvis eis non consentiant, nollent tamen ullas habere si possent. Et ideo non quæcumque volunt faciunt, quia volunt eis carere, nec possunt. Tunc enim eas non habebunt, quando nec corruptibilem carnem. Hic liber sic incipit : *Causa propter quam scribit Apostolus.*

## CAPUT XXV.

*Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio, liber unus.*

Epistolæ quoque ad Romanos, sicut ad Galatas, expositionem susceperam. Sed hujus operis, si perficeretur, plures libri erant futuri ; quorum unum in sola disputatione ipsius salutationis absolvi, ab initio scilicet usque ad illud, ubi ait : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Factum est quippe ut immoraremur cum vellemus solvere incidentem sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittatur neque in hoc sæculo neque in futuro. Sed deinde alia volumina cessavi adjungere exponendo Epistolam totam, ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, et in alia faciliora deflexus sum. Ita factum est ut librum quem feceram primum, relinquerem solum, cujus esse titulum volui : Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio. Ubi quod dixi, *gratiam esse in dimissione peccatorum, pacem vero in reconciliatione Dei*, ubicumque hoc dixi, non sic accipiendum est ac si pax ipsa et reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quod specialiter nomine gratiæ remissionem significaverit peccatorum. Sicut Legem et specialiter dicimus, secundum quod dictum est, *Lex et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40) ; et generaliter, ut in ea sint et Prophetæ. Hic liber sic incipit : *In Epistola quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos.*

## CAPUT XXVI.

*De Diversis Quæstionibus octoginta tribus, liber unus.*

Est etiam inter illa quæ scripsimus quoddam prolixum opus, qui tamen unus deputatur liber cujus est titulus : de Diversis Quæstionibus octoginta tribus. Cum autem dispersæ fuissent per chartulas multas, quoniam ab ipso primo tempore conversionis meæ, posteaquam in Africam venimus, sicut interrogabar a fratribus, quando me vacantem videbant, nulla a me servata ordinatione dictatæ sunt ; jussi eas jam episcopus colligi, et unum ex eis librum fieri, adhibitis numeris, ut quod quisque legere voluerit, facile inveniat. Harum quæstionum est prima, utrum anima a seipsa sit. Secunda, de libero arbitrio. Tertia, utrum Deo auctore sit homo deterior. Quarta, quæ sit causa ut sit homo deterior. Quinta, utrum animal irrationale beatum esse possit. Sexta, de malo. Septima, quæ proprie in animante anima dicatur. Octava, utrum per se anima moveatur. Nona, utrum corporeis sensibus percipi veritas possit. In qua illud quod dixi, *Omne quod corporeus sensus attingit, quod et sensibile dicitur, sine ulla intermissione temporis commutatur*, sine dubio verum quidem non est in corporibus resurrectionis incorruptibilibus; sed nunc ea nullus nostri corporis sensus attingit, nisi forte divinitus tale aliquid reveletur. Decima, utrum corpus a Deo sit. Undecima, quare Christus de femina natus sit. Duodecima, loco ubi titulus est, Sententia cujusdam sapientis ; non est mea : sed quia per me innotuit quibusdam fratribus, qui tunc a me ista diligentissime colligebant, et placuit eis, inter nostra eam scribere voluerunt. Est autem cujusdam Fontei Carthaginensis [1], de mente mundanda ad videndum Deum, quod paganus quidem scripsit, sed christianus baptizatus est mortuus. Decima tertia est, quo documento constet homines bestiis excellere. Decima quarta, non fuisse corpus Domini nostri Jesu Christi phantasma,

[1] Ita Mss. plerique juxta græc. *prosetéthê*, nec non Lovanienses in eo loco, qui retractatur, quamvis hic sequantur Vulgat. *posita est.*

[1] Additur apud Lov.: *Qui de vita Brachmanarum aliquanta conscripsit ;* quod prorsus abest ab Am., Er. et Mss.

Decima quinta, de intellectu. Decima sexta, de Filio Dei. Decima septima, de scientia Dei. Decima octava, de Trinitate [1]. Decima nona, de Deo et creatura. Vigesima, de loco Dei. Vigesima prima, utrum Deus auctor mali non sit. Ubi videndum est, ne male intelligatur quod dixi, *Mali auctor non est, quia omnium quæ sunt auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt*: et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ utique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi quemadmodum dictum est, *Deus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13); cum alibi scriptum sit: *Mors et vita a Domino Deo est* (*Eccli.* XI, 14). Malorum ergo pœna, quæ a Deo est, malum est quidem malis; sed in bonis Dei operibus est, quoniam justum est ut mali puniantur, et utique bonum est omne quod justum est. Vigesima secunda, Deum non pati necessitatem. Vigesima tertia, de Patre et Filio. Ubi dixi quod eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur, sapientiam: sed melius istam quæstionem in libro postea de Trinitate tractavimus. Vigesima quarta, utrum et peccatum et recte factum in libero sit voluntatis arbitrio. Quod ita esse omnino verissimum est: sed ut ad recte faciendum liberum sit, Dei gratia liberatur. Vigesima quinta, de cruce Christi. Vigesima sexta, de differentia peccatorum. Vigesima septima, de providentia. Vigesima octava, quare Deus mundum facere voluerit. Vigesima nona, utrum aliquid sit sursum aut deorsum in universo. Trigesima, utrum omnia in utilitatem hominis creata sint. Trigesima prima [2], nec ipsa mea est, sed Ciceronis (*Tullius, De Offic., lib.* 1): verum quia et hæc per me innotuit fratribus, inter ista quæ colligebant scripserunt eam, volentes nosse quemadmodum virtutes animi ab illo divisæ ac definitæ sint. Trigesima secunda, utrum rem illam alius alio magis intelligat, atque ita ejusdem rei per infinitum eat intelligentia. Trigesima tertia, de metu. Trigesima quarta, utrum non aliud amandum sit quam metu carere. Trigesima quinta, quid amandum sit. In qua illud quod dixi, *id esse amandum, quod nihil est aliud habere, quam nosse*, non satis approbo. Neque enim Deum non habebant, quibus dictum est, *Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16) nec tamen eum noverant, vel non sicut noscendus est noverant. Item quod dixi, *Nemo igitur beatam vitam novit, et miser est*, Novit, dixi, quomodo noscenda est. Nam quis eam penitus nescit, eorum duntaxat qui jam ratione utuntur; quandoquidem beatos se esse velle noverunt? Trigesima sexta, de nutrienda charitate. Ubi dixi: *Deus igitur et animus quo amatur, charitas proprie dicitur purgatissima et consummata, si nihil aliud amatur.* Quod si verum est, quomodo ergo Apostolus ait: *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29). Et ex hoc admonet ut diligantur uxores. Sed ideo dictum est, *proprie dilectio dicitur*, quoniam caro diligitur quidem, nec tamen proprie, sed propter animam cui subjacet ad usum. Nam etsi propter seipsam videtur diligi, cum eam nolumus esse deformem, ad aliud referendum est decus ejus, ad illud scilicet a quo decora sunt omnia. Trigesima septima, de semper nato. Trigesima octava, de conformatione animæ. Trigesima nona, de alimentis. Quadragesima, cum animarum natura una sit, unde hominum diversæ voluntates. Quadragesima prima, cum omnia Deus fecerit, quare non æqualiter fecerit. Quadragesima secunda, quemadmodum Dei Sapientia Dominus Jesus Christus et in utero matris fuerit et in cœlis. Quadragesima tertia, quare Filius Dei in homine apparuit, et Spiritus sanctus in columba (*Matth.* III, 16). Quadragesima quarta, quare tanto post venit Dominus Jesus Christus. Ubi cum generis humani tanquam unius hominis ætates commemorarem, dixi: *Nec oportuit venire divinitus magistrum, cujus imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore juventutis.* Et adjunxi ad hoc valere quod Apostolus dicit, sub Lege tanquam sub pædagogo parvulos custoditos (*Galat.* III, 23). Sed potest movere cur alibi dixerimus, Christum in generis humani sexta ætate tanquam in senectute venisse (*Lib.* 1 *de Gen. contra Manich., c.* 23, *n.* 40). Hoc ergo quod de juventute dictum est, ad vigorem fervoremque fidei refertur, quæ per dilectionem operatur; illud autem de senectute, ad temporum numerum. Potest enim intelligi utrumque in universitate hominum, quod non potest in ætatibus singulorum: sicut in corpore non potest esse simul et juventus et senectus, in animo autem potest; illa propter alacritatem, ista propter gravitatem. Quadragesima quinta, adversus mathematicos. Quadragesima sexta, de ideis. Quadragesima septima, utrum aliquando cogitationes nostras videre possimus. Ubi quod dixi, *angelica corpora, qualia nos speramus habituros, lucidissima atque ætherea esse credendum est;* si hoc sine membris quæ nunc habemus, et sine substantia, quamvis incorruptibilis, tamen carnis accipiatur, erratur. Multo autem melius in opere de Civitate Dei, quæstio ista tractata est, de videndis cogitationibus nostris (*Lib.* 22, *c.* 29). Quadragesima octava, de credibilibus. Quadragesima nona, quare filii Israel sacrificabant visibiliter pecorum victimas. Quinquagesima, de æqualitate Filii. Quinquagesima prima, de homine facto ad imaginem et similitudinem Dei. Ubi quid est, quod dixi, *Homo sine vita non recte appellatur;* cum dicatur homo etiam cadaver hominis? Ergo saltem dicere debui, Non proprie dicitur; ubi dixi, *non recte dicitur.* Item dixi: *Neque inscite distinguitur, quod aliud sit imago et similitudo Dei, aliud ad imaginem et similitudinem Dei, sicut hominem factum accipimus.* Quod non ita intelligendum est, quasi homo non dicatur imago Dei, cum dicat Apostolus, *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei* (I *Cor.* XI, 7): sed dicitur etiam ad imaginem Dei, quod Unigenitus non dicitur, qui tantummodo imago est, non ad imaginem. Quinquagesima secunda, de eo quod dictum est, *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI, 6, 7). Quinquagesima tertia, de auro et ar-

[1] Am., Er. et Mss. non deteriores habent, *de Trina unitate.*
[2] Hic Lovanienses titulum sententiæ primæ e lib. 21 Sentent. sic interponunt: XXXI, *Eum qui ut vult vivit, beatum esse. Nec ipsa mea est.* Interpolationem deteximus subsidio Am., Er. et veriorum Mss.

gento quod Israelitæ ab Ægyptiis acceperunt (*Exod.* III, 22; *et* XII, 35). Quinquagesima quarta, de eo quod scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo, bonum est* (*Psal.* LXXII, 28): Ubi quod dixi, *Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus*, magis dici debuit, Omni creato spiritu melius. Quinquagesima quinta, de eo quod scriptum est, *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, et adolescentulæ quarum non est numerus* (*Cant.* VI, 7). Quinquagesima sexta, de annis quadraginta sex ædificati templi. Quinquagesima septima, de centum quinquaginta tribus piscibus. Quinquagesima octava, de Joanne Baptista. Quinquagesima nona, de decem virginibus. Sexagesima, *de die autem et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV, 36). Sexagesima prima, de eo quod scriptum est in Evangelio, turbas Dominum in monte pavisse de quinque panibus (*Id.* XIV, 15-21). Ubi quod dixi, *duos pisces duas illas significare personas, regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrosancta illa unctio pertinebat;* dicendum potius fuit, Maxime pertinebat, quoniam unctos aliquando legimus et Prophetas. Item quod dixi, *Lucas qui tanquam ascendentem post abolitionem peccatorum sacerdotem Christum insinuavit, per Nathan ascendit ad David* (*Luc.* III, 31) : *quia Nathan propheta missus erat, cujus correptione David ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetravit*, non sic accipiendum est tanquam ipse fuerit Nathan propheta, qui filius David : quia nec hic dictum est, quia ipse propheta missus erat; sed dictum est, *quia Nathan propheta missus erat*, ut mysterium non in eodem homine, sed in eodem nomine intelligatur. Sexagesima secunda, de eo quod scriptum est in Evangelio, quod *baptizabat Jesus plures quam Joannes; quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus* (*Joan.* IV, 1, 2). Ubi quod dixi, *Latro ille cui dictum est : « Amen dico tibi; « hodie mecum eris in paradiso »* (*Luc.* XXIII, 43); *qui nec ipsum baptismum acceperat :* hoc quidem et alios ante nos rectores sanctæ Ecclesiæ posuisse in suis litteris invenimus (*a*) ; sed quibus documentis satis possit ostendi quod non fuerit baptizatus ille latro, ignoro. De qua re in posterioribus quibusdam opusculis nostris diligentius disputatum est, maxime in eo quod ad Vincentium Victorem de Animæ Origine scripsimus (*Lib.* 3 *de Animæ Orig.*, *c.* 9, *n.* 43). Sexagesima tertia, de Verbo. Sexagesima quarta, de muliere Samaritana. Sexagesima quinta, de resurrectione Lazari. Sexagesima sexta, de eo quod scriptum est, *An ignoratis, fratres* (*scientibus enim Legem loquor*), *quia Lex dominatur homini, in quantum tempus vivit?* usque ad eum locum in quo scriptum est : *Vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VII-VIII, 11). Ubi illud quod ait Apostolus, *Scimus autem quia Lex spiritualis est; ego autem carnalis sum*, exponere volens, dixi, *Id est carni consentio, nondum spirituali gratia liberatus :* quod non sic accipiendum est, quasi spiritualis homo jam sub gratia constitutus, etiam de seipso non possit hoc dicere, et cætera [1] usque ad eum locum ubi dictum est, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Id.* VII, 14-24) ? quod postea didici, sicut jam sum ante confessus. Rursus exponens quod ait Apostolus, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum* (*Id.* VIII, 10) : *Mortuum, inquam, corpus dicit, quamdiu tale est ut indigentia rerum temporalium molestet animam.* Sed multo melius mihi postea visum est, ideo mortuum corpus dictum, quod habeat jam moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. Sexagesima septima, de eo quod scriptum est, *Existimo enim quod indignæ sint passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis;* usque ad id quod dictum est, *Spe enim salvi facti sumus* (*Ibid.*, 18-24). Ubi cum exponerem quod scriptum est, *Et ipsa creatura liberabitur a servitute interitus;* dixi : *Et ipsa creatura, id est ipse homo, cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura.* Quod non ita accipiendum est quasi totum amiserit homo quod habebat imaginis Dei. Nam si omnino non amisisset, non esset propter quod diceretur, *Reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* XII, 2) ; et, *in eamdem imaginem transformamur* (II *Cor.* III, 18) : sed rursum, si totum amisisset, nihil maneret unde diceretur, *Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane conturbatur* (*Psal.* XXXVIII, 7). Item quod dixi, *spiritualiter summos Angelos vivere, infimos vero animaliter;* audacius dictum est de infimis quam ut possit vel Scripturis sanctis, vel ipsis rebus ostendi : quia etsi forsitan potest, difficillime potest. Sexagesima octava, de eo quod scriptum est : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20) ? Ubi dixi : *Quia etiamsi levioribus quisque peccatis, aut certe quamvis gravioribus et multis, tamen magno gemitu et dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit; non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui ejus precibus doloribusque subvenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur; sed Deus non miseretur qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem.* Hoc dictum est post pœnitentiam. Nam est misericordia Dei etiam ipsam præveniens voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas a Domino. Ad eam misericordiam pertinet et ipsa vocatio quæ etiam fidem prævenit. De qua paulo post cum agerem dixi : *Hæc autem vocatio quæ sive in singulis hominibus, sive in populis atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ et profundæ ordinationis est. Quo pertinet etiam illud, « In utero sanc-« tificavi te »* (*Jerem.* I, 5) ; *Et, « Cum esses in renibus « patris tui, vidi te; » Et, « Jacob dilexi, Esau autem odio habui »* (*Rom.* IX, 13; *Malach.* I, 2, 3), *et cætera.* Quamvis testimonium illud, *Cum esses in renibus patris tui, vidi te;* unde mihi tanquam scriptum sit, occurrerit, nescio. Sexagesima nona, de eo quod scriptum

(*a*) Inter eos Cyprianus, Epist. 73, ad Jubaianum.

[1] Editi : *Possit hæc dicere, Venumdatus sum sub peccato; quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago; sed quod odi malum illud facio, et cætera quæ sequuntur usque ad eum locum.* Nos autem hic meliorum manuscriptorum verbis servatis omnibus, reliqua postulante sensu loco movimus.

est : *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui illi subjecit omnia* (I *Cor.* XV, 28). Septuagesima, de eo quod Apostolus dicit : *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, contentio tua? ubi est mors, aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex* (*Ibid.*, 54, 55): Septuagesima prima, de eo quod scriptum est : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Septuagesima secunda, de temporibus æternis. Septuagesima tertia, de eo quod scriptum est : *Et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 7). Septuagesima quarta, de eo quod scriptum est in Epistola Pauli ad Colossenses : *In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 14, 15). Septuagesima quinta, de hæreditate Dei. Septuagesima sexta, de eo quod apostolus Jacobus dicit : *Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est* (*Jacobi* II, 20)? Septuagesima septima, de timore; utrum peccatum sit. Septuagesima octava, de pulchritudine simulacrorum. Septuagesima nona, quare magi Pharaonis fecerunt miracula quædam sicut Moyses famulus Dei (*Exod.* VII, 22). Octogesima, adversus Apollinaristas. Octogesima prima, de Quadragesima et Quinquagesima. Octogesima secunda, de eo quod scriptum est : *Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Octogesima tertia, de conjugio, in eo quod Dominus ait : *Si quis dimiserit uxorem suam excepta causa fornicationis* (*Matth.* XIX, 9). Hoc opus sic incipit : *Utrum anima a* seipsa sit.

### CAPUT XXVII.

*De Mendacio, liber unus.*

Item de Mendacio scripsi librum, qui etsi cum aliquo labore intelligitur, habet tamen non inutilem ingenii et mentis exercitationem, magisque moribus ad veriloquium diligendum proficit. Hunc quoque auferre statueram de opusculis meis, quia et obscurus et anfractuosus, et omnino molestus mihi videbatur, propter quod eum nec ediderам. Deinde cum postea scripsissem alterum, cujus titulus est, Contra Mendacium, multo magis istum non esse decreveram et jusseram, sed non est factum. Itaque in ista retractatione opusculorum meorum cum eum incolumen reperissem, etiam ipsum retractatum manere præcepi : maxime quia in eo nonnulla sunt necessaria, quæ in illo altero non sunt. Propterea vero illius inscriptio est, Contra Mendacium; istius autem, De Mendacio : quoniam per illum totum oppugnatio est aperta mendacii; istius autem magna pars in inquisitionis disputatione versatur. Ad eumdem tamen finem uterque dirigitur. Hic liber sic incipit : *Magna quæstio est de Mendacio.*

# *LIBER SECUNDUS.*

## IN QUO RETRACTANTUR LIBRI QUOS SCRIPSIT EPISCOPUS.

### CAPUT PRIMUM.

*Ad Simplicianum, libri duo.*

1. Librorum quos episcopus elaboravi, primi duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, de diversis quæstionibus, quarum duas ex Epistola Pauli apostoli ad Romanos, in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptum est, *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit;* usque ad illud ubi ait : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 7-25). In qua illa Apostoli verba, *Lex spiritualis est; ego autem carnalis sum*, etc., quibus caro contra spiritum confligere ostenditur, eo modo exposui, tanquam homo describatur adhuc sub Lege, nondum sub gratia constitutus. Longe enim postea etiam spiritualis hominis (et hoc probabilius) esse posse illa verba cognovi. Posterior in hoc libro quæstio est, ab eo loco ubi ait, *Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri;* usque ad illud ubi ait : *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Id.* IX, 10-29). In cujus quæstionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ; sed vicit Dei gratia : nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus, *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens : *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est* (*Cypr., lib.* 3, *testim.* 4).

2. In secundo libro tractantur cæteræ quæstiones, et pro nostra quantulacumque facultate solvuntur, quæ sunt omnes de scriptura quæ Regnorum appellatur. Harum prima est de eo quod scriptum est, *Et insiliit spiritus Domini in Saül* (I *Reg.* X, 10); cum alibi dicatur, *Et spiritus Domini malus in Saül* (*Ibid.* XVI, 14). Quam cum exponerem, dixi : *Quamvis sit in cujusque potestate quid velit, non est tamen in cujusquam potestate quid possit* (*Lib.* 2, *quæst.* 1). Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, fit; ubi prius et maxime est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa, cum volumus; sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum præparatur voluntas a Domino. Secunda quæstio est, quomodo dictum sit, *Pœnitet me quod constituerim regem Saül* (I *Reg.* XV, 11). Tertia, utrum spiritus immundus qui erat in pythonissa, potuerit agere ut Samuel a Saüle videretur, et loqueretur cum eo (*Ibid.* XXVIII, 7-20). Quarta, de eo quod scriptum est : *Intravit rex David, et sedit ante Dominum* (II *Reg.* VII, 18). Quinta, de eo quod dixit Elias : *O Domine, testis hujus viduæ cum qua ego inhabito apud ipsam,*

*tu male fecisti occidere filium ejus* (III *Reg.* XVII, 20). Hoc opus sic incipit : *Gratissimam plane.*

## CAPUT II.

*Contra Epistolam quam vocant Fundamenti, liber unus.*

Liber contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, principia ejus sola redarguit ; sed in cæteris illius partibus [1] annotationes ubi videbatur, affixæ sunt, quibus tota subvertitur, et quibus commonerer, si quando contra totam scribere vacavisset. Hic liber sic incipit : *Unum verum Deum.*

## CAPUT III.

*De Agone Christiano, liber unus.*

Liber de Agone Christiano fratribus in eloquio latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens, et præcepta vivendi. In quo illud quod positum est, *Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, et commemorant quod ait apostolus Paulus, « caro et sanguis regnum Dei non possidebunt ; » non intelligentes quod ipse dicit Apostolus, « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem »* (I *Cor.* XV, 50, 53); *cum enim hoc factum fuerit, jam non erit caro et sanguis, sed cœleste corpus* (*Cap.* 32, *n.* 34) : non sic accipiendum est, quasi carnis non sit futura substantia, sed carnis et sanguinis nomine ipsam corruptionem carnis et sanguinis intelligendus est Apostolus nuncupasse ; quæ utique in regno illo non erit, ubi caro incorruptibilis erit. Quamvis et aliter possit intelligi, ut carnem et sanguinem opera carnis et sanguinis dixisse accipiamus Apostolum, et eos regnum Dei non possessuros, qui perseveranter ista dilexerint. Hic liber sic incipit : *Corona victoriæ.*

## CAPUT IV.

*De Doctrina Christiana, libri quatuor.*

1. Libros de Doctrina Christiana, cum imperfectos comperissem, perficere malui quam eis sic relictis ad alia retractanda transire. Complevi ergo tertium qui scriptus fuerat usque ad eum locum (*Cap.* 25, *n.* 36) ubi commemoratum est ex Evangelio testimonium de mulicre, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ donec fermentaretur totum (*Luc.* XIII, 21). Addidi etiam novissimum librum, et quatuor libris opus illud implevi ; quorum primi tres adjuvant ut Scripturæ intelligantur, quartus autem quomodo quæ intelligimus proferenda sint.

2. In secundo sane libro de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Jesus Sirach [2] scripserit, non ita constare sicut a me dictum est (*Cap.* 8, *n.* 13), postea didici, et omnino probabilius comperi non esse hunc ejus libri auctorem. Ubi autem dixi, *His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas ;* ex consuetudine qua jam loquitur Ecclesia, Vetus Testamentum, appellavi : Apostolus autem non videtur appellare Vetus Testamentum, nisi quod datum est in monte Sina (*Galat.* IV, 24). Et in eo quod dixi, *De temporum historia sanctum Ambrosium* [1] *solvisse quæstionem* (*Cap.* 28, *n.* 43), tanquam coætanei fuerint Plato et Jeremias ; me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro ejus legitur, quem de sacramentis, sive de philosophia scripsit. Hoc opus sic incipit : *Sunt præcepta quædam.*

## CAPUT V.

*Contra Partem Donati, libri duo.*— [Non exstant.]

Sunt duo libri mei, quorum titulus est, Contra Partem Donati. In quorum primo libro dixi, non mihi placere ullius sæcularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et vere tunc mihi non placebat, quoniam nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ. Hoc opus sic incipit : *Quoniam Donatistæ nobis.*

## CAPUT VI.

*Confessionum libri tredecim.*

1. Confessionum mearum libri tredecim, et de malis et de bonis meis Deum laudant justum et bonum, atque in eum excitant humanum intellectum et affectum ; interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt cum scriberentur, et agunt cum leguntur. Quid de illis alii sentiant, ipsi viderint ; multis tamen fratribus eos multum placuisse et placere scio. A primo usque ad decimum de me scripti sunt : in tribus cæteris, de Scripturis sanctis, ab eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram,* usque ad sabbati requiem (*Gen.* I, 1 ; II, 2).

2. In quarto libro, cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens quod anima nostra una quodammodo facta fuerat ex duabus, *et ideo, inquam, forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram* (*Cap.* 6) : quæ mihi quasi declamatio levis, quam gravis confessio videtur, quamvis utcumque temperata sit hæc ineptia in eo quod additum est, *forte.* Et in libro tertio decimo quod dixi, *Firmamentum factum inter spirituales aquas superiores et corporales inferiores* (*Cap.* 32) ; non satis considerate dictum est : res autem in abdito est valde. Hoc opus sic incipit : *Magnus es, Domine.*

## CAPUT VII.

*Contra Faustum manichæum, libri triginta tres.*

1. Contra Faustum manichæum blasphemantem Legem et Prophetas, et eorum Deum, et incarnationem Christi ; Scripturas autem Novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse dicentem, scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas. Triginta et tres disputationes sunt ; quas etiam libros cur non dixerim ? Nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamen libri sunt. Unus vero eorum, ubi a nobis adversum ejus criminationes, Patriarcharum vita defenditur, tantæ prolixitatis est, quantæ nullus fere librorum meorum.

2. In libro ergo tertio cum solverem quæstionem,

[1] In septem Mss. sic fere legitur : *Sed in ultimis illius partibus anfractus omnes, ubi videbatur, explosi sunt : sed et in cæteris.* At in Parcensi legebant Lovanienses : *Sed in ultimis ejus partibus cum anfractus omnes, ubi videbatur, explosi sint, annotationes.*

[2] Am. Lug. Ven., *Jesus filius Sirach.* M.

[1] Editi : *Secundum Ambrosium solvisse ;* at Mss. : *Sanctum Ambrosium.*

quomodo potuerit duos patres habere Joseph, dixi quidem *quod ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus* (*Cap.* 3); sed genus quoque adoptionis dicere debui: sic enim sonat quod dixi, tanquam eum vivus adoptaverit alius pater. Lex autem filios etiam mortuis adoptabat [1], jubens ut fratris sine filiis mortui duceret frater uxorem, et fratri defuncto semen ex eadem suscitaret (*Deut.* XXV, 5, 6): quæ profecto de duobus unius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Uterini autem fratres fuerunt in quibus hoc contigit ut unius defuncti qui vocabatur Heli, duceret alter uxorem, id est Jacob, a quo Matthæus narrat genitum esse Joseph: sed uterino fratri suo eum genuit, cujus filium Lucas dicit fuisse Joseph, non utique genitum, sed ex Lege adoptivum. Hoc in eorum litteris inventum est, qui recenti memoria post ascensionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiam nomen ejusdem mulieris quæ peperit Jacob patrem Joseph de priore marito Mathan, qui fuit pater Jacob, avus Joseph, secundum Matthæum; et de marito posteriore Melchi peperit Heli, cujus erat adoptivus Joseph, non tacuit Africanus. Quod quidem, cum Fausto responderem, nondum legeram; sed tamen per adoptionem potuisse contingere ut unus homo duos haberet patres, dubitare non poteram.

3. In duodecimo et tertio decimo, de filio Noe secundo qui est appellatus Cham, ita disputatum est, tanquam non in filio suo Chanaan, sicut Scriptura demonstrat, sed in seipso fuerit a patre maledictus (*Lib.* 12, *c.* 23; *et lib.* 13, *c.* 10). In quarto decimo de sole et luna talia dicta sunt, tanquam sentiant, et ideo tolerent vanos adoratores suos (*Cap.* 12): quamvis verba ibi accipi possint ab animali ad inanimale translata, modo locutionis qui vocatur græce metaphora; sicut de mari scriptum est quod *fremat in utero matris suæ, volens progredi* (*Job.* 38, 8, *sec.* LXX), cum utique non habeat voluntatem. In undetrigesimo, *Absit, inquam, ut sit in membris sanctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, quam membra quæ in promptu locata sunt* (*Cap.* 4): sed probabilior in aliis postea scriptis nostris reddita ratio est, cur ea dixerit etiam Apostolus inhonesta (I *Cor.* XII, 23), propter legem scilicet in membris repugnantem legi mentis (*Rom.* VII, 23), quæ de peccato accidit, non de prima nostræ institutione naturæ. Hoc opus sic incipit: *Faustus quidam fuit.*

## CAPUT VIII.

*Contra Felicem manichæum, libri duo.*

Contra manichæum quemdam nomine Felicem, præsente populo, in ecclesia biduo disputavi. Hipponem quippe venerat, eumdem seminaturus errorem; unus enim erat ex doctoribus eorum, quamvis ineruditus liberalibus litteris, sed tamen versutior Fortunato. Gesta sunt ecclesiastica, sed inter meos libros computantur. Duo ergo libri sunt, inquorum secundo disputatum est de libero voluntatis arbitrio, sive ad malum operandum, sive ad bonum: sed de gratia qua vere liberi fiunt, de quibus scriptum est, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36), diligentius disputare, quoniam talis erat cum quo agebamus, nulla sumus necessitate compulsi. Hoc opus sic incipit: *Honorio Augusto sextum consule, septimo idus decembris.*

[1] Edd., *mortuos adoptabat.* Verius Mss., *mortuis.*

## CAPUT IX.

*De Natura Boni, liber unus.*

Liber de Natura Boni adversus Manichæos est, ubi ostenditur naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse cæteras naturas sive spirituales sive corporales, atque omnes in quantum naturæ sunt, bonas esse; et quid vel unde sit malum, et quanta mala Manichæi ponant in natura boni et quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Hic liber sic incipit: *Summum bonum, quo superius non est, Deus est.*

## CAPUT X.

*Contra Secundinum manichæum, liber unus.*

Secundinus quidam, non ex eis quos Manichæi electos, sed ex eis quos auditores vocant, quem ne facie quidem noveram, scripsit ad me velut amicus, honorifice objurgans quod oppugnarem litteris illam hæresim, et admonens ne facerem, atque ad eam potius sectandam exhortans, cum ejus defensione, et fidei catholicæ reprehensione. Huic respondi; sed quia in ejusdem opusculi capite non posui quis cui scriberet, non in epistolis meis, sed in libris habetur. Illic ab exordio conscripta est etiam ejus epistola. Hujus autem voluminis mei titulus est, Contra Secundinum manichæum: quod, mea sententia, omnibus quæ adversus illam pestem scribere potui, facile præpono. Hic liber sic incipit: *Tua in me benevolentia.*

## CAPUT XI.

*Contra Hilarum, liber unus.* — [Non exstat.]

Inter hæc Hilarus [1] quidam vir tribunitius, laicus catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondi, jubentibus fratribus, et vocatur liber ipse, Contra Hilarum. Hic liber sic incipit: *Qui dicunt mentionem Veteris Testamenti,*

[1] In Edd. scribitur, *Hilarius*, et *Hilarium*. In Mss. vero, *Hilarus*, et *Hilarum*, ut imprimi curavimus.

## CAPUT XII.

*Quæstiones Evangeliorum, libri duo.*

Sunt quædam expositiones quorumdam locorum ex Evangelio secundum Matthæum, et aliæ similiter secundum Lucam; in unum librum illæ, in alterum istæ redactæ sunt. Titulus operis hujus est: Quæstiones Evangeliorum. Sed quare illa sola de supradictis evangelicis Libris exposita fuerint, quæ his libris meis continentur, et quæ ista sint, prologus meus, adjunctis atque annumeratis eisdem quæstionibus, ita ut

quisque legere quod voluerit, numeros secutus inveniat, satis indicat. In primo ergo libro (*Quæst.* 27), in eo quod positum est, *Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem* (*Matth.* xx, 17), mendositas codicis nos fefellit : nam *duodecim* scriptum est ; non, *duobus*. In secundo libro volens exponere quomodo duos patres potuerit habere Joseph, cujus conjux dicta est virgo Maria ; illud quod perhibetur fratrem duxisse defuncti fratris uxorem, ut ei semen secundum legem suscitaret (*Deut.* xxv, 5), ideo dixi *esse infirmum, quoniam qui nasceretur, nomen defuncti Lex eum jubebat accipere* ( *Quæst.* 5 ) : non est verum. Nomen enim defuncti quod dictum est, ad hoc Lex valere præcepit, ut ejus filius diceretur ; non ut hoc quod ille vocaretur (*a*). Hoc opus sic incipit : *Hoc opus non ita scriptum est.*

## CAPUT XIII.

*Annotationes in Job, liber unus.*

Liber cujus est titulus, Annotationes in Job, utrum meus habendus sit, an potius eorum qui eas, sicut potuerunt vel voluerunt, redegerunt in unum corpus descriptas de frontibus codicis, non facile dixerim. Suaves enim paucissimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes; quia nec ipsa verba quæ exponuntur, ita descripta sunt in multis locis, ut appareat quid exponatur. Deinde brevitatem sententiarum tanta secuta est obscuritas, ut eam lector vix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire. Postremo tam mendosum comperi opus ipsum in codicibus nostris ut emendare non possem, nec editum a me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. Hic liber sic incipit : *Et opera magna erant ei super terram.*

## CAPUT XIV.

*De Catechizandis rudibus, liber unus.*

Est etiam liber noster de Catechizandis rudibus hoc ipso titulo prænotatus. In quo libro ubi dixi : *Nec angelus qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedientiam Dei, et diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi : novit enim Deus ordinare deserentes se animas* (*Cap.* 18, *n.* 30) ; convenientius diceretur, Se spiritus, quoniam de Angelis agebatur. Hic liber sic incipit : *Petisti a me, frater Deogratias.*

## CAPUT XV.

*De Trinitate, libri quindecim.*

1. Libros de Trinitate, quæ Deus est, quindecim scripsi per aliquot annos. Sed cum eorum duodecimum nondum perfecissem, et eos diutius tenerem quam possent sustinere qui vehementer illos habere cupiebant, subtracti sunt mihi minus emendati quam deberent ac possent, quando eos edere voluissem. Quod posteaquam comperi, quia et alia eorum apud nos exemplaria remanserant, statueram eos jam ipse non edere, sed sic habere ut in alio aliquo opusculo meo quid mihi de his evenerit dicerem : urgentibus tamen fratribus, quibus resistere non valui, emendavi eos quantum emendandos putavi, et complevi, et edidi adjungens eis a capite epistolam, quam scripsi ad venerabilem Aurelium episcopum Carthaginensis Ecclesiæ ; quo tanquam prologo exposui et quid accidisset, et quid facere mea cogitatione voluissem, et quid fratrum charitate compellente fecissem.

2. In quorum libro undecimo cum de corpore visibili agerem, dixi : *Quocirca id amare, alienari est* (*Cap.* 5, *n.* 9). Quod secundum eum amorem dictum est, quo aliquid sic amatur, ut eo fruendo existimet beatum se esse qui hoc amat. Nam non est alienari, in laudem Creatoris amare speciem corporalem, ut ipso creatore fruens quisque vere beatus sit. Itemque in eodem, ubi dixi, *Nec avem quadrupedem memini, quia non vidi ; sed phantasiam talem facillime intueor, dum alicui formæ volatili, qualem vidi, adjungo alios duos pedes, quales itidem vidi* (*Cap.* 10, *n.* 17), hæc dicens non potui recolere volatilia quadrupedia quæ Lex commemorat (*Levit.* xi, 20). Neque enim computat in pedibus duo posteriora crura quibus locustæ saliunt, quas dicit mundas, et ideo discernit ab immundis talibus volatilibus, quæ non saliunt illis cruribus, sicut sunt scarabæi. Omnia quippe hujusmodi volatilia quadrupedia vocantur in Lege.

3. In duodecimo (*Cap.* x, *n.* 15), velut expositio verborum Apostoli, ubi ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est*, non mihi satisfacit ; nec sic puto intelligendum quod dictum est, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat* (*I Cor.* vi, 18), tanquam ille hoc faciat, qui propter adipiscenda ea quæ per corpus sentiuntur, ut in his finem boni sui ponat, aliquid agit. Hoc enim longe plura peccata complectitur, quam illa fornicatio quæ concubitu perpetratur illicito, de qua locutum, cum hoc diceret, Apostolum apparet. Hoc opus, excepta epistola quæ postmodum ad ejus caput adjuncta est, sic incipit : *Lecturus hæc quæ de Trinitate disserimus.*

## CAPUT XVI.

*De Consensu Evangelistarum, libri quatuor.*

Per eosdem annos quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, scripsi et alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus, in quibus sunt libri quatuor de Consensu Evangelistarum, propter eos qui tanquam dissentientibus calumniantur : quorum primus liber adversus illos conscriptus est, qui tanquam maxime sapientem Christum vel honorant vel honorare se fingunt ; et ideo nolunt Evangelio credere ; quia non ab ipso illa conscripta sunt, sed ab ejus discipulis, quos existimant ei divinitatem, qua crederetur Deus, errore tribuisse. In quo libro quod dixi, *Ex Abraham cœpisse gentem Hebræorum* (*Cap.* 14, *n.* 21) ; est quidem et hoc credibile, ut Hebræi, velut Abrahæi, dicti esse videantur : sed ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocabatur Heber, tanquam

(*a*) « Nam cum Booz duxisset Ruth ut semen excitaret propinquo suo, qui de illa natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus ; atque ita factum est ut nomen defuncti non deleretur ex Israel : non tamen ejus nomine appellatus est. » Plura in hanc rem S. August., lib. 5 Quæst. super Deuter., quæst. 46.

Heberæi (*a*), de qua re in libro sexto decimo de Civitate Dei, satis disserui (*Cap.* 11). In secundo, cum agerem de duobus patribus Joseph, ab altero dixi genitum, ab altero adoptatum (*Cap.* 3, *n.* 5). Sed dicendum fuit, alteri adoptatum. Defuncto enim, quod magis credendum est, secundum Legem fuerat adoptatus; quoniam qui eum genuit, ejus matrem, fratris defuncti conjugem duxerat. Item ubi dixi, *Lucas vero ad ipsum David per Nathan ascendit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiavit* (*Cap.* 4, *n.* 12); per cujus nominis prophetam, dicere debui, ne putaretur idem fuisse homo, cum alter fuerit, quamvis et ipse hoc vocaretur. Hoc opus sic incipit : *Inter omnes divinas auctoritates.*

## CAPUT XVII.

*Contra Epistolam Parmeniani, libri tres.*

In tribus libris contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginensis episcopi successorisque Donati, quæstio magna versatur et solvitur : utrum in unitate et eorumdem communione Sacramentorum mali contaminent bonos, et quemadmodum non contaminent disputatur, propter Ecclesiam toto orbe diffusam, cui calumniando schisma fecerunt. In quorum libro tertio, cum dissereretur quomodo sit accipiendum quod ait Apostolus, *Auferte malum ex vobis ipsis* (I *Cor.* v, 13); illud quod dixi, *Ut ex seipso quisque auferat malum* (*Cap.* 1, *n.* 2), non sic esse intelligendum, sed sic potius ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam disciplinam, satis græca lingua indicat, ubi sine ambiguitate scriptum est, ut intelligatur, Hunc malum (*b*), non, Hoc malum, quamvis et secundum istum intellectum responderim Parmeniano. Hoc opus sic incipit : *Multa quidem alias adversus Donatistas.*

## CAPUT XVIII.

*De Baptismo, libri septem.*

Contra Donatistas, auctoritate beatissimi episcopi et martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de Baptismo scripsi; in quibus docui nihil sic valere ad refellendos Donatistas, et ad eorum prorsus ora claudenda, ne adversus Catholicam [1] suum schisma defendant, quomodo litteras factumque Cypriani. Ubicumque autem in his libris commemoravi (*Lib.* 1, *c.* 17; *lib.* 3, *c.* 18; *et lib.* 4, *cc.* 3, 4), *Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (*Eph.* v, 27); non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias et infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* vi, 12). In quarto libro cum dicerem *vicem Baptismi posse habere passionem* (*Cap.* 22, *n.* 29), non satis idoneum posui illius latronis exemplum, qui utrum non fuerit baptizatus, incertum est. In libro septimo, de vasis aureis et argenteis in domo magna constitutis (*Cap.* 51, *n.* 99), sensum Cypriani secutus sum, qui hæc accepit in bonis; in malis autem lignea et fictilia (*Cypr. Epist.* 51, *ad Maximum, etc.*): ad illa referens quod dictum est, *Alia quidem in honorem;* ad hæc autem quod dictum est, *Alia vero in contumeliam* (II *Tim.* ii, 20). Sed magis approbo quod apud Tychonium postea reperi vel adverti, in utrisque intelligendum quædam in honorem, non sola scilicet aurea et argentea; et rursus in utrisque quædam in contumeliam, non utique sola lignea et fictilia. Hoc opus sic incipit : *In eis libris quos adversus Epistolam Parmeniani.*

## CAPUT XIX.

*Contra quod attulit Centurius a Donatistis, liber unus.* —[Non exstat.]

Cum adversus partem Donati multa crebris disputationibus ageremus, attulit ad Ecclesiam quidam laicus tunc eorum nonnulla contra nos dictata vel scripta in paucis velut testimoniis, quæ suæ causæ suffragari putant : his brevissime respondi. Hujus libelli titulus est : Contra quod attulit Centurius a Donatistis. Et incipit sic : *Dicis eo quod scriptum est a Salomone : « Ab aqua aliena abstine te. »*

## CAPUT XX.

*Ad Inquisitiones Januarii, libri duo.*

Libri duo, quorum est titulus, Ad Inquisitiones Januarii, multa de Sacramentis continent disputata, sive quæ universaliter, sive quæ partiliter, id est non peræque in omnibus locis observat Ecclesia : nec tamen commemorari omnia potuerunt; sed satis ad inquisita responsum est. Quorum librorum prior, epistola est; habet quippe in capite, quis, ad quem scribat : sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens qui nomina nostra non habet, multo est prolixior, et in eo multo plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi, *Quia unicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat* (*Cap.* 3, *n.* 4), non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ (*Sap.* xvi, 20), quem Judæi non recipiunt in auctoritatem canonicam; quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversus Deum murmuratoribus, qui profecto alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit : *Ad ea quæ me interrogasti.*

## CAPUT XXI.

*De Opere Monachorum, liber unus.*

Ut de Opere Monachorum librum scriberem, illa necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo; alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, ut nihil operantes unde necessaria vel haberent vel supplerent, se potius implere præceptum evangelicum existima-

[1] Editi, *ne adversus catholicam Ecclesiam.* At a Mss. abest vox, *Ecclesiam.* Nimirum *Catholicam* ex adjectivo substantivum nomen fecit frequenti usu, eoque Ecclesiam toto orbe diffusam commendare amabat Augustinus.

(*a*) Auctoribus tamen haud ignobilibus, et maxime græcis placet tertia quædam opinio : ideo nempe dictos *Hebræos* (quod sonat *Transitores*), quia patriarcha Abraham transito Euphrate venerat e Chaldæorum regione in Palæstinam; eamque ob causam ipsi Abraham, Gen. xiv, 13, fuisse additum cognomen Hebræo; id est juxta LXX Interpretes vocabulum suo more vertentes, *Peratê*, Transitori, seu Transfluviali, sicuti ferebat codex S. Augustini, qui et ipse, quæst. 29 in Gen. Transfluvialem Abraham ex ea regione unde venerat appellatum putat.

(*b*) Gr., *ton ponêron.*

rent atque jactarent, ubi Dominus ait : *Respicite volatilia cœli et lilia agri* (*Matth.* VI, 26). Unde etiam inter laicos inferioris propositi, sed tamen studio ferventes, existere cœperant tumultuosa certamina, quibus Ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus. Huc accedebat quod criniti erant quidam eorum, qui operandum non esse dicebant. Unde contentiones, hinc reprehendentium, inde quasi purgantium [1], pro partium studiis augebantur. Propter hæc venerabilis senex Aurelius, Ecclesiæ ipsius civitatis episcopus, ut hinc aliquid scriberem jussit; et feci. Hic liber sic incipit : *Jussioni tuæ, sancte frater Aureli.*

## CAPUT XXII.

*De Bono Conjugali, liber unus.*

1. Joviniani hæresis sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali tantum valuit in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur, hoc maxime argumento cum eas urgeret dicens : Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna, sive Anna? et cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas feminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum, commemoratione patrum conjugatorum et comparatione, frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia quæ ibi est, fidelissime ac fortissime restitit. Remanserant autem istæ disputationes ejus in quorumdam sermunculis ac susurris, quas palam suadere nullus audebat. Sed etiam occulte venenis repentibus, facultate quam donabat Dominus, occurrendum fuit : maxime quoniam jactabatur Joviniano responderi non potuisse cum laude [2], sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cujus inscriptio est, de Bono Conjugali. Ubi de propagatione filiorum prius quam homines mortem peccando mererentur, quoniam concubitus mortalium corporum res videtur, quæstio magna dilata est : sed in aliis postea litteris nostris, satis quantum arbitror, explicatur.

2. Dixi etiam quodam loco : *Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis; et utrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata, et temperantia refrenante in usum naturalem redacta, libido esse non potest* (*Cap.* 16, *n.* 18). Quod ideo dictum est, quoniam libido non est bonus et rectus usus libidinis [3]. Sicut enim malum est male uti bonis, ita bonum est bene uti malis : de qua re alias, maxime contra novos hæreticos Pelagianos, diligentius disputavi. De Abraham quod dixi, *Ex hac obedientia pater ille Abraham, qui sine uxore non fuit, esse sine unico filio et a se occiso paratus fuit* (*Cap.* 23, *n.* 31), non satis approbo. Magis enim filium, si esset occisus, resuscitatione sibi mox fuisse reddendum, credidisse credendus est, sicut in Epistola legitur quæ est ad Hebræos (*Hebr.* XI, 19). Hic liber sic incipit : *Quoniam unusquisque homo, humani generis pars est.*

## CAPUT XXIII.

*De Sancta Virginitate, liber unus.*

Posteaquam scripsi de Bono Conjugali, exspectabatur ut scriberem de Sancta Virginitate, nec distuli : atque id Dei munus, et quam magnum, et quanta humilitate custodiendum esset, uno, sicut potui, volumine ostendi. Hic liber sic incipit : *Librum de Bono Conjugali nuper edidimus.*

## CAPUT XXIV.

*De Genesi ad litteram, libri duodecim.*

1. Per idem tempus de Genesi libros duodecim scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adam et flammea romphæa posita est custodire viam ligni vitæ. Cum autem ad hoc usque undecim libri peracti essent, duodecimum addidi, in quo diligentius de paradiso disputatum est. Titulus eorum librorum inscribitur, de Genesi ad litteram : id est, non secundum allegoricas significationes, sed secundum rerum gestarum proprietatem. In quo opere plura quæsita quam inventa sunt : et eorum quæ inventa sunt, pauciora firmata; cætera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint. Hos sane libros posterius cœpi, sed prius terminavi quam de Trinitate : ideo eos nunc ordine, quo cœpi recolui.

2. In quinto libro (*Cap.* 19, *n.* 38), et ubicumque in eis libris posui, *De semine cui repromissum est, quod dispositum sit per Angelos in manu mediatoris* (*Galat.* III, 19); non sic habet Apostolus, sicut veriores codices post inspexi, maxime græcos. De Lege enim dictum est, quod tanquàm de semine dictum multi latini codices habent per interpretantis errorem. In sexto libro quod dixi, *Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato* (*Cap.* 27, *n.* 28), non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet. In duodecimo de inferis (*Cap.* 33, *n.* 62), magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit. Hoc opus sic incipit : *Omnis divina Scriptura bipartita est.*

## CAPUT XXV.

*Contra Litteras Petiliani, libri tres.*

Antequam finirem libros de Trinitate, et libros de Genesi ad litteram, irruit causa respondendi Litteris Petiliani donatistæ, quas adversus Catholicam scripsit, quam differre non potui. Et scripsi in hanc rem tria volumina, quorum primo primæ parti Epistolæ ipsius, quam scripsit ad suos, quia non tota in nostras manus venerat, sed prior parva pars ejus, quanta potui celeritate et veritate respondi. Etiam ipsa Epistola est

[1] Edd. habent, *pugnantium*. Sed melius aliquot e Mss. *purgantium*, id est reprehensionis causam a Monachis depellentium.

[2] Mss., *non posse*. At Edd., *non potuisse cum laude*.

[3] Subtracta hinc voce, *libidinis*, haud satis erat in Edd. perspicuum quo spectet locus retractatus. Eo vero spectat, ut ne a carnali complexu, quamvis moderatus sit et in usum naturalem redactus, abesse unquam libido omnis existimetur. Enimvero quam originalis vitii causam esse identidem S. Augustinus inculcat, « ipse ille licitus honestusque concu- « bitus non potest esse sine ardore libidinis, ut peragi possit « quod rationis est, non libidinis : » ex lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentia, cap. 24. Hinc itaque ex Mss. antiquiorum fide revocavimus vocem *libidinis;* ad quam septem Mss. adjiciunt *naturalis*. Nec male : inest enim libido ab origine et conditione nascendi.

ad nostros, sed ideo inter libros habetur, quia cæteri duo in eadem causa libri sunt. Postea quippe invenimus totam, eique tanta diligentia respondi, quanta Fausto manichæo; verba scilicet ejus sub ipsius nomine prius ponens particulatim, et sub meo per singula responsionem meam. Sed prius quod scripseram, antequam totam reperiremus, pervenit ad Petilianum: et iratus respondere conatus est, in me potius dicens quidquid eum libuit [1], in causa vero omnino deficiens: quod cum posset collatis utriusque nostrum scriptis facillime adverti, tamen propter tardiores hoc ipse respondendo demonstrare curavi; sic est additus eidem nostro operi liber tertius. Hoc opus in primo libro sic incipit: *Nosti nos sæpe voluisse.* In secundo autem sic: *Primis partibus Epistolæ Petiliani.* In tertio autem sic: *Legi, Petiliane, litteras tuas.*

## CAPUT XXVI.

*Ad Cresconium grammaticum partis Donati, libri quatuor.*

Grammaticus etiam quidam donatista Cresconius, cum invenisset epistolam meam, qua primas partes, quæ in manus nostras tunc venerant Epistolæ Petiliani redargui, putavit mihi esse respondendum, et hoc ipsum scripsit ad me. Cui operi ejus libris quatuor respondi, ita sane ut tribus peragerem quod universa responsio flagitabat. Sed cum viderem de sola Maximianensium causa, quos suos schismaticos damnaverunt [2], et eorum aliquos rursus in suis honoribus receperunt, Baptismumque ab eis extra suam communionem datum non repetiverunt, responderi posse ad cuncta quæ scripsit; etiam quartum librum addidi, in quo idipsum, quantum potui, diligenter atque evidenter ostendi. Hos autem quatuor libros quando scripsi, jam contra Donatistas leges dederat Honorius imperator. Hoc opus sic incipit: *Quando ad te, Cresconi, mea scripta pervenire possent ignorans.*

## CAPUT XXVII.

*Probationum et Testimoniorum contra Donatistas, liber unus.* — [Non exstat]

Post hæc, ut ad Donatistas pervenirent contra eorum errorem et pro catholica veritate necessaria documenta curavi, sive de ecclesiasticis, sive de publicis Gestis, sive de Scripturis canonicis. Et primo ad illos eadem promissa direxi, ut ipsi ea, si fieri posset, exposcerent. Quæ cum venissent in eorum quorumdam manus, nescio quis exstitit qui suo nomine tacito contra hæc scriberet, ita se confitens donatistam, tanquam hoc vocaretur. Cui ego respondens, alium librum scripsi. Illa vero documenta quæ promiseram, eidem libello quo eadem promiseram junxi, et ex utroque unum esse volui; eumque sic edidi, ut in parietibus basilicæ quæ Donatistarum fuerat, prius propositus legeretur, cujus titulus est: Probationum et Testimoniorum contra Donatistas. In quo libro absolutionem Felicis Aptungensis [1] ordinatoris Cæciliani, non hoc ordine posuimus quo postea nobis claruit, Consulibus diligenter inspectis, sed tanquam post Cæcilianum fuerit absolutus, cum ante sit factum. Illud etiam quod commemorato Judæ apostoli testimonio, ubi ait: *Ii sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes* (*Judæ* 19), adjunxi etiam dicens: *De quibus et Paulus apostolus dicit: « Animalis autem homo non « percipit ea quæ sunt spiritus Dei »* (I *Cor.* II, 14); non sunt isti illis coæquandi, quos omnino ab Ecclesia schisma præcidit. Istos quippe idem apostolus Paulus parvulos dicit esse in Christo, quos nondum escam valentes capere, lacte nutrit tamen (*Id.* III, 1, 2): illi autem non in filiis parvulis, sed in mortuis et perditis computandi sunt, ut si quis eorum correctus Ecclesiæ fuerit copulatus, recte de illo dici possit: *Mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 32). Hic liber sic incipit: *Qui timetis consentire Ecclesiæ catholicæ.*

## CAPUT XXVIII.

*Contra Donatistam nescio quem, liber unus.* — [Non exstat]

Alterius libri quem supra commemoravi, titulum esse volui, Contra nescio quem Donatistam: ubi similiter de absolutione ordinatoris Cæciliani verus ordo temporis non est. Illud etiam quod dixi: *Ad multitudinem zizaniorum, ubi intelliguntur omnes hæreses*, minus habet unam necessariam conjunctionem: dicendum enim fuit, Ubi intelliguntur et omnes hæreses; aut, Ubi intelliguntur etiam omnes hæreses. Nunc vero ita dictum est, quasi præter Ecclesiam tantummodo sint zizania, non etiam in Ecclesia, cum ipsa sit regnum Christi, de quo collecturi sunt Angeli ejus, messis tempore, omnia scandala (*Matth.* XIII, 36-42). Unde et Cyprianus martyr: *Etsi videntur*, inquit, *in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus* (*Cypr., Epist.* 51, *ad Maximum, etc.*). Quem sensum etiam nos alias, et maxime adversus eosdem præsentes Donatistas, in collatione defendimus. Hic liber sic incipit: *Probationes rerum necessariarum quodam breviculo collectas promisimus.*

## CAPUT XXIX.

*Admonitio Donatistarum de Maximianistis, liber unus.* — [Non exstat]

Cum viderem multos legendi labore impediri a discendo quam nihil rationis atque veritatis habeat pars Donati, libellum brevissimum feci, quo eos de solis Maximianistis admonendos putavi, ut posset facilitate describendi in manus plurium pervenire, et ipsa sui brevitate facilius commendari memoriæ; cui titulum imposui: *Admonitio Donatistarum de Maximianistis.* Hic liber sic incipit: *Quicumque calumniis hominum et criminationibus movemini.*

[1] Edd. habent, *ei libuit*. Mss., *eum libuit*: quem loquendi modum Augustino receptum non insuper habendum esse duximus. Nam eo minus perspecto accidit, ut sermo S. Augustini de B. Joan. Decollat. in breviariis corrupte sic ederetur: «Eum tamen non sic habebat;» pro, «non sic libebat « ut sæviret.»

[2] Edd., *quod.... damnaverunt*. Reposuimus ex Mss. *quos*; refertur enim ad Maximianenses antea nominatos.

[1] In Mss. pluribus et potioribus hic, et infra, cap. 34, scribitur, *Aptugnensis*: quibus consentit Am. necnon infra Er. At in aliis quibusdam, *Aptugenensis*.

## CAPUT XXX.

*De Divinatione Dæmonum, liber unus.*

Per idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas ut de Divinatione Dæmonum libellum scriberem, cujus titulus iste ipse est. In ejus autem quodam loco ubi dixi : *Dæmones aliquando et hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere* (*Cap.* 5, *n.* 9); rem dixi occultissimam audaciore asseveratione quam debui : nam pervenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi et ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri. Hic liber sic incipit : *Quodam die in diebus sanctis Octavarum.*

## CAPUT XXXI.

*Quæstiones expositæ contra Paganos, numero sex.*

Inter hæc missæ sunt mihi a Carthagine quæstiones sex, quas proposuit amicus quidam, quem cupiebam fieri christianum, ut contra Paganos solverentur, præsertim quia nonnullas earum a Porphyrio philosopho propositas dixit. Sed non eum esse arbitror Porphyrium Siculum illum cujus celeberrima est fama. Harum quæstionum disputationes in unum librum contuli, non prolixum, cujus est titulus : Sex quæstiones contra Paganos expositæ. Earum autem prima est de resurrectione; secunda, de tempore christianæ religionis; tertia, de sacrificiorum distinctione; quarta, de eo quod scriptum est, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2); quinta, de Filio Dei secundum Salomonem; sexta, de Jona propheta. In quarum secunda quod dixi, *Salus religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit; et cui defuit, dignus non fuit;* non ita dixi tanquam ex meritis suis quisquam dignus fuerit; sed quemadmodum ait Apostolus : *Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori* (*Rom.* IX, 12, 13) : quam vocationem ad Dei propositum asserit pertinere. Unde dicit, *Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam* (II *Tim.* I, 9). Unde item dicit : *Scimus quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*[1] (*Rom.* VIII, 28). De qua vocatione ait : *Ut dignos vos habeat vocatione sua sancta* (II *Thess.* I, 11). Hic liber post epistolam, quæ postmodum a capite addita est (*Epist.* 102, *ad Deogratias*), sic incipit : *Movet quosdam, et requirunt.*

## CAPUT XXXII.

*Expositio Epistolæ Jacobi ad duodecim tribus.* — [Non exstat.]

Inter opuscula mea reperi expositionem Epistolæ Jacobi, quam retractans adverti annotationes potius expositorum quorumdam ejus locorum in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frontibus codicis esse noluerunt. Adjuvant ergo aliquid, nisi quod ipsam Epistolam, quam legebamus quando ista dictavi, non diligenter ex græco habebamus interpretatam. Hic liber sic incipit : *Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.*

## CAPUT XXXIII.

*De Peccatorum Meritis et Remissione, et de Baptismo Parvulorum, ad Marcellinum libri tres.*

Venit etiam necessitas, quæ me cogeret adversus novam Pelagianam hæresim scribere; contra quam prius, cum opus erat, non scriptis, sed sermonibus et collocutionibus agebamus, ut quisque nostrum poterat aut debebat. Missis ergo mihi a Carthagine quæstionibus eorum quas rescribendo dissolverem[1], scripsi primum libros tres, quorum titulus est, de Peccatorum Meritis et Remissione : ubi maxime disputatur de baptismate parvulorum propter originale peccatum : et de gratia Dei qua justificamur, hoc est, justi efficimur; quamvis in hac vita nemo ita servet mandata justitiæ, ut non sit ei necessarium pro suis peccatis orando dicere : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Contra quæ omnia sentientes illi novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans : imo etiam in tertio libro, quæ est epistola, sed in libris habita propter duos quibus eam connectendam putavi, Pelagii ipsius nomen non sine aliqua laude posui (*Cap.* 3, *n.* 5); quia vita ejus a multis prædicabatur : et ejus illa redargui, quæ in suis scriptis non ex persona sua posuit, sed quid ab aliis diceretur exposuit; quæ tamen postea jam hæreticus pertinacissima animositate defendit. Cœlestius vero discipulus ejus jam propter tales assertiones apud Carthaginem in episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat. In secundo libro, quodam loco, *Hoc quibusdam, inquam, in fine largietur, ut mortem repentina commutatione non sentiant* (*Cap.* 31, *n.* 50), servans locum diligentiori de hac re inquisitioni. Aut enim non morientur; aut de vita ista in mortem, et de morte in æternam vitam celerrima commutatione tanquam in ictu oculi transeundo mortem non sentient. Hoc opus sic incipit : *Quamvis in mediis et magnis curarum æstibus.*

## CAPUT XXXIV.

*De Unico Baptismo, contra Petilianum ad Constantinum, liber unus.*

Eo tempore librum de Unico Baptismo amicus quidam meus, a nescio quo donatista presbytero accepit, indicante quod Petilianus episcopus eorum Constantinensis eum scripserit. Hunc ad me ille attulit, ac vehementer ut ei responderem rogavit; et factum est. Librum autem etiam meum in quo respondi, eumdem titulum habere volui, hoc est, de Unico Baptismo. In quo libro illud quod dixi : *Constantinum imperatorem Donatistis criminantibus ordinatorem Cæciliani Felicem Aptungensem non negasse accusationis locum, quamvis eos in Cæciliani fictis criminibus calumniosos fuisset*

[1] Abest *sancti* ab antiquis Mss. et a græco textu Apostoli.

[1] Edd. ferunt *dissolveram*. Verius Mss., *dissolverem*.

*expertus* (*Cap.* 16, *n.* 28), in ordine temporum postea consideratum, aliter inventum est. Nam prius memoratus Imperator causam Felicis fecit audiri a proconsule, ubi legitur absolutus; et postea ipse Cæcilianum cum accusatoribus ejus auditum, comperit innocentem, ubi eos expertus est in ejus criminibus calumniosos. Qui ordo temporum per consules declaratus, multo vehementius in ea causa calumnias Donatistarum convincit, penitusque subvertit: quod alibi ostendimus. Hic liber sic incipit: *Respondere adversa sentientibus.*

## CAPUT XXXV.

*De Maximianistis contra Donatistas, liber unus.* — [Non exstat.]

Scripsi etiam librum inter cætera contra Donatistas, non brevissimum sicut antea, sed grandem, multo diligentius; in quo apparet quemadmodum eorum adversus Ecclesiam catholicam impium ac superbissimum errorem sola funditus Maximianistarum causa subvertat, quod schisma factum est ex ipsa parte Donati. Hic liber sic incipit: *Multa jam diximus, multa jam scripsimus.*

## CAPUT XXXVI.

*De Gratia Testamenti Novi, ad Honoratum liber unus.*

Eo ipso tempore quo contra Donatistas vehementer exercebamur, et contra Pelagianos exerceri jam cœperamus, amicus quidam mihi misit quinque a Carthagine quæstiones, et rogavit ut eas illi scribendo exponerem; quæ sunt: Quid sibi velit vox illa Domini, *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* (*Psal.* XXI, 1; *Matth.* XXVII, 46.) Et quid sit quod ait Apostolus, *Ut in charitate radicati et fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum* (*Ephes.* III, 17, 18). Et quæ sint quinque virgines stultæ, quæve sapientes (*Matth.* XXV, 1-12). Et quæ sint tenebræ exteriores (*Id.* XXII, 13). Et quomodo intelligendum sit, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Ego autem intuens supra dictam hæresim novam inimicam gratiæ Dei, sextam mihi proposui quæstionem de Gratia Testamenti Novi. De qua disputans, interposita expositione psalmi vigesimi primi, in cujus capite scriptum est quod Dominus exclamavit in cruce, quod ille amicus in primis mihi proposuit exponendum; omnia illa quinque dissolvi (*Epist.* 140, *ad Honoratum*): non hoc ordine quo erant proposita; sed sicut mihi disserenti de gratia Novi Testamenti, tanquam suis locis congruenter occurrere potuerunt. Hic liber sic incipit: *Quinque mihi proposuisti tractandas quæstiones.*

## CAPUT XXXVII.

*De Spiritu et Littera, ad Marcellinum, liber unus.*

Ad quem scripseram tres libros, quorum titulus est de Peccatorum Meritis et Remissione, ubi diligenter disputatur etiam de baptismo parvulorum, rescripsit mihi se fuisse permotum quod dixerim fieri posse ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina; quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. Quæsivit enim quomodo dixerim posse fieri, cujus rei desit exemplum. Propter hanc ejus inquisitionem scripsi librum cujus est titulus, de Spiritu et Littera, pertractans apostolicam sententiam ubi ait: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). In quo libro, quantum Deus adjuvit, acriter disputavi contra inimicos gratiæ Dei, qua justificatur impius. Cum autem agerem de observationibus Judæorum, a quibusdam escis secundum veterem legem abstinentium, dixi: *Quarumdam escarum cerimoniæ* (*Cap.* 21, *n.* 36), quod nomen non est in usu Litterarum sanctarum (*a*): ideo tamen mihi congruens visum est, quod a carendo appellatas cerimonias, quasi carimonias memoria tenebam, eo quod observantes careant his rebus a quibus se abstinent. Quod si est origo alia hujus nominis, quæ abhorret a vera religione, secundum hanc ego non sum locutus, sed secundum istam quam supra memoravi. Hic liber sic incipit: *Lectis opusculis quæ ad te nuper elaboravi, fili charissime Marcelline.*

## CAPUT XXXVIII.

*De Fide et Operibus, liber unus.*

Interea missa sunt mihi a quibusdam fratribus laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla, quæ ita distinguerent a bonis operibus christianam fidem, ut sine hac non posse, sine illis autem posse perveniri suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cujus nomen est, de Fide et Operibus. In quo disputavi non solum quemadmodum vivere debeant gratia Christi[1] regenerati, verum etiam quales ad lavacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit: *Quibusdam videtur.*

## CAPUT XXXIX.

*Breviculus Collationis cum Donatistis, libri tres.*

Posteaquam facta est cum Donatistis nostra collatio, breviter commemoravi quæ gesta sint, litterisque comprehendi secundum tres dies quibus cum eis contulimus: idque opus utile existimavi, quo quisque commonitus, vel sciat sine labore quid actum sit, vel consultis numeris, quos rebus singulis annotavi, legat in eisdem Gestis ad locum quodcumque voluerit; quoniam fatigant illa nimia prolixitate lectorem. Hujus autem operis titulus est, Breviculus Collationis. Hoc opus sic incipit: *Cum catholici episcopi et partis Donati.*

## CAPUT XL.

*Post Collationem contra Donatistas, liber unus.*

Librum etiam scripsi grandem, satis, quantum existimo, diligenter ad ipsos Donatistas, post collationem quam cum episcopis eorum habuimus, ne ab eis seducerentur ulterius. Ubi respondi etiam quibus-

[1] Ita Mss. hic, et infra cap. 47; quibus locis editi habent, *gratia Dei.*

(*a*) Certe istud nomen quæsitum diligenter in versione LXX nusquam nobis occurrit; sed quibus locis Vulgata habet *cæremonias*, in illa reperimus DIKAIÔMATA, *justificationes*; vel, PROSTAGMATA, *præcepta*; vel PHULAKAS, *custodias*; vel LATREIAN, *servitutem*; NOMON, etc.

dam vanitatibus eorum, quæ ad nos pervenire potuerunt, quas victi, ubi poterant et quomodo poterant, jactitabant; præter illa quæ dixi de Gestis collationis, unde quid actum sit breviter nosceretur. Multo autem brevius id egi in quadam ad eosdem rursus epistola. Sed quia in concilio Numidiæ omnibus qui ibi eramus hoc fieri placuit, non est in epistolis meis (*a*). Sic quippe incipit: *Sylvanus senex, Valentinus, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, et cæteri episcopi de concilio Zertensi* [1] *ad Donatistas.* Hic liber sic incipit: *Quid adhuc Donatistæ, seducimini?*

## CAPUT XLI.

*De Videndo Deo, liber unus.*

De Videndo Deo scripsi librum (*Epist.* 147, *ad Paulinam*), ubi de spirituali corpore quod erit in resurrectione sanctorum inquisitionem diligentiorem distuli, utrum vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur; sed eam postea quæstionem sane difficillimam in novissimo, id est in vigesimo et secundo libro de Civitate Dei (*Cap.* 29, *n.* 1, *sqq.*), satis, quantum arbitror, explicavi. Inveni etiam in quodam nostro codice, in quo et iste liber est, quoddam commonitorium a me factum de hac re ad episcopum Siccensem Fortunatianum; quod in opusculorum meorum indiculo nec inter libros, nec inter epistolas est notatum (*b*). Hic liber sic incipit: *Memor debiti.* Illud autem: *Sicut præsens rogavi.*

## CAPUT XLII.

*De Natura et Gratia, liber unus.*

Venit etiam tunc in manus meas quidam Pelagii liber, ubi hominis naturam contra Dei gratiam qua justificatur impius, et qua christiani sumus, quanta potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic respondi, defendens gratiam, non contra naturam, sed per quam natura liberatur et regitur, de Natura et Gratia nuncupavi. In quo verba quædam quæ velut Xysti Romani episcopi et martyris Pelagius posuit, ita defendi tanquam revera ejusdem Xysti essent; id enim putaveram: sed postea legi Sexti philosophi esse, non Xysti christiani (*c*). Hic liber sic incipit *Librum quem misistis.*

## CAPUT XLIII.

*De Civitate Dei, libri viginti duo.*

1. Interea Roma Gothorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magnæ cladis eversa est; cujus eversionem deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine Paganos vocamus, in christianam religionem referre conantes, solito acerbius et amarius Deum verum blasphemare cœperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei, adversus eorum blasphemias vel errores libros de Civitate Dei scribere institui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quæ differre non oporteret, et me prius ad solvendum occupabant. Hoc autem de Civitate Dei grande opus tandem viginti duobus libris est terminatum. Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, ut ad hoc multorum deorum cultum quos Pagani colere consueverunt, necessarium esse arbitrentur; et quia prohibetur, mala ista exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque adversus eos loquuntur, qui fatentur hæc mala nec defuisse unquam, nec defutura mortalibus, et ea nunc magna, nunc parva, locis, temporibus, personisque variari: sed deorum multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter vitam post mortem futuram esse utilem disputant. His ergo decem libris duæ istæ vanæ opiniones christianæ religioni adversariæ refelluntur.

2. Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra asseruisse reprehenderet; id agit pars altera operis hujus, quæ libris duodecim continetur. Quanquam ubi opus est, et in prioribus decem quæ nostra sunt asseramus, et in duodecim posterioribus redarguamus adversa. Duodecim ergo librorum sequentium primi quatuor continent exortum duarum civitatum, quarum est una Dei, altera hujus mundi. Secundi quatuor, excursum earum sive procursum. Tertii vero, qui et postremi, debitos fines. Ita omnes viginti et duo libri cum sint de utraque civitate conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de Civitate Dei potius vocarentur. In quorum decimo libro non debuit pro miraculo poni in Abrahæ sacrificio, flammam cœlitus factam inter divisas victimas cucurrisse (*Cap.* 8); quoniam hoc illi in visione monstratum est. In septimo decimo libro, quod dictum est de Samuele, *Non erat de filiis Aaron* (*Cap.* 5, *n.* 2); dicendum potius fuit, Non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotum defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit: nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis (*a*); sed sacerdos non fuit, nec ita in filiis ut eum ipse genuerit Aaron, sed sicut omnes illius populi dicuntur filii Israel. Hoc opus sic incipit: *Gloriosissimam civitatem Dei.*

## CAPUT XLIV.

*Ad Orosium, contra Priscillianistas et Origenistas, liber unus.*

Inter hæc Orosii cujusdam Hispani presbyteri consultationi de Priscillianistis, et de quibusdam Origenis sensibus quos catholica fides improbat, quanta potui brevitate ac perspicuitate respondi: cujus opusculi titulus est ad Orosium, contra Priscillianistas et Ori-

[1] Lov., *Cirtensi.* Nonnulli vero Mss., *Zersensi,* aut, *Teriensi.* Bodleianus Ms. et Colleg. Merton. Mss. duo, *Zirtensi.* Alius Bodl., *Hetrensi.* At Am. et Er. cum Mss. tredecim ferunt, *Zertensi.* Hanc lectionem confirmant Mss. quibus liber iste integer continetur.

(*a*) Inter eas nunc est ordine 141.

(*b*) Nunc inter Epistt. reperitur ordine 148, tom. 2, p. 739.

(*c*) Verba illa Sexti philosophi esse legit forte Augustinus apud Hieron. qui Epist. ad Ctesiphontem. et in Jerem. c. 22, et in Ezech. c. 18, erroris causam in Rufinum refert. Eum enim cum Sexti sententias e græco in latinum vertisset, sub nomine S. Xysti martyris urbis Romæ episcopi edidisse criminatur. Hinc porro lectitari passim a piis viris et in modum *annuli*, quem earum collectioni titulum fecerat Rufinus, in manu gestari semper, adeoque familiariter haberi contigit, ut inde sententiam S. P. Benedictus in regulæ suæ capite 7, protulerit in hæc verba: « Sicut scriptum est, Sapiens verbis innotescit paucis. »

(*a*) Imo Samuel in filiis Core æmuli Aaron reperitur I Paralip. 6. Incidit ergo in vitiosum codicem, aut certe ab aliquo alio deceptus fuit S. Augustinus.

genistas. Et ipsa enim consultatio responsioni meæ a capite adjuncta est. Hic liber sic incipit : *Respondere tibi quærenti, dilectissime fili Orosi.*

## CAPUT XLV.

*Ad Hieronymum presbyterum libri duo ; unus de Origine Animæ, et alius de Sententia Jacobi.*

Scripsi etiam duos libros ( *Epistt.* 166, 167 ) ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethlehem : unum de Origine Animæ hominis ; alterum de Sententia Jacobi apostoli, ubi ait, *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (*Jacobi* II, 10) ; de utroque consulens eum. Sed in illo priore quæstionem quam proposui ipse non solvi ; in posteriore autem quid mihi de illa solvenda videretur ipse non tacui : sed utrum hoc approbaret etiam ille, consului. Rescripsit autem laudans eamdem consultationem meam ; sibi tamen ad respondendum otium non esse respondit. Ego vero quousque esset in corpore, hos libros edere nolui, ne forte responderet aliquando, et cum ipsa responsione ejus potius ederentur. Illo autem defuncto ad hoc edidi priorem, ut qui legit admoneatur aut non quærere omnino quomodo detur anima nascentibus, aut certe de re obscurissima eam solutionem quæstionis hujus admittere, quæ contraria non sit apertissimis rebus, quas de originali peccato fides catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnandis : posteriorem vero, ad hoc ut quæstionis de qua ibi agitur, etiam quæ nobis visa est solutio ipsa noscatur. Hoc opus sic incipit : *Deum nostrum qui nos vocavit.*

## CAPUT XLVI.

*Ad Emeritum Donatistarum episcopum, post collationem, liber unus.* — [Non exstat.]

Ad Emeritum Donatistarum episcopum, qui in collatione nostra quam cum illis habuimus, eorum causam maxime agere videbatur, aliquanto post eamdem collationem scripsi librum satis utilem, quoniam res quibus vincuntur, vel victi esse monstrantur, commoda brevitate complectitur. Hic liber sic incipit : *Si vel nunc, frater Emerite.*

## CAPUT XLVII.

*De Gestis Pelagii, liber unus.*

Per idem tempus in Oriente, hoc est in Syria Palæstina, Pelagius a quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia Gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab episcopis quatuordecim auditus est ; ubi cum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Christi adversus eum de libello legebantur, catholicum pronuntiarunt. Sed cum in manus nostras eadem Gesta venissent, scripsi de his librum, ne illo velut absoluto, eadem quoque dogmata putarentur judices approbasse, quæ ille nisi damnasset, nullo modo ab eis nisi damnatus exisset. Hic liber sic incipit : *Posteaquam in manus nostras.*

## CAPUT XLVIII.

*De Correctione Donatistarum, liber unus.*

Eodem tempore scripsi etiam librum de Correctione Donatistarum (*Epist.* 185, *ad Bonif.*), propter eos qui nolebant illos legibus imperialibus corrigi. Hic liber sic incipit : *Laudo, et gratulor, et admiror.*

## CAPUT XLIX.

*De Præsentia Dei, ad Dardanum, liber unus.*

De Præsentia Dei scripsi librum, ubi nostra intentio contra hæresim Pelagianam maxime vigilat, non expresse nominatam ; sed in eo etiam de præsentia naturæ, quem Deum summum et verum dicimus, et de templo ejus operose ac subtiliter disputatur. Hic liber sic incipit : *Fateor me, frater dilectissime Dardane.*

## CAPUT L.

*Contra Pelagium et Cœlestium, de Gratia Christi et de Peccato Originali, ad Albinam, Pinianum et Melaniam, libri duo.*

Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est ; scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, alterum de Peccato Originali. Hoc opus sic incipit : *Quantum de vestra corporali et maxime spirituali salute gaudeamus.*

## CAPUT LI.

*Gesta cum Emerito donatista, liber unus.*

Aliquanto post collationem quam cum hæreticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem. Ibi apud ipsam Cæsaream Emeritum Donatistarum episcopum vidimus, unum scilicet eorum septem quos pro suæ causæ defensione delegerant, et qui in eadem causa maxime laboraverat. Quæ cum illo egerimus præsentibus episcopis ejusdem provinciæ, et plebe Cæsariensis Ecclesiæ, in qua civitate et civis et memoratorum hæreticorum episcopus fuit, ecclesiastica Gesta testantur, quæ in meis habentur opusculis. Ubi non inveniens quid responderet, totum sermonem meum quem de solis Maximianistis in auribus ejus et omnium qui aderant explicavi, tanquam mutus audivit. Hic liber vel hæc Gesta sic incipiunt : *Gloriosissimis imperatoribus Honorio duodecimum et Theodosio octavum consulibus* [1].

## CAPUT LII.

*Contra Sermonem Arianorum, liber unus.*

Inter hæc, venit in manus meas quidam sermo Arianorum, sine nomine auctoris sui. Huic, petente atque instante qui eum mihi miserat, quanta potui

[1] Bodleianus codex sic habet : *Gloriosissimo Honorio Augusto duodecies, et Constantio iterum, V. V. C. C. coss. die* XI *cal. octobris, Cæsareæ in ecclesia Majoris.* Mss. aliquot ex præcipuis sic ferunt : *Gloriosissimo Honorio Augusto et Constantio iterum, VV. CC. coss. die* XI *cal. octobr. Cæsareæ in ecclesia Majoris.* Alii plerique consentiunt ; sed nonnulli post *Honorio Augusto*, interponunt, XII, vel *duodecies*. Verum hic annus haud concurrit cum secundo Constantii consulis, quem nihilominus edd. omnes, quos inspicere per nos licuit, assignant. Ex iis etiam pauci sunt qui habent, *in ecclesia majori*, ut est in edd. Nihil tamen hic mutavimus.

etiam brevitate ac celeritate respondi; adjuncto eodem sermone a capite responsionis meæ, et adhibitis ad singula numeris, quibus inspectis, quid cui loco responderim, facile possit adverti. Hic liber, post eorum sermonem qui a capite adjunctus est, sic incipit : *Eorum præcedenti disputationi, hac disputatione respondeo.*

## CAPUT LIII.

*De Nuptiis et Concupiscentia, ad Valerium comitem, libri duo.*

Scripsi duos libros ad illustrem virum comitem Valerium, cum audissem Pelagianos ei nescio quid scripsisse de nobis, quod scilicet nuptias damnaremus, asserendo originale peccatum : quorum librorum titulus est, de Nuptiis et Concupiscentia. Bonitatem quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentia carnis, et lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Ut autem duo libri essent, primus venit in Juliani pelagiani manus, et scripsit adversus eum libros quatuor, ex quibus quidam nonnulla decerpsit, et comiti Valerio misit, ille vero ad nos. Quæ cum accepissem, alio libro ad eadem ipsa respondi. Hujus operis primus liber sic incipit : *Hæretici novi, dilectissime fili Valeri.* Secundus autem sic : *Inter militiæ tuæ curas.*

## CAPUT LIV.

*Locutionum libri septem.*

Septem libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est Moysi quinque, et uno Jesu Nave, et altero Judicum, feci, notatis locutionibus singulorum quæ minus usitatæ sunt linguæ nostræ : quas parum advertendo sensum quærunt, qui legunt, divinorum eloquiorum, cum sit locutionis genus, et nonnunquam exsculpunt aliquid quod a veritate quidem non abhorreat; non tamen id sensisse auctor a quo hoc scriptum est invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum ubi sententiæ patent; ut etiam ubi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus operis titulus est, Locutiones de Genesi; atque ita de singulis libris. Quod autem in libro primo posui (*Num.* XVIII) scriptum esse, *Et fecit Noe omnia verba quæcumque præcepit illi Dominus, sic fecit* (*Gen.* VI, 22), eamque locutionem dixi esse similem ei quod in conditione creaturæ : posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *et fecit Deus* (*Id.* I); non omni modo simile hoc eidem mihi videtur. Denique ibi etiam sensus latet; hic sola locutio est. Hoc opus sic incipit : *Locutiones Scripturarum.*

## CAPUT LV.

*Quæstionum libri septem.*

1. Eodem tempore scripsi etiam libros Quæstionum de Libris eisdem divinis septem, quos ideo appellare sic volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quam quæsita dissolvi; quamvis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, ut possint etiam soluta et exposita non immerito judicari. Regnorum quoque libros eodem modo jam considerare cœperamus; sed non multum progressi, in alia quæ magis urgebant animum intendimus. In primo autem libro, ubi agitur de virgis variatis quas ponebat Jacob in aqua, ut in conceptu positæ oves eas viderent cum biberent, et varios fetus parerent (*Quæst.* 93); non bene a nobis exposita est causa cur iterum concipientibus non ponebat, id est, cum alios fetus conciperent, sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expositio (*Quæst.* 95), ubi quæritur cur dixerit socero suo Jacob, *Et decepisti mercedem meam decem agnabus* (*Gen.* XXXI, 41), satis veraciter enodata, demonstrat istam, sicut solvi debuit, non solutam.

2. In tertio quoque libro, ubi de summo agitur sacerdote, quomodo creabat filios, cum haberet necessitatem bis in die ingredi in sancta sanctorum, ubi erat altare incensi, ad offerendum incensum mane et vespera (*Exod.* XXX, 7, 8), quo non posset, sicut Lex dicit, immundus intrare; et eadem Lex dicat, immundum fieri hominem etiam ex concubitu conjugali, quem jubet quidem lavari aqua, sed et lotum dicit immundum esse usque ad vesperam (*Lev.* XV, 16); unde dixi, *Consequens fuisse ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum* (*Quæst.* 82) : non vidi non fuisse consequens. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, *Immundus erit usque ad vesperam*, ut per ipsam vesperam [1] jam non esset immundus, sed usque ad ipsam, ut vespertino jam tempore incensum mundus offerret, cum propter creandos filios post matutinum incensum mixtus esset uxori. Itemque ubi quæsitum est quomodo prohibitus esset super funus patris sacerdos summus intrare (*Levit.* XXI, 11), cum eum fieri sacerdotem (quando unus erat), nisi post mortem sacerdotis patris non oporteret; dixi, *Propter hoc necesse fuisse, nondum sepulto patre statim post ejus mortem, filium ejus constitui, qui succederet patri; propter etiam continuationis incensum, quod bis in die necesse erat offerri* (*Quæst.* 83); qui sacerdos super mortem nondum sepulti patris prohibetur intrare. Sed parum attendi, potuisse hoc præcipi magis propter illos qui futuri fuerant summi sacerdotes, non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est ex posteris Aaron, si forte summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet ut nullius eorum patri deberet succedere : sicut Samuel summo sacerdoti Heli successit (I *Reg.* I); cum sacerdotis filius ipse non esset, sed tamen ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aaron (*a*).

[1] In Mss. quibusdam et Am., *post ipsam vesperam.* Non consentanee, nisi subaudiatur *inchoatam.*

(*a*) Etsi non levia sint rationum momenta propter quæ recentiores sacrarum Litterarum tractatores sentiunt Samuelem inter levitas solummodo esse numerandum, ut qui non oriundus sit ex Aarone inter posteros Levi natu majore; attamen plerique veterum cum S. Augustino sacerdotalem ipsi dignitatem ascribunt : Cypr. Epist. 65; Ambros. in Psal. 118, serm. 18, etc.

3. De latrone etiam cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43), quod non fuerit visibiliter baptizatus, quasi certum posui (*Quæst.* 84), cum sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credendum sit, sicut ego quoque alibi postea disputavi. Item quod in quinto libro dixi, ubi commemorantur matres in generationibus evangelicis, *non eas positas nisi cum patribus* (*Quæst.* 46, *n.* 2), verum est quidem, sed ad rem de qua agebatur non pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquorum conjuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Joseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere disserui, cum retractaremus opus nostrum contra Faustum manichæum. Hoc opus sic incipit : *Cum Scripturas sanctas, quæ appellantur Canonicæ.*

## CAPUT LVI.

*De Anima et ejus Origine, libri quatuor.*

Eodem tempore, quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæsariensi invenit apud Hispanum quemdam presbyterum Petrum, nonnullum opusculum meum, ubi quodam loco de origine animæ hominum singulorum, utrum ex illa una primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur, an sicut illi uni sine ulla propagatione singulæ singulis dentur, me nescire confessus sum ; verumtamen scire animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eumdem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Cæsarea Renatus monachus misit. Quibus ego lectis, responsione mea quatuor reddidi ; unum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, et duos ad eumdem Victorem. Sed ad Petrum, quamvis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est quam nolui a tribus cæteris separari. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam, et multos errores atque pravitates præsumptionis ejus ostendi. Quem tamen juvenem non præpropere detestandum, sed adhuc docendum quanta potui lenitate tractavi, et ab eo rescripta correctionis ejus accepi. Hujus operis liber ad Renatum sic incipit : *Sinceritatem tuam erga nos.* Ad Petrum autem sic : *Domino dilectissimo fratri, et compresbytero Petro.* Duorum vero novissimorum ad Vincentium Victorem primus sic incipit : *Quod mihi ad te scribendum putavi.*

## CAPUT LVII.

*Ad Pollentium, de Adulterinis Conjugiis, libri duo.*

Scripsi duos libros de Conjugiis Adulterinis, quantum potui secundum Scripturas, cupiens solvere difficillimam quæstionem. Quod utrum enodatissime fecerim, nescio ; imo vero non me pervenisse ad hujus rei perfectionem sentio, quamvis multos sinus ejus aperuerim, quod judicare poterit quisquis intelligenter legit. Hujus operis primus liber sic incipit : *Prima quæstio est, frater dilectissime Pollenti.* Secundus autem sic : *Ad ea quæ mihi scripseras.*

## CAPUT LVIII

*Contra Adversarium Legis et Prophetarum, libri duo.*

Interea liber quidam cujusdam hæretici sive Marcionistæ, sive cujuslibet eorum quorum error opinatur quod istum mundum non Deus fecerit, nec Deus Legis quæ data est per Moysen, et Prophetarum ad eamdem Legem pertinentium, verus sit Deus, sed pessimus dæmon ; cum apud Carthaginem multis confluentibus et attentissime audientibus, in platea maritima legeretur, pervenerunt ad eum fratres studiosissime christiani, eumque mihi redarguendum sine ulla dilatione miserunt, multum rogantes, ut nec ego respondere differrem. Refelli eum libris duobus, quos ideo prænotavi, Contra Adversarium Legis et Prophetarum, quia codex ipse qui missus est, nomen non habebat auctoris. Hoc opus sic incipit : *Libro quem misistis, fratres dilectissimi.*

## CAPUT LIX.

*Contra Gaudentium Donatistarum episcopum, libri duo.*

Per idem tempus Dulcitius tribunus et notarius hic erat in Africa exsecutor imperialium jussionum contra Donatistas datarum. Qui cum dedisset litteras ad Gaudentium Tamugadensem Donatistarum episcopum, unum illorum septem quos in nostra collatione auctores suæ defensionis elegerant, exhortans eum ad unitatem catholicam, et dissuadens incendium quo se ac suos cum ipsa in qua erat ecclesia consumere minabatur, addens etiam ut si se justos putarent, fugerent potius secundum præceptum Domini Christi quam nefandis se ignibus concremarent ; rescripsit ille epistolas duas : unam brevem, festinante, ut asseruit, perlatore ; aliam prolixam, quasi plenius diligentiusque respondens. Has mihi supra memoratus tribunus existimavit mittendas, ut eas potius ipse refellerem ; quas ambas uno libro redargui. Qui cum in ejusdem Gaudentii pervenisset manus, rescripsit quod ei visum est ad meipsum, nulla ratione respondens, sed magis se nec respondere, nec tacere potuisse declarans. Quod cum satis posset intelligenter legentibus, et nostra atque ipsius dicta conferentibus apparere, nolui tamen sine rescripto relinquere quidquid illud fuit. Hinc factum est ut hi nostri ad illum duo libri essent. Hoc opus sic incipit : *Gaudentius Donatistarum Tamugadensis episcopus.*

## CAPUT LX.

*Contra Mendacium, liber unus.*

Tunc et contra mendacium scripsi librum cujus operis ea causa exstitit, quod ad Priscillianistas hæreticos vestigandos, qui hæresim suam non solum negando atque mentiendo, verum etiam pejerando existimant occulendam, visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent. Quod ego fieri prohibens, hunc librum condidi. Hic liber sic incipit : *Multa mihi legenda misisti.*

## CAPUT LXI.

*Contra duas Epistolas Pelagianorum, libri quatuor.*

Sequuntur libri quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ad episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi; quia cum in manus ejus venissent, ipse mihi eas miserat, inveniens in illis calumniose interpositum nomen meum. Hoc opus sic incipit: *Noveram te quidem, fama celeberrima prædicante.*

## CAPUT LXII.

*Contra Julianum, libri sex.*

Interea libri quatuor Juliani pelagiani, quos supra commemoravi, venerunt etiam in manus nostras; in quibus comperi illa quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, non omnia eo modo quo a Juliano dicta sunt, ad eumdem comitem scripta, sed nonnulla eorum aliquantum fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros, adversus illos quatuor; sed meorum duo primi, testimoniis sanctorum qui fidem catholicam post Apostolos defenderunt, Juliani impudentiam redarguunt, qui tanquam Manichæorum dogma nobis objiciendum putavit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lavacrum regenerationis, non solum in majoribus, verum etiam in parvulis solvitur. Quantum autem ipse Julianus quibusdam sententiis suis adjuvet Manichæos, in primi libri mei parte posteriore monstravi. Cæteri autem nostri quatuor redduntur illis singulis singuli. Verum in hujus tanti tamque elaborati operis quinto volumine, ubi commemoravi deformem maritum conjugi suæ, ne deformes pareret, proponere in concubitu formosam solere picturam (*Cap.* 14, *n.* 51); nomen hominis qui hoc facere solebat, quasi certum posui, cum sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus auctor medicinæ [1] scripsit regem Cyprium facere solere, sed nomen ejus proprium non expressit. Hoc opus sic incipit: *Contumelias tuas et verba maledica, Juliane.*

## CAPUT LXIII.

*Ad Laurentium, de Fide, Spe et Charitate, liber unus.*

Scripsi etiam librum de Fide, Spe et Charitate, cum a me, ad quem scriptus est, postulasset ut aliquod opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum: quod genus Græci Enchiridion vocant. Ubi satis diligenter mihi videor esse complexus quomodo sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis utique veram divina Scriptura definit. Hic liber sic incipit: *Dici non potest, dilectissime fili Laurenti, quantum tua eruditione delecter.*

## CAPUT LXIV.

*De cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum episcopum, liber unus.*

Librum de Cura pro mortuis gerenda scripsi, cum interrogatus litteris fuissem, utrum prosit cuique post mortem quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur. Hic liber sic incipit: *Diu Sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline.*

## CAPUT LXV.

*De octo Dulcitii Quæstionibus, liber unus.*

Liber quem prænotavi de octo Dulcitii Quæstionibus, non esset in hoc opere commemorandus inter libros meos, cum sit confectus ex iis quæ a me in aliis antea conscripta sunt; nisi et disputationis aliquid a nobis interpositum reperiretur in eo, et uni earum quæstionum non ex opusculo aliquo alio meo responsionem, sed tunc quæ potuit occurrere, reddidissem. Hic liber sic incipit: *Quantum mihi videtur, dilectissime fili Dulciti.*

## CAPUT LXVI.

*Ad Valentinum et cum illo monachos, de Gratia et Libero Arbitrio, liber unus.*

Propter eos qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium ut negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librum cujus titulus est, de Gratia et Libero Arbitrio. Ad eos autem scripsi monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita ut me consulere eorum aliqui cogerentur. Hic liber sic incipit: *Propter eos qui hominis liberum arbitrium.*

## CAPUT LXVII.

*Ad quos supra, de Correptione et Gratia, liber unus.*

Rursus ad eosdem scripsi alterum librum, quem de Correptione et Gratia prænotavi, cum mihi nuntiatum esset dixisse ibi quemdam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit; sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum. Hic liber sic incipit: *Lectis litteris vestris, Valentine frater dilectissime.*

Hæc opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractavi, utrum adhuc essem aliquos dictaturus ignorans; atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi, urgentibus fratribus, antequam epistolas ac sermones ad populum, alios dictatos, alios a me dictos retractare cœpissem [1].

[1] Ita Mss. a quibus dissidentes hic vulgati habent, *medicinæ artis magister*. At lib. 5 contra Julianum, cap. 14, in concordiam cum Mss. redeunt.

[1] In codicibus aliquot veteribus, postremo capitulo ascripta hæc a prima manu reperimus: *Libri qui post emendationem istorum, a sancto Augustino episcopo scripti et editi sunt:* Retractationum *isti* duo libri. *Liber qui appellatur* Speculum de testimoniis Scripturarum. Ad Prosperum et Hilarium, de Prædestinatione Sanctorum libri duo. Ad Quodvultdeum diaconum, de Hæresibus libri duo. Contra Gesta habita cum Maximino Arianorum episcopo (*quoniam dies quo præsentes conferebant disputatione ejus prolixa absumptus est*), libri duo. Contra Julianum pelagianum libri sex: *Septimum vero imperfectum reliquit; octavum autem nec attigit. Sunt enim ipsius Hæretici libri octo, quibus respondit ejus verba ponens, eisque subjungens responsiones suas.* Sic legitur in Mss. Pratellensi et S. Arnulfi Metensis, etc.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTIBUS CONFESSIONUM LIBRIS.

Quæ causa fecit ut scriptoris cujusque vita emittendis in publicum ejus libris solemni more præfigeretur, eadem etiam primos S. Augustini operum editores haud dubie movit ut Confessiones ipsius statim post Retractationum libros, qui recto ordine debent præcedere, in tomo primo collocarent. Nempe interest plurimum ut auctoris genium, studia, mores, probitatem, fidem, aliasque dotes perspectas habeat qui ejus scripta cum voluptate et cum profectu perlegere in animum inducit. Atqui in Confessionibus suis Augustinus totum se ipse expressit perquam accurate : quippe qui in iis non ea solum facta quæ hominum oculis subjecta esse potuissent; sed etiam ea quæ Deo tantum conscio in intimis agitaverat, cum bona, tum mala, singillatim exposuit. In his enim sicuti anteactæ vitæ vel levissima errata, sic etiam accepta a Deo beneficia fuse commemorat; æternum posteris relicturus sive pœnitentis, sive grati animi monumentum, præclarum etiam illius quam constanter erga nos exhibet Deus, et justitiæ et bonitatis exemplum. Atque hoc in primis studebat, scilicet (ipsius verbis rem ut explicemus) *et de malis et de bonis suis Deum laudare justum et bonum, atque in eum excitare humanum intellectum et affectum.* Id vero hac ratione exequitur.

In primo libro, præmissa Dei invocatione, recolit vitæ suæ primordia ad annum quintum decimum. Infantiæ peccata agnoscit et pueritiæ; atque hac ætate in lusum et puerilia quæque oblectamenta et vitia, quam in litterarum studia procliviorem se fuisse confitetur.

In secundo, ad ætatem aliam progreditur, primumque adolescentiæ suæ, id est, sextum decimum vitæ annum, quem in paterna domo, studiis intermissis, consumpserat genio ac libidinibus indulgens, ad mentem revocat cum gravi dolore, severus admodum in dijudicando furto a se tunc temporis cum sodalibus perpetrato.

Tertius liber de annis est ætatis illius decimo septimo, decimo octavo et decimo nono transactis Carthagine, ubi dum litterarii studii curriculum absolveret, se libidinosi amoris laqueo irretitum, necnon in Manichæorum hæresim prolapsum fuisse meminit. Adversus horum errores et ineptias disserit luculenter. Matris lacrymas, et responsum de filii resipiscentia divinitus acceptum refert.

In quarto libro eum pudet se illi sectæ addictum fuisse per novennium, atque alios secum in eumdem errorem pertraxisse; deinde amicum charissimum sibi interea morte præreptum, acerbiori quam æquum esset animi dolore fuisse prosecutum. Cujus occasione, de vana et de solida amicitia non pauca dicit. Mentionem denique facit librorum de Pulchro et Apto a se anno ætatis vigesimo sexto aut vigesimo septimo conscriptorum; necnon quam facili negotio liberalium artium libros atque Aristotelis Categorias, anno ætatis ferme vigesimo, per sese intellexerit.

In libro quinto annum ætatis suæ exhibet vigesimum nonum, quo scilicet comperta Fausti manichæi imperitia, propositum in illa secta proficiendi abjecit; quo etiam Roma, ubi tunc rhetoricam profitebatur, missus Mediolanum ut eamdem artem doceret, cœpit audito Ambrosio resipiscere, et de Manichæismo abdicando necnon de repetendo catechumenatu decernere.

In libro sexto, cum jam Monnica ipsius mater Mediolanum advenisset, ipseque annum ætatis ageret trigesimum; Ambrosii concionibus admonitus, catholicæ doctrinæ veritatem, quam Manichæi falso insimulabant, magis magisque intelligebat. Alypii amici sui mores prosequitur. In diversa rapiebatur, dum de vita melius instituenda deliberaret; mortis quoque ac judicii metu perculsus, ad vitæ conversionem in dies accendebatur.

In septimo libro exordium suæ juventutis, id est annum ætatis trigesimum primum, ob mentis oculos reducit. Narrat se illa ætate densioribus adhuc ignorantiæ tenebris involutum atque errantem circa Dei naturam, necnon circa originem mali, in cujus inquisitione se mirum in modum angebat, pervenisse tandem ad cognitionem Dei sinceram; quamvis nondum digne de Domino Christo sentiret.

Liber octavus vitæ ipsius partem attingit celeberrimam, annum videlicet ætatis trigesimum secundum, quo nempe cum Simplicianum consuluisset, ab eoque didicisset Victorini conversionem, cum Antonii Ægyptii monachi vitam ex Pontitiani relatione cognovisset, post vehementem luctam carnem inter et animum, codicem Apostoli cœlesti admonitus oraculo inspexit; moxque ex illius lectione ad meliorem frugem toto animo immutatus fuit, pleneque ad Deum conversus.

In libro nono dicit de capto a se consilio rhetoricæ professionem abjiciendi, non tamen antequam vindemialium feriarum, quod proxime instabat, tempus advenisset. Tum de suo in Verecundi amici villam secessu, de suo baptismate, ac de Monnicæ matris virtutibus atque obitu, qui, baptizato ipso, incidit in eumdem hunccc annum, ætatis videlicet Augustini trigesimum tertium.

In libro decimo scrutatur deinceps, ac palam contestatur, non qualis antea, sed qualis tunc esset. Deum,

quem amat, studet indicare, dùmque per singula ducit rerum genera, multis explicat memoriæ vim plane stupendam, quod sua in memoria locum Deus habeat, gratulatus. Inquirit in actus, in sensus, et affectus suos omnes, ex triplici tentatione voluptatis, curiositatis, ac superbiæ. Dominum Christum unum mediatorem Dei et hominum confitetur, ejusque ope animi sui languores omnes sanandos esse confidit.

In libro undecimo et sequentibus tractat de Scripturis sanctis. Totum caput primum Geneseos, quo mundi creatio describitur, dissertationibus illustrat, difficultates incurrentes dissolvens, et ab adversariorum objectis vindicans. Sed in undecimo disputat paulo fusius de tempore. In duodecimo de materia informi, deque multiplici Scripturæ sensu. In tertio decimo Dei bonitatem ex rerum productione commendat; prædicat Deum Trinitatem, et Spiritus sancti propriam quamdam notionem. Denique creati mundi historiam allegorice exponit.

Hosce libros observamus scriptos circiter annum Christi quadringentesimum, propterea quod ab Augustino recensentur proxime ante illos quos episcopus adversus Faustum manichæum non multo ante vel post hunc annum elaboravit, uti suo dicetur loco. Certe si qua opera indubiam et distinctam temporis notam præ se non ferunt, si aliis demum argumentis id investigari non potest, decernendum videtur ex Retractationum serie; quandoquidem, quantum potuit, curavit Augustinus, ut nos ex ipsa ordinem quo quæque scripta sunt, nossemus (1). Neque difficilebimur tamen quin interdum chronologiæ minus, magis autem pertractati argumenti rationem habuerit.

S. Augustinus epistola 231, Dario comiti, n. 6.

« Sume libros, quos desiderasti, Confessionum mearum. Ibi me inspice; ne me laudes ultra quam sum; ibi non aliis de me crede, sed mihi; ibi me attende, et vide quid fuerim in meipso, per meipsum : et si quid in me tibi placuerit, lauda ibi mecum, quem laudari volui de me; neque enim me. Quoniam ipse fecit nos, et non ipsi nos : nos autem perdideramus nos; sed qui fecit, refecit. Cum autem ibi me inveneris, ora pro me, ne deficiam, sed perficiar. »

Ex libro de dono Perseverantiæ, cap. xx.

« Quid autem meorum opusculorum frequentius et delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum? Cum et ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis exstitisset, in eis certe dixi Deo nostro, et sæpe dixi : *Da quod jubes, et jube quod vis.* Quæ mea verba Pelagius Romæ cum a quodam fratre coepiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit; et contradicens aliquanto commotius, pene cum eo qui illa commemoraverat, litigavit. »

*Vide præterea librum* 2, *cap.* 6, Retractationum, *pag.* 632, *n.* 1 *et* 2, *verbis*, Confessionum mearum, *usque ad verba*, Magnus es, Domine. M.

(1) Prolog. Retract. n. 5.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# CONFESSIONUM

## LIBRI TREDECIM (a).

## *LIBER PRIMUS*

Præmissa Dei invocatione, recolit vitæ suæ primordia ad annum decimum quintum. Infantiæ peccata agnoscit et pueritiæ; atque hac ætate in lusum et puerilia quæque oblectamenta, quam in litterarum studia procliviorem se fuisse confitetur.

### CAPUT PRIMUM.

*Deum vult laudare ab ipso excitatus.*

1. Magnus es, Domine, et laudabilis valde (*Psal.* CXLIV, 3) : magna virtus tua, et sapientiæ tuæ non est numerus (*Psal.* CXLVI, 5). Et laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ; et homo circumferens

(a) Scripti anno circiter 400.

mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, et testimonium quia superbis resistis [1] (I *Petr.* v, 5) : et tamen laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ. Tu excitas, ut laudare te delectet; quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Da mihi, Domine, scire et intelligere utrum sit prius invocare te, an laudare te; et scire te prius sit, an invocare te. Sed quis te invocat, nesciens te? Aliud enim pro alio potest invocare nesciens te. An potius invocaris, ut sciaris? Quomodo autem invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent sine prædicante? (*Rom.* x, 14.) Et laudabunt Dominum qui requirunt eum (*Psal.* xxi, 27). Quærentes enim invenient eum, et invenientes laudabunt eum. Quæram te, Domine, invocans te; et invocem te, credens in te : prædicatus enim es nobis. Invocat te, Domine, fides mea quam dedisti mihi, quam inspirasti mihi per humanitatem Filii tui, per ministerium prædicatoris tui.

## CAPUT II.

*Deum quem invocat in ipso esse, ipsumque in Deo.*

2. Et quomodo invocabo Deum meum, Deum et Dominum meum? Quoniam utique in me ipsum eum vocabo, cum invocabo eum. Et quis locus est in me quo veniat in me Deus meus? quo Deus veniat in me, Deus qui fecit cœlum et terram? Itane, Domine Deus meus, est quidquam in me quod capiat te? An vero cœlum et terra quæ fecisti, et in quibus me fecisti, capiunt te? An quia sine te non esset quidquid est, fit ut quidquid est capiat te? Quoniam itaque et ego sum, quid peto ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? Non enim ego jam in inferis[2], et tamen etiam ibi es. Nam etsi descendero in infernum, ades (*Psal.* cxxxviii, 8). Non ergo essem, Deus meus, non omnino essem, nisi esses in me. An potius non essem, nisi essem in te, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* xi, 56)? Etiam sic, Domine, etiam sic. Quo te invoco, cum in te sim? aut unde venias in me? Quo enim recedam extra cœlum et terram, ut inde in me veniat Deus meus, qui dixit : *Cœlum et terram ego impleo?* (*Jerem.* xxiii, 24.)

## CAPUT III.

*Deus sic ubique totus, ut res nulla ipsum totum capiat.*

3. Capiunt ergone te cœlum et terra, quoniam tu imples ea? An imples, et restat, quoniam non te capiunt? Et quo refundis quidquid impleto cœlo et terra restat ex te? An non opus habes, ut quoquam continearis, qui continès omnia; quoniam quæ imples, continendo imples? Non enim vasa quæ te plena sunt, stabilem te faciunt; quia etsi frangantur, non effunderis. Et cum effunderis super nos, non tu jaces, sed erigis nos; nec tu dissiparis [1], sed colligis nos. Sed qui [2] imples omnia, te toto imples omnia? An quia non possunt te totum capere omnia, partem tui capiunt, et eamdem partem simul omnia capiunt? An singulas singula, et majores majora, minores minora capiunt? Ergo est aliqua pars tui major, aliqua minor. An ubique totus es, et res nulla te totum capit?

## CAPUT IV.

*Dei majestas et perfectiones inexplicabiles.*

4. Quid es ergo, Deus meus? quid, rogo, nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? (*Psal.* xvii, 32.) Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et justissime, secretissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis; immutabilis, mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus; innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos, et nesciunt : semper agens, semper quietus; colligens, et non egens; portans, et implens, et protegens; creans, et nutriens, et perficiens; quærens, cum nihil desit tibi. Amas, nec

ADMONITIO P. P. BENEDICTINORUM.

Confessionum libri prodeunt hic de novo emendati ad veteres codices optimæ notæ Fossatensem, Thuaneum, Corbeiensem, Germanensem, Benignianum, qui ante annos 700 vel 800 scripti videntur :

Insuper ad alios codices inferioris ætatis, aut nobis qui non omnes propriis oculis exploravimus incompertæ ; scilicet ad Theodericensem, Albinensem, Lyranum, Valinensem, Regium, Vedastinum, Vaticanum, unum e bibliotheca RR. PP. Prædicatorum Paris. via Jacobea, ex Sorbonica duos, ex Victorina tres, ex bibliotheca RR. PP. Augustinianorum majoris conventus Paris. quatuor.

Denique, ad Variantes Lectiones Lovaniensium cura ex quinque manuscriptis collectas ; necnon ad quatuor manuscriptos Anglicanos, scilicet unum ex Bodleiana bibliotheca, duos ex Collegio Mertonensi, et unum ex Archiva Laudina.

Confessionum Libris emendandis adhibiti sunt editi codices antiquiores et castigatiores :

*Am.* id est, liber excusus Basileæ per Joannem de Amerbach, anno Domini 1489.
*Bad.* Quem Jodocus Badius per Joannem Parvum Parisiis excudi curavit, anno 1502.
*Er.* Desiderii Erasmi cura castigatus, et Frobeniano Brelo editus Basileæ, anno 1529.
*Lov.* Liber qui juxta recognitionem Theologorum Lovaniensium, ex Plantiniana typographia prodiit Antuerpiæ, anno 1777.
*Arn.* Editio quæ D. Antonii Arnaldi doctoris Sorbonici studio ad duodecim manuscriptos recognita prodiit Parisiis, anno 1649.

COMPARAVIMUS PRÆTEREA EDITIONES :

1° Lugd., *id est Lugdunensem, anni* 1561.
2° Er. Guill., *id est alteram Erasmi, Parisiis datam in ædibus Carolæ Guillard*, 1541.
3° Ven., *id est Venetam, anni* 1584.
4° Somm., *id est H. Sommalii e Societate Jesu, Coloniæ Agripinæ, anno* 1629.
5° Lov. Par., *id est Lovaniensium, quæ prodiit Parisiis* 1651.
6° Lov., *id est alteram Lovaniensium, Antverpiæ* 1662 *recusam.*
7° Dub. *id est D. Dubois, vulgatam Parisiis* 1687.
8° Benedict., *id est Benedictinam quæ Antverpiæ iterum prodiit* 1700-1702.
9° Mart., *id est a Dom. J. Martino Maurin recognitam ad antiquam Climmerii editionem et ad* 12 *Mss., Parisiis* 1741.
10° Flor., *id est Fr. Archangeli a Præsentatione sacerdotis, professi Carmelitæ excalceati, Theologiæ et Scripturæ Sacræ lectoris, recognitam ad complures editiones et ad* 13 *Etruriæ Mss. Florentiæ* 1757.
11° Rond., *id est L. St. Rondet studio collatum cum* 16 *Mss. et cum præcedentibus editionibus, Parisiis* 1776. M.

Duæ etiam nuperrimæ exstant editiones, P. Desb. et GG., id est, altera apud Parent-Desbarres, altera apud Gaume fratres Bibliopolas Parisiis vulgatæ. Utramque contulimus. M.

[1] Somm., Lov., Mart., ex quinque Mss.; Rond. ex tribus Mss. : *Superbis, Deus, resistis.* M.

[2] Theoderic. Ms. : *Ego sum inferi*, non intoleranter. Alii plerique : *Ego jam inferi*, librariorum lapsu, ut videtur. — Unus Codex apud Rond. : *Non enim ego sum in inferis.* M.

[1] Antiquiores Edd., scilicet à Jodoco Badio Ascensio, a Joanne Amerbachio et a Desiderio Erasmo, cum tribus Mss. : *Eispergeris.*

[2] In B., *quæ*; at Somm. Dub. Mart. Rond., *qui.* M.

æstuas; zelas, et securus es; pœnitet te, et non doles, irasceris et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium : recipis quod invenis, et nunquam amisisti [1]; nunquam inops, et gaudes lucris; nunquam avarus, et usuras exigis. Supererogatur tibi, ut debeas; et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid diximus [2], Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta? aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? Et væ tacentibus de te; quoniam loquaces muti sunt.

## CAPUT V.

*Petit amorem Dei, et delictorum veniam.*

5. Quis mihi dabit acquiescere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, et inebries illud, ut oblivisear mala mea, et unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miserere, ut loquar. Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est [3], si non amem te? Hei mihi! Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid sis mihi. *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 3). Sic dic, ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te, Domine; aperi eas, et *dic animæ meæ : Salus tua ego sum.* Curram post vocem hanc, et apprehendam te. Noli abscondere a me faciem tuam : moriar, ne moriar, ut eam videam.

6. Angusta est domus animæ meæ quo venias ad eam; dilatetur abs te. Ruinosa est; refice eam. Habet quæ offendant oculos tuos; fateor et scio : sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo, *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo?* (*Psal.* XVIII, 13, 14.) Credo, propter quod et loquor (*Psal.* CXV, 10); Domine, tu scis. Nonne tibi prolocutus sum adversum me delicta mea, Deus meus; et tu dimisisti impietatem cordis mei? (*Psal.* XXXI, 5.) Non judicio contendo tecum qui veritas es (*Job* IX, 2, 3); et ego nolo fallere meipsum, ne mentiatur iniquitas mea sibi (*Psal.* XXVI, 12). Non ergo judicio contendo tecum; quia si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit? (*Psal.* CXXIX, 3.)

## CAPUT VI.

*Infantiam suam describit, laudat Dei providentiam et æternitatem.*

7. Sed tamen, sine me loqui apud misericordiam tuam, me terram et cinerem. Sine [4] tamen loqui; quoniam ecce misericordia tua est, non homo irrisor meus, cui loquor. Et tu fortasse irrides me; sed conversus misereberis mei. Quid enim est quod volo dicere, Domine Deus meus, nisi quia nescio unde venerim huc, in istam dico vitam mortalem [5], an mortem vitalem, nescio. Et susceperunt me consolationes miserationum tuarum, sicut audivi a parentibus carnis meæ, ex quo [1] et in qua formasti me in tempore, non enim ego memini. Exceperunt ergo me consolationes lactis humani. Nec mater mea, vel nutrices meæ sibi ubera implebant : sed tu mihi per eas dabas alimentum infantiæ, secundum institutionem tuam et divitias usque ad fundum rerum dispositas. Tu etiam mihi dabas nolle amplius quam dabas; et nutrientibus me dare mihi velle quod eis dabas. Dare enim mihi per ordinatum affectum volebant quo ex te abundabant. Nam bonum erat eis bonum meum ex eis; quod non ex eis [2], sed per eas erat : ex te quippe bona omnia, Deus; et ex Deo meo salus mihi universa. Quod animadverti postmodum, clamante te mihi per hæc ipsa quæ tribuis intus et foris. Nam tunc sugere noram, et acquiescere delectationibus, flere autem offensiones carnis meæ; nihil amplius.

8. Post et ridere cœpi, dormiens primo, deinde vigilans. Hoc enim de me mihi indicatum est et credidi, quoniam sic videmus et alios infantes : nam ista mea non memini. Et ecce paulatim sentiebam ubi essem, et voluntates meas volebam ostendere eis per quos implerentur, et non poteram; quia illæ intus erant, foris autem illi, nec ullo suo sensu valebant introire in animam meam. Itaque jactabam membra et voces, signa similia voluntatibus meis, pauca quæ poteram, qualia poteram : non enim erant veri similia. Et cum mihi non obtemperabatur, vel non intellecto, vel ne obesset, indignabar non subditis majoribus, et liberis non servientibus, et me de illis flendo vindicabam. Tales esse infantes didici quos discere potui, et me talem fuisse magis mihi ipsi indicaverunt nescientes, quam scientes nutritores mei.

9. Et ecce infantia mea olim mortua est, et ego vivo. Tu autem, Domine, qui et semper vivis, et nihil moritur in te, quoniam ante primordia sæculorum, et ante omne quod vel ante dici potest, tu es, et Deus es Dominusque omnium quæ creasti : et apud te rerum omnium instabilium stant causæ; et rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; et omnium irrationabilium et temporalium sempiternæ vivunt rationes. Dic mihi supplici tuo, Deus, et misericors misero tuo; dic mihi utrum jam alicui ætati meæ mortuæ successerit infantia mea : an illa est quam egi intra viscera matris meæ? Nam et de illa mihi nonnihil indicatum est, et prægnantes ipse vidi feminas. Quid ante hanc etiam, dulcedo mea, Deus meus? fuine alicubi, aut aliquis? Nam quis mihi dicat ista, non habeo; nec pater nec mater potuerunt, nec aliorum experimentum, nec memoria mea. An irrides me ista quærentem, teque de hoc quod novi, laudari a me jubes, et confiteri me tibi [3]?

10. Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, laudem

[1] Juxta Somm. Flor. Rond. : *Amittis.* M.

[2] Somm. et Rond. ex uno Cd. : *Dicimus.* M.

[3] In antiquis Edd. Bad. Am. et Er., nec non in uno e Mss. additur, *miseria.*

[4] Summal.; Rond. ex novem Mss.; Mart. ex duobus Mss. : *Sine me.* M.

[5] Ita Mss. ferme omnes et editio per Antonium Arnaldum doctorem Sorbonicum adornata; ubi verbum *nescio* refertur ad superiorem sententiam : *Unde venerim huc*, qua se Augustinus significat circa animæ originem fluctuare. At Bad. Am. et Er. habent : *In istam dico mortalem vitam : mortalem dicam vitam, an mortem vitalem, nescio* : quam lectionem Lovanienses ad trium Mss. fidem sic mutarunt : *In istam dicam mortalem vitam, an mortem vitalem, nescio.*

[1] Apud Bad. Am. Er. et Lov.: *Ex qua et in qua.* Verius porro in Mss. et in editione Ant. Arnaldi pro designando utroque parente : *Ex quo et in qua.*

[2] In B., *quod ex eis non;* at Somm. Dub. Mart. Rond. cum 4 Mss. : *Quod non ex eis.* M.

[3] Somm. Lov. Rond. ex nonnullis Cdd., *quærentem te, qui de hoc, quod novi, laudari te.* M.

dicens tibi de primordiis et infantia mea quæ non memini; et dedisti ea homini ex aliis de se conjicere, et auctoritatibus etiam muliercularum multa de se credere. Eram enim et vivebam etiam tunc, et signa, quibus sensa mea nota aliis facerem, jam in fine infantiæ quærebam. Unde hoc tale animal nisi abs te, Domine? An quisquam se faciendi erit artifex? aut ulla vena trahitur aliunde, qua esse et vivere currat in nos, præterquam quod tu facis nos, Domine, cui esse et vivere non aliud atque aliud est; quia summe esse, atque summe vivere idipsum es? Summus enim es, et non mutaris; neque peragitur in te hodiernus dies, et tamen in te peragitur, quia in te sunt et ista omnia: non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficiunt [1], anni tui hodiernus dies: et quam multi jam dies nostri et patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, et ex illo acceperunt modos, et utcumque exstiterunt, et transibunt adhuc alii, et accipient, et utcumque existent! Tu autem idem ipse es; et omnia crastina atque ultra, omniaque hesterna et retro hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat et ipse, dicens: Quid est hoc? Gaudeat etiam sic; et amet non inveniendo invenire, potius, quam inveniendo non invenire te.

## CAPUT VII.

*Infantia quoque peccatis obnoxia.*

11. Exaudi, Deus. Væ peccatis hominum! Et homo dicit hæc, et misereris ejus; quoniam tu fecisti eum, et peccatum non fecisti in eo. Quis me [2] commemorat peccatum infantiæ meæ? Quoniam nemo mundus a peccato coram te, nec infans cujus est unius diei vita super terram (*Job.* XXV, 4). Quis me commemorat? An quilibet tantillus nunc parvulus, in quo video quod non memini de me? Quid ergo tunc peccabam? An quia uberibus inhiabam plorans? Nam si nunc faciam, non quidem uberibus, sed escæ congruenti annis meis ita inhians, deridebor atque reprehendar justissime. Tunc ergo reprehendenda faciebam: sed quia reprehendentem intelligere non poteram; nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat. Nam exstirpamus et ejicimus ista crescentes. Nec vidi quemquam scientem, cum aliquid purgat [3], bona projicere. An pro tempore etiam illa bona erant, flendo petere etiam quod noxie daretur, indignari acriter non subjectis hominibus, liberis et majoribus, hisque a quibus genitus est, multisque præterea prudentioribus non ad nutum voluntatis obtemperantibus; feriendo nocere niti quantum potest, quia non obeditur imperiis quibus perniciose obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego et expertus sum zelantem parvulum: nondum loquebatur, et intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. Quis hoc ignorat? Expiare se dicunt ista matres atque nutrices nescio quibus remediis. Nisi vero et ista innocentia est, in fonte lactis ubertim manante atque abundante, opis egentissimum, et illo adhuc uno alimento vitam ducentem, consortem non pati. Sed blande tolerantur hæc, non quia nulla vel parva, sed quia ætatis accessu peritura sunt. Quod licet probes, cum [1] ferri æquo animo eadem ipsa non possunt, quando in aliquo annosiore deprehenduntur.

12. Tu itaque, Domine Deus meus, qui dedisti vitam infanti, et corpus, quod ita ut videmus instruxisti sensibus, compegisti membris, figura decorasti, proque ejus universitate atque incolumitate omnes conatus animantis insinuasti; jubes me laudare te in istis et confiteri tibi, et psallere nomini tuo, Altissime (*Psal.* XCI, 2): quia Deus es omnipotens et bonus, etiamsi sola ista fecisses, quæ nemo alius potest facere, nisi tu, une, a quo est omnis modus; formosissime, qui formas omnia, et lege tua ordinas omnia. Hanc ergo ætatem, Domine, quam me vixisse [2] non memini, de qua aliis credidi, et quam me egisse ex aliis infantibus conjeci, quanquam ista multum fida conjectura sit, piget me annumerare huic vitæ meæ, quam vivo in hoc sæculo. Quantum enim attinet ad oblivionis meæ tenebras, par illi est quam vixi in matris utero. Quod si et [3] in iniquitate conceptus sum, et in peccatis me mater mea in utero aluit (*Psal.* L, 7); ubi, oro te, Deus meus, ubi, Domine, ego servus tuus, ubi aut quando innocens fui? Sed ecce omitto illud tempus: et quid mihi jam cum eo est, cujus nulla vestigia recolo?

## CAPUT VIII.

*Unde puer loqui didicerit.*

13. Nonne ab infantia huc pergens veni in pueritiam; vel potius ipsa in me venit, et successit infantiæ; Nec discessit illa: quo enim abiit? et tamen jam non erat. Non enim eram infans qui non farer, sed jam puer loquens eram. Et memini hoc; et unde loqui didicerim post adverti. Non enim docebant me majores homines præbentes mihi verba certo aliquo ordine doctrinæ, sicut paulo post litteras: sed ego ipse mente quam dedisti mihi, Deus meus, cum gemitibus et vocibus variis, et variis membrorum motibus edere vellem sensa cordis mei ut voluntati pareretur, nec valerem quæ volebam omnia, nec quibus volebam omnibus, præsonabam memoria [4]; cum ipsi appellabant rem aliquam, et cum secundum eam vocem corpus ad

[1] Lov., *an anni tui.* Abest tamen *an* a nostris Mss. et ab aliis plerisque Edd.— Eodem loco Somm. Rond. cum 6 Mss. legunt: *Deficient.* M.

[2] Lov. et Arnald.: *Quis mihi commemorat.* Bad. Am. et Er.: *Quis mecum commemorat;* sed vera lectio est quam Mss. ope restituimus, juxta quem loquendi modum in libro de Magistro, cap. 1, dicit Augustinus: *Duas jam loquendi causas constituo; aut ut doceamus, aut ut commemoremus vel alios vel nosmetipsos.*

[3] Angl. Mss., *purgabat.* — Ita Rond. cum 8 Cdd. M.

[1] Ita in Mss. et recte. Vult nimirum Augustinus posse vel ex eo probari, quod illa quæ infantibus benigne tolerantur mala sint, quia in ætate provectioribus tolerari æquo animo non possunt. Mendose ergo in Edd. legitur: *Quod licet probes, tamen ferri.*

[2] Er. Lugd. Ven. Lov. Sommal. Rond. cum 10 Mss. et Mart. cum tribus Mss.: *Qua me vixisse non memini;* et paulo post: *Qua vivo... qua vixi.* M.

[3] Omittitur, *si et,* in edit. Lovaniensi.

[4] Lov.: *Prensabam memoria.* Bad. Am. Er. et Arnald. cum nonnullis Mss.: *Pensabam memoria.* Melior visa est lectio Mss. Corb. Fossat. et aliorum optimæ notæ qui habent *præsonabam.*

aliquid movebant, videbam et tenebam hoc ab eis vocari rem illam, quod sonabant, cum eam vellent ostendere. Hoc autem eos velle ex motu corporis aperiebatur, tanquam verbis naturalibus omnium gentium, quæ fiunt vultu et nutu oculorum, cæterorumque membrorum actu, et sonitu vocis indicante affectionem animi, in petendis, habendis, rejiciendis, fugiendisve rebus. Ita verba in variis sententiis, locis suis posita, et crebro audita, quarum rerum signa essent, paulatim colligebam, measque jam voluntates edomito in eis signis ore, per hæc enuntiabam. Sic cum his inter quos eram, voluntatum enuntiandarum signa communicavi, et vitæ humanæ procellosam societatem altius ingressus sum, pendens ex parentum auctoritate, nutuque majorum hominum.

## CAPUT IX.

*Odium litterarum, amor lusus, et vapulandi timor in pueris.*

14. Deus, Deus meus, quas ibi miserias expertus sum et ludificationes! quandoquidem recte mihi vivere puero id proponebatur, obtemperare monentibus, ut in hoc sæculo florerem, et excellerem linguosis artibus, ad honorem hominum et falsas divitias famulantibus. Inde in scholam datus sum ut discerem litteras, in quibus quid utilitatis esset ignorabam miser, et tamen si segnis in discendo essem, vapulabam. Laudabatur enim hoc a majoribus, et multi ante nos vitam istam agentes, præstruxerant ærumnosas vias, per quas transire cogebamur, multiplicato labore et dolore filiis Adam. Invenimus autem, Domine, homines rogantes te; et didicimus ab eis, sentientes te, ut poteramus, esse magnum aliquem, qui posses, etiam non apparens sensibus nostris, exaudire nos et subvenire nobis. Nam puer cœpi rogare te, auxilium et refugium meum; et in tuam invocationem rumpebam nodos linguæ meæ; et rogabam te parvus, non parvo affectu, ne in schola vapularem. Et cum me non exaudiebas, quod non erat ad insipientiam mihi (*Psal.* XXI, 3), ridebantur a majoribus hominibus, usque ab ipsis parentibus, qui mihi accidere mali nihil volebant, plagæ meæ, magnum tunc et grave malum meum.

15. Estne quisquam, Domine, tam magnus animus, prægrandi affectu tibi cohærens? estne, inquam, quisquam? facit enim hoc quædam etiam stoliditas: est ergo, qui tibi pie cohærendo ita sit affectus granditer, ut equuleos et ungulas, atque hujuscemodi varia tormenta, pro quibus effugiendis tibi per universas terras cum timore magno supplicatur, ita parvi æstimet, deridens[1] eos qui hæc acerbissime formidant, quemadmodum parentes nostri ridebant tormenta quibus pueri a magistris affligebamur? Non enim aut minus ea metuebamus, aut minus te de his evadendis deprecabamur: et peccabamus tamen minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur a nobis. Non enim deerat, Domine, memoria vel ingenium, quæ nos habere voluisti pro illa ætate sa-

[1] Nonnulli e Mss.: *Diligens eos.* Paulo post vero Bad. Am. et Er.: *Acerbissime infligunt.*

tis; sed delectabat ludere: et vindicabatur in nos ab eis qui talia utique agebant. Sed majorum nugæ negotia vocantur; puerorum autem talia cum sint, puniuntur a majoribus: et nemo miseratur pueros, vel illos, vel utrosque. Nisi vero approbet[1] quisquam bonus rerum arbiter vapulasse me, quia ludebam pila puer, et eo ludo impediebar quominus celeriter discerem litteras, quibus major deformius luderem: aut[2] aliud faciebat idem ipse a quo vapulabam; qui si in aliqua quæstiuncula a condoctore suo victus esset, magis bile atque invidia torqueretur, quam ego cum in certamine pilæ a collusore meo superabar.

## CAPUT X.

*Amore lusus et spectaculorum avocatur a litterarum studio.*

16. Et tamen peccabam, Domine Deus, ordinator et creator omnium rerum naturalium, peccatorum autem tantum ordinator[3]: Domine Deus meus, peccabam faciendo contra præcepta parentum et magistrorum illorum. Poteram enim postea bene uti litteris, quas volebant ut discerem quocumque animo illi mei. Non enim meliora eligens, inobediens eram, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias, et scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardentius, eadem curiositate magis magisque per oculos emicante in spectacula[4] ludosque majorum; quos tamen qui edunt, ea dignitate prædili excellunt, ut hoc pene omnes optent parvulis suis: quos tamen cædi libenter patiuntur, si spectaculis talibus impediantur a studio, quo eos ad talia edenda cupiunt pervenire. Vide ista, Domine, misericorditer, et libera nos jam invocantes te; libera etiam eos qui nondum te invocant, ut invocent te, et liberes eos.

## CAPUT XI.

*Morbo pressus Baptismum flagitat, quem mater certo consilio differt.*

17. Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri descendentis ad superbiam nostram; et signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale (*a*), jam inde

[1] In B., *approbat*; at Er. Lug. Ven. Lov. Somm. Dub. Mart. Flor. et Rond. cum 2 Mss. legunt, *approbet*. M.

[2] Apud Bad. Am. Er. et Lov., haud.

[3] In editionibus Am. Er et Lov. legebatur, *tantum non ordinator*. Erratum: quod emendant Edd. Bad. et Arn. et Mss. plures ac potiores, a quibus abest negatio. Enimvero notum vulgo est id a S. Augustino passim confirmari, Deum justissimum esse peccatorum ordinatorem. Sic lib. 11 de Civitate Dei, cap. 17: « Deus, inquit, sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum justissimus ordinator. » Item in Psal. 7: « Aliud fecit et ordinavit; aliud « autem non fecit, sed tamen etiam hoc ordinavit. » Quam doctrinam illustrabit nonnihil alius locus lib. de Prædest. Sanctorum. cap. 16, ubi legitur: « Est in malorum potestate » peccare. Ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, » non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras et » ordinantis eas. »

[4] Lov., *per oculos periculosa micante in spectacula*; alii Cdd., per *oculos emicante*. — Er. Lugd. Ven. et Somm. Legunt ut Lov. M.

(*a*) Significat se catechumenorum sacramento jam a primis annis initiatum: id quod rursum hoc in opere clarius prodit lib. 6, c. 16: « Figam, inquit, pedes in eo gradu, in quo puer « a parentibus positus eram, donec inveniatur perspicua ve« ritas. » De sacramento salis per paschales dies catechumenis concedendo exstat primi concilii Carthag. can. 5: ejusque ritus mentionem facit non semel S. Aug., disertissime

ab utero matris meæ, quæ multum speravit in te. Vidisti, Domine, cum adhuc puer essem, et quodam die pressu stomachi[1] repente æstuarem pene moriturus; vidisti, Deus meus, quoniam custos meus jam eras, quo motu animi et qua fide baptismum Christi tui Dei et Domini mei flagitavi a pietate matris meæ, et matris omnium nostrum Ecclesiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ, quoniam et sempiternam salutem meam charius parturiebat corde casto in fide tua, jam curaret festinabunda ut Sacramentis salutaribus initiarer et abluerer, te, Domine Jesu, confitens in remissionem peccatorum, nisi statim recreatus essem. Dilata est itaque mundatio mea, quasi necesse esset ut adhuc sordidarer, si viverem; quia videlicet post lavacrum illud major et periculosior in sordibus delictorum reatus foret. Ita jam credebam, et illa et omnis domus, nisi pater solus, qui tamen non evicit in me jus maternæ pietatis, quominus in Christum crederem, sicut ille nondum crediderat. Nam illa satagebat ut tu mihi pater esses, Deus meus, potius quam ille: et in hoc adjuvabas eam ut superaret virum, cui melior serviebat; quia et in hoc tibi utique id jubenti serviebat.

18. Rogo te, Deus meus, vellem scire, si tu etiam velles, quo consilio dilatus sum ne tunc baptizarer: utrum bono meo mihi quasi laxata sunt lora peccandi, an non laxata sunt[2]? Unde ergo etiam nunc de aliis atque aliis sonat undique in auribus nostris, Sine illum, faciat quod vult[3]; nondum enim baptizatus est: et tamen in salute corporis non dicimus, Sine, vulneretur amplius; nondum enim sanatus est? Quanto ergo melius et cito sanarer[4], et id ageretur mecum meorum meaque diligentia, ut recepta salus animæ meæ tuta esset tutela tua, qui dedisses eam? Melius vero. Sed quot et quanti fluctus impendere tentationum post pueritiam videbantur, noverat eos jam illa mater; et terram per eos[5] unde postea formarer, quam ipsam jam effigiem committere volebat.

## CAPUT XII.

*Ad litteras cogebatur, quo tamen Deus utebatur bene.*

19. In ipsa tamen pueritia, de qua mihi minus quam de adolescentia metuebatur, non amabam litteras, et me in eas urgeri oderam; et urgebar tamen, et bene mihi fiebat, nec faciebam ego bene: non enim discerem, nisi cogerer. Nemo autem invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit. Nec qui me urgebant, bene faciebant; sed bene mihi fiebat abs te, Deus meus. Illi enim non intuebantur quo referrem[1] quod me discere cogebant, præterquam ad satiandas insatiabiles cupiditates copiosæ inopiæ et ignominiosæ gloriæ. Tu vero cui numerati sunt capilli capitis nostri (*Matth.* x, 30), errore omnium qui mihi instabant ut discerem, utebaris ad utilitatem meam; meo autem, qui discere nolebam, utebaris ad pœnam meam, qua plecti non eram indignus tantillus puer et tantus peccator. Ita de non bene facientibus tu bene faciebas mihi; et de peccante meipso juste retribuebas mihi. Jussisti enim, et sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.

## CAPUT XIII.

*Quibus studiis potissimum sit delectatus.*

20. Quid autem erat causæ cur græcas litteras oderam, quibus puerulus imbuebar, ne nunc quidem mihi satis exploratum est. Adamaveram enim latinas, non quas primi magistri, sed quas docent qui grammatici vocantur. Nam illas primas ubi legere et scribere et numerare discitur, non minus onerosas pœnalesque habebam, quam omnes græcas. Unde tamen et hoc nisi de peccato et vanitate vitæ, quia caro eram[2], et spiritus ambulans et non revertens? (*Psal.* LXXVII, 39.) Nam utique meliores, quia certiores erant primæ illæ litteræ, quibus fiebat in me, et factum est, et habeo illud ut et legam si quid scriptum invenio, et scribam ipse si quid volo, quam illæ quibus tenere cogebar Æneæ nescio cujus errores, oblitus errorum meorum; et plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cum interea meipsum in his a te morientem, Deus vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus.

21. Quid enim miserius misero non miserante seipsum, et flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam; non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te, Deus lumen cordis mei, et panis oris intus, animæ meæ, et virtus maritans mentem meam et sinum cogitationis meæ? Non te amabam, et fornicabar abs te, et fornicanti sonabat undique, Euge, euge. Amicitia enim mundi hujus, fornicatio est abs te; et Euge, euge dicitur, ut pudeat si non ita homo sit. Et hæc non flebam, sed flebam Didonem *exstinctam*, *ferroque extrema secutam* (*Æneid.* VI, 456), sequens ipse extrema condita tua, relicto te, et terra[3] iens in terram: et si prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem quod dolerem. Talis dementia honestiores et uberiores litteræ putantur, quam illæ quibus legere et scribere didici.

22. Sed nunc in anima mea clamet, Deus meus, et veritas tua dicat mihi: Non est ita, non est ita; melior est prorsus doctrina illa prior. Nam ecce paratior sum oblivisci errores Æneæ, atque omnia ejusmodi, quam scribere et legere. At enim vela pendent liminibus grammaticarum scholarum: sed non illa magis honorem secreti, quam tegumentum erroris significant. Non clament adversus me, quos jam non timeo, dum

---

vero in lib. de Catechizandis rudib., c. 26; ubi mendum in editiones non leve irrepsit ad hæc verba, « quid in illo condatur, » pro, « quid in illo condiat. »

[1] Sic reperimus in melioribus Mss. Apud Arn. vero et nonnullos Mss. : *Pressus stomacho.* Denique Bad. Am. Er. et Lov. : *Pressus stomachi dolore.*

[2] *Sint*, juxta Er. Lug. Ven. Lov. Somm. Flor. Rond. cum 6 Cdd. et Mart. cum 6 aliis Cdd. M.

[3] Abest, *quod vult*, a Mss. optimis.

[4] *Ut cito sanarer*, juxta Somm. Dub. Mart. cum 6 Mss. et Rond. cum 4 Mss. M.

[5] Ita legit Arnald., nec aliter ferunt plerique Mss.; sed varia labes huic loco illata est in Edd. e quibus Am. Er. et Lov. sic habent : *Et tibi tam eos.* Bad. porro : *Et territa per eos.* Alii, particula interposita, *et terram magis per eos :* quam tamen particulam non ineleganter interdum subintelligendam relinquit Augustinus.

[1] In Ms. Lyrensi : *Referretur.*

[2] Mss. frequentes, *qua caro eram.*

[3] Am. Er. et Lov., *e terra.*

confiteor tibi quæ vult anima mea, Deus meus, et acquiesco in reprehensione malarum viarum mearum, ut diligam bonas vias tuas. Non clament adversum me venditores grammaticæ vel emptores : quia si proponam eis, interrogans utrum verum sit quod Æneam aliquando Carthaginem venisse Poeta dicit; indoctiores se nescire respondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum esse. At si quæram quibus litteris scribatur Æneæ nomen, omnes mihi, qui hæc didicerunt, verum respondebunt ; secundum id pactum et placitum, quo inter se homines ista signa firmarunt. Item, si quæram quid horum majore vitæ hujus incommodo quisque obliviscatur, legere et scribere, an poetica illa figmenta ; quis non videat quid responsurus sit, qui non est penitus oblitus sui? Peccabam ergo puer cum illa inania istis utilioribus amore præponebam, vel potius ista oderam, illa amabam. Jamvero unum et unum duo, duo et duo quatuor, odiosa cantio mihi erat; et dulcissimum spectaculum vanitatis equus ligneus plenus armatis, et Trojæ incendium, atque ipsius umbra Creusæ (*Æneid.* II).

## CAPUT XIV.

*Litteras græcas oderat.*

23. Cur ergo græcam etiam grammaticam oderam talia cantantem? Nam et Homerus peritus texere tales fabellas, et dulcissime vanus est, et mihi tamen amarus erat puero. Credo etiam græcis pueris Virgilius ita sit, cum eum sic discere coguntur, ut ego illum. Videlicet difficultas [1], omnino ediscendæ peregrinæ linguæ, quasi felle aspergebat omnes suavitates græcas fabulosarum narrationum. Nulla enim verba illa noveram, et sævis terroribus ac pœnis ut nossem instabatur mihi vehementer. Nam et latina aliquando infans utique nulla noveram ; et tamen advertendo didici sine ullo metu atque cruciatu, inter etiam blandimenta nutricum, et joca arridentium, et lætitias alludentium. Didici vero illa sine pœnali onere urgentium, cum me urgeret cor meum ad parienda concepta sua, quæ non possem [2], nisi aliqua verba didicissem, non a docentibus, sed a loquentibus, in quorum et ego auribus parturiebam quidquid sentiebam. Hinc satis elucet majorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatem, quam meticulosam necessitatem. Sed illius fluxum hæc restringit legibus tuis, Deus, legibus tuis a magistrorum ferulis usque ad tentationes martyrum, valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines, revocantes nos ad te a jucunditate pestifera, qua recessimus a te [3].

## CAPUT XV.

*Precatio ad Deum.*

24. Exaudi, Domine, deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua ; neque deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis; ut dulcescas mihi super omnes seductiones quas sequebar; et amem te validissime et amplexer manum tuam totis præcordiis meis, et eruas me ab omni tentatione usque in finem. Ecce enim tu, Domine, rex meus et Deus meus, tibi serviat quidquid utile puer didici; tibi serviat quod loquor, et scribo, et lego, et numero : quoniam cum vana discerem, tu disciplinam dabas mihi; et in eis vanis peccata delectationum mearum dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba utilia; sed et quæ in rebus non vanis disci possunt : et ea via tuta est in qua pueri ambularent.

## CAPUT XVI.

*Improbat modum juventutis erudiendæ.*

25. Sed væ tibi, flumen moris humani! Quis resistet tibi? quamdiu non siccaberis? quousque volves Evæ filios in mare magnum et formidolosum, quod vix transeunt qui lignum conscenderint? Nonne ego in te legi et tonantem Jovem et adulterantem? Et utique non posset hæc duo; sed actum est, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorum audit aure sobria, ex eodem pulvere hominem clamantem et dicentem : *Fingebat hæc Homerus, et humana ad Deos transferebat; divina mallem ad nos?* (*Cicero, Tuscul.* 1.) Sed vērius dicitur quod fingebat hæc quidem ille; sed hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia flagitia putarentur [1], et ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes deos videretur imitatus.

26. Et tamen, o flumen tartareum, jactantur in te filii hominum, cum mercedibus ut hæc discant; et magna res agitur, cum hoc agitur publice in foro, in conspectu legum supra mercedem salaria decernentium; et saxa tua percutis et sonas dicens : Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis sententiisque explicandis maxime necessaria. Ita vero non cognosceremus verba hæc, imbrem aureum, et gremium, et fucum, et templa cœli, et alia verba quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem proponentem sibi Jovem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quamdam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc : *Jovem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri?* Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cœlesti magisterio :

> At quem deum (*inquit*)? Qui templa cœli summa sonitu concutit.
> Ego homuncio id non facerem? Ego vero feci illud ita ac lubens.
>
> (*In Eunucho, act.* 3, *scen.* 5.)

Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur; sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba, quasi vasa electa atque pretiosa; sed vinum erroris quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus : et nisi biberemus, cædebamur, nec appellare aliquem judicem sobrium licebat. Et tamen ego, Deus meus, in cujus conspectu jam secura est recordatio mea, libenter hæc

[1] Ita Mss. præstantiores; at Lov. et Arn., *difficulter, difficultas.* — *Difficulter. Difficultas* juxta Somm. Mart. cum 5 Cdd. Et Rond. cum 3 Edd. M.

[2] Mss. aliquot cum Arn. : *Et quia non esset nisi;* alii nonnulli : *et quæ non nosset nisi.*

[3] Rond. cum 7 Cdd. : *Recesseramus a te.* M.

[1] Apud Lov. : *Ne flagitia putarentur.* Non integre.

didici, et eis delectabar miser, et ob hoc bonæ spei puer appellabar.

## CAPUT XVII.

*Prosequitur contra modum exercendæ juventutis in re litteraria.*

27. Sine me, Deus meus, dicere aliquid et de ingenio meo munere tuo, in quibus a me deliramentis atterebatur. Proponebatur enim mihi negotium animæ meæ satis inquietum, præmio laudis, et dedecoris vel plagarum metu, ut dicerem verba Junonis irascentis et dolentis quod non posset Italia Teucrorum avertere regem (*Æneid. lib.* 1, *v.* 36-75); quæ nunquam Junonem dixisse audieram: sed figmentorum poeticorum vestigia errantes sequi cogebamur, et tale aliquid dicere solutis verbis, quale Poeta dixisset versibus; et ille dicebat laudabilius, in quo pro dignitate adumbratæ personæ, iræ ac doloris similior effectus eminebat, verbis sententias congruenter vestientibus. Utquid mihi illud, o vera vita mea, Deus meus, quod mihi recitanti acclamabatur præ multis coætaneis et conlectoribus meis? Nonne ecce illa omnia fumus et ventus? Itane aliud non erat ubi exerceretur ingenium et lingua mea? Laudes tuæ, Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, et non raperetur per inania nugarum turpis præda volatilibus. Non enim uno modo sacrificatur transgressoribus angelis.

## CAPUT XVIII.

*Quod homines curant servare leges grammaticorum, et non divinorum præceptorum.*

28. Quid autem mirum quod in vanitates ita ferebar, et a te, Deus meus, ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solœcismo enuntiarent, reprehensi confundebantur; si autem libidines suas integris et rite consequentibus verbis copiose ornateque narrarent, laudati gloriabantur? Vides hæc, Domine, et taces, longanimis, et multum misericors, et verax. Numquid semper tacebis? Et nunc eruis [1] de hoc immanissimo profundo quærentem te animam, et sitientem delectationes tuas, et cujus cor dicit tibi: *Quæsivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI, 8). Nam [2] longe a vultu tuo, in affectu tenebroso [3]. Non enim pedibus aut spatiis locorum itur abs te, aut reditur ad te. Aut vero filius ille tuus minor equos, aut currus, vel naves quæsivit, aut avolavit penna visibili, aut moto poplite iter egit, ut in longinqua regione vivens prodige dissiparet quod dederas proficiscenti? Dulcis pater quia dederas, et egeno redeunti dulcior (*Luc.* XV, 12, 32). In affectu ergo libidinoso, id enim est tenebroso, atque id est longe a vultu tuo.

29. Vide, Domine Deus, et patienter ut vides vide, quomodo diligenter observent filii hominum pacta litterarum, et syllabarum accepta a prioribus locutoribus, et a te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant; ut qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam grammaticam, sine aspiratione primæ syllabæ, ominem, dixerit, displiceat magis hominibus, quam si contra tua præcepta hominem oderit, cum sit homo. Quasi vero quemlibet inimicum hominem perniciosius sentiat quam ipsum odium, quo in eum irritatur, aut vastet quisquam persequendo alium gravius, quam cor suum vastat inimicando. Et certe non est interior litterarum scientia, quam scripta conscientia, id se alteri [1] facere quod nolit pati. Quam tu secretus es, habitans in excelsis in silentio, Deus solus magnus, lege infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates! Cum homo eloquentiæ famam quærit, astans ante hominem judicem, circumstante hominum multitudine, inimicum suum odio immanissimo insectans, vigilantissime cavet ne per linguæ errorem dicat, Inter hominibus [2]; et ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cavet.

## CAPUT XIX.

*Pueritiæ vitia quæ in majores ætates transeunt.*

30. Horum ego puer morum in limine jacebam miser, et hujus arenæ palæstra erat illa, ubi magis timebam barbarismum facere, quam cavebam si facerem, non facientibus invidere. Dico hæc et confiteor tibi, Deus meus, in quibus laudabar ab eis, quibus placere tunc mihi erat honeste vivere. Non enim videbam voraginem turpitudinis in quam projectus eram ab oculis tuis. Nam in illis jam quid me fœdius fuit, ubi etiam talibus displicebam, fallendo innumerabilibus mendaciis et pædagogum, et magistros, et parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria, et imitandi ludicra inquietudine? Furta etiam faciebam de cellario parentum et de mensa, vel gula imperitante, vel ut haberem quod darem pueris, ludum suum mihi, quo pariter utique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulentas victorias, ipse vana [3] excellentiæ cupiditate victus, sæpe aucupabar. Quid autem tam nolebam pati, atque atrociter, si deprehenderem, arguebam, quam id quod aliis faciebam, et si deprehensus arguerer, sævire magis quam cedere libebat? Istane est innocentia puerilis? Non est, Domine, non est: oro te, Deus meus. Nam hæc ipsa sunt quæ a pædagogis et magistris, a nucibus, et pilulis, et passeribus, ad præfectos et reges, aurum, prædia, mancipia; hæc ipsa omnino quæ succedentibus majoribus ætatibus transeunt, sicuti ferulis majora supplicia succedunt. Humilitatis ergo signum in statura pueritiæ, Rex noster, probasti, cum aisti: *Talium est regnum cælorum* (*Matth.* XIX, 14).

[1] Am. Er. et Lov.: *Et non eruis*. Sed melius longe Bad. Arn. et Mss. præcipui: *Et nunc eruis*.

[2] Mss. tres Angl.: *Nam ivi*.

[3] Apud Lov. additur, *cesseram*. Am. et Er., *recesseram*. In Mss. Alb. habetur, *in affectu eram tenebroso*. Apud Bad. vero, Arn. et cæteros fere omnes Mss. generalior effertur sententia absque addito, ut intelligamus longe a Deo esse illos qui sunt in affectu tenebroso.

[1] *Alteri non*, juxta Rond. cum 4 Mss. M.

[2] Lov., *inter homines*. Patet legendum esse cum Mss. *inter hominibus*; vel sine aspiratione, *inter omines*: quod Augustinus in exemplum affert locutionis incongruæ et cavendæ.

[3] *Vanæ*, juxta Rond. cum 8 Mss. quibus adstipulantur 2 Mss. apud Mart. M.

## CAPUT XX.

*Pro bonis sibi in pueritia collatis Deo gratias agit.*

31. Sed tamen, Domine, tibi excellentissimo atque optimo conditori et rectori universitatis, Deo nostro gratias, etiamsi me puerum tantum esse voluisses. Eram enim etiam tunc, vivebam [1] atque sentiebam, meamque incolumitatem, vestigium secretissimæ unitatis ex qua eram, curæ habebam; custodiebam interiore sensu integritatem sensuum meorum, inque ipsis parvis, parvarumque rerum cogitationibus veritate delectabar. Falli nolebam, memoria vigebam, locutione instruebar, amicitia mulcebar, fugiebam dolorem, abjectionem, ignorantiam. Quid in tali animante non mirabile atque laudabile? At ista omnia Dei mei dona sunt; non mihi ego dedi hæc: et bona sunt, et hæc omnia ego. Bonus ergo est qui fecit me et ipse est bonum meum, et illi exsulto bonis omnibus quibus etiam puer eram. Hoc enim peccabam quod non in ipso, sed in creaturis ejus, me atque cæteris [1], voluptates, sublimitates, veritates quærebam; atque ita irruebam in dolores, confusiones, errores. Gratias tibi, dulcedo mea, et honor meus, et fiducia mea, Deus meus: gratias tibi de donis tuis; sed tu mihi ea serva. Ita enim servabis me; et augebuntur, et perficientur quæ dedisti mihi, et ero ipse tecum; quia et ut sim, tu dedisti mihi.

[1] Sic Mss. cum Edd. plerisque, ubi Lov. habent: *Et jam tunc audebam.* — *Et jam tunc vivebam*, juxta Somm. et Rond. cum 4 Mss. M.

[1] Bad. Am. Er. et Lov. *cæteras*. Castigatum est ex Arn. et Mss. *cæteris*. Quippe hoc loco fatetur Augustinus se in eo peccasse, quod voluptates, sublimitates, veritates, non in Deo, sed in seipso et creaturis aliis quæreret.

# *LIBER SECUNDUS.*

Ad ætatem aliam progreditur, primum quæ adolescentiæ suæ, id est, sextum decimum vitæ annum, quem in paterna domo studiis intermissis consumpserat genio ac libidinibus indulgens, ad mentem revocat cum gravi dolore, severus admodum in dijudicando furto a se tunc temporis cum sodalibus perpetrato.

## CAPUT PRIMUM.

*Adolescentiæ ætatem et vitia recolit.*

1. Recordari volo transactas fœditates meas, et carnales corruptiones animæ meæ: non quod eas amem; sed ut amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura, et colligens [1] me a dispersione in qua frustatim discissus sum, dum ab uno te aversus in multa evanui. Exarsi enim aliquando satiari inferis [2] in adolescentia, et silvescere ausus sum variis et umbrosis amoribus; et contabuit species mea; et computrui coram oculis tuis placens mihi, et placere cupiens oculis hominum.

## CAPUT II.

*Annum ætatis suæ decimum sextum in ardore libidinoso consumptum.*

2. Et quid erat quod me delectabat, nisi amare et amari? Sed non tenebatur modus ab animo usque ad animum quatenus est luminosus [3] limes amicitiæ; sed exhalabantur nebulæ de limosa concupiscentia carnis et scatebra pubertatis, et obnubilabant atque offuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis a caligine libidinis. Utrumque in confuso æstuabat, et rapiebat imbecillam ætatem per abrupta cupiditatum, atque mersabat gurgite flagitiorum. Invaluerat super me ira tua, et nesciebam. Obsurdueram [4] stridore catenæ mortalitatis meæ, pœna superbiæ animæ meæ; et ibam longius a te, et sinebas; et jactabar, et effundebar, et diffluebam, et ebulliebam per fornicationes meas, et tacebas. O tardum gaudium meum! Tacebas tunc, et ego ibam porro longe a te in plura sterilia semina dolorum, superba dejectione, et inquieta lassitudine.

3. Quis mihi moderaretur [1] ærumnam meam, et novissimarum rerum fugaces pulchritudines in usum verteret, earumque suavitatibus metas præfigeret, ut usque ad conjugale littus exæstuarent fluctus ætatis meæ, si tranquillitas in eis non poterat esse, fine procreandorum liberorum contenta, sicut præscribit lex tua, Domine, qui formas etiam propaginem mortalitatis nostræ [2], potens imponere lenem manum ad temperamentum spinarum a paradiso tuo seclusarum? Non enim longe est a nobis omnipotentia tua, etiam cum longe sumus a te. Aut certe sonitum nubium tuarum vigilantius adverterem: *Tribulationem autem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco*; et, *Bonum est homini mulierem non tangere*; et, *Qui sine uxore est, cogitat ea quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori* (1 *Cor.* VII, 28, 1, 32, 33, 34). Has ergo voces exaudirem vigilantior, et abscisus propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12), felicior exspectarem amplexus tuos.

4. Sed efferbui miser, sequens impetum fluxus mei relicto te; et excessi omnia legitima tua, nec evasi flagella tua: quis enim hoc mortalium? Nam tu semper aderas misericorditer sæviens, et amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas,

[1] Tres Mss. Angl., *colligas*.

[2] Lov. cum antiquioribus Edd., *satiari in inferis*. Expunximus, *in*, juxta Mss. et Arn.

[3] In libris editis ab Henrico Sommalio Societatis Jesu, et a Thoma Blasio, legitur: *limosus limes*. In codice Corb. *liminosus*. Utrobique corrupte: illic enim deflet Augustinus quod sese intra honestæ amicitiæ limites haud continuerit; adeoque legendum cum Mss. et aliis Edd., *luminosus limes*.

[4] In Lov. Somm. et Blas.: *Obsordueram*. Substituimus *obsurdueram*, aliorum codicum auctoritate, necnon exigente vocabulo *stridore*, quod ad aures refertur.

[1] Mss. primæ notæ et prope omnes habent, *modularetur*; quam lectionem parum abfuit ut præeligeremus.

[2] In Mss. optimis, *mortis nostræ*.

ut ita quærerem sine offensione jucundari ; et ubi hoc possem non invenirem quidquam, præter te, Domine, præter te qui fingis dolorem in præcepto (*Ps.* XCIII, 20), et percutis ut sanes, et occidis nos ne moriamur abs te (*Deut.* XXXII, 39). Ubi eram, et quam longe exsulabam a deliciis domus tuæ, anno illo sexto decimo ætatis carnis meæ, cum accepit in me sceptrum, et totas manus ei dedi, vesania libidinis [1], licentiosæ per dedecus humanum, illicitæ autem per leges tuas? Non fuit cura meorum ruentem excipere me matrimonio; sed cura fuit tantum ut discerem sermonem facere quam optimum, et persuadere dictione.

## CAPUT III.

*De peregrinatione studiorum causa, et de parentum proposito.*

5. Et anno quidem illo intermissa erant studia mea, dum mihi reducto a Madauris, in qua vicina urbe jam cœperam litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari, longinquioris apud Carthaginem peregrinationis sumptus præparabantur, animositate magis quam opibus patris, municipis Thagastensis admodum tenuis. Cui narro hæc? Neque enim tibi, Deus meus : sed apud te narro hæc generi meo, generi humano, quantulacumque ex particula incidere potest in istas meas litteras. Et utquid hoc? Ut videlicet ego et quisquis hæc legit, cogitemus de quam profundo clamandum sit ad te. Et quid propius auribus tuis, si cor confitens et vita ex fide est? Quis enim non extollebat laudibus tunc hominem patrem meum [2], quod ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio quidquid etiam longe peregrinanti studiorum causa opus esset? Multorum enim civium longe opulentiorum nullum tale negotium pro liberis erat : cum interea non satageret idem pater qualis crescerem tibi, aut quam castus essem ; dummodo essem disertus, vel desertus potius a cultura tua, Deus, qui es unus verus et bonus Dominus agri tui cordis mei.

6. Sed ubi sexto illo et decimo anno, interposito otio ex necessitate domestica feriatus ab omni schola, cum parentibus esse cœpi, excesserunt caput meum vepres libidinum; et nulla erat eradicans manus. Quinimo ubi me ille pater in balneis vidit pubescentem, et inquieta indutum adolescentia, quasi jam ex hoc in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit; gaudens vinolentia in qua te iste mundus oblitus est creatorem suum, et creaturam tuam pro te amavit, de vino invisibili perversæ atque inclinatæ [3] in ima voluntatis suæ. Sed matris in pectore jam inchoaveras templum tuum, et exordium sanctæ habitationis tuæ : nam ille adhuc catechumenus, et hoc recens erat. Itaque illa exsilivit pia trepidatione ac tremore; et quamvis mihi nondum fideli, timuit tamen vias distortas, in quibus ambulant qui ponunt ad te tergum, et non faciem.

7. Hei mihi ! et audeo dicere tacuisse te, Deus meus, cum irem abs te longius. Itane tu tacebas tunc mihi? Et cujus erant, nisi tua, verba illa per matrem meam, fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas? Nec inde quidquam descendit in cor, ut facerem illud. Volebat enim illa, et secreto memini ut monuerit cum sollicitudine ingenti ne fornicarer, maximeque ne adulterarem cujusquam uxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, et nesciebam; et te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas, et in illa contemnebaris a me filio ejus, filio ancillæ tuæ, servo tuo. Sed nesciebam, et præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos jactantes flagitia sua, et tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent : et libebat facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam ; et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abjectior quo eram innocentior, et ne vilior haberer quo eram castior.

8. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniæ, et volutabar in cœno ejus, tanquam in cinnamis et unguentis pretiosis. Et in umbilico ejus, quo tenacius hærerem, calcabat me inimicus invisibilis, et seducebat me, quia ego seductilis eram. Non enim et illa, quæ jam de medio Babylonis fugerat, sed ibat in cæteris ejus tardior mater carnis meæ, sicut monuit me pudicitiam, ita curavit quod de me a viro suo audierat, jamque pestilentiosum et in posterum periculosum sentiebat, coercere termino conjugalis affectus, si resecari ad vivum non poterat. Non curavit hoc, quia metus erat ne impediretur spes mea compede uxoria ; non spes illa quam in te futuri sæculi habebat mater, sed spes litterarum, quas ut nossem nimis volebat parens uterque : ille, quia de te prope nihil cogitabat, de me autem inania ; illa autem, quia non solum nullo detrimento, sed etiam nonnullo adjumento ad te adipiscendum futura existimabat usitata illa studia doctrinæ. Ita enim conjicio, recolens, ut possum, mores parentum meorum. Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ, ultra temperamentum severitatis, in dissolutionem affectionum variarum, et in omnibus erat caligo intercludens mihi, Deus meus, serenitatem veritatis tuæ; et prodibat tanquam ex adipe iniquitas mea (*Psal.* LXXII, 7).

## CAPUT IV.

*Furtum cum sodalibus perpetratum.*

9. Furtum certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Nec copiosus adactum inopia. Et ego furtum facere volui et feci, nulla compulsus egestate nec penuria, sed fastidio justitiæ [1], et sagina iniquitatis. Nam id furatus sum quod mihi abundabat, et multo melius : nec ea re volebam frui quam furto appetebam; sed

[1] Lov. Somm. et Blas., *accepit in me luxuria sceptrum, et totas manus ei dedi vesaniæ libidinis.* In aliis plerisque codicibus habetur in recto, *vesania;* et abest vox, *luxuria.*

[2] *Quis enim hominum non extollebat laudibus tunc patrem meum ?* Juxta Somm. et Rond. M.

[3] Ms. Lyrensis, *perversus atque inclinatus.*

[1] Mss. frequentiores : *Nisi penuria et fastidio justitiæ.*

ipso furto et peccato. Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus; et abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel projicienda porcis, etiamsi aliquid inde comedimus; dum tamen fieret a nobis quod eo liberet quo non liceret. Ecce cor meum, Deus, ecce cor meum quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor meum quid ibi quærebat, ut essem gratis malus, et malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat, et amavi eam; amavi perire : amavi defectum meum; non illud ad quod deficiebam, sed defectum meum ipsum amavi : turpis anima et dissiliens a firmamento tuo in exterminium; non dedecore [1] aliquid, sed dedecus appetens.

## CAPUT V.

*Neminem peccare sine causa.*

10. Etenim species est pulchris corporibus, et auro, et argento, et omnibus; et in contactu carnis congruentia valet plurimum, cæterisque sensibus est sua cuique accommodata modificatio corporum; habet etiam honor temporalis, et imperitandi atque superandi potentia suum decus, unde etiam vindictæ aviditas oritur : et tamen in cuncta hæc adipiscenda non est egrediendum abs te, Domine, neque deviandum a lege tua. Et vita quam hic vivimus habet illecebram suam propter quemdam modum decoris sui, et convenientiam cum his omnibus infimis pulchris. Amicitia quoque hominum charo nodo dulcis est propter unitatem de multis animis. Propter universa hæc atque hujusmodi peccatum admittitur, dum immoderata in ista inclinatione cum extrema bona sint, meliora et summa deseruntur, tu, Domine Deus noster, et veritas tua, et lex tua. Habent enim et hæc ima delectationes, sed non sicut Deus meus qui fecit omnia; quia in ipso delectatur justus, et ipse est deliciæ rectorum corde.

11. Cum itaque de facinore quæritur qua causa factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum quæ infima diximus, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim et decora, quanquam præ bonis superioribus et [2] beatificis abjecta et jacentia. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem aut prædium, aut voluit deprædari unde viveret, aut timuit ab illo tale aliquid amittere, aut læsus ulcisci se exarsit. Num homicidium sine causa faceret, ipso homicidio delectatus? Quis crediderit? Nam et de quo dictum est vecordi et nimis crudeli homine, quod gratuito potius malus atque crudelis erat, prædicta est tamen causa : *Ne per otium*, inquit, *torpesceret manus aut animus* (*Sallustius, de Bello Catil., cap.* IX). Quare id quoque? cur ita? Ut scilicet illa exercitatione sceleruin, capta urbe, honores, imperia, divitias assequeretur, et careret metu legum et difficultate rerum, propter inopiam rei familiaris, et conscientiam scelerum. Nec ipse igitur Catilina amavit facinora sua; sed utique aliud cujus causa illa faciebat.

[1] *De decore*, juxta Somm. et Rond. Mart. ex 3 Mss.: *Non decus aliquod, sed dedecus appetens.* M.

[2] *Et opibus*, juxta Somm. et Rond. M.

## CAPUT VI.

*Omnia quæ boni specie ad vitia invitant, in solo Deo esse vera et perfecta.*

12. Quid ego [1] miser in te amavi, o furtum meum, o facinus illud meum nocturnum sexti decimi anni ætatis meæ? Non enim pulchrum eras, cum furtum esses; aut vero aliquid es, ut loquar ad te? Pulchra erant poma illa quæ furati sumus, quoniam creatura tua erat [2], pulcherrime omnium, creator omnium, Deus bone, Deus summum bonum, et bonum verum meum : pulchra erant illa poma; sed non ipsa concupivit anima mea miserabilis. Erat enim mihi meliorum copia; illa autem decerpsi tantum ut furarer. Nam decerpta projeci, epulatus inde solam iniquitatem [3], qua lætabar fruens [4]. Nam et si quid illorum pomorum intravit in os meum, condimentum ibi [5] facinus erat. Et nunc, Domine Deus meus, quæro quid me in furto delectaverit, et ecce species nulla est: non dico sicut in æquitate atque prudentia; sed neque sicut in mente hominis atque memoria et sensibus et vegetante vita; neque sicut speciosa sunt sidera et decora locis suis et terra et mare plena fetibus, qui succedunt nascendo decedentibus; non saltem ut est quædam defectiva species et umbratica vitiis fallentibus.

13. Nam et superbia celsitudinem imitatur; cum tu sis unus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit et gloriam; cum tu sis præ cunctis honorandus unus et gloriosus in æternum? Et sævitia potestatum timeri vult : quis autem timendus, nisi unus Deus? Cujus potestati eripi aut subtrahi quid potest [6]? quando, aut ubi, aut quo, vel a quo potest? Et blanditiæ lascivientium amari volunt; sed neque blandius est aliquid tua charitate, nec amatur quidquam salubrius, quam illa præ cunctis formosa et luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studium scientiæ; cum tu omnia summe noveris. Ignorantia quoque ipsa atque stultitia, simplicitatis et innocentiæ nomine tegitur; quia te simplicius quidquam non reperitur. Quid te autem innocentius, quandoquidem opera sua [7] malis inimica sunt? Et ignavia quasi quietem appetit : quæ vero quies certa præter Dominum? Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari : tu autem es plenitudo et indeficiens copia incorruptibilis suavitatis. Effusio liberalitatis obtendit umbram : sed bonorum omnium largitor

[1] *Ergo*, juxta Somm. Dub. Mart. Rond. *Quid ergo ego*, juxta alios Edd. M.

[2] *Erant*, juxta Er. Lugd. Lov. Somm. Dub. Mart. et Rond. M.

[3] Lov., *sola iniquitate;* at alii Cdd. melius, *solam iniquitatem.*

[4] Angl. duo, *furens;* alii, *fruens.*

[5] In Mss. quatuor et Arn., *mihi.*

[6] Omittendum, *potest*, juxta Somm. Lov. Flor. Rond. M.

[7] Ita in Mss. et antiquioribus Edd., cum in Lov. et Arn. legatur : *Opera tua malis inimica sunt :* contra mentem Augustini, qui, nisi fallimur, probare intendit nihil Dei innocentiæ derogari pœna malis irrogata, quia si quid patiuntur nocumenti, totum in ipsa eorum opera refundi debet.

affluentissimus tu es. Avaritia multa possidere vult ; et tu possides omnia. Invidentia de excellentia litigat : quid te excellentius ? Ira vindictam quærit : te justius quis vindicat? Timor insolita et repentina exhorrescit, rebus quæ amantur adversantia, dum præcavet securitati : tibi enim quid insolitum ? quid repentinum ? aut quis a te separat quod diligis? aut ubi, nisi apud te, firma securitas ? Tristitia rebus amissis contabescit, quibus se oblectabat cupiditas ; quia ita sibi nollet, sicut tibi auferri nihil potest.

14. Ita fornicatur anima, cum avertitur abs te, et quærit extra te ea quæ pura et liquida non invenit, nisi cum redit ad te. Perverse te imitantur omnes qui longe se a te faciunt, et extollunt se adversum te. Sed etiam sic te imitando indicant creatorem te esse omnis naturæ ; et ideo non esse quo a te omni modo recedatur. Quid ergo in illo furto ego dilexi ? et in quo Dominum meum vel vitiose atque perverse imitatus sum ? An libuit facere contra legem saltem fallacia, quia potentatu non poteram, ut mancam libertatem captivus imitarer faciendo impune quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine ? Ecce est ille servus fugiens Dominum suum et consecutus umbram. O putredo, o monstrum vitæ, et mortis profunditas ! Potuitne libere quod non licebat, non ob aliud, nisi quia non licebat ?

## CAPUT VII.

*Gratias agit Deo pro remissione peccatorum, quodque a multis servatus sit.*

15. Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea, et anima mea non metuit inde ? Diligam te, Domine, et gratias agam, et confitear nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala et nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo et quæcumque non feci mala : quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi ? Et omnia mihi dimissa esse fateor ; et quæ mea sponte feci mala, et quæ te duce non feci. Quis est hominum qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem atque innocentiam suam ; ut minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit misericordia tua, qua donas peccata conversis ad te ? Qui enim vocatus a te secutus est vocem tuam, et vitavit ea quæ me de meipso recordantem et fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum sanari, a quo sibi præstitum est ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret : et ideo te tantumdem, imo vero amplius diligat ; quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis peccatorum languoribus non implicari.

## CAPUT VIII.

*Amavit in furto consortium simul peccantium.*

16. Quem fructum habui miser aliquando in iis quæ nunc recolens erubesco (*Rom.* VI, 21), maxime in illo furto in quo ipsum furtum amavi ? Nihil aliud ; cum et ipsum esset nihil, et eo ipso ego miserior. Et tamen solus id non fecissem, sic recordor animum tunc meum ; solus omnino id non fecissem. Ergo amavi ibi etiam consortium reorum cum quibus id feci ? Non ergo nihil aliud quam furtum amavi ; imo vero nihil aliud, quia et illud nihil est. Quid est revera ? Quis est qui doceat me, nisi qui illuminat cor meum et discernit umbras ejus ? Quid est quod mihi venit in mentem quærere, et discutere, et considerare ? Quia si tunc amarem poma illa quæ furatus sum, et eis frui cuperem, possem etiam solus, si satis esset committere illam iniquitatem, qua pervenirem ad voluptatem meam ; nec confricatione consciorum animorum accenderem pruritum cupiditatis meæ. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium.

## CAPUT IX.

*Contagiosa res sodales mali.*

17. Quid erat ille affectus animi ? Certe enim plane turpis erat nimis ; et væ mihi erat qui habebam illum. Sed tamen quid erat ? Delicta quis intelligit ? (*Psal.* XVIII, 13.) Risus erat, quasi titillato corde, quod fallebamus eos qui hæc a nobis fieri non putabant, et vehementer nolebant. Cur ergo eo me delectabat, quod id non faciebam solus ? An quia etiam nemo facile solus ridet ? Nemo quidem facile ; sed tamen etiam solos et singulos homines, cum alius nemo præsens est, vincit risus aliquando, si aliquid nimie ridiculum, vel sensibus occurrit [1], vel animo. At ego illud solus non facerem, non facerem omnino solus. Ecce est coram te, Deus meus, viva recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtum illud, in quo me non libebat id quod furabar, sed quia furabar : quod me solum facere prorsus non liberet nec facerem. O nimis inimica amicitia, seductio mentis investigabilis, ex ludo et joco nocendi aviditas, et alieni damni appetitus ; nulla lucri mei, nulla ulciscendi libidine ; sed cum dicitur : Eamus, faciamus ; et pudet non esse impudentem.

## CAPUT X.

*In Deo omne bonum.*

18. Quis exaperit istam tortuosissimam et implicatissimam nodositatem ? Fœda est ; nolo in eam intendere, nolo eam videre. Te volo, justitia et innocentia, pulchra et decora honestis luminibus, et insatiabili satietate. Quies est apud te valde, et vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui (*Matth.* XXV, 21) ; et non timebit, et habebit se optime in optimo. Defluxi abs te ego, et erravi, Deus meus, nimis devius a stabilitate tua in adolescentia, et factus sum mihi regio egestatis.

[1] *Occurrerit*, juxta Er. Lugd. Lov. Somm. et Rond. M.

# LIBER TERTIUS.

De annis ætatis illius decimo septimo, decimo octavo et decimo nono transactis Carthagine, ubi dum litterarii studii curriculum absolveret, se libidinosi amoris laqueo irretitum, necnon in Manichæorum hæresim prolapsum fuisse meminit. Adversus horum errores et ineptias disserit luculenter. Maternas pro se lacrymas et responsum de sua resipiscentia divinitus acceptum refert.

## CAPUT PRIMUM.

*Amore quem venabatur capitur.*

1. Veni Carthaginem ; et circumstrepebat me undique sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, et amare amabam [1], et secretiore indigentia oderam me minus indigentem. Quærebam quod amarem, amans amare, et oderam securitatem, et viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiore cibo teipso, Deus meus, et ea fame non esuriebam ; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium : non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea ; et ulcerosa projiciebat se foras miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium. Sed si non haberent animam, non utique amarentur. Amare et amari dulce mihi erat, magis si et amantis corpore fruerer. Venam igitur amicitiæ coinquinabam sordibus concupiscentiæ, candoremque ejus obnubilabam de tartaro libidinis [2] ; et tamen fœdus atque inhonestus, elegans et urbanus esse gestiebam abundanti vanitate. Rui etiam in amorem quo cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam, et quam bonus aspersisti ! quia et amatus sum, et perveni occulte ad vinculum fruendi, et colligabar lætus ærumnosis nexibus, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, et suspicionum, et timorum, et irarum atque rixarum.

## CAPUT II.

*Amavit spectacula tragica.*

2. Rapiebant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, et fomitibus ignis mei. Quid est quod ibi homo vult dolere, cum spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet ? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator, et dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi miserabilis insania [3] ? Nam eo magis eis movetur quisque, quo minus a talibus affectibus sanus est : quanquam cum ipse patitur, miseria ; cum aliis compatitur, misericordia dici solet. Sed qualis tandem misericordia in rebus fictis et scenicis ? Non enim ad subveniendum provocatur auditor ; sed tantum ad dolendum invitatur : et actori [4] earum imaginum amplius favet, cum amplius dolet. Et si calamitates illæ hominum vel antiquæ vel falsæ sic agantur, ut qui spectat non doleat ; abscedit inde fastidiens et reprehendens : si autem doleat, manet intentus, et gaudens lacrymatur.

3. Ergo amantur et dolores [1] ? Certe omnis homo gaudere vult. An cum miserum neminem esse libeat, libet tamen esse misericordem ; quod quia non sine dolore est, hac una causa amantur dolores ? Et hoc de illa vena amicitiæ est. Sed quo vadit ? quo fluit ? Utquid decurrit in torrentem picis bullientis æstus [2] immanes tetrarum libidinum, in quos ipsa mutatur et vertitur per nutum proprium de cœlesti serenitate detorta atque dejecta ? Repudietur ergo misericordia ? Nequaquam. Ergo amentur dolores aliquando. Sed cave immunditiam, anima mea, sub tutore Deo meo, Deo patrum nostrorum, et laudabili et superexaltato in omnia sæcula (*Dan.* III, 52) ; cave immunditiam. Neque enim nunc non misereor ; sed tunc in theatris congaudebam amantibus, cum sese fruebantur per flagitia, quamvis hæc imaginarie gererent [3] in ludo spectaculi. Cum autem sese amittebant, quasi misericors contristabar ; et utrumque delectabat tamen. Nunc vero magis misereor gaudentem in flagitio, quam velut dura perpessum detrimento perniciosæ voluptatis, et amissione miseræ felicitatis. Hæc certe verior misericordia ; sed non in ea delectat dolor [4]. Nam etsi approbatur officio charitatis qui dolet miserum ; *mallet* tamen utique non esse quod doleret, qui germanitus misericors est. Si enim est malevola benevolentia, quod fieri non potest ; potest et ille qui veraciter sinceriterque miseretur, cupere esse miseros ut misereatur. Nonnullus itaque dolor approbandus, nullus amandus est. Hoc enim tu, Domine Deus, qui animas amas, longe lateque purius quam nos, et incorruptibilius misereris, quod nullo dolore saucia-ris. Et ad hæc quis idoneus ?

4. At ego tunc miser dolere amabam, et quærebam ut esset quod dolerem, quando mihi in ærumna aliena, et falsa, et saltatoria, ea magis placebat actio histrionis, meque alliciebat vehementius, qua mihi lacrymæ excutiebantur. Quid autem mirum cum infelix pecus aberrans a grege tuo, et impatiens custodiæ tuæ turpi scabie fœdarer ? Et inde erant dolorum amores, non quibus altius penetrarer ; non enim amabam talia perpeti, qualia spectare ; sed quibus auditis et fictis, tanquam in superficie raderer : quos tamen quasi ungues scalpentium fervidus tumor, et tabes, et sanies horrida consequebatur. Talis vita mea, numquid vita erat, Deus meus ?

[1] Lov.: *Et amari amabam* ; moxque : *Amans amari* ; at Bad. Am. Er. et Arn. cum Mss. pro *amari*, habent *amare*, utroque loco, et melius.

[2] Am. Er. et Lov. : *De tartarea libidine* ; at Bad. Arn. et Mss.: *De tartaro libidinis*.

[3] Septem Mss.: *Mirabilis insania*.

[4] Am. Er. et Lov., *auctori*.

[1] Theologi Lov. legunt: *Lacrymæ ergo amantur et dolores*. Abest vox *lacrymæ* a Mss. et Edd. plerisque.

[2] *in æstus*, juxta Rond. cum 3 Mss., et Mart. cum 2 Mss. M.

[3] *Gererentur*, juxta Er. Lugd. Lov. Somm. Mart. Rond. M.

[4] Bad. Am. Er. et Lov. : *Delectatur cor* ; nostram vero lectionem præferunt Mss. et Arn.

## CAPUT III.

*In schola rhetoris ab Eversorum factis abhorrebat.*

5. Et circumvolabat super me fidelis a longe misericordia tua. In quantas iniquitates distabui, et sacrilegam curiositatem secutus sum, ut deserentem te, deduceret me ad ima infida, et circumventoria obsequia dæmoniorum, quibus immolabam facta mea mala, et in omnibus flagellabas me! Ausus sum etiam in celebritate solemnitatum tuarum, intra parietes ecclesiæ tuæ concupiscere et agere negotium procurandi fructus mortis : unde me verberasti gravibus pœnis; sed nihil ad culpam meam, o tu prægrandis misericordia mea, Deus meus, refugium meum a terribilibus nocentibus, in quibus vagatus sum præfidenti collo, ad longe recedendum a te, amans vias meas et non tuas, amans fugitivam libertatem.

6. Habebant et illa studia quæ honesta vocabantur, ductum suum intuentem fora litigiosa, ut excellerem in eis, hoc laudabilior, quo fraudulentior. Tanta est cæcitas hominum de cæcitate etiam gloriantium. Et major jam eram in schola rhetoris; et gaudebam superbe, et tumebam typho; quanquam longe sedatior, Domine, tu scis, et remotus omnino ab eversionibus quas faciebant Eversores (hoc enim nomen scævum [1] et diabolicum, velut insigne urbanitatis est), inter quos vivebam pudore impudenti, quia talis non eram : et cum eis eram, et amicitiis eorum delectabar aliquando, a quorum semper factis abhorrebam, hoc est ab eversionibus, quibus proterve insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo atque inde pascendo malevolas lætitias suas. Nihil est illo actu similius actibus dæmoniorum. Quid itaque verius quam eversores vocarentur? Eversi plane prius ipsi atque perversi, deridentibus eos et seducentibus fallacibus occulte spiritibus, in eo ipso quo alios irridere amant et fallere.

## CAPUT IV.

*Hortensius Ciceronis excitavit illum ad ardorem philosophiæ.*

7. Inter hos ego, imbecilla tunc ætate discebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanæ; et usitato jam discendi ordine perveneram in librum quemdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam, et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad teipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili; et surgere cœperam ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum ætatis undevigesimum, jam defuncto patre ante biennium : non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum; neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat.

[1] Sic juxta vetustos Cdd. scribendum hic, *scævum*, id est sinistrum; non *sævum*, uti scribitur apud Er. et Lov.

8. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis ad te; et nesciebam quid ageres mecum! Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiæ nomen græcum habet φιλοσοφίαν, quo me accendebant illæ litteræ. Sunt qui seducant per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos : et prope omnes qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur; et manifestatur ibi salutifera illa admonitio Spiritus tui per servum tuum bonum et pium : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum; quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 8, 9). Et ego illo tempore, scis tu, lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc apostolica nota erant, hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quæcumque esset, sapientiam ut diligerem, et quærerem, et assequerer, et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo, et accendebar, et ardebam; et hoc solum me in tanta flagrantia refrangebat [1], quod nomen Christi non erat ibi. Quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuam, Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum præbiberat [2], et alte retinebat; et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum, et expolitum, et veridicum, non me totum rapiebat.

## CAPUT V.

*Fastidiit sacras Litteras propter simplicitatem stili.*

9. Itaque institui animum intendere in Scripturas sanctas, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris; sed incessu humilem, successu excelsam et velatam mysteriis : et non eram ego talis ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi cum attendi ad illam Scripturam : sed visa est mihi indigna quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus; et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat quæ cresceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar.

## CAPUT VI.

*A Manichæis quomodo captus.*

10. Incidi itaque in homines superbe delirantes, et carnales nimis et loquaces, in quorum ore laquei diaboli, et viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, et Domini Jesu Christi, et Paracleti consolatoris nostri Spiritus sancti. Hæc nomina [3] non recedebant de ore eorum, sed tenus sono [4] et strepitu linguæ; et cæterum, cor inane veri. Et dicebant, Ve-

[1] Sic Mss. Prope omnes cum Bad., neque secus Am. et Er., nisi quod scribunt *refringebat*; at Lov. et Arn. habent : *Et hoc solo in me tanta flagrantia refrigebat.*

[2] *Pie biberat*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Flor. et Mart. cum 6 Mss. M.

[3] Lov.: *Hæc enim omnia non.*

[4] 4 Mss., *tenui sono*; alii, *tenus sono.*

ritas, et veritas : et multum eam dicebant mihi, et nusquam erat in eis ; sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui vere Veritas es, sed etiam de istis elementis hujus mundi creatura tua, de quibus etiam vera dicentes philosophos transgredi debui præ amore tuo, mi Pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O Veritas, Veritas, quam intime etiam tum medullæ animi mei suspirabant tibi, cum te illi sonarent mihi frequenter et multipliciter voce sola, et libris multis et ingentibus ! Et illa erant fercula in quibus mihi esurienti te, inferebantur pro te sol et luna, pulchra opera tua ; sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima. Priora enim spiritualia opera tua, quam ista corporea, quamvis lucida et cœlestia. At ego nec priora illa, sed teipsam, te, Veritas, in qua non est commutatio nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17), esuriebam et sitiebam ; et apponebantur adhuc mihi in illis ferculis phantasmata splendida, quibus jam melius erat amare istum solem, saltem istis oculis verum, quam illa falsa animo decepto per oculos. Et tamen, quia te putabam, manducabam ; non avide quidem, quia nec sapiebas in ore meo sicuti es ; neque enim tu eras figmenta illa inania ; nec nutriebar eis, sed exhauriebar magis. Cibus in somnis similli-mus est cibis vigilantium, quo tamen dormientes non aluntur ; dormiunt enim : at illa nec similia erant ullo modo tibi, sicut nunc mihi locuta es ; quia illa erant corporalia phantasmata, falsa corpora, quibus certiora sunt vera corpora ista quæ videmus visu carneo, sive cœlestia sive terrestria : cum pecudibus et volatilibus videmus hæc ; et certiora sunt, quam cum imaginamur ea. Et rursus certius imaginamur ea, quam ex eis suspicamur alia grandiora, et infinita, quæ omnino nulla sunt, qualibus ego tunc pascebar inanibus ; et non pascebar. At tu, amor meus, in quem deficio ut fortis sim, nec ista corpora es quæ videmus, quanquam in cœlo ; nec ea es quæ non videmus ibi, quia tu ista condidisti, nec in summis tuis conditionibus habes [1]. Quanto ergo longe es a phantasmatibus illis meis, phantasmatibus corporum quæ omnino non sunt ! quibus certiores sunt phantasiæ corporum eorum quæ sunt ; et eis certiora corpora, quæ tamen non es : sed nec anima es, quæ vita est corporum. Ideo melior vita corporum certiorque quam corpora. Sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens te ipsa, et non mutaris, vita animæ meæ.

11. Ubi ergo mihi tunc eras, et quam longe ? Et longe peregrinabar abs te, exclusus et a siliquis porcorum, quos de siliquis pascebam (*Luc.* XV, 16). Quanto enim meliores grammaticorum et poetarum fabellæ, quam illa decipula ? Nam versus et carmen et Medea volans utiliores certe, quam quinque elementa varie fucata, propter quinque antra tenebrarum, quæ omnino nulla sunt, et occidunt credentem. Nam versum et carmen etiam ad vera pulmenta [2] transfero. Volantem autem Medeam etsi cantabam, non asserebam ; etsi cantari audiebam, non credebam : illa autem credidi. Væ, væ ! quibus gradibus deductus sum in profunda inferi ? Quippe laborans et æstuans inopia veri, cum te, Deus meus (tibi enim confiteor, qui me miseratus es et nondum confitentem), cum te non secundum intellectum mentis, quo me præstare voluisti belluis, sed secundum sensum carnis quærerem. Tu autem eras interior intimo meo, et superior summo meo. Offendi illam [1] mulierem audacem, inopem prudentiæ, ænigma Salomonis, sedentem super sellam in foribus, et dicentem : *Panes occultos libenter edite, et aquam dulcem furtivam bibite* (*Prov.* IX, 17). Quæ me seduxit, quia invenit foris habitantem in oculo carnis meæ, et talia ruminantem apud me, qualia per illum [2] vorassem.

## CAPUT VII.

*Doctrina Manichæorum absurda cui suffragabatur.*

12. Nesciebam enim aliud vere quod est ; et quasi acutule movebar ut suffragarer stultis deceptoribus, cum a me quærerent unde malum ; et utrum forma corporea Deus finiretur et haberet capillos et ungues ; et utrum justi existimandi essent qui haberent uxores multas simul, et occiderent homines, et sacrificarent de animalibus. Quibus rerum ignarus perturbabar ; et recedens a veritate, ire in eam mihi videbar ; quia non noveram malum non esse nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est. Quod unde viderem, cujus videre usque ad corpus erat oculis, et animo usque ad phantasma ? Et non noveram Deum esse spiritum, non cui membra essent per longum et latum, nec cui esse moles esset : quia moles in parte minor est quam in toto suo ; et si infinita sit, minor est in aliqua parte certo spatio definita, quam per infinitum ; et non est tota ubique, sicut spiritus, sicut Deus. Et quid in nobis esset, secundum quod essemus similes Deo et recte in Scriptura [3] diceremur *ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 27), prorsus ignorabam.

13. Et non noveram justitiam veram interiorem, non ex consuetudine judicantem, sed ex lege rectissima [4] Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum et dierum pro regionibus et diebus ; cum ipsa ubique ac semper esset, non alibi alia, nec alias aliter ; secundum quam justi essent Abraham, et Isaac, et Jacob, et Moyses, et David, et illi omnes laudati ore Dei : sed eos ab imperitis judicari iniquos, judicantibus ex humano die, et universos mores humani generis ex parte moris sui metientibus, tanquam si quis nescius in armamentis quid cui membro accommodatum sit, ocrea velit caput contegi, et galea calceari ; et murmuret quod non apte conveniat : aut in uno die indicto a pomeridianis horis justitio, quisquam stomachetur non sibi concedi quid venale proponere, quia mane concessum est : aut in una domo videat aliquid tractari manibus a quoquam servo, quod fa-

[1] Er., *abes*.
[2] Sic Mss. cum Bad. Am. Arn. ubi Er. et Lov. reddunt, *elementa* : Angl. quatuor, *bulmenta*.

[1] *In illam*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Dub. Mart. Flor. et Rond. M.
[2] *Per illam*, juxta Er. et Ven. M.
[3] Sic Mss. Angl. [*Et si recte in scripturi : diceremur*.]— Am. 2 Mss. Flor. et editio Florentina ferunt : *Et recte in Scriptura*. M.
[4] Quatuor Mss., *lectissima*.

cere non sinatur qui pocula ministrat : aut aliquid post præsepia fieri, quod ante mensam prohibeatur; et indignetur, cum sit unum habitaculum et una familia, non ubique atque omnibus idem tribui. Sic sunt isti qui indignantur, cum audierint illo sæculo licuisse justis aliquid, quod isto non licet justis; et quia illis aliud præcepit Deus, istis aliud pro temporalibus causis, cum eidem justitiæ utrique servierint : cum in uno homine, et in uno die, et in unis ædibus videant aliud alii membro congruere, et aliud jamdudum licuisse, post horam non licere; quiddam in illo angulo permitti aut juberi, quod in isto juste vetetur et vindicetur. Numquid justitia varia est et mutabilis? Sed tempora quibus præsidet, non pariter eunt; tempora enim sunt. Homines autem quorum vita super terram brevis est, quia sensu non valent causas contexere sæculorum priorum, aliarumque gentium quas experti non sunt, cum his quas experti sunt; in uno autem corpore, vel die, vel domo, facile possunt videre quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus personisve congruat : in illis offenduntur, his serviunt.

14. Hæc ego tunc nesciebam, et non advertebam; et feriebant undique ista oculos meos, et non videbam. Et cantabam carmina, et non mihi licebat ponere pedem quemlibet ubilibet, sed in alio atque alio metro aliter atque aliter; et in uno aliquo versu, non omnibus locis eumdem pedem. Et ars ipsa qua canebam, non habebat aliud alibi, sed omnia simul. Et non intuebar justitiam cui servirent boni et sancti homines, longe excellentius atque sublimius habere simul omnia quæ præcepit [1], et nulla ex parte variari, et tamen variis temporibus non omnia simul, sed propria distribuentem ac præcipientem. Et reprehendebam cæcus pios patres; non solum sicut Deus juberet atque inspiraret utentes præsentibus, verum quoque sicut Deus revelaret futura prænuntiantes.

## CAPUT VIII.

*Contra Manichæos dicit quæ flagitia semper detestanda, quæ facinora.*

15. Numquid aliquando aut alicubi injustum est diligere Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et diligere proximum tanquam seipsum? Itaque flagitia quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur. Quæ autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt; ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est : et si omissum, instaurandum; et si institutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in civitate cui regnat, jubere aliquid quod neque ante illum quisquam, nec ipse unquam jusserat; et non contra societatem civitatis ei obtemperatur, imo contra societatem non obtemperatur : generale quippe pactum est societatis humanæ obedire regibus suis : quanto magis Deo regnatori universæ creaturæ suæ, ad ea quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, major potestas minori ad obediendum præponitur; ita Deus omnibus.

16. Item in facinoribus, ubi libido est nocendi, sive per contumeliam, sive per injuriam; et utrumque vel ulciscendi causa, sicut inimico inimicus; vel adipiscendi alicujus extra commodi, sicut latro viatori; vel evitandi mali, sicut ei qui timetur; vel invidendo, sicut feliciori miserior; aut in aliquo prosperatus, ei quem sibi æquari timet aut æqualem dolet; vel sola voluptate alieni mali, sicut spectatores gladiatorum, aut irrisores, aut illusores quorumlibet : hæc sunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi et spectandi et sentiendi libidine, aut una, aut duabus earum, aut simul omnibus; et vivitur male adversus tria et septem, psalterium decem chordarum decalogum tuum, Deus altissime et dulcissime. Sed quæ flagitia in te qui non corrumperis? aut quæ adversus te facinora, cui noceri non potest? Sed hoc vindicas quod in se homines perpetrant, quia etiam cum in te peccant, impie faciunt in animas suas, et mentitur iniquitas sibi, sive corrumpendo ac pervertendo naturam suam quam tu fecisti et ordinasti, vel immoderate utendo concessis rebus, vel in non concessa flagrando in eum usum qui est contra naturam; aut rei tenentur, animo et verbis sævientes adversus te, et adversus stimulum calcitrantes; aut cum disruptis limitibus humanæ societatis, lætantur audaces *privatis* conciliationibus aut diremptionibus, prout quidque delectaverit aut offenderit. Et ea fiunt cum tu derelinqueris, fons vitæ, qui es unus et verus creator et rector universitatis; et privata superbia diligitur in parte unum falsum. Itaque pietate humili reditur in te, et purgas nos a consuetudine mala, et propitius es peccatis confitentium, et exaudis gemitus compeditorum, et solvis a vinculis quæ nobis fecimus, si jam non erigamus adversus te cornua falsæ libertatis, avaritia plus habendi, et damno totum amittendi; amplius amando proprium nostrum, quam te omnium bonum.

## CAPUT IX.

*Discrimen inter peccata, et inter Dei judicium et hominum.*

17. Sed inter flagitia et facinora et tam multas iniquitates, sunt peccata proficientium, quæ a bene judicantibus et vituperantur ex regula perfectionis, et laudantur spe frugis, sicut herba segetis. Et sunt quædam similia vel flagitio vel facinori, et non sunt peccata; quia nec te offendunt Dominum Deum nostrum, nec sociale consortium : cum conciliantur aliqua in usum vitæ congrua tempori, et incertum est an libi-

[1] Apud Lov. additur *Deus*; sed ea vox abest a Mss. et plerisque Edd., quia quæ hic laudatur Justitia, non est alia ab ipso Deo qui præcepit.

dine habendi; aut puniuntur corrigendi studio potestate ordinata, et incertum est an libidine nocendi. Multa itaque facta quæ hominibus improbanda viderentur, testimonio tuo approbata sunt; et multa laudata ab hominibus, te teste damnantur : cum sæpe se aliter habet species facti, et aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis. Cum vero aliquid tu repente inusitatum et improvisum imperas, etiam si hoc aliquando vetuisti, quamvis causam imperii tui pro tempore occultes, et quamvis contra pactum sit aliquorum hominum societatis; quis dubitet esse faciendum, quando ea justa est societas hominum, quæ servit tibi? Sed beati qui te imperasse sciunt. Fiunt enim omnia a servientibus tibi, vel ad exhibendum quod ad præsens opus est, vel ad futura prænuntianda.

## CAPUT X.

*Nugæ Manichæorum de terræ fructibus.*

18. Hæc ego nesciens, irridebam illos sanctos servos et Prophetas tuos. Et quid agebam cum irridebam eos, nisi ut irriderer abs te; sensim atque paulatim perductus ad eas nugas, ut crederem ficum plorare cum decerpitur, et matrem ejus arborem lacrymis lacteis? Quam tamen ficum si comedisset aliquis sanctus, alieno sane, non suo scelere decerptam, misceret visceribus, et anhelaret de illa angelos, imo vero particulas Dei, gemendo in oratione atque ructando: quæ particulæ summi et veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi electi sancti dente ac ventre solverentur. Et credidi miser magis esse misericordiam præstandam fructibus terræ, quam hominibus, propter quos nascerentur. Si quis enim esuriens peteret, qui Manichæus non esset, quasi capitali supplicio damnanda buccella videretur, si ei daretur.

## CAPUT XI.

*Planctus et somnium matris de filio.*

19. Et misisti manum tuam ex alto, et de hac profunda caligine eruisti animam meam (*Psal.* CXLIII, 7), cum pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide et spiritu, quem habebat ex te; et exaudisti eam, Domine. Exaudisti eam, nec despexisti lacrymas ejus, cum profluentes rigarent terram sub oculis ejus, in omni loco orationis ejus; exaudisti eam. Nam unde illud somnium, quo eam consolatus es, ut vivere me concederet [1] et habere secum eamdem mensam in domo; quod nolle cœperat, aversans et detestans blasphemias erroris mei? Vidit enim stantem se in quadam regula lignea, et advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset mœrens et mœrore confecta : qui cum causas quæsisset ab ea mœstitiæ suæ quotidianarumque lacrymarum, docendi, ut assolet, non discendi gratia, atque illa respondisset perditionem meam se plangere; jussisse illum quo secura esset, atque admonuisse ut attenderet et videret, ubi esset illa, ibi esse et me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta se in eadem regula stantem. Unde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor ejus? O tu, bone omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures; et sic omnes, tanquam singulos!

20. Unde illud etiam, quod cum mihi narrasset ipsum visum, et ego ad id trahere conarer, ut illa se potius non desperaret futuram esse quod eram; continuo sine aliqua hæsitatione, *Non*, inquit, *non enim mihi dictum est, Ubi ille, ibi et tu; sed, Ubi tu, ibi et ille.* Confiteor tibi, Domine, recordationem meam quantum recolo, quod sæpe non tacui, amplius me isto per matrem vigilantem responso tuo, quod tam vicina interpretationis falsitate turbata non est, et tam cito vidit quod videndum fuit, quod ego certe, antequam dixisset, non videram; etiam tum commotum fuisse, quam ipso somnio, quo feminæ piæ gaudium tanto post futurum, ad consolationem tunc præsentis sollicitudinis, tanto ante prædictum est. Nam novem ferme anni secuti sunt, quibus ego in illo limo profundi ac tenebris falsitatis, cum sæpe surgere conarer, et gravius alliderer, volutatus sum : cum tamen illa vidua casta, pia et sobria, quales amas, jam quidem spe alacrior, sed fletu et gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te; et intrabant in conspectum tuum preces ejus, et me tamen dimittebas adhuc volvi et involvi illa caligine.

## CAPUT XII.

*Quale responsum mater Augustini accepit a quodam episcopo de ipsius conversione.*

21. Et dedisti alterum responsum interim, quod recolo. Nam et multa prætereo, propter quod propero ad ea quæ me magis urgent confiteri tibi, et multa non memini. Dedisti ergo alterum per sacerdotem tuum, quemdam episcopum nutritum in Ecclesia, et exercitatum in Libris tuis. Quem cum illa femina rogasset ut dignaretur mecum colloqui, et refellere errores meos, et dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos forte idoneos invenisset); noluit ille, prudenter sane, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eo quod inflatus essem novitate hæresis illius, et nonnullis quæstiunculis jam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicaverat ei. *Sed sine*, inquit, *illum ibi, et tantum roga pro eo Dominum : ipse legendo reperiet quis ille sit error, et quanta impietas.* Simul etiam narravit se quoque parvulum a seducta matre sua datum fuisse Manichæis, et omnes pene non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum; sibique apparuisse, nullo contra disputante et convincente, quam esset illa secta fugienda; itaque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, et ubertim flendo, ut me videret, et mecum dissereret: ille jam substomachans tædio, *Vade,*

[1] In Editis Bad. Am. Er. et Lov. : *Me secum crederet;* sed legendum cum Mss. potioribus : *Me concederet;* vel cum Arn. : *Me secum concederet.* — Editio Florentina legit, *me secum crederet,* quam lectionem tuetur auctoritate Bad. Am. Er. Lov. Somm. et 11 Mss. Etruriæ. M.

inquit, *a me ; ita vivas : fieri* [1] *non potest ut filius istarum lacrymarum pereat.* Quod illa ita se accepisse, inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de cœlo sonuisset.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. Flor. et Rond. *fieri enim.* M.

Visum est hic ascribere Augustini locum ex lib. 3 contra Litteras Petiliani donatistæ, cap. 17 : « Me etiam presbyterum « fuisse Manichæorum, vel falsus vel fallens mirabili temeritate contendat. Verba tertii libri Confessionum mearum, quæ « per seipsa, et de multis ante et postea dictis manifestissima sunt legentibus, sub quo ei videtur intellectu proponat atque « arguat, etc. » Quænam vero sint verba illa, quæ suo avulsa loco proterve interpretabatur Petilianus, nobis incompertum est ; fortean ista capitis sexti : « Nam versum et carmen etiam ad vera pulmenta transfero. » Quippe amatoria maleficia mulieri data exprobrabat Augustino, ut videre est in ejusdem libri contra Petiliani Litteras capite 16.

# LIBER QUARTUS.

Pudet Augustinum se Manichæorum sectæ addictum fuisse per novennium, atque alios secum in eumdem errorem pertraxisse ; tum etiam consuluisse mathematicos : et amicum sibi interea morte præreptum, acerbiori quam æquum esset animi dolore fuisse prosecutum ; cujus occasione, de vana et de solida amicitia non pauca dicit. Mentionem facit librorum de Pulchro et Apto, a se anno ætatis vigesimo sexto aut vigesimo septimo conscriptorum ; necnon quam facili negotio liberalium artium libros atque Aristotelis Categorias, anno ætatis ferme vigesimo, per sese intellexerit.

## CAPUT PRIMUM.

*Quamdiu et quomodo alios seduxerit.*

1. Per idem tempus annorum novem, ab undevigesimo anno ætatis meæ, usque ad duodetrigesimum, seducebamur et seducebamus, falsi atque fallentes in variis cupiditatibus ; et palam per doctrinas quas liberales vocant, occulte autem falso nomine religionis. Hic superbi, ibi superstitiosi, ubique vani. Hac popularis gloriæ sectantes inanitatem, usque ad theatricos plausus, et contentiosa carmina [1], et agonem coronarum fenearum et spectaculorum nugas, et intemperantiam libidinum : illac autem purgari nos ab istis sordibus expetentes, cum eis qui appellarentur electi et sancti, afferremus escas, de quibus nobis in officina aqualiculi sui fabricarent angelos et deos per quos liberaremur ; et sectabar ista atque faciebam cum amicis meis, per me ac mecum deceptis. Irrideant me arrogantes, et nondum salubriter prostrati et elisi a te, Deus meus ; ego tamen confitear tibi dedecora mea in laude tua. Sine me, obsecro, et da mihi circumire præsenti memoria præteritos circuitus erroris mei, et immolare tibi hostiam jubilationis. Quid enim sum ego mihi sine te, nisi dux in præceps? Aut quid sum cum mihi bene est, nisi sugens lac tuum ; aut fruens te cibo qui non corrumpitur? Et quis homo est quilibet homo, cum sit homo? Sed irrideant nos fortes et potentes, nos autem infirmi et inopes confiteamur tibi.

## CAPUT II.

*Rhetoricam docet, concubinam fovet, et aruspicem qui victoriam promittebat, contemnit.*

2. Docebam in illis annis artem rhetoricam, et victoriosam loquacitatem victus cupiditate vendebam. Malebam tamen, Domine, tu scis, bonos habere discipulos, sicut appellantur boni : et eos sine dolo docebam dolos ; non quibus contra caput innocentis agerent, sed aliquando pro capite nocentis. Et, Deus, vidisti de longinquo lapsantem in lubrico, et in multo fumo scintillantem fidem meam, quam exhibebam in illo magisterio diligentibus vanitatem, et quærentibus mendacium, socius eorum. In illis annis unam habebam, non eo quod legitimum vocatur, conjugio cognitam, sed quam indagaverat vagus ardor, inops prudentiæ ; sed unam tamen, ei quoque servans tori fidem : in qua sane experirer exemplo meo, quid distaret inter conjugalis placiti modum quod fœderatum esset generandi gratia, et pactum libidinosi amoris, ubi proles etiam contra votum nascitur, quamvis jam nata cogat se diligi.

3. Recolo etiam, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem ut vincerem ; me autem fœda illa sacramenta detestatum et abominatum respondisse, nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea necari me sinere. Necaturus enim erat ille in sacrificiis suis animantia, et illis honoribus invitaturus mihi suffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum non ex tua castitate [1] repudiavi, Deus cordis mei. Non enim amare te noveram, qui nisi fulgores corporeos cogitare non noveram. Talibus enim figmentis suspirans anima, nonne fornicatur abs te, et fidit in falsis, et pascit ventos? Sed videlicet sacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me illa superstitione ipse sacrificabam. Quid est enim aliud, *ventos pascere* (*Osee* XII, 1), quam ipsos pascere ; hoc est, errando eis esse voluptati atque derisui?

## CAPUT III.

*Ab astrologia, cui deditus erat, per senem medicinæ et rerum peritum revocatur.*

4. Ideoque illos planos [2], quos mathematicos vocant, plane consulere non desistebam, quod quasi nullum eis esset sacrificium, et nullæ preces ad aliquem spiritum ob divinationem dirigerentur : quod tamen christiana et vera pietas consequenter repellit et damnat. Bonum est enim confiteri tibi, Domine, et dicere, *Miserere mei ; cura animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5) ; neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse dominicæ vocis, *Ecce*

[1] Bad. Am. Er. et Lov., *certamina.*

[1] Bad. Am. et Er. substituunt, *charitate.*

[2] In quibusdam editionibus, *planetarios.* Ita in ipsa editione Lovaniensium, per typographorum oscitantiam ; quandoquidem in suis castigationibus aiunt rectius videri sibi legendum *planos*, id est impostores, quo nomine appellatos olim fuisse Mathematicos, palam est. Hoc porro nomen alias adhibet Augustinus, ut libro 3 contra Academicos, cap. 15.

*sanus factus es; jam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat* (*Joan.* v, 14). Quam totam illi salubritatem interficere conantur, cum dicunt : De cœlo tibi est inevitabilis causa peccandi; et, Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars. Scilicet, ut homo sine culpa sit, caro et sanguis et superba putredo; culpandus sit autem cœli ac siderum creator et ordinator. Et quis est hic, nisi Deus noster, suavitas et origo justitiæ, qui reddis unicuique secundum opera ejus (*Matth.* XVI, 27), et cor contritum et humiliatum non spernis? (*Psal.* L, 19.)

5. Erat eo tempore vir sagax (*a*), medicæ artis peritissimus, atque in ea nobilissimus, qui pro consule [1] manu sua coronam illam agonisticam imposuerat non sano capiti meo, sed non ut medicus. Nam illius morbi tu sanator, qui resistis superbis, humilibus autem das gratiam (I *Petr.* v, 5). Numquid tamen etiam per illum senem defuisti mihi, aut destitisti mederi animæ meæ? Quia enim factus ei eram familiarior, et ejus sermonibus (erant enim sine verborum cultu vivacitate sententiarum jucundi et graves) assiduus et fixus inhærebam; ubi cognovit ex colloquio meo libris genethliacorum esse me deditum, benigne ac paterne monuit ut eos abjicerem, neque curam et operam rebus utilibus necessariam, illi vanitati frustra impenderem : dicens ita se illam didicisse, ut ejus professionem primis annis ætatis suæ deferre voluisset, qua vitam degeret; et si Hippocratem intellexisset, et illas utique litteras potuisse intelligere [2] : et tamen non ob aliam causam se postea, illis relictis, medicinam assecutum, nisi quod eas falsissimas comperisset, et nollet vir gravis decipiendis hominibus victum quærere. *At tu*, inquit, *quo te in hominibus sustentas* [3], *rhetoricam tenes; hanc autem fallaciam libero studio, non necessitate rei familiaris sectaris; quo magis mihi te oportet de illa credere, qui eam tam perfecte discere elaboravi, quam ex ea sola vivere volui.* A quo ego cum quæsissem quæ causa ergo faceret ut multa inde vera pronuntiarentur; respondit ille, ut potuit, vim sortis hoc facere in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim de paginis [4] poetæ cujuspiam longe aliud canentis atque intendentis, cum forte quis consulit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret; mirandum non esse dicebat, si ex anima humana, superiore aliquo instinctu, nesciente quid in se fieret, non arte sed sorte sonaret aliquid quod interrogantis rebus factisque concineret.

6. Et hoc quidem ab illo vel per illum procurasti mihi. Et quid ipse postea per me ipsum quærerem, in memoria mea delineasti. Tunc autem nec ipse, nec charissimus meus Nebridius, adolescens valde bonus et valde cautus [1], irridens totum illud divinationis genus, persuadere mihi potuerunt ut hæc abjicerem : quoniam me amplius ipsorum auctorum movebat auctoritas; et nullum certum quale quærebam documentum adhuc inveneram, quo mihi sine ambiguitate appareret, quæ ab eis consultis vera dicerentur, forte vel sorte, non arte inspectorum siderum dici.

## CAPUT IV.

*Morbum et baptismum amici narrat, quem etiam suis erroribus involverat; eoque morte sublato, dolet gravissime. Mirabilis efficacia sacramenti Baptismi.*

7. In illis annis, quo primum tempore in municipio quo natus sum docere cœperam, comparaveram amicum societate studiorum nimis charum, coævum mihi et conflorentem flore adolescentiæ. Mecum puer creverat, et pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus. Sed nondum erat sic amicus, quanquam ne tunc quidem sicuti est vera amicitia; quia non est vera, nisi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi, charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). Sed tamen dulcis erat nimis, coacta [2] fervore parilium studiorum. Nam et a fide vera, quam non germanitus et penitus adolescens tenebat, deflexeram ego eum in superstitiosas fabellas et perniciosas, propter quas plangebat me mater. Mecum jam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu imminens dorso fugitivorum tuorum, Deus ultionum et fons misericordiarum simul, qui convertis [3] nos ad te miris modis; ecce abstulisti hominem de hac vita, cum vix explevisset annum in amicitia mea, suavi [4] mihi super omnes suavitates illius vitæ meæ.

8. Quis laudes tuas enumerat unus, in se uno quas expertus est? Quid tunc fecisti, Deus meus, et quam investigabilis abyssus judiciorum tuorum? Cum enim laboraret ille febribus, jacuit diu sine sensu in sudore letali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, et præsumente id retinere potius animam ejus quod a me acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longe autem aliter erat; nam recreatus est et salvus factus. Statimque ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox ut ille potuit, quando non discedebam, et nimis pendebamus ex invicem), tentavi apud illum irridere, tanquam et ille irrisuro mecum Baptismum quem acceperat mente atque sensu absentissimus, sed tamen jam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit ut inimicum, admonuitque mirabili et repentina libertate, ut si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus atque turbatus, distuli omnes motus meos, ut convalesceret prius, esseique idoneus viribus valetudinis cum quo agere possem quod vellem.

[1] *Pro consule*, juxta Er. Lugd. Ven. Benedict. *Proconsule manu sua*, juxta Lov. M.

[2] Sic legendum cum Mss. Angl. — Sic etiam juxta 6 Mss. Flor. Mart. cum 3 Mss., et Rond. cum 4 Mss. M. [*Potuisset intelligere.*]

[3] *Sustentes*, juxta Lov. et Rond. M.

[4] Apud Am. Er. et Lov. *de Paganis*, quibus perperam suffragantur aliquot Mss.

(*a*) Scilicet, Vindicianus ex nomine postea designatus lib. 7 cap. 6, et ab Augustino laudatus in Epist. 138, n. 3, ad Marcellinum.

[1] *Castus*, juxta Mart. cum 3 Mss. M.

[2] Sic Mss. plures, et melius nostra opinione dicitur *coacta*, id est coagmentata amicitia, quam *cocta*, licet hanc vocem Lovan. prætulerint. — Mart. cum 3 Mss., *coacto fervore*. M.

[3] In Edd. Am. Er. et Lov. : *Simulque convertens*. Paulo post, apud Lov. legere est : *Super omnes civitates*, pro, *suavitates*.

[4] Er. Ludg. Ven. Lov., *suavi*.

Sed ille abreptus dementiæ meæ, ut apud te servaretur consolationi meæ, post paucos dies, me absente, repetitur febribus et defungitur.

9. Quo dolore contenebratum est cor meum; et quidquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, et paterna domus mira infelicitas; et quidquid cum illo communicaveram, sine illo in cruciatum immanem verterat. Expetebant eum undique oculi mei, et non dabatur mihi; et oderam omnia, quia non haberent eum, nec mihi jam dicere poterant : Ecce veniet, sicut cum viveret, quando absens erat. Factus eram ipse mihi magna quæstio, et interrogabam animam meam quare tristis esset, et quare conturbaret me valde; et nihil noverat respondere mihi. Et si dicebam, Spera in Deum (*Psal.* XLI, 6); juste non obtemperabat : quia verior erat et melior homo quem charissimum amiserat, quam phantasma in quod sperare jubebatur. Solus fletus erat dulcis mihi et successerat amico meo in deliciis animi mei.

## CAPUT V.

*Cur fletus dulcis miseris.*

10. Et nunc, Domine, jam illa transierunt, et tempore lenitum est vulnus meum. Possumne audire abs te qui veritas es, et admovere aurem cordis mei ori tuo, ut dicas mihi cur fletus dulcis sit miseris? An tu, quamvis ubique adsis, longe abjecisti a te miseriam nostram? Et tu in te manes; nos autem in experimentis volvimur. Et tamen nisi ad aures tuas ploraremus, nihil residui de spe nostra fieret. Unde igitur suavis fructus de amaritudine vitæ carpitur, gemere et flere, et suspirare et conqueri? An hoc ibi [1] dulce est, quod speramus exaudire te? Recte istud in precibus, quia desiderium perveniendi habent. Numquid in dolore amissæ rei et luctu quo tunc operiebar? Neque enim sperabam reviviscere illum, aut hoc petebam lacrymis, sed tantum dolebam et flebam. Miser enim eram, et amiseram gaudium meum. An et fletus res amara est, et præ fastidio rerum quibus prius fruebamur, et tunc dum ab eis abhorremus, delectat?

## CAPUT VI.

*Quantus ex amici morte dolor.*

11. Quid autem ista loquor? Non enim tempus quærendi nunc est, sed confitendi tibi. Miser eram, et miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium; et dilaniatur cum eas amittit, et tunc sentit miseriam qua miser est et antequam amittat eas. Sic ego eram illo tempore, et flebam amarissime, et requiescebam in amaritudine. Ita miser eram, et habebam chariorem illo amico meo vitam ipsam miseram. Nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quam illum. Et nescio an vellem vel pro illo, sicut de Oreste et Pylade traditur, si non fingitur, qui vellent pro invicem vel simul mori, quia morte pejus eis erat non simul vivere. Sed in me nescio quis affectus nimis huic contrarius ortus erat; et tædium vivendi erat in me gravissimum, et moriendi metus. Credo quo magis illum amabam, eo magis mortem, quæ mihi eum abstulerat, tanquam atrocissimam inimicam oderam et timebam; et eam repente consumpturam omnes homines putabam, quia illum potuit. Sic eram omnino, memini. Ecce cor meum, Deus meus : ecce intus vide quia memini, spes mea, qui me mundas a talium affectionum immunditia, dirigens oculos meos ad te, et evellens de laqueo pedes meos (*Psal.* XXIV, 15). Mirabar enim cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat; et me magis, quia illi alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo : *Dimidium animæ meæ* (*Horat. Carm., lib.* 1, *ode* 3). Nam ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, et ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur quem multum amaveram (*Retract. lib.* 2, *c.* 6).

## CAPUT VII.

*Impatientia doloris mutat locum.*

12. O dementiam nescientem diligere homines humaniter! o stultum hominem immoderate humana patientem, quod ego tunc eram! Itaque æstuabam, suspirabam, flebam, turbabar; nec requies erat, nec consilium. Portabam enim conscissam [1] et cruentam animam meam, impatientem a me portari; et ubi eam ponerem non inveniebam. Non in amœnis nemoribus; non in ludis atque cantibus; nec in suave olentibus locis; nec in conviviis apparatis; neque in voluptate cubilis et lecti; non denique in libris atque carminibus acquiescebat. Horrebant omnia, et ipsa lux; et quidquid non erat quod ille erat, improbum et odiosum erat, præter gemitum et lacrymas. Nam in eis solis aliquantula requies. Ubi autem inde auferebatur anima mea, onerabat me grandis sarcina miseriæ. Ad te [2], Domine, levanda erat et curanda, sciebam; sed nec volebam, nec valebam, eo magis quia non mihi eras aliquid solidum et firmum, cum de te cogitabam. Non enim tu eras, sed vanum phantasma, et error meus erat Deus meus. Si conabar eam ibi ponere ut requiesceret, per inane labebatur, et iterum ruebat super me; et ego mihi remanseram infelix locus, ubi nec esse possem, nec inde recedere. Quo enim cor meum fugeret a corde meo? quo a me ipso fugerem? quo me non sequerer? Et tamen fugi de patria. Minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant; atque a Thagastensi oppido veni Carthaginem.

## CAPUT VIII.

*Tempus et amicorum colloquia dolori medentur.*

13. Non vacant tempora, nec otiose volvuntur per sensus nostros; faciunt in animo mira opera. Ecce veniebant et præteribant de die in diem, et veniendo et prætereundo inserebant mihi species alias et alias memorias, et paulatim resarciebant me pristinis generibus delectationum, quibus cedebat dolor meus ille; sed succedebant non quidem dolores alii, causæ tamen aliorum dolorum. Nam unde me facillime et in intima dolor ille penetraverat, nisi quia fu-

[1] Am. Er. et Lov. : *An hoc tibi.*

[1] 5 Mss., *concisam.*

[2] Ita magno consensu Mss.; at Edd. habent : *Miseriæ quæ a te,*

deram in arenam animam meam, diligendo moriturum ac si non moriturum ? Maxime quippe me reparabant atque recreabant aliorum amicorum solatia, cum quibus amabam quod pro te amabam : et hoc erat ingens fabula et longum mendacium, cujus adulterina confricatione corrumpebatur mens nostra pruriens in auribus. Sed illa mihi fabula non moriebatur, si quis amicorum meorum moreretur. Alia erant quæ in eis amplius capiebant animum : colloqui et corridere, et vicissim benevole obsequi; simul legere libros dulciloquos, simul nugari, et simul honestari; dissentire interdum sine odio, tanquam ipse homo secum, atque ipsa rarissima dissensione condire consensiones plurimas; docere aliquid invicem, aut discere ab invicem, desiderare absentes cum molestia, suscipere venientes cum lætitia : his atque hujusmodi signis a corde amantium et redamantium procedentibus per os, per linguam, per oculos, et mille motus gratissimos, quasi fomitibus conflare animos, et ex pluribus unum facere.

## CAPUT IX.

*De humana amicitia. Beatus qui amat in Deo.*

14. Hoc est quod diligitur in amicis, et sic diligitur, ut rea sibi sit humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit, nihil quærens ex ejus corpore præter indicia benevolentiæ. Hinc ille luctus, si quis moriatur; et tenebræ dolorum, et versa dulcedine in amaritudinem cor madidum, et ex amissa vita morientium mors viventium. Beatus qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. Et quis est iste, nisi Deus noster, Deus qui fecit cœlum et terram, et implet ea, quia implendo ea fecit ea ? Te nemo amittit, nisi qui dimittit : et qui dimittit, quo it, aut quo fugit, nisi a te placido ad te iratum ? Nam ubi non invenit legem tuam in pœna sua ? Et lex tua veritas, et veritas tu.

## CAPUT X.

*Labiles creaturæ, nec in eis potest anima requiescere.*

15. Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam et salvi erimus (*Psal.* LXXIX, 4). Nam quoquoversum se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te; tametsi figitur in pulchris extra te et extra se. Quæ tamen nulla essent nisi essent abs te, quæ oriuntur et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt, et crescunt ut perficiantur, et perfecta senescunt et intereunt : et non [1] omnia senescunt, et omnia intereunt. Ergo cum oriuntur et tendunt esse; quo magis celeriter crescunt ut sint, eo magis festinant ut non sint : sic est modus eorum. Tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul; sed decedendo ac succedendo agunt omnes universum, cujus partes sunt. Ecce sic peragitur et sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat cum sonuerit partes suas, ut succedat aliud. Laudet te ex illis anima mea, Deus creator omnium; sed non in eis infigatur glutine amoris per sensus corporis. Eunt enim quo ibant, ut non sint [1], et conscindunt eam desideriis pestilentiosis; quoniam ipsa esse vult, et requiescere amat in eis quæ amat. In illis autem non est ubi : quia non stant, fugiunt; et quis ea sequitur sensu carnis? aut quis ea comprehendit, vel cum præsto sunt? Tardus est enim sensus carnis, quoniam sensus carnis est, et ipse est modus ejus. Sufficit ad aliud ad quod factus est : ad illud autem non sufficit, ut teneat transcurrentia ab initio debito usque ad finem debitum. In verbo enim tuo per quod creantur, ibi audiunt : Hinc, et hucusque.

[1] Sequimur Mss.; in Edd. porro, sublata negatione, legitur : *Etenim omnia senescunt.*

## CAPUT XI.

*Omnia creata sunt instabilia. Solus Deus stabilis.*

16. Noli esse vana, anima mea, et obsurdescere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi et tu : Verbum ipsum clamat ut redeas; et ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor, si ipse non deserat. Ecce illa discedunt, ut alia succedant, et omnibus suis partibus constet infima universitas. Numquid ego aliquo discedo, ait Verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam : ibi commenda quidquid inde habes, anima mea, saltem fatigata fallaciis. Veritati commenda quidquid tibi est a veritate, et non perdes aliquid; et reflorescent putria tua, et sanabuntur omnes languores tui, et fluxa tua reformabuntur, et renovabuntur, et constringentur ad te : et non te deponent quo descendunt; sed stabunt tecum, et permanebunt ad semper stantem ac permanentem Deum.

17. Utquid perversa sequeris carnem tuam ? Ipsa te sequatur conversa. Quidquid per illam sentis, in parte est; et ignoras totum cujus hæ partes sunt; et delectant te tamen. Sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus carnis tuæ, ac non et ipse in parte universi accepisset pro pœna tua justum modum, velles ut transiret quidquid existit in præsentia, ut magis tibi omnia placerent. Nam et quod loquimur, per eumdem sensum carnis audis; et non vis utique stare syllabas, sed transvolare, ut aliæ veniant, et totum audias. Ita, semper omnia quibus unum aliquid constat, et non simul sunt omnia ea quibus constat : plus delectant omnia quam singula, si possint sentiri omnia. Sed longe his melior qui fecit omnia, et ipse est Deus noster; et non discedit, quia nec succeditur ei.

## CAPUT XII.

*Amor non improbatur, modo in his quæ placent, amemus Deum.*

18. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, et in artificem eorum retorque amorem; ne in his quæ tibi placent, tu displiceas. Si placent animæ, in Deo amentur : quia et ipsæ mutabiles sunt, et in illo fixæ stabiliuntur; alioquin irent et perirent. In illo ergo amentur; et rape ad eum tecum quas potes, et dic eis : Hunc amemus, hunc amemus; ipse fecit hæc, et non est longe. Non enim fecit atque abiit, sed ex illo in illo sunt. Ecce

[1] Mss. tres : *Eunt enim quo ? ut non sint.*

ubi est [1], ubi sapit veritas. Intimus cordi est; sed cor erravit ab eo. Redite, prævaricatores, ad cor, et inhærete illi qui fecit vos. State cum eo, et stabitis: requiescite in eo, et quieti eritis. Quo itis in aspera? quo itis? Bonum quod amatis, ab illo est: sed quantum est ad illum, bonum est et suave; sed amarum erit juste, quia injuste amatur deserto illo, quidquid ab illo est. Quo vobis adhuc et adhuc ambulare vias difficiles et laboriosas? Non est requies ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis: sed ibi non est ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis; non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?

19. Et descendit huc ipsa Vita nostra, et tulit mortem nostram, et occidit eam de abundantia vitæ suæ: et tonuit clamans, ut redeamus hinc ad eum in illud secretum unde processit ad nos, in ipsum primum virginalem uterum, ubi ei nupsit humana creatura, caro mortalis, ne esset semper mortalis; et inde velut sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII, 6). Non enim tardavit, sed cucurrit; clamans dictis, factis, morte, vita, descensu, ascensu; clamans ut redeamus ad eum. Et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, et inveniamus eum. Abscessit enim, et ecce hic est. Noluit nobiscum diu esse, et non reliquit nos. Illuc enim abscessit, unde nunquam recessit, quia mundus per eum factus est; et in hoc mundo erat (*Joan.* I, 10), et venit in hunc mundum peccatores salvos facere (I *Tim.* I, 15); cui confitetur anima mea, et sanat eam [2], quia peccavit illi (*Psal.* XL, 5). Filii hominum usquequo graves corde? (*Psal.* IV, 3.) Numquid et post descensum [3] vitæ non vultis ascendere et vivere? Sed quo ascenditis, quando in alto estis, et posuistis in cœlum os vestrum? (*Psal.* LXXII, 9.) Descendite, ut ascendatis, et ascendatis ad Deum. Cecidistis enim, ascendendo contra eum. Dic eis ista, ut plorent in convalle plorationis, et sic eos rape tecum ad Deum; quia de Spiritu ejus hæc dicis eis, si dicis ardens igne charitatis.

## CAPUT XIII.

*Amor unde proveniat.*

20. Hæc tunc non noveram, et amabam pulchra inferiora, et ibam in profundum, et dicebam amicis meis: Num amamus aliquid, nisi pulchrum? Quid est ergo pulchrum? et quid est pulchritudo? Quid est quod nos allicit et conciliat rebus quas amamus? Nisi enim esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent. Et animadvertebam et videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo pulchrum; aliud autem quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur alicui, sicut pars corporis ad universum suum, aut calceamentum ad pedem, et similia. Et ista consideratio scaturivit in animo meo ex intimo corde meo; et scripsi libros de Pulchro et Apto; puto, duos aut tres. Tu scis, Deus: nam excidit mihi. Non enim habemus eos, sed aberraverunt a nobis, nescio quomodo.

[1] In codice Sorbonico: *Ecce ibi est, ubi sapit veritas.*

[2] Lov. Arn. Mart. cum quinque Mss. necnon Rond. cum quatuor Mss., *ut sanet eam.* M.

[3] Benignian. codex optimæ notæ, *discessum.*

## CAPUT XIV.

*Libri de Apto et Pulchro Hierio nuncupati. Unde hunc amaverat.*

21. Quid est autem quod me movit, Domine Deus meus, ut ad Hierium [1] Romanæ urbis oratorem scriberem illos libros, quem non noveram facie, sed amaveram hominem ex doctrinæ fama quæ illi clara erat, et quædam verba ejus audieram, et placuerant mihi? Sed magis quia placebat aliis, et efferebant eum laudibus, stupentes quod ex homine syro, docto prius græcæ facundiæ, postea in latina etiam dictor [2] mirabilis exstitisset, et esset scientissimus rerum ad studium sapientiæ pertinentium; mihi placebat. Laudatur homo, et amatur absens. Utrumnam ab ore laudantis intrat in cor audientis amor ille? Absit: sed ex amante alio accenditur alius. Hinc enim amatur qui laudatur, dum non fallaci corde laudatoris prædicari creditur; id est, cum amans eum laudat.

22. Sic enim tunc amabam homines ex hominum judicio; non enim ex tuo, Deus meus, in quo nemo fallitur. Sed tamen, cur non sicut auriga nobilis, sicut venator studiis popularibus diffamatus, sed longe aliter et graviter, et ita quemadmodum et me laudari vellem? Non autem vellem ita laudari et amari me, ut histriones; quanquam eos et ipse laudarem et amarem: sed eligens latere, quam ita notus esse; et vel haberi odio, quam sic amari. Ubi distribuuntur ista pondera variorum et diversorum amorum in anima una? Quid est quod amo in alio, quod rursus, nisi odissem, non a me detestarer et repellerem, cum sit uterque nostrum homo? Non enim, sicut equus bonus amatur ab eo qui nollet hoc esse, etiam si posset; hoc et de histrione dicendum est, qui naturæ nostræ socius est. Ergone amo in homine quod odi esse, cum sim homo? Grande profundum est ipse homo, cujus etiam capillos tu, Domine, numeratos habes, et non minuuntur in te: et tamen capilli ejus magis numerabiles sunt quam affectus ejus, et motus cordis ejus.

23. At ille rhetor ex eo erat genere, quem sic amabam, ut vellem me esse talem; et errabam typho, et circumferebar omni vento, et nimis occulte gubernabar abs te. Et unde scio, et unde certus confiteor tibi quod illum in amore laudantium magis amaveram, quam in rebus ipsis de quibus laudabatur. Quia si non laudatum vituperarent eum iidem ipsi, et vituperando atque spernendo ea ipsa narrarent, non accenderer in eum et non excitarer. Et certe res non aliæ forent, nec homo ipse alius; sed tantummodo alius effectus narrantium. Ecce ubi jacet anima infirma, nondum hærens soliditati veritatis. Sicut auræ linguarum flaverint a pectoribus opinantium, ita fertur et vertitur, torquetur ac retorquetur, et obnubilatur ei lumen, et non cernitur veritas. Et ecce est ante nos. Et magnum quiddam mihi erat, si sermo meus et studia mea illi viro innotescerent. Quæ si probaret, flagrarem magis;

[1] Sic scribitur in editione Lov. et in Mss. plerisque. At in Bad. Am. Er. Arn. et quatuor Mss., *Icherium.*

[2] In Edd., *doctor.* In duobus Mss. Lov., *dictator*: corrupte scilicet pro *dictor*; quam vocem nostrorum codicum auctoritate restituere visum est.

si autem improbaret, sauciaretur cor vanum et inane soliditatis tuæ. Et tamen pulchrum illud atque aptum, unde ad eum scripseram, libenter animo versabam, ob os contemplationis meæ [1], et nullo collaudatore mirabar.

## CAPUT XV.

*Quod corporalibus imaginibus contenebratus, non potuit capere spiritualia.*

24. Sed tantæ rei cardinem in arte tua nondum videbam, Omnipotens, qui facis mirabilia solus (*Psal.* LXXI, 18) : et ibat animus meus per formas corporeas; et pulchrum, quod per seipsum; aptum autem, quod ad aliquid accommodatum deceret, definiebam et distinguebam, et exemplis corporeis astruebam. Et converti me ad animi naturam; et non me sinebat falsa opinio quam de spiritualibus habebam, verum cernere. Et irruebat in oculos ipsa vis veri, et avertebam palpitantem mentem ab incorporea re ad lineamenta, et colores, et tumentes magnitudines. Et quia non poteram ea videre in animo, putabam me non posse videre animum meum. Et cum in virtute pacem amarem, in vitiositate autem odissem discordiam; in illa unitatem, in ista quamdam divisionem notabam. Inque illa unitate mens rationalis et natura veritatis ac summi boni mihi esse videbatur : in ista vero divisione irrationalis vitæ [2], nescio quam substantiam et naturam summi mali, quæ non solum esset substantia, sed omnino vita esset, et tamen abs te non esset, Deus meus, ex quo sunt omnia, miser opinabar. Et tamen illam monadem appellabam, tanquam sine ullo sexu mentem [3]; hanc vero dyadem, iram in facinoribus, libidinem in flagitiis, nesciens quid loquerer. Non enim noveram neque didiceram, nec ullam substantiam malum esse, nec ipsam mentem nostram summum atque incommutabile bonum.

25. Sicut enim facinora sunt, si vitiosus est ille animi motus, in quo est impetus, et se jactat insolenter ac turbide; et flagitia, si est immoderata illa animæ affectio, qua carnales hauriuntur voluptates : ita errores et falsæ opiniones vitam contaminant, si rationalis mens ipsa vitiosa est; qualis in me tunc erat, nesciente alio lumine illam illustrandam esse ut sit particeps veritatis, quia non est ipsa natura veritatis. Quoniam tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas (*Psal.* XVII, 29) : et de plenitudine tua nos omnes accepimus. Es enim tu lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 16, 9); quia in te non est transmutatio, nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17).

26. Sed ego conabar ad te, et repellebar abs te, ut saperem mortem, quoniam superbis resistis. Quid autem superbius, quam ut assererem mira dementia me id esse naturaliter quod tu es? Cum enim ego essem mutabilis, et eo mihi manifestum esset, quod ideo utique sapiens esse cupiebam, ut ex deteriore melior fierem; malebam tamen etiam te opinari mutabilem, quam me non hoc esse quod tu es. Itaque repellebar, et resistebas ventosæ cervici meæ : et imaginabar formas corporeas, et caro carnem accusabam, et spiritus ambulans nondum revertebar ad te (*Psal.* LXXVII, 39); et ambulando ambulabam in ea quæ non sunt, neque in te, neque in me, neque in corpore; neque mihi creabantur a veritate tua, sed a mea vanitate fingebantur ex corpore : et dicebam parvulis fidelibus tuis, civibus meis, a quibus nesciens exsulabam; dicebam illis garrulus et ineptus, Cur ergo errat anima quam fecit Deus? Et mihi nolebam dici, Cur ergo errat Deus? Et contendebam magis incommutabilem tuam substantiam coactam errare, quam meam mutabilem sponte deviasse, et pœna errare confitebar [1].

27. Et eram ætate annorum fortasse viginti sex aut septem, cum illa volumina scripsi, volvens apud me corporalia figmenta, obstrepentia cordis mei auribus; quas intendebam, dulcis veritas, in interiorem melodiam tuam, cogitans de pulchro et apto, et stare cupiens et audire te, et gaudio gaudere propter vocem sponsi (*Joan.* III, 29), et non poteram : quia vocibus erroris mei rapiebar foras, et pondere superbiæ meæ in ima decidebam. Non enim dabas auditui meo gaudium et lætitiam, aut exsultabant ossa mea, quæ humiliata non erant (*Psal.* L, 10).

## CAPUT XVI.

*Categorias Aristotelis et liberalium artium libros per se intellexit.*

28. Et quid mihi proderat quod annos natus ferme viginti, cum in manus meas venissent Aristotelica quædam, quas appellant decem Categorias; quarum nomine, cum eas rhetor Carthaginensis magister meus buccis typho crepantibus commemoraret, et alii qui docti habebantur, tanquam in nescio quid magnum et divinum suspensus inhiabam; legi eas solus et intellexi? Quas cum contulissem cum eis qui se dicebant vix eas, magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus, intellexisse; nihil inde aliud mihi dicere potuerunt, quam ego solus apud meipsum legens cognoveram, et satis aperte mihi videbantur loquentes de substantiis, sicuti est homo; et quæ in illis essent, sicuti est figura hominis; qualis sit et statura, quot pedum sit; et cognatio, cujus frater sit; aut ubi sit constitutus; aut quando natus; aut stet, aut sedeat; aut calceatus vel armatus sit; aut aliquid faciat; aut patiatur aliquid : et quæcumque in his novem generibus, quorum exempli gratia quædam posui, vel in ipso substantiæ genere innumerabilia reperiuntur.

29. Quid hoc mihi proderat, quando et oberat? cum etiam te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere

[1] Arn. cum editione Moreti an. 1650 sic habet : *Animo versabam et ostentationem contemplationis meæ.* Mss. sex : *Modos contempl.*

[2] Mss. Angl. cum nostris habent : *Divisione irrationabilis vitæ*, sive *irrationalis*. Apud Lov., *rationalis;* mendose, ut patet.

[3] In Mss. quinque non deterioris notæ habetur, *sine ullo sensu mentem;* pro, *sine ullo sexu.*

[1] Edd., *pene errare confitebar,* manifesto lapsu.

conarer, quasi et tu subjectus esses magnitudini tuæ aut pulchritudini, ut illa essent in te quasi in subjecto, sicut in corpore; cum tua magnitudo et tua pulchritudo tu ipse sis : corpus autem non eo sit magnum et pulchrum quo corpus est; quia etsi minus magnum et minus pulchrum esset, nihilominus corpus esset. Falsitas enim erat quam de te cogitabam, non veritas; et figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ. Jusseras enim, et ita fiebat in me, ut terra spinas et tribulos pareret mihi, et cum labore pervenirem ad panem meum (*Gen.* III, 18, 19).

30. Et quid mihi proderat quod omnes libros artium quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per meipsum legi et intellexi, quoscumque legere potui? Et gaudebam in eis, et nesciebam unde esset quidquid ibi verum et certum esset. Dorsum enim habebam ad lumen, et ad ea quæ illuminantur, faciem : unde ipsa facies mea, qua illuminata cernebam, non illuminabatur. Quidquid de arte loquendi et disserendi, quidquid de dimensionibus figurarum, et de musicis et de numeris, sine magna difficultate, nullo hominum tradente intellexi, scis tu, Domine Deus meus; quia et celeritas intelligendi, et dispiciendi acumen [1], donum tuum est : sed non inde sacrificabam tibi. Itaque mihi non ad usum, sed ad perniciem magis valebat, quia tam bonam partem substantiæ meæ sategi habere in potestate : et fortitudinem meam non ad te custodiebam (*Psal.* LVIII, 10); sed profectus sum abs te in longinquam regionem, ut eam dissiparem in meretrices cupiditates [2] (*Luc.* XV, 12, 13, 30). Nam quid mihi proderat bona res, non utenti bene? Non enim sentiebam illas artes etiam ab studiosis et ingeniosis difficillime intelligi, nisi cum eis easdem conabar exponere; et erat ille excellentissimus in eis, qui me exponentem non tardius sequeretur.

31. Sed quid mihi hoc proderat, putanti quod tu, Domine Deus veritas, corpus esses lucidum et immensum, et ego frustum de illo corpore? Nimia perversitas! sed sic eram. Nec erubesco, Deus meus, confiteri tibi in me misericordias tuas, et invocare te, qui non erubui tunc profiteri hominibus blasphemias meas, et latrare adversum te. Quid ergo mihi tunc proderat ingenium per illas doctrinas agile, et nullo adminiculo humani magisterii tot nodosissimi libri enodati, cum deformiter et sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarem? Aut quid tantum oberat parvulis tuis longe tardius ingenium, cum a te longe non recederent, ut in nido Ecclesiæ tuæ tuti plumescerent, et alas charitatis alimento sanæ fidei nutrirent? O Domine, Deus noster, in velamento alarum tuarum speremus (*Psal.* LXII, 8); et protege nos, et porta nos. Tu portabis et parvulos, et usque ad canos tu portabis (*Isai.* XLVI, 4): quoniam firmitas nostra quando tu es, tunc est firmitas; cum autem nostra est, infirmitas est. Vivit apud te semper bonum nostrum; et quia inde aversi sumus, perversi sumus. Revertamur jam, Domine, ut non evertamur; quia vivit apud te sine ullo defectu bonum nostrum, quod tu ipse es : et non timemus [1] ne non sit quo redeamus, quia nos inde ruimus; nobis autem absentibus non ruit domus nostra æternitas tua.

[1] In antiquioribus editionibus, *discendi*. Lov. et Arn., *disputandi*. At in Mss. pluribus, *dispiciendi acumen*, quæ germana lectio visa est.

[2] Lov. cum antiquioribus editionibus, *meretricias cupiditates*. At Mss. cum Arn., *meretrices* : quod vocabulum usurpavit Augustinus ab eo loco Evangelii, ad quem alludit.

[1] *Timebimus*, juxta Somm. Lov. Arn. Mart. cum 7 Mss. et Rond. cum 13 Mss. M.

# *LIBER QUINTUS.*

Annum ætatis suæ exhibet vigesimum nonum, quo scilicet, comperta fausti Manichæi imperitia, propositum in illa secta proficiendi abjecit; quo etiam Roma, ubi tunc rhetoricam profitebatur, missus Mediolanum ut eamdem artem doceret, cœpit audito Ambrosio resipiscere, et de Manichæismo abdicando necnon de repetendo catechumenatu decernere.

## CAPUT PRIMUM.

*Excitat mentem ad Deum laudandum.*

1. Accipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ, quam formasti et excitasti, ut confiteatur nomini tuo; et sana omnia ossa mea, et dicant : Domine, quis similis tibi? (*Psal.* XXXIV, 10.) Neque enim docet te quid in se agatur qui tibi confitetur; quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum : sed solvis eam, cum voles, aut miserans aut vindicans; et non est qui se abscondat a calore tuo. Sed te laudet anima mea, ut amet te; et confiteatur tibi miserationes tuas, ut laudet te. Non cessat nec tacet laudes tuas universa creatura tua; nec spiritus omnis hominis per os conversum ad te, nec animalia nec corporalia per os considerantium ea; ut exsurgat in te a lassitudine anima nostra, innitens eis quæ fecisti, et transiens ad te qui fecisti hæc mirabiliter : et ibi refectio et vera fortitudo.

## CAPUT II.

*Dei præsentiam iniquos non effugere : itaque ad eum debere converti.*

2. Eant et fugiant a te inquieti et iniqui : et tu vides eos, et distinguis umbras; et ecce pulchra sunt cum eis omnia, et ipsi turpes sunt. Et quid nocuerunt tibi? aut in quo imperium tuum dehonestaverunt, a cœlis usque in novissima justum et integrum? Quo enim fugerunt, cum fugerent a facie tua? aut ubi tu non invenis eos? Sed fugerunt, ut non viderent te videntem se, atque excæcati in te offenderent; quia non deseris aliquid eorum quæ fecisti : in te offenderent injusti, et juste vexarentur [1]; subtrahentes

[1] Ita Cdd. plerique, et elegantius videtur, quam si, rupto periodi nexu, nova incipiat sententia hoc modo : *In te offen-*

se lenitati tuæ, et offendentes in rectitudinem tuam, et cadentes in asperitatem suam [1]. Videlicet nesciunt quod ubique sis, quem nullus circumscribit locus, et solus es præsens, etiam iis qui longe fiunt a te. Convertantur ergo et quærant te, quia non sicut ipsi deseruerunt creatorem suum, ita et tu deseruisti creaturam tuam. Ipsi convertantur, et quærant te; et ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, et projicientium se in te, et plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles : et tu facilis tergens lacrymas eorum; et magis plorant et gaudent in fletibus, quoniam tu, Domine, non aliquis homo caro et sanguis; sed tu, Domine, qui fecisti, reficis et consolaris eos. Et ubi ego eram, quando te quærebam? Et tu eras ante me; ego autem et a me discesseram, nec me inveniebam; quanto minus te?

## CAPUT III.

*De Fausto manichæo, et de philosophorum cæcitate qui per creaturas Creatorem non cognoverunt.*

3. Proloquar in conspectu Dei mei annum illum undetrigesimum ætatis meæ. Jam venerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus, Faustus nomine, magnus laqueus diaboli : et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ; quam ego tametsi laudabam, discernebam tamen a veritate rerum, quarum discendarum avidus eram; nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret nominatus apud eos ille Faustus, intuebar. Fama enim de illo prælocuta mihi erat quod esset honestarum omnium doctrinarum peritissimus, et apprime disciplinis liberalibus eruditus. Et quoniam multa philosophorum legeram, memoriæque mandata retinebam, ex eis quædam comparabam illis Manichæorum longis fabulis : et mihi probabiliora ista videbantur, quæ dixerunt illi, qui tantum potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum, quanquam ejus Dominum minime invenerint. Quoniam magnus es, Domine, et humilia respicis; excelsa autem a longe cognoscis (*Psal.* CXXXVII, 6) : nec propinquas nisi obtritis corde; nec inveniris a superbis, nec si illi curiosa peritia numerent stellas et arenam, et dimetiantur sidereas plagas, et vestigent vias astrorum.

4. Mente enim sua quærunt ista, et ingenio quod tu dedisti eis : et multa invenerunt et prænuntiaverunt ante multos annos defectus luminarium solis et lunæ, quo die, qua hora, quanta ex parte futuri essent; et non eos fefellit numerus, et ita factum est ut prænuntiaverunt : et scripserunt regulas indagatas, et leguntur hodie, atque ex eis prænuntiatur quo anno et quo mense anni, et quo die mensis, et qua hora diei, et quota parte luminis sui defectura sit luna vel sol; et ita fiet ut prænuntiatur. Et mirantur hæc homines et stupent qui nesciunt ea, et exsultant atque extolluntur qui sciunt; et per impiam superbiam recedentes et deficientes a lumine tuo, tanto ante solis defectum futurum prævident, et in præsentia suum non vident. Non enim religiose quærunt unde habeant ingenium quo ista quærunt. Et invenientes quia tu fecisti eos, non ipsi dant tibi se ut serves quod fecisti, et quales se ipsi fecerant occidunt se tibi [1], et trucidant exaltationes suas sicut volatilia, et curiositates suas sicut pisces maris, quibus perambulant secretas semitas abyssi, et luxurias suas sicut pecora campi; ut tu, Deus ignis edax, consumas mortuas curas eorum recreans eos immortaliter.

5. Sed non noverunt viam, Verbum tuum, per quod fecisti ea quæ numerant, et ipsos qui numerant, et sensum quo cernunt quæ numerant, et mentem de qua numerant; et sapientiæ tuæ non est numerus (*Psal.* CXLVI, 5). Ipse autem Unigenitus factus est nobis sapientia, et justitia, et sanctificatio (I *Cor.* I, 30); et numeratus est inter nos, et solvit tributum Cæsari (*Matth.* XXII, 21). Non noverunt hanc viam, qua descendant ad illum a se, et per eum ascendant ad eum. Non noverunt hanc viam, et putant se excelsos esse cum sideribus et lucidos; et ecce ruerunt in terram, et obscuratum est insipiens cor eorum. Et multa vera de creatura dicunt, et Veritatem, creaturæ artificem, non pie quærunt, et ideo non inveniunt : aut si inveniunt, cognoscentes Deum, non sicut Deum honorant, aut gratias agunt; sed evanescunt in cogitationibus suis, et dicunt se esse sapientes, sibi tribuendo quæ tua sunt, ac per hoc student perversissima cæcitate etiam tibi tribuere quæ sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes, qui veritas es, et immutantes gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum, et convertunt veritatem tuam in mendacium; et colunt, et serviunt creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I, 21-25).

6. Multa tamen ab eis, ex ipsa creatura, vera dicta retinebam; et occurrebat mihi ratio per numeros et ordinem temporum, et visibiles attestationes siderum, et conferebam cum dictis Manichæi, quæ [2] de his rebus multa scripsit copiosissime delirans; et non mihi occurrebat ratio nec solstitiorum et æquinoctiorum, nec defectuum luminarium, nec quidquid tale in libris sæcularis sapientiæ didiceram. Ibi autem credere jubebar, et ad illas rationes numeris et oculis meis exploratas non occurrebat, et longe diversum erat.

## CAPUT IV.

*Sola Dei cognitio beat.*

7. Numquid, Domine Deus veritatis, quisquis novit ista, jam placet tibi? Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit : beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero et te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut Deum glorificet, et gratias agat, et non evanescat in cogitationibus suis. Sicut enim melior est qui novit possidere arborem, et de usu ejus tibi gratias agit, quamvis nesciat vel quot

*derunt injusti ut juste vexarentur*, uti habent nonnulli Mss. cum Arn.

[1] Substituimus *suam*, ex Mss. melioris notæ, loco *tuam*, quod in Cdd. vulgatis et in Mss. nonnullis reperitur.

[1] Arn. et Mss. 2, *occidant se tibi;* moxque, *trucident.* Alii plerique Cdd. comprobant alteram lectionem, quæ paululum obscura est propter distantiam particulæ negantis referendæ etiam ad verba *occidunt* et *trucidant*.

[2] *Qui*, juxta Sonm. Dub. Mart. et Rond. M.

cubitis alta sit, vel quanta latitudine diffusa; quam ille qui eam metitur, et omnes ramos ejus numerat, et neque possidet eam, neque creatorem ejus novit aut diligit : sic fidelis homo, cujus totus mundus divitiarum est, et quasi nihil habens, omnia possidet, inhærendo tibi cui serviunt omnia, quamvis nec saltem septentrionum gyros noverit; dubitare stultum est quin utique melior sit quam mensor cœli, et numerator siderum, et pensor elementorum, et negligens tui, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuisti (*Sap.* XI, 21).

## CAPUT V.

*Manichæi de astris imperitia indignum eum fide in cæteris faciebat.*

8. Sed tamen quis quærebat Manichæum nescio quem etiam ista scribere, sine quorum peritia pietas disci poterat? Dixisti enim homini, *Ecce pietas et sapientia* (*Job* XXVIII, 28, *sec. LXX*) ; quam ille ignorare posset, etiam si ista perfecte nosset : ista vero quia non noverat, impudentissime audens docere, prorsus illam nosse non posset. Vanitas est enim mundana ista etiam nota profiteri, pietas autem tibi confiteri. Unde ille devius, ad hoc [1] ista multum locutus est, ut convictus ab eis qui ista vere didicissent, quis esset ejus sensus in cæteris quæ abditiora sunt, manifeste cognosceretur. Non enim parvi existimari se voluit, sed Spiritum sanctum consolatorem et ditatorem fidelium tuorum, auctoritate plenaria personaliter in se esse persuadere conatus est. Itaque, cum de cœlo ac stellis, et de solis ac lunæ motibus falsa dixisse deprehenderetur, quamvis ad doctrinam religionis ista non pertineant, tamen ausus ejus sacrilegos fuisse satis emineret; cum ea non solum ignorata, sed etiam falsa, tam [2] vesana superbiæ vanitate diceret, ut ea tanquam divinæ personæ tribuere sibi niteretur.

9. Cum enim audio christianum aliquem fratrem, illum aut illum, ista nescientem, et aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem; nec illi obesse video, cum de te, Domine creator omnium, non credat indigna, si forte situs et habitus creaturæ corporalis ignoret. Obest autem si hoc ad ipsam doctrinæ pietatis formam pertinere arbitretur, et pertinacius affirmare audeat quod ignorat. Sed etiam talis infirmitas in fidei cunabulis a charitate matre sustinetur, donec assurgat novus homo in virum perfectum, et circumferri non possit omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV, 13, 14). In illo autem qui doctor, qui auctor, qui dux et princeps eorum quibus illa suaderet, ita fieri ausus est, ut qui eum sequerentur, non quemlibet hominem, sed Spiritum tuum sanctum se sequi arbitrarentur; quis tantam dementiam, sicubi falsa dixisse convinceretur, non detestandam longeque abjiciendam esse judicaret? Sed tamen nondum liquido compereram utrum etiam secundum ejus verba, vicissitudines longiorum et breviorum dierum atque noctium, et ipsius noctis et diei, et deliquia luminum, et si quid ejusmodi in aliis libris legeram, posset exponi; ut, si forte posset, incertum quidem mihi fieret utrum ita se res haberet, an non ita; sed ad fidem meam illius auctoritatem, propter creditam sanctitatem, præponerem.

[1] *Hæc*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Flor. M.

[2] Sic quatuor Mss. Angl. [*Falsata, vesana superbiæ.*] Mart. et Rond. cum Mss. nonnullis, *falsa, tam.* M.

## CAPUT VI.

*Faustus eloquens, sed liberalium disciplinarum expers.*

10. Et per annos ferme ipsos novem, quibus eos animo vagabundus audivi, nimis extento desiderio venturum exspectabam istum Faustum. Cæteri enim eorum, in quos forte incurrissem, qui talium rerum quæstionibus a me objectis deficiebant, illum mihi promittebant, cujus adventu collatoque colloquio facillime mihi hæc, et si qua forte majora quærerem, enodatissime expedirentur. Ergo ubi venit, expertus sum hominem gratum et jucundum verbis, et ea ipsa quæ illi solent dicere, multo suavius garrientem. Sed quid ad meam sitim pretiosiorum poculorum decentissimus ministrator? Jam rebus talibus satiatæ erant aures meæ; nec ideo mihi meliora videbantur, quia melius dicebantur; nec ideo vera quia diserta; nec ideo sapiens anima, quia vultus congruus et decorum eloquium. Illi autem qui eum mihi promittebant, non boni rerum existimatores erant; et ideo illis videbatur prudens et sapiens, quia delectabat eos loquens. Sensi autem aliud genus hominum etiam veritatem habere suspectam, et ei nolle acquiescere si compto atque uberi sermone promeretur. Me autem jam docueras, Deus meus, miris et occultis modis; et propterea credo quod tu me docueris, quoniam verum est, nec quisquam præter te alius est doctor veri, ubicumque et undecumque claruerit. Jam ergo abs t didiceram, nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur; nec eo falsum, quia incomposite sonant signa labiorum : rursus, nec ideo verum, quia impolite enuntiatur, nec ideo falsum, quia splendidus sermo est : sed perinde esse sapientiam et stultitiam, sicut sunt cibi utiles et inutiles; verbis autem ornatis et inornatis sicut vasis urbanis et rusticanis utrosque cibos posse ministrari.

11. Igitur aviditas mea, qua illum tanto tempore exspectaveram hominem, delectabatur quidem motu affectuque disputantis, et verbis congruentibus, atque ad vestiendas sententias facile occurrentibus. Delectabar autem et cum multis, vel etiam præ multis laudabam ac efferebam; sed moleste habebam quod in cœtu audientium non sinerer illi ingerere, et partiri cum eo curas quæstionum mearum, conferendo familiariter, et accipiendo ac reddendo sermonem. Quod ubi potui, et aures ejus cum familiaribus meis eoque [1] tempore occupare cœpi, quo non dedeceret alternis disserere, et protuli quædam quæ me movebant; expertus sum prius hominem expertem liberalium disciplinarum, nisi grammaticæ, atque ejus ipsius usitato modo. Et quia legerat aliquas Tullianas orationes, et paucissimos Senecæ libros, et nonnulla poetarum, et suæ sectæ si qua volumina latine atque composite conscripta erant, et quia aderat quotidiana

[1] *Eo quoque*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

sermocinandi exercitatio; inde suppetebat eloquium, quod fiebat acceptius magisque seductorium moderamine ingenii, et quodam lepore naturali. Itane est ut recolo, Domine Deus meus, arbiter conscientiæ meæ? Coram te cor meum et recordatio mea, qui me tunc agebas abdito secreto providentiæ tuæ, et inhonestos errores meos jam convertebas ante faciem meam, ut viderem et odissem.

## CAPUT VII.

*Alienatur a secta Manichæorum.*

12. Nam posteaquam ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere putaveram, satis apparuit, desperare cœpi posse eum mihi illa quæ me movebant aperire atque dissolvere; quorum quidem ignarus posset veritatem tenere pietatis, sed si manichæus non esset. Libri quippe eorum pleni sunt longissimis fabulis, de cœlo et sideribus, et sole et luna: quæ mihi eum, quod utique cupiebam, collatis numerorum rationibus, quas alibi ego legeram, utrum potius ita essent ut Manichæi libris continebantur, an certe vel par etiam inde ratio redderetur, subtiliter explicare posse jam non arbitrabar. Quæ tamen ubi consideranda et discutienda protuli, modeste sane ille nec ausus est subire ipsam sarcinam. Noverat enim se ista non nosse, nec eum puduit confiteri. Non erat de talibus quales multos loquaces passus eram, conantes ea me docere, et dicentes nihil. Iste vero cor habebat, etsi non rectum ad te, nec tamen nimis incautum ad seipsum. Non usquequaque imperitus erat imperitiæ suæ, et noluit se temere disputando in ea coarctari, unde nec exitus ei ullus, nec facilis esset reditus: etiam hinc mihi amplius placuit. Pulchrior est enim temperantia confitentis animi, quam illa quæ nosse cupiebam: et eum in omnibus difficilioribus et subtilioribus quæstionibus talem inveniebam.

13. Refracto itaque studio quod [1] intenderam in Manichæi litteras, magisque desperans de cæteris eorum doctoribus, quando in multis quæ me movebant, ita ille nominatus apparuit; cœpi cum eo pro studio ejus agere vitam, quo ipse flagrabat in eas litteras, quas tunc jam rhetor Carthagini adolescentes docebam; et legere cum eo, sive quæ ille audita desideraret, sive quæ ipse tali ingenio apta existimarem. Cæterum conatus omnis meus, quo proficere in illa secta statueram, illo homine cognito prorsus intercidit: non ut ab eis omnino separarer, sed quasi melius quidquam non inveniens, eo quo jam quoquo modo irrueram, contentus interim esse decreveram, nisi aliquid forte quod magis eligendum esset eluceret. Ita ille Faustus, qui multis laqueus mortis exstitit, meum quo captus eram relaxare jam cœperat, nec volens nec sciens. Manus enim tuæ, Deus meus, in abdito providentiæ tuæ, non deserebant animam meam; et de sanguine cordis matris meæ, per lacrymas ejus diebus ac noctibus pro me sacrificabatur tibi; et egisti mecum miris modis [2]. Tu illud egisti,

[1] *Quo*, juxta Rond. M.

[2] *Miris et occultis modis*, juxta Somm. Arn. cum 7 Mss., et Rond. cum 11 Mss. M.

Deus meus. Nam a Domino gressus hominis diriguntur; et viam ejus volet (*Psal.* XXXVI, 23). Aut quæ procuratio salutis, præter manum tuam, reficientem quæ fecisti?

## CAPUT VIII.

*Proficiscitur Romam contra matris voluntatem.*

14. Egisti ergo mecum ut mihi persuaderetur Romam pergere, et potius ibi docere quod docebam Carthagine. Et hoc unde mihi persuasum est [1], non præteribo confiteri tibi; quoniam et in his altissimi tui recessus, et præsentissima in nos misericordia tua cogitanda et prædicanda est. Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæstus, majorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc suadebant, promittebatur; quanquam et ista ducebant animum tunc meum: sed illa erat causa maxima et pene sola, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes, et ordinatiore disciplinæ coercitione sedari, ne in ejus scholam quo magistro non utuntur, passim et proterve irruant; nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contra, apud Carthaginem fœda est et intemperans licentia scholasticorum. Irrumpunt impudenter, et prope furiosa fronte perturbant ordinem, quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa injuriosa faciunt mira hebetudine, et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit; hoc miseriores eos ostendens, quo jam quasi liceat, faciunt quod per tuam æternam legem nunquam licebit; et impune se facere arbitrantur, cum ipsa faciendi cæcitate puniantur, et incomparabiliter patiantur pejora, quam faciunt. Ergo quos mores, cum studerem meos esse nolui [2]; eos, cum docerem, cogebar perpeti alienos: et ideo placebat ire ubi talia non fieri, omnes qui noverant, indicabant. Verum autem tu, spes mea et portio mea in terra viventium (*Psal.* CXLI, 6), ad mutandum terrarum locum pro salute animæ meæ, et Carthagini stimulos quibus inde avellerer, admovebas, et Romæ illecebras quibus attraherer, proponebas mihi per homines qui diligunt [3] vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes; et ad corrigendos gressus meos utebaris occulte et illorum et mea perversitate. Nam et qui perturbabant otium meum, fœda rabie cæci erant; et qui invitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam felicitatem appetebam.

15. Sed quare hinc abirem, et illuc irem, tu sciebas, Deus; nec indicabas mihi nec matri, quæ me profectum atrociter planxit, et usque ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter me tenentem, ut aut revocaret, aut mecum pergeret; et finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto navigaret. Et mentitus sum matri, et illi matri, et evasi: quia et hoc tu dimisisti mihi misericorditer, servans me ab aquis maris, plenum exsecrandis sordibus, usque ad aquam gratiæ tuæ, qua me abluto siccarentur flumina mater-

[1] *Sit*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Dub. Mart. Flor. et Rond. M.

[2] Codex Sorb.: *Meos esse volui.* Consentit Gallica versio Arn.; sed alii Cdd., etiam Arn., in latino textu habent *nolui*; et reipsa, cum in schola rhetoris studeret Augustinus, fuit longe sedatior, ut ait supra, libro 3, cap. 3.

[3] *Diligebant*, juxta Somm. Dub. Arn. Mart. et Rond. M.

norum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo. Et tamen recusanti sine me redire, vix persuasi ut in loco, qui proximus nostræ navi erat, memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo ego profectus sum : illa autem remansit [1] orando et flendo. Et quid a te petebat, Deus meus, tantis lacrymis, nisi ut navigare me non sineres? Sed tu alte consulens, et exaudiens cardinem desiderii ejus, non curasti quod tunc petebat, ut in me faceres [2] quod semper petebat. Flavit ventus, et implevit vela nostra, et littus subtraxit aspectibus nostris : in quo mane illa insaniebat dolore, et querelis, ac gemitu implebat aures tuas contemnentis istá [3] ; cum et me cupiditatibus meis raperes ad finiendas ipsas cupiditates, et illius carnale desiderium justo dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam meam more matrum, sed multis multo amplius ; et nesciebat quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat et ejulabat, atque illis cruciatibus arguebatur in ea reliquiarium Evæ [4], cum gemitu quærens quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum et crudelitatis meæ, conversa rursus ad deprecandum te pro me, abiit ad solita, et ego Romam.

## CAPUT IX.

*Febri correptus periculose laborat.*

16. Et ecce excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, et ibam ad inferos, portans omnia mala quæ commiseram et in te, et in me, et in alios, multa et gravia, super originalis peccati vinculum quo omnes in Adam morimur. Non enim quidquam eorum mihi donaveras in Christo ; nec solverat ille in cruce sua [5] inimicitias quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodo enim eas solveret in cruce phantasmatis, quod de illo credideram? Quam ergo falsa mihi videbatur mors carnis ejus, tam vera erat animæ meæ : et quam vera erat mors carnis ejus, tam falsa vita animæ meæ, quæ id non credebat. Et ingravescentibus febribus jam ibam et peribam. Quo enim irem, si tunc hinc abirem, nisi in ignem atque tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? Et illa hoc nesciebat, et tamen pro me orabat absens. Tu autem ubique præsens, ubi erat exaudiebas eam ; et ubi eram misereris mei, ut recuperarem salutem corporis mei, adhuc insanus corde sacrilego. Neque enim desiderabam in illo tanto periculo baptismum tuum ; et melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitavi, sicut jam recordatus atque confessus sum. Sed in dedecus meum creveram, et consilia medicinæ tuæ demens irridebam, qui me non sivisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris, nunquam sanaretur. Non enim satis eloquor quid erga me habebat animi, et quanto majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat.

17. Non itaque video quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transverberasset viscera dilectionis ejus. Et ubi essent tantæ preces et tam crebræ sine intermissione? Nusquam nisi ad te. An vero tu, Deus misericordiarum, sperneres cor contritum et humiliatum viduæ castæ ac sobriæ, frequentantis eleemosynas, obsequentis atque servientis sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum ; bis in die, mane et vespere, ad ecclesiam tuam sine ulla intermissione venientis, non ad vanas fabulas et aniles loquacitates, sed ut te audiret in tuis sermonibus, et tu illam in suis orationibus. Hujusne tu lacrymas, quibus non a te aurum et argentum petebat, nec aliquod nutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ filii sui ; tu cujus munere talis erat, contemneres et repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam, Domine. Imo vero aderas, et exaudiebas, et faciebas ordine quo prædestinaveras esse faciendum. Absit ut tu falleres eam in illis visionibus et responsis tuis, quæ jam commemoravi, et quæ non commemoravi, quæ illa fideli pectore tenebat ; et semper orans, tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in sæculum misericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.

## CAPUT X.

*Errores ante susceptam Evangelii doctrinam.*

18. Recreasti ergo me ab illa ægritudine, et salvum fecisti filium ancillæ tuæ, tunc interim corpore, ut esset cui salutem meliorem atque certiorem dares. Et jungebar etiam tunc Romæ falsis illis atque fallentibus sanctis : non enim tantum auditoribus eorum, quorum e numero erat etiam is in cujus domo ægrotaveram et convalueram ; sed eis etiam quos electos vocant. adhuc enim mihi videbatur non esse nos qui peccamus, sed nescio quam aliam in nobis peccare naturam ; et delectabat superbiam meam extra culpam esse ; et cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam meam, quoniam peccabat tibi ; sed excusare eam amabam[1], et accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, et ego non essem. Verum autem totum ego eram, et adversum me impietas mea me diviserat : et id erat peccatum insanabilius, quo me peccatorem non esse arbitrabar ; et exsecrabilis iniquitas te, Deus omnipotens, te in me [2] ad per-

[1] Mss. magno consensu ferunt : *non mansit*. Verior forsitan lectio est, qua filium mater significatur suis fletibus ac precibus prosecuta.

[2] Mss., *ut me faceres*.

[3] *Contemnentes ista*, juxta Lugd. Ven. Lov. Somm. Mart. Flor. Rond. M.

[4] Sic restituimus ex veterrimo codice Corb., nam peccatum est in aliis plerisque Mss. qui habent, *arguebatur in ea reliquiarum Evæ*. Quos sequuntur Bad. Am. et Er. Alii vero dum locum emaculatum cupiunt, substituunt, *rea*, pro, *in ea*, Mss. certe refragantibus. Nihil dubii est quin primum vitiatus fuerit locus ab iis quibus insolens et ignota erat vox, *reliquiarium*. In qua librarii rursum peccarunt libro 1 Quæstionum in Genesim, quæstione 148, ubi codices veriores præferunt, « enutrire vestrum reliquiarium, juxta LXX *cataleipsin* : non *reliquias*, aut *reliquiarum*, ut alii. -- Codex Corb. roboratur auctoritate duorum Mss. Florentinorum. M.

[5] Sic legendum cum Mss. cum Bad. et Arn., non ut Am. Er. et Lov., *in carne;* tametsi hoc habeat locus Apostoli ad quem alludit Augustinus. Nam hic dicere maluit, *nec solverat ille in cruce ;* quia sui recordabatur erroris quo antea cum Manichæis non crucem, sed carnem Christi negaverat.

[1] Ita vetusti Cdd. ubi Lovan. habent : *Peccavi tibi; sed excusare me amabam.—Peccabam*, juxta Somm. Mart. et Rond. M.

[2] Lov. et antiquæ editiones, *te a me*. Melius vero Mss. et Arn., *te in me*, juxta Manichæorum errorem, qui Dei portionem in homine cum natura mali depugnare credebant.

niciem meam, quam mea te ad salutem malle superari. Nondum ergo posueras custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea, ut non declinaret cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis cum hominibus operantibus iniquitatem ; et ideo adhuc combinabam cum electis eorum[1] (*Psal.* CXL, 3, 4).

19. Sed tamen jam desperans in ea falsa doctrina me posse proficere ; eaque ipsa quibus si nihil melius reperirem, contentus esse decreveram, jam remissius negligentiusque retinebam. Etenim suborta est etiam mihi cogitatio, prudentiores cæteris fuisse illos philosophos, quos Academicos appellant, quod de omnibus dubitandum esse censuerant, nec aliquid veri ab homine comprehendi posse decreverant. Ita enim et mihi liquido sensisse videbantur, ut vulgo habentur, etiam illorum intentionem nondum intelligenti. Nec dissimulavi eumdem hospitem meum reprimere a nimia fiducia, quam sensi eum habere de rebus fabulosis, quibus manichæi libri pleni sunt. Amicitia tamen eorum familiarius utebar, quam cæterorum hominum qui in illa hæresi non fuissent. Nec eam defendebam pristina animositate ; sed tamen familiaritas eorum, plures enim eos Roma occultat, pigrius me faciebat aliud quærere ; præsertim desperantem in Ecclesia tua, Domine cœli et terræ, creator omnium visibilium et invisibilium, posse inveniri verum, unde me illi averterant : multumque mihi turpe videbatur, credere figuram te habere humanæ carnis, et membrorum nostrorum lineamentis corporalibus terminari. Et quoniam cum de Deo meo cogitare vellem, cogitare nisi moles corporum non noveram, neque enim videbatur mihi esse quidquam quod tale non esset, ea maxima et prope sola causa erat inevitabilis erroris mei.

20. Hinc enim et mali substantiam quamdam credebam esse talem, et habere suam molem tetram et deformem ; sive crassam, quam terram dicebant, sive tenuem atque subtilem, sicut est aeris corpus ; quam malignam mentem per illam terram repentem imaginantur. Et quia Deum bonum nullam malam naturam creasse, qualiscumque pietas me credere cogebat ; constituebam ex adverso sibi duas moles, utramque infinitam, sed malam angustius, bonam grandius. Et ex hoc initio pestilentioso me cætera sacrilegia sequebantur. Cum enim conaretur animus meus recurrere in catholicam fidem, repercutiebar, quia non erat catholica fides quam esse arbitrabar. Et magis pius mihi videbar, si te, Deus meus, cui confitentur ex me miserationes tuæ, vel ex cæteris partibus infinitum crederem, quamvis ex una qua tibi moles mali opponebatur, cogerer finitum fateri, quam si ex omnibus partibus in corporis humani forma te opinarer finiri. Et melius mihi videbar credere nullum malum te creasse ; quod mihi nescienti non solum aliqua substantia, sed etiam corporea videbatur, quia et mentem cogitare non noveram, nisi eam subtile corpus esse, quod tamen per loci spatia diffunderetur[1] ; quam credere abs te esse qualem putabam naturam mali. Ipsum quoque Salvatorem nostrum unigenitum tuum, tanquam de massa lucidissimæ molis tuæ porrectum ad nostram salutem, ita putabam, ut aliud de illo non crederem, nisi quod possem vanitate imaginari. Talem itaque naturam ejus nasci non posse de Maria virgine arbitrabar, nisi carni concerneretur. Concerni autem et non inquinari non videbam, quod mihi tale figurabam. Metuebam itaque credere in carne natum, ne credere cogerer ex carne inquinatum. Nunc spirituales tui blande et amanter ridebunt me, si has confessiones meas legerint : sed tamen talis eram.

## CAPUT XI.

*Qualiter Augustinus contulerit cum catholicis.*

21. Deinde quæ illi in Scripturis tuis reprehenderant[2], defendi posse non existimabam : sed aliquando sane cupiebam cum aliquo illorum librorum doctissimo conferre singula, et experiri quid inde sentiret. Jam enim Helpidii cujusdam adversus eosdem Manichæos coram loquentis et disserentis sermones, etiam apud Carthaginem movere me cœperant, cum talia de Scripturis proferret, quibus resisti facile non posset, et imbecilla mihi responsio videbatur istorum. Quam quidem non facile palam promebant, sed nobis secretius, cum dicerent scripturas Novi Testamenti falsatas fuisse a nescio quibus, qui Judæorum legem inserere christianæ fidei voluerunt, atque ipsi incorrupta exemplaria nulla proferrent. Sed me maxime captum et offocatum quodammodo deprimebant corporalia cogitantem moles illæ, sub quibus anhelans in auram tuæ veritatis liquidam et simplicem respirare non poteram.

## CAPUT XII.

*Fraus discipulorum Romæ in præceptores.*

22. Sedulo ergo agere cœperam, propter quod veneram, ut docerem Romæ artem rhetoricam, et prius domi congregare aliquos, quibus et per quos innotescere cœperam ; et ecce cognosco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Africa. Nam revera illas eversiones a perditis adolescentibus ibi non fieri manifestatum est mihi. Sed subito, inquiunt, ne mercedem magistro reddant, conspirant multi adolescentes, et transferunt se ad alium ; desertores fidei, et quibus præ pecuniæ charitate justitia vilis est. Oderat etiam istos cor meum, quamvis non perfecto odio. Quod enim ab eis passurus eram, magis oderam fortasse, quam eo quod cuilibet illicita faciebant. Certe tamen turpes sunt tales, et fornicantur abs te, amando volatica ludibria temporum et lucrum luteum, quod cum apprehenditur, manum inquinat ; et amplectendo mundum fugientem, contemnendo te manentem, et revocantem, et ignoscentem redeunti ad te meretrici animæ humanæ. Et nunc tales odi pravos et distortos, quamvis eos corrigendos diligam, ut pecuniæ doctrinam ipsam, quam discunt, præferant, ei vero te Deum

[1] Alludit ad versiculum 4 Psal. 140, et sequitur hic et alias lectionem quamdam LXX, quæ habet, SUNDUASO, *combinabo:* quapropter scribimus cum antiquioribus codicibus *combinabam*, pro quo in aliis est, *convivebam*, aut, *combibebam*, *convivabar*, *communicabam*.

[1] Bad. Am. et Er., *diffunderetur abs te.* Has voces *abs te* expunxerunt Lovanienses, neque nos præterquam in Regiomontensi codice eas reperimus.

[2] *Reprehendebant*, juxta Mart. et Rond. M.

veritatem et ubertatem certi boni et pacem castissimam. Sed tunc eos magis pati nolebam malos propter me, quam fieri propter te bonos volebam.

## CAPUT XIII.

*Docturus rhetoricam mittitur Mediolanum; ab Ambrosio suscipitur.*

23. Itaque posteaquam missum est a Mediolano Romam ad præfectum urbis, ut illi civitati rhetoricæ magister provideretur, impertita etiam evectione publica (*a*); ego ipse ambivi per eosdem ipsos manichæis vanitatibus ebrios, quibus ut carerem, ibam, sed utrique nesciebamus, ut dictione proposita me probatum præfectus tunc Symmachus mitteret. Et veni Mediolanum ad Ambrosium episcopum, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum; cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui, et lætitiam olei, et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei, et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve proflueret, quam prædicabatur : et verbis ejus suspendebar intentus; rerum autem incuriosus et contemptor astabam; et delectabar suavitate sermonis, quanquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis quam Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum. Cæterum rerum ipsarum nulla comparatio : nam ille per manichæas fallacias aberrabat; iste autem saluberrime docebat salutem. Sed longe est a peccatoribus salus, qualis ego tunc aderam : et tamen propinquabam sensim et nesciens [1].

## CAPUT XIV.

*Audito Ambrosio paulatim ab erroribus resipiscit.*

24. Cum enim non satagerem discere quæ dicebat, sed tantum quemadmodum dicebat audire (ea mihi quippe jam desperanti ad te viam patere homini, inanis cura remanserat), veniebant in animum meum simul cum verbis quæ diligebam, res etiam quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum [1] quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipsa defendi posse mihi jam cœperant videri, et fidem catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes Manichæos putaveram, jam non impudenter asseri existimabam; maxime audito uno atque altero, et sæpius ænigmate soluto de Scriptis veteribus : ubi, cum ad litteram acciperem, occidebar [2]. Spiritualiter itaque plerisque illorum librorum expositis locis, jam reprehendebam desperationem meam, illam duntaxat qua credideram Legem et Prophetas detestantibus atque irridentibus resisti omnino non posse. Nec tamen jam ideo mihi catholicam viam tenendam esse sentiebam, quia et ipsa poterat habere doctos assertores suos qui copiose et non absurde objecta refellerent; nec ideo jam damnandum illud quod tenebam, quia defensionis partes æquabantur. Ita enim Catholica non mihi victa videbatur, ut nondum etiam victrix appareret.

25. Tunc vero fortiter intendi animum, si quo modo possem certis aliquibus documentis Manichæos convincere falsitatis. Quod si possem spiritualem substantiam cogitare, statim machinamenta illa omnia solverentur et abjicerentur ex animo meo; sed non poteram. Verumtamen de ipso mundi hujus corpore, omnique natura quam sensus carnis attingeret, multa probabiliora plerosque sensisse philosophos, magis magisque considerans atque comparans, judicabam. Itaque Academicorum more, sicut existimantur, dubitans de omnibus atque inter omnia fluctuans, Manichæos quidem relinquendos esse decrevi : non arbitrans eo ipso tempore dubitationis meæ in illa secta mihi permanendum esse, cui jam nonnullos philosophos præponebam; quibus tamen philosophis, quod sine nomine salutari Christi essent, curationem languoris animæ meæ committere omnino recusabam. Statui ergo tamdiu esse catechumenus in catholica Ecclesia mihi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret quo cursum dirigerem.

[1] Sic Mss. Angl. cum nostris. At Am. Er. Lov., *et nescivi.* Somm. Blas., *et nesciebam.*

(*a*) Evectio, quod aliis diploma, facultas erat usurpandi cursus publici, quem privato cuilibet usurpare haud licuisset. Unde lex ab Honorio data ferebat : « Ne quis sibi deinceps « cursum publicum privatus usurpet, nisi cum aut a nobis « evocatur, aut a clementiæ nostræ veneratione discedit. » Narrat Julius Capitolinus, in Pertinace, quod is « tunc præfe- « ctus cohortis, in Syriam profectus, T. Aurelio imperatore, « a præside Syriæ, quia sine diplomatibus cursum usurpa- « verat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere « coactus est. »

[1] Lov., *decipiendum.*
[2] Somm. et Rond. *occidebar spiritualiter. Itaque.* M.

# *LIBER SEXTUS.*

Cum jam Monnica ipsius mater Mediolanum advenisset, ipseque annum ætatis ageret trigesimum, Ambrosii concionibus admonitus, catholicæ doctrinæ veritatem, quam Manichæi falso insimulabant, magis magisque intelligebat. Alypii amici sui mores prosequitur. In diversa rapiebatur, dum de vita melius instituenda deliberaret; mortis quoque ac judicii metu perculsus, ad vitæ conversionem in dies accendebatur.

## CAPUT PRIMUM.

*Augustinus nec manichæus nec catholicus.*

1. Spes mea a juventute mea, ubi mihi eras, et quo recesseras? An vero non tu feceras me, et discreveras me a quadrupedibus et volatilibus cœli? Sapientiorem me feceras, et ambulabam per tenebras et lubricum, et quærebam te foris a me, et non inveniebam Deum cordis mei; et veneram in profundum maris,

et diffidebam et desperabam de inventione veri. Jam venerat ad me mater pietate fortis, terra marique me sequens, et in periculis omnibus de te secura. Nam et per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, a quibus rudes abyssi viatores, cum perturbantur, consolari solent; pollicens eis perventionem cum salute, quia hoc ei tu per visum pollicitus eras. Et invenit me periclitantem quidem graviter desperatione indagandæ veritatis. Sed tamen ei cum indicassem, non me quidem jam esse manichæum, sed neque catholicum christianum, non quasi inopinatum aliquid audierit, exsilivit lætitia; cum jam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquam mortuum sed resuscitandum tibi flebat, et feretro cogitationis efferebat, ut diceres filio viduæ: *Juvenis, tibi dico, surge;* et revivisceret et inciperet loqui, et traderes illum matri suæ (*Luc.* VII, 14, 15). Nulla ergo turbulenta exsultatione trepidavit cor ejus, cum audisset ex tanta parte jam factum quod tibi quotidie plangebat ut fieret; veritatem me nondum adeptum, sed falsitati jam ereptum : imo vero quia certa erat, et quod restabat te daturum, qui totum promiseras; placidissime et pectore pleno fiduciæ respondit mihi, credere se in Christo, quod priusquam de hac vita emigraret, me visura esset fidelem catholicum. Et hoc quidem mihi. Tibi autem, fons misericordiarum, preces et lacrymas densiores [1], ut accelerares adjutorium tuum, et illuminares tenebras meas; et studiosius ad Ecclesiam currere, et in Ambrosium [2] ora suspendi, ad fontem salientis aquæ in vitam teæternam (*Joan.* IV, 14). Diligebat autem illum virum sicut angelum Dei, quod per illum cognoverat me interim ad illam ancipitem fluctuationem jam esse perductum, per quam transiturum me ab ægritudine ad sanitatem, intercurrente arctiore periculo [3], quasi per accessionem quam criticam medici vocant, certa præsumebat.

## CAPUT II.

*Epulæ et synaxis apud sepulcra martyrum.*

2. Itaque cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes et panem et merum attulisset atque ab ostiario prohiberetur; ubi hoc episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse mirarer [4] quam facile accusatrix potius consuetudinis suæ (*a*), quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Non enim obsidebat spiritum ejus vinolentia, eamque stimulabat in odium veri amor vini, sicut plerosque mares et feminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi nauseant. Sed illa cum attulisset canistrum cum solemnibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quam unum pocillum [1] pro suo palato satis sobrio temperatum, unde dignationem sumeret, non ponebat. Et si multæ essent, quæ illo modo videbantur honorandæ, memoriæ defunctorum; idem ipsum unum, quod ubique poneret, circumferebat; quo jam non solum aquatissimo, sed etiam tepidissimo [2] cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur : quia pietatem ibi quærebat, non voluptatem. Itaque ubi comperit a præclaro prædicatore atque antistite pietatis, præceptum esse ista non fieri, nec ab eis qui sobrie facerent, ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima; abstinuit se libentissime : et pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat; ut et quod posset daret egentibus, et sic communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cujus passionis imitatione immolati et coronati sunt martyres. Sed tamen videtur mihi, Domine Deus meus, et ita est in conspectu tuo de hac re cor meum, non facile fortasse de hac amputanda consuetudine matrem meam fuisse cessuram, si ab alio prohiberetur, quem non sicut Ambrosium diligebat, quem propter salutem meam maxime diligebat; eam vero ille propter ejus religiosissimam conversationem, qua in bonis operibus tam fervens spiritu frequentabat ecclesiam : ita ut sæpe erumperet, cum me videret, in ejus prædicationem [3], gratulans mihi quod talem matrem haberem; nesciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, et inveniri posse viam vitæ minime putabam.

## CAPUT III.

*Occupationes et studia Ambrosii.*

3. Nec jam ingemiscebam orando ut subvenires mihi; sed ad quærendum intentus, et ad disserendum inquietus erat animus meus. Ipsumque Ambrosium felicem quemdam hominem secundum sæculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent; cælibatus tantum ejus mihi laboriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret, et adversus ipsius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quidve solaminis in adversis, et occultum os ejus quod erat in corde ejus, quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret; nec conjicere noveram, nec expertus eram : nec ille sciebat æstus meos, nec foveam periculi mei. Non enim quærere ab eo poteram quod volebam, sicut volebam, secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus serviebat. Cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum. Sed cum legebat, oculi ducebantur per paginas, et cor intellectum rimabatur, vox autem et lingua quiescebant. Sæpe cum adessemus, non enim vetabatur quisquam ingredi, aut ei venientem nuntiari mos erat; sic eum

[1] In codice Alb. additur, *fundere.*
[2] Ita potiores Mss. At Edd. *currerem, et in Ambrosii.*
[3] *Acriore periculo*, juxta Er. Lugd. Ven. et Lov. M.
[4] Sic Mss. et Am. Er. Arn.; at Bad. et Lov., *miraretur.*

(*a*) Consuetudinem de qua hic agitur, tota licet Africa pridem receptam, quoniam in comessationes et ebrietates deflexerat, rescindere similiter aggreditur Augustinus, et ea de re scribit Epist. 22, ad Aurelium Carthaginensem. Quinetiam Hipponensem Ecclesiam ipse nondum episcopus ab hocce more penitus revocat, sicuti fidem facit Epist. 29, ad Alypium.

[1] Am. et Er., *potillum.*
[2] Somm. Arn. Dub. Flor. et Rond.: *Quod... aquatissimum... tepidissimum*; alias : *Quod jam non solum aquatissimo.* M.
[3] Lov. Somm. Blas. habent : *In ejus prædicatione.*

legentem vidimus tacite, et aliter nunquam : sedentesque in diuturno silentio (quis enim tam intento esse oneri auderet?) discedebamus, et conjectabamus eum parvo ipso tempore, quod reparandæ menti suæ nanciscebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud avocari ; et cavere fortasse ne auditore suspenso et intento, si qua obscurius posuisset ille quem legeret, etiam exponere necesse esset; aut de aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus, atque huic operi temporibus impensis, minus quam vellet voluminum evolveret : quanquam et causa servandæ vocis, quæ illi facillime obtundebatur, poterat esse justior tacite legendi. Quolibet tamen animo id ageret, bono utique ille vir agebat.

4. Sed certe mihi nulla dabatur copia sciscitandi quæ cupiebam de tam sancto oraculo tuo pectore illius, nisi cum aliquid breviter esset audiendum. Æstus autem illi mei otiosum eum valde, cui refunderentur, requirebant, nec unquam inveniebant. Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebam ; et magis magisque mihi confirmabatur omnes versutarum calumniarum nodos, quos illi deceptores nostri adversus divinos Libros innectebant, posse dissolvi. Ubi vero etiam comperi ad imaginem tuam hominem a te factum, a spiritualibus filiis tuis quos de matre Catholica per gratiam regenerasti, non sic intelligi ut humani corporis forma te terminatum crederent atque cogitarent : quanquam quomodo se haberet spiritualis substantia, ne quidem tenuiter atque in ænigmate suspicabar ; tamen gaudens erubui non me tot annos adversus catholicam fidem, sed contra carnalium cogitationum figmenta latrasse. Eo quippe temerarius et impius fueram, quod ea quæ debebam quærendo discere [1] accusando dixeram. Tu enim, altissime et proxime, secretissime et præsentissime, cui membra non sunt alia majora et alia minora, sed ubique totus es, et nusquam locorum es ; non es utique forma ista corporea : tamen fecisti hominem ad imaginem tuam ; et ecce ipse a capite usque ad pedes in loco est.

## CAPUT IV.

*Doctrinam Ecclesiæ Ambrosio concionante intelligit.*

5. Cum ergo nescirem quomodo hæc subsisteret imago tua, pulsans [2] proponerem quomodo credendum esset, non insultans opponerem quasi ita creditum esset : tanto igitur acrior cura rodebat intima mea quid certi retinerem, quanto me magis pudebat tam diu illusum et deceptum promissione certorum, puerili errore et animositate, tam multa incerta quasi certa garrisse. Quod enim falsa essent, postea mihi claruit. Certum tamen erat quod incerta essent, et a me aliquando pro certis habita fuissent, cum Catholicam tuam cæcis contentionibus accusarem, etsi nondum compertam vera docentem, non tamen ea docentem quæ graviter accusabam. Itaque confundebar, et convertebar : et gaudebam, Deus meus, quod Ecclesia [1] unica corpus Unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum, non saperet infantiles nugas ; neque hoc haberet in doctrina sua sana, quod te creatorem omnium in spatium loci quamvis summum et amplum, tamen undique terminatum membrorum humanorum figura contruderet.

6. Gaudebam etiam quod vetera scripta Legis et Prophetarum jam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea videbantur absurda, cum arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos ; verum autem non ita sentiebant : et tanquam regulam diligentissime commendaret, sæpe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam, *Littera occidit; spiritus autem vivificat* ( II *Cor.* III, 6) : cum ea quæ ad litteram perversitatem docere videbantur, remoto mystico velamento spiritualiter aperiret, non dicens quod me offenderet, quamvis ea diceret, quæ utrum vera essent adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens præcipitium ; et suspendio magis necabar. Volebam enim eorum quæ non viderem ita me certum fieri, ut certus essem quod septem et tria decem sint. Neque enim tam insanus eram, ut ne hoc quidem putarem posse comprehendi ; sed sicut hoc, ita cætera cupiebam, sive corporalia quæ coram sensibus meis non adessent ; sive spiritualia, de quibus cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, ut purgatior acies mentis meæ dirigeretur aliquo modo in veritatem tuam semper manentem, et ex nullo deficientem. Sed sicut evenire assolet ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere ; ita erat valetudo animæ meæ, quæ utique nisi credendo sanari non poterat, et ne falsa crederet, curari recusabat ; resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, et sparsisti super morbos orbis terrarum, et tantam illis auctoritatem tribuisti.

## CAPUT V.

*De sacrorum Librorum auctoritate et necessario usu.*

7. Ex hoc tamen quoque jam præponens doctrinam catholicam, modestius ibi minimeque fallaciter sentiebam juberi ut crederetur quod non demonstrabatur ( sive esset quid, sed cui forte non esset ; sive nec quid esset ), quam illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri ; et postea tam multa fabulosissima et absurdissima, quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu, Domine, manu mitissima et misericordissima pertractans et componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem quæ non viderem [2], neque cum gererentur adfuissem ; sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus quæ non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis ; quæ nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus ; postremo, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus pa-

[1] Mss. *dicere*.
[2] Sic legendum cum Mss. et Somm. Arn., non quemadmodum Lov. et cæteri editi habent, *pulsansque*.

[1] Post vocem, *Ecclesia*, additur in Edd. *tua*, quæ vox abest a Mss.
[2] *Videram*, juxta Mart. M.

rentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem : persuasisti mihi, non qui crederent Libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti ; sed qui non crederent esse culpandos, nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent : Unde scis illos Libros unius veri et veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos? Idipsum enim maxime credendum erat, quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum, per tam multa quæ legeram inter se confligentium philosophorum, extorquere mihi potuit ut aliquando non crederem, te esse quidquid esses quod ego nescirem ; aut administrationem rerum humanarum ad te pertinere.

8. Sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius; semper tamen credidi et esse te, et curam nostri gerere ; etiamsi ignorabam vel quid sentiendum esset de substantia tua, vel quæ via duceret aut reduceret ad te. Ideoque cum essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, et ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum Litterarum, jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras auctoritatem, nisi et per ipsam tibi credi, et per ipsam te quæri voluisses. Jam enim absurditatem quæ me in illis Litteris solebat offendere, cum multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam : eoque mihi illa venerabilior et sacrosancta fide dignior apparebat auctoritas, quo et omnibus ad legendum esset in promptu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret ; verbis apertissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde : ut exciperet omnes populari sinu, et per angusta foramina paucos ad te trajiceret, multo tamen plures, quam si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc, et aderas mihi ; suspirabam, et audiebas me : fluctuabam, et gubernabas me ; ibam per viam sæculi latam, nec deserebas.

## CAPUT VI.

*De miseria ambitiosorum, adducto exemplo mendici lætantis.*

9. Inhiabam honoribus, lucris, conjugio ; et tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras tu. Vide cor meum, Domine, qui voluisti ut hoc recordarer et confiterer tibi. Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de visco tam tenaci mortis exuisti. Quam misera erat! et sensum vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te qui es super omnia, et sine quo nulla essent omnia; converteretur, et sanaretur. Quam ergo miser eram, et quomodo egisti ut sentirem miseriam meam, die illo quo cum pararem recitare Imperatori laudes (*a*), quibus plura mentirer, et mentienti faveretur ab scientibus, easque curas anhelaret cor meum, et cogitationum tabificarum febribus æstuaret; transiens per quemdam vicum Mediolanensem, animadverti pauperem mendicum, jam credo saturum, jocantem atque lætantem : et ingemui, et locutus sum cum amicis qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, et trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud nisi ad securam lætitiam pervenire, quo nos mendicus ille jam præcessisset, nunquam fortasse illuc venturos! Quod enim jam ille pauculis et emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus et circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed et ego illis ambitionibus multo falsius quærebam. Et certe ille lætabatur, ego anxius eram ; securus ille, ego trepidus. Et si quisquam percontaretur me, utrum mallem exsultare an metuere; responderem, Exsultare. Rursus si interrogaret, utrum me talem mallem qualis ille, an qualis ego tunc essem; meipsum curis timoribusque confectum eligerem : sed perversitate ; numquid veritate? Neque enim eo me præponere illi debebam, quo doctior eram, quoniam non inde gaudebam, sed placere inde quærebam hominibus; non ut eos docerem, sed tantum ut placerem. Propterea et ut baculo disciplinæ tuæ confringebas ossa mea.

10. Recedant ergo ab anima mea qui dicunt ei : Interest unde quis gaudeat. Gaudebat mendicus ille vinolentia; tu gaudere cupiebas gloria. Qua gloria, Domine? Quæ non est in te. Nam sicut illud verum gaudium non erat, ita nec illa vera gloria ; et amplius vertebat mentem meam. Et ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam; ego cum mea dormieram et surrexeram, et dormiturus et surrecturus eram ; vide quot diebus. Interest vero unde quis gaudeat, scio, et gaudium spei fidelis incomparabiliter distat ab illa vanitate; sed et tunc distabat inter nos. Nimirum quippe ille felicior erat, non tantum quod hilaritate perfundebatur, cum ego curis eviscerarer; verum etiam, quod ille bene optando acquisiverat vinum, ego mentiendo quærebam typhum. Dixi tunc multa in hac sententia charis meis, et sæpe advertebam in his quomodo mihi esset; et inveniebam male mihi esse, et dolebam et conduplicabam ipsum male. Et si quid arrisisset prosperum, tædebat apprehendere, quia pene priusquam teneretur, avolabat.

## CAPUT VII.

*Alypium a Circensium insania convertit.*

11. Congemiscebamus in iis qui simul amice vivebamus, et maxime ac familiarissime cum Alypio et Nebridio ista colloquebar ; quorum Alypius ex eodem, quo ego, ortus erat municipio, parentibus primatibus municipalibus, me minor natu. Nam et studuerat apud me, cum in nostro docere cœpi oppido, et postea Carthagini : et diligebat me multum, quod ei bonus et doctus viderer; et ego illum, propter magnam virtutis indolem, quæ in non magna ætate satis

(*a*) Fortean Valentiniano minori, quia ejus « comitatus apud « Mediolanum, » ex Possidio cap. 1, « tum erat constitutus, » cum ibi rhetoricam profitebatur Augustinus; qui præterea lib. 3 contra Petiliani Litt., cap. 25, scribit se in eadem urbe « Bautoni consuli calendis januarii laudem pro sua tunc rhe- « torica professione recitasse. »

eminebat. Gurges tamen morum Carthaginensium, quibus nugatoria fervent spectacula, absorbuerat eum in insaniam Circensium : sed cum in eo miserabiliter volveretur, ego autem rhetoricam ibi professus publica schola uterer, nondum me audiebat ut magistrum, propter quamdam simultatem quæ inter me et patrem ejus erat exorta, et compereram quod circum exitiabiliter amaret, et graviter angebar, quod tantam spem perditurus, vel etiam perdidisse mihi videbatur. Sed monendi eum et aliqua coercitione revocandi nulla erat copia, vel amicitiæ benevolentia, vel jure magisterii. Putabam enim eum de me cum patre sentire; ille vero non sic erat. Itaque postposita in hac re patris voluntate, salutare me cœperat, veniens in auditorium meum, et audire aliquid atque abire.

12. Sed enim de memoria mihi lapsum erat agere cum illo, ne vanorum ludorum cæco et præcipiti studio tam bonum interimeret ingenium. Verum autem, Domine, tu qui præsides gubernaculis omnium quæ creasti, non eum oblitus eras futurum inter filios tuos antistitem sacramenti tui; et ut aperte tibi tribueretur ejus correctio, per me quidem illam, sed nescientem operatus es. Nam quodam die cum sederem loco solito, et coram me adessent discipuli, venit, salutavit, sedit, atque in ea quæ agebantur animum intendit : et forte lectio in manibus erat, quam dum exponerem, et opportune mihi adhibenda videretur similitudo Circensium, quo illud quod insinuabam et jucundius et planius fieret, cum irrisione mordaci eorum quos illa captivasset insania; tu scis, Deus noster, quod tunc de Alypio ab illa peste sanando non cogitaverim. At ille in se rapuit, meque illud non nisi propter se dixisse credidit. Et quod alius acciperet ad succensendum mihi, accepit honestus adolescens ad succensendum sibi, et ad me ardentius diligendum. Dixeras enim tu jam olim, et innexueras Litteris tuis : *Corripe sapientem, et amabit te* (*Prov.* IX, 8). At ego illum jam non corripueram; sed utens tu omnibus, et scientibus et nescientibus, ordine quo nosti, et ille ordo justus est, de corde et lingua mea carbones ardentes operatus es, quibus mentem spei bonæ adureres tabescentem, ac sanares. Taceat laudes tuas qui miserationes tuas non considerat, quæ tibi de medullis meis confitentur. Etenim ille post illa verba proripuit se ex fovea tam alta, qua libenter demergebatur, et cum miserabili voluptate [1] cæcabatur; et excussit animum forti temperantia, et resiluerunt omnes Circensium sordes ab eo, ampliusque illuc non accessit. Deinde patrem reluctantem evicit, ut me magistro uteretur : cessit ille atque concessit. Et audire me rursus incipiens, illa mecum superstitione involutus est, amans in Manichæis ostentationem continentiæ, quam veram et germanam putabat. Erat autem illa vecors et seductoria, pretiosas animas captans, nondum virtutis altitudinem scientes tangere, et superficie decipi faciles, sed tamen adumbratæ simulatæque virtutis.

[1] Tres Mss. Angl. : *Cum mira voluptate.*

## CAPUT VIII.

*Alypius capitur insania ludorum gladiatoriorum, a quibus antea abhorruerat.*

13. Non sane relinquens incantatam sibi a parentibus terrenam viam, Romam præcesserat, ut jus disceret; et ibi gladiatorii spectaculi hiatu incredibili et incredibiliter abreptus est. Cum enim aversaretur et detestaretur talia, quidam ejus amici et condiscipuli, cum forte de prandio redeuntibus pervius esset [1], recusantem vehementer et resistentem, familiari violentia duxerunt in amphitheatrum, crudelium et funestorum ludorum diebus, hæc dicentem : *Si corpus meum in illum locum trahitis, et ibi constituitis; numquid et animum et oculos meos in illa spectacula potestis intendere? Adero itaque absens, ac sic et vos et illa superabo.* Quibus auditis, illi nihilo secius eum adduxerunt secum, idipsum forte explorare cupientes, utrum posset efficere. Quo ubi ventum est, et sedibus quibus potuerunt locati sunt, fervebant omnia immanissimis voluptatibus. Ille clausis foribus oculorum, interdixit animo ne in tanta mala procederet; atque utinam et aures obturavisset! Nam quodam pugnæ casu, cum clamor ingens totius populi vehementer eum pulsasset, curiositate victus et quasi paratus quidquid illud esset, etiam visum contemnere et vincere, aperuit oculos; et percussus est graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit, ceciditque miserabilius quam ille quo cadente factus est clamor qui per ejus aures intravit, et reseravit ejus lumina, ut esset qua feriretur et dijeceretur audax adhuc potius quam fortis animus, et eo infirmior quo de se præsumpserat, qui debuit de te. Ut enim vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit, et non se avertit, sed fixit aspectum; et hauriebat furias, et nesciebat, et delectabatur scelere certaminis, et cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat jam ille qui venerat, sed unus de turba ad quam venerat, et verus eorum socius, a quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam qua stimularetur redire, non tantum cum illis a quibus prius abstractus est; sed etiam præ illis, et alios trahens. Et inde tamen manu validissima et misericordissima eruisti eum tu, et docuisti non sui habere, sed tui fiduciam; sed longe postea.

## CAPUT IX.

*Alypius ut fur apprehenditur.*

14. Verumtamen jam hoc ad medicinam futuram in ejus memoria reponebatur. Nam et illud, quod cum adhuc studeret jam me audiens apud Carthaginem, et medio die cogitaret in foro quod recitaturus erat, sicuti exerceri scholastici solent, sivisti eum comprehendi ab æditimis fori tanquam furem. Non arbitror aliam ob causam te permisisse, Deus noster, nisi ut ille vir tantus futurus jam inciperet discere, quam non facile in dignoscendis causis homo ab homine damnandus esset temeraria credulitate. Quippe

[1] *Obvius esset*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Mart. *Per viam obvius esset*, juxta Somm. et Rond. M.

ante tribunal deambulabat solus cum tabulis ac stilo, cum ecce adolescens quidam ex numero scholasticorum fur verus, securim clanculo apportans, illo non sentiente ingressus est ad cancellos plumbeos qui vico argentario desuper præminent, et præcidere plumbum cœpit. Sono autem securis audito submurmuraverunt argentarii qui subter erant, et miserunt qui apprehenderent quem forte invenissent. Quorum vocibus auditis, relicto instrumento ille discessit, timens ne cum eo teneretur. Alypius autem qui non viderat intrantem, exeuntem sensit, et celeriter vidit abeuntem : et causam scire cupiens ingressus est locum, et inventam securim stans atque admirans considerabat. Cum ecce illi qui missi fuerant, reperiunt eum solum ferentem ferrum cujus sonitu exciti venerant : tenent, attrahunt; congregatis inquilinis fori, tanquam furem manifestum se comprehendisse gloriantur, et inde offerendus judici ducebatur.

15. Sed hactenus docendus fuit. Statim enim, Domine, subvenisti innocentiæ cujus testis eras tu solus. Cum enim duceretur vel ad custodiam, vel ad supplicium, fit eis obviam quidam architectus cujus maxima erat cura publicarum fabricarum. Gaudent illi eum potissimum occurrisse, cui solebant in suspicionem venire ablatarum rerum quæ perissent de foro, ut quasi tandem ille cognosceret a quibus hæc fierent. Verum autem viderat homo sæpe Alypium in domo cujusdam senatoris ad quem salutandum ventitabat : statimque cognitum manu apprehensa semovit a turbis, et tanti mali causam quærens, quid gestum esset audivit; omnesque tumultuantes qui aderant et minaciter fremen-tes jussit venire secum. Et venerunt ad domum illius adolescentis qui rem commiserat. Puer vero erat ante ostium, et tam parvus erat ut nihil exinde domino suo metuens, facile posset totum indicare : cum eo quippe in foro fuit pedissequus. Quem posteaquam recoluit Alypius, architecto intimavit. At ille securim demonstravit puero, quærens ab eo cujus esset. Qui confestim, Nostra, inquit : deinde interrogatus aperuit cætera. Sic in illam domum translata causa, confusisque turbis quæ de illo triumphare jam cœperant, futurus dispensator verbi tui, et multarum in Ecclesia tua causarum examinator, experientior instructiorque discessit.

## CAPUT X.

*De integritate Alypii et adventu Nebridii.*

16. Hunc ergo Romæ inveneram, et adhæsit mihi fortissimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus est, ut nec me desereret, et de jure quod didicerat aliquid ageret, secundum votum magis parentum quam suum. Et ter [1] jam assederat mirabili continentia cæteris, cum ille magis miraretur eos qui aurum innocentiæ præponerent. Tentata est quoque ejus indoles, non solum illecebra cupiditatis, sed etiam stimulo timoris. Romæ assidebat comiti largitionum Italicianarum [1]. Erat eo tempore quidam potentissimus senator, cujus et beneficiis obstricti multi et terrori subditi erant. Voluit sibi licere nescio quid ex more potentiæ suæ, quod esset per leges illicitum; restitit Alypius : promissum est præmium; irrisit animo : prætentæ minæ; calcavit : mirantibus omnibus inusitatam animam, quæ hominem tantum, et innumerabilibus præstandi nocendique modis ingenti fama celebratum vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipse autem judex, cui consiliarius erat, quamvis et ipse fieri nollet, non tamen aperte recusabat : sed in istum causam transferens, ab eo se non permitti asserebat; quia et revera si ipse faceret, iste discederet. Hoc solo autem pene jam illectus erat studio litterario, ut pretiis prætorianis codices sibi conficiendos curaret : sed consulta justitia deliberationem in melius vertit; utiliorem judicans æquitatem qua prohibebatur, quam potestatem qua sinebatur. Parvum est hoc; sed qui in parvo fidelis est, et in magno fidelis est. Nec ullo modo erit inane, quod de tuæ Veritatis ore processit : *Si in injusto mammona fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?* (*Luc.* XVI, 10-12.) Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumque nutabat in consilio, quisnam esset tenendus vitæ modus.

17. Nebridius etiam qui relicta patria vicina Carthagini, atque ipsa Carthagine ubi frequentissimus erat, relicto rure paterno optimo, relicta domo et non secutura matre, nullam ob aliam causam Mediolanum venerat, nisi ut mecum viveret in flagrantissimo studio veritatis atque sapientiæ : pariter suspirabat, pariterque fluctuabat, beatæ vitæ inquisitor ardens, et quæstionum difficillimarum scrutator acerrimus. Et erant ora trium egentium, et inopiam suam sibimet invicem anhelantium, et a te exspectantium, ut dares eis escam in tempore opportuno. Et in omni amaritudine quæ nostros sæculares actus de misericordia tua sequebatur, intuentibus nobis finem cur ea pateremur, occurrebant tenebræ; et aversabamur [2] gementes, et dicebamus : Quamdiu hæc? Et hoc crebro dicebamus; et dicentes non relinquebamus ea; quia non eluccbat certum aliquid quod illis relictis apprehenderemus.

## CAPUT XI.

*Anxius Augustinus de instituenda vita deliberat.*

18. Et ego maxime mirabar, satagens et recolens, quam longum tempus esset ab undevigesimo anno ætatis meæ, quo fervere cœperam studio sapientiæ; disponens, ea inventa, relinquere omnes vanarum cupiditatum spes inanes et insanias mendaces : et ecce jam tricenariam ætatem gerebam, in eodem luto hæsitans aviditate fruendi præsentibus, fugientibus et dissipantibus me, dum dico : Cras inveniam; ecce manifestum apparebit, et tenebo : ecce Faustus veniet et exponet omnia. O magni viri Academici! nihil ad

[1] Bad. Am. Er. et Blas., *et ibi.* Lov. Somm., *et inter hæc*; at Mss. plures potioresque cum Arn. habent : *Et ter jam assiderat.* Prætulimus; nam Alypius tertium functus assessoris munere dicitur etiam postea lib. 8, c. 6 : *Mecum erat Alypius*, inquit August., *otiosus ab opere jurisperitorum post assessionem tertiam, exsuectans quibus iterum consilia venderet.*

[1] Apud Lov., *Italicarum*; at in vetustis Cdd., *Italicianarum*, uti scribitur etiam in Notitia dignitatum Imperii, et ab iis qui de Comite largitionibus in Italia faciendis præfecto agunt.

[2] In B. *adversabamur*. Juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Arn. Dub. Mart. Flor. et Rond., *adversabamur*. M.

agendam vitam certi comprehendi potest. Imo quæramus diligentius, et non desperemus. Ecce jam non sunt absurda in Libris ecclesiasticis quæ absurda videbantur, et possunt aliter atque honeste intelligi. Figam pedes in eo gradu in quo puer a parentibus positus eram, donec inveniatur perspicua veritas. Sed ubi quæretur? quando quæretur? Non vacat Ambrosio, non vacat legere. Ubi ipsos codices quærimus? unde, aut quando comparamus? a quibus sumimus? Deputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ. Magna spes oborta est: non docet catholica fides quod putabamus, et vani accusabamus; nefas habent docti ejus credere Deum figura humani corporis terminatum: et dubitamus pulsare quo aperiantur cætera? Antemeridianis horis [1] discipuli occupant: cæteris quid facimus? cur non id agimus? Sed quando salutamus amicos majores, quorum suffragiis opus habemus? quando præparamus quod emant scholastici? quando reparamus nos ipsos, animum relaxando ab intentione curarum?

19. Pereant omnia, et dimittamus hæc vana et inania: conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Vita hæc misera est; mors incerta. Si subito obrepat, quomodo hinc exibimus? et ubi nobis discenda sunt quæ hic negleximus? An non potius hujus negligentiæ supplicia luenda sunt? Quid, si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit et finiet? Ergo et hoc quærendum. Sed absit ut ita sit. Non vacat, non est inane quod tam eminens culmen auctoritatis christianæ fidei toto orbe diffunditur. Nunquam tanta et talia pro nobis divinitus agerentur, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctamur igitur relicta spe sæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum et vitam beatam? Sed exspecta: jucunda sunt etiam ista; habent non parvam dulcedinem suam: non facile ab eis præcidenda est intentio, quia turpe est ad ea rursum redire. Ecce jam quantum est, ut impetretur aliquis honor? et quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum majorum copia: ut nihil aliud, et multum festinemus, vel præsidatus dari potest; et ducenda uxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum gravet; et ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri et imitatione dignissimi, sapientiæ studio cum conjugibus dediti fuerunt.

20. Cum hæc dicebam, et alternabant hi venti et impellebant huc atque illuc cor meum, transibant tempora, et tardabam converti ad Dominum, et differebam de die in diem vivere in te, et non differebam quotidie in memetipso mori. Amans beatam vitam, timebam illam in sede sua; et ab ea fugiens, quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si feminæ privarer amplexibus, et medicinam misericordiæ tuæ ad eamdem infirmitatem sanandam non cogitabam, quia expertus non eram; et propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem ut nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis (*Sap.* VIII, 21). Utique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, et fide solida in te jactarem curam meam.

[1] *Horis*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Flor. et Rond. M.

## CAPUT XII.

*Contentio inter Alypium et Augustinum de matrimonio et cælibatu.*

21. Prohibebat me sane Alypius ab uxore ducenda, causans [1] nullo modo nos posse securo otio simul in amore sapientiæ vivere, sicut jam diu desideraremus [2], si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiam tunc castissimus, ita ut mirum esset; quia vel experientiam concubitus ceperat in ingressu adolescentiæ suæ, sed non hæserat; magisque doluerat et spreverat, et deinde jam continentissime vivebat. Ego autem resistebam illi, exemplis eorum qui conjugati coluissent sapientiam, et promeruissent Deum, et habuissent fideliter ac dilexissent amicos. A quorum ego quidem graditate animi longe aberam: et deligatus [3] morbo carnis mortifera suavitate, trahebam catenam meam, solvi timens, et quasi concusso vulnere repellens verba bene suadentis, tanquam manum solventis. Insuper etiam per me ipsi quoque Alypio loquebatur serpens, et innectebat atque spargebat per linguam meam dulces laqueos in via ejus, quibus illi honesti et expediti pedes implicarentur.

22. Cum enim me ille miraretur, quem non parvipenderet, ita hærere visco illius voluptatis, ut me affirmarem, quotiescumque inde inter nos quæreremus, cælibem vitam nullo modo posse degere; atque ita me defenderem, cum illum mirantem viderem, ut dicerem multum interesse inter illud quod ipse raptim et furtim expertus esset, quod pene jam ne meminisset quidem, atque ideo nulla molestia facile contemneret, et delectationes consuetudinis meæ, ad quas si accessisset honestum nomen matrimonii, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem spernere: cœperat et ipse desiderare conjugium, nequaquam victus libidine talis voluptatis, sed curiositatis. Dicebat enim scire se cupere quidnam esset illud, sine quo vita mea quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna videretur. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus servitutem meam, et stupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipsam experientiam, atque inde fortasse lapsurus in eam quam stupebat servitutem; quoniam sponsionem volebat facere cum morte; et qui amat periculum, incidet in illud. Neutrum enim nostrum, si quod est conjugale decus in officio regendi matrimonii et suscipiendorum liberorum, ducebat, nisi tenuiter. Magna autem ex parte atque vehementer consuetudo satiandæ insatiabilis concupiscentiæ me captum excruciabat: illum autem admiratio capiendum trahebat. Sic eramus, donec tu, Altissime, non deserens humum nostram, miseratus miseros, subvenires miris et occultis modis.

## CAPUT XIII.

*Uxor quæritur Augustino.*

23. Et instabatur impigre ut ducerem uxorem. Jam

[1] *Cantans*, juxta Arn. Flor. et Mart. ex 6 Mss. M.

[2] *Desideraveranus*, juxta Somm. Rond. et Mart. ex 5 Mss. M.

[3] Lov. Blas. cum aliquot Mss., *delicatus*. Somm. Arn. *delectatus*. Stant vero pro nostra lectione melioris notæ Mss.

petebam, jam promittebatur, maxime matre dante operam, quo me jam conjugatum Baptismus salutaris ablueret, quo me in dies gaudebat aptari, et vota sua ac promissa tua in mea fide compleri animadvertebat. Cum sane et rogatu meo et desiderio suo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidie, ut ei per visum ostenderes aliquid de futuro matrimonio meo; nunquam voluisti. Et videbat quædam vana et phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, et narrabat mihi, non cum fiducia qua solebat, cum tu demonstrares ei, sed contemnens ea. Dicebat enim discernere se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te, et animam suam somniantem. Instabatur tamen, et puellà petebatur, cujus ætas ferme biennio minus quam nubilis erat; et quia ea placebat, exspectabatur.

## CAPUT XIV.

*De vita communi agenda cum amicis deliberat.*

24. Et multi amici agitaveramus animo, et colloquentes ac detestantes turbulentas humanæ vitæ molestias, pene jam firmaveramus remoti a turbis otiose vivere: id otium sic moliti, ut si quid habere possemus, conferremus in medium, unamque rem familiarem conflaremus ex omnibus; ut per amicitiæ sinceritatem non esset aliud hujus et aliud illius; sed quod ex cunctis fieret unum, et universum singulorum esset, et omnia omnium: cum videremur nobis esse posse decem ferme homines in eadem societate, essentque inter nos prædivites, Romanianus maxime communiceps noster, quem tunc graves æstus negotiorum suorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi familiarissimus; qui maxime instabat huic rei, et magnam in suadendo habebat auctoritatem, quod ampla res ejus multum cæteris anteibat: et placuerat nobis ut bini annui tanquam magistratus omnia necessaria curarent, cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit cogitari utrum hoc mulierculæ sinerent, quas et alii nostrum jam habebant, et nos habere volebamus, totum illud placitum quod bene formabamus [1], dissiluit in manibus, atque confractum et abjectum est. Inde ad suspiria et gemitus [2], et gressus ad sequendas latas et tritas vias sæculi, quoniam multæ cogitationes erant in corde nostro; consilium autem tuum manet in æternum (*Psal.* XXXII, 2). Ex quo consilio deridebas nostra, et tua præparabas, nobis daturus escam in opportunitate, et aperturus manum tuam atque impleturus animas nostras benedictione (*Psal.* CXLIV, 15, 16).

## CAPUT XV.

*In locum discedentis concubinæ alia succedit.*

25. Interea peccata mea multiplicabantur, et avulsa a latere meo tanquam impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat, concisum et vulneratum mihi erat, et trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium se virum nescituram, relicto apud me naturali ex illa filio meo. At ego infelix nec feminæ imitator, dilationis impatiens, tanquam post biennium accepturus eam quam petebam, quia non amator conjugii sed libidinis servus eram; procuravi aliam, non utique conjugem; quo tanquam sustentaretur et perduceretur vel integer vel auctior morbus animæ meæ, satellitio perdurantis consuetudinis, in regnum uxorium. Nec sanabatur vulnus illud meum quod prioris præcisione factum fuerat, sed post fervorem doloremque acerrimum putrescebat, et quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

## CAPUT XVI.

*Mortis et judicii metum nunquam deposuit.*

26. Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, et tu propinquior. Aderat jam jamque dextera tua raptura me de cœno, et ablutura me; et ignorabam. Nec me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii tui, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alypio et Nebridio de finibus bonorum et malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, et tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit. Et quærebam, si essemus immortales et in perpetua corporis voluptate sine ullo amissionis terrore viveremus, cur non essemus beati, aut quid aliud quæreremus? Nesciens idipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus et cæcus cogitare non possem lumen honestatis et gratis amplectendæ pulchritudinis, quam non videt oculus carnis, et videtur ex intimo. Nec considerabam miser, ex qua vena mihi manaret, quod ista ipsa, fœda tamen, cum amicis dulciter conferebam; nec esse sine amicis poteram beatus, etiam secundum sensum quem tunc habebam in quantalibet affluentia carnalium voluptatum. Quos utique amicos gratis diligebam, vicissimque ab eis me diligi gratis sentiebam. O tortuosas vias! Væ animæ audaci quæ speravit, si a te recessisset, se aliquid melius habituram! Versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia: et tu solus requies. Et ecce ades, et liberas a miserabilibus erroribus, et constituis nos in via tua, et consolaris, et dicis: Currite; ego feram, et ego perducam, et ibi ego feram [1].

[1] *Firmabamus*, juxta vetustissimas editiones et aliquot Mss. *Pene firmaveramus*, juxta Flor. M.

[2] Codex, Alb. et antiquiores Edd.: *Inde ad suspiria et gemitus convertebamur, et gressus.*

[1] In Lyrensi Cd., *et ego ibi liberabo.*

# LIBER SEPTIMUS.

Exordium suæ juventutis, id est annum ætatis trigesimum primum, ob mentis oculos reducit. Narrat se illa ætate densioribus adhuc ignorantiæ tenebris involutum, atque errantem circa Dei naturam, necnon circa originem mali, in cujus inquisitione se mirum in modum angebat, pervenisse tandem ad cognitionem Dei sinceram; quamvis nondum digne de Domino Christo sentiret.

## CAPUT PRIMUM.

*Deum cogitat tanquam aliquid corporeum per infinita spatia diffusum.*

1. Jam mortua erat adolescentia mea mala et nefanda, et ibam in juventutem, quanto ætate major, tanto vanitate turpior. Qui cogitare aliquid substantiæ nisi tale non poteram, quale per hos oculos videri solet; non te cogitabam [1], Deus, in figura corporis humani, ex quo audire aliquid de sapientia cœpi; semper hoc fugi: et gaudebam me hoc reperisse in fide spiritualis matris nostræ Catholicæ tuæ. Sed quid te aliud cogitarem non occurrebat; et conabar cogitare te homo, et talis homo, summum et solum et verum Deum: et te incorruptibilem, et inviolabilem, et incommutabilem, totis medullis credebam; quia, nesciens unde et quomodo, plane tamen videbam et certus eram, id quod corrumpi potest, deterius esse quam id quod non potest; et quod violari non potest, incunctanter præponebam violabili; et quod nullam patitur mutationem, melius esse quam id quod mutari potest. Clamabat violenter cor meum adversus omnia phantasmata mea, et hoc uno ictu conabar abigere circumvolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ; et vix dimota in ictu oculi, ecce conglobata rursus aderat, et irruebat in aspectum meum, et obnubilabat eum: ut quamvis non forma humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitare cogerer per spatia locorum, sive infusum mundo, sive etiam extra mundum per infinita diffusum, etiam ipsum incorruptibile et inviolabile et incommutabile, quod corruptibili et violabili et commutabili præponebam; quoniam quidquid privabam spatiis talibus, nihil mihi esse videbatur: sed prorsus nihil, ne inane quidem; tanquam si corpus auferatur loco, et maneat locus omni corpore vacuatus, et terreno et humido et aereo et cœlesti, sed tamen sit locus inanis tanquam spatiosum nihil.

2. Ego itaque incrassatus corde, nec mihimetipsi vel ipse conspicuus, quidquid non per aliquanta spatia tenderetur, vel diffunderetur, vel conglobaretur, vel tumeret, vel tale aliquid caperet, aut capere posset, nihil prorsus esse arbitrabar. Per quales enim formas ire solent oculi mei, per tales imagines ibat cor meum: nec videbam hanc eamdem intentionem, qua illas ipsas imagines formabam, non esse tale aliquid; quæ tamen ipsas non formaret, nisi esset magnum aliquid. Ita etiam te, vita vitæ meæ, grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem, et extra eam quaquaversum per immensa sine termino; ut haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia, et illa finirentur in te, tu autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsisteret corpus aeris hujus qui supra terram est, quominus per eum trajiceretur penetrans eum, non dirumpendo aut concidendo, sed implendo eum totum: sic tibi putabam non solum cœli et aeris et maris, sed etiam terræ corpus pervium, et ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile ad capiendam præsentiam tuam, occulta inspiratione intrinsecus et extrinsecus administrantem omnia quæ creasti. Ita suspicabar, quia cogitare aliud non poteram; nam falsum erat. Illo enim modo major pars terræ majorem tui partem haberet, et minorem minor: atque ita te plena essent omnia, ut amplius tui caperet elephanti corpus quam passeris, quo esset isto grandius, grandioremque occuparet locum; atque ita frustatim partibus mundi, magnis magnas, brevibus breves partes tuas præsentes faceres. Non es autem ita. Sed nondum illuminaveras tenebras meas.

[1] Bad. Am. et Er.: *Non tamen te cogitabam.*

## CAPUT II.

*Momentum quo Nebridius confutarat Manichæos.*

3. Sat erat mihi, Domine, adversus deceptos illos et deceptores, et loquaces mutos [1], quoniam non ex eis sonabat verbum tuum: sat erat ergo illud quod jamdiu ab usque Carthagine a Nebridio proponi solebat, et omnes qui audieramus concussi sumus. Quid erat tibi factura nescio quæ gens tenebrarum, quam ex adversa mole solent opponere, si tu cum ea pugnare noluisses [2]? Si enim responderetur, aliquid fuisse nocituram, violabilis tu et corruptibilis fores. Si autem nihil ea nocere potuisse diceretur, nulla afferretur causa pugnandi, et ita pugnandi, ut quædam portio tua et membrum tuum, vel proles de ipsa substantia tua, misceretur adversis potestatibus et non a te creatis naturis, atque in tantum ab eis corrumperetur et commutaretur in deterius, ut a beatitudine in miseriam verteretur, et indigeret auxilio quo erui purgarique posset: et hanc esse animam, cui tuus sermo, servienti liber, et contaminatæ purus, et corruptæ integer subveniret; sed et ipse corruptibilis, quia ex una eademque substantia. Itaque, si te, quidquid es, id est, substantiam tuam qua es, incorruptibilem dicerent; falsa esse illa omnia et exsecrabilia: si autem corruptibilem; idipsum jam falsum et prima voce abominandum. Sat ergo erat istud adversus eos omnimodo evomendos a pressura pectoris; quia non habebant qua exirent sine horribili sacrilegio cordis et linguæ, sentiendo de te ista et loquendo.

[1] Am. Er.: *Loquaces mutos, et ob hoc mutos, quoniam.*
[2] Legitur *voluisses* apud Bad. Er. Somm. et Blas.

## CAPUT III.

*Liberum arbitrium causa peccati.*

4. Sed et ego adhuc, quamvis incontaminabilem et inconvertibilem, et nulla ex parte mutabilem dicerem, firmeque sentirem Dominum nostrum Deum verum, qui fecisti non solum animas nostras, sed etiam corpora, nec tantum animas nostras et corpora, sed omnes et omnia; non tenebam explicitam et enodatam causam mali: quæcumque tamen esset, sic eam quærendam videbam, ut non per illam constringerer Deum incommutabilem mutabilem credere, ne ipse fierem quod quærebam. Itaque securus eam quærebam, et certus non esse verum quod illi dicerent, quos toto animo fugiebam; quia videbam, quærendo unde malum, repletos malitia, qua opinarentur tuam potius substantiam male pati, quam suam male facere.

5. Et intendebam ut cernerem quod audiebam, liberum voluntatis arbitrium causam esse ut male faceremus, et rectum judicium tuum ut pateremur; et eam liquidam [1] cernere non valebam. Itaque aciem mentis de profundo educere conatus, mergebar iterum; et sæpe conatus, margebar iterum atque iterum. Sublevabat enim me in lucem tuam quod tam me sciebam habere voluntatem, quam me vivere. Itaque cum aliquid vellem aut nollem, non alium quam me velle ac nolle certissimus eram, et ibi esse causam peccati mei jam jamque animadvertebam. Quod autem invitus facerem, pati me potius quam facere videbam; et id non culpam, sed pœnam esse judicabam, qua me non injuste plecti, te justum cogitans, cito fatebar. Sed rursus dicebam: Quis fecit me? Nonne Deus meus, non tantum bonus, sed ipsum bonum? Unde igitur mihi male velle et bene nolle, ut esset cur juste pœnas luerem? Quis in me hoc posuit, et insevit mihi plantarium amaritudinis, cum totus fierem a dulcissimo Deo meo? Si diabolus auctor, unde ipse diabolus? Quod si et ipse perversa voluntate ex bono angelo diabolus factus est; unde et in ipso voluntas mala qua diabolus fieret, quando totus angelus a conditore optimo factus esset bonus [2]? His cogitationibus deprimebar iterum et suffocabar: sed non usque ad illum infernum subducebar erroris, ubi nemo confitetur tibi, dum tu potius mala pati, quam homo facere putatur.

## CAPUT IV.

*Deum incorruptibilem esse oportet.*

6. Sic enim nitebar cætera invenire, ut jam inveneram melius esse incorruptibile, quam corruptibile; et ideo te, quidquid esses, esse incorruptibilem confitebar. Neque enim ulla anima unquam potuit, poteritve cogitare aliquid quod sit te melius, qui summum et optimum bonum es. Cum autem verissime atque certissime incorruptibile corruptibili præponatur, sicut jam ego præponebam, poteram jam cogitatione aliquid attingere quod esset melius Deo meo, nisi tu esses incorruptibilis. Ubi igitur videbam incorruptibile corruptibili esse præferendum, ibi te quærere debebam, atque inde advertere unde [1] sit malum, id est, unde sit ipsa corruptio, qua violari substantia tua nullo modo potest. Nullo enim prorsus modo violat corruptio Deum nostrum; nulla voluntate, nulla necessitate, nullo improviso casu; quoniam ipse est Deus, et quod sibi vult bonum est, et ipse est idem bonum: corrumpi autem non est bonum. Nec cogeris invitus ad aliquid, quia voluntas tua non est major quam potentia tua. Esset autem major, si te ipso tu ipse major esses: voluntas enim et potentia Dei, Deus ipse est. Et quid improvisum tibi qui nosti omnia, et nulla natura est, nisi quia nosti eam? Et utquid multa dicimus, cur non sit corruptibilis substantia quæ Deus est, quando si hoc esset, non esset Deus?

## CAPUT V.

*Quærit iterum unde malum, et quæ radix ejus.*

7. Et quærebam unde malum, et male quærebam; et in ipsa inquisitione mea non videbam malum. Et constituebam in conspectu spiritus mei universam creaturam, quidquid in ea cernere possumus; sicuti est terra, et mare, et aer, et sidera, et arbores, et animalia mortalia; et quidquid in ea non videmus, sicut firmamentum cœli, insuper et omnes Angelos et cuncta spiritualia ejus; sed etiam ipsa, quasi corpora essent, locis et locis ordinavit imaginatio mea: et feci unam massam grandem distinctam generibus corporum creaturam tuam [2]; sive quæ vera corpora erant, sive quæ ipse pro spiritibus finxeram: et eam feci grandem, non quantum erat, quod scire non poteram; sed quantum libuit, undiqueversum sane finitam. Te autem, Domine, ex omni parte ambientem eam et penetrantem, sed usquequaque infinitum: tanquam si mare esset ubique, et undique per immensa spatia infinitum solum mare, et haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam tamen; plena esset utique spongia illa ex omni sua parte ex immenso mari: sic creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, et dicebam: Ecce Deus, et ecce quæ creavit Deus, et bonus est Deus, atque his validissime longissimeque præstantior; sed tamen bonus bona creavit, et ecce quomodo ambit atque implet ea. Ubi ergo malum, et unde, et qua huc irrepsit? Quæ radix ejus, et quod semen ejus? An omnino non est? Cur ergo timemus et cavemus quod non est? Aut si inaniter timemus, certe vel timor ipse malum est, quo incassum stimulatur et excruciatur cor: et tanto gravius malum, quanto non est quod timeamus, et timemus. Idcirco aut est malum quod timemus, aut hoc malum est quia timemus. Unde est igitur, quoniam Deus fecit hæc omnia, bonus bona? Majus quidem et summum bonum minora fecit bona, sed tamen et creans et creata bona sunt omnia. Unde est malum? An unde fecit ea [3], materies aliqua mala erat, et formavit atque

[1] Sic Mss. Angl. et nostri prope omnes Mss. Et paulo post, *non alium quam me*. [*Eam liquide cernere... non aliud quam me.*]—Arn. Mart. Flor. et Rond. cum nonnullis Mss.: *Non alium quam me.* M.

[2] Omittitur *bonus* in Mss. Benign. Theoderica et aliquot aliis.

[1] In B., *ubi*. Plerique Edd. *unde*. M.

[2] Quatuor Mss. *creaturarum tuarum*.

[3] Ita Mss. cum Bad. et Arn.; at Am. Er. Lov., mutata interpunctione, habent: *Aut unde fecit ea? materies aliqua mala erat.*

ordinavit eam, sed reliquit aliquid in illa, quod in bonum non converteret? Cur et hoc? An impotens erat totam vertere et commutare, ut nihil mali remaneret, cum sit omnia potens? Postremo, cur inde aliquid facere voluit, ac non potius eadem omnipotentia fecit ut nulla esset omnino? Aut vero existere poterat contra ejus voluntatem? Aut si æterna erat, cur tam diu per infinita retro spatia temporum, sic eam sivit esse, ac tanto post placuit aliquid ex ea facere? Aut jam si aliquid subito voluit agere, hoc potius ageret omnipotens, ut illa non esset, atque ipse solus esset totum, verum et summum et infinitum bonum. Aut si non erat bene ut non aliquid boni etiam fabricaretur [1], et conderet qui bonus erat; illa sublata et ad nihilum redacta materia quæ mala erat, bonam ipse instituere ret unde omnia crearet. Non enim esset omnipotens, si condere non posset aliquid boni, nisi ea, quam ipse non condiderat, adjuvaretur materia. Talia volvebam pectore misero, ingravidato curis mordacissimis de timore mortis, et non inventa veritate: stabiliter tamen hærebat in corde meo, in catholica Ecclesia fides Christi tui Domini et Salvatoris nostri; in multis quidem adhuc informis, et præter doctrinæ normam fluitans [2], sed tamen eam non relinquebat animus, imo in dies magis magisque imbibebat.

## CAPUT VI.

*Mathematicorum divinationes rejicit.*

8. Jam etiam mathematicorum fallaces divinationes, et impia deliramenta rejeceram. Confiteantur etiam hinc tibi de intimis visceribus animæ meæ miserationes tuæ, Deus meus. Tu enim, tu omnino: nam quis alius a morte omnis erroris revocat nos, nisi vita quæ mori nescit, et sapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine, qua mundus administratur usque ad arborum volatica folia? tu procurasti pervicaciæ meæ, qua obluctatus sum Vindiciano acuto seni, et Nebridio adolescenti mirabilis animæ: illi vehementer affirmanti, huic cum dubitatione quidem aliqua, sed tamen crebro dicenti, non esse ullam [3] artem futura prævidendi; conjecturas autem hominum habere sæpe vim sortis, et multa dicendo dici pleraque ventura, nescientibus eis qui dicerent, sed in ea non tacendo incurrentibus: procurasti ergo tu hominem amicum, non quidem segnem consultorem mathematicorum, nec eas litteras bene callentem; sed, ut dixi, consultorem curiosum, et tamen scientem aliquid quod a patre suo se audisse dicebat, quod [4] quantum valeret ad illius artis opinionem evertendam ignorabat. Is ergo vir nomine Firminus, liberaliter institutus et excultus eloquio, cum me tanquam charissimum, de quibusdam suis rebus, in quas sæcularis spes ejus intumuerat, consuleret quid mihi secundum suas, quas constellationes appellant, videretur; ego autem, qui jam de hac re in Nebridii sententiam flecti cœperam, non quidem abnuerem conjicere ac dicere quod nutanti occurrebat; sed tamen subjicerem, prope jam esse mihi persuasum ridicula esse illa et inania: tum ille mihi narravit patrem suum fuisse librorum talium curiosissimum, et habuisse amicum æque illa simulque sectantem; qui pari studio et collatione flatabant in eas nugas ignem cordis sui [1], ita ut mutorum quoque animalium, si quæ domi parerent, observarent momenta nascentium, atque ad ea positionem cœli notarent, unde illius quasi artis experimenta colligerent. Itaque dicebat audisse se a patre suo, quod cum eumdem Firminum [2] prægnans mater esset, etiam illius paterni amici famula quædam pariter utero grandescebat; quod latere non potuit dominum, qui etiam canum suarum partus examinatissima diligentia nosse curabat: atque ita factum esse ut cum iste conjugis, ille autem ancillæ dies et horas, minutioresque horarum articulos cautissima observatione numerarent, enixæ essent ambæ simul; ita ut easdem constellationes usque ad easdem minutias utrique nascenti facere cogerentur, iste filio, ille servulo. Nam cum mulieres parturire cœpissent, indicaverunt sibi ambo quid in sua cujusque domo ageretur, et paraverunt quos ad se invicem mitterent, simul ut natum quod parturiebatur esset cuique nuntiatum; quod tamen ut continuo nuntiaretur, tanquam in regno suo facile effecerant. Atque ita, qui ab alterutro missi sunt, tam ex paribus domorum intervallis sibi obviam factos esse dicebat, ut aliam positionem siderum, aliasque particulas momentorum, neuter eorum notare sineretur: et tamen Firminus amplo apud suos loco natus, dealbatiores vias sæculi cursitabat, augebatur divitiis, sublimabatur honoribus; servus autem ille, conditionis jugo nullatenus relaxato, dominis serviebat, ipso indicante qui noverat eum.

9. His itaque auditis et creditis, talis quippe narraverat, omnis illa reluctatio mea resoluta concidit: et primo Firminum ipsum conatus sum ab illa curiositate revocare, cum dicerem, constellationibus ejus inspectis, ut vera pronuntiarem [3], debuisse me utique videre ibi parentes inter suos esse primarios, nobilem familiam propriæ civitatis, natales ingenuos, honestam educationem, liberalesque doctrinas. At si me ille servus ex eisdem constellationibus, quia et illius ipsæ essent, consuluisset, ut eidem quoque vera proferrem, debuisse me rursum ibi videre abjectissimam familiam, conditionem servilem, et cætera longe a prioribus aliena, longeque distantia. Unde autem fieret ut eadem inspiciens diversa dicerem, si vera dicerem; si autem eadem dicerem, falsa dicerem: inde certissime colligi [4], ea quæ vera, consideratis

[1] *Fabricaret*, juxta Er. Lugd. Ven. Somm. et Rond. M.
[2] Bad. Am. Er. Lov., *fluctuans*.
[3] In Mss. *non esse illam artem*.
[4] Sic ex Mss. Angl. [*Dicebat quantum valeret*].

[1] In editis plerisque: *Et collatione flagrabant in eas nugas igne cordis sui*. Castigavit Arn. *flabant ignem;* nos ex Mss. restituimus, *flatabant:* quo in verbo, quia minus familiare erat, lapsi sunt librarii et locum corruperunt. Id porro usurpat Arnobius, adversus Gentes libro 2, circa medium: *Quid mimulos, histriones, cantores, tubu, tibia, calamoque flatantes?*
[2] *De eodem Firmino*, juxta Er. Lugd. Ven. Somm. et Rond. M.
[3] *Prænuntiarem*, juxta Mart. Arn.
[4] Sic legendum juxta Mss. Angl. [*Dicerem? Inde certissime collegi ea quæ vera*].

constellationibus, dicerentur, non arte dici, sed sorte; quæ autem falsa, non artis imperitia, sed sortis mendacio.

10. Hinc autem accepto aditu [1], ipse mecum talia ruminando, ne quis eorumdem delirorum qui talem quæstum sequerentur, quos jam jamque invadere, atque irrisos refellere cupiebam, mihi ita resisteret, quasi aut Firminus mihi, aut illi pater falsa narraverit; intendi considerationem in eos qui gemini nascuntur : quorum plerique ita post invicem funduntur ex utero, ut parvum ipsum temporis intervallum, quantamlibet vim in rerum natura habere contendant, colligi tamen humana observatione non possit, litteris- que signari omnino non valeat, quas mathematicus inspecturus est, ut vera pronuntiet. Et non erunt vera, quia easdem litteras inspiciens, eadem debuit dicere de Esau et Jacob ; sed non eadem utrique acciderunt. Falsa ergo diceret : aut si vera diceret, non eadem diceret, etiamsi eadem [2] inspiceret. Non ergo arte, sed sorte vera diceret. Tu enim, Domine, justissime moderator universitatis, consulentibus consultisque nescientibus occulto instinctu agis, ut dum quisque consulit, hoc audiat quod eum oportet audire occultis meritis animarum, ex abysso justi judicii tui, cui non dicat homo : Quid est hoc ? utquid hoc? Non dicat, non dicat ;homo est enim.

## CAPUT VII.

*Misere torquetur inquirens unde sit malum.*

11. Jam itaque me, adjutor meus, illis vinculis solveras, et quærebam unde malum, et non erat exitus. Sed me non sinebas ullis fluctibus cogitationis auferri ab ea fide qua credebam et esse te, et esse incommutabilem substantiam tuam, et esse de hominibus curam et judicium tuum, et in Christo Filio tuo Domino nostro ; atque in Scripturis sanctis quas Ecclesiæ tuæ catholicæ commendaret auctoritas, viam te posuisse salutis humanæ, ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est. His itaque salvis, atque inconcusse roboratis in animo meo, quærebam æstuans unde sit malum. Quæ illa tormenta parturientis cordis mei ! qui gemitus, Deus meus ! Et ibi erant aures tuæ, nesciente me. Et cum in silentio fortiter quærerem, magnæ voces erant ad misericordiam tuam, tacitæ contritiones animi mei. Tu sciebas quid patiebar, et nullus hominum. Quantum enim erat quod inde digerebatur per linguam meam in aures familiarissimorum meorum ? Numquid totus tumultus animæ meæ, cui nec tempora, nec os meum sufficiebat, sonabat eis? Totum tamen ibat in auditum tuum, quod rugiebam a gemitu cordis mei, et ante te erat desiderium meum, et lumen oculorum meorum non erat mecum (*Psal.* XXXVII, 9-11). Intus enim erat, ego autem foris. Nec in loco illud : at ego intendebam in ea quæ locis continentur, et non ibi inveniebam locum ad requiescendum ; nec recipiebant [3] me ista ut dicerem, Sat est, et bene est ; nec dimittebant redire ; ubi mihi satis esset bene. Superior enim eram istis, te vero inferior ; et tu gaudium verum mihi subdito tibi, et tu mihi subjeceras quæ infra me creasti. Et hoc erat rectum temperamentum, et media regio salutis meæ, ut manerem ad imaginem tuam, et tibi serviens dominarer corpori. Sed cum superbe contra te surgerem, et currerem adversus Dominum in cervice crassa scuti mei (*Job* XV, 26), etiam ista infima supra me facta sunt, et premebant, et nusquam erat laxamentum et respiramentum. Ipsa occurrebant undique acervatim et conglobatim cernenti ; cogitanti autem imagines corporum, ipsæ opponebantur redeunti, quasi diceretur : Quo is, indigne et sordide? Et hæc de vulnere meo creverant, quia humiliasti tanquam vulneratum, superbum (*Psal.* LXXXVIII, 11) ; et tumore meo separabar abs te, et nimis inflata facies claudebat oculos meos.

[1] Bad Am. Er. et 5 Mss., *auditu*.
[2] *Diceret si eadem*, juxta Er. Lugd. et Ven. *At eadem*, juxta Somm. Arn. et Mart. M.
[3] Codex Benign., *rapiebant*.

## CAPUT VIII.

*Quomodo divina misericordia subvenerit Augustino.*

12. Tu vero, Domine, in æternum manes, et non in æternum irasceris nobis : quoniam miseratus es terram et cinerem, et placuit in conspectu tuo reformare deformia mea ; et stimulis internis agitabas me, ut impatiens essem, donec mihi per interiorem aspectum certus esses. Et residebat tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, aciesque conturbata et contenebrata mentis meæ, acri collyrio salubrium dolorum de die in diem sanabatur.

## CAPUT IX.

*In Platonicorum libris Verbi æterni divinitatem, non incarnati humilitatem invenit.*

13. Et primo volens ostendere mihi quam resistas superbis, humilibus autem des gratiam (I *Petr.* V, 5), et quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quod Verbum tuum caro factum est, et habitavit inter homines ; procurasti mihi per quemdam hominem immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros ex græca lingua in latinam versos : et ibi legi, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum ; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est : in eo vita est, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Et quia hominis anima quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen ; sed Verbum Dei, Deus, est lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Quia vero in sua propria venit, et sui eum non receperunt ; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus : non ibi legi.

14. Item ibi legi quia Deus Verbum, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex

voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1-14); non ibi legi. Indagavi quippe in illis litteris varie dictum, et multis modis, quod sit Filius in forma Patris, non rapinam arbitratus esse æqualis Deo, quia naturaliter idipsum est. Sed quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod Deus eum exaltavit a mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 6-11); non habent illi libri. Quod enim ante omnia tempora, et supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus Filius tuus coæternus tibi, et quia de plenitudine ejus accipiunt animæ ut beatæ sint (*Joan.* 1, 16), et quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur ut sapientes sint; est ibi. Quod autem secundum tempus pro impiis mortuus est (*Rom.* v, 6.); et Filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum (*Id.* VIII, 32); non est ibi. Abscondisti enim hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis; ut venirent ad eum laborantes et onerati, et reficeret eos : quoniam mitis est et humilis corde, et dirigit mites in judicio, et docet mansuetos vias suas, videns humilitatem nostram, et laborem nostrum, et dimittens omnia peccata nostra (*Psal.* XXIV, 9, 18). Qui autem cothurno tanquam doctrinæ sublimioris elati non audiunt dicentem, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 25, 28, 29) : etsi cognoscunt Deum, non sicut Deum glorificant aut gratias agunt; sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes, stulti fiunt.

15. Et ideo legebam ibi etiam immutatam gloriam incorruptionis tuæ in idola et varia simulacra, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum (*Rom.* I, 21, 23); videlicet Ægyptium cibum (*a*) quo Esau perdidit primogenita sua (*Gen.* XXV, 33, 34) : quoniam caput quadrupedis pro te honoravit populus primogenitus, conversus corde in Ægyptum, et curvans imaginem tuam, animam suam ante imaginem vituli manducantis fenum (*Exod.* XXXII, 1-6; *et Psal.* CV, 19, 20). Inveni hæc ibi, et non manducavi. Placuit enim tibi, Domine, auferre opprobrium diminutionis ab Jacob, ut major serviret minori (*Rom.* IX, 13); et vocasti Gentes in hæreditatem tuam. Et ego ad te veneram ex Gentibus, et intendi in aurum quod ab Ægypto voluisti ut auferret populus tuus (*Exod.* III, 22; et XI, 2), quoniam tuum erat, ubicumque erat. Et dixisti Atheniensibus per Apostolum tuum, quod in te vivimus et movemur et sumus; sicut et quidam secundum eos dixerunt (*Act.* XVII, 28) : et utique inde erant illi libri. Et non attendi in idola Ægyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant, qui transmutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I, 25).

(*a*) Juvat huncce locum ex alio illustrare. Nempe Enarr. in Psal. 46, n. 6, sic disserit Augustinus : « Lenticulam autem « invenimus cibum esse Ægyptiorum, nam ibi abundat in « Ægypto; unde magnificatur lenticula Alexandrina, et venit « usque ad terras nostras, quasi hic non nascatur lenticula. « Ergo Esau desiderando cibum Ægyptium, perdidit primatum. Sic et populus Judæorum de quo dictum est, *Conversi « sunt corde in Ægyptum*, lenticulam quodammodo desideraverunt, et primatum perdiderunt. »

## CAPUT X.

*Clarius innotescunt jam Augustino divina.*

16. Et inde admonitus redire ad memetipsum, intravi in intima mea, duce te; et potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem [1] incommutabilem; non hanc vulgarem et conspicuam omni carni : nec quasi ex eodem genere grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totumque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat; sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam sicut oleum super aquam, nec sicut cœlum super terram; sed superior, quia ipsa fecit me, et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas, et vera charitas, et chara æternitas ! tu es Deus meus; tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognovi, tu assumpsisti me, ut viderem esse quod viderem, et nondum me esse qui viderem. Et reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer, et contremui amore et horrore; et inveni longe me esse a te in regione dissimilitudinis, tanquam audirem vocem tuam de excelso : Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. Et cognovi quoniam pro iniquitate erudisti hominem, et tabescere fecisti sicut araneam animam meam (*Psal.* XXXVIII, 12); et dixi : Numquid nihil est veritas, quoniam neque per finita, neque per infinita locorum spatia diffusa est? Et clamasti de longinquo : Imo vero, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Et audivi sicut auditur in corde, et non erat prorsus unde dubitarem; faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur [2] (*Rom.* I, 20).

## CAPUT XI.

*Quomodo creaturæ sunt et non sunt.*

17. Et inspexi cætera infra te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse : esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem, quoniam id quod es non sunt. Id enim vere est, quod incommutabiliter manet. Mihi autem inhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII, 20), quia si non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in se manens innovat omnia (*Sap.* VII, 27). Et Dominus Deus meus es, quoniam bonorum meorum non eges (*Psal.* XV, 2).

[1] Hic in Edd. additur, *Domini*, qua voce carent Mss.
[2] Mss. magno consensu ferunt, *conspiciuntur*.

## CAPUT XII.

*Omnia bona, quæcumque sunt.*

18. Et manifestatum est mihi quoniam bona sunt quæ corrumpuntur, quæ neque si summa bona essent, neque nisi bona essent, corrumpi possent: quia si umma bona essent, incorruptibilia essent; si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur non esset. Nocet enim corruptio, et nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut, quod certissimum est, omnia quæ corrumpuntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, et corrumpi jam non poterunt, meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt. Et quid monstruosius quam ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono privabuntur, omnino nulla erunt: ergo quamdiu sunt, bona sunt: ergo quæcumque sunt, bona sunt. Malumque illud quod quærebam unde esset, non est substantia; quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum utique bonum: aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaque vidi et manifestatum est mihi quia omnia bona tu fecisti, et prorsus nullæ substantiæ sunt quas tu non fecisti. Et quoniam non æqualia omnia fecisti, ideo sunt omnia; quia singula bona sunt, et simul omnia valde bona: quoniam fecit Deus noster omnia bona valde (*Gen.* I; *et Eccli.* XXXIX, 21).

## CAPUT XIII.

*Omnia condita laudant Deum.*

19. Et tibi omnino non est malum, non solum tibi, sed nec universæ creaturæ tuæ; quia extra [1] non est aliquid quod irrumpat, et corrumpat ordinem quem posuisti ei. In partibus autem ejus quædam, quibusdam quia non conveniunt, mala putantur: et eadem ipsa conveniunt aliis, et bona sunt, et in semetipsis bona sunt. Et omnia hæc quæ sibimet invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cœlum suum nubilosum atque ventosum congruum sibi. Et absit jam ut dicerem: Non essent ista [2]: quia etsi sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora, sed jam etiam de solis istis laudare te deberem; quoniam laudandum te ostendunt de terra dracones et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum tuum: montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri; bestiæ et omnia pecora, reptilia et volatilia pennata; reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ; juvenes et virgines, seniores cum junioribus laudant nomen tuum. Cum vero etiam de cœlis te laudent, laudent te, Deus noster, in excelsis omnes Angeli tui, omnes virtutes tuæ, sol et luna, omnes stellæ et lumen, cœli cœlorum et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen tuum (*Psal.* CXLVIII, 1-12): non jam desiderabam meliora, quia omnia cogitabam; et meliora quidem superiora quam inferiora, sed meliora omnia quam sola superiora, judicio saniore pendebam.

[1] Legebatur in Lov. et antiquioribus editionibus, *quia extra te non est aliquid*. At Arn. expunxit *te*, quæ vox abest a Mss. et abesse debet, cum sensus sit, nihil esse extra universam creaturam, quod ad perturbandum ordinem a Deo constitutum irrumpat.

[2] Sic Mss. cum Arn. ubi Somm. habet, *ut dicerem non esse nisi ista*: cæteri porro Edd., *ut dicerem non esse ista*.

## CAPUT XIV.

*Sanæ mentis homini nihil displicet inter creaturas Dei.*

20. Non est sanitas eis quibus displicet aliquid creaturæ tuæ; sicut mihi non erat, cum displicerent multa quæ fecisti. Et quia non audebat anima mea ut ei displiceret Deus meus, nolebat esse tuum quidquid ei displicebat. Et inde ierat in opinionem duarum substantiarum, et non requiescebat, et aliena loquebatur. Et inde rediens fecerat sibi Deum per infinita spatia locorum omnium, et eum putaverat esse te; et eum collocaverat in corde suo, et facta erat rursus templum idoli sui abominandum tibi. Sed posteaquam fovisti caput nescientis, et clausisti oculos meos ne viderent vanitatem, cessavi de me paululum, et consopita est insania mea: et evigilavi in te, et vidi te infinitum aliter; et visus iste non a carne trahebatur.

## CAPUT XV.

*Quomodo veritas et falsitas in creaturis.*

21. Et respexi alia, et vidi tibi debere quia sunt, et in te cuncta finita: sed aliter, non quasi in loco, sed quia tu es omnitenens manu veritate; et omnia vera sunt, in quantum sunt; nec quidquam est falsitas nisi cum putatur esse quod non est. Et vidi quia non solum locis sua quæque suis conveniunt, sed etiam temporibus: et quia tu, qui solus æternus es, non post innumerabilia spatia temporum cœpisti operari; quia omnia spatia temporum, et quæ præterierunt et quæ præteribunt, nec abirent nec venirent, nisi te operante et manente.

## CAPUT XVI.

*Omnia bona, licet quibusdam non apta.*

22. Et sensi et expertus sum non esse mirum, quod palato non sano pœna est panis, qui sano suavis est; et oculis ægris odiosa lux, quæ puris amabilis. Et justitia tua displicet iniquis; nedum vipera et vermiculus, quæ bona creasti, apta inferioribus creaturæ tuæ partibus: quibus et ipsi iniqui apti sunt, quanto dissimiliores sunt tibi; apti autem superioribus, quanto similiores fiunt tibi. Et quæsivi quid esset iniquitas, et non inveni substantiam: sed a summa substantia, te Deo, detortæ in infima [1] voluntatis perversitatem, projicientis intima sua (*Eccli.* x, 10), et tumescentis foras.

## CAPUT XVII.

*Quæ retardent a cognitione divinorum.*

23. Et mirabar quod jam te amabam, non pro te phantasma. Et non stabam [2] frui Deo meo, sed rapiebar ad te decore tuo; moxque deripiebar abs te pondere meo, et ruebam in ista cum gemitu: et pondus hoc, consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria

[1] Sic Bad. Am. et Er. sicque Mss. Angl. et plures e nostris Mss. At Arn. et Mss. aliquot, *detortæ in infimam*. Supple, substantiam. Lov. *detortam in infimam* [*detortæ in infimam voluntatis perversitatem*].

[2] Am. et Er. cum Mss. quatuor habent, *et non instabam*.

tui, neque ullo modo dubitabam esse cui cohærerem, sed nondum esse me qui cohærerem : quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam ; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Eramque certissimus quod invisibilia tua, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; sempiterna quoque virtus et divinitas tua (*Rom.* I, 20). Quærens enim unde approbarem pulchritudinem corporum, sive cœlestium, sive terrestrium ; et quid mihi præsto esset integre de mutabilibus judicanti, et dicenti : Hoc ita esse debet, illud non ita : hoc ergo quærens unde judicarem, cum ita judicarem, inveneram incommutabilem et veram veritatis æternitatem, supra mentem meam commutabilem. Atque ita gradatim a corporibus ad sentientem per corpus animam ; atque inde ad ejus interiorem vim, cui sensus corporis exteriora annuntiaret ; et quousque possunt bestiæ : atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam ad quam refertur judicandum quod sumitur a sensibus corporis. Quæ se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se ad intelligentiam suam ; et abduxit cogitationem a consuetudine, subtrahens se contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret quo lumine aspergeretur, cum sine ulla dubitatione clamaret incommutabile præferendum esse mutabili ; unde nosset ipsum incommutabile, quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo præponeret. Et pervenit [1] ad id quod est, in ictu trepidantis aspectus. Tunc vero invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi ; sed aciem figere non evalui [2] : et repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, et quasi olfacta desiderantem quæ comedere nondum possem.

## CAPUT XVIII.

*Solus Christus via ad salutem.*

24. Et quærebam viam comparandi roboris quod esset idoneum ad fruendum te ; nec inveniebam, donec amplecterer mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5), qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5), vocantem et dicentem : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6) ; et cibum, cui capiendo invalidus eram, miscentem carni ; quoniam Verbum caro factum est, ut infantiæ nostræ lactesceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Jesum, humilis humilem ; nec cujus rei magistra esset ejus infirmitas noveram. Verbum enim tuum æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam : in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret a seipsis, et ad se trajiceret, sanans tumorem, et nutriens amorem ; ne fiducia sui progrederentur longius, sed potius infirmarentur videntes ante pedes suos infirmam divinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, et lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos.

[1] Egregium huncce locum reparant codices Mss. Nam in vulgatis corrupte legebatur, *et perveniret.*

[2] *Valui*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Mart. Flor. M.

## CAPUT XIX.

*Quid senserit de Christi incarnatione.*

25. Ego vero aliud putabam, tantumque sentiebam de Domino Christo meo, quantum de excellentis sapientiæ viro, cui nullus posset æquari ; præsertim quia mirabiliter natus ex virgine, ad exemplum contemnendorum temporalium pro adipiscenda immortalitate, divina pro nobis cura tantam auctoritatem magisterii meruisse videbatur. Quid autem sacramenti haberet *Verbum caro factum* (*Joan.* I, 14), ne suspicari quidem poteram. Tantum cognoveram ex iis quæ de illo scripta traderentur, quia manducavit et bibit, dormivit, ambulavit, exhilaratus est, contristatus est, sermocinatus est ; non hæsisse carnem illam Verbo tuo, nisi cum anima et mente humana. Novit hoc omnis qui novit incommutabilitatem Verbi tui, quam ego jam noveram, quantum poteram ; nec omnino quidquam inde dubitabam. Etenim nunc movere membra corporis per voluntatem, nunc non movere ; nunc aliquo affectu affici, nunc non affici ; nunc proferre per signa sapientes sententias, nunc esse in silentio : propria sunt mutabilitatis animæ et mentis. Quæ si falsa de illo scripta essent, etiam omnia periclitarentur mendacio, neque in illis Litteris ulla fidei salus generi humano remaneret. Quia itaque vera scripta sunt, totum hominem in Christo agnoscebam ; non corpus tantum hominis, aut cum corpore sine mente animum [1] sed ipsum hominem : non persona Veritatis, sed magna quadam naturæ humanæ excellentia, et perfectiore participatione sapientiæ præferri cæteris arbitrabar. Alypius autem Deum carne indutum ita putabat credi a Catholicis, ut præter Deum et carnem, non esset in Christo anima ; mentemque hominis non existimabat in eo prædicari. Et quoniam bene persuasum tenebat, ea quæ de illo memoriæ mandata sunt, sine vitali et rationali creatura non fieri, ad ipsam christianam fidem pigrius movebatur. Sed postea hæreticorum Apollinaristarum hunc errorem esse cognoscens, catholicæ fidei collætatus et contemperatus est. Ego autem aliquanto posterius didicisse me fateor, in eo quod Verbum caro factum est, quomodo catholica veritas a Photini falsitate dirimatur. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, et quid habeat sana doctrina. Oportuit enim et hæreses esse, ut probati manifesti fierent inter infirmos (I *Cor.* XI, 19).

## CAPUT XX.

*Ex Platonicis libris peritior, sed inflatior evaserat.*

26. Sed tunc lectis Platonicorum illis libris, postea quam inde admonitus quærere incorpoream veritatem, invisibilia tua, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi ; et repulsus sensi quid per tenebras animæ meæ contemplari non sinerer, certus esse te, et infinitum esse, nec tamen per locos finitos infinitosve diffundi ; et vere te esse qui semper idem ipse esses, ex nulla parte nulloque motu aliter aut aliter ; cætera

[1] *Animam*, juxta Er. Lugd. Ven. Rond. M

vero ex te esse omnia, hoc solo firmissimo documento, quia sunt : certus quidem in istis eram, nimis tamen infirmus ad fruendum te. Garriebam plane quasi peritus, et nisi in Christo Salvatore nostro viam tuam quærerem, non peritus, sed periturus essem. Jam enim cœperam velle videri sapiens, plenus pœna mea : et non flebam, insuper et inflabar scientia. Ubi enim erat illa ædificans charitas a fundamento humilitatis, quod est Christus Jesus ? Aut quando illi libri docerent me eam ? In quos me propterea, priusquam Scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere, ut imprimeretur memoriæ meæ quomodo ex eis affectus essem : et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, et curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea ; discernerem atque distinguerem quid interesset inter præsumptionem et confessionem ; inter videntes quo eundum sit nec videntes qua, et viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed et habitandam. Nam si primo sanctis tuis Litteris informatus essem, et in earum familiaritate obdulcuisses mihi, et postea in illa volumina incidissem ; fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis, aut si in affectu quem salubrem imbiberam perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.

## CAPUT XXI.

*Quid in sacris Libris invenerit, non inventum in Platonicis.*

27. Itaque avidissime arripui venerabilem stilum Spiritus tui, et præ cæteris apostolum Paulum ; et perierunt illæ quæstiones in quibus mihi aliquando visus est adversari sibi, et non congruere testimoniis Legis et Prophetarum textus sermonis ejus. Et apparuit mihi una facies eloquiorum castorum, et exsultare cum tremore didici. Et cœpi [1], et inveni quidquid illac verum legeram, hac cum commendatione gratiæ tuæ dici ; ut qui videt, non sic glorietur quasi non acceperit, non solum id quod videt, sed etiam ut videat (quid enim habet quod non accepit ? [I *Cor.* IV, 7]) : et ut te, qui es semper idem, non solum admoneatur ut videat, sed etiam sanetur ut teneat : et qui de longinquo videre non potest, viam tamen ambulet qua veniat, et videat, et teneat ; quia etsi condelectetur homo legi Dei secundum interiorem hominem, quid faciet de alia lege in membris suis, repugnante legi mentis suæ, et se captivum ducente in lege peccati, quæ est in membris ejus ? Quoniam justus es, Domine ; nos autem peccavimus, inique fecimus, inique gessimus, et gravata est super nos manus tua, et juste traditi sumus (*Dan.* III, 27-32) antiquo peccatori præposito mortis ; quia persuasit voluntati nostræ similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate tua non stetit (*Joan.* VIII, 44). Quid faciet miser homo ? Quis eum liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia tua per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 23-25), quem genuisti coæternum, et creasti in principio viarum tuarum (*Prov.* VIII, 22), in quo princeps hujus mundi non invenit quidquam morte dignum (*Joan.* XIV, 30), et occidit eum ; et evacuatum est chirographum quod erat contrarium nobis (*Coloss.* II, 14) ? Hoc illæ litteræ non habent. Non habent illæ paginæ vultum pietatis hujus, lacrymas confessionis, sacrificium tuum, spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum (*Psal.* L, 19), populi salutem, sponsam civitatem (*Apoc.* XXI, 2), arrham Spiritus sancti ( II *Cor.* V, 5), poculum pretii nostri. Nemo ibi cantat : *Nonne Deo subdita erit anima mea ? Ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus et salutaris meus ; susceptor meus, non movebor amplius* (*Psal.* LXI, 2, 3). Nemo ibi audit vocantem : *Venite ad me, qui laboratis.* Dedignantur ab eo discere quoniam mitis est et humilis corde. Abscondisti enim hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI, 28, 29, 25). Et aliud est de silvestri cacumine videre patriam pacis, et iter ad eam non invenire, et frustra conari per invia, circum obsidentibus et insidiantibus fugitivis desertoribus, cum principe suo leone et dracone : et aliud tenere viam illuc ducentem, curia [1] cœlestis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur qui cœlestem militiam deseruerunt ; vitant enim eam sicut supplicium. Hæc mihi inviscerabantur miris modis, cum minimum Apostolorum tuorum legerem, et consideraveram opera tua, et expaveram.

[1] *Cepi*, juxta Dub. Mart. Rond. M.

[1] In Edd., *cura* ; at in Mss. Benign. longe melius, *curia cœlestis Imperatoris.*

# LIBER OCTAVUS.

Vitæ ipsius partem attingit celeberrimam, annum ætatis trigesimum secundum, quo nempe cum Simplicianum consuluisset, ab eoque didicisset Victorini conversionem, cum Antonii Ægyptii monachi vitam ex Pontitiani relatione cognovisset, post vehementem luctam carnem inter et animum, codicem Apostoli cœlesti admonitus oraculo inspexit ; moxque ex illius lectione ad meliorem frugem toto animo immutatus fuit, pleneque ad Deum conversus.

## CAPUT PRIMUM.

*Studio vitæ melius instituendæ ad Simplicianum ire statuit.*

1. Deus meus, recorder in gratiarum actione tibi, et confitear misericordias tuas super me. Perfundantur ossa mea dilectione tua [1], et dicant : *Domine, quis similis tibi ?* (*Psal.* XXXIV, 10.) Dirupisti vincula mea, sacrificem tibi sacrificium laudis (*Psal.* CXV, 17). Quomodo dirupisti ea, narrabo ; et dicent omnes qui adorant te, cum audient hæc : Benedictus Dominus in cœlo et in terra ; magnum et mirabile nomen ejus. Inhæserant præcordiis meis verba tua, et undique circumvallabar abs te. De vita tua æterna certus eram : quamvis

[1] Bad. Am. Er. cum codice Alb., *delectatione tua.*

eam in ænigmate et quasi per speculum videram (I *Cor.* XIII, 12); dubitatio tamen omnis de incorruptibili substantia, quod ab illa esset omnis substantia, ablata mihi erat : nec certior de te, sed stabilior in te esse cupiebam. De mea vero temporali vita nutabant omnia, et mundandum erat cor a fermento veteri; et placebat via ipse Salvator, et ire per ejus angustias adhuc pigebat. Et immisisti in mentem meam, visumque est bonum in conspectu meo pergere ad Simplicianum qui mihi bonus apparebat servus tuus, et lucebat in eo gratia tua. Audieram etiam quod a juventute sua devotissime tibi viveret : jam vero tunc senuerat, et longa ætate in tam bono studio sectandæ viæ tuæ, multa expertus, multa edoctus mihi videbatur; et vere sic erat. Unde mihi ut proferret volebam, conferenti secum æstus meos, quis esset aptus modus sic affecto, ut ego eram, ad ambulandum in via tua.

2. Videbam enim plenam Ecclesiam; et alius sic ibat, alius autem sic. Mihi autem displicebat quod agebam in sæculo, et oneri mihi erat valde, non jam inflammantibus cupiditatibus, ut solebant, spe honoris et pecuniæ, ad tolerandam illam servitutem tam gravem. Jam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua et decore domus tuæ quam dilexi (*Psal.* XXV, 8); sed adhuc tenaciter colligabar ex femina : nec me prohibebat Apostolus conjugari, quamvis exhortaretur ad melius, maxime volens omnes homines sic esse ut ipse erat (I *Cor.* VII). Sed ego infirmior eligebam molliorem locum : et propter hoc unum volvebar in cæteris languidus, et tabescens curis marcidis, quod [1] et in aliis rebus quas nolebam pati, congruere cogebar vitæ conjugali, cui deditus obstringebar. Audieram ex ore Veritatis, esse spadones qui seipsos absciderunt propter regnum cœlorum; sed, *Qui potest*, inquit, *capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12). Vani sunt certe omnes homines quibus non inest Dei scientia; nec de iis quæ videntur bona, potuerunt invenire eum qui est (*Sap.* XIII, 1). At ego jam non eram in illa vanitate : transcenderam eam; et contestante universa creatura tua, inveneram te creatorem nostrum, et Verbum tuum apud te Deum, tecumque cum Spiritu sancto [2] unum Deum, per quod creasti omnia. Est et aliud genus impiorum, qui cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. In hoc quoque inciderâm; et dextera tua suscepit me (*Psal.* XVII, 36), et inde ablatum posuisti ubi convalescerem, quia dixisti homini : *Ecce pietas est sapientia* (*Job* XXVIII, 28); et, *Noli velle videri sapiens* (*Prov.* III, 7), quoniam *dicentes se esse sapientes stulti facti sunt* (*Rom.* I, 21, 22). Et inveneram jam bonam margaritam; et venditis omnibus quæ haberem, emenda erat, et dubitabam (*Matth.* XIII, 46).

## CAPUT II.

*De Victorino rhetore ad fidem converso.*

3. Perrexi ergo ad Simplicianum, patrem in accipienda gratia tua tunc episcopi Ambrosii, et quem vere ut patrem diligebat. Narravi ei circuitus erroris mei. Ubi autem commemoravi legisse me quosdam libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset; gratulatus est mihi quod non in aliorum philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum et deceptionum secundum elementa hujus mundi (*Coloss.* II, 8) : in istis autem, omnibus modis insinuari Deum et ejus Verbum. Deinde, ut me exhortaretur ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam et revelatam parvulis (*Matth.* XI, 25), Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romæ cum esset, familiarissime noverat : deque illo mihi narravit quod non silebo. Habet enim magnam laudem gratiæ tuæ confitendam tibi, quemadmodum ille doctissimus senex, et omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quippe philosophorum tam multa legerat, et dijudicaverat, et dilucidaverat [1]; doctor tot nobilium senatorum, qui etiam ob insigne præclari magisterii, quod cives hujus mundi eximium putant, statuam in Romano foro meruerat et acceperat; usque ad illam ætatem venerator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps, quibus tunc tota fere Romana nobilitas inflata inspirabat populo jam et omnigenum deum monstra [2], et Anubem latratorem, quæ aliquando contra Neptunum et Venerem, contraque Minervam tela tenuerant (*Æneid.*, *lib.* 8, 678-700), et a se victis jam Roma supplicabat; quæ iste senex Victorinus tot annos ore terricrepo defensitaverat : non erubuerit esse puer Christi tui, et infans fontis tui, subjecto collo ad humilitatis jugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium.

4. O Domine, Domine, qui inclinasti cœlos, et descendisti; tetigisti montes, et fumigaverunt (*Psalm.* CXLIII, 5) : quibus modis te insinuasti illi pectori? Legebat, sicut ait Simplicianus, sanctam Scripturam, omnesque christianas litteras investigabat studiosissime et perscrutabatur; et dicebat Simpliciano non palam, sed secretius et familiarius : *Noveris me jam esse christianum.* Et respondebat ille : *Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in ecclesia Christi te videro.* Ille autem irridebat dicens : *Ergo parietes faciunt Christianos?* Et hoc sæpe dicebat, jam se esse christianum; et Simplicianus illud sæpe respondebat, et sæpe ab illo parietum irrisio repetebatur. Amicos enim suos reverebatur offendere superbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quasi ex cedris Libani quas nondum contriverat Dominus (*Psal.* XXVIII, 5), graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur. Sed posteaquam legendo et inhiando hausit firmitatem, timuitque negari a Christo coram Angelis sanctis, si eum timeret coram

[1] *Quo*, juxta Mart. cum tribus Mss. M.

[2] Omitti poterant isthæc verba, *cum Spiritu sancto*, quæ absunt a pluribus et potioribus manuscriptis.

[1] Mss. non addunt *et dilucidaverat.*

[2] Mirum quantum hic varient Codices. Ex vetustioribus et castigatioribus Fossat. Benign. Corb. etc. pro *populo jam*, habent, *spirabat popilios jam.* Alii quinque cum Bad. Am. Er. Somm. Blas., *spirabat populi usiam.* Victorinus, Germanensis, etc., *spirabat populique jam.* Nonnulli, *spirabat populi etiam.* Lov., *spirabat populusque etiam.* Hanc lectionem sequimur, licet minime nobis constet Germanam esse. Porro addidimus conjunctionem *et* ante *omnigenum*, quia in omnibus Mss. reperitur. — Addunt PP. Benedictini in retractatione suppletoria : « Mss. Angl. tres, *inflata inspirabat populo jam omnigenum*, etc. Hæc lectio cæteris suo loco exhibitis præstantior et amplectenda. » Ergo eam amplexi sumus et in textum retulimus, ex Benedictinorum consilio. M.

hominibus confiteri (*Matth.* x, 33), reusque sibi magni criminis apparuit erubescendo de sacramentis humilitatis Verbi tui, et non erubescendo de sacris sacrilegis superborum dæmoniorum, quæ imitator superbus acceperat ; depuduit vanitati, et erubuit veritati, subitoque et inopinatus ait Simpliciano, ut ipse narrabat : *Eamus in ecclesiam ; christianus volo fieri.* At ille non se capiens lætitia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per Baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia. Superbi videbant, et irascebantur; dentibus suis stridebant, et tabescebant (*Psal.* xci, 10) : servo autem tuo [1] Dominus Deus erat spes ejus, et non respiciebat in vanitates et in insanias mendaces (*Psal.* xxxix, 5).

5. Denique, ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentisque memoriter, de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino a presbyteris ut secretius redderet, sicut nonnullis qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat ; illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. Non enim erat salus quam docebat in rhetorica, et tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum pronuntians verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum? Itaque ubi ascendit ut redderet, omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, instrepuerunt nomen ejus strepitu gratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collætantium : Victorinus, Victorinus ! Cito sonuerunt exsultatione, quia videbant eum ; et cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronuntiavit ille fidem veracem præclara fiducia, et volebant eum omnes rapere intro in cor suum ; et rapiebant amando et gaudendo : hæ rapientium manus erant.

## CAPUT III.

*Quod Deus et Angeli magis gaudent in peccatorum conversione.*

6. Deus bone, quid agitur in homine, ut plus gaudeat de salute desperatæ animæ, et de majore periculo liberatæ, quam si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque, misericors Pater, plus gaudes de uno pœnitente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia. Et nos cum magna jucunditate audimus, cum audimus quam exsultantibus Angelis [2], pastoris humeris reportetur ovis quæ erraverat ; et drachma referatur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri quæ invenit : et lacrymas excutit gaudium solemnitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio tuo, *quoniam mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est* (*Luc.* xv). Gaudes quippe in nobis, et in Angelis tuis sancta charitate sanctis. Nam tu semper idem, qui ea quæ non semper nec eodem modo sunt, eodem modo semper nosti omnia.

7. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inventis aut redditis rebus quas diligit, quam si eas semper habuisset? Contestantur enim et cætera, et plena sunt omnia testimoniis clamantibus : Ita est. Triumphat victor imperator, et non vicisset, nisi pugnavisset ; et quanto majus periculum fuit in prælio, tanto est gaudium majus in triumpho. Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium ; omnes futura morte pallescunt : tranquillatur cœlum et mare, et exsultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, et vena ejus malum renuntiat ; omnes qui eum salvum cupiunt, ægrotant simul animo : fit ei recte, et nondum ambulat pristinis viribus ; et fit jam tale gaudium, quale non fuit cum antea salvus et fortis ambularet. Easque ipsas voluptates humanæ vitæ etiam non inopinatis et præter voluntatem irruentibus, sed institutis et voluntariis molestiis homines acquirunt. Edendi et bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi et sitiendi molestia. Et ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum exstinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est ut jam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.

8. Hoc in turpi et exsecranda lætitia ; hoc in ea quæ concessa et licita est ; hoc in ipsa sincerissima honestate amicitiæ : hoc in eo qui mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est. Ubique majus gaudium molestia majori præceditur. Quid est hoc, Domine Deus meus, cum tu æternum tibi tu ipse sis gaudium, et quædam de te circa te semper gaudeant? Quid est quod hæc rerum pars alternat defectu et profectu, offensionibus et conciliationibus? An is est modus earum, et tantum dedisti eis, cum a summis cœlorum usque ad ima terrarum, ab initio usque in finem sæculorum, ab angelo usque ad vermiculum, a motu primo usque ad extremum, omnia genera bonorum, et omnia justa opera tua, suis quæque sedibus locares, et suis quæque temporibus ageres? Heu mihi, quam excelsus es in excelsis, et quam profundus in profundis ! et nusquam recedis, et vix redimus ad te

## CAPUT IV.

*Quare plus lætandum sit in conversione nobilium.*

9. Age, Domine, fac ; excita, et revoca nos ; accende, et rape ; flagra, dulcesce : amemus, curramus. Nonne multi ex profundiore tartaro cæcitatis quam Victorinus redeunt ad te, et accedunt, et illuminantur recipientes lumen, quod si qui recipiunt, accipiunt a te potestatem ut filii tui fiant? (*Joan.* i, 9, 12.) Sed si minus noti sunt populis, minus de illis gaudent etiam qui noverunt eos. Quando enim cum multis gaudetur, et in singulis uberius est gaudium, quia fervefaciunt se, et inflammantur ex alterutro. Deinde, quod multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, et multis præeunt secuturis. Ideoque multum de illis et qui eos præcesserunt lætantur, quia non de solis lætantur. Absit enim ut in tabernaculo tuo præ pauperibus ac-

[1] *Suo*, juxta Rond. cum aliquot Mss. M.

[2] In pluribus Edd. : *Quam exsultantis pastoris.* In Mss. : *Quam exsultantibus pastoris ;* præter Valinensem qui habet : *Quam exsultantibus Angelis pastoris ;* et melius.

cipiantur personæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles : quando potius infirma mundi elegisti ut confunderes fortia ; et ignobilia hujus mundi elegisti et contemptibilia, et ea quæ non sunt, tanquam sint, ut ea quæ sunt evacuares (I *Cor.* I, 27, 28). Et tamen idem ipse minimus Apostolorum tuorum (*Id.*, XV, 9), per cujus linguam tua ista verba sonuisti, cum Paulus proconsul, per ejus militiam debellata superbia, sub lene jugum Christi tui missus esset, regis magni provincialis effectus (*Act.* XIII, 7, 12) ; ipse quoque ex priore Saulo Paulus vocari amavit, ob tam magnæ insigne victoriæ. Plus enim hostis vincitur in eo quem plus tenet, et de quo plures tenet. Plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Quanto igitur gratius cogitabatur [2] Victorini pectus, quod tanquam inexpugnabile receptaculum diabolus obtinuerat, et Victorini lingua, quo telo grandi et acuto multos peremerat ; tanto abundantius exsultare oportuit filios tuos, quia Rex noster alligavit fortem, et videbant vasa ejus erepta (*Matth.* XII, 29) mundari, et aptari in honorem tuum, et fieri utilia Domino ad omne opus bonum (II *Tim.* II, 21).

## CAPUT V.

*Quæ remorabantur eum a conversione.*

10. Sed ubi mihi homo tuus Simplicianus de Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum : ad hoc enim et ille narraverat. Posteaquam vero et illud addidit, quod imperatoris Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere litteraturam et oratoriam ; quam legem ille amplexus, loquacem scholam deserere maluit, quam verbum tuum, quo linguas infantium facis disertas (*Sap.* X, 21) : non mihi fortior quam felicior visus est, quia invenit occasionem vacandi tibi. Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido : et dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.

11. Sic intelligebam, meipso experimento [3], id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17). Ego quidem in utroque ; sed magis ego in eo quod in me approbabam, quam in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego ; quia ex magna parte id patiebar invitus, quam faciebam volens [1]. Sed tamen consuetudo adversus me pugnacior ex me facta erat, quoniam volens, quo nollem, perveneram. Et quis jure contradiceret, cum peccantem justa pœna sequeretur ? Et non erat jam illa excusatio [2], qua videri mihi solebam propterea nondum me contempto sæculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis : jam enim et ipsa certa erat. Ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recusabam ; et impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est.

12. Ita sarcina sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar ; et cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Et sicut nemo est qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat ; differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est ; eumque jam displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit : ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere ; sed illud placebat et vincebat [3] ; hoc libebat et vinciebat. Non enim erat quod tibi responderem dicenti mihi, *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis ; et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14) : et undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta et somnolenta : Modo, ecce modo ; sine paululum. Sed, Modo, et modo, non habebant modum ; et Sine paululum, in longum ibat. Frustra condelectabar legi tuæ secundum interiorem hominem, cum lex alia in membris meis repugnaret legi mentis meæ, et captivum me duceret in legem peccati, quæ in membris meis erat. Lex enim peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur et tenetur etiam invitus animus, eo merito quo in eam volens illabitur. Miserum ergo me quis liberaret de corpore mortis hujus, nisi gratia tua per Jesum Christum Dominum nostrum ? (*Rom.* VII, 22-25.)

## CAPUT VI.

*Pontitianus narrat Antonii vitam.*

13. Et de vinculo quidem desiderii concubitus quo arctissimo tenebar, et sæcularium negotiorum servitute, quemadmodum me exemeris narrabo, et confitebor nomini tuo, Domine, adjutor meus et redemptor meus. Agebam solita, crescente anxietudine, et quotidie suspirabam tibi ; frequentabam ecclesiam tuam, quantum vacabat ab eis negotiis sub quorum pondere gemebam [4]. Mecum erat Alypius otiosus ab opere jurisperitorum post assessionem tertiam, exspectans quibus iterum consilia venderet, sicut ego vendebam dicendi facultatem, si qua docendo præstari potest. Nebridius autem amicitiæ nostræ cesserat, ut omnium

[1] *Magnum*, juxta Lov. M.

[2] Mss. octo habent, *cogebatur* ; non inepte, ad significandam vim diabolo illatam. Sequimur vulgatorum lectionem in Mss. etiam bene multis repertam, et vero potest habere eumdem sensum.

[3] In B. : *In me ipso*. Lugd. Ven. et Lov., *meo ipso*. Er. Somm. Arn. Mart et Flor. cum pluribus Mss., *meipso experimento*. M.

[1] Lov. : *Quod faciebam volens*. Sed legendum *quam*, uti habent alii codices ; et supplendum *magis*, quam particulam reticere amat Augustinus.

[2] Bad. Am. Er. Lov., *ulla excusatio*.

[3] In Mss. quatuor, *et non vincebat*. Sed verior aliorum codicum lectio sine negatione. Id nempe *vincebat*, quod saniore judicio mentis præterebatur, tametsi infirmioris adhuc voluntatis affectu non eligeretur. Unde mox ait : *Non erat omnino quod responderem veritate convictus*.

[4] Lov., *degebam*

nostrum familiarissimo Verecundo, Mediolanensi civi et grammatico subdoceret, vehementer desideranti et familiaritatis jure flagitanti de numero nostro fidele adjutorium, quo indigebat nimis. Non itaque Nebridium cupiditas commodorum eo traxit : majora enim posset si vellet de litteris agere ; sed officio benevolentiæ petitionem nostram contemnere noluit amicus dulcissimus et mitissimus. Agebat autem illud prudentissime, cavens innotescere personis secundum hoc sæculum majoribus, devitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberum et quam multis posset horis feriatum, ad quærendum aliquid, vel legendum vel audiendum de sapientia.

14. Quodam igitur die, non recolo causam qua erat absens Nebridius, cum ecce ad nos domum venit ad me et Alypium Pontitianus [1] quidam civis noster in quantum Afer, præclare in palatio militans : nescio quid a nobis volebat. Et consedimus ut colloqueremur; et forte supra mensam lusoriam quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, invenit apostolum Paulum, inopinate sane : putaverat enim aliquid de libris quorum professio me conterebat. Tum vero arridens, meque intuens, gratulatorie miratus est quod eas et solas præ oculis meis litteras repente comperisset. Christianus quippe et fidelis erat, et sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in ecclesia crebris et diuturnis orationibus. Cui ego cum indicassem illis me Scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo, ipso narrante, de Antonio Ægyptio monacho, cujus nomen excellenter clarebat apud servos tuos ; nos autem usque in illam horam latebat. Quod ille ubi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, et admirans eamdem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, et prope nostris temporibus testatissima mirabilia tua in fide recta et catholica Ecclesia. Omnes mirabamur, et nos quia tam magna erant, et ille quia inaudita nobis erant.

15. Inde sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, et mores suaveolentiæ tuæ, et ubera deserta eremi quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra urbis mœnia, sub Ambrosio nutritore ; et non noveramus. Pertendebat ille et loquebatur adhuc, et nos intenti tacebamus. Unde incidit ut diceret nescio quando se et tres alios contubernales suos, nimirum apud Treveros, cum imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos ; atque illic ut forte combinati spatiabantur, unum secum seorsum, et alios duos itidem seorsum pariterque digressos : sed illos vagabundos irruisse in quamdam casam, ubi habitabant quidam servi tui, spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum ( *Matth.* v, 3 ), et invenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonii. Quam legere cœpit unus eorum, et mirari, et accendi, et inter legendum meditari arripere talem vitam, et relicta militia sæculari servire tibi : erant [1] autem ex eis quos dicunt agentes in rebus. Tunc subito repletus amore sancto et sobrio pudore, iratus sibi conjecit oculos in amicum, et ait illi : *Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire ? quid quærimus ? cujus rei causa militamus ? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus ? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis ? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? Et quando* [2] *istuc erit ? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* Dixit hoc, et turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis ; et legebat, et mutabatur intus ubi tu videbas, et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando et discrevit, decrevitque meliora ; jamque tuus, ait amico suo : *Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui ; et hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari.* Respondit ille, adhærere se socium [3] tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui, ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia sua et sequendi te (*Luc.* XIV, 26-35). Tum Pontitianus et qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærentes eos devenerunt in eumdem locum, et invenientes admonuerunt ut redirent, quod declinasset dies. At illi narrato placito et proposito suo, quoque modo in eis talis voluntas orta esset atque firmata, petiverunt ne sibi molesti essent si adjungi recusarent. Isti autem nihilo mutati a pristinis, fleverunt se tamen, ut dicebat [4], atque illis pie congratulati sunt, et commendaverunt se orationibus eorum, et trahentes cor in terra abierunt in palatium ; illi autem affigentes cor cœlo manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas : quæ posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem tibi.

## CAPUT VII.

*Rodebatur intus audito Pontitiano.*

16. Narrabat hæc Pontitianus : tu autem, Domine, inter verba ejus retorquebas me ad meipsum, auferens me a dorso meo ubi me posueram, dum nollem me attendere ; et constituebas me ante faciem meam, ut viderem quam turpis essem, quam distortus et sordidus, maculosus et ulcerosus. Et videbam, et horrebam ; et quo a me fugerem non erat. Et si conabar a me avertere aspectum, narrabat ille quod narrabat, et tu me rursus opponebas mihi, et impingebas me in oculos meos ut invenirem iniquitatem meam et odissem. Noveram eam, sed dissimulabam ; et connivebam [5], et obliviscebar.

17. Tunc vero, quanto ardentius amabam illos de

[6] Sic in Mss. At in codicibus editis scribitur *Potitianus*.

[1] Am. Er. Lov., *erat*.

[2] In plerisque Edd., *et quamdiu*. At in melioribus Mss. et Arn., *et quando*. Malumus ut antithesis servetur, quia in sequenti membro dicitur, *ecce nunc fio*.— Er. Lugd. Ven. Lov. Mart. Flor et Rond., *istud*, non *istuc*. M.

[3] Sic Mss. At Lov., *socio*.

[4] *Decebat*, juxta Somm. et duo Mss. Germanenses. M.

[5] Lov. in quatuor suis Mss. legebant *convivebam* : nos in nostris reperimus *conhibebam*. Nempe suam iniquitatem secum habebat, convivebat, et tamen obliviscebatur. — *Cohibebam*, juxta editionem Florentinam. M.

quibus audiebam salubres affectus, quod se totos tibi sanandos dederant, tanto exsecrabilius me comparatum eis oderam. Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, forte duodecim anni ex quo ab undevigesimo anno ætatis meæ, lecto Ciceronis Hortensio, excitatus eram studio sapientiæ; et differebam contempta felicitate terrena ad eam investigandam vacare, cujus non inventio, sed vel sola inquisitio jam præponenda erat etiam inventis thesauris regnisque gentium, et ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus. At ego adolescens miser, valde miser, in exordio ipsius adolescentiæ etiam petieram a te castitatem, et dixeram : Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, et cito sanares a morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri quam exstingui. Et ieram per vias pravas superstitione sacrilega, non quidem certus in ea, sed quasi præponens eam cæteris [1], quæ non pie quærebam, sed inimice oppugnabam.

18. Et putaveram me propterea differre de die in diem contempta spe sæculi, te solum sequi, quia non mihi apparebat certum aliquid quo dirigerem cursum meum. Et venerat dies quo nudarer mihi, et increparet in me conscientia mea : Ubi est [2] lingua? Nempe tu dicebas propter incertum verum nolle te abjicere sarcinam vanitatis. Ecce jam certum est, et illa te adhuc premit, humerisque liberioribus pennas recipiunt, qui neque ita inquirendo attriti sunt, nec decennio et amplius ista meditati. Ita rodebar intus, et confundebar pudore horribili vehementer, cum Pontitianus talia loqueretur. Terminato autem sermone et causa qua venerat, abiit ille. Et ego ad me, quæ non in me dixi? Quibus sententiarum verberibus non flagellavi animam meam, ut sequeretur me conantem post te ire? Et renitebatur [3]; recusabat, et non se excusabat. Consumpta erant et convicta argumenta omnia : remanserat muta trepidatio; et quasi mortem reformidabat restringi a fluxu consuetudinis quo tabescebat in mortem.

## CAPUT VIII.

*In hortum secedit, quid ibi egerit.*

19. Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea in cubiculo nostro corde meo, tam vultu quam mente turbatus, invado Alypium, et exclamo : Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti et cœlum rapiunt; et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine? An quia præcesserunt, pudet sequi, et non pudet nec saltem sequi? Dixi nescio quæ talia, et abripuit me ab illo æstus meus, cum taceret attonitus intuens me. Neque enim solita sonabam, plusque loquebantur animum meum frons, genæ, oculi, color, modus vocis, quam verba quæ promebam. Hortulus quidam erat hospitii nostri, quo nos utebamur sicut tota domo : nam hospes ibi non habitabat dominus domus. Illuc me abstulerat tumultus pectoris, ubi nemo impediret ardentem litem quam mecum aggressus eram, donec exiret qua tu sciebas; ego autem non [1] : sed tantum insaniebam [2] salubriter, et moriebar vitaliter, gnarus quid mali essem, et ignarus quid boni post paululum futurus essem. Abscessi ergo in hortum, et Alypius pede post pedem [3]. Neque enim secretum meum non erat, ubi ille aderat : aut quando me sic affectum desereret? Sedimus, quantum potuimus remoti ab ædibus. Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum et pactum tecum, Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, et in cœlum tollebant laudibus : et non illuc ibatur navibus aut quadrigis, aut pedibus, quantum saltem de domo in eum locum ieram, ubi sedebamus. Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil erat aliud quam velle ire, sed velle fortiter et integre; non semisauciam hac atque hac versare et jactare voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente luctantem [4].

20. Denique tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus, quæ aliquando volunt homines, et non valent, si aut ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint. Si vulsi capillum, si percussi frontem, si consertis digitis amplexatus sum genu; quia volui, feci. Potui autem velle et non facere, si mobilitas membrorum non obsequeretur. Tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle quod posse : et non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat, et mox ut vellem, possem; quia mox ut vellem, utique vellem. Ibi enim facultas ea quæ voluntas, et ipsum velle jam facere erat; et tamen non fiebat : faciliusque obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, ut ad nutum mentis membra moverentur, quam ipsa sibi anima ad voluntatem suam [5] magnam in sola voluntate perficiendam.

## CAPUT IX.

*Unde fit ut animus imperet sibi et resistatur.*

21. Unde hoc monstrum? et quare istud? Luceat misericordia tua; et interrogem, si forte mihi respondere possint latebræ pœnarum hominum, et tenebrosissimæ contritiones filiorum Adam. Unde hoc monstrum? et quare istud? Imperat animus corpori, et paretur statim; imperat animus sibi et resistitur. Imperat animus ut moveatur manus, et tanta est facilitas ut vix a servitio discernatur imperium : et animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum? et quare istud? Imperat, in-

[1] Er. cum uno Mss., *certis*.
[2] *Es*, juxta Er. Lugd. Lov. Mart. M.
[3] Mss. Angl., *retinebatur*; alii, *renitebatur*.

[1] *Non sciebam*, juxta Er. Lugd. Ven. M.
[2] In B. *insanibam*. Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Flor. et Rond., *insaniebam*. M.
[3] Sic legendum juxta Mss. [Editi vero *Pedem post pedem*].
[4] Vetus Cd. Corb.: *Parte assurgentem; cum alia parte alibi jacente cadentem, luctantem*. Angl. duo, *parte assurgentem cum alia*. — *Partem assurgentem*, juxta Er. Lugd. Ven. Editio Florentina legit ut Cd. Corb.; duo Mss. Flor. ut Angl. duo. M.
[5] Lov. Somm. Blas. *ad voluptatem suam* : corrupte, nam de perficienda voluntate loquitur Augustinus. Et vero in Mss., nullo fere excepto, in antiquioribus editionibus et Arn. habetur, *ad voluntatem suam*.

quam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, et non fit quod imperat. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult, et in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult. Quoniam voluntas imperat ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plena imperat, ideo non est quod imperat. Nam si plena esset, nec imperaret ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum partim velle, partim nolle; sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, et hoc adest alteri quod deest alteri.

## CAPUT X.

*Adversus Manichæos qui ex duabus contrariis voluntatibus duas contrarias naturas asseverant.*

22. Pereant a facie tua, Deus, sicuti pereunt vaniloqui et mentis seductores, qui cum duas voluntates in deliberando animadverterint, duas naturas duarum mentium esse asseverant, unam bonam, alteram malam. Ipsi vere mali sunt, cum ista mala sentiunt, et iidem ipsi boni erunt si vera senserint, verisque consenserint, ut dicat eis Apostolus tuus: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Isti enim dum volunt esse lux, non in Domino, sed in seipsis, putando animæ naturam hoc esse quod Deus est, ita facti sunt densiores tenebræ; quoniam longius a te recesserunt horrenda arrogantia, a te vero lumine illuminante omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9). Attendite quid dicatis, et erubescite, et accedite ad eum et illuminamini, et vultus vestri non erubescent (*Psal.* xxxiii, 6). Ego cum deliberabam ut jam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram, ego erám qui volebam, ego qui nolebam; ego, ego eram. Nec plene volebam, nec plene nolebam. Ideo mecum contendebam, et dissipabar a meipso. Et ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo non jam ego operabar illam, sed quod habitabat in me peccatum (*Rom.* vii, 14) de supplicio liberioris peccati, quia eram filius Adam.

23. Nam si tot sunt contrariæ naturæ, quot voluntates sibi resistunt; non jam duæ, sed plures erunt. Si deliberet quisquam utrum ad conventiculum eorum pergat, an ad theatrum; clamant isti: Ecce duæ naturæ; una bona hac ducit, altera mala illac reducit. Nam unde ista cunctatio sibimet adversantium voluntatum? Ego autem dico ambas malas, et quæ ad illos ducit, et quæ ad theatrum reducit. Sed non credunt nisi bonam esse qua itur ad eos. Quid si ergo quisquam nostrum deliberet, et secum altercantibus duabus voluntatibus fluctuet, utrum ad theatrum pergat, an ad ecclesiam nostram? nonne et isti quid respondeant fluctuabunt? Aut enim fatebuntur, quod nolunt, bona voluntate pergi in ecclesiam nostram, sicut in eam pergunt qui sacramentis ejus imbuti sunt atque detinentur: aut duas malas naturas, et duas malas mentes in uno homine confligere putabunt; et non erit verum quod solent dicere, unam bonam et alteram malam: aut convertentur ad verum, et non negabunt, cum quisque deliberat, animam unam diversis voluntatibus æstuare.

24. Jam ergo non dicant, cum duas voluntates in homine uno adversari sibi sentiunt, duas contrarias mentes de duabus contrariis substantiis et de duobus contrariis principiis contendere, unam bonam, alteram malam. Nam tu, Deus verax, improbas eos, et redarguis atque convincis eos, sicut in utraque mala voluntate, cum quisque deliberat utrum hominem veneno interimat an ferro; utrum fundum alienum illum, an illum invadat, quando utrumque non potest; utrum emat voluptatem luxuria, an pecuniam servet avaritia; utrum ad circum pergat, an ad theatrum, si uno die utrumque exhibeatur; addo etiam tertium, an ad furtum de domo aliena, si subest occasio; addo et quartum, an ad committendum adulterium, si et inde simul facultas aperitur, si omnia concurrant in unum articulum temporis, pariterque cupiantur omnia quæ simul agi nequeunt: discerpunt enim animum sibimet adversantibus quatuor voluntatibus, vel etiam pluribus in tanta copia rerum quæ appetuntur, nec tamen tantam multitudinem diversarum substantiarum solent dicere: ita et in bonis voluntatibus. Nam quæro ab eis utrum bonum sit delectari lectione Apostoli, et utrum bonum sit delectari psalmo sobrio, et utrum bonum sit Evangelium disserere. Respondebunt ad singula: Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia simulque uno tempore? Nonne diversæ voluntates distendunt cor hominis, cum deliberatur quid potissimum arripiamus? Et omnes bonæ sunt, et certant secum, donec eligatur unum, quo feratur tota voluntas una, quæ in plures dividebatur. Ita etiam cum æternitas delectat superius, et temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima est non tota voluntate illud aut hoc volens; et ideo discerpitur gravi molestia, dum illud veritate præponit, hoc familiaritate non ponit[1].

## CAPUT XI.

*Lucta spiritus et carnis in Augustino.*

25. Sic ægrotabam et excruciabar accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens et versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis, Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris et pudoris, ne rursus cessarem, et non abrumperetur idipsum exiguum et tenue quod remanserat; et revalesceret iterum, et me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam pene faciebam, et non faciebam: nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam, et respirabam. Et item conabar, et paulo minus ibi eram, et paulo minus jamjamque attingebam et tenebam; et non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, et vitæ vivere; plusque in me valebat deterius inolitum, quam melius insolitum: punctumque ipsum temporis quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto

[1] Mss. Corb. et aliquot alii, *non punit*.

ampliorem incutiebat horrorem; sed non recutiebat retro, nec avertebat, sed suspendebat.

26. Retinebant nugæ nugarum, et vanitates vanitatum [1] antiquæ amicæ meæ, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant : Dimittisne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum? et a momento isto non tibi licebit hoc et illud ultra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi, Hoc et illud? quæ suggerebant, Deus meus? Avertat ab anima servi tui misericordia tua! Quas sordes suggerebant! quæ dedecora! Et audiebam eas jam longe minus quam dimidius, non tanquam libere contradicentes eundo in obviam, sed veluti a dorso mussitantes, et discedentem quasi furtim vellicantes, ut respicerem. Retardabant tamen cunctantem me abripere atque excutere ab eis et transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta : Putasne sine istis poteris?

27. Sed jam tepidissime hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena et non dissolute hilaris, honeste blandiens ut venirem neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ; ibi juventus multa et omnis ætas, et graves viduæ, et virgines anus : et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis; sed fecunda mater filiorum gaudiorum de marito te, Domine. Et irridebat me irrisione hortatoria, quasi diceret : Tu non poteris quod isti, quod istæ [2]? An vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non [3] in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Projice te in eum; noli metuere, non se subtrahet ut cadas : projice te securus, excipiet et sanabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret : Obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui (*Psal.* CXVIII, 85). Ista controversia in corde meo, nonnisi de meipso adversus meipsum. At Alypius affixus lateri meo inusitati motus mei exitum tacitus opperiebatur.

## CAPUT XII.

*Vocis admonitu quomodo totus conversus.*

28. Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit et congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alypio : solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur; et secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Sic tunc eram, et ille sensit : nescio quid [4] enim, puto, dixeram, in quo apparebat sonus vocis meæ jam fletu gravidus, et sic surrexeram. Mansit ergo ille ubi sedebamus, nimie stupens. Ego sub quadam fici arbore stravi me nescio quomodo, et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi : Et tu, Domine, usquequo? (*Psal.* VI, 4.) Usquequo, Domine, irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum (*Psal.* LXXVIII, 5, 8). Sentiebam enim eis me teneri : jactabam voces miserabiles. Quamdiu? quamdiu, cras et cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?

29. Dicebam hæc, et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis et crebro repetentis, quasi pueri an puellæ, nescio : *Tolle, lege; tolle, lege.* Statimque mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid; nec occurrebat omnino audivisse me uspiam. Repressoque impetu lacrymarum, surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi ut aperirem codicem, et legerem quod primum caput invenissem. Audieram enim de Antonio quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur quod legebatur : *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21); et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum ubi sedebat Alypius : ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 13, 14). Nec ultra volui legere; nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.

30. Tum interjecto aut digito aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alypio. At ille quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit. Petit videre quid legissem : ostendi; et attendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero : *Infirmum autem in fide recipite* [1] (*Id.*, XIV, 1). Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius jam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem ingredimur, indicamus; gaudet. Narramus quemadmodum gestum sit; exsultat et triumphat; et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intelligimus facere (*Ephes.* III, 20), quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. Convertisti enim me ad te, ut nec uxo-

[1] In B., *vanitantium*. Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Dub. Mart. Flor. et Rond., *vanitatum*. M.

[2] *Quod isti et istæ*, juxta Er. Lugd. Somm. Lov. Rond. M.

[3] *An non*, juxta Mart. cum 4 Mss. M.

[4] Lov.: *Et ille sensit nescio quid. Aliquid enim.* — Sic etiam Er. Lugd. Ven. Somm. et Rond. M.

[1] Lov., *assumite*; alii Cdd., *recipite*.

rem quærerem, nec aliquam spem seculi hujus, stans in ea regula fidei in qua me ante tot annos ei revelaveras. Et convertisti luctum ejus in gaudium (*Psal.* XXIX, 12) multo uberius quam voluerat; et multo charius atque castius, quam de nepotibus carnis meæ requirebat.

# *LIBER NONUS.*

Dicit de capto a se consilio rhetoricæ professionem abjiciendi, non tamen antequam vindemialium feriarum, quod proxime instabat, tempus advenisset. Tum de suo in Verecundi amici villam secessu, de suo Baptismate, ac de Monnicæ matris virtutibus atque obitu, qui, baptizato ipso, incidit in eumdem huncce annum, ætatis videlicet Augustini trigesimum tertium.

## CAPUT PRIMUM.

*Laudat Dei bonitatem, agnoscens suam miseriam.*

1. O Domine, ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo sacrificium laudis (*Psal.* CXV, 16, 17). Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia ossa mea dicant: *Domine, quis similis tibi?* Dicant, et responde mihi, et *dic animæ meæ*, *Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 10, 3). Quis ego, et qualis ego? Quid non mali aut facta mea [1]; aut, si non facta, dicta mea; aut, si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem, Domine, bonus et misericors, et dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, et a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebam, et velle quod volebas [2]. Sed ubi erat tam annoso tempore, et de quo imo altoque secreto evocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem cervicem leni jugo tuo, et humeros levi sarcinæ tuæ (*Matth.* XI, 30), Christe Jesu, adjutor meus et redemptor meus? Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum! et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas: ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni et sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Jam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi et acquirendi, et volutandi atque scalpendi scabiem libidinum; et garriebam tibi claritati meæ, et divitiis meis, et saluti meæ Domino Deo meo.

## CAPUT II.

*Deserere rhetorices professionem differt usque ad vindemiales ferias.*

2. Et placuit mihi in conspectu tuo non tumultuose abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis [3]; ne ulterius pueri meditantes non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces, et bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportune jam paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias, et statui tolerare illos ut solemniter abscederem, et redemptus a te jam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te; coram hominibus autem, nisi nostris, non erat. Et convenerat inter nos ne passim cuiquam effunderetur; quanquam tu nobis a convalle plorationis ascendentibus (*Psal.* LXXXIII, 6, 7), et cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, et carbones vastatores adversus linguam subdolam (*Psal.* CXIX, 3-5), velut consulendo contradicentem, et, sicut cibum assolet, amando consumentem.

3. Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, et gestabamus verba tua transfixa visceribus; et exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, et de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant et absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus [1]; et ascendebant nos valide, ut omnis ex lingua subdola contradictionis flatus inflammare nos acrius posset, non exstinguere. Verumtamen quia propter nomen tuum, quod sanctificasti per terras, etiam laudatores utique haberet votum et propositum nostrum, jactantiæ simile videbatur non opperiri tam proximum feriarum tempus, sed de publica professione atque ante oculos omnium sita ante discedere [2], ut conversa in factum meum ora cunctorum intuentium, quam vicinum vindemialium diem prævenire voluerim, multa dicerent [3], quod quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, ut putaretur et disputaretur de animo meo, et blasphemaretur bonum nostrum?

4. Quin etiam, quod ipsa æstate litterario labori nimio pulmo meus cedere cœperat, et difficulter trahere suspiria, doloribusque pectoris testari se saucium, vocemque clariorem productioremve recusare, primo perturbaverat me, quia magisterii illius sarcinam pene jam necessitate deponere cogebat, aut si curari et convalescere potuissem, certe intermittere. Sed ubi plena voluntas vacandi, et videndi quoniam tu es Dominus, oborta mihi est atque firmata; nosti, Deus meus, etiam gaudere cœpi, quod hæc quoque suberat non mendax excusatio, quæ offensionem hominum temperaret, qui propter liberos suos me liberum esse nunquam volebant. Plenus igitur tali gaudio tolerabam illud intervallum temporis, donec decurreret: nescio utrum vel viginti dies erant, sed tamen fortiter tolerabantur; quia recesserat cupiditas quæ mecum solebat ferre grave negotium, et ego premendus remanseram, nisi patientia succederet. Pec-

[1] Sic Mss. et Arn.; at Lov.: *Quid non mali ego? An facta mea.* In aliis etiam Edd. habetur *ego*, sed *an* mutatur in *aut*.

[2] Editiones pleræque: *Et hoc erat totum nolle quod volebas, et velle quod volebas.* Sequi malumus cum Arn. lectionem Mss.

[3] In Codice Benig. *mundanis loquacitatibus*.

[1] Mss. duo habent: *Ne in ima mergeremur*.

[2] *Discederem*, juxta 6 Mss. quorum duo Germ. Mart., *si ita discederem*. Unus Germ. fert etiam voculas *si ita*. M.

[3] *Multi dicerent*, juxta Mart. ex 4 Mss. M.

casse me in hoc quisquam servorum tuorum fratrum meorum dixerit, quod jam pleno corde militia tua, passus me fuerim vel una hora sedere in cathedra mendacii. At ego non contendo. Sed tu, Domine misericordissime, nonne et hoc peccatum cum cæteris horrendis et funereis, in aqua sancta ignovisti et remisisti mihi?

## CAPUT III.

*Verecundus concedit illi rus suum.*

5. Macerabatur anxietudine Verecundus de isto nostro bono, quod propter vincula sua, quibus tenacissime tenebatur, deseri se nostro consortio videbat. Nondum christianus, conjuge fideli, ea ipsa tamen arctiore præ cæteris compede, ab itinere quod aggressi eramus, retardabatur: nec christianum esse alio modo se velle dicebat, quam illo quo non poterat. Benigne sane obtulit, ut quamdiu ibi essemus, in rure ejus essemus [1]. Retribues illi [2], Domine, in resurrectione justorum, quia jam ipsam sortem retribuisti ei. Quamvis enim absentibus nobis cum Romæ jam essemus, corporali ægritudine correptus, et in ea christianus et fidelis factus, ex hac vita emigravit: ita misertus es non solum ejus, sed etiam nostri, ne cogitantes egregiam erga nos amici humanitatem, nec eum in grege tuo numerantes, dolore intolerabili cruciaremur. Gratias tibi, Deus noster, tui sumus; indicant hortationes et consolationes tuæ: fidelis promissor, reddes Verecundo, pro rure illo ejus Cassiciaco, ubi ab æstu sæculi requievimus in te, amœnitatem sempiterne virentis paradisi tui, quoniam dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi (*Psal.* LXVII, 16).

6. Angebatur ergo tunc ipse; Nebridius autem collætabatur. Quamvis enim et ipse nondum christianus in illam foveam perniciosissimi erroris inciderat, ut Veritatis Filii tui carnem phantasma crederet; tamen inde emergens, sic sibi erat, nondum ullis Ecclesiæ tuæ sacramentis imbutus, sed inquisitor ardentissimus veritatis. Quem non multo post conversionem nostram et regenerationem per Baptismum tuum, ipsum etiam fidelem catholicum castitate perfecta atque continentia tibi servientem in Africa apud suos, cum tota domus ejus per eum christiana facta esset, carne solvisti; et nunc ille vivit in sinu Abraham. Quidquid illud est quod illo significatur sinu (*a*), ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adoptivus ex liberto filius; ibi vivit. Nam quis alius tali animæ locus! Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum; et bibit, quantum potest, sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix. Nec sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille [1], nostri sis memor. Sic ergo eramus Verecundum consolantes tristem, salva amicitia, de tali conversione nostra [2], et exhortantes ad fidem gradus sui, vitæ scilicet conjugalis; Nebridium autem opperientes quando sequeretur, quod de tam proximo poterat, et erat jam jamque facturus: cum ecce evoluti sunt dies illi tandem; nam longi et multi videbantur præ amore libertatis otiosæ, ad cantandum de medullis omnibus, *Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI, 8).

## CAPUT IV.

*Libri apud Cassiciacum scripti. Epistolæ ad Nebridium. De ablato repente dolore Dentium acerrimo, dum psalmos pie evolvit.*

7. Et venit dies in quo etiam actu solverer a professione rhetorica, unde jam cogitatu solutus eram. Et factum est, et eruisti linguam meam, unde jam erueras cor meum; et benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in litteris, jam quidem servientibus tibi, sed adhuc superbiæ scholam, tanquam in pausatione anhelantibus [3], testantur libri disputati cum præsentibus, et cum ipso me solo coram te: quæ autem cum absente Nebridio, testantur epistolæ. Et quando mihi sufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præsertim ad alia majora properanti? Revocat enim me recordatio mea, et dulce mihi fit, Domine, confiteri tibi quibus internis me stimulis perdomueris, et quemadmodum me complanaveris, humiliatis montibus et collibus cogitationum mearum, et tortuosa mea direxeris, et aspera lenieris; quoque modo ipsum etiam Alypium fratrem cordis mei subegeris nomini unigeniti tui Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod primo dedignabatur inseri litteris nostris. Magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas jam contrivit Dominus, quam salubres herbas ecclesiasticas adversas serpentibus.

8. Quas tibi, Deus meus, voces dedi, cum legerem Psalmos David, cantica fidelia, et sonos pietatis excludentes turgidum spiritum; rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa cum catechumeno Alypio feriatus, matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, christiana pietate? Quas tibi voces dabam in psalmis illis, et quomodo in te inflammabar ex eis, et accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum, adversus typhum generis humani? Et tamen toto orbe cantantur, et non est qui se abscondat a calore tuo. Quam vehementi et acri dolore indignabar Manichæis; et misera-

[1] Mss., nullo fere excepto, habent: *In re ejus essemus.*
[2] *Retribue illi*, juxta Mart. ex 4 Mss. M.
(*a*) Quid sinu Abrahæ significari crediderit Augustinus, aperuit ipse postea in lib. 4 de Anima et ejus Origine c. 16, n. 24: « Sinum Abrahæ intellige remotam sedem quietis atque se« cretam, ubi est Abraham; et ideo Abrahæ dictum non quod « ipsius tantum sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit « positus, quibus est ad imitandum fidei principatu propo« situs. »

[1] In duobus Mss., *a quo potatur ille.*
[2] Lov. cum antiquioribus Edd., *conversatione nostra.*
[3] Somm.: *Sed adhuc in superbiæ scholam, tanquam in pausationem anhelantibus.* Arn. et Mss. nostram præferunt lectionem. Nempe ad illud Augustinus alludit quod accidit fugientibus, qui cum primum pausant, aliquandiu anhelant. Libri porro quos hic dicit in villa scriptos, ii sunt qui recensentur in libro 1 Retract., cap. 1-4.

bar eos rursus, quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent, et insani essent adversus antidotum quo sani esse potuissent! Vellem ut alicubi juxta essent tunc [1], et me nesciente quod ibi essent, intuerentur faciem meam, et audirent voces meas, quando legi quartum psalmum, in illo tunc otio, quid de me fecerit ille psalmus. *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei, Domine, et exaudi orationem meam.* Audirent, ignorante me utrum audirent, ne me propter se illa dicere putarent, quæ inter hæc verba dixerim. Quia et revera nec ea dicerem, nec sic ea dicerem, si me ab eis audiri viderique sentirem: nec, si dicerem, sic acciperent quomodo mecum et mihi coram te de familiari affectu animi mei.

9. Inhorrui timendo, ibidemque inferbui sperando et exsultando in tua misericordia, Pater. Et hæc omnia exibant per oculos meos et vocem meam, cum conversus ad nos spiritus tuus bonus ait nobis: *Filii hominum, quousque graves corde? Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Dilexeram enim vanitatem, et quæsieram mendacium. Et tu, Domine, jam magnificaveras Sanctum tuum, suscitans eum a mortuis, et collocans ad dexteram tuam (*Marc.* XVI, 19), unde mitteret ex alto promissionem suam, Paracletum Spiritum veritatis (*Joan.* XIV, 16, 17): et miserat eum jam (*Act.* II, 1-4), sed ego nesciebam. Miserat eum, quia jam magnificatus erat, resurgens a mortuis, et ascendens in cœlum. Ante autem Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus (*Joan.* VII, 39). Et clamabat prophetia [2]: *Quousque graves corde? Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? et scitote quoniam Dominus magnificavit Sanctum suum.* Clamat, *quousque;* clamat, *scitote:* et ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, et mendacium quæsivi; et ideo audivi et contremui, quoniam talibus dicitur qualem me fuisse reminiscebar. In phantasmatibus [3] enim quæ pro veritate tenueram, vanitas erat et mendacium. Et insonui multa graviter et fortiter in dolore recordationis meæ. Quæ utinam audissent qui adhuc usque diligunt vanitatem, et quærunt mendacium. Forte conturbarentur, et evomuissent illud; et exaudires eos, cum clamarent ad te: quoniam vera morte carnis mortuus est pro nobis, qui te interpellat pro nobis.

10. Legebam: *Irascimini, et nolite peccare.* Et quomodo movebar, Deus meus, qui jam didiceram irasci mihi de præteritis, ut de cætero non peccarem? Et merito irasci, quia non alia natura gentis tenebrarum de me peccabat, sicut dicunt qui sibi non irascuntur, et thesaurizant sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii tui (*Rom.* II, 5). Nec jam bona mea foris erant, nec oculis carneis in isto sole quærebantur. Volentes enim gaudere forinsecus, facile evanescunt; et effunduntur in ea quæ videntur et temporalia sunt, et imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Et o si fatigentur inedia, et dicant: *Quis ostendet nobis bona?* Et dicamus, et audiant: *Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine.* Non enim lumen nos sumus quod illuminat omnem hominem (*Joan.* I, 9); sed illuminamur a te, ut qui fuimus aliquando tenebræ, simus lux in te (*Ephes.* V, 8). O si viderent internum æternum [1], quod ego quia gustaveram, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere, si afferrent ad me cor in oculis suis foris a te, et dicerent: *Quis ostendet nobis bona?* Ibi enim, ubi [2] mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sacrificaveram mactans vetustatem meam, et inchoata meditatione renovationis meæ sperans in te; ibi mihi dulcescere cœperas, et dederas lætitiam in corde meo. Et exclamabam legens hæc foris, et agnoscens intus; nec volebam multiplicari terrenis bonis, devorans tempora, et devoratus temporibus [3], cum haberem in æterna simplicitate aliud frumentum, et vinum, et oleum.

11. Et clamabam in consequenti versu clamore alto cordis mei: *O in pace! o in idipsum!* o quid dixit: *Obdormiam et somnum capiam!* Quoniam quis resistet nobis, cum fiet sermo qui scriptus est: *Absorta est mors in victoriam?* (I *Cor.* XV, 54.) Et tu es idipsum valde qui non mutaris; et in te requies obliviscens laborum omnium, quoniam nullus alius tecum, nec ad alia multa adipiscenda, quæ non sunt quod tu, sed *tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Legebam, et ardebam; nec inveniebam quid facerem surdis mortuis, ex quibus fueram pestis [4], latrator amarus et cæcus adversus Litteras de melle cœli melleas, et de lumine tuo luminosas: et super inimicis [5] Scripturæ hujus tabescebam.

12. Quando recordabor [6] omnia dierum illorum feriatorum? Sed nec oblitus sum nec silebo flagelli tui asperitatem, et misericordiæ tuæ mirabilem celeritatem. Dolore dentium tunc excruciabas me; et cum in tantum ingravesceret ut non valerem loqui, ascendit in cor meum admonere omnes meos qui aderant, ut deprecarentur te pro me, Deum salutis omnimodæ. Et scripsi hoc in cera, et dedi ut eis legeretur. Mox ut genua supplici affectu fiximus, fugit dolor ille. Sed quis dolor? aut quomodo fugit? Expavi, fateor, Do-

[1] *Essent tunc, ignorante me utrum audirent, et me nesciente quod ibi essent*, juxta Er. Lugd. Lov. Somm. et Rond. M.

[2] *Propheta*, juxta editionem Florentinam. *Et clamat prophetа*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Dub. Mart. Rond. M.

[3] Bad. cum duobus Mss., *phantasiis*. Mendose: nam Augustinus in hujus operis libro 3, c. 6, phantasias vocat eorum quæ sunt, phantasmata vero eorum quæ omnino non sunt corporum imagines; quas ipse Manichæis olim adhærens, pro veritate amplexabatur. — In B., *phantasmatis*. Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. Dub. Mart. Flor. Rond., *phantasmatibus*. M.

[1] In Edd.: *O si viderent internum lumen æternum!* In codice Corb.: *O si viderent in te internum lumen æternum!* Visum est sequi alios optimæ notæ Mss., inter quos omnes Mss. Angl., qui cæteris omissis verbis præferunt, *O si viderent internum æternum!* — Quibus suffragantur 6 Mss. Florentini. M.

[2] Lov. Somm.: *Ibi enim, ibi mihi;* at Mss. cum Bad. Am. Er. Blas. Arn.: *Ibi enim ubi mihi.* — Ultimæ huic lectioni accedunt 6 Mss. Florentini. M.

[3] Ita Mss., quo loco Edd. habent, *temporalibus.* — Sic etiam editio Florentina cum sex Mss. M.

[4] *Prius*, juxta tres Mss. Mart. *præ istis*, juxta Rond. et Mart. cum uno Mss. M.

[5] Am. Er et Lov.: *Et super inimicis scripturis Scripturæ hujus;* at Mss. Bad. et Arn. carent voce *scripturis*.

[6] In B., *recordabar*, et sic incipit cap. 12: *Sed nec oblitus*. M.

mine meus, Deus meus; nihil enim tale ab ineunte ætate expertus fueram. Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui; et gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.

## CAPUT V.

*Ambrosium consulit quid legendum.*

13. Renuntiavi, peractis vindemialibus; ut scholasticis suis Mediolanenses venditorem verborum alium providerent, quod et tibi ego servire delegissem, et illi professioni, præ difficultate spirandi ac dolore pectoris, non sufficerem. Et insinuavi per litteras antistiti tuo, viro sancto Ambrosio pristinos errores meos, et præsens votum meum, ut moneret quid potissimum mihi de Libris tuis legendum esset, quo percipiendæ tantæ gratiæ paratior aptiorque ficrem. At ille jussit Isaiam prophetam; credo, quod præ cæteris Evangelii vocationisque Gentium sit prænuntiator apertior. Verumtamen ego primam hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distuli repetendum exercitatior in dominico eloquio.

## CAPUT VI.

*Mediolani baptizatur cum Alypio et Adeodato.*

14. Inde ubi tempus advenit quo me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus. Placuit et Alypio renasci in te mecum, jam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, et fortissimo domitori corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu. Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, et ingenio præveniebat multos graves et doctos viros. Munera tua tibi confiteor, Domine Deus meus, creator omnium, et multum potens reformare [1] nostra deformia : nam ego in illo puero præter delictum nihil habebam. Quod enim enutriebatur a nobis in disciplina tua, tu inspiraveras nobis, nullus alius : munera tua tibi confiteor. Est liber noster qui inscribitur, de Magistro : ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia quæ inseruntur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sexdecim. Multa ejus alia mirabiliora expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium; et quis præter te talium miraculorum opifex? Cito de terra abstulisti vitam ejus; et securior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi. Sociavimus eum coævum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua; et baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, et eliquabatur veritas in cor meum; et exæstuabat inde affectus pietatis [2], et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.

[1] In Mss. pluribus et potioribus : *Multum potens formare;* et paulo post : *Præter delictum non habebam.*

[2] Lov. : *Et ex ea æstuabat affectus pietatis.*

## CAPUT VII.

*Ecclesiastici cantus institutio Mediolani. Inventio corporum SS. Protasii et Gervasii.*

15. Non longe cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus et cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur, hæresis suæ causa, qua [1] fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore Spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, et per cætera orbis imitantibus [2].

16. Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, unde opportune promeres ad coercendam rabiem femineam, sed regiam. Cum enim propalata et effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus civis civitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætiæ [3] causam quæsisset atque audisset, exsilivit, eoque se ut duceret, suum ducem rogavit. Quo perductus, impetravit admitti, ut sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum (*Psal.* cxv, 15). Quod ubi fecit, atque admovit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ ferventes, lucentes [4], inde illius inimicæ animus etsi ad credendi sanitatem non ampliatus [5], a persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi, Deus meus. Unde et quo duxisti recordationem meam, ut hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus præterieram? Et tamen tunc cum ita fragraret odor unguentorum tuorum, non currebamus post te (*Cantic.* I, 3), et ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim suspirans tibi, et tandem respirans [6], quantum patet aura in domo fenea.

## CAPUT VIII.

*Evodii conversio. Matris obitus, ejusque a teneris educatio.*

17. Qui habitare facis unanimes in domo (*Psal.* LXVII, 7), consociasti nobis et Evodium juvenem ex

[1] *Quæ*, juxta sex Mss. Mart., et Rond. cum 2 Mss. M.

[2] Somm. Mart. : *Per cæteras partes imitantibus. Per cæteras orbis partes*, juxta Rond. M.

[3] Aliquot Mss., *lætitia.* — Sic etiam editio Florentina cum uno Mss. M.

[4] *Ferventer lucentes*, juxta Somm. et Rond. M.

[5] Sic legendum juxta tres Mss. Angl., ut constet antithesis ad subsequens verbum, *compressus est.* — [*Applicatus.*] *Applicitus*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. Somm. M.

[6] In tribus Mss., *at tantum respirans.* M.

nostro municipio. Qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est et baptizatus, et relicta militia sæculari, accinctus in tua. Simul eramus, simul habitaturi [1] placito sancto. Quærebamus quisnam locus nos utilius haberet servientes tibi : pariter remeabamus in Africam. Et cum apud Ostia Tiberina essemus, mater defuncta est. Multa prætereo, quia multum festino. Accipe confessiones meas et gratiarum actiones, Deus meus, de rebus innumerabilibus etiam in silentio. Sed non præteribo quidquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturivit; et carne, ut in hanc temporalem; et corde, ut in æternam lucem nascerer [2]. Non ejus, sed tua dicam dona in ea ; neque enim seipsam fecerat, aut educaverat seipsam. Tu creasti eam, nec pater nec mater sciebat qualis ex eis fieret. Et erudivit eam in timore tuo virga Christi tui, regimen unici Filii tui in domo fideli, bono membro Ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cujusdam decrepitæ, quæ patrem ejus infantem portaverat, sicut dorso grandiuscularum puellarum parvuli portari solent. Cujus rei gratia, et propter senectam ac mores optimos, in domo christiana satis a dominis honorabatur. Unde etiam curam dominicarum filiarum commissam sibi diligenter gerebat, et erat in eis coercendis, cum opus esset, sancta severitate vehemens, atque in docendis sobria prudentia. Nam eas, præter illas horas quibus ad mensam parentum moderatissime alebantur, etiamsi exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcavens consuetudinem malam, et addens verbum sanum : *Modo aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis; cum autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum et cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi prævalebit.* Hac ratione præcipiendi et auctoritate imperandi frenabat aviditatem tenerioris ætatis, et ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, ut jam nec liberet quod non deceret.

18. Et surrepserat tamen, sicut mihi filio famula tua narrabat, surrepserat ei vinolentia. Nam cum de more, tanquam puella sobria, juberetur a parentibus de cuppa vinum depromere, submisso poculo qua desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius, sensu recusante. Non enim ulla temulenta [3] cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebulliunt, et in puerilibus animis majorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo; quoniam qui modica spernit, paulatim decidit (*Eccli.* XIX, 1 ); in eam consuetudinem lapsa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Ubi tunc sagax anus, et vehemens illa prohibitio ? Numquid valebat aliquid adversus latentem morbum, nisi tua medicina, Domine, vigilaret super nos? Absente patre et matre et nutritoribus, tu præsens, qui creasti, qui vocas, qui etiam per præpositos [1] homines boni aliquid agis ad animarum salutem, quid tunc egisti, Deus meus ? unde curasti ? unde sanasti ? Nonne protulisti durum et acutum ex altera anima convicium, tanquam medicinale ferrum ex occultis provisionibus tuis, et uno ictu putredinem illam præcidisti ? Ancilla enim cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans cum domina minore, ut fit, sola cum sola, objecit hoc crimen, amarissima insultatione vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerumque corrigunt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt, retribuis eis. Illa enim irata exagitare appetivit minorem dominam, non sanare : et ideo clanculo, aut quia ita eas invenerat locus et tempus litis; aut ne forte et ipsa periclitaretur quod tam sero prodidisset. At tu, Domine, rector cœlitum [2] et terrenorum, ad usus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum sæculorum ordinans [3] turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram ; ne quisquam cum hoc advertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo ejus alius corrigatur, quem vult corrigi.

## CAPUT IX.

*Laudabiles matris suæ mores prosequitur.*

19. Educata itaque pudice ac sobrie, potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti domino; et sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, et reverenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille præterea, sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto et quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. Denique, cum matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse; proinde memores conditionis, superbire adversus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ scientes quam ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a se invicem vel unum diem domestica lite dissenserint, et causam familiariter quærerent; docebat illa institutum suum, quod supra memoravi.

[1] Sic habent Mss. et Arn. ; at Bad Am. Er. Lov., *habitabamus*. — Dein, *in placito*, juxta Somm. et Rond. M.

[2] Sic legendum cum Mss. — [*Renascerer*]. Rond. ex 8 Mss., *nascerer*. M.

[3] Lyrensis codex, *temulentiæ*.

[1] Anton. Arnald. suspicatur legendum esse, *per perversos*; vel, *per præposteros homines*.

[2] In Ms. Benigniano, *cœli tui*.

[3] Potiores Mss., *ordinate*.

Quæ observabant, expertæ gratulabantur; quæ non observabant, subjectæ vexabantur.

20. Socrum etiam suam primo susurris malarum ancillarum adversus se irritatam, sic vicit obsequiis, perseverans tolerantia et mansuetudine, ut illa ultro filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se et nurum pax domestica turbabatur, expeteretque vindictam. Itaque posteaquam ille, et matri obtemperans, et curans familiæ disciplinam, et concordiæ suorum consulens, proditas ad prodentis arbitrium verberibus coercuit; promisit illa talia de se præmia sperare debere, quæcumque de sua nuru sibi, quo placeret, mali aliquid loqueretur : nullaque jam audente, memorabili inter se benevolentiæ suavitate vixerunt.

21. Hoc quoque illi bono mancipio tuo, in cujus utero me creasti, Deus meus, misericordia mea, munus grande donaveras, quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cum ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia cruditas [1] exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Parvum hoc bonum mihi videretur, nisi turbas innumerabiles tristis experirer, nescio qua horrenda pestilentia peccatorum latissime pervagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam quæ non dicta sunt addere; cum contra homini [2] humano parum esse debeat inimicitias hominum nec excitare nec augere male loquendo, nisi eas etiam exstinguere bene loquendo studuerit; qualis illa erat, docente te magistro intimo in schola pectoris.

22. Denique etiam virum suum jam in extrema vita temporali ejus lucrata est tibi, nec in eo jam fideli planxit quod in nondum fideli toleraverat. Erat etiam serva servorum tuorum. Quisquis eorum noverat eam, multum in ea laudabat et honorabat et diligebat te; quia sentiebat præsentiam tuam in corde ejus, sanctæ conversationis fructibus testibus. Fuerat enim unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam pie tractaverat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus, quia ex munere tuo sinis loqui servis tuis, qui ante dormitionem ejus in te jam consociati vivebamus percepta gratia Baptismi tui, ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ita servivit quasi ab omnibus genita fuisset.

## CAPUT X.

*Colloquium cum matre de regno cœlorum.*

23. Impendente autem die quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noveras, ignorantibus nobis; provenerat, ut credo, procurante te occultis tuis modis, ut ego et ipsa soli staremus incumbentes ad quamdam fenestram, unde hortus intra domum quæ nos habebat prospectabatur, illic apud Ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi : colloquebamur ergo soli valde dulciter; et præterita obliviscentes, in ea quæ ante sunt extenti (*Philipp.* III, 13), quærebamus inter nos apud præsentem Veritatem, quod tu es, qualis futura esset vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9). Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ qui est apud te (*Psal.* XXXV, 10), ut inde pro captu nostro aspersi, quoquo modo rem tantam cogitaremus.

24. Cumque ad eum finem sermo perduceretur, ut carnalium sensuum delectatio quantalibet, in quantalibet luce corporea, præ illius vitæ jucunditate, non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur; erigentes nos ardentiore affectu in idipsum, perambulavimus gradatim cuncta corporalia, et ipsum cœlum, unde sol et luna et stellæ lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interius cogitando, et loquendo [1], et mirando opera tua; et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt; et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse, et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est : nam fuisse et futurum esse, non est æternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis; et suspiravimus [2] et reliquimus ibi religatas primitias spiritus, et remeavimus ad strepitum oris nostri, ubi verbum et incipitur et finitur. Et quid simile Verbo tuo Domino nostro, in se permanenti sine vetustate, atque innovanti omnia? (*Sap.* VII, 27.)

25. Dicebamus ergo : Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiæ terræ et aquarum et aeris, sileant et poli, et ipsa sibi anima sileat, et transeat se non se cogitando, sileant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua et omne signum, et quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino; quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia, Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum (*Psal.* XCIX, 3, 5) : his dictis si jam taceant quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, et loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, ut audiamus verbum ejus, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, nec per sonitum nubis, nec per ænigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, et rapida cogitatione attigimus [3] æternam Sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, et subtrahantur aliæ visiones longe imparis generis, et hæc una rapiat et absorbeat et recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intel-

[1] Apud Bad. Am. Er. et plures Mss., *crudelitas*.
[2] Sic legendum videtur juxta melioris notæ Cdd. In Edd. porro legebatur, *animo humano*.

[1] Lov., *loquendo te*. Abest *te* a manuscriptis.
[2] Mss. Corb., *susum spiravimus*.
[3] Somm. Lov. et quatuor Mss. apud Mart., *attingimus*. M.

ligentiæ, cui suspiravimus; nonne hoc est, *Intra in gaudium Domini tui?* (*Matth.* XXV, 21). Et istud quando? An cum omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur? (I *Cor.* XV, 51.)

26. Dicebam talia [1], etsi non isto modo et his verbis, tamen, Domine, tu scis quod illo die, cum talia loquemur, et mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis, tunc ait illa: *Fili, quantum ad me attinet, nulla jam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, et cur hic sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Unum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, ut te christianum catholicum viderem, priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam, contempta felicitate terrena, servum ejus videam: quid hic facio?*

## CAPUT XI.

*De ecstasi et morte matris.*

27. Ad hæc ei quid responderim, non satis recolo. Cum intercea vix intra quinque dies, aut non multo amplius decubuit febribus. Et cum ægrotaret, quodam die defectum animæ passa est, et paululum subtracta a præsentibus. Nos concurrimus, sed cito reddita est sensui, et aspexit astantes me et fratrem meum, et ait nobis quasi quærenti similis: *Ubi eram?* Deinde nos intuens mœrore attonitos: *Ponetis hic*, inquit, *matrem vestram?* Ego silebam, et fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregre, sed in patria defungi tanquam felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reverberans eum oculis quod talia saperet, atque inde me intuens: *Vide*, ait, *quid dicit.* Et mox ambobus: *Ponite*, inquit, *hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis.* Cumque hanc sententiam verbis quibus poterat explicasset, conticuit; et ingravescente morbo exercebatur.

28. Ego vero cogitans dona tua, Deus invisibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, et proveniunt inde fruges admirabiles; gaudebam et gratias agebam tibi, recolens quod noveram, quanta cura semper æstuasset de sepulcro quod sibi providerat et præparaverat juxta corpus viri sui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, ut est animus humanus minus capax divinorum, adjungi ad illam felicitatem, et commemorari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, ut conjuncta terra amborum conjugum terra tegeretur. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in ejus corde non esse, nesciebam, et lætabar admirans quod sic mihi aperuisset [2]; quanquam et in illo sermone nostro ad fenestram cum dixit, *Jam quid hic facio?* non apparuit desiderare in patria mori. Audivi etiam postea, quod jam cum Ostiis essemus, cum quibusdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contemptu vitæ hujus et bono mortis, ubi ipse non aderam; illisque stupentibus virtutem feminæ, quam tu dederas ei, quærentibusque utrum non formidaret tam longe a sua civitate corpus relinquere: *Nihil*, inquit, *longe est Deo; neque timendum est ne ille non agnoscat in fine sæculi, unde me resuscitet.* Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo et sexto anno ætatis suæ, trigesimo et tertio ætatis meæ (*a*), anima illa religiosa et pia corpore soluta est.

## CAPUT XII.

*Quomodo luxerit mortem matris. Sacrificium pro defunctis.*

29. Premebam oculos ejus, et confluebat in præcordia mea mœstitudo ingens, et transfluebat in lacrymas; ibidemque oculi mei violento animi imperio resorbebant fontem suum usque ad siccitatem, et in tali luctamine valde male mihi erat. Tum vero ubi efflavit extremum spiritum [1], puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque ab omnibus nobis coercitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile quod labebatur in fletus juvenili voce cordis, coercebatur et tacebat. Neque enim decere arbitrabamur funus illud questibus lacrymosis gemitibusque celebrare [2]; quia his plerumque solet deplorari quædam miseria morientium, aut quasi omnimodo exstinctio. At illa nec misere moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc et documentis morum ejus, et fide non ficta, rationibusque certis tenebamus.

30. Quid ergo erat quod intus mihi graviter dolebat, nisi ex consuetudine simul vivendi dulcissima et charissima repente disrupta vulnus recens? Gratulabar quidem testimonio ejus, quod in ea ipsa ultima ægritudine, obsequiis meis interblandiens, appellabat me pium, et commemorabat grandi dilectionis affectu nunquam se audisse ex ore meo jaculatum in se durum aut contumeliosum sonum [3]. Sed tamen quid tale, Deus meus, qui fecisti nos, quid comparabile habebat honor a me delatus illi, et servitus ab illa mihi? Quoniam itaque deserebar tam magno ejus solatio, sauciabatur anima mea, et quasi dilaniabatur vita, quæ una facta erat ex mea et illius.

31. Cohibito ergo a fletu illo puero, Psalterium arripuit Evodius, et cantare cœpit psalmum; cui respondebamus omnis domus: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c. 1). Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres ac religiosæ feminæ; et de more illis, quorum officium erat, funus curantibus, ego in parte ubi decenter poteram, cum eis qui me non deserendum esse censebant, quod erat tempori congruum disputabam; eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus et intente audientibus, et sine sensu doloris

[1] Mart. cum quatuor Mss., *dicebamus talia.* M.
[2] Sic Arn. et aliquot ex præcipuis Mss.; at Bad. Am. Er. Lov., *apparuisset.* — Sic etiam Rond. cum 11 Mss. et Flor. cum totidem Mss. M.

[1] Mss. plerique omittunt verbum *spiritum.*
[2] *Celebrari*, juxta Rond. et duo Mss. apud Mart. M.
[3] Lov. aliæque editiones, *sermonem.*

(*a*) Hunc numerum omnes ad unum codices, cum editi, tum scripti assignant; unde intelligitur locum minime corruptum esse, quod suspicatus est Cæsar Baronius, ad an. 388, n. 71, et in Not. ad Mart., die 5 maii,

me esse arbitrantibus. At ego in auribus tuis, ubi eorum nullus audiebat, increpabam mollitiem affectus mei, et constringebam fluxum mœroris, cedebatque mihi paululum; rursusque impetu suo ferebatur, non usque ad eruptionem lacrymarum, nec usque ad vultus mutationem, sed ego sciebam quid corde premerem. Et quia mihi vehementer displicebat tantum in me posse hæc humana, quæ ordine debito et sorte conditionis nostræ accidere necesse est, alio dolore dolebam dolorem meum, et duplici tristitia macerabar.

32. Cum ecce corpus elatum est[1], imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi: sed toto die graviter in occulto mœstus eram, et mente turbata rogabam te, ut poteram, quo sanares dolorem meum, nec faciebas; credo, commendans memoriæ meæ, vel hoc uno documento, omnis consuetudinis vinculum, etiam adversus mentem quæ jam non fallaci verbo pascitur[2]. Visum etiam mihi est ut irem lavatum, quod audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quod anxietatem pellat ex animo. Ecce et hoc confiteor misericordiæ tuæ, Pater orphanorum, quoniam lavi, et talis eram qualis priusquam lavissem. Neque enim exsudavit de corde meo mœroris amaritudo. Deinde dormivi et evigilavi, et non parva ex parte mitigatum inveni dolorem meum; atque ut eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosii tui; tu es enim

Deus, creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem sopora[3] gratia:
Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet,
Luctusque solvat anxios.

33. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conversationemque ejus piam in te, et sancte[4] in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum; et libuit flere in conspectu tuo de illa et pro illa, de me et pro me. Et dimisi lacrymas quas continebam, ut effluerent quantum vellent, substernens eas cordi meo; et requievit in eis[5], quoniam ibi erant aures tuæ, non cujusquam hominis superbe interpretantis ploratum meum. Et nunc, Domine, confiteor tibi in litteris. Legat qui volet, et interpretetur ut volet, et si peccatum invenerit, flevisse me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleverat ut oculis tuis viverem, non irrideat; sed potius, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui.

## CAPUT XIII.

*Orat pro matre defuncta.*

34. Ego autem, jam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi, Deus noster, pro illa famula tua longe aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Christo vivificata (I *Cor.* xv, 22), etiam nondum a carne resoluta, sic vixerit ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus; non tamen audeo dicere, ex quo eam per Baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum est a Veritate Filio tuo: *Si quis dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si, remota misericordia, discutias eam. Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ[1]. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se homines homines, et qui gloriatur, in Domino glorietur![2] (II *Cor.* x, 17.)

35. Ego itaque, laus mea et vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te; exaudi me per Medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, et sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis (*Rom.* viii, 34). Scio misericorditer operatam, et ex corde dimisisse debita debitoribus suis; dimitte illi et tu debita sua (*Matth.* vi, 12), si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte, Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium (*Psal.* cxlii, 2). Superexaltet misericordia judicium (*Jacobi* ii, 13), quoniam eloquia tua vera sunt, et promisisti misericordiam misericordibus (*Matth.* v, 7): quod ut essent, tu dedisti eis, qui misereberis cui misertus eris, et misericordiam præstabis cui misericors fueris (*Exod.* xxxiii, 19; *Rom.* ix, 15).

36. Et credo jam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba, Domine (*Psal.* cxviii, 108). Namque illa imminente die resolutionis suæ non cogitavit suum corpus sumptuose contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupivit, aut curavit sepulcrum patrium; non ista mandavit nobis: sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat; unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis (*Coloss.* ii, 14), qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, et quærens quid objiciat, et nihil inveniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium quo nos

[1] sic completur antecedens periodus apud Rond.: *Cum ecce corpus elatum est.* M.

[2] Tres Mss. Angl., *pascitur*, *difficile posse vitare. Visum etiam.*

[3] In ante excusis, *soporis*. At in multis Mss., *sopora*, a verbo *soporo*; melius, siquidem hocce hymno somnus quietus ad recreandas corporis et animi vires postulatur. — Juxta Flor. Mart. cum 7 Mss., et Rond. cum 6 Mss. legendum, *soporis*. M.

[4] Bad. Am. Er. Lov., *sanctam*.

[5] *Requievi in eis*, juxta Mart. cum 3 Mss. et Arn. M.

[1] Absunt a Mss. prope omnibus isthæc verba, *invenire indulgentiæ*. — Non desunt in editione Florentina. M.

[2] Ita Mss. cum Arn.; at Lov. cum antiquioribus Edd.: *O si cognoscant se omnes homines, et qui gloriantur, in Domino glorientur*. — Ultimam periodi partem fert etiam Ven. sic: *Et qui gloriantur, in Domino glorientur*. M.

emit ut nos auferat ei[1]? Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo a protectione tua disrumpat eam. Non se interponat nec vi nec insidiis leo et draco : neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur et obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit.

37. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli et post quem nulli nupta est, cui servivit fructum tibi afferens cum tolerantia (*Luc.* VIII, 15), ut eum quoque lucraretur tibi. Et inspira, Domine meus, Deus meus[2], inspira servis tuis fratribus meis, filiis tuis dominis meis, quibus et voce et corde et litteris servio, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monnicæ famulæ tuæ (*a*), cum Patricio quondam ejus conjuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, et fratrum meorum sub te patre in matre Catholica, et civium meorum in æterna Jerusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usque ad reditum ; ut quod a me illa poposcit extremum, uberius illi præstetur in multorum orationibus per confessiones[1], quam per orationes meas.

[1] Arn. cum aliquot Mss., *offerat;* sed melius Bad. Arn. Er. Lov. cum pluribus Mss., *auferat ei*, scilicet Christo emptori, uti nobis quidem videtur.

[2] *Domine Deus meus*, juxta Ven. M.

[1] In Edd. pluribus, *tam per confessiones.* Abest, *tam* a Mss. quos magis probamus.

(*a*) Imitari visum est vetustos Codices, qui cum gemina littera *nn* præferunt *Monnicæ :* quo pacto etiam scriptum reperitur in oratione, quam Willelmus abbas, piis Augustini votis obtemperandi studio, composuit sub his verbis : « Memento, Domine, animæ famuli tui Patricii, et famulæ tuæ « Monnicæ ; et si quid pro anima filii ipsorum domini mei Au« gustini, dilectissimi confessoris tui, mihi misero peccatori « licet vel intimo cordis affectu desiderare, » etc. Quæ oratio integra habetur in Veterum Analectorum tomo primo.

# LIBER DECIMUS.

Scrutatur deinceps, ac palam contestatur, non qualis antea esset, sed qualis nunc. Deum quem diligit studet indicare; dumque per singula ducit rerum genera, multis explicat memoriæ vim plane stupendam, et quod sua in memoria locum Deus habeat gratulatur. Inquirit in actus, in sensus, et affectus suos ex triplici tentatione voluptatis, curiositatis, ac superbiæ. Dominum Christum unum mediatorem Dei et hominum confitetur, ejusque ope animi sui languores omnes sanandos esse confidit.

## CAPUT PRIMUM.

*In Deo solo spes et gaudium.*

1. Cognoscam te, cognitor meus, cognoscam sicut et cognitus sum (I *Cor.* XIII, 12). Virtus animæ meæ, intra in eam, et coapta tibi, ut habeas et possideas sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27). Hæc est spes mea, ideo loquor; et in ea spe gaudeo, quando sanum[1] gaudeo. Cætera vero vitæ hujus tanto minus flenda, quanto magis fletur; et tanto magis flenda, quanto minus fletur in eis. Ecce enim veritatem dilexisti (*Psal.* L, 8), quoniam qui facit eam, venit ad lucem (*Joan.* III, 21). Volo eam facere in corde meo coram te in confessione; in stilo autem meo coram multis testibus.

## CAPUT II.

*Cum Deo nota sint arcana, quid est confiteri illi.*

2. Et tibi quidem, Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus testis est displicere me mihi, tu refulges et places, et amaris et desideraris ; ut erubescam de me, et abjiciam me atque eligam te, et nec tibi nec mihi placeam nisi de te. Tibi ergo, Domine, manifestus sum quicumque sim; et quo fructu tibi confitear, dixi. Neque enim id ago verbis carnis et vocibus, sed verbis animæ et clamore cogitationis, quem novit auris tua. Cum enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quam displicere mihi; cum vero pius, nihil est aliud confiteri tibi, quam hoc non tribuere mihi : quoniam tu, Domine, benedicis justum (*Psal.* V , 13), sed prius eum justificas impium (*Rom.* IV, 5). Confessio itaque mea, Deus meus, in conspectu tuo tibi tacite fit, et non tacite. Tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim[1] dico recti aliquid hominibus, quod non a me tu prius audieris; aut etiam tu aliquid tale audis a me, quod non mihi tu prius dixeris.

## CAPUT III.

*Quo fructu confitebitur deinceps quis sit, non quis fuerit.*

3. Quid mihi ergo est cum hominibus ut audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid a me quærunt audire qui sim, qui nolunt a te audire qui sint? Et unde sciunt, cum a meipso de meipso audiunt, an verum dicam; quandoquidem nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I *Cor.* II, 11)? Si autem a te audiant de seipsis, non poterunt dicere, Mentitur Dominus. Quid est enim a te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porro cognoscit, et dicit, Falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia charitas omnia credit (*Ibid.* XIII, 7), inter eos utique quos connexos sibimet unum facit, ego quoque, Domine, etiam sic tibi confiteor, ut audiant homines, quibus demonstrare non possum an vera confitear; sed credunt mihi quorum mihi aures charitas aperit.

4. Verumtamen tu, medice meus intime, quo fructu ista faciam, eliqua mihi. Nam confessiones præteritorum malorum meorum, quæ remisisti et texisti ut beares me in te (*Psal.* XXXI, 1), mutans animam meam fide et Sacramento tuo, cum leguntur et au-

[1] *Sane*, juxta Somm. et sex Mss. apud Mart. M.

[1] In B. omittitur *enim;* quam voculam servant Er. Lugd. Ven. Lov. Dub. M.

diuntur, excitant cor ne dormiat in desperatione et dicat, Non possum; sed evigilet in amore misericordiæ tuæ et dulcédine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ. Et delectat bonos audire præterita mala eorum qui jam carent eis; nec ideo delectat quia mala sunt, sed quia fuerunt et non sunt. Quo itaque fructu, Domine meus cui quotidie confitetur conscientia mea, spe misericordiæ tuæ securior quam innocentia sua; quo fructu, quæso, etiam hominibus coram te confiteor per has litteras adhuc quis ego sim, non quis fuerim? Nam illum fructum vidi et commemoravi. Sed quis adhuc sim, ecce in ipso tempore confessionum mearum, et multi hoc nosse cupiunt qui me noverunt et non me noverunt, qui ex me vel de me aliquid audierunt; sed auris eorum non est ad cor meum, ubi ego sum quicumque sum. Volunt ergo audire confitentem me quid ipse intus sim, quo nec oculum nec aurem nec mentem possunt intendere; crediturі tamen volunt, numquid cognituri? Dicit enim eis charitas qua boni sunt non mentiri me de me confitentem, et ipsa in eis credit mihi.

## CAPUT IV.

*Quod magni sint fructus hujusmodi confessionis.*

5. Sed quo fructu id volunt? An congratulari mihi cupiunt cum audierint quantum ad te accedam munere tuo, et orare pro me cum audierint quantum retarder pondere meo? Indicabo me talibus. Non enim parvus est fructus, Domine Deus meus, ut a multis tibi gratiæ agantur de nobis, et a multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus quod amandum doces, et doleat in me quod dolendum doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis (*Psal.* CXLIII, 8); sed fraternus ille qui cum approbat me, gaudet de me; cum autem improbat me, contristatur pro me: quia sive approbet me, sive improbet, diligit me. Indicabo me talibus; respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Bona mea instituta tua sunt et dona tua; mala mea delicta mea sunt et judicia tua. Respirent in illis, et suspirent in his; et hymnus et fletus ascendant in conspectum tuum de fraternis cordibus, thuribulis tuis (*Apoc.* VIII, 3). Tu autem, Domine, delectatus odore sancti templi tui, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L, 1), propter nomen tuum; et nequaquam deserens cœpta tua, consumma imperfecta mea.

6. Hic est fructus confessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, ut hoc confitear [1] non tantum coram te secreta exsultatione cum tremore et secreto mœrore cum spe (*Philipp.* II, 12); sed etiam in auribus credentium filiorum hominum, sociorum gaudii mei et consortium mortalitatis meæ, civium meorum et mecum peregrinorum, præcedentium et consequentium et comitum viæ meæ. Hi sunt servi tui fratres mei, quos filios tuos esse voluisti, dominos meos quibus jussisti ut serviam, si volo tecum de te vivere. Et hoc mihi Verbum tuum parum erat si loquendo præciperet, nisi et faciendo præiret. Et ego id ago factis et dictis, id ago sub alis tuis nimis cum ingenti periculo; nisi quia sub alis tuis tibi subdita est anima mea, et infirmitas mea tibi nota est. Parvulus sum, sed vivit semper Pater meus, et idoneus est mihi tutor meus: idem ipse est enim qui genuit me et tuetur me: et tu ipse es omnia bona mea, tu omnipotens qui mecum es, et priusquam tecum sim. Indicabo ergo talibus qualibus jubes ut serviam, non quis fuerim, sed quis jam sim, et quis adhuc sim; sed neque meipsum dijudico (I *Cor.* IV, 3): sic itaque audiar.

[1] Non ferunt B.: *Non qualis fuerim, sed qualis sim, ut hoc confitear;* desunt etiam hæc verba in pluribus Edd. ac Mss.; ea vero dant præstantissimi. M.

## CAPUT V.

*Homo sese totum non novit.*

7. Tu enim, Domine, dijudicas me, quia etsi nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I *Cor.* II, 11); tamen est aliquid hominis quod nec ipse scit spiritus hominis qui in ipso est; tu autem, Domine, scis ejus omnia qui fecisti eum. Ego vero quamvis præ tuo conspectu me despiciam, et æstimem me terram et cinerem; tamen aliquid de te scio quod de me nescio. Et certe nunc videmus per speculum in ænigmate, nondum facie ad faciem (*Ibid.* XIII, 12): et ideo quamdiu peregrinor abs te, mihi sum præsentior quam tibi, et tamen te novi nullo modo posse violari; ego vero quibus tentationibus resistere valeam, quibusve non valeam, nescio. Et spes est, quia fidelis es, qui nos non sinis tentari supra quam possumus ferre, sed facis cum tentatione etiam exitum ut possimus sustinere. Confitear ergo quid de me sciam, confitear et quid de me nesciam. Quoniam et quod de me scio, te mihi lucente scio; et quod de me nescio, tamdiu nescio, donec fiant tenebræ meæ sicut meridies in vultu tuo (*Isai.* LVIII, 10).

## CAPUT VI.

*Quid amat, cum Deum amat: et quomodo ex creaturis Deus cognoscitur.*

8. Non dubia sed certa conscientia, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et cœlum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus ut sint inexcusabiles (*Rom.* I, 20). Altius autem tu misereberis cui misertus eris, et misericordiam præstabis cui misericors fueris: alioquin cœlum et terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? Non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce [1] istis amicum oculis, non dulces melodias cantilenarum omnimodarum, non florum et unguentorum et aromatum suaveolentiam, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum; et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum

[1] *Etiam*, juxta Ven. M.

meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; ubi fulget animæ meæ quod non capit locus, et ubi sonat quod non rapit tempus, et ubi olet quod non spargit flatus, et ubi sapit quod non minuit edacitas, et ubi hæret quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo.

9. Et quid est hoc? Interrogavi terram, et dixit, Non sum; et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia animarum vivarum, et responderunt: Non sumus Deus tuus; quære super nos. Interrogavi auras flabiles, et inquit universus aer cum incolis suis: Fallitur Anaximenes; non sum Deus. Interrogavi cœlum, solem, lunam, stellas; neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus iis quæ circumstant fores carnis meæ: Dixistis mihi de Deo meo quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamaverunt voce magna: Ipse fecit nos (*Psal.* xcix, 3). Interrogatio mea, intentio mea; et responsio eorum, species eorum. Et direxi me ad me, et dixi mihi, Tu quis es? Et respondi, Homo. Et ecce corpus et anima in me mihi præsto sunt; unum exterius, et alterum interius. Quid horum est unde quærere debui Deum meum, quem jam quæsiveram per corpus a terra usque ad cœlum, quousque potui mittere nuntios, radios oculorum meorum? Sed melius quod interius. Ei quippe renuntiabant omnes nuntii corporales præsidenti et judicanti de singulis responsionibus cœli et terræ et omnium quæ in eis sunt dicentium: Non sumus Deus, sed ipse fecit nos. Homo interior cognovit hæc per exterioris ministerium; ego interior cognovi hæc, ego, ego animus per sensus corporis mei. Interrogavi mundi molem de Deo meo, et respondit mihi: Non ego sum, sed ipse me fecit.

10. Nonne omnibus quibus integer sensus est, apparet hæc species? Cur non omnibus eadem loquitur? Animalia pusilla et magna vident eam, sed interrogare nequeunt: non enim præposita est in eis nuntiantibus sensibus judex ratio. Homines autem possunt interrogare, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur [1] (*Rom.* 1, 20); sed amore subduntur eis, et subditi judicare non possunt. Nec respondent ista interrogantibus nisi judicantibus; nec vocem suam mutant, id est speciem suam, si alius tantum videat, alius autem videns interroget, ut aliter illi appareat, aliter huic; sed eodem modo utrique apparens, illi muta est, huic loquitur: imo vero omnibus loquitur; sed illi intelligunt qui ejus vocem acceptam foris intus cum veritate conferunt. Veritas enim dicit mihi: Non est Deus tuus cœlum, et terra; neque omne corpus. Hoc dicit eorum natura videnti: Moles est; moles minor est in parte quam in toto. Jam tu melior es; tibi dico, anima; quoniam tu vegetas molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstat corpori. Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est [2].

[1] *Conspiciant*, juxta 5 Mss. Mart. M.
[2] Sic Arn. et Mss.; at Am. Er. Lov., *etiam tibi vita est.* — Sic etiam Ven. et Lugd. M.

## CAPUT VII.

*Corporea aut sensitiva virtute Deus non invenitur.*

11. Quid ergo amo, cum Deum meum amo? Quis est ille super caput animæ meæ? Per ipsam animam meam ascendam ad illum. Transibo vim meam, qua hæreo corpori, et vitaliter compagem ejus repleo. Non ea vi reperio Deum meum: nam reperiret et equus, et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* xxxi, 9); quia est eadem vis qua vivunt etiam eorum corpora. Est alia vis non solum qua vivifico, sed etiam qua sensifico carnem meam quam mihi fabricavit Dominus; jubens oculo ut non audiat, et auri ut non videat; sed illi per quem videam; huic per quam audiam: et propria singillatim cæteris sensibus sedibus suis et officiis suis; quæ diversa per eos ago unus ego animus [1]. Transibo et istam vim meam: nam et hanc habet equus, et mulus; sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

## CAPUT VIII.

*Memoriæ vis.*

12. Transibo ergo et istam vim naturæ meæ, gradibus ascendens ad eum qui fecit me; et venio in campos et lata prætoria memoriæ, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum de cujuscemodi [2] rebus sensis invectarum. Ibi reconditum est quidquid etiam cogitamus, vel augendo vel minuendo, vel utcumque variando ea quæ sensus attigerit; et si quid aliud commendatum et repositum est, quod nondum absorbuit et sepelivit oblivio. Ibi quando sum, posco ut proferatur quidquid volo, et quædam statim prodeunt; quædam requiruntur diutius, et tanquam de abstrusioribus quibusdam receptaculis eruuntur; quædam catervatim se proruunt [3], et dum aliud petitur et quæritur, prosiliunt in medium quasi dicentia, Ne forte nos sumus? Et abigo ea manu cordis a facie recordationis meæ, donec enubiletur quod [4] volo, atque in conspectum prodeat ex abditis. Alia faciliter atque imperturbata serie, sicut poscuntur suggeruntur; et cedunt præcedentia consequentibus; et cedendo conduntur, iterum cum voluero processura. Quod totum fit, cum aliquid narro memoriter.

13. Ibi sunt omnia distincte generatimque servata, quæ suo quæque aditu ingesta sunt, sicut lux atque omnes colores formæque corporum per oculos; per aures autem omnia genera sonorum; omnesque odores per aditum narium; omnes sapores per oris aditum; a sensu autem totius corporis, quid durum, quid molle, quid calidum frigidumve, lene aut asperum, grave seu leve, sive extrinsecus sive intrinsecus corpori. Hæc omnia recipit recolenda cum opus est et retractanda grandis memoriæ recessus, et nescio qui secreti atque ineffabiles sinus ejus; quæ omnia suis quæque foribus intrant ad eam, et reponuntur in ea. Nec ipsa tamen intrant, sed rerum sensarum imagines illic præsto

[1] *Unus ago animus*, juxta Ven. M.
[2] *Hujuscemodi*, juxta Er. Ven. et Lugd. M.
[3] *Se promunt*, juxta Ven. M.
[4] *Illud quod*, juxta Er. Ven. Lugd. M.

sunt cogitationi reminiscenti eas. Quæ quomodo fabricatæ sint quis dicit, cum appareat quibus sensibus raptæ sint interiusque reconditæ? Nam et in tenebris atque in silentio dum habito, in memoria mea [1] profero, si volo, colores; et discerno inter album et nigrum, et inter quos alios volo : nec incurrunt soni atque perturbant, quod per oculos haustum considero, cum et ipsi sint, et quasi seorsum repositi lateant. Nam et ipsos posco si placet, atque adsunt illico. Et quiescente lingua ac silente gutture canto quantum volo; imaginesque illæ colorum quæ nihilominus ibi sunt, non se interponunt neque interrumpunt, cum thesaurus alius retractatur qui influxit ab auribus. Ita cætera quæ per sensus cæteros ingesta atque congesta sunt, recordor prout libet : et auram liliorum discerno a violis, nihil olfaciens; et mel defruto, lene aspero, nihil tunc gustando neque contrectando, sed reminiscendo antepono.

14. Intus hæc ago, in aula ingenti memoriæ meæ. Ibi enim mihi cœlum et terra et mare præsto sunt, cum omnibus quæ in eis sentire potui, præter illa quæ oblitus sum. Ibi et ipse mihi occurro, meque recolo, quid, quando, et ubi egerim, quoque modo cum agerem affectus fuerim. Ibi sunt omnia quæ sive experta a me sive credita memini. Ex eadem copia etiam similitudines rerum vel expertarum, vel ex eis quas expertus sum creditarum, alias atque alias et ipse contexo præteritis, atque ex his etiam futuras actiones et eventa et spes, et hæc omnia rursus quasi præsentia meditor. Faciam hoc aut illud, dico apud me in ipso ingenti sinu animi mei pleno tot et tantarum rerum imaginibus; et hoc aut illud sequetur. O si esset hoc aut illud! Avertat Deus hoc aut illud. Dico apud me ista : et cum dico, præsto sunt imagines omnium quæ dico ex eodem thesauro memoriæ, nec omnino aliquid eorum dicerem si defuissent.

15. Magna ista vis est memoriæ, magna nimis, Deus meus, penetrale amplum et infinitum. Quis ad fundum ejus pervenit? Et vis est hæc animi mei, atque ad meam naturam pertinet; nec ego ipse capio totum quod sum. Ergo animus ad habendum seipsum angustus est. Et ubi sit, quod sui non capit [2]? Numquid extra ipsum ac non in ipso? Quomodo ergo non capit? Multa mihi super hoc oboritur admiratio, stupor apprehendit me. Et eunt homines admirari alta montium, et ingentes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et Oceani ambitum, et gyros siderum, et relinquunt seipsos; nec mirantur, quod hæc omnia cum dicerem, non ea videbam oculis, nec tamen dicerem nisi montes et fluctus et flumina et sidera quæ vidi, et Oceanum quem credidi, intus in memoria mea viderem spatiis tam ingentibus quasi foris viderem : nec ea tamen videndo absorbui quando vidi oculis; nec ipsa sunt apud me, sed imagines eorum. Et novi quid ex quo sensu corporis impressum sit mihi.

## CAPUT IX.

*Memoria disciplinarum.*

16. Sed non ea sola gestat immensa ista capacitas memoriæ meæ. Hic sunt et illa omnia quæ de doctrinis liberalibus percepta nondum exciderunt, quasi remota interiore loco, non loco [1]; nec eorum imagines, sed res ipsas gero. Nam quid sit litteratura, quid peritia disputandi, quot genera quæstionum, quidquid horum scio sic est in memoria mea, ut non retenta imagine rem foris reliquerim, aut sonuerit et præterierit, sicut vox impressa per aures vestigio quo recoleretur [2], quasi sonaret cum jam non sonaret; aut sicut odor dum transit et evanescit in ventos, olfactum afficit, unde trajicit in memoriam imaginem sui quam reminiscendo repetamus; aut sicut cibus qui certe in ventre jam non sapit, et tamen in memoria quasi sapit; aut sicut aliquid quod corpore tangendo sentitur, quod etiam separatum a nobis imaginatur memoria. Istæ quippe res non intromittuntur ad eam, sed earum solæ imagines mira celeritate capiuntur, et miris tanquam cellis reponuntur, et mirabiliter recordando proferuntur.

## CAPUT X.

*Disciplinæ in memoriam non introducuntur per sensus, sed ex ejus abditiore sinu eruuntur.*

17. At vero cum audio tria genera esse quæstionum, an sit, quid sit, quale sit; sonorum quidem quibus hæc verba confecta sunt imagines teneo; et eos per auras [3] cum strepitu transisse ac jam non esse scio. Res vero ipsas quæ illis significantur sonis neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, et in memoria recondidi non imagines earum, sed ipsas; quæ unde ad me intraverint, dicant si possunt [4]. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio qua earum ingressæ sint. Quippe oculi dicunt : Si coloratæ sunt, nos eas nuntiavimus. Aures dicunt : Si sonuerunt, a nobis indicatæ sunt. Nares dicunt : Si oluerunt, per nos transierunt. Dicit etiam sensus gustandi : Si sapor non est, nihil me interroges. Tactus dicit : Si corpulentum non est, non contrectavi; si non contrectavi, non indicavi. Unde et qua hæc intraverunt in memoriam meam? Nescio quomodo; nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, et vera esse approbavi, et commendavi ei, tanquam reponens unde proferrem cum vellem. Ibi ergo erant et antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. Ubi ergo, aut quare cum dicerentur agnovi, et dixi : Ita est, verum est; nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota et retrusa quasi in caveis abditioribus, ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem?

[1] *In memoriam meam*, juxta Bertinensem Mss. Mart. M.
[2] Lov. : *Ut ubi sit, quid sit, non capiat.*— Er. Ven. Ludg.: *Ut ubi sit, quid sui non capiat.* Mart.: *Angustus est ut ibi sit quod sui non capit?* Sic pergit : *Numquid extra ipsum? annon in ipso est?* Omittitur *est* apud Somm. et Rond. M.

[1] Lov., *loca*. — Quibus adstipulantur Ven. et Lugd. M.
[2] *Recolitur*, juxta sex Mss. apud Mart. M.
[3] Sic Arn. et Mss.; at Am. Bad. Er. Lov., *per aures*. — Sic etiam Ven. et Lugd. M.
[4] *Dicam si possum*, juxta Er. Ven. Lugd. M.

## CAPUT XI.

*Quid sit discere.*

18. Quocirca invenimus nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus sicuti sunt per seipsa intus cernimus; nisi ea quæ passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius et neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant. Et quam multa hujusmodi gestat memoria mea quæ jam inventa sunt, et sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ didicisse et nosse dicimur! Quæ si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, et quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda sint indidem iterum [1] (neque enim est alia regio eorum), et cogenda rursus ut sciri possint, id est velut ex quadam dispersione colligenda, unde dictum est cogitare. Nam cogo et cogito, sic est ut ago et agito, facio et factito. Verumtamen sibi animus hoc verbum proprie vindicavit, ut non quod alibi, sed quod in animo colligitur, id est cogitur, cogitari proprie jam dicatur.

## CAPUT XII.

*Rerum Mathematicarum memoria.*

19. Item continet memoria numerorum dimensionumque rationes et leges innumerabiles, quarum nullam corporis sensus impressit; quia nec ipsæ coloratæ sunt, aut sonant, aut olent, aut gustatæ, aut contrectatæ sunt. Audivi sonos verborum quibus significantur cum de his disseritur; sed illi alii, istæ autem aliæ sunt: nam illi aliter græce, aliter latine sonant; istæ vero nec græcæ nec latinæ sunt, nec aliud eloquiorum genus. Vidi lineas fabrorum, vel etiam tenuissimas, sicut filum araneæ; sed illæ aliæ sunt, non sunt imagines earum quas mihi nuntiavit carnis oculus: novit eas quisquis sine ulla cogitatione qualiscumque corporis intus agnovit eas. Sensi etiam numeros omnibus corporis sensibus quos numeramus; sed illi alii sunt quibus numeramus, nec imagines istorum sunt, et ideo valde sunt. Rideat me ista dicentem qui eos non videt, et ego doleam ridentem me.

## CAPUT XIII.

*Memoria meminisse nos meminimus.*

20. Hæc omnia memoria teneo, et quomodo ea didicerim memoria teneo. Multa etiam quæ adversus hæc falsissime disputantur audivi, et memoria teneo: quæ tametsi falsa sunt, tamen ea meminisse me non est falsum; et discrevisse me inter illa vera et hæc falsa quæ contradicuntur, et hoc memini; aliterque nunc video discernere me ista, aliter autem memini sæpe me discrevisse cum ea sæpe cogitarem. Ergo et intellexisse me sæpius ista memini; et quod nunc discerno et intelligo, recondo in memoria, ut postea me nunc intellexisse meminerim. Ergo et meminisse me memini; sicut postea quod hæc reminisci nunc potui si recordabor, utique per vim memoriæ recordabor.

## CAPUT XIV.

*Quomodo memoria continet affectus animi. Læta non læti quomodo recordamur.*

21. Affectiones quoque animi mei eadem memoria continet: non illo modo quo eas habet ipse animus cum patitur eas; sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriæ. Nam et lætatum me fuisse reminiscor non lætus, et tristitiam meam præteritam recordor non tristis, et me aliquando timuisse recolo sine timore, et pristinæ cupiditatis sine cupiditate sum memor; aliquando e contrario tristitiam meam transactam lætus reminiscor, et tristis lætitiam. Quod mirandum non est de corpore: aliud enim animus, aliud corpus. Itaque si præteritum dolorem corporis gaudens memini, non ita mirum est. Hic vero cum animus sit etiam ipsa memoria: nam et cum mandamus aliquid ut memoriter habeatur, dicimus, Vide ut illud in animo habeas; et cum obliviscimur, dicimus, Non fuit in animo; et, Elapsum est animo; ipsam memoriam vocantes animum: cum ergo ita sit, quid est hoc quod cum tristitiam meam præteritam lætus memini, animus habet lætitiam, et memoria tristitiam; lætusque est animus ex eo quod inest ei lætitia, memoria vero ex eo quod inest ei tristitia tristis non est? Num forte non pertinet ad animum? Quis hoc dixerit? Nimirum ergo memoria quasi venter est animi, lætitia vero atque tristitia quasi cibus dulcis et amarus: cum memoriæ commendantur quasi tradjecta in ventrem recondi illic possunt, sapere non possunt. Ridiculum est hæc illis similia putare, nec tamen sunt omnimodo dissimilia.

22. Sed ecce de memoria profero, cum dico quatuor esse perturbationes animi; cupiditatem, lætitiam, metum, tristitiam: et quidquid de his disputare potuero, dividendo singula per species sui cujusque generis et definiendo; ibi invenio quid dicam, atque inde profero: nec tamen ulla earum perturbatione perturbor, cum eas reminiscendo commemoro; et antequam recolerentur a me et retractarentur, ibi erant; propterea inde per recordationem potuere depromi. Forte ergo, sicut de ventre cibus ruminando, sic ista de memoria recordando proferuntur. Cur igitur in ore cogitationis non sentitur a disputante, hoc est a reminiscente, lætitiæ dulcedo vel amaritudo mœstitiæ? An in hoc dissimile est, quod non undique simile est? Quis enim talia volens loqueretur, si quoties tristitiam metumve nominamus, toties mœrere vel timere cogeremur? Et tamen non ea loqueremur, nisi in memoria nostra non tantum sonos nominum secundum imagines impressas sensibus corporis [1]; sed etiam rerum ipsarum notiones inveniremus, quas nulla janua carnis accepimus, sed eas ipse animus per experientiam passionum suarum sentiens memoriæ

[1] Ita meliores Mss., et sic legendum esse probat quod sequitur, *neque enim est alia regio eorum*, ex qua scilicet cogi possint. Quare emendandi editi codices qui habent, *et in idem*; vel, *et ibidem*.

[1] In prius Edd., *impressas sensibus corporis*; at in Mss., *a sensibus*. — Sic etiam Florentina editio. M.

commendavit, aut ipsa sibi hæc etiam non commendata retinuit.

## CAPUT XV.

*Etiam quæ absunt meminimus.*

23. Sed utrum per imagines, an non, quis facile dixerit? Nomino quippe lapidem, nomino solem, cum res ipsæ non adsunt sensibus meis; in memoria sane mea præsto sunt imagines earum. Nomino dolorem corporis, nec mihi adest dum nihil dolet; nisi tamen adesset imago ejus in memoria mea nescirem quid dicerem, nec eum in disputando a voluptate discernerem. Nomino salutem corporis cum salvus sum corpore: adest mihi quidem res ipsa; verumtamen nisi et imago ejus inesset in memoria mea, nullo modo recordarer quid hujus nominis significaret sonus. Nec ægrotantes agnoscerent salute nominata quid esset dictum; nisi eadem imago vi memoriæ teneretur, quamvis ipsa res abesset a corpore. Nomino numeros quibus numeramus, et adsunt in memoria mea non imagines eorum, sed ipsi. Nomino imaginem solis, et hæc adest in memoria mea: neque enim imaginem imaginis ejus, sed ipsam recolo; ipsa mihi reminiscenti præsto est. Nomino memoriam, et agnosco quod nomino. Et ubi agnosco, nisi in ipsa memoria? Num et ipsa per imaginem suam sibi adest, ac non per seipsam?

## CAPUT XVI.

*Et oblivionis memoria est.*

24. Quid, cum oblivionem nomino, atque itidem agnosco quod nomino, unde agnoscerem nisi meminissem? Non eumdem sonum nominis dico, sed rem quam significat; quam si oblitus essem; quid ille valeret sonus, agnoscere utique non valerem. Ergo cum memoriam memini, per seipsam sibi præsto est ipsa memoria: cum vero memini oblivionem, et memoria præsto est et oblivio; memoria qua meminerim, oblivio quam meminerim. Sed quid est oblivio, nisi privatio memoriæ? Quomodo ergo adest ut eam meminerim, quando cum adest meminisse non possum? At si quod meminimus memoria retinemus; oblivionem autem nisi meminissemus, nequaquam possemus audito isto nomine, rem quæ illo significatur agnoscere; memoria retinetur oblivio. Adest ergo ne obliviscamur, quæ cum adest obliviscimur. An ex hoc intelligitur non per seipsam inesse memoriæ cum eam meminimus, sed per imaginem suam? quia si per seipsam præsto esset oblivio, non ut meminissemus, sed ut oblivisceremur efficeret. Et hoc quis tandem indagabit? quis comprehendet quomodo sit?

25. Ego certe, Domine, laboro hic, et laboro in meipso: factus sum mihi terra difficultatis, et sudoris nimii. Neque enim nunc scrutamur plagas cœli, aut siderum intervalla dimetimur, vel terræ libramenta quærimus: ego sum qui memini, ego animus. Non ita mirum, si a me longe est quidquid ego non sum. Quid autem propinquius meipso mihi? Et ecce memoriæ meæ vis non comprehenditur a me, cum ipsum me non dicam præter illam. Quid enim dicturus sum quando mihi certum est meminisse me oblivionem? An dicturus sum non esse in memoria mea quod memini? an dicturus sum ad hoc inesse oblivionem in memoria mea, ut non obliviscar? Utrumque absurdissimum est. Quid illud tertium? quo pacto dicam imaginem oblivionis teneri memoria mea, non ipsam oblivionem, cum eam memini? Quo pacto et hoc dicam, quandoquidem cum imprimitur rei cujusque imago in memoria, prius necesse est ut adsit res ipsa unde illa imago possit imprimi? Sic enim Carthaginis memini, sic omnium locorum quibus interfui, sic facies hominum quas vidi, et cæterorum sensuum nuntiata, sic ipsius corporis salutem sive dolorem. Cum præsto essent ista, cepit ab eis imagines memoria quas intuerer præsentes, et retractarem animo cum illa et absentia reminiscerer. Si ergo per imaginem suam non per seipsam in memoria tenetur oblivio, ipsa utique aderat ut ejus imago caperetur. Cum autem adesset, quomodo imaginem suam in memoria conscribebat, quando id etiam quod jam notatum invenit, præsentia sua delet oblivio? Et tamen quocumque modo, licet sit modus iste incomprehensibilis et inexplicabilis, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus sum, qua id quod meminerimus obruitur.

## CAPUT XVII.

*Magna memoriæ vis, sed ultra progrediendum ut attingatur Deus.*

26. Magna vis est memoriæ, nescio quid horrendum, Deus meus, profunda et infinita multiplicitas; et hoc animus est, et hoc ego ipse sum. Quid ergo sum, Deus meus? quæ natura sum? Varia, multimoda vita, et immensa vehementer. Ecce in memoriæ meæ campis et antris et cavernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, sive per imagines, sicut omnium corporum; sive per præsentiam, sicut artium; sive per nescio quas notiones vel notationes, sicut affectionum animi; quas et cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit quidquid est in memoria: per hæc omnia discurro et volito; hac illac penetro etiam quantum possum, et finis nusquam; tanta vis est memoriæ, tanta vitæ vis est in homine vivente mortaliter! Quid igitur agam, tu vera mea vita Deus meus? Transibo et hanc vim meam quæ memoria vocatur, transibo eam ut pertendam ad te, dulce lumen. Quid dicis mihi? Ecce ego ascendens per animum meum ad te qui desuper mihi manes. Transibo et istam vim meam, quæ memoria vocatur, volens te attingere unde attingi potes, et inhærere tibi unde inhærere tibi potest. Habent enim memoriam et pecora et aves, alioquin non cubilia nidosve repeterent, non alia multa quibus assuescunt, neque enim et assuescere valerent ullis rebus nisi per memoriam. Transibo ergo et memoriam, ut attingam eum qui separavit me a quadrupedibus, et volatilibus cœli sapientiorem me fecit. Transibo et memoriam; et ubi te inveniam, vere bona et secura suavitas? et ubi te inveniam? Si præter memoriam meam te invenio, immemor tui

sum. Et quomodo jam inveniam te, si memor non sum tui?

## CAPUT XVIII.

*Non inveniretur ea res quæ excidit, nisi memoria teneretur.*

27. Perdiderat enim mulier drachmam, et quæsivit eam cum lucerna (*Luc.* xv, 8), et nisi memor ejus esset, non inveniret eam. Cum enim esset inventa, unde sciret utrum ipsa esset, si memor ejus non esset? Multa memini me perdita quæsisse atque invenisse. Inde istud scio, quia cum quærerem aliquid eorum, et diceretur mihi, Num forte hoc est, num forte illud? tamdiu dicebam: Non est, donec id offerretur quod quærebam. Cujus nisi memor essem, quidquid illud esset, etiam si mihi offerretur, non invenirem, quia non agnoscerem. Et semper ita fit, cum aliquid perditum quærimus et invenimus. Verumtamen si forte aliquid ab oculis perit, non a memoria, veluti corpus quodlibet visibile, tenetur intus imago ejus, et quæritur donec reddatur aspectui. Quod cum inventum fuerit, ex imagine quæ intus est recognoscitur. Nec invenisse nos dicimus quod perierat, si non agnoscimus; nec agnoscere possumus, si non meminimus: sed hoc perierat quidem oculis, memoria tenebatur.

## CAPUT XIX.

*Quid sit reminisci.*

28. Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit cum obliviscimur, et quærimus ut recordemur? Ubi tandem quærimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respuimus, donec illud occurrat quod quærimus: et cum occurrit, dicimus, Hoc est; quod non diceremus nisi agnosceremus, nec agnosceremus nisi meminissemus. Certe ergo obliti fueramus. An [1] non totum exciderat, sed ex parte qua tenebatur pars alia quærebatur; quia sentiebat se memoria non simul volvere quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi quod deerat flagitabat? Tanquam si homo notus sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen ejus obliti requiramus, quidquid aliud occurrerit non connectitur: quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respuitur donec illud adsit, ubi simul assuefacta notitia non inæqualiter acquiescat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes approbamus hoc esse quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel jam [2] oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fuerimus.

## CAPUT XX.

*Ut beatitudinem omnes appetant, oportet eam noverint.*

29. Quomodo ergo te quæro, Domine? Cum enim te Deum meum quæro, vitam beatam quæro. Quæram te ut vivat anima mea. Vivit enim corpus meum de anima mea, et vivit anima mea de te. Quomodo ergo quæro vitam beatam? quia non est mihi donec dicam: Sat est, illic ubi oportet ut dicam? quomodo eam quæro? Utrum per recordationem tanquam eam oblitus sim, oblitumque me esse adhuc tenеam; an per appetitum discendi incognitam, sive quam nunquam scierim, sive quam sic oblitus fuerim ut me nec oblitum esse meminerim? Nonne ipsa est beata vita quam omnes volunt, et omnino qui nolit nemo est? Ubi noverunt eam, quod sic volunt eam? Ubi viderunt, ut amarent eam? Nimirum habemus eam nescio quomodo. Et est alius quidam modus, quo quisque cum habet eam, tunc beatus est; et sunt qui pe beati sunt. Inferiore modo isti habent eam, quam illi qui jam re ipsa beati sunt; sed tamen meliores quam illi qui nec re nec spe beati sunt. Qui tamen etiam ipsi nisi aliquo modo haberent eam, non ita vellent beati esse, quod eos velle certissimum est. Nescio quomodo noverunt eam, ideoque habent eam in nescio qua notitia, de qua satago utrum in memoria sit: quia si ibi est, jam beati fuimus aliquando; utrum singillatim omnes, an in illo homine qui primus peccavit, in quo et omnes mortui sumus, et de quo omnes cum miseria nati sumus, non quæro nunc; sed quæro utrum in memoria sit beata vita. Neque enim amaremus eam nisi nossemus. Audimus nomen hoc, et rem ipsam omnes nos appetere fatemur; non enim sono delectamur. Nam hoc cum latine audit Græcus, non delectatur, quia ignorat quid dictum sit; nos autem delectamur, sicut etiam ille si græce hoc audierit: quoniam res ipsa nec græca nec latina est, cui adipiscendæ Græci Latinique inhiant, cæterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus, qui una voce si interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione, velle responderent. Quod non fieret, nisi res ipsa cujus hoc nomen est, eorum memoria teneretur.

## CAPUT XXI.

*Quomodo memoria beatam vitam continet.*

30. Numquid ita ut meminit Carthaginem qui vidit? Non: vita enim beata non videtur oculis, quia non est corpus. Numquid sicut meminimus numeros? Non: hos enim qui habet in notitia, non adhuc quærit adipisci; vitam vero beatam habemus in notitia, ideoque amamus eam, et tamen adhuc adipisci eam volumus ut beati simus. Numquid sicut meminimus eloquentiam? Non: quamvis enim hoc nomine audito recordentur ipsam rem qui etiam nondum sunt eloquentes, multique esse cupiant, unde apparet eam esse in eorum notitia; tamen per corporis sensus alios eloquentes animadverterunt et delectati sunt et hoc esse desiderant (quanquam nisi ex interiore notitia [1] non delectarentur, neque hoc esse vellent nisi delectarentur); beatam vero vitam nullo sensu corporis in aliis experimur. Numquid sicut meminimus gaudium? Fortasse ita. Nam gaudium meum etiam tristis memini, sicut vitam beatam miser: neque unquam corporis sensu gaudium meum vel vidi, vel au-

[1] Mart., *fueramus; ac non... flagitabat.* Alias, *nam.* M.
[2] In B. legitur *eam*, corrupte. M.

[1] Sic Am. Arn. et Mss.; at Er. et Lov. habent, *in exteriore notitia.*

divi, vel odoratus sum, vel gustavi, vel tetigi; sed expertus sum in animo meo quando lætatus sum, et adhæsit ejus notitia memoriæ meæ, ut id reminisci valeam aliquando cum aspernatione, aliquando cum desiderio, pro earum rerum diversitate de quibus me gavisum esse memini. Nam et de turpibus gaudio quodam perfusus sum, quod nunc recordans detestor atque exsecror; aliquando de bonis et honestis, quod desideraus recolo, tametsi forte non adsunt, et ideo tristis gaudium pristinum recolo.

31. Ubi ergo et quando expertus sum vitam meam beatam ut recorder eam, et amem et desiderem? Nec ego tantum, aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus. Quod nisi certa notitia nossemus, non tam certa voluntate vellemus. Sed quid est hoc quod si quæratur a duobus, utrum militare velint, fieri posset [1] ut alter eorum velle se, alter nolle respondeat : si autem ab eis quæratur, utrum beati esse velint, fieri possit ut [2] uterque statim se sine ulla dubitatione dicat optare; nec ob aliud velit ille militare, nec ob aliud iste nolit, nisi ut beati sint? Nam [3] forte quoniam alius hinc, alius inde gaudet; ita se omnes beatos esse velle consonant, quemadmodum consonarent, si hoc interrogarentur, se velle gaudere, atque ipsum gaudium vitam beatam vocant. Quod etsi alius hinc, alius illinc assequitur, unum est tamen quo pervenire omnes nituntur ut gaudeant. Quæ quoniam res est quam se expertum non esse nemo potest dicere, propterea reperta in memoria recognoscitur, quando beatæ vitæ nomen auditur.

## CAPUT XXII.

*Beata vita quæ, et ubi.*

32. Absit, Domine, absit a corde servi tui, qui confitetur tibi; absit ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium quod non datur impiis (*Isai.* XLVIII, 22), sed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es. Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te; ipsa est, et non est altera. Qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum. Ab aliqua tamen imagine gaudii voluntas eorum non avertitur.

## CAPUT XXIII.

*Item prosequitur quæ sit beata vita, et ubi.*

33. Non ergo certum est quod omnes esse beati volunt, quoniam qui non de te gaudere volunt, quæ sola vita beata est, non utique vitam beatam volunt. An omnes hoc volunt? Sed quoniam caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ut non faciant quod volunt (*Galat.* V, 17), cadunt in id quod valent, eoque contenti sunt; quia illud quod non valent, non tantum volunt, quantum sat est ut valeant. Nam quæro ab omnibus utrum malint de veritate quam de falsitate gaudere : tam non dubitant dicere de veritate se malle, quam non dubitant dicere beatos esse se velle. Beata quippe vita est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te qui veritas es (*Joan.* XIV, 6), Deus illuminatio mea, salus faciei meæ (*Psal.* XXVI, 1), Deus meus. Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quæ sola beata est omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum qui vellent fallere; qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam veritatem? Amant enim et ipsam, quia falli nolunt. Et cum amant beatam vitam quod non est aliud quam de veritate gaudium, utique amant etiam veritatem, nec amarent nisi esset aliqua notitia ejus in memoria eorum. Cur ergo non de illa gaudent? cur non beati sunt? Quia fortius occupantur in aliis quæ potius eos faciunt miseros, quam illud beatos quod tenuiter meminerunt. Adhuc enim modicum lumen est in hominibus; ambulent, ambulent, ne eos tenebræ comprehendant (*Joan.* XII, 35).

34. Cur autem veritas parit odium, et inimicus eis factus est homo tuus verum prædicans, cum ametur beata vita, quæ non est nisi gaudium de veritate : nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem; et quia falli nolunt, nolunt convinci quod falsi sint? Itaque propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt et fallere volunt, amant eam cum se ipsa indicat, et oderunt eam cum eos ipsos indicat [1]. Inde retribuet eis, ut qui se ab ea manifestari nolunt, et eos nolentes manifestet, et eis ipsa non sit manifesta. Sic sic etiam, sic animus humanus, etiam sic cæcus et languidus, turpis atque indecens latere vult; se autem ut lateat aliquid non vult. Contra illi redditur ut ipse non lateat veritatem, ipsum autem veritas lateat. Tamen etiam sic dum miser est, veris mavult gaudere quam falsis. Beatus ergo erit, si nulla interpellante molestia, de ipsa per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit.

## CAPUT XXIV.

*Gratulatur quod sua in memoria Deus locum habeat.*

35. Ecce quantum spatiatus sum in memoria mea, quærens te, Domine, et non te inveni extra eam. Neque enim aliquid de te inveni quod non meminissem ex quo didici te. Nam ex quo didici te, non sum oblitus tui. Ubi enim inveni veritatem, ibi inveni Deum meum ipsam veritatem, quam, ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, et illic te invenio, cum reminiscor tui et delector in te. Hæ sunt sanctæ deliciæ meæ, quas donasti mihi misericordia tua respiciens paupertatem meam.

## CAPUT XXV.

*In quo memoriæ gradu reperiatur Deus.*

36. Sed ubi manes in memoria mea, Domine, ubi illic manes? Quale cubile fabricasti illic tibi? quale sanctuarium [2] ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ ut maneas in ea; sed in qua ejus parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent et bestiæ, cum te recordarer;

[1] Somm. Mart. Flor. et Rond. legunt *fieri possit*. M.
[2] Er. Lugd. Dub. Mart. Rond. cum 11 Mss. omittunt *fieri possit ut*. M.
[3] Er. Lugd. Dub. Mart. Rond. cum 11 Mss., *num*. M.

[1] Lov., *judicat*.
[2] In aliquot Mss., *sacrarium*.

quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium; et veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipsius animi mei sedem, quæ illi est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras : quia sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est cum lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, et quidquid hujusmodi est; ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es, et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, et dignatus es habitare in memoria mea ex quo te didici. Et quid quæro quo loco ejus habites, quasi vero loca ibi sint? Habitas certe in ea, quoniam tui memini ex quo te didici, et in ea te invenio cum recordor te.

## CAPUT XXVI.

*Ubi invenitur Deus.*

37. Ubi ergo te inveni ut discerem te? Neque enim jam eras in memoria mea priusquam te discerem. Ubi ergo inveni te ut discerem te nisi in te supra me? Et nusquam locus, et recedimus, et accedimus, et nusquam locus. Ubique, veritas, præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc a te audire quod ipse voluerit, sed potius hoc velle quod a te audierit.

## CAPUT XXVII.

*Quomodo hominem rapiat Dei pulchritudo.*

38. Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua et tam nova! sero te amavi! Et ecce intus eras, et ego foris, et ibi te quærebam; et in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenebant longe a te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, et clamasti, et rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, et fugasti cæcitatem meam. Fragrasti [1], et duxi spiritum, et anhelo tibi. Gustavi, et esurio, et sitio. Tetigisti me, et exarsi in pacem tuam.

## CAPUT XXVIII.

*Miseriæ hujus vitæ.*

39. Cum inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor; et viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam quem tu imples, sublevas eum; quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. Contendunt lætitiæ meæ flendæ cum lætandis mœroribus; et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi! Domine, miserere mei. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis, et ex qua parte stet victoria nescio. Hei mihi! Domine, miserere mei. Hei mihi! ecce vulnera mea non abscondo : medicus es, æger sum; misericors es, miser sum. Numquid non tentatio est vita humana super terram (*Job.* VII, 1)? Quis velit molestias et difficultates? Tolerari jubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod toleret. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, ubi non sit humana vita tentatio [1]? Væ prosperitatibus sæculi, semel et iterum, a timore adversitatis, et a corruptione lætitiæ! Væ adversitatibus sæculi, semel et iterum et tertio, a desiderio prosperitatis! et quia ipsa adversitas dura est, et naufragat tolerantia [2]; numquid non tentatio est vita humana super terram sine ullo interstitio?

[1] *Flagrasti,* juxta Er. Lugd. Flor. M.

## CAPUT XXIX.

*In Deo spes tota.*

40. Et tota spes mea non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod jubes, et jube quod vis. Imperas nobis continentiam. *Et cum scirem*, ait quidam, *quia nemo potest esse continens nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum* (*Sap.* VIII, 21). Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. O amor qui semper ardes et nunquam exstingueris! Charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis.

## CAPUT XXX.

*Confitetur ut se habet ad tentationes carnalis libidinis.*

41. Jubes certe ut contineam a concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et ambitione sæculi (*Joan.* II, 16). Jussisti a concubitu; et de ipso conjugio melius aliquid quam concessisti monuisti. Et quoniam dedisti, factum est et antequam dispensator sacramenti tui fierem. Sed adhuc vivunt in memoria mea, de qua multa locutus sum, talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; et occursant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant quod vigilanti vera non possunt. Numquid tunc ego non sum, Domine Deus meus? Et tamen tantum interest inter meipsum et meipsum, intra momentum quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo! Ubi est tunc ratio, quæ talibus suggestionibus resistit vigilans? Et si res ipsæ ingerantur, inconcussus maneo [3]. Numquid clauditur cum oculis? numquid sopitur cum sensibus corporis? Et unde sæpe etiam in somnis resistimus, nostrique propositi memores, atque in eo castissime permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus assensum? Et tamen tantum interest, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conscientiæ requiem redea-

[1] Bad. Am. Er. et Lov., *humanæ vitæ tentatio.* — Huic lectioni suffragantur Somm. et 7 Mss. in editione Florentina. M.

[2] Bad. et plures e vetustioribus Mss. habent *et ne frangat tolerantiam.*

[3] Septem Mss., *inconcussa manet :* recte referendo ad rationem. — Editio Florentina, cui accedunt Somm. et Rond., meliorumque codicum auctoritate sese tretam portendens, sic legit : *Ubi est tunc ratio qua vigilans animus, talibus,.. inconcussus manet.* Sed, typographorum forte lapsu, priorem illius lectionis partem prætermittit. M.

mus; ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus.

42. Numquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei soporis exstinguere? Augebis, Domine, magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te, concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in somnis etiam, non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum [1] libeat, quantulum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis affectu, non tantum in hac vita, sed etiam in hac ætate, non magnum est omnipotenti, qui vales facere supra quam petimus et intelligimus (*Ephes.* III, 20). Nunc tamen quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi Domino bono meo, exsultans cum tremore (*Psal.* II, 11) in eo quod donasti mihi, et lugens in eo quod inconsummatus sum, sperans [2] perfecturum te in me misericordias tuas usque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora et exteriora mea, cum absorpta fuerit mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54).

## CAPUT XXXI.

*Ut se gerit ad tentationes gulæ.*

43. Est alia malitia diei, quæ utinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo et bibendo, priusquam escas et ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, et corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna (*Ibid.*, 53). Nunc autem suavis est mihi necessitas, et adversus istam suavitatem pugno ne capiar; et quotidianum bellum gero in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus meum (I *Cor.* IX, 27); et dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames et sitis quidam dolores sunt; urunt, et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præsto est, ex consolatione munerum tuorum, in quibus nostræ infirmitati terra et aqua et cœlum serviunt, calamitas deliciæ vocantur [3].

44. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, et non est alius [4] qua transeatur quo [5] transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. Nec idem modus utriusque est: nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, et in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat.

45. Audio vocem jubentis Dei mei: *Non graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Ebrietas longe est a me; misereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam subrepit servo tuo; misereberis, ut longe fiat a me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Multa nobis orantibus tribuis; et quidquid boni antequam oraremus accepimus, a te accepimus; et ut hoc postea cognosceremus, a te accepimus. Ebriosus nunquam fui, sed ebriosos a te sobrios factos ego novi. Ergo a te factum est ut hoc non essent qui nunquam fuerunt, a quo factum est ut hoc non semper essent qui fuerunt, a quo etiam factum est ut scirent utrique a quo factum est. Audivi aliam vocem tuam: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere* (*Eccli.* XVIII, 30). Audivi et illam ex munere tuo quam multum amavi: *Neque si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deerit nobis* (I *Cor.* VIII, 8). Hoc est dicere, Nec illa res me copiosum faciet, nec illa ærumnosum. Audivi et alteram: *Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse; et abundare novi, et penuriam pati novi. Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV, 11-13). Ecce miles castrorum cœlestium, non pulvis quod nos sumus. Sed memento, Domine, quia pulvis sumus, et de pulvere fecisti hominem (*Psal.* CII, 14; *et Gen.* III, 19), et perierat, et inventus est (*Luc.* XV, 24, 32). Nec ille in se potuit, quia idem pulvis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ inspirationis adamavi: *Omnia possum*, inquit, *in eo qui me confortat*. Conforta me, ut possim. Da quod jubes, et jube quod vis. Iste se accepisse confitetur, et quod gloriatur, in Domino gloriatur [1] (I *Cor.* I, 30, 31). Audivi alium rogantem ut accipiat: *Aufer a me*, inquit, *concupiscentias ventris* (*Eccli.* XXIII, 6). Unde apparet, sancte Deus meus, te dare, cum fit quod imperas fieri.

46. Docuisti me, Pater bone, *Omnia munda mundis; sed malum* esse *homini qui per offensionem manducat* (*Rom.* XIV, 20); et omnem creaturam tuam bonam esse, *nihilque abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV, 4); et quia *esca nos non commendat Deo* (I *Cor.* VIII, 8). et ut *nemo nos judicet in cibo aut in potu* (*Coloss.* II, 16); et ut *qui manducat non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV, 3). Didici hæc; gratias tibi, laudes tibi Deo meo, magistro meo, pulsatori aurium mearum, illustratori cordis mei: eripe me ab

[1] *Tantulum*, juxta Rond. cum 11 Mss. M.
[2] *Et sperans*, juxta Rond. ex sex Mss. M.
[3] Am. Er. et Lov., *calamitates deliciæ vocantur*; at Mss. plerique et Arn., *calamitas*. Priori lectioni favent Somm. et Rond. cum 4 Mss. M.
[4] *lius*, juxta Somm. et Rond. cum 2 Mss. M.
[5] In omnibus Edd. ante Arn. legebatur *quam quo transire*. Expunctum est *quam*, auctoritate Mss. et sensu exigente.

[1] *Ut quod gloriatur, in Domino glorietur*, juxta 5 Mss. apud Mart. M.

omni tentatione. Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne carnis genus quod cibo esset usui manducare permissum (*Gen.* IX, 2, 3); Eliam cibo carnis refectum (III *Reg.* XVII, 6); Joannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est locustis, in escam cedentibus (*Matth.* III, 4) non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum (*Gen.* XXV, 34); et David propter aquæ desiderium a seipso reprehensum (II *Reg.* XXIII, 15-17); et Regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum (*Matth.* IV, 3). Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio adversus Dominum murmuravit, meruit improbari (*Num.* XI).

47. In his ergo tentationibus positus, certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi et bibendi: non enim est quod semel præcidere et ulterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est; magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed et ego magnifico nomen tuum; et interpellat te pro peccatis meis (*Rom.* VIII, 34), qui vicit sæculum (*Joan.* XVI, 33), numerans me inter infirma membra corporis sui, quia et imperfectum ejus [1] viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur (*Psal.* CXXXVIII, 16).

## CAPUT XXXII.

*Ut se gerit ad odorum illecebras.*

48. De illecebra odorum non satago nimis. Cum absunt, non requiro; cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor; fortasse fallor. Sunt enim et istæ plangendæ tenebræ, in quibus me latet facultas mea quæ in me est: ut animus meus de viribus suis ipse se interrogans non facile sibi credendum existimet; quia et quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur (*Job.* VII, 1), utrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Una spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

## CAPUT XXXIII.

*Ut se gerit ad voluptates aurium.*

49. Voluptates aurium tenacius me implicaverant et subjugaverant; sed resolvisti, et liberasti me. Nunc in sonis quos animant eloquia tua, cum suavi et artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco; non quidem ut hæream, sed ut surgam cum volo. Attamen cum ipsis sententiis quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullius dignitatis locum, et vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere quam decet, dum ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur; et omnes affectus spiritus nostri pro sui [1] diversitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur. Sed delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sæpe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur ut patienter sit posterior; sed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio.

50. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatius cavens, erro nimia severitate: sed valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavium quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ; tutiusque mihi videtur quod de Alexandrino episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen, cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso quod moveor [2], non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis et experimentum salubritatis; magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia; ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen, cum mihi accidit ut me amplius cantus, quam res quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum: flete mecum, et pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos hæc movent. Tu autem, Domine Deus meus, exaudi; respice, et vide [3], et miserere, et sana me, in cujus oculis mihi quæstio factus sum, et ipse est languor meus.

## CAPUT XXXIV.

*Ut se gerit ad oculorum illecebras.*

51. Restat voluptas oculorum istorum carnis meæ, de qua loquar [4] confessiones quas audiant aures templi tui, aures fraternæ ac piæ, ut concludamus tentationes concupiscentiæ carnis, quæ me adhuc pulsant ingemiscentem, et habitaculum meum, quod de cœlo est, superindui cupientem (II *Cor.* V, 2). Pulchras formas et varias, nitidos et amœnos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam: teneat eam Deus qui fecit hæc, bona quidem valde; sed ipse est bonum meum, non hæc. Et tangunt me vigilantem totis diebus, nec requies ab eis datur mihi, sicut datur a vocibus canoris, aliquando ab omnibus, in silentio. Ipsa enim regina colorum lux ista, perfundens cuncta quæ cernimus, ubiubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti, et eam non

[1] Bad. Am. Er. et Lov., *imperfectum meum;* sed Mss. cum Arn., *imperfectum ejus;* scilicet Christi, ex cujus persona versiculum istum interpretatur Augustinus, Enarrat. in psalm. 138, n. 23.

[1] *Sonorum*, juxta unum Ms. apud Mart. *Suavi*, juxta alium. *Sua*, juxta Rond. ex uno Ms. M.

[2] Editio Moreti, apud Rond., *et nunc ipse commoveor*. M.

[3] Somm. et Rond., *respice et exaudi; vide*. M.

[4] *Loquor*, juxta Somm. et Mart. cum 6 Mss. M.

advertenti. Insinuat autem se ita vehementer, ut si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur; et si diu absit, contristat [1] animum.

52. O lux quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, et ei præibat pede charitatis nusquam errans (*Tob.* IV). Aut quam videbat Isaac prægravatis et opertis senectute carneis luminibus, cum filios non agnoscendo benedicere, sed benedicendo agnoscere meruit (*Gen.* XXVII). Aut quam videbat Jacob, cum et ipse præ grandi ætate captus oculis, in filiis præsignata futuri populi genera luminoso corde radiavit; et nepotibus suis ex Joseph divexas mystice manus, non sicut pater eorum foris corrigebat, sed sicut ipse intus discernebat, imposuit (*Gen.* XLVIII, XLIX). Ipsa est lux, una est [2], et unum omnes qui vident et amant eam. At ista corporalis de qua loquebar, illecebrosa ac periculosa dulcedine condit vitam sæculi cæcis amatoribus. Qui autem et de ipsa laudare te norunt, Deus creator omnium, assumunt eam in hymno tuo, non absumuntur ab ea in somno suo : sic esse cupio. Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam; et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos (*Psal.* XXIV, 15). Tu subinde evellis eos, nam illaqueantur. Tu non cessas evellere, ego autem crebro hæreo in ubique sparsis insidiis : quoniam non dormies, neque dormitabis, qui custodis Israel (*Psal.* CXX, 4).

53. Quam innumerabilia, variis artibus et opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, et cujuscemodi [3] fabricationibus, picturis etiam, diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum et piam significationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum; foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes a quo facti sunt, et exterminantes quod facti sunt! At ego, Deus meus, et decus meum, etiam hinc dico tibi hymnum, et sacrifico laudem sacrificatori meo [4]; quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificiosas, ab illa pulchritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte. Sed pulchritudinum exteriorum operatores et sectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt utendi modum. Et ibi est, et non vident eum, ut non eant longius, et fortitudinem suam ad te custodiant (*Psal.* LVIII, 10), nec eam spargant in deliciosas lassitudines. Ego autem hæc loquens atque discernens etiam istis pulchris gressum innecto; sed tu evellis, Domine, evellis tu, quoniam misericordia tua ante oculos meos est (*Psal.* XXV, 3). Nam et ego capior miserabiliter, et tu evellis misericorditer; aliquando non sentientem, quia suspensius incideram; aliquando cum dolore, quia jam inhæseram.

[1] *Contristet*, juxta Somm. et Rond. cum 2 Mss. M.

[2] *Una est, et alia non est*, juxta Er. Lugd. Somm. et Rond. cum 6 Mss. M.

[3] Lov., *hujuscemodi fabricationibus;* sed Mss. habent *cujuscemodi :* quo vocabulo frequens utitur Augustinus, pro *qualibuscumque;* idque jam restituimus in hujus libri cap. 8, n. 12.

[4] Mss. et Edd. plures, *sanctificatori meo.* Pauci vero, *sacrificatori.*

## CAPUT XXXV.

*Ut se habet ad secundum tentationis genus, quod est curiositatis.*

54. Huc accedit alia forma tentationis multiplicius periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum et voluptatum, cui servientes depereunt qui longe se faciunt a te, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana et curiosa cupiditas, nomine cognitionis et scientiæ palliata. Quæ quoniam in appetitu noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, *concupiscentia oculorum* eloquio divino appellata est (I *Joan.* II, 16). Ad oculos enim proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus, Audi quid rutilet; aut, Olfac quam niteat; aut, Gusta quam splendeat; aut, Palpa quam fulgeat : videri enim dicuntur hæc omnia. Dicimus autem non solum, Vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam, Vide quid sonet; vide quid oleat; vide quid sapiat; vide quam durum sit. Ideoque generalis experientia sensuum concupiscentia, sicut dictum est, oculorum vocatur; quia videndi officium in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant.

55. Ex hoc autem evidentius discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus : quod voluptas pulchra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur; curiositas autem etiam his contraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreas; et tamen sicubi jaceat, concurrunt ut contristentur, ut palleant. Timent etiam ne in somnis hoc videant; quasi quisquam eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis ulla fama persuaserit. Ita et in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Ex hoc morbo cupiditatis, in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ (quæ præter nos est) operta proceditur [1], quæ scire nihil prodest, et nihil aliud quam scire homines cupiunt. Hinc etiam, si quid eodem perversæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsa religione Deus tentatur, cum signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.

56. In hac tam immensa silva plena insidiarum et periculorum, ecce multa [2] præciderim et a meo corde dispulerim, sicuti donasti me facere, Deus salutis meæ; attamen quando audeo dicere, cum circumquaque quotidianam vitam nostram tam multa hujus generis rerum circumstrepant; quando audeo dicere nulla re tali me intentum fieri ad spectandum, et vana cura capiendum? Sane me jam theatra non rapiunt, nec curo nosse transitus siderum, nec anima mea un-

[1] Ita Mss. cum Arn.; at Bad. Am. Er. et Lov., *ad perscrutanda naturæ secreta, quæ præter nos est operata, proceditur.*

[2] Lov., *In hac tamen immensa.... ecce quam multa.*

quam responsa quæsivit umbrarum ; omnia sacrilega sacramenta detestor. A te, Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus ut signum aliquod petam? Sed obsecro te per Regem nostrum, et patriam Jerusalem simplicem, castam, ut quemadmodum a me longe est ista consensio, ita sit semper longe atque longius. Pro salute autem cujusquam cum te rogo, alius multum differens finis est intentionis meæ; et te facientem quod vis, das mihi, et dabis libenter sequi.

57. Verumtamen in quam multis minutissimis et contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur [1], et quam sæpe labamur, quis enumerat? Quoties narrantes inania, primo quasi toleramus ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter advertimus? Canem currentem post leporem jam non specto, cum in circo fit : at vero in agro, si casu transeam, avertit me fortassis et ab aliqua magna cogitatione, atque ad se convertit illa venatio ; non deviare cogens corpore jumenti, sed cordis inclinatione. Et nisi jam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, aut ex ipsa visione per aliquam considerationem in te assurgere, aut totum contemnere atque transire, vanus hebesco. Quid cum me domi sedentem stellio muscas captans, vel aranea retibus suis irruentes implicans, sæpe intentum facit? Num quia parva sunt animalia, ideo non res eadem geritur? Pergo inde ad laudandum te, creatorem mirificum atque ordinatorem rerum omnium, sed non inde intentus esse incipio. Aliud est cito surgere, aliud est non cadere. Et talibus vita mea plena est, et una spes mea magna valde misericordia tua. Cum enim hujuscemodi rerum conceptaculum [2] fit cor nostrum, et portat [3] copiosæ vanitatis catervas, hinc et orationes nostræ sæpe interrumpuntur atque turbantur, et ante conspectum tuum dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.

## CAPUT XXXVI.

*Ut se habet ad tertium tentationis genus, quod est superbiæ.*

58. Numquid etiam hoc inter contemnenda deputabimus, aut aliquid nos reducet in spem, nisi tota misericordia tua [4], quoniam cœpisti mutare nos? et tu scis quanta ex parte mutaveris, qui me primitus sanas a libidine vindicandi me, ut propitius fias etiam cæteris omnibus iniquitatibus meis, et sanes omnes languores meos, et redimas de corruptione vitam meam, et corones me in miseratione et misericordia, et saties in bonis desiderium meum (*Psal.* CII, 3-5) ; qui [5] compressisti a timore tuo superbiam meam, et mansuefecisti jugo tuo cervicem meam. Et nunc porto illud, et lene est mihi, quoniam sic promisisti et fecisti (*Matth.* XI, 30) ; et vere sic erat, et nesciebam quando id subire metuebam. Sed numquid, Domine, qui solus sine typho dominaris, quia solus verus Dominus es qui non habes dominum ; numquid hoc quoque tertium tentationis genus cessavit a me [1], aut cessare in hac tota vita potest?

59. Timeri et amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed ut inde sit gaudium, quod non est gaudium [2], misera vita est, et fœda jactantia. Hinc fit vel maxime non amare te, nec caste timere te. Ideoque tu superbis resistis, humilibus autem das gratiam (I *Petr.* V, 5) ; et intonas super ambitiones sæculi, et contremunt fundamenta montium. Itaque nobis, quoniam propter quædam humanæ societatis officia necessarium est amari et timeri ab hominibus, instat adversarius veræ beatitudinis nostræ, ubique spargens in laqueis, Euge, euge : ut dum avide colligimus, incaute capiamur, et a veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus ; libeatque nos amari et timeri, non propter te, sed pro te ; atque isto modo sui similes factos secum habeat, non ad concordiam charitatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere in aquilone, ut te perversa et distorta via imitanti [3] (*Isai.* XIV, 13-15), tenebrosi frigidique servirent. Nos autem, Domine, pusillus grex tuus ecce sumus (*Luc.* XII, 32) ; tu nos posside. Prætende alas tuas, et fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto ; propter te amemur, et verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante te. Cum autem non peccator laudatur in desideriis animæ suæ, nec qui iniqua gerit benedicitur (*Psal.* X, 3), sed laudatur homo propter aliquod donum quod dedisti ei; at ille plus gaudet sibi laudari se, quam ipsum donum habere unde laudatur : etiam iste te vituperante laudatur; et melior jam ille qui laudavit, quam iste qui laudatus est. Illi enim placuit in homine donum Dei; huic amplius placuit donum hominis quam Dei.

## CAPUT XXXVII.

*Ut movetur laudibus humanis.*

60. Tentamur his tentationibus quotidie, Domine; sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis et in hoc genere continentiam : da quod jubes, et jube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo quam sim ab ista peste mundatior, et multum timeo occulta mea (*Psal.* XVIII, 13), quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me ; in hoc pene nulla est. Nam et a voluptatibus carnis, et a curiositate supervacanea cognoscendi, video quantum assecutus sim posse refrenare animum meum, cum eis

[1] *Tentetur*, juxta Mart. cum 6 Mss. et Rond. cum 4 Mss. M.
[2] Juxta Rond., *receptaculum*. M.
[3] *Sit cor nostrum, et portet*, etc., juxta Rond. ex 5 Mss. apud Mart. laudatis. M.
[4] Mss. nonnulli cum Arn., *nisi nota misericordia tua*. Alias, *nisi tota*.
[5] *Quia*, juxta Somm. et Rond. ex 9 Mss. M.

[1] *Cessabit a me*, juxta Mart. cum 6 Mss. M.
[2] Somm. et Rond. 9 Mss. fulti phrasim sic inchoant : *Sed numquid* ; eamque sic complent : *Quod non est gaudium ?* M.
[3] Sic legimus in Mss. Fossatensi ; at in aliis plerisque habetur *imitandi*, aut *imitati* : minus bene, ut arbitramur.

rebus careo, vel voluntate, vel cum absunt [1]. Tunc enim me interrogo, quam magis minusve mihi molestum sit non habere. Divitiæ vero quæ ob hoc expetuntur, ut alicui istarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus serviant, si persentiscere non potest animus utrum eas habens contemnat, possunt et dimitti ut se probet. Laude vero ut careamus, atque in eo experiamur quid possumus, numquid male vivendum est, et tam perdite atque immaniter, ut nemo nos noverit qui non detestetur? Quæ major dementia dici aut cogitari potest? At si bonæ vitæ bonorumque operum comes et solet et debet esse laudatio, tam comitatum ejus, quam ipsam bonam vitam deseri non oportet. Non autem sentio sine quo esse aut æquo animo, aut ægre possim, nisi cum abfuerit.

61. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis, Domine, confiteor? Quid, nisi delectari me laudibus; sed amplius ipsa veritate quam laudibus? Nam si mihi proponatur utrum malim furens, aut in omnibus rebus errans, ab omnibus hominibus laudari; an constans, et in veritate certissimus, ab omnibus vituperari; video quid eligam. Verumtamen nollem ut vel augeret mihi gaudium cujuslibet boni mei suffragatio oris alieni. Sed auget, fateor; non solum, sed et vituperatio minuit. Et cum ista miseria mea perturbor, subintrat mihi excusatio, quæ qualis sit, tu scis, Deus; nam me incertum facit. Quia enim nobis imperasti non tantum continentiam, id est, a quibus rebus amorem cohibeamus, verum etiam justitiam, id est, quo eum conferamus; nec te tantum voluisti a nobis, verum etiam proximum diligi: sæpe mihi videor de profectu aut spe proximi delectari, cum bene intelligentis laude delector; et rursus ejus malo contristari, cum eum audio vituperare quod aut ignorat, aut bonum est. Nam et contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo; vel etiam bona minora et levia pluris æstimantur quam æstimanda sunt. Sed rursus, unde scio an propterea sic afficior, quia nolo de meipso a me dissentire laudatorem meum; non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona quæ mihi in me placent, jucundiora mihi sunt cum et alteri placent? Quodammodo enim non ego laudor, cum de me sententia mea non laudatur; quandoquidem aut illa laudantur quæ mihi displicent, aut illa amplius quæ mihi minus placent. Ergone de hoc incertus sum mei?

62. Ecce in te, Veritas, video non me laudibus meis propter me, sed propter proximi utilitatem moveri oportere. Et utrum ita sit nescio. Minus mihi in hac re notus sum ipse quam tu [2]. Obsecro te, Deus meus, et meipsum mihi indica, ut confitear oraturis pro me fratribus meis quod in me saucium comperero. Iterum me diligentius interrogem. Si utilitate proximi moveor in laudibus meis, cur minus moveor, si quisquam alius injuste vituperetur, quam si ego? cur ea contumelia magis mordeor quæ in me, quam quæ in alium eadem iniquitate coram me jacitur? An et hoc nescio? Etiamne id restat ut ipse me seducam, et verum non faciam coram te in corde et lingua mea? Insaniam istam, Domine, longe fac a me, ne oleum peccatoris mihi sit os meum ad impinguandum caput meum (*Psal.* CXL, 5).

## CAPUT XXXVIII.

*Et virtuti periculum a vana gloria.*

63. Egenus et pauper ego sum, et melior in occulto gemitu displicens mihi, et quærens misericordiam tuam, donec reficiatur defectus meus, et perficiatur usque in pacem quam nescit arrogantis oculus. Sermo autem ore procedens, et facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quamdam excellentiam contrahit emendicata suffragia; tentat [1] et cum a me in me arguitur, eo ipso quo arguitur; et sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque non jam de ipso contemptu [2] gloriæ gloriatur, non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

## CAPUT XXXIX.

*Amoris proprii vis et natura.*

64. Etiam intus est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant [3], vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis, verum etiam de bonis tuis quasi suis; aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis; aut etiam sicut ex tua gratia [4], non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes ea. In his omnibus atque hujusmodi periculis et laboribus vides tremorem cordis mei; et vulnera mea magis subinde a te sanari, quam mihi non infligi sentio.

## CAPUT XL.

*Quod in se et cæteris rebus Deum investigavit.*

65. Ubi non mecum ambulasti, Veritas, docens quid caveam et quid appetam, cum ad te referrem inferiora visa mea quæ potui, teque consulerem? Lustravi mundum foris sensu quo potui, et attendi vitam corporis mei de me, sensusque ipsos meos. Inde ingressus sum in recessus memoriæ meæ, multiplices amplitudines plenas miris modis copiarum innumerabilium; et consideravi, et expavi, et nihil eorum dis-

[1] Somm., *vel voluntate cum adsunt, vel necessitate cum desunt*. Sic etiam Rond., substituendo tamen *absunt*, loco *desunt*. M.

[2] Lov., *quam tibi;* sed melius antiquiores Edd. et Mss., *quam tu*. Hic nimirum id confitetur quod supra cap. 5, cum diceret: *Mihi sum præsentior quam tibi, et tamen te novi nullo modo posse violari; ego vero quibus tentationibus resistere valeam, quibusve non valeam, nescio.* — Somm. et Rond. cum 7 Mss., *quam tibi*, uti Lov. M.

[1] Am. Er. et Lov., *contrahere emendicata suffragia tentat; et cum a me*. Somm., *contrahit, et emendicata suffragia tentat; et cum a me*. Prætulimus lectionem Mss., quæ etiam est Bad. et Arn. Porro in sequenti sententia plures Mss. omittunt nomen *homo*.

[2] Am. Er. Lov., *de ipso vanæ gloriæ contemptu*. Abest *vanæ* a Mss., quorum etiam nonnulli verba sequentia sic interpungunt: *Non enim eam contemnit cum gloriatur. Intus etiam, intus est aliud.*

[3] Sic potiores Mss. Lov. vero, absque negatione, *vel placeant*.

[4] Edd. plerique locum huncce ita interpolatum habent: *Aut etiam sicut ex tua gratia, sed non sua merita, non tamen*, etc. Removimus verba isthæc, *sed non sua merita*, quia iis carent Mss.

cernere potui sine te, et nihil eorum esse te inveni. Nec ego ipse inventor qui peragravi omnia, et distinguere et pro suis quæque dignitatibus æstimare conatus sum; excipiens alia nuntiantibus sensibus, et interrogans alia mecum commixta sentiens, ipsosque nuntios dignoscens atque dinumerans, jamque in memoriæ [1] latis opibus alia pertractans, alia recondens, alia eruens. Nec ego ipse cum hæc agerem, id est vis mea qua id agebam, nec ipsa eras tu, quia lux es tu permanens quam de omnibus consulebam an essent, quid essent, quanti pendenda essent : et audiebam docentem ac jubentem. Et sæpe istud facio; hoc me delectat, et ab actionibus necessitatis quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in his omnibus, quæ percurro consulens te, invenio tutum locum animæ meæ nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat [2] ! Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo; miser utrobique.

## CAPUT XLI.

*Triplex cupiditas.*

66. Ideoque consideravi languores peccatorum meorum in cupiditate triplici; et dexteram tuam invocavi ad salutem meam. Vidi enim splendorem tuum corde saucio, et repercussus dixi : Quis illuc potest? Projectus sum a facie oculorum tuorum (*Psal.* XXX, 23). Tu es Veritas super omnia præsidens : at ego per avaritiam meam non amittere te volui, sed volui tecum possidere mendacium; sicut nemo vult ita falsum dicere, ut nesciat ipse quid verum sit. Itaque amisi te, quia non dignaris cum mendacio possideri.

## CAPUT XLII.

*Nonnulli ad dæmones tanquam redeundi ad Deum mediatores infeliciter recurrerunt.*

67. Quem invenirem qui me reconciliaret tibi? Ambiendum [3] mihi fuit ad Angelos? Qua prece? quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per scipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, et inciderunt in desiderium curiosarum visionum, et digni habiti sunt illusionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ fastu, exerentes potius quam tundentes pectora, et adduxerunt sibi per similitudinem cordis sui conspirantes et socias superbiæ suæ potestates aeris hujus (*Ephes.* II, 2), a quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem per quem purgarentur, et non erat. Diabolus enim erat transfigurans se in Angelum lucis (II *Cor.*, XI, 14). Et multum illexit superbam carnem, quod carneo corpore ipse non esset. Erant enim illi mortales et peccatores; tu autem, Domine, cui reconciliari superbe quærebant, immortalis et sine peccato. Mediator autem inter Deum et homines (I *Tim.* II, 5) oportebat ut haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus : ne in utroque hominibus similis, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita mediator non esset. Fallax itaque ille mediator, quo per secreta judicia tua superbia mereretur illudi, unum cum hominibus habet, id est peccatum; aliud videri vult habere cum Deo, ut quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostentet. Sed quia stipendium peccati mors est, hoc habet commune cum hominibus, unde simul damnetur in mortem.

## CAPUT XLIII.

*Christus verus mediator.*

68. Verax autem mediator quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, et misisti ut ejus exemplo etiam ipsam discerent humilitatem, mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus, inter mortales peccatores et immortalem justum apparuit; mortalis cum hominibus, justus cum Deo. Ut quoniam stipendium justitiæ vita et pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum [1], quam cum illis voluit habere communem. Hic [2] demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ, salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator; in quantum autem verbum, non medius, quia æqualis Deo, et Deus apud Deum, et simul cum Spiritu sancto [3] unus Deus.

69. Quomodo nos amasti, Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum ! (*Rom.* VIII, 32.) Quomodo nos amasti pro quibus ille non rapinam arbitratus esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 6); unus ille in mortuis liber (*Ps.* LXXXVII, 6-8), potestatem habens ponendi animam suam, et potestatem habens iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18); pro nobis tibi victor et victima, et ideo victor quia victima; pro nobis tibi sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos quia sacrificium; faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo! Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam et te interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34); alioquin desperarem. Multi enim et magni sunt iidem languores mei, multi sunt et magni; sed amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse a conjunctione hominis, et desperare de nobis, nisi caro fieret et habitaret in nobis.

70. Conterritus peccatis meis et mole miseriæ meæ agitaveram in corde meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, et confirmasti me, dicens : *Ideo pro omnibus Christus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est* (II *Cor.* V, 15). Ecce, Domine, jacto in te curam

[1] Lov., *in memoria elatis opibus.*
[2] In Mss. omnibus, nullo fere excepto : *Tantum consuetudinis sarcina digna est.* Ita etiam Bad.
[3] Sic Mss., excepto Lyrensi qui habet *abeundum.* At Bad. Am. Er. Lov., *an eundum.*

[1] Benign. Ms., *justificandorum impiorum.* Corb. Ms., *justificatorum piorum.*
[2] Codex Fossat.: *Hinc.* Ita etiam unus e Sorbonicis Mss.
[3] Mss. plerique non habent hæc verba, *cum Spiritu sancto.*

meam ut vivam, et considerabo mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII, 18). Tu scis imperitiam meam et infirmitatem meam : doce me, et sana me. Ille tuus Unicus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3), redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi : quoniam cogito pretium meum, et manduco, et bibo, et erogo, et pauper cupio saturari ex eo inter illos qui edunt et saturantur, et laudant Dominum qui requirunt eum (*Ps.* XXI, 27.

# LIBER UNDECIMUS.

Laudaturus Deum deinceps professione suæ ipsius in Scripturis sanctis sive imperitiæ, sive etiam peritiæ, aut ejus quo in eas ex munere divino flagrabat, studii, explicandum sumit exordium libri Geneseos; atque hic primum illustrat isthæc verba : *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Occurrit obtrectantibus, quid faceret Deus antequam cœlum et terram conderet, et unde ei in mentem venerit tandem aliquando ea facere, cum antea non fecisset. Dum vero iis refellendis insistit, copiosam de Tempore conscribit disputationem.

## CAPUT PRIMUM.

*Cur confitemur Deo scienti.*

1. Numquid, Domine, cum tua sit æternitas, ignoras quæ tibi dico, aut ad tempus vides quod fit in tempore? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non utique ut per me noveris ea, sed affectum meum excito in te, et eorum qui hæc legunt, ut dicamus omnes : Magnus Dominus et laudabilis valde (*Psal.* XCV, 4). Jam dixi, et dicam : amore amoris tui facio istud. Nam et oramus, et tamen Veritas ait : *Novit Pater vester quid vobis opus sit, priusquam petatis ab eo* (*Matth.* VI, 8). Affectum ergo nostrum patefacimus in te, confitendo tibi miserias nostras et misericordias tuas super nos, ut liberes nos omnino, quoniam cœpisti, ut desinamus esse miseri in nobis, et beatificemur in te; quoniam vocasti nos ut simus pauperes spiritu, et mites, et lugentes, et esurientes ac sitientes justitiam, et misericordes, et mundicordes, et pacifici (*Id.*, V, 3-9.) Ecce narravi tibi multa quæ potui, et quæ volui; quoniam tu prior voluisti ut confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bonus es, quoniam in sæculum misericordia tua (*Psal.* CXVII, 1).

## CAPUT II.

*Petit a Deo Scripturarum sanctarum intelligentiam.*

2. Quando autem sufficio lingua calami enuntiare omnia hortamenta tua, et omnes terrores tuos, et consolationes, et gubernationes quibus me perduxisti prædicare verbum, et sacramentum tuum dispensare populo tuo? Et si sufficio hæc enuntiare ex ordine, caro mihi valent stillæ temporum. Et olim inardesco meditari in lege tua, et in ea tibi confiteri scientiam et imperitiam meam, primordia illuminationis tuæ, et reliquias tenebrarum mearum, quousque devoretur a fortitudine infirmitas. Et nolo in aliud horæ diffluant, quas invenio liberas a necessitatibus reficiendi corporis, et intentionis animi, et servitutis quam debemus hominibus, et quam non debemus et tamen reddimus.

3. Domine Deus meus, intende orationi meæ, et misericordia tua exaudiat desiderium meum, quoniam non mihi soli æstuat, sed usui vult esse fraternæ charitati : et vides in corde meo quia sic est. Sacrificem [1] tibi famulatum cogitationis et linguæ meæ; et da quod offeram tibi. Inops enim et pauper sum; tu dives in omnes invocantes te (*Rom.* X, 12), qui securus curam nostri geris. Circumcide ab omni temeritate omnique mendacio interiora et exteriora labia mea. Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine, attende; et miserere, Domine Deus meus, lux cæcorum et virtus infirmorum, statimque lux videntium et virtus fortium, attende animam meam, et audi clamantem de profundo. Nam nisi adsint et in profundo aures tuæ, quo ibimus? quo clamabimus? Tuus est dies, et tua est nox (*Psal.* LXXIII, 16) : ad nutum tuum momenta transvolant. Largire inde spatium meditationibus nostris in abdita legis tuæ, neque adversus pulsantes claudas eam. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta; aut non habent illæ silvæ cervos suos recipientes se in eas et resumentes, ambulantes et pascentes, recumbentes [1] et ruminantes. O Domine, perfice me, et revela mihi eas. Ecce vox tua gaudium meum, vox tua super affluentiam voluptatum [2]. Da quod amo : amo enim; et hoc tu dedisti. Ne dona tua deseras, nec herbam tuam spernas sitientem. Confitear tibi quidquid invenero in Libris tuis; et audiam vocem laudis (*Psal.* XXV, 7) et te bibam, et considerem mirabilia de lege tua, ab usque principio in quo fecisti cœlum et terram, usque ad regnum tecum perpetuum sanctæ civitatis tuæ.

4. Domine, miserere mei, et exaudi desiderium meum. Puto enim quod non sit de terra, non de auro et argento et de lapidibus, aut decoris vestibus, aut honoribus et potestatibus, aut voluptatibus carnis, neque de necessariis corpori, et huic vitæ peregrinationis nostræ, quæ omnia nobis apponuntur quærentibus regnum et justitiam tuam. Vide, Domine Deus meus, unde sit desiderium meum. Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine (*Psal.* CXVIII, 85). Ecce unde est desiderium meum. Vide, Pater, aspice, et vide, et approba; et placeat in conspectu misericordiæ tuæ invenire me gratiam ante te, ut aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, virum dexteræ tuæ (*Psal.* LXXIX, 18), filium hominis, quem confirmasti tibi mediatorem tuum et nostrum, per quem nos quæsiisti non quærentes.

[1] Lov., *quia sic est, ut sacrificem.* — Cui lectioni accedunt Er. Ven. Somm. et 5 Mss. apud Mart. M.

[1] Sic Arn. et duodecim Mss. At Lov., *recubantes.*

[2] Codex. Corb., *superaffluentia.* Bad. Am. cum quatuor Mss., *superfluentium voluptatum.*

tes te, quæsisti autem ut quæreremus te; Verbum tuum per quod fecisti omnia, in quibus et me; Unicum tuum per quem vocasti in adoptionem populum credentium, in quo et me: per eum te obsecro qui sedet ad dexteram tuam et te interpellat pro nobis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondíti (*Coloss.* II, 3). Ipsum [1] quæro in Libris tuis. Moyses de illo scripsit (*Joan.* v, 46) : hoc ipse ait; hoc Veritas ait.

## CAPUT III.

*Quæ scripsit Moyses de creatione cœli et terræ intelligere non potest nisi donante Deo.*

5. Audiam et intelligam quomodo in principio fecisti cœlum et terram (*Gen.* I, 1). Scripsit hoc Moyses, scripsit et abiit, transivit hinc a te ad te [2]; neque nunc ante me est. Nam si esset, tenerem eum, et rogarem eum, et per te obsecrarem ut mihi ista panderet; et præberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore ejus. Et si hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum, nec inde mentem meam quidquam tangeret; si autem latine, scirem quid diceret. Sed unde scirem an verum diceret? Quod si et hoc scirem, num ab illo scirem? Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec hebræa, nec græca, nec latina, nec barbara veritas, sine oris et linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, Verum dicit: et ego statim certus confidenter illi homini tuo dicerem, Verum dicis. Cum ergo illum interrogare non possim, te, quo plenus vera dixit, Veritas, rogo te, Deus meus, rogo parce peccatis meis; et qui illi servo tuo dedisti hæc dicere, da et mihi hæc intelligere.

## CAPUT IV.

*Creatura clamat creatorem Deum.*

6. Ecce sunt cœlum et terra : clamant quod facta sint; mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, et tamen est, non est in eo quidquam quod ante non erat, quod est mutari atque variari. Clamant etiam quod seipsa non fecerint : Ideo sumus, quia facta sumus; non ergo eramus antequam essemus, ut fieri possemus a nobis. Et vox dicentium est ipsa evidentia. Tu ergo, Domine, fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim; qui bonus es, bona sunt enim; qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus hæc, gratias tibi. Et scientia nostra scientiæ tuæ comparata, ignorantia est.

## CAPUT V.

*Ex nihilo conditus mundus.*

7. Quomodo autem fecisti cœlum et terram [3], et quæ machina tam grandis operationis tuæ? Non enim sicut homo artifex formans corpus de corpore, arbitratu animæ valentis imponere utcumque speciem quam cernit in semetipsa interno oculo. Et unde hoc valeret, nisi quia tu fecisti eam? Et imponit speciem jam existenti et habenti ut esset, veluti terræ, aut lapidi, aut ligno, aut auro, aut id genus rerum cuilibet. Et unde ista essent, nisi tu instituisses ea? Tu fabro corpus, tu animum membris imperitantem fecisti, tu materiam unde facit aliquid, tu ingenium quo artem capiat et videat intus quid faciat foris, tu sensum corporis quo interprete trajiciat ab animo ad materiam id quod facit, et renuntiet animo quid factum sit, ut ille intus consulat præsidentem sibi veritatem, an bene factum sit. Te laudant hæc omnia creatorem omnium : sed tu quomodo facis ea? quomodo fecisti, Deus, cœlum et terram? Non utique in cœlo neque in terra fecisti cœlum et terram; neque in aere aut in aquis, quoniam et hæc pertinent ad cœlum et terram : neque in universo mundo fecisti universum mundum, quia non erat ubi fieret antequam fieret ut esset. Nec manu tenebas aliquid unde faceres cœlum et terram; nam unde tibi hoc quod tu non feceras, unde aliquid faceres? Quid enim est, nisi quia tu es? Ergo dixisti, et facta sunt, atque in verbo tuo fecisti ea (*Psal.* XXXII, 9, 6).

## CAPUT VI.

*Quomodo Deus dixit, ut fieret mundus.*

8. Sed quomodo dixisti? Numquid illo modo quo facta est vox de nube, dicens : *Hic est Filius meus dilectus?* (*Matth.* III, 17; *et* XVII, 5.) Illa enim vox acta atque transacta est, cœpta et finita. Sonuerunt syllabæ atque transierunt, secunda post primam, tertia post secundam, atque inde ex ordine, donec ultima post cæteras, silentiumque post ultimam. Unde claret atque eminet, quod creaturæ motus expressit eam, serviens æternæ voluntati tuæ ipse temporalis. Et hæc ad tempus facta verba tua nuntiavit auris exterior menti prudenti, cujus auris interior posita est ad æternum Verbum tuum. At illa comparavit hæc verba temporaliter sonantia, cum æterno in silentio Verbo tuo, et dixit : Aliud est, longe aliud est. Hæc longe infra me sunt; nec sunt, quia fugiunt et prætereunt : Verbum autem Domini mei supra me manet in æternum. Si ergo verbis sonantibus et prætereuntibus dixisti ut fieret cœlum et terra, atque ita fecisti cœlum et terram, erat jam creatura corporalis ante cœlum et terram, cujus motibus temporalibus temporaliter vox illa percurreret. Nullum autem corpus ante cœlum et terram : aut si erat, id certe sine transitoria voce feceras, unde transitoriam vocem faceres qua diceres ut fieret cœlum et terra. Quidquid enim illud esset unde talis vox fieret, nisi abs te factum esset, omnino non esset. Ut ergo fieret corpus unde ista verba fierent, quo verbo a te dictum est?

## CAPUT VII.

*Verbum Dei coæternum Deo.*

9. Vocas itaque nos ad intelligendum Verbum Deum apud te Deum, quod sempiterne dicitur, et eo sempiterne dicuntur omnia : neque enim finitur quod dicebatur, et dicitur aliud ut possint dici omnia; sed si-

[1] Sic prius Editi. At antiquiores et meliores Mss. habent, *ipsos quæro.*

[2] Deest in Edd. *a te*, quæ voces in Mss. prope omnibus inveniuntur.

[3] Apud Am. Er. et Lov. sic incipit caput 5 : *In principio fecit Deus cœlum et terram. Quomodo.* Eadem verba exstant hic loci apud Bad., sed absunt a Mss. et ab editione Arnaldina.

mul ac sempiterne omnia. Alioquin jam tempus et mutatio, et non vera æternitas, nec vera immortalitas. Hoc novi, Deus meus, et gratias ago. Novi, confiteor tibi, Domine; mecumque novit et benedicit te quisquis ingratus non est certæ veritati. Novimus, Domine, novimus, quoniam in quantum quidquid non est quod erat, et est quod non erat, in tantum moritur et oritur. Non ergo quidquam Verbi tui cedit atque succedit quoniam vere immortale atque æternum est. Et ideo Verbo tibi coæterno, simul et sempiterne [1] dicis omnia quæ dicis, et fit quidquid dicis ut fiat; nec aliter, quam dicendo, facis: nec tamen et simul et sempiterne fiunt omnia quæ dicendo facis.

## CAPUT VIII.

*Verbum Dei ipsum est principium quo docemur omnem veritatem.*

10 Cur, quæso, Domine Deus meus? Utcumque video; sed quomodo id eloquar nescio: nisi quia omne quod esse incipit et esse desinit, tunc esse incipit et tunc esse desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscitur, ubi nec incipit aliquid nec desinit. Ipsum est Verbum tuum, quod et Principium est quia [2] et loquitur nobis (*Joan.* VIII, 25). Sic in Evangelio per carnem ait; et hoc insonuit foris auribus hominum, ut crederetur, et intus quæreretur, et inveniretur in æterna veritate, ubi omnes discipulos bonus et solus magister docet. Ibi audio vocem tuam, Domine, dicentem [3] mihi, quoniam ille loquitur nobis qui docet nos. Qui autem non docet nos, etiam si loquitur, non nobis loquitur. Quis porro nos docet, nisi stabilis veritas? Quia et per creaturam mutabilem cum admonemur, ad veritatem stabilem ducimur; ubi [4] vere discimus cum stamus et audimus eum, et gaudio gaudemus propter vocem sponsi (*Joan.* III, 29), reddentes nos unde sumus. Et ideo Principium, quia nisi maneret, cum erraremus non esset quo rediremus. Cum autem redimus ab errore, cognoscendo utique redimus; ut autem cognoscamus, docet nos, quia Principium est, et loquitur nobis.

## CAPUT IX.

*Quomodo Verbum Dei loquatur cordi.*

11. In hoc Principio, Deus, fecisti cœlum et terram, in Verbo tuo, in Filio tuo, in Virtute tua, in Sapientia tua, in Veritate tua, miro modo dicens, et miro modo faciens. Quis comprehendet? quis enarrabit? Quid est illud quod interlucet mihi, et percutit cor meum sine læsione; et inhorresco, et inardesco? Inhorresco in quantum dissimilis ei sum; inardesco in quantum similis ei sum. Sapientia ipsa est, quæ interlucet mihi, discindens nubilum meum, quod me rursus cooperit deficientem ab ea, caligine atque aggere pœnarum mearum; quoniam sic infirmatus est in egestate vigor meus (*Psal.* XXX, 11), ut non sufferam bonum meum, donec tu, Domine, qui propitius factus es omnibus iniquitatibus meis, etiam sanes omnes languores meos; quia et redimes de corruptione vitam meam, et coronabis me in miseratione et misericordia, et satiabis in bonis desiderium meum; quoniam renovabitur juventus mea sicut aquilæ (*Psal.* CII, 3-5). Spe enim salvi facti sumus, et promissa tua per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24, 25). Audiat te intus sermocinantem qui potest; ego fidenter ex oraculo tuo clamabo: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24)! et illa Principium, et in eo Principio fecisti cœlum et terram.

## CAPUT X.

*Obtrectantes quid faceret Deus antequam cœlum et terram conderet.*

12. Nonne ecce pleni sunt vetustatis suæ qui nobis dicunt: Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum et terram? Si enim vacabat, inquiunt, et non operabatur aliquid, cur non sic semper et deinceps, quemadmodum retro semper cessavit ab opere? Si enim ullus motus in Deo novus exstitit, et voluntas nova ut creaturam conderet quam nunquam ante condiderat; quomodo jam vera æternitas, ubi oritur voluntas quæ non erat? Neque enim voluntas Dei creatura est, sed ante creaturam; quia non crearetur aliquid, nisi creatoris voluntas præcederet. Ad ipsam ergo Dei substantiam pertinet voluntas ejus. Quod si exortum est aliquid in Dei substantia quod prius non erat; non veraciter dicitur æterna illa substantia: si autem voluntas Dei sempiterna erat ut esset creatura; cur non sempiterna et creatura?

## CAPUT XI.

*Objectioni respondet quod æternitas Dei nescit tempora.*

13. Qui hæc dicunt, nondum te intelligunt, o Sapientia Dei, lux mentium; nondum intelligunt, quomodo fiant quæ per te, atque in te fiunt: et conantur æterna sapere; sed adhuc in præteritis et futuris rerum motibus cor eorum volitat, et adhuc vanum est. Quis tenebit illud, et figet illud ut paululum stet, et paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, et comparet cum temporibus nunquam stantibus, et videat esse incomparabilem; et videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri; non autem præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens; nullum vero tempus totum esse præsens: et videat omne præteritum propelli ex futuro, et omne futurum ex præterito consequi; et omne præteritum ac futurum ab eo quod semper est præsens, creari et excurrere? Quis tenebit cor hominis, ut stet, et videat quomodo stans dictet futura et præterita tempora, nec futura nec præterita æternitas? Numquid manus mea valet hoc, aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?

[1] Nonnulli e Mss. *simul et sempiterno dicis*. Mox etiam plures potioresque cum Arn. habent, *et simul et sempiterna fiunt*. —*Et sinul et sempiterna*, juxta Er. Ven. Lugd., *simul et sempiterna*, omisso priori *et*, juxta Somm. Flor. M.

[2] Habent Edd., *qui et loquitur*. At Mss., *quia et loquitur*, juxta græcum: *oti kai lalô umin*. Sic legisse Augustinum intelligitur aliis ex locis, ut ex cap. 28 lib. seq., et ex Tract. 38 in Joan., etc.

[3] In B. *dicentis*., Er. Ven. Lugd. Somm. Flor. et Rond. cum 3 Mss., *dicentem*. M.

[4] In B., *ibi*. Er. Ven. Lugd. Somm. et Rond. cum 7 Mss., *ubi*. M.

## CAPUT XII.

*Quid Deus fecerit ante mundi creationem.*

14. Ecce respondeo dicenti, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum et terram; respondeo non illud quod quidam respondisse perhibetur joculariter, eludens quæstionis violentiam : Alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat. Aliud est videre, aliud ridere; hæc non respondeo. Libentius enim responderim, Nescio, quod nescio; quam illud unde irridetur qui alta interrogavit, et laudatur qui falsa respondit. Sed dico te, Deus noster, omnis creaturæ creatorem. Et si cœli et terræ nomine omnis creatura intelligitur; audenter dico, Antequam faceret Deus cœlum et terram, non faciebat aliquid : si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et utinam sic sciam, quidquid utiliter scire cupio, quemadmodum scio quod nulla fiebat creatura [1], antequam fieret ulla creatura.

## CAPUT XIII.

*Quod ante tempora a Deo creata nullum tempus fuerit.*

15. At si cujusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, et te Deum omnipotentem et omnicreantem et omnitenentem, cœli et terræ artificem, ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur; evigilet atque attendat, quia falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia sæcula præterire, quæ ipse non feceras, cum sis omnium sæculorum auctor et conditor? aut quæ tempora fuissent quæ abs te condita non essent? aut quomodo præterirent, si nunquam fuissent? Cum ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus antequam faceres cœlum et terram, cur dicitur quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras, nec præterire potuerunt tempora antequam faceres tempora. Si autem ante cœlum et terram nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc faciebas? Non enim erat Tunc, ubi non erat tempus.

16. Nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes. Sed præcedis omnia præterita celsitudine semper præsentis æternitatis; et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint, præterita erunt; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficiunt (*Psal.* ci, 28). Anni tui nec eunt nec veniunt; isti autem nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant; nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt : isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus; et dies tuus non quotidie, sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino; neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas; ideo coæternum genuisti, cui dixisti, *Ego hodie genui te* (*Psal.* ii, 7; *Hebr.* v, 5). Omnia tempora tu fecisti, et ante omnia tempora tu es; nec aliquo tempore non erat tempus.

## CAPUT XIV.

*Temporis differentiæ tres.*

17. Nullo ergo tempore non feceras aliquid, quia ipsum tempus tu feceras. Et nulla tempora tibi coæterna sunt, quia tu permanes : at illa si permanerent, non essent tempora. Quid enim est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc, ad verbum de illo proferendum, vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius et notius in loquendo commemoramus quam tempus? Et intelligimus utique cum id loquimur, intelligimus etiam cum alio loquente id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio : fidenter tamen dico scire me, quod si nihil præteriret, non esset præteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; et si nihil esset, non esset præsens tempus. Duo ergo illa tempora, præteritum et futurum quomodo sunt, quando et præteritum jam non est, et futurum nondum est? Præsens autem si semper esset præsens, nec in præteritum transiret; jam non esset tempus, sed æternitas. Si ergo præsens, ut tempus sit, ideo fit quia in præteritum transit; quomodo et hoc esse dicimus, cui causa ut sit illa est, quia non erit; ut scilicet non vere dicamus tempus esse, nisi quia tendit non esse [1].

## CAPUT XV.

*Mensura temporis in quo.*

18. Et tamen dicimus longum tempus, et breve tempus; neque hoc nisi de præterito aut futuro dicimus. Præteritum tempus longum, verbi gratia, vocamus ante centum annos; futurum itidem longum, post centum annos. Breve autem præteritum, sicut puta, dicimus ante decem dies; et breve futurum, post decem dies. Sed quo pacto longum est aut breve, quod non est? Præteritum enim jam non est, et futurum nondum est. Non itaque dicamus, Longum est; sed dicamus de præterito, Longum fuit, et de futuro, Longum erit. Domine meus, lux mea, nonne et hic veritas tua deridebit hominem? Quod enim longum fuit præteritum tempus, cum jam esset præteritum longum fuit, an cum adhuc præsens esset? Tunc enim poterat esse longum, quando erat quod esset longum : præteritum vero jam non erat; unde nec longum esse poterat, quod omnino non erat. Non ergo dicamus, Longum fuit præteritum tempus; neque enim inveniemus quid fuerit longum, quando ex quo præteritum est, non est : sed dicamus, Longum fuit illud præsens tempus; quia cum præsens esset, longum erat. Nondum enim præterierat ut non esset, et ideo erat quod longum esse posset. Postea vero quam præteriit, simul et longum esse destitit, quod esse destitit.

19. Videamus ergo, o anima humana, utrum præsens tempus possit esse longum; datum enim tibi est sentire moras atque metiri. Quid respondebis mihi? An centum anni præsentes longum tempus est? Vide prius utrum possint præsentes esse centum anni. Si enim primus eorum annus agitur, ipse præsens est; nonaginta vero et novem futuri sunt, et ideo nondum sunt : si autem secundus annus agitur, jam unus est

[1] Benignianus codex, *quod nullam faciebat creaturam.*

[1] Lov., *tendit ad non esse.* Abest particula *ad* a Mss., quæ et alias ab Augustino non adhibetur post verbum *tendi:*, ut lib. 4 hujus operis, cap. 10 : «Ergo cum oriuntur et tendunt esse.»

præteritus, alter præsens, cæteri futuri. Atque ita si mediorum quemlibet centenarii hujus numeri annum præsentem posuerimus; ante illum præteriti erunt, post illum futuri: quocirca centum anni præsentes esse non poterunt. Vide saltem utrum qui agitur unus, ipse sit præsens. Et ejus enim si primus agitur mensis, futuri sunt cæteri; si secundus, jam et primus præteriit, et reliqui nondum sunt. Ergo nec annus qui agitur, totus est præsens; et si non totus est præsens, non est annus præsens. Duodecim enim menses annus est, quorum quilibet unus mensis qui agitur, ipse præsens est; cæteri autem, præteriti aut futuri. Quanquam neque mensis qui agitur, præsens est, sed unus dies: si primus, futuris cæteris; si novissimus, præteritis cæteris; si mediorum quilibet, inter præteritos et futuros.

20. Ecce præsens tempus quod solum inveniebamus longum appellandum, vix ad unius diei spatium contractum est. Sed discutiamus etiam ipsum, quia nec unus dies totus est præsens. Nocturnis enim et diurnis horis omnibus viginti quatuor expletur, quarum prima cæteras futuras habet, novissima præteritas; aliqua vero interjectarum ante se præteritas, post se futuras. Et ipsa una hora fugitivis particulis agitur: quidquid ejus avolavit, præteritum est; quidquid ejus restat, futurum. Si quid intelligitur temporis, quod in nullas jam vel in minutissimas momentorum partes dividi possit, id solum est quod præsens dicatur. Quod tamen ita raptim a futuro in præteritum transvolat, ut nulla morula extendatur. Nam si extenditur, dividitur in præteritum et futurum: præsens autem nullum habet spatium. Ubi est ergo tempus quod longum dicamus? An futurum? Non quidem dicimus, Longum est, quia nondum est quod longum sit; sed dicimus, Longum erit. Quando igitur erit? Si enim et tunc cum adhuc futurum erit, non erit longum; quia quod sit longum, nondum erit: si autem tunc erit longum cum ex futuro, quod nondum est, esse jam cœperit, et præsens factum erit, ut possit esse quod longum sit; jam superioribus vocibus clamat præsens tempus, longum se esse non posse.

## CAPUT XVI.

*Quale tempus metiri liceat, et quale non.*

21. Et tamen, Domine, sentimus intervalla temporum, et comparamus sibimet, et dicimus alia longiora, et alia breviora. Metimur etiam quanto sit brevius aut longius illud tempus quam illud; et respondemus duplum esse hoc vel triplum, illud autem simplum, aut tantum hoc esse quantum illud. Sed prætereuntia metimur tempora cum sentiendo metimur; præterita vero quæ jam non sunt, aut futura quæ nondum sunt, quis metiri potest, nisi forte audebit quis dicere metiri posse quod non est? Cum ergo præterit tempus, sentiri et metiri potest; cum autem præterierit, quoniam non est, non potest.

## CAPUT XVII.

*Ubi tempus præteritum et futurum.*

22. Quæro, Pater, non affirmo: Deus meus, præside mihi et rege me. Quisnam est qui dicat mihi non esse tria tempora, sicut pueri didicimus, puerosque docuimus, præteritum, præsens et futurum; sed tantum præsens, quoniam illa duo non sunt? An et ipsa sunt, sed ex aliquo procedit occulto, cum ex futuro fit præsens; et in aliquod recedit occultum, cum ex præsenti fit præteritum? Nam ubi ea viderunt qui futura cecinerunt, si nondum sunt? Neque enim potest videri id quod non est. Et qui narrant præterita, non utique vera narrarent, si animo illa non cernerent: quæ si nulla essent, cerni omnino non possent. Sunt ergo et futura et præterita.

## CAPUT XVIII.

*Quomodo præterita et futura tempora sint præsentia.*

23. Sine me, Domine, amplius quærere; spes mea, non conturbetur intentio mea. Si enim sunt futura et præterita, volo scire ubi sint. Quod si nondum valeo, scio tamen ubicumque sunt, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia. Nam si et ibi futura sunt, nondum ibi sunt; si et ibi præterita sunt, jam non ibi sunt. Ubicumque ergo sunt quæcumque sunt, non sunt nisi præsentia. Quanquam præterita cum vera narrantur, ex memoria proferuntur non res ipsæ quæ præterierunt, sed verba concepta ex imaginibus earum, quæ in animo velut vestigia per sensus prætereundo fixerunt. Pueritia quippe mea quæ jam non est, in tempore præterito est quod jam non est; imaginem vero ejus cum eam recolo et narro, in præsenti tempore intueor, quia est adhuc in memoria mea. Utrum similis sit causa etiam prædicendorum futurorum, ut rerum quæ nondum sunt, jam existentes præsentiantur imagines [1]; confiteor, Deus meus, nescio. Illud sane scio, nos plerumque præmeditari futuras actiones nostras, eamque præmeditationem esse præsentem, actionem autem quam præmeditamur nondum esse, quia futura est; quam cum aggressi fuerimus, et quod præmeditabamur agere cœperimus, tunc erit illa actio, quia tunc non futura, sed præsens est [2].

24. Quoquo modo se itaque habeat arcana præsensio futurorum, videri nisi quod est non potest. Quod autem jam est, non futurum sed præsens est. Cum ergo videri dicuntur futura, non ipsa quæ nondum sunt, id est quæ futura sunt, sed eorum causæ, vel signa forsitan videntur, quæ jam sunt; ideo non futura, sed præsentia sunt jam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. Quæ rursus conceptiones jam sunt, et eas præsentes apud se intuentur qui illa prædicunt. Loquatur mihi aliquod exemplum tanta rerum numerositas. Intueor auroram, oriturum solem prænuntio: quod intueor, præsens est; quod prænuntio, futurum: non sol futurus qui jam est, sed ortus ejus qui nondum est: tamen etiam ortum ipsum nisi animo imaginarer, sicut modo cum id loquor, non eum possem prædicere. Sed nec illa aurora quam in cœlo video, solis ortus est, quamvis eum præcedat; nec illa imaginatio in animo meo:

[1] Edd. plerique, *præsententur imagines*; et paulo post, *et præsentia futurorum*. Reddimus lectionem Mss. quibus posteriore loco suffragatur Arnaldus.

[2] *Erit*, juxta Er. Ven. Lugd. M.

quæ duo præsentia cernuntur, ut futurus ille ante dicatur. Futura ergo nondum sunt; et si nondum sunt, non sunt : et si non sunt, videri omnino non possunt; sed prædici possunt ex præsentibus, quæ jam sunt, et videntur.

## CAPUT XIX.

*Non capit modum, quo Deus docet futura.*

25. Tu itaque, regnator creaturæ tuæ, quis est modus quo doces animas ea quæ futura sunt? docuisti enim prophetas tuos. Quisnam ille modus est quo doces futura, cui futurum quidquam non est; vel potius de futuris doces præsentia? Nam quod non est, nec doceri utique potest. Nimis longe est modus iste ab acie mea; invaluit ex me, non potero ad illum (*Psal.* CXXVIII, 6); potero autem ex te, cum dederis tu, dulce lumen occultorum oculorum meorum.

## CAPUT XX.

*Differentiæ temporis quomodo nominandæ.*

26. Quod autem nunc liquet et claret, nec futura sunt, nec præterita. Nec proprie dicitur, Tempora sunt tria; præteritum, præsens et futurum : sed fortasse proprie diceretur, Tempora sunt tria; præsens de præteritis, præsens de præsentíbus, præsens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam, et alibi ea non video; præsens de præteritis memoria, præsens de præsentibus contuitus, præsens de futuris exspectatio. Si hæc permittimur dicere, tria tempora video, fateorque, tria sunt. Dicatur etiam, Tempora sunt tria, præteritum, præsens et futurum; sicut abutitur consuetudo, dicatur : ecce non curo, nec resisto, nec reprehendo; dum tamen intelligatur quod dicitur, neque id quod futurum est, esse jam, neque id quod præteritum est. Pauca sunt enim quæ proprie loquimur, plura non proprie; sed agnoscitur quid velimus.

## CAPUT XXI.

*Quomodo tempus liceat metiri.*

27. Dixi ergo paulo ante, quod prætereuntia tempora metimur, ut possimus dicere duplum esse hoc temporis ad illud simplum, aut tantum hoc quantum illud, et si quid aliud de partibus temporum possumus renuntiare metiendo. Quocirca, ut dicebam, prætereuntia metimur tempora. Et si quis mihi dicat, Unde scis? respondeam, Scio quia metimur, nec metiri quæ non sunt possumus, et non sunt præterita vel futura. Præsens vero tempus quomodo metimur, quando non habet spatium? Metitur ergo cum præterit, cum autem præterierit, non metitur [1]; quid enim metiatur, non erit. Sed unde et qua et quo præterit, cum metitur? Unde, nisi ex futuro? qua, nisi per præsens? quo, nisi in præteritum? Ex illo ergo quod nondum est, per illud quod spatio caret, in illud quod jam non est. Quid autem metimur, nisi tempus in aliquo spatio? Neque enim dicimus simpla, et dupla, et tripla, et æqualia, et si quid hoc modo in tempore dicimus, nisi spatia temporum. In quo ergo spatio metimur tempus præteriens? Utrum in futuro, unde præterit? Sed quod nondum est, non metimur. An in præsenti, qua præterit? Sed nullum spatium non metimur. An in præterito, quo præterit? Sed quod jam non est, non metimur.

[1] Edd. aliquot et Mss., *metimur ergo cum præterit.... non metimur; quid enim metiatur* : non concinne. M.

## CAPUT XXII.

*Petit ænigmatis istius solutionem a Deo.*

28. Exarsit animus meus nosse istud implicatissimum ænigma. Noli claudere, Domine Deus meus bone Pater, per Christum obsecro, noli claudere desiderio meo ista, et usitata et abdita, quominus in ea penetret, et dilucescant allucente misericordia tua, Domine. Quem percontabor de his? et cui fructuosius confitebor imperitiam meam, nisi tibi cui non sunt molesta studia mea, flammantia vehementer in Scripturas tuas? Da quod amo : amo enim, et hoc tu dedisti. Da, Pater, qui vere nosti data bona dare filiis tuis (*Matth.* VII, 11). Da, quoniam suscepi cognoscere [1], et labor est ante me (*Psal.* LXXII, 16), donec aperias. Per Christum obsecro, in nomine ejus Sancti sanctorum, nemo mihi obstrepat. Et ego credidi, propter quod et loquor (*Psal.* CXV, 1). Hæc est spes mea; ad hanc vivo [2] ut contempler delectationem Domini. Ecce veteres posuisti dies meos (*Psal.* XXXVIII, 6), et transeunt; et quomodo, nescio. Et dicimus, Tempus et tempus, tempora et tempora; Quamdiu dixit hoc ille, quamdiu fecit hoc ille; et, Quam longo tempore illud non vidi! et, Duplum temporis habet hæc syllaba ad illam simplam brevem. Dicimus hæc, et audimus hæc, et intelligimur et intelligimus. Manifestissima et usitatissima sunt; et eadem rursus nimis latent, et nova est inventio eorum.

## CAPUT XXIII.

*Quid sit tempus.*

29. Audivi a quodam homine docto, quod solis et lunæ ac siderum motus, ipsa sint tempora, et nil annui [3]. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An vero si cessarent cœli lumina, et moveretur rota figuli, non esset tempus quo metiremur eos gyros, et diceremus aut æqualibus morulis agi; aut si alias tardius, alias velocius moveretur, alios magis diuturnos esse, alios minus? Aut cum hoc diceremus, non et nos in tempore loqueremur, aut essent in verbis nostris aliæ longæ syllabæ, aliæ breves, nisi quia illæ longiore tempore sonuissent, istæ breviore? Deus, dona hominibus videre in parvo communes notitias rerum parvarum atque magnarum. Sunt et sidera et luminaria cœli in signis, et in temporibus, et in annis, et in diebus (*Gen.* 1, 14) : sunt vero; sed nec ego dixerim circuitum illius ligneolæ [4] rotæ diem esse, nec tamen ideo tempus non esse ille dixerit.

30. Ego scire cupio vim naturamque temporis, quo

[1] Bad. Am. Er. Lov. *cognoscere te.* Expungendum est *te*, juxta Mss. et Arn. quia de tempore, non de Deo cognoscendo loquitur Augustinus.

[2] Lov., *ad hanc inhio* : recte, nisi alii refragarentur et Edd. et Mss. qui magno consensu ferunt, *ad hanc vivo.*

[3] Sic legendum videtur cum Mss. Vedast. duobus, et uno Corb.; vel cum Arn., *et non annui.* Ubi Germ. Codex habet, *et non abnui.* Lov. vero cum aliquot Mss., *et non anni.* Er., *et anni.* Denique Bad. et Am., *et non animi.* — Juxta Ven., *tempora et anni; non annui.*

[4] Omnes Mss. Angl. : *Circuitum illius, aut definite duplum ligneolæ rotæ.* — *Igneolæ*, juxta Er. Ven. Lugd. M.

metimur corporum motus, et dicimus illum motum, verbi gratia, tempore duplo esse diuturniorem quam istum. Nam quæro, quoniam dies dicitur, non tantum mora solis super terram, secundum quod aliud est dies, aliud nox, sed etiam totius [1] ejus circuitus ab oriente usque ad orientem, secundum quod dicimus, Tot dies transierunt; cum suis enim noctibus dicuntur tot dies, nec extra reputantur spatia noctium : quoniam ergo dies expletur motu solis, atque circuitu ab oriente usque ad orientem; quæro utrum motus ipse sit dies, an mora ipsa quanta peragitur, an utrumque. Si enim primum dies esset; dies ergo esset etiamsi tanto spatio temporis sol cursum illum peregisset, quantum est horæ unius. Si secundum; non ergo esset dies, si ab ortu solis usque in ortum alterum, tam brevis mora esset quam est horæ unius; sed vicies et quater circumiret sol ut expleret diem. Si utrumque; nec ille appellaretur dies, si horæ spatio sol totum suum gyrum circumiret; nec ille [2], si sole cessante tantum temporis præteriret, quanto peragere sol totum ambitum de mane in mane assolet. Non itaque nunc quæram quid sit illud quod vocatur dies, sed quid sit tempus quo metientes solis circuitum, diceremus eum dimidio spatio temporis peractum minus quam solet, si tanto spatio temporis peractus esset, quanto peraguntur horæ duodecim; et utrumque tempus comparantes diceremus illud simplum, hoc duplum, etiamsi aliquando illo simplo, aliquando isto duplo sol ab oriente usque ad orientem circumiret. Nemo ergo mihi dicat cœlestium corporum motus esse tempora : quia et cujusdam voto cum sol stetisset (*Josue* x, 13); ut victoriosum [3] prælium perageret, sol stabat, sed tempus ibat. Per suum quippe spatium temporis, quod ei sufficeret, illa pugna gesta atque finita est. Video igitur tempus quamdam esse distentionem. Sed video, an videre mihi videor? Tu demonstrabis, Lux, Veritas.

## CAPUT XXIV.

*Tempus est quo metimur motum corporis.*

31. Jubes ut approbem si quis dicat tempus esse motum corporis? Non jubes. Nam corpus nullum, nisi in tempore, moveri audio : tu dicis. Ipsum autem corporis motum tempus esse non audio : non tu dicis. Cum enim movetur corpus, tempore metior quamdiu moveatur, ex quo moveri incipit donec desinat. Et si non vidi ex quo cœpit, et perseverat moveri, ut non videam cum desinit; non valeo metiri, nisi forte ex quo videre incipio donec desinam. Quod si diu video, tantummodo longum tempus esse renuntio, non autem quantum sit; quia et quantum cum dicimus, collatione dicimus; velut, Tantum hoc quantum illud; aut, Duplum hoc ad illud, et si quid aliud isto modo. Si autem notare potuerimus locorum spatia, unde et quo veniat corpus quod movetur, vel partes ejus, si tanquam in torno movetur, possumus dicere quantum sit temporis, ex quo ab illo loco usque ad illum locum motus corporis vel partis ejus effectus est. Cum itaque aliud sit motus corporis, aliud quo metimur quamdiu sit; quis non sentiat quid horum potius tempus dicendum sit? Nam etsi varie corpus aliquando movetur, aliquando stat; non solum motum ejus, sed etiam statum tempore metimur; et dicimus, Tantum stetit, quantum motum est; aut, Duplo vel triplo stetit, ad id quod motum est; et si quid aliud nostra dimensio sive comprehenderit sive existimaverit, ut dici solet, plus minus. Non est ergo tempus corporis motus.

## CAPUT XXV.

*Rursus Deum interpellat.*

32. Et confiteor tibi, Domine, ignorare me adhuc quid sit tempus; et rursus confiteor tibi, Domine, scire me in tempore ista dicere, et diu me jam loqui de tempore, atque ipsum diu non esse diu nisi mora temporis. Quomodo igitur hoc scio, quando quid sit tempus nescio? An forte nescio quemadmodum dicam quod scio? Hei mihi qui nescio saltem quid nesciam! Ecce, Deus meus, coram te, quia non mentior; sicut loquor, ita est cor meum. Tu illuminabis lucernam meam, Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas (*Psal.* XVII, 25).

## CAPUT XXVI.

*Quomodo tempus metimur.*

33. Nonne tibi confitetur anima mea confessione veridica metiri me tempora? Itane, Deus meus, metior, et quid metiar nescio? Metior motum corporis tempore; item ipsum tempus non metior? An vero corporis motum metirer quamdiu sit, et quamdiu hinc illuc perveniat, nisi tempus in quo movetur metirer? Ipsum ergo tempus unde metior? An tempore breviore metimur longius, sicut spatio cubiti spatium transtri? Sic enim videmur spatio brevis syllabæ metiri spatium longæ syllabæ, atque id duplum dicere. Ita metimur spatia carminum spatiis versuum, et spatia versuum spatiis pedum, et spatia pedum spatiis syllabarum, et spatia longarum spatiis brevium : non in paginis (nam eo modo loca metimur, non tempora), sed cum voces pronuntiando transeunt, et dicimus, Longum carmen est, nam tot versibus contexitur; longi versus, nam tot pedibus constant; longi pedes, nam tot syllabis tenduntur; longa syllaba, nam dupla est ad brevem. Sed neque ita comprehenditur certa mensura temporis, quandoquidem fieri potest ut ampliori spatio temporis, personet versus brevior si productius pronuntietur, quam longior si correptius. Ita carmen, ita pes, ita syllaba. Inde mihi visum est, nihil esse aliud tempus quam distentionem : sed cujus rei, nescio; et mirum si non ipsius animi. Quid enim metior, obsecro, Deus meus, et dico aut indefinite, Longius est hoc tempus quam illud; aut etiam definite, Duplum est hoc ad illud? Tempus metior, scio : sed non metior futurum, quia nondum est; non metior præsens, quia nullo spatio tenditur; non metior præteritum, quia jam non est. Quid ergo metior? An prætereuntia tempora, non præterita? sic enim dixeram.

## CAPUT XXVII.

*Quomodo metimur tempus permanens in animo.*

34. Insiste, anime meus, et attende fortiter : Deus

[1] *Totus*, juxta Er. Ven. Lugd. Somm. Dub. et Rond. cum 8 Mss. M.
[2] *Illa*, juxta Er. Ven. Lugd. M.
[3] Bad. Am. Er. et Lov. cum paucioribus Mss., *ut victor Josue*. M.

adjutor noster; ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* XCIX, 3). Attende ubi albescit veritas. Ecce puta, vox corporis incipit sonare, et sonat, et adhuc sonat, et ecce desinit; jamque silentium est, et vox illa præterita est, et non est jam vox. Futura erat antequam sonaret, et non poterat metiri, quia nondum erat, et nunc non potest, quia jam non est. Tunc ergo poterat cum sonabat, quia tunc erat quæ metiri posset. Sed et tunc non stabat; ibat enim et præteribat. An ideo magis poterat? Præteriens enim tendebatur in aliquod spatium temporis quo metiri posset, quoniam præsens nullum habet spatium. Si ergo tunc poterat, ecce puta, altera cœpit sonare, et adhuc sonat, continuato tenore sine ulla distinctione: metiamur eam dum sonat; cum enim sonare cessaverit, jam præterita erit, et non erit quæ possit metiri; metiamur plane et dicamus quanta sit. Sed adhuc sonat, nec metiri potest nisi ab initio sui quo sonare cœpit, usque ad finem quo desinit. Ipsum quippe intervallum metimur ab aliquo initio usque ad aliquem finem. Quapropter vox quæ nondum finita est, metiri non potest, ut dicatur quam longa vel brevis sit; nec dici aut æqualis alicui, aut ad aliquam simpla vel dupla, vel quid aliud. Cum autem finita fuerit, jam non erit. Quo pacto igitur metiri poterit? Et metimur tamen tempora: nec ea quæ nondum sunt, nec ea quæ jam non sunt, nec ea quæ nulla mora extenduntur, nec ea quæ terminos non habent; nec futura ergo, nec præterita, nec præsentia, nec prætereuntia tempora metimur; et metimur tamen tempora.

35. *Deus creator omnium;* versus iste octo syllabarum, brevibus et longis alternat syllabis. Quatuor itaque breves; prima, tertia, quinta, septima, simplæ sunt ad quatuor longas; secundam, quartam, sextam, octavam. Hæ singulæ ad illas singulas duplum habent temporis; pronuntio, renuntio, et ita est quantum sentitur sensu manifesto. Quantum sensus manifestus est, brevi syllaba longam metior, eamque habere bis tantum sentio. Sed cum altera post alteram sonat, si prior brevis, longa posterior, quomodo tenebo brevem, et quomodo eam longæ metiens applicabo, ut inveniam quod bis tantum habeat; quandoquidem longa sonare non incipit, nisi brevis sonare destiterit? Ipsam quoque longam non præsentem metior, quando nisi finitam non metior. Ejus autem finitio, præteritio est. Quid ergo est quod metiar? ubi est, qua [1] metior, brevis? ubi est longa quam metior? Ambæ sonuerunt, avolaverunt, præterierunt; jam non sunt; et ego metior, fideuterque respondeo, quantum exercitato sensu fiditur, illam simplam esse, illam duplam, in spatio scilicet temporis. Neque hoc possum, nisi quia præterierunt et finitæ sunt. Non ergo ipsas quæ jam non sunt, sed aliquid in memoria mea metior quod infixum manet.

36. In te, anime meus, tempora metior; noli mihi obstrepere: quod est, Noli tibi obstrepere turbis affectionum tuarum. In te, inquam, tempora metior; affectionem quam res prætereuntes in te faciunt, et cum illæ præterierint manet, ipsam metior præsentem, non eas quæ præterierunt ut fieret: ipsam metior, cum tempora metior. Ergo aut ipsa sunt tempora, aut non tempora metior. Quid cum metimur silentia, et dicimus illud silentium tantum tenuisse temporis, quantum illa vox tenuit? Nonne cogitationem tendimus ad mensuram vocis, quasi sonaret, ut aliquid de intervallis silentiorum in spatio temporis renuntiare possimus? Nam et voce atque ore cessante, peragimus cogitando carmina, et versus et quemque sermonem, motionumque dimensiones quaslibet, et de spatiis temporum, quantum illud ad illud sit renuntiamus, non aliter ac si ea sonando diceremus. Si voluerit aliquis edere longiusculam vocem, et constituerit præmeditando quam longa futura sit; egit utique iste spatium temporis in silentio, memoriæque commendans cœpit edere illam vocem quæ sonat, donec ad propositum terminum perducatur: imo sonuit et sonabit; nam quod ejus jam peractum est, utique sonuit; quod autem restat, sonabit: atque ita peragitur, dum præsens intentio futurum in præteritum trajicit, diminutione futuri crescente præterito, donec consumptione futuri sit totum præteritum.

## CAPUT XXVIII.

*Animo metimur tempora.*

37. Sed quomodo minuitur aut consumitur futurum, quod nondum est? aut quomodo crescit præteritum quod jam non est, nisi quia in animo qui illud agit tria sunt? Nam et exspectat et attendit et meminit, ut id quod exspectat, per id quod attendit, transeat in id quod meminerit. Quis igitur negat futura nondum esse? Sed tamen jam est in animo exspectatio futurorum. Et quis negat præterita jam non esse? Sed tamen adhuc est in animo memoria præteritorum. Et quis negat præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit? Sed tamen perdurat attentio per quam pergat [1] abesse quod aderit. Non igitur longum tempus futurum quod non est, sed longum futurum longa exspectatio futuri est; neque longum præteritum tempus quod non est, sed longum præteritum longa memoria præteriti est.

38. Dicturus sum canticum quod novi: antequam incipiam, in totum exspectatio mea tenditur; cum autem cœpero, quantum ex illa [2] in præteritum decerpsero, tenditur in memoria mea: atque distenditur vita hujus actionis meæ in memoriam, propter quod dixi; et in exspectationem, propter quod dicturus sum: præsens tamen adest attentio mea, per quam trajiciatur quod erat futurum ut fiat præteritum. Quod quanto magis agitur et agitur, tanto breviata exspectatione prolongatur memoria; donec tota exspectatio consumatur, cum tota illa actio finita transierit in memoriam. Et quod in toto cantico, hoc in singulis particulis ejus fit, atque in singulis syllabis ejus; hoc in actione longiore, cujus forte particula est illud canticum; hoc in tota vita hominis, cujus partes sunt

[1] Lov. et antiquiores editiones, *quam metior;* sed melius Arn. cum Mss. *qua;* statim quippe dixerat Augustinus brevi syllaba longam se metiri.

[1] In prius editis, *peragat abesse quod aderit.* Melius in Mss., pergat *abesse;* id est, per quam attentionem pergat transire in præteritum, quod est futurum.—Mart. et Rond., *pergat adesse quod aberit.* M.

[2] *Ex illo*, juxta Er. Ven. Lugd. Somm. Dub. Flor. et Rond. cum 7 Mss. M

omnes actiones hominis; hoc in toto sæculo filiorum hominum, cujus partes sunt omnes vitæ hominum.

## CAPUT XXIX.

*Se in temporalia distentum cupit in Deum colligi.*

39. Sed quoniam melior est misericordia tua super vitas (*Psal.* LXII, 4), ecce distentio est vita mea, et me suscepit dextera tua in Domino meo mediatore Filio hominis inter te unum et nos multos, in multis per multa, ut per eum apprehendam in quo et apprehensus sum, et a veteribus diebus colligar sequens unum, præterita oblitus; non in ea quæ futura et transitura sunt, sed in ea quæ ante sunt, non distentus, sed extentus [1], non secundum distentionem, sed secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis (*Philipp.* III, 13, 14); ubi audiam vocem laudis tuæ, et contempler delectationem tuam, nec venientem, nec prætereuntem. Nunc vero anni mei in gemitibus. Et tu solatium meum, Domine, pater meus æternus es: at ego in tempora dissilui [2], quorum ordinem nescio; et tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viscera animæ meæ, donec in te confluam purgatus et liquidus igne amoris tui.

## CAPUT XXX.

*Coarguit rursum obtrectantes, quid fecerit Deus ante mundi creationem.*

40. Et stabo atque solidabor in te, in forma mea, veritate tua; nec patiar quæstiones hominum, quï pœnali morbo plus sitiunt quam capiunt et dicunt, Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum et terram? Aut quid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, cum antea nunquam aliquid fecerit? Da illis, Domine, bene cogitare quid dicant, et invenire quia non dicitur, Nunquam, ubi non est tempus. Quod [3] ergo dicitur, nunquam fecisse, quid aliud dicitur nisi nullo tempore fecisse? Videant itaque nullum tempus esse posse sine creatura, et desinant istam vanitatem loqui. Extendantur etiam in ea quæ ante sunt, et intelligant te ante omnia tempora æternum creatorem omnium temporum, neque ulla tempora tibi esse coæterna, nec ullam creaturam, etiam si est aliqua supra tempora.

## CAPUT XXXI.

*Quomodo cognoscit Deus, quomodo creatura.*

41. Domine Deus meus, quis ille sinus est alti secreti tui, et quam longe inde me projecerunt consequentia delictorum meorum? Sana oculos meos, et congaudeam luci tuæ. Certe si est tam grandi scientia et præscientia pollens animus, cui cuncta præterita et futura ita nota sint, sicut mihi unum canticum notissimum; nimium mirabilis est animus iste, atque ad horrorem stupendus: quippe quem ita non lateat quidquid peractum, et quidquid reliquum sæculorum est; quemadmodum me non latet cantantem illud canticum, quid et quantum ejus abierit ab exordio, quid et quantum restet ad finem. Sed absit ut tu conditor universitatis, conditor animarum et corporum, absit ut ita noveris omnia futura et præterita. Longe tu, longe mirabilius, longeque secretius. Neque enim sicut nota cantantis notumve canticum audientis, exspectatione vocum futurarum et memoria præteritarum variatur affectus, sensusque distenditur; ita tibi aliquid accidit incommutabiliter æterno, hoc est, vere æterno creatori mentium. Sicut ergo nosti in principio cœlum et terram sine varietate notitiæ tuæ, ita fecisti in principio cœlum et terram sine distentione [1] actionis tuæ. Qui intelligit, confiteatur tibi; et qui non intelligit, confiteatur tibi. O quam excelsus es, et humiles corde sunt domus tua! Tu enim erigis elisos (*Psal.* CXLV, 8), et non cadunt quorum celsitudo tu es.

[1] Sic Mss.; at Edd., *intentus*.
[2] Mss. Benign. Corb. et alii non deteriores, *dissolui*.
[3] *Qui*, juxta Er. Ven. Lugd. Mart. et Rond. cum 8 Mss. M.

[1] In vulgatis et aliquot Mss., *sine distinctione;* at in Mss. pluribus et melioris notæ habetur, *sine distentione:* consequentius porro ad illud quod præcedit: *neque enim sicut nota cantantis... variatur affectus sensusque distenditur.*

# *LIBER DUODECIMUS.*

Prosequitur interpretationem hujusce versiculi, *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Illic nomine *cœli* significatam putat spiritualem vel intellectualem illam creaturam, quæ semper faciem Dei contemplatur; *terræ* autem vocabulo informem materiam, ex qua rerum corporearum species fuerunt posthac formatæ. Verum alias interpretandi rationes haudquaquam improbandas esse; imo ex Scripturæ divinæ profunditate multiplicem posse erui sensum confitetur.

## CAPUT PRIMUM.

*Difficilis inquisitio veri.*

1. Multa satagit cor meum, Domine, in hac inopia vitæ meæ pulsatum verbis sanctæ Scripturæ tuæ: et ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanæ intelligentiæ; quia plus loquitur inquisitio quam inventio, et longior est petitio quam impetratio, et operosior est manus pulsans quam sumens. Tenemus promissum; quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis, quis contra nos (*Rom.* VIII, 31)? *Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et quærens invenit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII, 7, 8). Promissa tua sunt; et quis falli timeat, cum promittit Veritas?

## CAPUT II.

*De duplici cœlo et terra.*

2. Confitetur altitudini tuæ humilitas linguæ meæ, quoniam tu fecisti cœlum et terram; hoc cœlum quod video, terramque quam calco, unde est hæc terra quam porto, tu fecisti. Sed ubi est cœlum cœli, Domine, de quo audivimus in voce Psalmi: *Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum* (*Psal.* CXIII, 16)? Ubi est cœlum quod non cernimus, cui terra est hoc omne quod cernimus? Hoc enim totum corporeum, non ubique totum ita accepit speciem

pulchram in novissimis, cujus [1] fundus est terra nostra; sed ad illud cœlum cœli, etiam terræ nostræ cœlum terra est. Et hoc utrumque magnum corpus non absurde terra est, ad illud nescio quale cœlum quod Domino est, non filiis hominum.

## CAPUT III.

*Quid tenebræ super faciem abyssi.*

3. Et nimirum hæc *terra erat invisibilis et incomposita*, et nescio quæ profunditas abyssi super quam non erat lux; quia nulla species erat illi; unde jussisti ut scriberetur, quod *tenebræ erant super abyssum* (*Gen.* 1, 2); quid aliud quam lucis absentia? Ubi enim lux esset, si esset, nisi superesset eminendo et illustrando? Ubi ergo lux nondum erat, quid erat adesse tenebras, nisi abesse lucem? Super itaque erant tenebræ, quia lux super aberat; sicut sonus ubi non est, silentium est. Et quid est esse ibi silentium, nisi sonum ibi non esse? Nonne tu, Domine, docuisti hanc animam quæ tibi confitetur? Nonne tu, Domine, docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atque distingueres, non erat aliquid; non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil: erat quædam informitas sine ulla specie.

## CAPUT IV.

*Quid terra invisibilis et incomposita.*

4. Quid ergo vocaretur, quod etiam sensu tardioribus utcumque insinuaretur, nisi usitato aliquo vocabulo? Quid autem in omnibus mundi partibus reperiri potest propinquius informati omnimodæ, quam terra et abyssus? Minus enim speciosa sunt, pro suo gradu infimo, quam cætera superiora perlucida et luculenta omnia. Cur ergo non accipiam informitatem materiæ, quam sine specie feceras, unde speciosum mundum faceres, ita commode hominibus intimatam, ut appellaretur *terra invisibilis et incomposita?*

## CAPUT V.

*Cur sic appellata videtur materia informis.*

5. Ut cum in ea [2] quærit cogitatio quid sensus attingat, et dicit sibi, Non est intelligibilis forma sicut vita, sicut justitia, quia materies est corporum; neque sensibilis, quoniam quod videatur et quod sentiatur in invisibili et incomposita non est: dum sibi hæc dicit humana cogitatio, conetur eam vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.

## CAPUT VI.

*Quid olim cum Manichæis senserit de materia informi, quid modo.*

6. Ego vero, Domine, si totum confitear [3] tibi ore meo et calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me, cujus antea nomen audiens et non intelligens narrantibus mihi eis qui non intelligerent, eam cum speciebus innumeris et variis cogitabam; et ideo non eam cogitabam; fœdas et horribiles formas perturbatis ordinibus volvebat animus, sed formas tamen; et informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut, si appareret, insolitum et incongruum aversaretur sensus meus, et conturbaretur infirmitas hominis. Verum autem [1] illud quod cogitabam, non privatione omnis formæ, sed comparatione formosiorum erat informe: et suadebat vera ratio, ut omnis formæ qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare; et non poteram. Citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formatum et nihil, nec [2] formatum nec nihil, informe prope nihil. Et cessavit mens mea interrogare hinc spiritum meum plenum imaginibus formatorum corporum, et eas pro arbitrio mutantem atque variantem; et intendi in ipsa corpora, eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse quod fuerant, et incipiunt esse quod non erant; eumdemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil: sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur vox et stilus meus, quidquid de ista quæstione enodasti mihi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen cessabit cor meum dare tibi honorem et canticum laudis de iis quæ dictare non sufficit. Mutabilitas enim rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? numquid corpus? numquid species animi vel corporis? Si dici posset, Nihil aliquid, et, Est non est [3], hoc eam dicerem; et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles et compositas.

## CAPUT VII.

*Deus fecit de nihilo cœlum, id est Angelos; et terram, id est informem materiam.*

7. Et unde utcumque erat, nisi esset abs te, a quo sunt omnia in quantumcumque sunt? Sed tanto a te longius, quanto dissimilius; neque enim locis. Itaque tu, Domine, qui non es alias aliud [4] et alias aliter, sed idipsum et idipsum et idipsum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens (*Isai.* VI, 3); in Principio quod est de te, in Sapientia tua quæ nata est de substantia tua, fecisti aliquid et de nihilo. Fecisti enim cœlum et terram; non de te: nam esset æquale Unigenito tuo, ac per hoc et tibi; et nullo modo justum esset, ut æquale tibi esset, quod de te non esset. Et aliud præter te non erat unde faceres ea, Deus una Trinitas, et trina Unitas: et ideo de nihilo fecisti cœlum et terram, magnum quiddam et parvum quiddam; quoniam omnipotens et bonus es ad facienda omnia bona, magnum cœlum et parvam terram. Tu eras, et aliud nihil unde fecisti cœlum et terram, duo quædam; unum prope te, alterum prope

[1] *Cui*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

[2] Ita in Mss. et concinnius quam si legas ut in vulgatis: *Ut cum in ea.* — Somm., neque *et* neque *ut* admittens, sic: *cum in ea.* M.

[3] In Mss. omnibus habetur, *si totum confitear*: cujus propositionis sensus ex istis completur verbis, *quis legentium capere durabit?*

[1] Mart. ex duobus Mss. *verumtamen*: sic etiam unus apud Rond. manuscriptus. M.

[2] Sequimur Mss. Benign. Theodoric., etc. Non pauci tamen cum Lov. et Arn. habent, *quiddam inter formam et nihil, nec*, etc. At Bad. Am. et Er. cum duobus Mss. sic ferunt: *quam cogitabam quiddam informe et nihil formatum, nec nihil informe, prope nihil.*

[3] Sic Mss. paucis exceptis. At Lov. cum antiquioribus editionibus, *nihil aliquid est, et non est, hoc eam dicerem.*

[4] Editi, *alibi aliud.*

nihil : unum, quo superior tu esses ; alterum, quo inferius nihil esset.

## CAPUT VIII.

*Materia informis ex nihilo : ex hac omnia visibilia.*

8. Sed illud cœlum cœli tibi, Domine ; terra autem quam dedisti filiis hominum (*Psal.* CXIII, 15) cernendam atque tangendam, non erat talis qualem nunc cernimus et tangimus. Invisibilis enim erat et incomposita, et abyssus erat super quam non erat lux ; aut [1], *Tenebræ erant super abyssum* (*Gen.* I, 2), id est, magis quam in abysso. Ista quippe abyssus aquarum jam visibilium etiam in profundis suis habet speciei suæ lucem utcumque sensibilem piscibus, et repentibus in suo fundo animantibus : illud autem totum prope nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat ; jam tamen erat quod formari poterat. Tu enim, Domine, fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re pene nullam rem, unde faceres magna quæ miramur filii hominum. Valde enim mirabile hoc cœlum corporeum, quod firmamentum inter aquam et aquam secundo die post conditionem lucis dixisti, *Fiat ;* et sic factum est ( *Ibid.*, 6, 7). Quod firmamentum vocasti cœlum ; sed cœlum terræ hujus et maris quæ fecisti tertio die, dando speciem visibilem informi materiæ quam fecisti ante omnem diem. Jam enim feceras et cœlum ante omnem diem, sed cœlum cœli hujus; quia in principio feceras cœlum et terram. Terra autem ipsa quam feceras, informis materies erat, quia invisibilis erat et incomposita, et tenebræ super abyssum [2] : de qua terra invisibili et incomposita, de qua informitate, de quo pene nihilo faceres hæc omnia quibus iste mutabilis mundus constat, et non constat, in quo ipsa mutabilitas appareat in qua sentiri et dinumerari possunt tempora ; quia rerum mutationibus fiunt tempora dum variantur et vertuntur species, quarum materies prædicta est terra invisibilis.

## CAPUT IX.

*Cur absque dierum mentione scriptum est Deum fecisse in principio cœlum et terram.*

9. Ideoque Spiritus doctor famuli tui, cum te commemorat fecisse in principio cœlum et terram, tacet de temporibus, silet de diebus. Nimirum enim cœlum cœli quod in principio fecisti, creatura est aliqua intellectualis ; quanquam nequaquam tibi Trinitati coæterna, particeps tamen æternitatis tuæ, valde mutabilitatem suam præ dulcedine felicissimæ contemplationis tuæ cohibet, et sine ullo lapsu ex quo facta est inhærendo tibi, excedit omnem volubilem vicissitudinem temporum. Ista vero informitas, terra [3] invisibilis et incomposita, nec ipsa in diebus numerata est. Ubi enim nulla species, nullus ordo; nec venit quidquam, nec præterit : et ubi hoc non fit ; non sunt utique dies, nec vicissitudo spatiorum temporalium.

[1] Ita in melioribus Mss. et Bad. Porro in aliis Edd., *sed tenebræ erant.*

[2] In prius vulgatis, *et tenebræ erant super abyssum.* Sed abest *erant* a Mss.

[3] Lov cum aliis Edd. *informitas terræ invisibilis.*

## CAPUT X.

*A Deo cupit edoceri.*

10. O Veritas, lumen cordis mei, non tenebræ meæ loquantur mihi. Defluxi ad ista et obscuratus sum ; sed hinc etiam, hinc adamavi te. Erravi et recordatus sum tui. Audivi vocem tuam post me ut redirem, et vix audivi propter tumultus impacatorum [1]. Et nunc ecce redeo æstuans et anhelans ad fontem tuum. Nemo me prohibeat ; hunc bibam, et hinc vivam. Non ego vita mea sim ; male vixi ex me, mors mihi fui : in te revivisco [2]. Tu me alloquere, tu mihi sermocinare. Credidi Libris tuis, et verba eorum arcana valde.

## CAPUT XI.

*Quid a Deo didicerit.*

11. Jam dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem, quia tu æternus es, solus habens immortalitatem ( I *Tim.* VI, 16) ; quoniam ex nulla specie motuve mutaris, nec temporibus variatur voluntas tua; quia non est immortalis voluntas, quæ alia et alia est. Hoc in conspectu tuo claret mihi, et magis magisque clarescat, oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis. Item dixisti mihi, Domine, voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas atque substantias quæ non sunt quod tu es, et tamen sunt, tu fecisti : et hoc solum a te non est quod non est, motusque voluntatis a te, qui es, ad id quod minus est ; quia talis motus delictum atque peccatum est : et quod nullius peccatum aut tibi nocet, aut perturbat ordinem imperii tui vel in primo vel in imo. Hoc in conspectu tuo claret mihi, et magis magisque clarescat, oro te, atque in ea manifestatione persistam sobrius sub alis tuis.

12. Item dixisti mihi voce forti in aurem interiorem, quod nec illa creatura tibi coæterna est, cujus voluntas [3] tu solus es, teque perseverantissima castitate hauriens mutabilitatem suam nunquam et nusquam exserit, et te sibi semper præsente ad quem toto affectu se tenet, non habens quod exspectet futurum, nec in præteritum trajiciens quod meminerit, nulla vice variatur, nec in tempora ulla distenditur. O beata, si qua ista est, inhærendo beatitudini tuæ ; beata sempiterno inhabitatore te, atque illustratore suo ! Nec invenio quid libentius appellandum existimem *Cœlum cœli Domino*, quam domum tuam, contemplantem delectationem tuam sine ullo defectu egrediendi in aliud ; mentem puram, concordissime unam stabilimento pacis sanctorum spirituum, civium civitatis tuæ in cœlestibus super ista cœlestia.

13. Unde intelligat anima cujus peregrinatio [4]

[1] Lov. et Arn., *propter tumultus peccatorum.* Sed melius Bad. Am. et Er., *impacatorum.* Nam ita Mss. nullo fere excepto ; atque hoc nomine designati videntur Manichæi, Scripturarum sacrarum inimici.

[2] Sic habetur in prius Edd., *hunc bibam, et tunc vivam ; nam non ego vita mea. Si male vixi, ex me mors mihi fui, et in te revivisco.*

[3] In Mss. Germ. Fossat. et aliis sex, *voluptas.*

[4] Lov. et Arn.: *Unde intelligat anima quantum peregrinatione.* Prætulimus lectionem Bad. Am. et Er. quæ ex pluribus Mss. comprobatur, et hic apprime convenit; nam isthæc verba, *unde intelligat anima,* ad illa referuntur, *quam longe super omnia tempora sit æternus.*

longinqua facta est, si jam sitit tibi ; si jam factæ sunt ei lacrymæ suæ panis, dum dicitur ei per singulos dies, Ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI, 3, 4, 11)? si jam petit a te unam et hanc requirit, ut inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ suæ (*Psal.* XXVI, 4) : (Et quæ vita ejus nisi tu? et qui dies tui nisi æternitas tua, sicut anni tui qui non deficiunt, quia idem ipse es [*Psal.* CI, 28])? hinc ergo intelligat anima quæ potest, quam longe super omnia tempora sis æternus; quando tua domus quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna, tamen indesinenter et indeficienter tibi cohærendo nullam patitur vicissitudinem temporum. Hoc in conspectu tuo claret mihi, et magis magisque clarescat, oro te, atque in hac manifestatione persistam sobrius sub alis tuis.

14. Ecce nescio quid informe in istis mutationibus rerum extremarum atque infirmarum. Et quis dicet mihi, nisi quisquis per inania cordis sui cum suis phantasmatibus vagatur et volvitur; quis nisi talis dicet mihi, quod diminuta atque consumpta omni specie, si sola remaneat informitas, per quam de specie in speciem res mutabatur et vertebatur, possit exhibere vices temporum? Omnino enim non potest, quia sine varietate motionum non sunt tempora : et nulla varietas, ubi nulla species.

## CAPUT XII.

*Creatura duplex carens tempore.*

15. Quibus consideratis quantum donas, Deus meus, quantum me ad pulsandum excitas, quantumque pulsanti aperis ; duo reperio quæ fecisti carentia temporibus, cum tibi neutrum coæternum sit. Unum, quod ita formatum est, ut sine ullo defectu contemplationis, sine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile tamen non mutatum, tua æternitate atque incommutabilitate perfruatur : alterum quod ita informe erat, ut ex qua forma, in quam formam vel motionis vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet. Sed hoc ut informe esset non reliquisti, quoniam fecisti ante omnem diem, in principio cœlum et terram, hæc duo quæ dicebam. Terra autem invisibilis erat et incomposita, et tenebræ super abyssum. Quibus verbis insinuatur informitas, ut gradatim excipiantur, qui omnimodam speciei privationem nec tamen ad nihil perventionem cogitare non possunt, unde fieret alterum cœlum, et terra visibilis atque composita, et aqua speciosa, et quidquid deinceps in constitutione hujus mundi non sine diebus factum commemoratur; quia talia sunt ut in eis agantur vicissitudines temporum, propter ordinatas commutationes motionum atque formarum.

## CAPUT XIII.

*Cur sine dierum commemoratione dicit Scriptura, quod in principio fecit Deus cœlum et terram.*

16. Hoc interim sentio, Deus meus, cum audio loquentem Scripturam tuam, *In principio fecit Deus cœlum et terram : terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum* (*Gen.* I, 1), neque commemorantem quoto die feceris hæc. Sic interim sentio, propter illud cœlum cœli, cœlum intellectuale, ubi est intellectus nosse simul, non ex parte, non in ænigmate, non per speculum; sed ex toto, in manifestatione [1], facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12) : non modo hoc, modo illud; sed quod dictum est, nosse simul sine ulla vicissitudine temporum : et propter invisibilem atque incompositam terram sine ulla vicissitudine temporum, quæ solet habere modo hoc et modo illud; quia ubi nulla species, nusquam est hoc et illud. Propter duo hæc primitus formatum et penitus informe; illud, cœlum, sed cœlum cœli; hoc vero, terram, sed terram invisibilem et incompositam : propter duo hæc interim sentio sine commemoratione dierum dicere Scripturam tuam, *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Statim quippe subjecit quam terram dixerit. Et quod secundo die commemoratur factum firmamentum, et vocatum cœlum ; insinuat de quo cœlo prius sine diebus sermo locutus sit.

## CAPUT XIV.

*Scripturæ profunditas.*

17. Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis : sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! Horror est intendere in eam; horror honoris, et tremor amoris. Odi hostes ejus vehementer. O si occidas eos de gladio [2] bis acuto, et non sint hostes ejus! Sic enim amo eos occidi sibi, ut vivant tibi. Ecce autem alii non reprehensores, sed laudatores libri Geneseos : Non, inquiunt, hoc voluit in his verbis intelligi Spiritus Dei, qui per Moysen famulum ejus ista conscripsit; non hoc voluit intelligi quod tu dicis, sed aliud quod nos dicimus. Quibus ego, te arbitro, Deus, omnium nostrorum [3], ita respondeo.

## CAPUT XV.

*Quæ de Deo deque Angelis et informi materia sentit Augustinus, non possunt oblocutores negare.*

18. Num dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera æternitate Creatoris, quod nequaquam ejus substantia per tempora varietur, nec ejus voluntas extra ejus substantiam sit? Unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel et simul et semper velle omnia quæ vult ; non iterum et iterum, neque nunc ista nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat : quia talis voluntas mutabilis est, et omne mutabile æternum non est ; Deus autem noster æternus est. Item quod mihi dicit [4] in aurem interiorem, exspectatio rerum venturarum fit contuitus cum venerint ; idemque contuitus fit memoria cum præterierint : omnis porro intentio quæ ita variatur, mutabilis est; et omne mutabile æternum non est : Deus autem noster æternus est. Hæc colligo atque conjungo, et invenio Deum meum, Deum æternum, non aliqua nova voluntate condidisse creaturam, nec scientiam ejus transitorium aliquid pati.

19. Quid ergo dicetis, contradictores? An falsa sunt ista? Non, inquiunt. Quid illud? num falsum est om-

[1] *In manifestata facie*, juxta LOV. M.
[2] Somm. et Rond., *eos gladio*. M.
[3] Sic Rond. : *Te arbitro, Deus omnium nostrum*. M.
[4] Sic legendum juxta Mss. Angl. [*dicitur*].

nem naturam formatam materiamve formabilem non esse, nisi ab illo qui summe bonus est, quia summe est? Neque hoc negamus, inquiunt. Quid igitur? an illud negatis, sublimem quamdam esse creaturam tam casto amore cohærentem Deo vero et vere æterno, ut quamvis ei coæterna non sit, in nullam tamen temporum varietatem et vicissitudinem ab illo se resolvat ac defluat, sed in ejus solius veracissima contemplatione requiescat? Quoniam tu, Deus, diligenti te quantum præcipis, ostendis ei te et sufficis ei; et ideo non declinat a te, nec ad se. Hæc est domus Dei non terrena, neque ulla cœlesti mole corporea, sed spiritualis et particeps æternitatis tuæ, quia sine labe in æternum [1]. Statuisti enim eam in sæculum et in sæculum sæculi; præceptum posuisti et non præteribit (*Psal.* CXLVIII, 6). Nec tamen tibi Deo coæterna, quoniam non sine initio : facta est enim.

20. Nam etsi non invenimus tempus ante illam, *prior quippe omnium creata est sapientia* (*Eccli.* I, 4); nec utique illa Sapientia tibi, Deus noster, Patri suo plane coæterna et æqualis et per quam creata sunt omnia, et in quo Principio fecisti cœlum et terram; sed profecto sapientia quæ creata est, intellectualis natura scilicet, quæ contemplatione luminis lumen est: dicitur enim et ipsa, quamvis creata, sapientia. Sed quantum interest inter lumen quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quæ creat et istam quæ creata est; sicut inter justitiam justificantem, et justitiam quæ justificatione facta est. Nam et nos dicti sumus justitia tua. Ait enim quidam servus tuus, *ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 21). Ergo quia prior omnium creata est quædam sapientia quæ creata est, mens rationalis et intellectualis castæ civitatis tuæ, matris nostræ quæ sursum est, et libera est (*Galat.* IV, 26) et æterna in cœlis, (quibus cœlis, nisi qui te laudant cœli cœlorum (*Psal.* CXLVIII, 4); quia hoc est et cœlum cœli Domino?); etsi non invenimus tempus ante illam, quia et creaturam temporis antecedit, quæ prior omnium creata est; ante illam tamen est ipsius creatoris æternitas, a quo facta sumpsit exordium, quamvis non temporis quia nondum erat tempus, ipsius tamen conditionis suæ.

21. Unde ita est abs te Deo nostro, ut aliud sit plane quam tu, et non idipsum. Quoniam etsi non solum ante illam, sed nec in illa invenimus tempus, quia est idonea faciem tuam semper videre nec uspiam deflectitur ab ea, quo fit ut nulla mutatione varietur; inest ei tamen ipsa mutabilitas unde tenebresceret et frigesceret, nisi amore grandi tibi cohærens tanquam semper meridies luceret et ferveret ex te. O domus luminosa et speciosa, dilexi decorem tuum, et locum habitationis gloriæ Domini mei fabricatoris et possessoris tui (*Psal.* XXV, 8)! Tibi suspiret peregrinatio mea; et dico ei qui fecit te, ut possideat et me in te, quia fecit et me. Erravi sicut ovis perdita (*Psal.* CXVII, 176); sed in humeris pastoris mei, structoris tui, spero me reportari tibi (*Luc.* XV, 5).

[1] Arn. cum Mss. quatuor, *sine labe stat in æternum.*

22. Quid dicitis mihi quos alloquebar, contradictores, qui tamen et Moysen pium famulum Dei, et libros ejus oracula sancti Spiritus creditis? Estne ista domus Dei, non quidem Deo coæterna, sed tamen secundum modum suum æterna in cœlis, ubi vices temporum frustra quæritis, quia non invenietis? supergreditur enim omnem distentionem, et omne spatium ætatis volubile, cui semper inhærere Deo bonum est (*Psal.* LXII, 28). Est, inquiunt. Quid igitur ex iis quæ clamavit cor meum ad Deum meum, cum audiret interius vocem laudis ejus, quid tandem falsum esse contenditis? An quia erat informis materies, ubi propter nullam formam nullus ordo erat? Ubi autem nullus ordo erat, nulla esse vicissitudo temporum poterat; et tamen hoc pene nihil, in quantum non omnino nihil erat, ab illo utique erat a quo est quidquid est, quod utcumque aliquid est. Hoc quoque, aiunt, non negamus.

## CAPUT XVI.

*Rem habere non vult cum iis, qui contradicunt veritati divinæ.*

23. Cum his enim volo coram te aliquid colloqui, Deus meus, qui hæc omnia, quæ intus in mente mea non tacet veritas tua, vera esse concedunt. Nam qui hæc negant, latrent quantum volunt et obstrepant sibi; persuadere conabor ut quiescant, et viam præbeant ad se verbo tuo : quod si noluerint et repulerint me; obsecro, Deus meus, ne tu sileas a me (*Psal.* XXVII, 1). Tu loquere in corde meo veraciter; solus enim sic loqueris; et dimittam eos foris sufflantes in pulverem, et excitantes terram in oculos suos; et intrem in cubile meum, et cantem tibi amatoria, gemens inenarrabiles gemitus in peregrinatione mea, et recordans Jerusalem, extento in eam sursum corde, Jerusalem patriam meam, Jerusalem matrem meam, teque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, maritum, castas et fortes delicias, et solidum gaudium, et omnia bona ineffabilia simul omnia; quia unum summum et verum bonum : et non avertar, donec in ejus pacem matris charissimæ, ubi sunt primitiæ spiritus mei, unde mihi ista certa sunt, colligas totum quod sum, a dispersione et deformitate hac, et conformes atque confirmes in æternum, Deus meus, misericordia mea. Cum his autem qui cuncta illa quæ vera sunt, falsa esse non dicunt, honorantes et in culmine sequendæ auctoritatis nobiscum constituentes illam per sanctum Moysen editam sanctam Scripturam tuam, et tamen nobis aliquid contradicunt, ita loquor : Tu esto, Deus noster, arbiter inter confessiones meas et contradictiones eorum.

## CAPUT XVII.

*Ut cœli et terræ nominibus aliud et aliud intelligi potest.*

24. Dicunt enim : Quamvis vera sint hæc, non ea tamen duo Moyses intuebatur, cum spiritu revelante diceret : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Non cœli nomine spiritualem vel intellectualem illam creaturam, semper faciem Dei contemplantem significavit; nec terræ nomine informem materiam. Quid igitur? Quod nos dicimus, inquiunt, hoc ille vir sensit, hoc verbis istis elocutus est. Quid est illud?

Nomine, aiunt, cœli et terræ, totum istum visibilem mundum prius universaliter et breviter significare voluit, ut postea digereret dierum enumeratione, quasi articulatim, universa quæ sancto Spiritui placuit sic enuntiare. Tales quippe homines erant rudis ille atque carnalis populus cui loquebatur, ut eis opera Dei non nisi sola visibilia commendanda judicaret. Terram vero invisibilem et incompositam, tenebrosamque abyssum, unde consequenter ostenditur per illos dies facta atque disposita esse cuncta ista visibilia quæ nota sunt omnibus, non incongruenter informem istam materiam intelligendam esse consentiunt.

25. Quid si dicat alius, eamdem informitatem, confusionemque materiæ, cœli et terræ nomine prius insinuatam, quod ex ea mundus iste visibilis cum omnibus naturis quæ in eo manifestissime apparent, qui cœli et terræ nomine sæpe appellari solet, conditus atque perfectus est? Quid si dicat et alius, cœlum et terram quidem invisibilem visibilemque naturam non indecenter appellatam; ac per hoc universam creaturam quam fecit in Sapientia, id est in Principio, Deus, hujuscemodi duobus vocabulis esse comprehensam : verumtamen quia non de ipsa substantia Dei, sed ex nihilo cuncta facta sunt, quia non sunt idipsum quod Deus, et inest quædam mutabilitas omnibus, sive maneant, sicut æterna domus Dei; sive mutentur, sicut anima hominis et corpus; communem omnium rerum invisibilium visibiliumque materiem adhuc informem, sed certe formabilem, unde fieret cœlum et terra, id est invisibilis atque visibilis jam utraque formata creatura, his nominibus enuntiatam, quibus appellaretur *Terra invisibilis et incomposita*, et, *Tenebræ super abyssum* : ea distinctione, ut *terra invisibilis et incomposita* intelligatur materies corporalis ante qualitatem formæ; *tenebræ* autem *super abyssum*, spiritualis materies ante cohibitionem quasi fluentis immoderationis et ante illuminationem Sapientiæ?

26. Est adhuc quod dicat si quis alius velit, non scilicet jam perfectas atque formatas invisibiles visibilesque naturas, cœli et terræ nomine significari cum legitur, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* sed ipsam adhuc informem inchoationem rerum formabilem creabilemque materiam his nominibus appellatam, quod in ea jam essent ista confusa, nondum qualitatibus formisque distincta, quæ nunc jam digesta suis ordinibus vocantur cœlum et terra; illa spiritualis, hæc corporalis creatura.

## CAPUT XVIII.

*Quis error innoxius in Scripturis.*

27. Quibus omnibus auditis et consideratis, nolo verbis contendere; ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium ( II *Tim.* II, 14). Ad ædificationem autem bona est lex, si quis ea legitime utatur; quia finis ejus est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I *Tim.* I, 8, 5). Et novit magister noster in quibus duobus præceptis totam Legem Prophetasque suspenderit (*Matth.* XXII, 40). Quæ mihi ardenter confitenti, Deus meus, lumen oculorum meorum in occulto, quid mihi obest, cum diversa in his verbis intelligi possint, quæ tamen vera sint, quid, inquam, mihi, obest, si aliud ego sensero, quam sensit alius eum sensisse qui scripsit? Omnes quidem qui legimus, nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille quem legimus. Et cum eum veridicum credimus, nihil quod falsum esse vel novimus vel putamus, audemus eum existimare dixisse. Dum ergo quisque conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille qui scripsit; quid mali est si hoc sentiat, quod tu, lux omnium veridicarum mentium, ostendis verum esse, etiamsi hoc non sensit ille quem legit; cum et ille verum, nec tamen hoc senserit?

## CAPUT XIX.

*Quæ liquido vera.*

28. Verum est enim, Domine, fecisse te cœlum et terram; et verum est Principium esse Sapientiam tuam in qua fecisti omnia (*Psal.* CIII, 24). Item verum est, quod mundus iste visibilis habet magnas partes suas cœlum et terram, brevi complexione factarum omnium conditarumque naturarum. Et verum est, quod omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quamdam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur et vertitur. Verum est, nulla tempora perpeti quod ita cohæret formæ incommutabili, ut quamvis sit mutabile, non mutetur. Verum est, informitatem, quæ prope [1] nihil est, vices temporum habere non posse. Verum est, quod unde fit aliquid, potest quodam genere locutionis habere jam nomen ejus rei quæ inde fit; unde potuit vocari cœlum et terra quælibet informitas unde factum est cœlum et terra. Verum est, omnium formatorum nihil esse informi vicinius quam terram et abyssum. Verum est, quod non solum creatum atque formatum, sed etiam quidquid creabile atque formabile est, tu fecisti ex quo sunt omnia. Verum est, omne quod ex informi formatur, prius esse informe, deinde formatum.

## CAPUT XX.

In principio creavit, etc., *varie intellectum.*

29. Ex his omnibus veris, de quibus non dubitant quorum interiori oculo talia videre donasti, et qui Moysen famulum tuum in Spiritu veritatis locutum esse immobiliter credunt; ex his ergo omnibus aliud sibi tollit qui dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est, In Verbo suo sibi coæterno fecit Deus intelligibilem atque sensibilem, vel spiritualem corporalemque creaturam. Aliud qui dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est, In Verbo suo sibi coæterno fecit Deus universam istam molem corporei mundi hujus, cum omnibus quas continet manifestis notisque naturis. Aliud qui dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est, In Verbo suo sibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ spiritualis et corporalis. Aliud qui dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est, In Verbo

[1] Lov., *proprie.*

suo sibi coæterno fecit Deus informem materiam creaturæ corporalis ubi confusum adhuc erat cœlum et terra, quæ nunc jam distincta atque formata in istius mundi mole sentimus. Aliud qui dicit : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est, In ipso exordio faciendi atque operandi fecit Deus informem materiam confuse habentem cœlum et terram, unde formata nunc eminent et apparent cum omnibus quæ in eis sunt.

## CAPUT XXI.

Terra erat invisibilis, etc., *varie intellectum.*

30. Item quod attinet ad intellectum verborum sequentium, ex illis omnibus veris, aliud sibi tollit qui dicit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*, id est, Corporale [1] illud quod fecit Deus, adhuc materies erat corporearum rerum informis, sine ordine, sine luce. Aliud qui dicit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*, id est, Hoc totum quod cœlum et terra appellatum est, adhuc informis et tenebrosa materies erat, unde fieret cœlum corporeum et terra corporea, cum omnibus quæ in eis sunt corporeis sensibus nota. Aliud qui dicit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*, id est, Hoc totum quod cœlum et terra appellatum est, adhuc informis et tenebrosa materies erat, unde fieret cœlum intelligibile quod alibi dicitur cœlum cœli (*Psal.* CXIII, 16) ; et terra, scilicet omnis natura corporea, sub quo nomine intelligatur etiam hoc cœlum corporeum ; id est unde fieret omnis invisibilis visibilisque creatura. Aliud qui dicit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum ;* non illam informitatem nomine cœli et terræ Scriptura appellavit; sed jam erat, inquit, ipsa informitas quam terram invisibilem et incompositam tenebrosamque abyssum nominavit, de qua cœlum et terram Deum fecisse prædixerat, spiritualem scilicet, corporalemque creaturam. Aliud qui dicit : *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum*, id est, Informitas quædam jam materies erat, unde cœlum et terram Deum fecisse Scriptura prædixit : totam scilicet corpoream mundi molem, in duas maximas partes, superiorem atque inferiorem distributam, cum omnibus quæ in eis sunt usitatis notisque creaturis.

## CAPUT XXII.

*Aliquid esse a Deo conditum, de quo sileat liber Genesis, nihil repugnat.*

31. Cum enim duabus istis extremis sententiis resistere quisquam ita tentaverit : Si non vultis [2] hanc informitatem materiæ cœli et terræ nomine appellatam videri ; erat ergo aliquid quod non fecerat Deus, unde cœlum et terram faceret ; neque enim Scriptura narravit quod istam materiem Deus fecerit, nisi intelligamus [1] eam cœli et terræ, aut solius terræ vocabulo significatam cum diceretur, *In principio fecit Deus cœlum et terram ;* ut id quod sequitur, *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, quamvis informem materiam sic placuerit appellare, non tamen intelligamus nisi eam quam fecit Deus in eo quod præscriptum est, *fecit Deus cœlum et terram*. Respondebunt asseteres duarum istarum sententiarum quas extremas posuimus, aut illius, aut illius, cum hæc audierint, et dicent : Informem quidem istam materiam non negamus a Deo factam, Deo a quo sunt omnia bona valde : quia sicut dicimus amplius bonum esse quod creatum atque formatum est, ita fatemur minus bonum esse quod factum est creabile atque formabile, sed tamen bonum : non autem commemorasse Scripturam, quod hanc informitatem fecerit Deus, sicut alia multa non commemoravit, ut Cherubim et Seraphim (*Isai.* VI, 2 ; *et* XXXVII, 16), et quæ Apostolus distincte ait, *Sedes*, *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates* (*Coloss.* I, 16), quæ tamen omnia Deum fecisse manifestum est. Aut si in eo quod dictum est, *fecit cœlum et terram*, comprehensa sunt omnia ; quid de aquis dicimus, super quas ferebatur Spiritus Dei ? Si enim, terra nominata, simul intelliguntur ; quomodo jam terræ nomine materies informis accipitur, quando tam speciosas aquas videmus ? Aut si ita accipitur ; cur ex eadem informitate scriptum est, factum firmamentum et vocatum cœlum, neque scriptum est factas esse aquas ? Non enim adhuc informes sunt et invisæ, quas ita decora specie fluere cernimus. Aut si tunc acceperunt istam speciem cum dixit Deus, *Congregetur aqua quæ est sub firmamento* (*Gen.* I, 9), ut congregatio sit ipsa formatio ; quid respondebitur de aquis quæ super firmamentum sunt ? quia neque informes tam honorabilem sedem accipere meruissent, nec scriptum est qua voce formatæ sint. Unde si aliquid Genesis tacuit Deum fecisse, quod tamen Deum fecisse nec sana fides, nec certus ambigit intellectus ; nec ideo ulla sobria doctrina dicere audebit istas aquas coæternas Deo, quia in libro Geneseos commemoratas quidem audivimus [2], ubi autem factæ sint non invenimus : cur non informem quoque illam materiem, quam Scriptura hæc terram invisibilem et incompositam, tenebrosamque abyssum appellat, docente veritate intelligamus a Deo factam esse de nihilo, ideoque illi non esse coæternam, quamvis ubi facta sit, omiserit enuntiare ista narratio ?

## CAPUT XXIII.

*Duo dissensionum genera in Scripturis interpretandis.*

32. His ergo auditis atque perspectis pro captu infirmitatis meæ, quam tibi confiteor scienti Deo meo, duo video dissensionum genera oboriri posse, cum aliquid a nuntiis veracibus per signa enuntiatur : unum si de veritate rerum, alterum si de ipsius qui enuntiat voluntate dissensio est. Aliter enim quærimus de creaturæ conditione quid verum sit ; aliter autem

[1] Ita plures et potiores Mss. cum Arn. ; at Bad. Am. Er. Somm. Blas. cum quinque Mss. habent, *id est, Incorporale ;* Lov., *id est, corporabile.*

[2] Somm. : *Quisquam ita tentaverit, si non vult istam.* Mart. : *Si non vult hanc.* M.

[1] In omnibus fere libris legitur, *nisi ut intelligamus*, librariorum lapsu, qui forte mutarunt *aut* in *ut*. Hanc porro particulam removimus juxta Arn. et Mss. Benignianum.

[2] *Audimus*, juxta Rond. cum 7 Mss. M.

quid in his verbis Moyses, egregius domesticus fidei tuæ, intelligere lectorem auditoremque voluerit. In illo primo genere discedant a me omnes, qui ea quæ falsa sunt, se scire arbitrantur. In hoc item altero discedant a me omnes qui ea quæ falsa sunt, Moysen dixisse arbitrantur. Conjungar autem illis, Domine, in te, et delecter cum eis in te, qui veritate tua pascuntur in latitudine charitatis; et accedamus simul ad verba Libri tui, et quæramus in eis voluntatem tuam per voluntatem famuli tui, cujus calamo dispensasti ea.

## CAPUT XXIV.

*Ex multis veris non debet fidenter asseri hoc aut illud sensisse Moysen.*

33. Sed quis nostrum sic invenit [1] eam inter tam multa vera [2], quæ in illis verbis aliter atque aliter intellectis occurrunt quærentibus; ut tam fidenter dicat hoc sensisse Moysen, atque hoc in illa narratione voluisse intelligi, quam fidenter dicit hoc verum esse, sive ille hoc senserit sive aliud? Ecce enim, Deus meus, ego servus tuus qui vovi tibi sacrificium confessionis in his litteris, et oro ut ex misericordia tua reddam tibi vota mea; ecce ego quam fidenter dico in tuo Verbo incommutabili omnia te fecisse, invisibilia et visibilia, numquid tam fidenter dico non aliud quam hoc attendisse Moysen cum scriberet : *In principio fecit Deus cœlum et terram?* Quia non sicut in tua veritate hoc certum video, ita in ejus mente video id eum cogitasse cum hæc scriberet. Potuit enim cogitare in ipso faciendi exordio, cum diceret, *In principio :* potuit et cœlum et terram hoc loco, nullam jam formatam perfectamque naturam sive spiritualem sive corporalem, sed utramque inchoatam et adhuc informem velle intelligi. Video quippe vere potuisse dici, quidquid horum diceretur; sed quid horum in his verbis ille cogitaverit, non ita video : quamvis sive aliquid horum, sive aliquid aliud quod a me commemoratum non est, tantus vir ille mente conspexerit, cum hæc verba promeret, verum eum vidisse apteque id enuntiasse non dubitem.

## CAPUT XXV.

*Adversus eos qui aliorum interpretandi rationem temere rejiciunt.*

34. Nemo mihi jam molestus sit dicendo mihi : Non hoc sensit Moyses quod tu dicis; sed hoc sensit quod ego dico. Si enim mihi diceret : Unde scis hoc sensisse Moysen quod de his verbis ejus eloqueris? æquo animo ferre deberem et responderem fortasse quæ superius respondi, vel aliquanto uberius, si esset durior. Cum vero dicit : Non hoc ille sensit quod tu dicis, sed quod ego dico; neque tamen negat, quod uterque nostrum dicit, utrumque verum esse : o vita pauperum Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, pluc mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram qui non mihi hoc dicunt, quia divini sunt, et in corde famuli tui viderunt quod dicunt; sed quia superbi sunt : nec noverunt Moysi sententiam, sed amant suam; non quia vera est, sed quia sua est. Alioquin et aliam veram pariter amarent, sicut ego amo quod dicunt, quando verum dicunt; non quia ipsorum est, sed quia verum est; et ideo jam nec ipsorum est, quia verum est. Si autem ideo ament illud quia verum est, jam et ipsorum est et meum est; quoniam in commune omnium est veritatis amatorum. Illud autem quod contendunt non hoc sensisse Moysen quod ego dico, sed quod ipsi dicunt; nolo, non amo : quia etsi ita est, tamen ista temeritas non scientiæ sed audaciæ est; nec visus, sed typhus eam peperit. Ideoque, Domine, tremenda sunt judicia tua; quoniam veritas tua nec mea est, nec illius aut illius, sed omnium nostrum quos ad ejus communionem publice vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur ea. Nam quisquis id quod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi proprie vindicat, et suum vult esse quod omnium est; a communi propellitur ad sua, hoc est, a veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur (*Joan.* VIII, 44).

35. Attende, judex optime, Deus ipsa veritas, attende quid dicam contradictori huic, attende; coram te enim dico, et coram fratribus meis, qui legitime utuntur Lege usque ad finem charitatis (I *Tim.* I, 8); attende, et vide quid ei dicam, si placet tibi. Hanc enim vocem huic refero fraternam et pacificam : Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico; ubi, quæso, id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me; sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili Veritate. Cum ergo de ipsa Domini Dei nostri luce non contendamus; cur de proximi cogitatione contendimus, quam sic videre non possumus ut videtur incommutabilis Veritas; quando si ipse Moyses apparuisset nobis atque dixisset, Hoc cogitavi; nec sic eam videremus, sed crederemus? Non itaque supra quam scriptum est, unus pro altero infletur adversus alterum (I *Cor.* IV, 6). Diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente nostra, et proximum nostrum sicut nosmetipsos (*Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37). Propter quæ duo præcepta charitatis sensisse Moysen, quidquid in illis Libris sensit, nisi crediderimus; mendacem faciemus Dominum, cum de animo conservi aliter quam ille docuit opinamur. Jam vide quam stultum sit in tanta copia verissimarum sententiarum, quæ de illis verbis erui possunt temere affirmare, quam earum Moyses potissimum senserit; et perniciosis contentionibus ipsam offendere charitatem, propter quam dixit omnia, cujus dicta conamur exponere.

## CAPUT XXVI.

*Qui sermo deceat Scripturam.*

36. Et tamen ego, Deus meus celsitudo humilitatis meæ, et requies laboris mei, qui audis confessiones meas, et dimittis peccata mea; quoniam tu mihi præcipis ut diligam proximum meum sicut meipsum, non possum minus credere de Moyse fidelissimo famulo tuo, quam mihi optarem ac desiderarem abs te dari muneris, si tempore illo natus essem quo ille, eoque loco me constituisses, ut per servitutem cordis ac linguæ meæ, Litteræ illæ dispensarentur, quæ tanto

[1] *Inveniet*, juxta Lov., Somm. et Rond. cum 9 Mss. M.
[2] *Verba*, juxta Lov. Somm. M.

post essent omnibus gentibus profuturæ, et per universum orbem tanto auctoritatis culmine omnium falsarum superbarumque doctrinarum verba superaturæ. Vellem quippe, si tunc ego essem Moyses (ex eadem namque massa omnes venimus; et quid est homo, nisi quia memor es ejus? [*Psal.* VIII, 5]), vellem ergo, si tunc ego essem quod ille, et mihi abs te Geneseos liber scribendus injungeretur, talem mihi eloquendi facultatem dari, et eum texendi sermonis modum, ut neque illi qui nondum queunt intelligere quemadmodum Deus creat, tanquam excedentia vires suas dicta recusarent; et illi qui hoc jam possunt, in quamlibet veram sententiam cogitando venissent, eam non prætermissam in paucis verbis tui famuli reperirent; et si alius aliam vidisset in luce veritatis, nec ipsa in eisdem verbis intelligenda deesset.

## CAPUT XXVII.

*Scripturam decet humile simplexque verborum genus.*

37. Sicut enim fons in parvo loco uberior est, pluribusque rivis in ampliora spatia fluxum ministrat, quam quilibet eorum rivorum, qui per multa locorum ab eodem fonte deducitur; ita narratio dispensatoris tui sermocinaturis pluribus profutura, parvo sermonis modulo scatet fluenta liquidæ veritatis: unde sibi quisque verum quod de his rebus potest, hic illud, ille illud, per longiores loquelarum anfractus trahat. Alii enim cum hæc verba legunt vel audiunt; cogitant Deum quasi hominem, aut quasi aliquam molem immensa præditam potestate, novo quodam et repentino placito, extra seipsam tanquam locis distantibus fecisse cœlum et terram, duo magna corpora supra et infra, quibus omnia continerentur. Et cum audiunt, Dixit Deus, Fiat illud, et factum est illud; cogitant verba cœpta et finita, sonantia temporibus atque transeuntia, post quorum transitum statim existeret[1] quod jussum est ut existeret: et si quid forte aliud hoc modo ex familiaritate carnis opinantur. In quibus adhuc parvulis animalibus, dum isto humillimo genere verborum tanquam materno sinu eorum gestatur infirmitas, salubriter ædificatur fides, qua certum habeant et teneant Deum fecisse omnes naturas, quas eorum sensus mirabili varietate circumspicit. Quorum si quispiam quasi vilitatem dictorum aspernatus, extra nutritorias cunas superba imbecillitate se extenderit, heu! cadet miser. Et, Domine Deus, miserere, ne implumem pullum conculcent qui transeunt viam; et mitte angelum tuum, qui eum reponat in nido, ut vivat donec volet.

## CAPUT XXVIII.

*Ut varie intelligitur ab eruditis Scriptura.*

38. Alii vero quibus hæc verba non jam nidus, sed opaca fruteta sunt, vident in eis latentes fructus, et volitant lætantes, et garriunt scrutantes, et carpunt eos. Vident enim, cum hæc verba legunt vel audiunt, tua, Deus, æterna et stabili permansione cuncta præterita et futura tempora superari; nec tamen quidquam esse temporalis creaturæ, quod tu non feceris: cujus voluntas quia id est quod tu, nullo modo mutata, vel, quæ antea non fuisset, exorta voluntate fecisti omnia: non de te similitudinem tuam formam omnium; sed de nihilo dissimilitudinem informem, quæ formaretur per similitudinem tuam, recurrens in te unum pro captu ordinato, quantum cuique rerum in suo genere datum est, et fierent omnia bona valde, sive maneant circa te, sive gradatim remotiori distantia per tempora et locos pulchras variationes[1] faciant aut patiantur. Vident hæc, et gaudent in luce veritatis tuæ, quantulum hic valent.

39. Et alius eorum intendit in id quod dictum est, *In principio fecit Deus*, et respicit Sapientiam Principium, quia et loquitur ipsa nobis. Alius itidem intendit in eadem verba, et principium intelligit exordium rerum conditarum; et sic accipit, *In principio fecit*, ac si diceretur, Primo fecit. Atque in eis qui intelligunt, *In principio*, quod in Sapientia fecisti cœlum et terram; alius eorum ipsum cœlum et terram, creabilem materiam cœli et terræ sic esse credit cognominatam: alius jam formatas distinctasque naturas: alius unam formatam, eamdemque spiritualem cœli nomine; aliam informem corporalis materiæ, terræ nomine. Qui autem intelligunt in nominibus cœli et terræ, adhuc informem materiem, de qua formaretur cœlum et terra, nec ipsi uno modo id intelligunt: sed alius unde consummaretur intelligibilis sensibilisque creatura; alius tantum unde sensibilis moles ista corporea, sinu grandi continens perspicuas promptasque naturas. Nec illi uno modo qui jam dispositas digestasque creaturas cœlum et terram vocari hoc loco credunt; sed alius invisibilem atque visibilem: alius solam visibilem in qua luminosum cœlum suspicimus, et terram caliginosam, quæque in eis sunt.

## CAPUT XXIX.

*Quot modis dicitur aliquid prius.*

40. At ille qui non aliter accipit, *In principio fecit*, quam si diceretur, Primo fecit; non habet quomodo veraciter intelligat cœlum et terram, nisi materiam cœli et terræ intelligat, videlicet universæ, id est intelligibilis corporalisque creaturæ. Si enim jam formatam velit universam, recte ab eo quæri poterit, Si hoc primo fecit Deus, quid fecerit deinceps: et post universitatem non inveniet; ac per hoc audiet invitus, Quomodo illud primo, si postea nihil? Cum vero dicit primo informem, deinde formatam, non est absurdus; si modo est idoneus discernere, quid præcedat æternitate, quid tempore, quid electione, quid origine. Æternitate, sicut Deus omnia; tempore, sicut flos fructum; electione, sicut fructus florem; origine, sicut sonus cantum. In his quatuor primum et ultimum quæ commemoravi, difficillime intelliguntur; duo media facillime. Namque rara visio est et nimis ardua conspicere, Domine, æternitatem tuam incommutabiliter mutabilia facientem, ac per hoc

[1] In B., *existere*; Somm. Lov. Arn. Dub. Mart. cum 4 Mss. et Rondet. cum 6 Mss., *existeret*. M.

[1] Ita Lov.; sed alii libri Edd. et scripti habent, *narrationes*, excepto Mss. Benign., qui pro ea voce substituit *rationes*.

priorem. Quis deinde sic acutum[1] cernat animo, ut sine labore magno dignoscere valeat, quomodo sit prior sonus quam cantus, ideo quia cantus est formatus sonus, et esse utique aliquid non formatum potest, formari autem quod non est, non potest? Sic est prior materies, quam id quod ex ea fit : non ideo prior quia ipsa efficit, cum potius fiat; nec prior intervallo temporis. Neque enim priore tempore sonos edimus informes sine cantu, et eos posteriore tempore in formam cantici coaptamus aut fingimus, sicut ligna quibus arca, vel argentum quo vasculum fabricatur. Tales quippe materiæ tempore etiam præcedunt formas rerum quæ fiunt ex eis : at in cantu non ita est. Cum enim cantatur, auditur sonus ejus; non prius informiter sonat, et deinde formatur in cantum. Quod enim primo utcumque sonuerit, præterit; nec ex eo quidquam reperies quod resumptum arte componas : et ideo cantus in sono suo vertitur; qui sonus ejus, materies ejus est. Idem quippe formatur ut cantus sit; et ideo, sicut dicebam, prior materies sonandi quam forma cantandi : non per faciendi potentiam prior[2]; neque enim sonus est cantandi artifex, sed cantanti animæ subjacet ex corpore, de quo cantum faciat. Nec tempore prior; simul enim cum cantu editur. Nec prior electione; non enim potior sonus quam cantus, quandoquidem cantus est non tantum sonus, verum etiam sonus speciosus. Sed prior est origine; quia non cantus formatur ut sonus sit, sed sonus formatur ut cantus sit. Hoc exemplo qui potest intelligat materiam rerum primo factam, et appellatam cœlum et terram, quia inde facta sunt cœlum et terra : nec tempore primo factam; quia formæ rerum exserunt tempora, illa autem erat informis; jamque in temporibus simul animadvertitur, nec tamen de illa narrari[3] aliquid potest, nisi velut tempore prior sit; cum pendatur extremior, quia profecto meliora sunt formata quam informia, et præcedatur[4] æternitate creatoris, ut esset de nihilo, unde aliquid fieret.

## CAPUT XXX.

*Tractatores Scripturæ diversa sentientes concordent invicem charitate et studio veritatis.*

41. In hac diversitate sententiarum verarum concordiam pariat ipsa Veritas; et Deus noster misereatur nostri, ut legitime Lege utamur, præcepti fine, pura charitate : ac per hoc si quis quærit ex me, quid horum Moyses ille tuus famulus senserit, non sunt hi sermones confessionum mearum. Si tibi non confiteor, nescio; et scio tamen illas veras esse sententias, exceptis carnalibus de quibus quantum existimavi locutus sum : quos tamen Bonæ spei parvulos hæc verba Libri tui non territant, alta humiliter, et pauca copiose. Sed omnes quos in eis verbis vera cernere ac dicere fateor, diligamus nos invicem, pariterque diligamus te Deum nostrum fontem veritatis, si non vana, sed ipsam sitimus; eumdemque famulum tuum Scripturæ hujus dispensatorem, Spiritu tuo plenum ita honoremus, ut hoc eum te revelante cum hæc scriberet attendisse credamus, quod in eis maxime et luce veritatis, et fruge utilitatis excellit.

## CAPUT XXXI.

*Sensisse putandus est Moyses quidquid veri potest in ipsius verbis inveniri.*

42. Ita cum alius dixerit, Hoc sensit quod ego; et alius, Imo illud quod ego; religiosius me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt; cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras Litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? Ego certe, quod intrepidus de corde meo profiuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem; sic mallem scribere, ut quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, ut excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere. Nolo itaque, Deus meus, tam præceps esse, ut hoc illum virum de te meruisse non credam. Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest.

## CAPUT XXXII.

*Veri Scripturæ sensus a Spiritu sancto revelantur.*

43. Postremo, Domine qui Deus es, et non caro et sanguis; si quid homo minus videt, numquid et Spiritum tuum bonum qui deducet me in terram rectam (*Psal.* CXLII, 10), latere potuit, quidquid eras in eis verbis tu ipse revelaturus legentibus posteris, etiamsi ille per quem dicta sunt, unam fortassis ex multis veris sententiam cogitavit? Quod si ita est, sit igitur illa quam cogitavit cæteris excelsior[1]. Nobis autem, Domine, aut ipsam demonstra, aut quam placet alteram veram; ut sive nobis hoc quod etiam illi homini tuo, sive aliud ex eorumdem verborum occasione patefacias, tu tamen pascas, non error illudat. Ecce, Domine Deus meus, quam multa de paucis verbis, quam multa, oro te, scripsimus? Quæ nostræ vires, quæ tempora omnibus Libris tuis ad istum modum sufficient[2]? Sine itaque me brevius in eis confiteri tibi, et eligere unum aliquid quod tu inspiraveris verum, certum et bonum, etiamsi multa occurrerint, ubi multa occurrere poterunt; ea fide confessionis meæ, ut si hoc dixero quod sensit minister tuus, recte atque optime; id enim conari me oportet : quod si assecutus non fuero, id tamen dicam quod mihi per ejus verba Veritas tua dicere voluerit, quæ illi quoque dixit quod voluit.

[1] *Sic acuto cernat animo*, juxta Somm. Rond. cum 4 Mss. et 5 Mss. apud Mart. M.

[2] Edd., *perficiendi potentia prior* : refragantibus Mss. quorum lectionem amplectimur.

[3] Legendum videtur, *variari*; vult enim Augustinus quod, sicut sonus origine præcedit cantum qui ex eo formatur, ita materia *velut tempore*, id est origine præcedere debet, ut aliquid de illa *variari* possit

[4] Sic Mss. et Arn.; at Bad. habet, *præcedantur*; alii editi, *præcedunt*.

[1] *Excellentior*, juxta complures editos. M.

[2] *Sufficiant*, juxta Somm. Arn. et Mart. cum 4 Mss. M.

# LIBER DECIMUS TERTIUS.

Dei bonitatem in rerum productione ac perfectione relucere; tum etiam Deum Trinitatem, ipsiusque proprietatem Spiritus sancti primis Geneseos verbis insinuari ostendit. Postmodum vero totam conditi mundi historiam allegorica interpretatione transfert ad ea quæ Deus in Ecclesia ad hominum sanctitatem et gloriam operatur.

## CAPUT PRIMUM.

*Invocat Deum, cujus bonitate se præventum agnoscit.*

1. Invoco te, Deus meus, misericordia mea, qui fecisti me, et oblitum tui oblitus non es. Invoco te in animam meam, quam præparas ad capiendum te ex desiderio quod inspiras ei: nunc invocantem te ne deseras, qui priusquam invocarem prævenisti et institisti crebrescens multimodis vocibus, ut audirem de longinquo et converterer, et vocantem me invocarem te. Tu enim, Domine, delevisti omnia mala merita mea, ne retribueres manibus meis in quibus a te defeci; et prævenisti omnia bona merita mea, ut retribueres manibus tuis quibus me fecisti: quia et priusquam essem, tu eras; nec eram cui præstares ut essem; et tamen ecce sum ex bonitate tua præveniente totum hoc quod me fecisti, et unde me fecisti. Neque enim eguisti me, aut ego tale bonum sum quo tu adjuveris, Domine meus et Deus meus; non ut tibi sic serviam quasi ne fatigeris in agendo, aut ne minor sit potestas tua carens obsequio meo; neque ut sic te colam quasi terram; ut sis incultus si non te colam; sed ut serviam tibi et colam te, ut de te mihi bene sit, a quo mihi est ut sim cui bene sit.

## CAPUT II.

*Creaturæ ex Dei bonitate subsistunt et perficiuntur.*

2. Ex plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua subsistit, ut bonum quod tibi nihil prodesset, nec de te æquale tibi esset, tamen quia ex te fieri potuit, non deesset. Quid enim te promeruit cœlum et terra, quæ fecisti in principio? Dicant quid te promeruerunt spiritualis corporalisque natura [1], quas fecisti in Sapientia tua, ut inde penderent etiam inchoata et informia quæque in genere suo, vel spirituali vel corporali; euntia in immoderationem, et in longinquam dissimilitudinem tuam; spirituale informe præstantius, quam si formatum corpus esset; corporale autem informe præstantius, quam si omnino nihil esset: atque ita penderent in tuo Verbo informia, nisi per idem Verbum revocarentur ad unitatem tuam, et formarentur, et essent ab uno te summo bono universa bona valde. Quid te promeruerant [2] ut essent saltem informia, quæ neque hoc essent, nisi ex te?

3. Quid te promeruit materies corporalis, ut esset saltem *invisibilis et incomposita* (*Gen.* I, 1)? quia neque hoc esset, nisi quia fecisti eam; ideoque te, quia non erat, promereri ut esset non poterat. Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritualis, ut saltem tenebrosa fluitaret similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad idem a quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi? Sicut enim corpori non hoc est esse quod pulchrum esse, alioquin deforme esse non posset: ita etiam creato spiritui non id est vivere, quod sapienter vivere; alioquin incommutabiliter saperet. Bonum autem illi est hærere tibi semper, ne quod adeptus est conversione, aversione lumen amittat, et relabatur in vitam tenebrosæ abysso similem. Nam et nos qui secundum animam creatura spiritualis sumus, aversi a te nostro lumine, in ea vita fuimus aliquando tenebræ (*Ephes.* v, 8), et in reliquiis obscuritatis nostræ laboramus, donec simus justitia tua in Unico tuo sicut montes Dei: nam judicia tua fuimus, sicut abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7).

## CAPUT III.

*Ex Dei gratia omnia.*

4. Quod autem in primis conditionibus dixisti, *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3); non incongruenter hoc intelligo in creatura spirituali; quia erat jam qualiscumque vita quam illuminares. Sed sicut non te promeruerat, ut esset talis vita quæ illuminari posset; ita nec cum jam esset, promeruit te ut illuminaretur! Neque enim ejus informitas placeret tibi, si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem eique cohærendo; ut et quod utcumque vivit, et quod beate vivit, non deberet nisi gratiæ tuæ, conversa per commutationem meliorem ad id quod neque in melius neque in deterius mutari potest; quod tu solus es, quia solus simpliciter es, cui non est aliud vivere, aliud beate vivere, quia tua beatitudo tu es.

## CAPUT IV.

*Deus non eget rebus conditis.*

5. Quid ergo tibi deesset ad bonum quod tu tibi es, etiamsi ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuæ, cohibens atque convertens ad formam, non ut tanquam tuum gaudium compleatur ex eis? Perfecto enim tibi displicet eorum imperfectio, ut ex te perficiantur et tibi placeant; non autem imperfecto, tanquam et tu eorum perfectione perficiendus sis. *Spiritus* enim tuus bonus *superferebatur super aquas* (*Ibid.*, 2); non ferebatur ab eis tanquam in eis requiesceret. In quibus enim requiescere dicitur Spiritus tuus bonus (*Isai.* XI, 2), hos in se requiescere facit. Sed superferebatur incorruptibilis et incommutabilis voluntas tua, ipsa in se sibi sufficiens, super eam quam feceras vitam; cui non est hoc vivere quod beate vivere, quia vivit etiam fluitans in obscuritate sua; cui

[1] *Spirituales corporalesque naturæ*, juxta Somm. et 5 Mss. apud Mart. M.

[2] *Promeruerunt*, juxta Somm. Dub. Mart. et Rond. cum 4 Mss. M.

restat converti ad eum a quo facta est, et magis magisque vivere apud fontem vitæ, et in lumine ejus videre lumen (*Psal.* xxxv, 10), et perfici, et illustrari, et beari.

## CAPUT V.

*Trinitas qui Deus est ex primis verbis Geneseos intelligitur.*

6. Ecce apparet mihi in ænigmate Trinitas, quod es Deus meus; quoniam tu, Pater, in Principio sapientiæ nostræ [1] quod est tua Sapientia de te nata, æqualis tibi et coæterna, id est in Filio tuo, fecisti cœlum et terram. Et multa diximus de cœlo cœli, et de terra invisibili et incomposita, et de abysso tenebrosa, secundum spiritualis informitatis vagabunda deliquia, nisi converteretur ad eum a quo erat qualiscumque vita, et illuminatione fieret speciosa vita, et esset cœlum cœli ejus, quod inter aquam et aquam postea factum est; et tenebam jam Patrem in Dei nomine, qui fecit hæc, et Filium in Principii nomine in quo fecit hæc; et Trinitatem credens Deum meum, sicuti credebam, quærebam in eloquiis sanctis ejus, et ecce *Spiritus* tuus *superferebatur super aquas*. Ecce Trinitas Deus meus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, creator universæ creaturæ.

## CAPUT VI.

*Cur dictus est Spiritus superferri super aquas.*

7. Sed quæ causa fuerat, o lumen veridicum! tibi admoveo cor meum; ne me vana doceat, discute tenebras ejus, et dic mihi, obsecro te per matrem charitatem; obsecro te, dic mihi quæ causa fuerat, ut post nominatum cœlum, et terram invisibilem et incompositam, et tenebras super abyssum, tum demum Scriptura tua nominaret Spiritum tuum? An quia oportebat sic eum insinuari, ut diceretur superferri; et non posset hoc dici, nisi prius illud commemoraretur cui superferri Spiritus tuus posset intelligi? Nec Patri enim nec Filio superferebatur; nec superferri recte diceretur, si nulli rei superferretur. Prius ergo dicendum erat cui superferretur, et deinde ille quem non oportebat aliter commemorari, nisi ut superferri diceretur. Cur ergo aliter eum insinuari non oportebat, nisi ut superferri diceretur?

## CAPUT VII.

*Effectus Spiritus sancti.*

8. Jam hinc sequatur qui potest intellectu Apostolum tuum dicentem, quia *charitas* tua *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5); et de spiritualibus docentem et demonstrantem supereminentem viam charitatis, et flectentem genua pro nobis ad te, ut cognoscamus supereminentem scientiam charitatis Christi (*Ephes.* iii, 14-19). Ideoque ab initio supereminens superferebatur super aquas. Cui dicam? quomodo dicam de pondere cupiditatis in abruptam abyssum, et de sublevatione charitatis per Spiritum tuum, qui superferebatur super aquas? Cui dicam? quomodo dicam: Mergimur et emergimus [2]? Neque enim loca sunt quibus mergimur et emergimus. Quid similius et quid dissimilius? Affectus sunt, amores sunt; immunditia spiritus nostri defluens inferius amore curarum, et sanctitas tui attollens nos superius amore securitatis, ut sursum cor habeamus ad te, ubi Spiritus tuus superfertur super aquas, et veniamus ad supereminentem requiem, cum pertransierit anima nostra aquas quæ sunt sine substantia (*Psal.* cxxiii, 5).

## CAPUT VIII.

*Intellectuali creaturæ ad beatam requiem non sufficit quidquid Deo minus est.*

9. Defluxit angelus, defluxit anima hominis, et indicaverunt abyssum universæ spiritualis [1] creaturæ in profundo tenebroso, nisi dixisses ab initio, *Fiat lux*, et facta esset lux, et inhæreret tibi omnis obediens intelligentia cœlestis civitatis tuæ, et requiesceret in Spiritu tuo, qui superfertur incommutabiliter super omne mutabile. Alioquin et ipsum cœlum cœli tenebrosa abyssus esset in se; nunc autem lux est in Domino. Nam et in ipsa misera inquietudine defluentium spirituum et indicantium tenebras suas nudatas veste luminis tui, satis ostendis quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi. Tu enim, Deus noster, illuminabis tenebras nostras (*Psal.* xvii, 29): ex te oriuntur vestimenta nostra, et tenebræ nostræ sicut meridies erunt (*Psal.* cxxxviii, 12). Da mihi te, Deus meus, redde te mihi: te enim amo [2]; et si parum est, amem validius. Non possum metiri ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur [3] in abscondito vultus tui (*Psal.* xxx, 21). Hoc tantum scio, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed et in meipso; et omnis mihi copia quæ Deus meus non est, egestas est.

## CAPUT IX.

*Cur solus Spiritus sanctus superferebatur super aquas.*

10. Numquid aut Pater aut Filius non superferebatur super aquas? Si tanquam loco sicut corpus, nec Spiritus sanctus: si autem incommutabilis divinitatis eminentia super omne mutabile, et Pater et Filius et Spiritus sanctus superferebatur super aquas. Cur ergo tantum de Spiritu tuo dictum est hoc? cur de illo tantum dictum est? Quasi locus ibi esset, qui non est locus, de quo solo dictum est quod sit donum tuum. In dono tuo requiescimus; ibi te fruimur. Requies nostra, locus noster. Amor illuc attollit nos, et Spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostram de portis mortis (*Psal.* ix, 15). In bona voluntate pax nobis est (*Luc.* ii, 14). Corpus pondere suo nititur ad locum suum. Pondus non ad ima tantum est, sed ad locum suum. Ignis sursum tendit, deorsum lapsis. Ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Oleum infra aquam

[1] insignem huncce locum redintegrant Mss. Mutilus quippe in excusis erat, detractis verbis istis, *sapientiæ nostræ*.

[2] Mss. non habent hoc loco, *mergimur et emergimus*.—Desunt eædem voces apud Somn. et Flor. M.

[1] Ita Mss.; at editiones, excepta Arnaldina, præferunt *spirituales*: non bene; intendit quippe Augustinus abyssum intellectualis omnis creaturæ ipso angeli et hominis lapsu fuisse indicatam.

[2] In Mss. *redde mihi te: en amo*. — Sic etiam Am. Er. et editio Florentina. M.

[3] Lov., *donec abscondar*. Sed verius editiones aliæ cum Mss., *abscondatur*. Subintellige, vita mea.

fusum, supra aquam attollitur ; aqua supra oleum fusa, infra oleum demergitur ; ponderibus suis aguntur, loca sua petunt. Minus ordinata, inquieta sunt ; ordinantur et quiescunt. Pondus meum amor meus ; eo feror quocumque feror. Dono tuo accendimur, et sursum ferimur. Inardescimus et imus. Ascendimus ascensiones in corde (*Psal.* LXXXIII, 6), et cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus et imus ; quoniam sursum imus ad pacem Jerusalem, quoniam *jucundatus sum in his qui dixerunt mihi* [1] : *In domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Ibi nos collocavit voluntas bona, ut nihil velimus aliud quam permanere illic in æternum.

## CAPUT X.

*Ex dono Dei omnia.*

11. Beata creatura quæ non novit aliud, cum esset ipsa aliud, nisi dono tuo quod superfertur super omne mutabile, mox ut facta est, attolleretur nullo intervallo temporis in ea vocatione qua dixisti, *Fiat lux*, et fieret lux [2] (*Gen.* I, 3). In nobis enim distinguitur tempore, quod tenebræ fuimus, et lux efficimur (*Eph.* V, 8) : in illa vero dictum est quid esset, nisi illuminaretur ; et ita dictum est, quasi prius fuerit fluxa et tenebrosa ; ut appareret causa qua factum est ut aliter esset, id est, ut ad lumen indeficiens conversa lux esset. Qui potest, intelligat ; et qui non potest [3], a te petat. Utquid mihi molestus est, quasi ego illuminem ullum hominem venientem in hunc mundum ? (*Joan.* I, 9.)

## CAPUT XI.

*Symbola Trinitatis in homine.*

12. Trinitatem omnipotentem quis intelligit ? Et quis non loquitur eam, si tamen eam ? Rara anima quæ cum de illa loquitur, scit quid loquitur [4]. Et contendunt et dimicant, et nemo sine pace videt istam visionem. Vellem ut hæc tria cogitarent homines in seipsis. Longe aliud sunt ista tria quam illa Trinitas : sed dico ubi se exerceant et probent, et sentiant quam longe sunt [5]. Dico autem hæc tria : esse, nosse, velle. Sum enim, et novi, et volo : sum sciens, et volens ; et scio esse me, et velle ; et volo esse, et scire. In his igitur tribus quam sit inseparabilis vita, et una vita, et una mens, et una essentia, quam denique inseparabilis distinctio, et tamen distinctio, videat qui potest. Certe coram se est ; attendat in se, et videat, et dicat mihi. Sed cum invenerit in his aliquid et dixerit, non jam se putet invenisse illud quod supra ista est incommutabile, quod est incommutabiliter, et scit incommutabiliter, et vult incommutabiliter : et utrum propter tria hæc et ibi Trinitas ; an in singulis hæc tria, ut [6] terna singulorum sint ; an utrumque miris modis simpliciter et multipliciter infinito in se sibi fine quo est, et sibi notum est, et sibi sufficit incommutabiliter idipsum copiosa unitatis magnitudine ; quis facile cogitaverit ? quis ullo modo dixerit ? quis quolibet modo temere pronuntiaverit ?

## CAPUT XII.

*Mundi creatio formationem Ecclesiæ præfigurat.*

13. Procede in confessione, fides mea ; dic Domino Deo tuo : Sancte, Sancte, Sancte, Domine Deus meus, in nomine tuo baptizati sumus, Pater et Fili et Spiritus sancte ; in nomine tuo baptizamus, Pater et Fili et Spiritus sancte ; quia et apud nos in Christo suo [1] *fecit Deus cœlum et terram*, spirituales et carnales Ecclesiæ suæ ; et *terra* nostra antequam acciperet formam doctrinæ, *invisibilis erat et incomposita*, et ignorantiæ tenebris tegebamur ; quoniam pro iniquitate erudisti hominem (*Psal.* XXXVIII, 12), et judicia tua sicut abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). Sed quia Spiritus tuus superferebatur super aquam (*Gen.* I, 2), non reliquit miseriam nostram misericordia tua, et dixisti : *Fiat lux. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 12). *Pœnitentiam agite, Fiat lux.* Et quoniam conturbata erat ad nos ipsos anima nostra, commemorati sumus tui, Domine, de terra Jordanis, et de monte æquali tibi, sed parvo propter nos (*Psal.* XLI, 7) ; et displicuerunt nobis tenebræ nostræ, et conversi sumus ad te, *et facta est lux.* Et ecce fuimus aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino (*Eph.* V, 8).

## CAPUT XIII.

*Renovatio hominis dum hic vivit nondum perfecta.*

14. Et tamen adhuc per fidem, nondum per speciem (II *Cor.* V, 7). Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes (*Rom.* VIII, 24). Adhuc abyssus abyssum invocat, sed in voce [2] cataractarum tuarum (*Psal.* XLI, 8). Adhuc et ille qui dicit : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (I *Cor.* III, 1), etiam ipse nondum se arbitratur comprehendisse ; et quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt, extenditur (*Philip.* III, 13), et ingemiscit gravatus, et sitit anima ejus ad Deum vivum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum, et dicit : Quando veniam ? (*Psal.* XLI, 2, 3) habitaculum suum quod de cœlo est, superindui cupiens (II *Cor.* V, 2), et invocat inferiorem abyssum, dicens : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* XII, 2) ; et : *Nolite pueri effici mentibus* [3], *sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20) ; et : *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit ?* (*Gal.* III, 1.) Sed jam non in voce sua ; in tua enim qui misisti Spiritum tuum de excelsis (*Act.* II, 2), per eum qui ascendit in altum (*Psal.* LXVII, 19), et aperuit cataractas donorum suo-

[1] In prius excusis, *quæ dixerunt mihi.* Sed alludit Augustinus ad Psal. 121, 1, in quo legere solet, *qui dixerunt ;* et sic habent hic Mss.

[2] Sic Mss. cum Arn. At Bad. Am. Er. et Lov. habent *facta est ;* et paulo post, *quo tenebræ fuimus.*

[3] Mss. omissis verbis *et qui non potest*, sic habent : *Qui potest, intelligat ; a te petat.*

[4] *Sciat quid loquatur*, juxta Somm. Lov. Dub. Mart. Rond. M.

[5] Er. et Lov., *quam longe aliud sunt.* Sed abest *aliud* a Mss. necnon ab Edd. Bad. Am. Somm. et Arn.

[6] Lov., *aut terna.* Sed clarius aliæ editiones cum Mss., *ut terna.* Mox enim sequitur, *an utrumque ;* quo significatur duo jam esse proposita : unum, *an propter tria hæc ibi Trinitas ;* alterum porro, *an in singulis hæc tria*, ita *ut terna singulorum sint.* Quanquam apud Am. et Er. sic post hæc legitur : *An utrorumque miris modis simpliciter et multipliciter infinito insensibili sine quo est.* Ita quoque apud Bad. nisi quod habetur *fine*, non *sine*.

[1] In Christo Filio suo, justa Somm. et Rond. M.

[2] *Sed jam in voce*, juxta Som. Mart. Rond. *Sed jam non in voce*, juxta Er. Lugd. M.

[3] Mss. aliquot ex vetustis, *effici sensibus.* — Juxta Somm. et Rond., dein legitur, *sensibus perfecti sitis.* M.

rum, ut fluminis impetus lætificaret civitatem tuam (*Psal.* XLV, 5). Illi enim suspirat sponsi amicus, habens jam spiritus primitias penes eum, sed adhuc in semetipso ingemiscens, adoptionem exspectans redemptionem corporis sui (*Rom.* VIII, 23) : illi suspirat, membrum est enim sponsæ ; et illi zelat, amicus est enim sponsi ; illi zelat non sibi (*Joan.* III, 19), quia in voce cataractarum tuarum, non in voce sua invocat alteram abyssum (*Psal.* XLI, 8), cui zelans timet, ne sicut serpens Evam decepit astutia sua, sic et eorum sensus corrumpantur a castitate, quæ est in sponso nostro Unico tuo ( II *Cor.* II, 3). Quæ est illa speciei lux? Cum videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2), et transierint lacrymæ quæ mihi factæ sunt panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus? (*Psal.* XLI, 4.)

## CAPUT XIV.

*Fide et spe corroboramur.*

15. Et ego dico : Deus meus, ubi es? Ecce ubi es [1]. Respiro in te paululum, cum effundo super me animam meam in voce exsultationis et confessionis, soni festivitatem celebrantis (*Psal.* XLI, 5). Et adhuc tristis est, quia relabitur et fit abyssus ; vel potius, sentit adhuc se esse abyssum. Dicit ei fides mea quam accendisti in nocte ante pedes meos : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Domino* (*Psal.* XLII, 5, 6) ; lucerna pedibus tuis verbum ejus (*Psal.* CXVIII, 105). Spera et persevera, donec transeat nox mater iniquorum, donec transeat ira Domini, cujus filii et nos fuimus aliquando tenebræ, quarum residua trahimus in corpore propter peccatum mortuo (*Rom.* VIII, 10), donec aspiret dies, et removeantur umbræ (*Cant.* II, 17). Spera in Domino : mane astabo [2], et contemplabor ; semper confitebor illi. Mane astabo, et videbo (*Psal.* V, 5) salutare vultus mei (*Psal.* XLII, 5), Deum meum qui vivificabit et mortalia corpora nostra, propter Spiritum qui habitat in nobis (*Rom.* VIII, 11) ; quia super interius nostrum tenebrosum et fluidum misericorditer superferebatur. Unde in hac peregrinatione pignus accepimus ( II *Cor.* I, 22), ut jam simus lux (*Ephes.* V, 8), dum adhuc spe salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24), et filii lucis, et filii diei, non filii noctis neque tenebrarum (I *Thess.* V, 5), quod tamen fuimus. Inter quos et nos in isto adhuc incerto humanæ notitiæ, tu solus dividis, qui probas corda nostra, et vocas lucem diem, et tenebras noctem (*Gen.* I, 5). Quis enim nos discernit, nisi tu? quid autem habemus quod non accepimus a te (I *Cor.* IV, 7), ex eadem massa vasa in honorem, ex qua sunt et alia facta in contumeliam? (*Rom.* IX, 21.)

[1] Aliud Lov. omittitur *ecce ubi es.*

[2] Editi cum nonnullis Mss., *mane astabo tibi.* At abest *tibi* a verioribus codicibus.

## CAPUT XV.

Fiat firmamentum, *etc.*, *Gen.* 1, 6. *Quid firmamentum, quid superiores aquæ.*

16. Aut quis, nisi tu, Deus noster, fecisti nobis *firmamentum* auctoritatis super nos in Scriptura tua divina? Cœlum enim plicabitur ut liber (*Isai.* XXIV, 4), et nunc sicut pellis extenditur super nos (*Psal.* CIII, 2). Sublimioris enim auctoritatis est tua divina Scriptura, cum jam obierunt istam mortem illi mortales, per quos eam dispensasti nobis. Et tu scis, Domine, tu scis quemadmodum pellibus indueris homines, cum peccato mortales fierent (*Gen.* III, 21). Unde sicut pellem extendisti firmamentum Libri tui, concordes utique sermones tuos, quos per mortalium ministerium superposuisti nobis. Namque ipsa eorum morte, solidamentum auctoritatis in eloquiis tuis per eos editis sublimiter extenditur super omnia quæ subter sunt : quod cum hic viverent, non ita sublimiter extentum erat. Nondum sicut pellem cœlum extenderas, nondum mortis eorum famam usquequaque dilataveras.

17. Videamus, Domine, cœlos opera digitorum tuorum ; disserena oculis nostris nubilum quo subtexisti eos. Ibi est testimonium tuum, sapientiam præstans parvulis (*Psal.* XVIII, 8). Perfice, Deus meus, laudem tuam ex ore infantium et lactentium. Neque enim novimus alios libros ita destruentes superbiam, ita destruentes inimicum et defensorem (*Psal.* VIII, 4, 3), resistentem reconciliationi tuæ defendendo peccata sua. Non novi, Domine, non novi alia tam casta eloquia, quæ sic mihi persuaderent confessionem, et lenirent cervicem meam jugo tuo, et invitarent colere te gratis. Intelligam ea, Pater bone ; da mihi hæc subterposito, quia subterpositis solidasti ea.

18. Sunt aliæ *aquæ super* hoc *firmamentum*, credo, immortales, et a terrena corruptione secretæ. Laudent nomen tuum, laudent te supercœlestes populi Angelorum tuorum, qui non opus habent suspicere [1] firmamentum hoc, et legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper (*Matth.* XVIII, 10), et ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua. Legunt, eligunt et diligunt ; semper legunt, et nunquam præterit quod legunt. Eligendo enim et diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilii tui. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum ; quia tu ipse illis hoc es, et es in æternum : quia super hoc firmamentum ordinasti eos, quod [2] firmasti super infirmitatem inferiorum populorum, ubi suspicerent et cognoscerent misericordiam tuam, temporaliter enuntiantem te, qui fecisti tempora. In cœlo enim, Domine, misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes (*Psal.* XXXV, 6). Transeunt nubes, cœlum autem manet. Transeunt prædicatores verbi tui ex hac vita in aliam vitam ; Scriptura vero tua usque in finem sæculi super populos extenditur. Sed et cœlum et terra transibunt ; sermones autem tui non transibunt ( *Matth.* XXIV, 35 ) : quoniam et pellis plicabitur, et fenum super quod extendebatur, cum claritate sua præteriet ; verbum autem tuum manet in æternum (*Isai.* XL, 6) ; quod nunc in ænigmate nubium et per speculum cœli ( I *Cor.* XIII, 12), non sicuti est apparet nobis ; quia et nos quamvis

[1] Lov. cum antiquioribus editionibus, *suscipere ;* et paulo post, *susciperent et cognoscerent misericordiam tuam.* Sed liquet meliorem esse Mss. lectionem, quam in textu damus.

[2] Lov., *quos*, in textu ; et ad marginem, *quod :* hoc præferre visum est, maxime cum legatur in Edd. aliis et Mss.

Filio tuo dilecti simus, nondum apparuit quod erimus. Attendit per retia carnis, et blanditus est, et inflammavit, et cucurrimus post odorem ejus. Sed cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2) : sicuti est, Domine, videre nostrum, quod nondum est nobis [1].

## CAPUT XVI.

*Solus Deus se scit omnino sicuti est.*

19. Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et scis incommutabiliter, et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit et vult incommutabiliter, et scientia tua est et vult incommutabiliter, et voluntas tua est et scit incommutabiliter. Nec videtur justum esse coram te, ut quemadmodum se scit lumen incommutabile, ita sciatur ab illuminato commutabili. Ideoque anima mea tanquam terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII, 6); quia sicut se illuminare de se non potest; ita se satiare de se non potest. Sic enim apud te fons vitæ, quomodo in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 10).

## CAPUT XVII.

Congregentur aquæ, *etc.*, *Gen.* 1, 9. *Quid mare, quid arida. Explicatur* ℣ 11 : Germinet terra, *etc.*

20. Quis congregavit amaricantes in societatem unam? Idem namque illis finis est temporalis et terrenæ felicitatis, propter quam faciunt omnia; quamvis innumerabili varietate curarum fluctuent. Quis, Domine, nisi tu qui dixisti ut congregarentur aquæ in congregationem unam, et appareret arida, sitiens tibi? Quoniam tuum est et mare, et tu fecisti illud, et aridam terram manus tuæ formaverunt (*Psal.* XCIV, 5); neque enim amaritudo voluntatum, sed congregatio aquarum vocatur mare. Tu enim coerces etiam malas cupiditates animarum, et figis limites quousque progredi sinantur, atque [2] ut in se comminuantur fluctus earum (*Job.* XXXVIII, 10, 11); atque ita facis mare ordine imperii tui super omnia.

21. At animas sitientes tibi, et apparentes tibi alio fine distinctas a societate maris, occulto et dulci fonte irrigas, ut et *terra* det fructum suum : et dat fructum suum [3], et te jubente Domino Deo suo germinat anima nostra opera misericordiæ *secundum genus;* diligens proximum in subsidiis necessitatum carnalium, *habens in se semen secundum similitudinem;* quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subveniendum indigentibus, similiter opitulantes quemadmodum nobis vellemus opem ferri, si eodem modo indigeremus; non tantum in facilibus, tanquam in herba seminali, sed etiam in protectione adjutorii, forti robore, sicut lignum fructiferum; id est, beneficum [4] ad eripiendum eum qui injuriam patitur, de manu potentis, et præbendo protectionis umbraculum valido robore justi judicii.

[1] In vulgatis, *quod nondum est, da nobis.* At in Mss. non habetur *da*, nisi forte in aliquo e recentioribus.

[2] Ita Bad. Am. Er. cum Mss. undecim. At Lov. et Arn., *progredi sinantur aquæ, ut in se comminuantur.*

[3] Bad. Am. Er. Lov. omittunt *et dat fructum suum.*

[4] Sic legendum, juxta quatuor Mss. Ang. — Sic etiam Mart. cum uno Ms. Editio Florentina et 5 Mss. apud Rond. P. Benedictini in priori primi tomi editione *beneficium* posuerunt; in posteriori vero, servata præcedenti lectione, mutandam eam in *beneficum* dixerunt. M.

## CAPUT XVIII.

Fiant luminaria, *etc.Gen.* 1, 14. *Quæ luminaria dividentia inter diem et noctem.*

22. Ita Domine, ita, oro te, oriatur sicuti facis, sicuti das hilaritatem et facultatem; oriatur de terra veritas, et justitia de cœlo respiciat (*Psal.* LXXXIV, 12), et *fiant in firmamento luminaria.* Frangamus esurienti panem nostrum, et egenum sine tecto inducamus in domum nostram; nudum vestiamus, et domesticos seminis nostri non despiciamus. Quibus in terra natis fructibus, vide quia bonum est; et erumpat temporanea lux nostra (*Isai.* LVIII, 7, 8), et de ista inferiori fruge actionis in delicias contemplationis verbum vitæ superius obtinentes, appareamus sicut *luminaria* in mundo, cohærentes *firmamento* Scripturæ tuæ. Ibi enim nobiscum disputas, ut dividamus inter intelligibilia et sensibilia, tanquam inter diem et noctem, vel inter animas, alias intelligibilibus, alias sensibilibus deditas; ut jam non tu solus in abdito dijudicationis tuæ, sicut antequam fieret firmamentum, dividas inter lucem et tenebras, sed etiam spirituales tui in eodem firmamento positi atque distincti, manifestata per orbem gratia tua *luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et significent tempora :* quia vetera transierunt, ecce facta sunt nova; et quia propior est nostra salus, quam cum credidimus (*Rom.* XIII, 11); et quia nox præcessit, dies autem appropinquavit; et quia benedicis coronam anni tui (*Psal.* LXIV, 2), mittens operarios [1] in messem tuam (*Matth.* IX, 38), in qua seminanda alii laboraverunt, mittens etiam in aliam sementem (*Joan.* IV, 38), cujus messis in fine est (*Matth.* XIII, 39). Ita das vota optanti [2], et benedicis annos justi; tu autem idem ipse es, et in annis tuis qui non deficiunt (*Psal.* CI, 28), horreum præparas annis transeuntibus. Æterno quippe consilio, propriis temporibus bona cœlestia das super terram.

23. Quoniam quidem alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, tanquam *luminare majus*, propter eos qui perspicuæ veritatis luce delectantur, tanquam in principio diei; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, tanquam *luminare minus;* alii fides, alii donatio curationum, alii operationes virtutum, alii prophetia, alii judicatio spirituum, alteri genera linguarum; et hæc omnia tanquam stellæ. Omnia enim hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult, et faciens apparere sidera in manifestatione ad utilitatem (I *Cor.* XII, 7, 11). Sermo autem scientiæ qua continentur omnia sacramenta, quæ variantur temporibus tanquam luna, et cæteræ notitiæ donorum quæ deinceps tanquam stellæ commemorata sunt, quantum differunt ab illo candore sapientiæ quo gaudet prædictus dies, tantum in principio [3] noctis sunt. His enim sunt necessaria,

[1] Quatuor Mss. Angl., *benignitatis operarios.*

[2] Lov., *vitam optanti;* et paulo post, *ortum præparas :* contra quam habent cæteri codices, quos utroque loco sequimur.

[3] Mss. melioris notæ, *in principia*, id est in luminaria noctis : quæ lectio videretur præferenda, nisi paulo supra haberetur *in principio diei;* forte pro *in principium diei*, juxta librum 1 de Genesi contra Manichæos, cap. 14.

quibus ille prudentissimus servus tuus non potuit loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ( I *Cor.* III, 1), ille qui sapientiam loquitur inter perfectos (*Ibid.* II, 6). Animalis autem homo tanquam parvulus in Christo lactisque potator, donec roboretur ad solidum cibum, et aciem firmet ad solis aspectum, non habeat desertam noctem suam, sed luce lunæ stellarumque contentus sit. Hæc nobiscum disputas, sapientissime Deus noster, in Libro tuo firmamento tuo; ut discernamus omnia contemplatione mirabili, quamvis adhuc *in signis, et in temporibus, et in diebus, et in annis.*

## CAPUT XIX.

*Tractat eumdem versiculum,* Fiant luminaria, *etc.*

24. Sed prius lavamini, mundi estote; auferte nequitiam ab animis vestris, atque a conspectu oculorum meorum, ut *appareat arida.* Discite bonum facere, judicate pupillo, et justificate viduam; ut *germinet terra herbam pabuli et lignum fructiferum;* et venite, disputemus, dicit Dominus, ut *fiant luminaria in firmamento cœli, et luceant super terram.* Quærebat dives ille a magistro bono, quid faceret ut vitam æternam consequeretur: dicat ei magister bonus, quem putabat hominem, et nihil amplius; bonus est autem, quia Deus est: dicat ei, ut si vult venire ad vitam, servet mandata; separet a se amaritudinem malitiæ atque nequitiæ; non occidat, non mœchetur, non furetur, non falsum testimonium dicat; ut *appareat arida,* et *germinet* honorem patris et matris, et dilectionem proximi. Feci, inquit, hæc omnia. Unde ergo tantæ spinæ, si terra fructifera est? Vade, exstirpa silvosa dumeta avaritiæ; vende quæ possides, et implere frugibus dando pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et sequere Dominum si vis esse perfectus, eis sociatus inter quos loquitur sapientiam ille qui novit quid distribuat diei et nocti, ut noris et tu, ut fiant et tibi luminaria in firmamento cœli; quod non fiet, nisi fuerit illic cor tuum; quod item non fiet, nisi fuerit illic thesaurus tuus, sicut audisti a magistro bono (*Matth.* VI, 21). Sed contristata est terra sterilis, et spinæ offocaverunt verbum (*Id.* XIX, 16-22).

25. Vos autem genus electum, infirma mundi, qui dimisistis omnia ut sequeremini Dominum; ite post eum, et confundite fortia: ite post eum, speciosi pedes, et lucete in firmamento (I *Petr.* II, 9); ut cœli enarrent gloriam ejus, dividentes inter lucem perfectorum sed nondum sicut Angelorum, et tenebras parvulorum sed non despectorum [1]: lucete super omnem terram; et dies sole candens eructet diei verbum sapientiæ, et nox luna lucens annuntiet nocti verbum scientiæ (*Psal.* XVIII, 2). Luna et stellæ nocti lucent; sed nox non obscurat eas, quoniam ipsæ illuminant eam pro modulo ejus. Ecce enim tanquam Deo dicente, *Fiant luminaria in firmamento cœli,* factus est subito de cœlo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et visæ sunt linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit super unumquemque illorum (*Act.* II, 2, 3); et facta sunt luminaria in firmamento cœli (*Matth.* V, 14), verbum vitæ habentia. Ubique discurrite, ignes sancti, ignes decori. Vos enim estis lumen mundi, nec estis sub modio. Exaltatus est cui adhæsistis, et exaltavit vos. Discurrite, et innotescite omnibus gentibus.

[1] Am. Er. et novem Mss., *desperatorum.*

## CAPUT XX.

Producant aquæ, *etc.*, *Gen.* 1, 20. *Quæ reptilia, quæ volatilia.*

26. Concipiat et mare, et pariat opera vestra, et *producant aquæ reptilia animarum vivarum.* Separantes enim pretiosum a vili, facti estis os Dei, per quos diceret: *Producant aquæ,* non animam vivam quam terra producit, sed *reptilia animarum vivarum, et volatilia volantia super terram.* Repserunt enim Sacramenta tua, Deus, per opera sanctorum tuorum inter medios fluctus tentationum sæculi, ad imbuendas gentes nomine tuo, in baptismo tuo. Et inter hæc facta sunt magnalia mirabilia tanquam ceti grandes, et voces nuntiorum tuorum volitantes super terram juxta firmamentum Libri tui, præposito illo sibi ad auctoritatem, sub quo volitarent quocumque irent. Neque enim sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, quando in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4, 5); quoniam tu, Domine, benedicendo multiplicasti hæc.

27. Numquid mentior, aut mixtione misceo, neque distinguo lucidas cognitiones harum rerum in firmamento cœli, et opera corporalia in undoso mari, et sub firmamento cœli? Quarum enim rerum notitiæ sunt solidæ, et terminatæ sine incrementis generationum, tanquam lumina sapientiæ et scientiæ, earumdem rerum sunt operationes corporales multæ ac variæ; et aliud ex alio crescendo multiplicatur in benedictione tua, Deus, qui consolatus es fastidia sensuum mortalium, ut in cognitione animi res una multis modis per corporis motiones figuretur atque dicatur. Aquæ produxerunt hæc; sed in verbo tuo. Necessitates alienatorum ab æternitate veritatis tuæ populorum produxerunt hæc; sed in Evangelio tuo, quoniam ipsæ aquæ ista ejecerunt; quarum amarus languor fuit causa, ut in tuo verbo ista procederent.

28. Et pulchra sunt omnia faciente te, et ecce tu inenarrabiliter pulchrior qui fecisti omnia: a quo si non esset lapsus Adam, non diffunderetur ex utero ejus salsugo maris, genus humanum profunde curiosum, et procellose tumidum, et instabiliter fluidum; atque ita non opus esset ut in aquis multis corporaliter et sensibiliter operarentur dispensatores tui mystica facta et dicta. Sic enim nunc mihi occurrerunt reptilia et volatilia, quibus imbuti et initiati homines corporalibus sacramentis subditi, non ultra proficerent, nisi spiritualiter vivesceret anima gradu alio, et post initii verbum in consummationem respiceret.

## CAPUT XXI.

Producat terra animam vivam, *etc.*, *Gen.* 1, 24.

29. Ac per hoc in verbo tuo non maris profunditas, sed ab aquarum amaritudine terra discreta eje-

cit [1], non reptilia animarum vivarum et volatilia, sed animam vivam. Neque enim jam opus habet Baptismo quo gentibus opus est, sicut opus habebat cum aquis tegeretur; non enim intratur aliter in regnum cœlorum ex illo quo instituisti ut sic intretur : nec magnalia quærit mirabilium quibus fiat fides; neque enim nisi signa et prodigia viderit, non credit (*Joan.* IV, 48), cum jam distincta sit terra fidelis ab aquis maris infidelitate amaris; et linguæ in signo [2] sunt non fidelibus, sed infidelibus (I *Cor.* XIV, 22). Nec isto igitur genere volatili, quod verbo tuo produxerunt aquæ, opus habet terra quam fundasti super aquas. Immitte in eam verbum tuum per nuntios tuos. Opera enim eorum narramus, sed tu es qui operaris in eis, ut operentur animam vivam. Terra producit eam, quia terra causa est ut hæc agant in ea; sicut mare fuit causa ut agerent reptilia animarum vivarum, et volatilia sub firmamento cœli, quibus jam terra non indiget; quamvis piscem manducet (*Luc.* XXIV, 43) levatum de profundo in ea mensa quam parasti in conspectu credentium (*Psal.* XXII, 5); ideo enim de profundo levatus est ut alat aridam. Et aves, marina progenies, sed tamen super terram multiplicantur. Primarum enim vocum evangelizantium infidelitas hominum causa exstitit; sed et fideles exhortantur, et benedicuntur ab eis [3] multipliciter de die in diem. At vero anima viva de terra sumpsit [4] exordium, quia non prodest jam nisi fidelibus continere se ab amore hujus sæculi, ut anima eorum tibi vivat, quæ mortua erat in deliciis vivens, deliciis, Domine, mortiferis (I *Tim.* V, 6); nam tu puri cordis vitales deliciæ.

30. Operentur ergo jam in terra ministri tui, non sicut in aquis infidelitatis annuntiando et loquendo per miracula et sacramenta et voces mysticas, ubi intenta sit ignorantia mater admirationis in timore occultorum signorum; talis enim est introitus ad fidem filiis Adam oblitis tui, dum abscondunt se a facie tua (*Gen.* III, 8) et fiunt abyssus : sed operentur etiam sicut in arida discreta a gurgitibus abyssi; et sint forma fidelibus vivendo coram eis, et excitando ad imitationem. Sic enim non tantum ad audiendum, sed etiam ad faciendum audiunt : *Quærite Dominum, et vivet anima vestra* (*Psal.* LXVIII, 33), ut *producat terra animam viventem. Nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* XII, 2), continete vos ab eo. Evitando vivit anima, quæ appetendo moritur. Continete vos ab immani feritate superbiæ, ab inerti voluptate luxuriæ, et a fallaci nomine scientiæ; ut sint bestiæ mansuetæ, et pecora edomita, et innoxii serpentes. Motus enim animæ sunt isti in allegoria : sed fastus elationis, et delectatio libidinis, et venenum curiositatis motus sunt animæ mortuæ; quia non ita moritur, ut omni motu careat, quoniam discedendo a fonte vitæ, moritur, atque ita suscipitur a prætereunte sæculo, et conformatur ei.

31. Verbum autem tuum, Deus, fons vitæ æternæ est, et non præterit : ideoque in verbo tuo cohibetur ille discessus, dum dicitur nobis, *Nolite conformari huic sæculo;* ut *producat terra* in fonte vitæ *animam viventem*, in verbo tuo per Evangelistas tuos animam continentem, imitando imitatores Christi tui. Hoc est enim *secundum genus*, quoniam æmulatio viri ab amico est : *Estote*, inquit, *sicut ego; quia et ego sicut vos* (*Galat.* IV, 12). Ita erunt in anima viva [1] bestiæ bonæ in mansuetudine actionis. Mandasti enim, dicens : *In mansuetudine opera tua perfice, et ab omni homine diligeris* (*Eccli.* III, 19). Et pecora bona neque si manducaverint, abundantia; neque si non manducaverint, egentia : et serpentes boni, non perniciosi ad nocendum, sed astuti ad cavendum; et tantum explorantes temporalem naturam, quantum sufficit, ut per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciatur æternitas (*Rom.* I, 20). Serviunt enim rationi hæc animalia, cum a progressu mortifero cohibita vivunt et bona sunt.

## CAPUT XXII.

Faciamus hominem ad imaginem, *etc.*, *Gen.* 1, 26. *Renovatio mentis.*

32. Ecce enim, Domine Deus noster, creator noster, cum cohibitæ fuerint affectiones ab amore sæculi, quibus moriebamur male vivendo, et cœperit esse anima vivens bene vivendo, completumque fuerit verbum tuum, quod per Apostolum tuum dixisti, *Nolite conformari huic sæculo;* consequitur et illud quod adjunxisti statim et dixisti, *Sed reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* XII, 2) : non jam *secundum genus*, tanquam imitantes præcedentem proximum, nec ex hominis melioris auctoritate viventes. Neque enim dixisti, Fiat homo secundum genus; sed, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26); ut nos probemus quæ sit voluntas tua. Ad hoc enim dispensator ille tuus generans per Evangelium filios (I *Cor.* IV, 15), ne semper parvulos haberet quos lacte nutriret, et tanquam nutrix foveret (I *Thess.* II, 7) : *Reformamini*, inquit, *in novitate mentis vestræ, ad probandum vos* [2] *quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum* (*Rom.* XII, 2). Ideoque non dicis, Fiat homo; sed, *Faciamus hominem.* Nec dicis, Secundum genus; sed, *Ad imaginem et similitudinem nostram.* Mente quippe renovatus, et conspiciens intellectam veritatem tuam, homine demonstratore non indiget, ut suum genus imitetur; sed demonstrante te probat ipse quæ sit voluntas tua, quod bonum et beneplacitum et perfectum : et doces eum [3] jam capacem videre Trinitatem unitatis, et unitatem Trinitatis. Ideoque pluraliter dicto, *Faciamus hominem*, singulariter tamen infertur, *Et fecit Deus hominem;*

[1] *Ejicit*, juxta Somm. Mart. et Rond. M.
[2] *In signo*, juxta Somm. et Rond. cum 5 Mss. M.
[3] Lov., *benedicunt eis;* sed legendum cum Edd. aliis et Mss., *benedicuntur ab eis* : quæ lectio perperam correcta est propter verbum *exhortantur*, quod putarunt active usurpari.
[4] *Sumit*, juxta Arn. et Mart. cum 6 Mss. M.

[1] Plures Mss., *in animam vivam.*
[2] In editis deest *vos;* quam vocem restituere placuit ex Mss., quia locum illum sic referre solet Augustinus.
[3] Bad. Am. Er. et Arn., *facis jam capacem.* Sic etiam duo e Mss.

et pluraliter dicto, *Ad imaginem nostram*, singulariter infertur, *ad imaginem Dei*. Ita homo renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum (*Gen.* I, 27; *Coloss.* III, 10) : et spiritualis effectus judicat omnia, quæ utique judicanda sunt; ipse autem a nemine judicatur.

## CAPUT XXIII.

Et præsit piscibus maris, *etc.*, *Gen.* 1, 26. *De quibus christianus judicet.*

33. Quod autem judicat omnia, hoc est quod habet potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram. Hoc enim agit per mentis intellectum, per quem percipit quæ sunt Spiritus Dei (I *Cor.* II, 14). Alioqui homo in honore positus, non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 15). Ergo in Ecclesia tua, Deus noster, secundum gratiam tuam quam dedisti ei, quoniam tuum sumus figmentum, creati in operibus bonis (*Ephes.* II, 10), non solum qui spiritualiter præsunt, sed etiam ii qui spiritualiter subduntur eis qui præsunt (Masculum enim et feminam fecisti hominem [*Gen.* I, 27], hoc modo in gratia tua spirituali, ubi secundum sexum corporis non est masculus et femina; quia neque Judæus, neque Græcus, neque servus, neque liber [*Galat.* III, 28]) : spirituales ergo, sive qui præsunt, sive qui obtemperant, spiritualiter judicant (I *Cor.* II, 15) : non de cognitionibus spiritualibus, quæ lucent in firmamento (non enim oportet de tam sublimi auctoritate judicare); neque de ipso Libro tuo, etiamsi quid ibi non lucet; quoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumque habemus etiam quod clausum est aspectibus nostris, recte veraciterque dictum esse. Sic enim homo, licet jam spiritualis et renovatus in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum (*Coloss.* III, 10); factor tamen legis debet esse, non judex (*Jacobi* IV, 11). Neque de illa distinctione judicat, spiritualium videlicet atque carnalium hominum, qui tuis, Deus noster, oculis noti sunt, et nullis adhuc nobis apparuerunt operibus, ut ex fructibus eorum cognoscamus eos (*Matth.* VII, 20) : sed tu, Domine, jam scis eos et divisisti et vocasti in occulto, antequam fieret firmamentum. Neque de turbidis hujus sæculi populis quanquam [1] spiritualis homo judicat. Quid enim ei de iis qui foris sunt judicare (I *Cor.* V, 12), ignoranti quis inde venturus sit in dulcedinem gratiæ tuæ, et quis in perpetua impietatis amaritudine remansurus?

34. Ideoque homo quem fecisti ad imaginem tuam, non accepit potestatem luminarium cœli, neque ipsius occulti cœli, neque diei et noctis, quæ ante cœli constitutionem vocasti, neque congregationis aquarum quod est mare; sed accepit potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram. Judicat enim; et approbat quod recte, improbat autem quod perperam invenerit : sive in ea solemnitate sacramentorum quibus initiantur, quos pervestigat in aquis multis misericordia tua; sive in ea qua ille piscis exhibetur, quem levatum de profundo terra pia comedit; sive in verborum signis vocibusque subjectis auctoritati Libri tui tanquam sub firmamento volitantibus, interpretando, exponendo, disserendo, disputando, benedicendo atque invocando te, ore crumpentibus atque sonantibus signis, ut respondeat populus, Amen. Quibus omnibus vocibus corporaliter enuntiandis, causa est abyssus sæculi, et cæcitas carnis, qua [1] cogitata non possunt videri, ut opus sit instrepere in auribus : ita quamvis multiplicentur volatilia super terram, ex aquis tamen originem ducunt. Judicat etiam spiritualis, approbando quod rectum, improbando autem quod perperam invenerit in operibus moribusque fidelium, eleemosynis tanquam terra fructifera, et de anima viva mansuefactis affectionibus, in castitate, in jejuniis, in cogitationibus piis, de iis quæ per sensum corporis percipiuntur. De his enim judicare nunc dicitur, in quibus et potestatem corrigendi habet.

## CAPUT XXIV.

Et benedixit eos Deus dicens, Crescite, *etc.*, *Gen.* 81, 2.

35. Sed quid est hoc, et quale mysterium est? Ecce benedicis homines, o Domine, ut crescant et multiplicentur, et impleant terram. Nihilne nobis ex hoc innuis ut intelligamus aliquid? Cur non ita benedixeris lucem quam vocasti diem, nec firmamentum cœli, nec luminaria, nec sidera, nec terram, nec mare? Dicerem te, Deus noster qui nos ad imaginem tuam creasti, dicerem te hoc donum benedictionis homini proprie voluisse largiri; nisi hoc modo benedixisses pisces et cetos ut crescerent, et multiplicarentur, et implerent aquas maris, et volatilia multiplicarentur super terram. Item dicerem ad ea rerum genera pertinere benedictionem hanc, quæ gignendo ex semetipsis propagantur; si eam reperirem in arbustis, et frutetis et in pecoribus terræ. Nunc autem nec herbis et lignis dictum est, nec bestiis et serpentibus, *Crescite et multiplicamini*; cum hæc quoque omnia, sicut pisces et aves et homines gignendo augeantur, genusque custodiant.

36. Quid igitur dicam, lumen meum Veritas? quia vacat hoc, quia inaniter ita dictum est? Nequaquam, Pater pietatis; absit ut hoc dicat servus Verbi tui. Et si ego non intelligo quid hoc eloquio significes, utantur eo melius meliores, id est intelligentiores quam ego sum, unicuique quantum sapere dedisti, Deus meus. Placeat autem et confessio mea coram oculis tuis, qua tibi confiteor credere me, Domine, non incassum te ita locutum esse, neque silebo quod mihi lectionis hujus occasio suggerit. Verum est enim, nec video quid impediat ita me sentire dicta figurata librorum tuorum. Novi enim multipliciter significari per corpus, quod uno modo mente intelligitur; et multipliciter mente intelligi, quod uno modo per

[1] Ita plerique Mss. cum Arn.; at aliæ editiones habent *tanquam*; Mss. tres, *quemquam*.

[1] Lov. aliæque editiones, excepta Arn., *quæ* : male, uti ex Mss. et ex sermonis serie intelligitur.

corpus significatur. Ecce simplex dilectio Dei et proximi, quam multiplicibus sacramentis, et innumerabilibus linguis, et in unaquaque lingua innumerabilibus locutionum modis, corporaliter enuntiatur! ita crescunt et multiplicantur fetus aquarum. Attende iterum quisquis hæc legis : ecce quod uno modo Scriptura effert, et vox personat, *In principio fecit Deus cœlum et terram* ( *Gen.* I, 1 ); nonne multipliciter intelligitur, non errorum fallacia, sed verarum intelligentiarum generibus? ita crescunt et multiplicantur fetus hominum.

37. Itaque si naturas ipsas rerum non allegorice sed proprie cogitemus; ad omnia quæ de seminibus gignuntur, convenit verbum, *Crescite et multiplicamini*. Si autem figurate posita ista tractemus, quod potius arbitror intendisse Scripturam, quæ utique non supervacue solis aquatilium et hominum fetibus istam benedictionem attribuit; invenimus quidem multitudines et in creaturis spiritualibus atque corporalibus, tanquam in cœlo et in terra; et in animis justis et iniquis, tanquam in luce et tenebris; et in sanctis auctoribus, per quos lex ministrata est, tanquam in firmamento quod solidatum est inter aquam et aquam; et in societate amaricantium populorum, tanquam in mari; et in studio animarum piarum, tanquam in arida; et in operibus misericordiæ secundum præsentem vitam, tanquam in herbis seminalibus et lignis fructiferis; et in spiritualibus donis manifestatis ad utilitatem, sicut in luminaribus cœli; et in affectibus formatis ad temperantiam, tanquam in anima viva. In his omnibus nanciscimur multitudines, et ubertates, et incrementa : sed quod ita crescat et multiplicetur, ut una res multis modis enuntietur, et una enuntiatio multis modis intelligatur; non invenimus, nisi in signis corporaliter editis, et rebus intelligibiliter excogitatis. Signa corporaliter edita, generationes aquarum propter necessarias causas carnalis profunditatis; res autem intelligibiliter excogitatas, generationes humanas propter rationis fecunditatem intelligimus. Et ideo credimus utrique horum generi dictum esse abs te, Domine, *Crescite et multiplicamini*. In hac enim benedictione, concessam nobis a te potestatem et facultatem accipio, et multis modis enuntiare quod uno modo intellectum tenuerimus, et multis modis intelligere, quod obscure uno modo enuntiatum legerimus. Sic implentur aquæ maris, quæ non moventur nisi a variis [1] significationibus : sic et fetibus humanis impletur et terra; cujus ariditas apparet in studio, et dominatur ei ratio.

## CAPUT XXV.

Ecce dedi vobis omnem herbam.... in escam, *etc.*, *Gen.* 1, 29.

38. Volo etiam dicere, Domine Deus meus, quod me consequens tua Scriptura commonet; et dicam, nec verebor. Verum enim dicam, te mihi inspirante, quod ex eis verbis voluisti ut dicerem. Neque enim alio præter te inspirante credo me verum dicere, cum tu sis veritas (*Joan.* XIV, 6), omnis autem homo mendax (*Psal.* CXV, 11). Et ideo qui loquitur mendacium, de suo loquitur (*Joan.* VIII, 44). Ergo ut verum loquar, de tuo loquar. Ecce dedisti nobis *in escam omne fenum sativum, seminans semen quod est super omnem terram; et omne lignum quod habet in se fructum seminis sativi*. Nec nobis solis, sed et omnibus avibus cœli, et bestiis terræ, atque serpentibus : piscibus autem et cetis magnis non dedisti hæc. Dicebamus enim eis fructibus terræ significari, et in allegoria figurari opera misericordiæ, quæ hujus vitæ necessitatibus exhibentur ex terra fructifera. Talis terra erat pius Onesiphorus, cujus domui dedisti misericordiam, quia frequenter Paulum tuum refrigeravit, et catenam ejus non erubuit ( II *Tim.* I, 16). Hoc fecerunt et fratres, et tali fruge fructificaverunt, qui quod ei deerat, suppleverunt ex Macedonia ( II *Cor.* XI, 9). Quomodo autem dolet quædam ligna, quæ fructum ei debitum non dederunt, ubi ait : *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur?* ( II *Tim.* IV, 16.) Ista enim debentur eis qui ministrant doctrinam rationalem per intelligentias divinorum mysteriorum; et ita eis debentur, tanquam hominibus. Debentur autem eis sicut animæ vivæ, præbentibus se ad imitandum in omni continentia. Item debentur eis tanquam volatilibus, propter benedictiones eorum quæ multiplicantur super terram, quoniam in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII, 5).

## CAPUT XXVI.

*Voluptas et utilitas ex beneficio in proximum collato.*

39. Pascuntur autem his escis qui lætantur eis; nec illi lætantur eis quorum Deus venter est. Neque enim et in illis qui præbent ista, ea quæ dant, fructus est; sed quo animo dant. Itaque ille qui Deo serviebat, non suo ventri, video plane unde gaudeat; video, et congratulor ei valde. Acceperat enim a Philippensibus, quæ per Epaphroditum miserant; sed tamen unde gaudeat, video. Unde autem gaudet, inde pascitur, quia in veritate loquens, *Gavisus sum*, inquit, *magnifice in Domino, quia tandem aliquando repullulastis sapere pro me, in quo et sapiebatis; tædium autem habuistis* (*Philip.* IV, 10). Isti ergo diuturno tædio marcuerant, et quasi exaruerant ab isto fructu boni operis : et gaudet eis quia repullularunt, non sibi quia ejus indigentiæ subvenerunt. Ideo secutus ait : *Non quod desit aliquid dico; ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio et minus habere, scio et abundare; in omnibus et in omnia imbutus sum; et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat* (*Ibid.*, 11-13).

40. Unde ergo in omnibus [1] gaudes, o Paule magne? Unde gaudes, unde pasceris, homo renovate in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit te, et anima viva tanta continentia, et lingua volatilis loquens mysteria? Talibus quippe animantibus esca ista debetur. Quid est quod te pascit? Lætitia. Quod

[1] *Nisi variis*, juxta Dub. Mart. et Rond. cum 11 Mss. M.

[1] Verba *in omnibus* omittuntur a Somm. Arn. Mart. cum 7 Mss. et Rond. cum 11 Mss.

sequitur audiamus. *Verumtamen*, inquit, *bene fecistis, communicantes tribulationi meæ*. Hinc gaudet, hinc pascitur, quia illi benefecerunt, non quia ejus angustia relaxata est, qui dicit tibi, *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV, 2) : quia et abundare et penuriam pati novit in te qui confortas eum. *Scitis enim*, inquit, *et vos, Philippenses, quoniam in principio Evangelii, cum ex Macedonia sum profectus, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli; quia et Thessalonicam, et semel et iterum, usibus meis misistis* (*Philipp.* IV, 14-16). Ad hæc bona opera eos rediisse nunc gaudet, et repullulasse lætatur tanquam revirescente fertilitate agri.

41. Numquid propter usus suos, quia dixit, *Usibus meis misistis?* numquid propterea gaudet? Non propterea. Et hoc unde scimus? Quoniam ipse sequitur dicens : *Non quia quæro datum, sed requiro fructum* [1] (*Ibid.*, 17). Didici a te, Deus meus, inter datum et fructum discernere. Datum est res ipsa quam dat, qui impertitur hæc necessaria ; veluti est nummus, cibus, potus, vestimentum, tectum, adjutorium. Fructus autem, bona et recta voluntas datoris est. Non enim ait Magister bonus, *Qui susceperit prophetam*, tantum; sed addidit : *in nomine prophetæ;* neque ait tantum, *Qui susceperit justum;* sed addidit, *in nomine justi*. Ita quippe ille mercedem prophetæ, iste mercedem justi accipiet. Nec solum ait : *Qui calicem aquæ frigidæ potum dederit uni ex minimis meis;* sed addidit : *tantum in nomine discipuli*. Et sic adjunxit : *Amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X, 41, 42). Datum est, suscipere prophetam, suscipere justum, porrigere calicem aquæ frigidæ discipulo ; fructus autem, in nomine prophetæ, in nomine justi, in nomine discipuli hoc facere. Fructu pascitur Elias a vidua sciente quod hominem Dei pasceret, et propter hoc pasceret : per corvum autem dato pascebatur (III *Reg.* XVII, 6). Nec interior Elias, sed exterior pascebatur, qui posset etiam talis cibi egestate corrumpi.

## CAPUT XXVII.

*Quid per pisces et cetos significetur.*

42. Ideoque dicam quod verum est coram te, Domine, cum homines idiotæ atque infideles, quibus initiandis atque lucrandis necessaria sunt sacramenta initiorum, et magnalia miraculorum, quæ nomine piscium et cetorum significari credimus, suscipiunt corporaliter reficiendos, aut in aliquo præsentis vitæ usu adjuvandos pueros tuos, cum id quare faciendum sit, et quo pertineat ignorent, nec illi istos pascunt, nec isti ab illis pascuntur : quia nec illi hæc sancta et recta voluntate operantur; nec isti eorum datis, ubi fructum nondum vident, lætantur. Inde quippe animus pascitur, unde lætatur. Et ideo pisces et ceti non vescuntur escis, quas non germinat nisi jam terra ab amaritudine marinorum fluctuum distincta atque discreta.

[1] Bad. Am. Er. et Lov. addunt *abundantem ;* sed hac voce carent Mss. et Arn.

## CAPUT XXVIII.

Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde, *etc.*, *Gen.* 1, 31.

43. Et vidisti, Deus, omnia quæ fecisti, *et ecce bona valde;* quia et nos vidimus [1] ea, et ecce omnia bona valde. In singulis generibus operum tuorum, cum dixisses ut fierent et facta essent, illud atque illud [2] vidisti quia bonum est. Septies numeravi scriptum esse te vidisse quia bonum est quod fecisti : et hoc octavum est, quia vidisti omnia quæ fecisti ; *et ecce* non solum bona, sed etiam *valde bona* tanquam simul omnia. Nam singula tantum bona erant ; simul autem omnia et bona, et valde. Hoc dicunt [3] etiam quæque pulchra corpora ; quia longe multo pulchrius est corpus quod ex membris pulchris omnibus constat, quam ipsa membra singula quorum ordinatissimo conventu completur universum ; quamvis et illa etiam singillatim pulchra sint.

## CAPUT XXIX.

*Quomodo intelligendum quod Deus octies vidit bona esse opera sua.*

44. Et attendi ut invenirem, utrum septies vel octies videris quia bona sunt opera tua, cum tibi placuerunt; et in tua visione non inveni tempora, per quæ intelligerem quod toties videris quæ fecisti, et dixi : O Domine, nonne ista Scriptura tua vera est, quoniam tu verax et veritas edidisti eam? Cur ergo tu mihi dicis non esse in tua visione tempora ; et ista Scriptura tua mihi dicit, per singulos dies ea quæ fecisti te vidisse quia bona sunt ; et cum ea numerarem, inveni quoties? Ad hæc tu dicis mihi, quoniam tu es Deus meus, et dicis voce forti in aure interiore servo tuo, perrumpens meam surditatem, et clamans : O homo, nempe quod Scriptura mea dicit, ego dico. Et tamen illa temporaliter dicit, Verbo autem meo tempus non accidit, quia æquali mecum æternitate consistit. Sic ea quæ vos per Spiritum meum videtis, ego video ; sicut ea quæ vos per Spiritum meum dicitis, ego dico. Atque ita, cum vos temporaliter ea videatis, non ego temporaliter video ; quemadmodum, cum vos temporaliter ea dicatis, non ego temporaliter dico.

## CAPUT XXX.

*Manichæorum deliria.*

45. Et audivi, Domine Deus meus, et elinxi stillam dulcedinis ex tua veritate, et intellexi quoniam sunt quidam quibus displicent opera tua ; et multa eorum dicunt te fecisse necessitate compulsum, sicut fabricas cœlorum et compositiones siderum : et hæc non de tuo, sed jam fuisse alibi creata et aliunde, quæ tu contraheres et compaginares atque contexeres, cum de hostibus victis mundana mœnia molireris, ut ea constructione devincti [4], adversus te iterum rebellare non possent. Alia vero nec fecisse te, nec omnino compegisse, sicut omnes carnes et minutissima quæ-

[1] In Mss., *videmus*. — Quibus assentiuntur Mart. Flor. et Rond. cum aliquot Mss. M.

[2] Lov., *illud atque aliud vidisti*.

[3] Ita Mss. plerique cum Arn. ; at Lov. aliæque editiones, *hoc modo dicuntur etiam*.

[4] Sic legendum juxta Mss. Anglicanos. — [*Devicti*] Mart. et Rond. cum 3 Mss., *devincti*. M.

que animantia, et quidquid radicibus terram tenet : sed hostilem mentem naturamque aliam, non abs te conditam, tibique contrariam, in inferioribus mundi locis ista gignere atque formare. Insani dicunt hæc quoniam non per Spiritum tuum vident opera tua, nec te cognoscunt in eis.

## CAPUT XXXI.

*Piis idem probatur quod Deo placuit.*

46. Qui autem per Spiritum tuum vident ea, tu vides in eis. Ergo cum vident quia bona sunt, tu vides quia bona sunt : et quæcumque propter te placent, tu in eis places [1]; et quæ per Spiritum tuum placent nobis, tibi placent in nobis. *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? sic et quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei. Nos autem*, inquit, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 11, 12). Et admoneor ut dicam : Certe nemo scit quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei. Quomodo ergo scimus et nos quæ a Deo donata sunt nobis? Respondetur mihi quoniam quæ per ejus Spiritum scimus, etiam sic *nemo scit, nisi Spiritus Dei.* Sicut enim recte dictum est, *Non enim vos estis qui loquimini* (*Matth.* x, 20), eis qui in Spiritu Dei loquerentur; sic recte dicitur, Non vos estis qui scitis, eis qui in Dei Spiritu sciunt. Nihilominus igitur recte dicitur, Non vos estis qui videtis, eis qui in Spiritu Dei vident : ita quidquid in Spiritu Dei vident quia bonum est; non ipsi, sed Deus videt quia bonum est. Aliud ergo est, ut putet quisque malum esse quod bonum est, quales supradicti sunt : aliud, ut quod bonum est, videat homo quia bonum est; sicut multis tua creatura placet quia bona est, quibus tamen non tu places in ea, unde frui magis ipsa quam te volunt : aliud autem, ut cum aliquid videt homo quia bonum est, Deus in illo videat quia bonum est; ut scilicet ille ametur in eo quod fecit, qui non amaretur nisi per Spiritum sanctum quem dedit; quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5), per quem videmus quia bonum est quidquid aliquo modo est : ab illo enim est, qui non aliquo modo est, sed quod est, est [2].

## CAPUT XXXII.

*Compendio enarrat opera Dei.*

47. Gratias tibi, Domine. Videmus cœlum et terram, sive corporalem partem superiorem atque inferiorem, sive spiritualem corporalemque creaturam; atque in ornatu [3] harum partium quibus constat vel universa mundi moles, vel universa omnino creatura, videmus lucem factam, divisamque a tenebris. Videmus firmamentum cœli : sive inter spirituales aquas superiores et corporales inferiores (*Lib.* 2 *Retract.*, *cap.* VI, *n.* 2), primarium corpus mundi; sive hoc spatium aeris, quia et hoc vocatur cœlum, per quod vagantur volatilia cœli inter aquas quæ vaporaliter eis superferuntur, et serenis etiam noctibus rorant, et has quæ in terris graves fluitant. Videmus congregatarum aquarum speciem per campos maris; et aridam terram, vel nudatam, vel formatam ut esset visibilis et composita, herbarumque atque arborum materiem. Videmus luminaria fulgere desuper; solem sufficere diei, lunam et stellas consolari noctem, atque his omnibus notari et significari tempora. Videmus humidam usquequaque naturam, piscibus et belluis et alitibus fecundatam, quod aeris corpulentia, quæ volatus avium portat, aquarum exhalatione concrescit. Videmus terrenis animalibus faciem terræ decorari; hominemque ad imaginem et similitudinem tuam cunctis irrationabilibus animantibus ipsa tua imagine ac similitudine, hoc est rationis et intelligentiæ virtute, præponi. Et quemadmodum in ejus anima aliud est quod consulendo dominatur, aliud quod subditur ut obtemperet : sic viro factam esse etiam corporaliter feminam, quæ haberet quidem in mente rationalis intelligentiæ parem naturam; sexu tamen corporis ita masculino sexui subjiceretur, quemadmodum subjicitur appetitus actionis ad concipiendam de ratione mentis recte agendi solertiam. Videmus hæc et singula bona, et omnia bona valde.

## CAPUT XXXIII.

*Omnia de nihilo sive de concreata materia.*

48. Laudent te opera tua, ut amemus te; et amemus te [1], ut laudent te opera tua, quæ habent initium et finem ex tempore, ortum et occasum, profectum et defectum, speciem et privationem. Habent ergo consequentia mane et vesperam, partim latenter, partim evidenter. De nihilo enim a te, non de te facta sunt, non de aliqua non tua [2], vel quæ antea fuerit, sed de concreata, id est simul a te creata materia; quia ejus informitatem sine ulla temporis interpositione formasti. Nam cum aliud sit cœli et terræ materies, aliud cœli et terræ species; materiem quidem de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen utrumque fecisti, ut materiam forma, nulla moræ intercapedine, sequeretur.

## CAPUT XXXIV.

*Totius creationis mundi allegorica expositio.*

49. Inspeximus etiam propter quorum figurationem ista vel tali ordine fieri, vel tali ordine scribi voluisti, et vidimus quia bona sunt singula, et omnia bona valde, in Verbo tuo, in Unico tuo; cœlum et terram, caput et corpus Ecclesiæ, in prædestinatione ante omnia tempora, sine mane et vespera. Ubi autem cœpisti prædestinata temporaliter exsequi, ut occulta manifestares, et incomposita nostra componeres; quoniam super nos erant peccata nostra, et in profundum tenebrosum abieramus abs te, et Spiritus tuus bonus superferebatur ad subveniendum nobis in tempore opportuno : et justificasti impios, et distinxisti eos ab iniquis; et solidasti auctoritatem Libri tui inter superiores qui tibi docibiles essent, et inferiores qui eis subderentur; et congregasti societatem infide-

[1] Bad. Am. Er. Lov., *complaces.*
[2] *Sed est est*, juxta 4 Mss. apud Mart. M.
[3] *In ornatum*, juxta 3 Mss. apud Mart. M.

[1] Angl. Mss., *et amemur a te.*
[2] Ita Mss. et Arn.; at Bad. Am. Er. Lov. habent, *non de te aliqua non de tua, vel*, etc.

lium in unam conspirationem, ut apparerent studia fidelium, et tibi opera misericordiæ parerent, distribuentes etiam pauperibus terrenas facultates ad acquirenda cœlestia. Et inde accendisti quædam luminaria in firmamento, verbum vitæ habentes sanctos tuos, et spiritualibus donis prælata sublimi auctoritate fulgentes : et inde ad imbuendas infideles gentes, Sacramenta et miracula visibilia, vocesque verborum secundum firmamentum Libri tui, quibus etiam fideles benedicerentur, ex materia corporali produxisti : et deinde fidelium animam vivam per affectus ordinatos continentiæ vigore formasti [1] : atque inde tibi soli mentem subditam, et nullius auctoritatis humanæ ad imitandum indigentem, renovasti ad imaginem et similitudinem tuam : præstantique intellectui rationabilem actionem, tanquam viro feminam, subdidisti : omnibusque tuis ministeriis ad perficiendos fideles in hac vita necessariis, ab eisdem fidelibus ad usus temporales, fructuosa in futurum opera præberi voluisti. Hæc omnia videmus, et bona sunt valde, quoniam tu ea vides in nobis, qui Spiritum, quo ea videremus et in eis te amaremus, dedisti nobis.

## CAPUT XXXV.

*Optat pacem.*

50. Domine Deus, pacem da nobis (omnia enim præstitisti nobis); pacem quietis, pacem sabbati, sabbati sine vespera [2]. Omnis quippe iste ordo pulcherrimus rerum valde bonarum modis suis peractis transiturus est; et mane quippe in eis factum est, et vespera.

## CAPUT XXXVI.

*Diem septimum vespera quare non sequatur.*

51. Dies autem septimus sine vespera est, nec habet occasum, quia sanctificasti eum ad permansionem sempiternam; ut id quod tu post opera tua bona valde, quamvis ea quietus feceris, requievisti septimo die, hoc præloquatur nobis vox Libri tui, quod et nos post opera nostra, ideo bona valde quia tu nobis ea donasti, sabbato vitæ æternæ requiescamus in te.

## CAPUT XXXVII.

*Deus in nobis quando quiescet.*

52. Etiam tunc enim sic requiesces in nobis, quemadmodum nunc operaris in nobis; et ita erit illa requies tua per nos, quemadmodum sunt ista opera tua per nos. Tu autem, Domine, semper operaris, et semper requiescis. Nec vides ad tempus [1], nec moveris ad tempus, nec quiescis ad tempus; et tamen facis et visiones temporales, et ipsa tempora, et quietem ex tempore.

## CAPUT XXXVIII.

*Aliter Deus, aliter homo videt creata.*

53. Nos itaque ista quæ fecisti videmus, quia sunt : tu autem quia vides ea, sunt. Et nos foris videmus quia sunt, et intus quia bona sunt : tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda. Et nos alio tempore moti sumus ad benefaciendum, posteaquam concepit de Spiritu tuo cor nostrum; priore autem tempore ad male faciendum movebamur deserentes te : tu vero, Deus une bone, nunquam cessasti benefacere. Et sunt quædam bona opera nostra ex munere quidem tuo, sed non sempiterna : post illa nos requieturos in tua grandi sanctificatione speramus. Tu autem bonum nullo indigens bono, semper quietus es; quoniam tua quies tu ipse es. Et hoc intelligere quis hominum dabit homini? quis angelus angelo? quis angelus homini? A te petatur, in te quæratur, ad te pulsetur : sic, sic accipietur, sic invenietur, sic aperietur (*Matth.* VII, 8). Amen.

[1] Codex Benignianus, *firmasti*.
[2] Sic legendum liquet cum Albinensi codice; non, ut alii plerique editi et scripti habent, *pacem sine vespera*.

[1] Hic editiones, excepta Arnaldina, interponunt hæc verba *nec operaris ad tempus* : quæ absunt a plerisque codicibus Mss.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTIBUS DUOBUS SOLILOQUIORUM LIBRIS (*a*).

Cum id operis molitus est Augustinus, versabatur adhuc in rure Cassiciaco, ex lib. 9 Conf., c. 4; agebatque annum ætatis trigesimum tertium, ut ipse hic testatur lib. 1, c. 10. Quapropter sub initium anni Christi trecentesimi octogesimi septimi collocandum videtur; nisi forte quis velit ad superioris anni finem cum aliis hactenus recensitis operibus pertinere.

In primo libro se ipse ad vivum depingit, nova quadam, sed perquam familiari methodo edocturus quemadmodum comparatum esse oporteat eum, qui Dei et animæ capessere scientiam cupit. Loquitur vero in primis de mentis sanitate subsidio fidei, spei et charitatis procuranda; et mentis oculum dum ab omni rerum inferiorum cupiditate purgatus sit, in solem illum haud impune attolli, nedum in eo defigi posse ostendit. Secundus liber in eo versatur totus, ut demonstretur nunquam intermorituram esse veritatem; unde ipsius animæ quæ veritatis sedes est, immortalitas colligitur.

*Vide librum* 1, *cap.* 4, Retractationum, *col.* 589–590, *a verbis*, Inter hæc scripsi, *n.* 1; *usque ad verba n.* 4, Varia mecum. M.

(*a*) Hi in editione Benedictina libros de Ordine sequuntur; sed huc transtulimus, quod vividis pietatis affectibus Confessionum naturæ magis proximi sint. M.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# SOLILOQUIORUM

## LIBRI DUO [a].

## *LIBER PRIMUS.*

Instituit se ipse Augustinus ad capessendam Dei et animæ scientiam ; ac primum divinam opem implorat, tum agnita illius, quam concupiscit, scientiæ præcellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplandum Deum tuto demum assurgat. Ad extremum libri colligit, ea quæ vere sunt, immortalia esse.

CAPUT PRIMUM. — *Precatio ad Deum.*

1. Volventi mihi multa ac varia mecum diu, ac per multos dies sedulo quærenti memetipsum ac bonum meum, quidve mali evitandum esset; ait mihi subito, sive ego ipse, sive alius quis extrinsecus, sive intrinsecus, nescio : nam hoc ipsum est quod magnopere scire molior : ait ergo mihi, *R.* (*b*). Ecce, fac te invenisse aliquid ; cui commendabilis, ut pergas ad alia ? *A.* Memoriæ scilicet. *R.* Tantane illa est ut excogitata omnia bene servet? *A.* Difficile est, imo non potest. *R.* Ergo scribendum est. Sed quid agis, quod valetudo tua scribendi laborem recusat? Nec ista dictari debent; nam solitudinem meram desiderant. *A.* Verum dicis. Itaque prorsus nescio quid agam. *R.* Ora salutem et auxilium quo ad concupita pervenias, et hoc ipsum litteris manda; ut prole tua fias animosior. Deinde quod invenis paucis conclusiunculis breviter colligé. Nec modo cures invitationem turbæ legentium; paucis ista sat erunt civibus tuis. *A.* Ita faciam.

2. Deus universitatis conditor, præsta mihi primum ut bene te rogem; deinde ut me agam dignum quem exaudias, postremo ut liberes. Deus per quem omnia, quæ per se non essent, tendunt esse. Deus qui ne id quidem quod se invicem perimit, perire permittis. Deus qui de nihilo mundum istum creasti, quem omnium oculi sentiunt pulcherrimum. Deus qui malum non facis, et facis esse ne pessimum flat. Deus qui paucis ad id quod vere est refugientibus, ostendis malum nihil esse. Deus per quem universitas etiam cum sinistra parte perfecta est. Deus a quo dissonantia usque in extremum nulla est, cum deteriora melioribus concinunt. Deus quem amat omne quod potest amare, sive sciens, sive nesciens. Deus in quo sunt omnia, cui tamen universæ creaturæ nec turpitudo turpis est, nec malitia nocet, nec error errat. Deus qui nisi mundos verum scire noluisti. Deus pater veritatis, pater sapientiæ, pater veræ summæque vitæ, pater beatitudinis, pater boni et pulchri, pater intelligibilis lucis, pater evigilationis atque illuminationis nostræ, pater pignoris quo admonemur redire ad te.

3. Te invoco, Deus veritas, in quo et a quo et per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia. Deus sapientia, in quo et a quo et per quem sapiunt, quæ sapiunt omnia. Deus vera et summa vita, in quo et a quo et per quem vivunt, quæ vere summeque vivunt omnia. Deus beatitudo, in quo et a quo et per quem beata sunt, quæ beata sunt omnia. Deus bonum et pulchrum, in quo et a quo et per quem bona et pulchra sunt, quæ bona et pulchra sunt omnia. Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent, quæ intelligibiliter lucent omnia. Deus cujus regnum est totus mundus, quem sensus ignorat. Deus de cujus regno lex etiam in ista regna describitur. Deus a quo averti, cadere ; in quem converti, resurgere ; in quo manere, consistere est. Deus a quo exire, emori ; in quem redire, reviviscere; in quo habitare, vivere est. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo quærit, nisi admonitus ; quem nemo invenit, nisi purgatus. Deus quem relinquere, hoc est quod perire ; quem attendere, hoc est quod amare ; quem videre, hoc est quod habere. Deus cui nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit, Deus per quem vincimus inimicum, te deprecor. Deus per quem accepimus [1] ne omnino periremus. Deus a quo admonemur ut vigilemus. Deus per quem a malis bona separamus. Deus per quem mala fugimus, et bona sequimur. Deus per quem non cedimus adversitatibus. Deus per quem bene servimus et bene do-

ADMONITIO.

Recensiti sunt ad Mss. Thuaneum, Victorinum, Navarricum, Sorbonicos duos, Regio-Montensem, Audoenensem, Medardensem, Vindocinensis monasterii unum, ad Vaticanum, Vedastinum, ad Anglicanos quinque, scilicet Bodleianum duos Mert. et totidem Cant. ad lectiones Belgicorum quinque per Lovanienses collectas ; et ad editiones Bad. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

(*a*) Scripti sub initium an. Christi 387.
(*b*) *R.* significat *Ratio*, *A. Augustinus.*

[1] In Mss. septem ex potioribus, *Deus quem accepimus*

minamur. Deus per quem discimus aliena esse quæ aliquando nostra, et nostra esse quæ aliquando aliena putabamus. Deus per quem malorum escis atque illecebris non hæremus. Deus per quem nos res minutæ non minuunt. Deus per quem melius nostrum deteriori subjectum non est. Deus per quem mors absorbetur in victoriam (I *Cor.* xv, 54). Deus qui nos convertis. Deus qui nos eo quod non est exuis, et eo quod est induis. Deus qui nos exaudibiles facis. Deus qui nos munis [1]. Deus qui nos in omnem veritatem inducis. Deus qui nobis omnia bona loqueris, nec insanos facis, nec a quoquam fieri sinis. Deus qui nos revocas in viam. Deus qui nos deducis ad januam. Deus qui facis ut pulsantibus aperiatur (*Matth.* VII, 8). Deus qui nobis das panem vitæ. Deus per quem sitimus potum, quo hausto nunquam sitiamus (*Joan.* VI, 35). Deus qui arguis sæculum de peccato, de justitia, et de judicio (*Id.* XVI, 8). Deus per quem nos non movent qui minime credunt. Deus per quem improbamus eorum errorem, qui animarum merita nulla esse apud te putant. Deus per quem non servimus infirmis et egenis elementis (*Galat.* IV, 9). Deus qui nos purgas, et ad divina præparas præmia, adveni mihi propitius tu.

4. Quidquid a me dictum est, unus Deus tu, tu veni mihi in auxilium; una æterna vera substantia, ubi nulla discrepantia, nulla confusio, nulla transitio, nulla indigentia, nulla mors. Ubi summa concordia, summa evidentia, summa constantia, summa plenitudo, summa vita. Ubi nihil deest, nihil redundat. Ubi qui gignit, et quem gignit unum est (*a*). Deus cui serviunt omnia, quæ serviunt; cui obtemperat omnis bona anima. Cujus legibus rotantur poli, cursus suos sidera peragunt, sol exercet diem, luna temperat noctem : omnisque mundus per dies, vicissitudine lucis et noctis; per menses, incrementis decrementisque lunaribus; per annos, veris, æstatis, autumni et hiemis successionibus; per lustra, perfectione cursus solaris; per magnos orbes, recursu in ortus suos siderum, magnam rerum constantiam, quantum sensibilis materia patitur, temporum ordinibus replicationibusque custodit. Deus cujus legibus in ævo stantibus, motus instabilis rerum mutabilium perturbatus esse non sinitur, frenisque circumeuntium sæculorum semper ad similitudinem stabilitatis revocatur : cujus legibus arbitrium animæ liberum est, bonisque præmia et malis pœnæ, fixis per omnia necessitatibus distributæ sunt. Deus a quo manant usque ad nos omnia bona, a quo coercentur a nobis omnia mala. Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil est. Deus sub quo totum est, in quo totum est, cum quo totum est. Qui fecisti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, quod qui se ipse novit agnoscit. Exaudi, exaudi, exaudi me, Deus meus, Domine meus, rex meus, pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notissimo.

5. Jam te solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi soli servire paratus sum, quia tu solus juste dominaris; tui juris esse cupio. Jube, quæso, atque impera quidquid vis, sed sana et aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana et aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle a me insaniam, ut recognoscam te. Dic mihi qua attendam, ut aspiciam te, et omnia me spero quæ jusseris esse facturum. Recipe, oro, fugitivum tuum, Domine, clementissime pater : jamjam satis pœnas dederim, satis inimicis tuis, quos sub pedibus habes, servierim, satis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia et istí me quando a te fugiebam acceperunt alienum. Ad te mihi redeundum esse sentio : pateat mihi pulsanti janua tua; quomodo ad te perveniatur doce me. Nihil aliud habeo quam voluntatem; nihil aliud scio nisi fluxa et caduca spernenda esse; certa et æterna requirenda. Hoc facio, Pater, quia hoc solum novi; sed unde ad te perveniatur ignoro. Tu mihi suggere, tu ostende, tu viaticum præbe. Si fide te inveniunt qui ad te refugiunt, fidem da; si virtute, virtutem; si scientia, scientiam. Auge in me fidem, auge spem, auge charitatem. O admiranda et singularis bonitas tua!

6. Ad te ambio, et quibus rebus ad te ambiatur, a te rursum peto. Tu enim si deseris, peritur : sed non deseris, quia tu es summum bonum, quod nemo recte quæsivit, et minime invenit. Omnis autem recte quæsivit, quem tu recte quærere fecisti. Fac me, Pater, quærere te, vindica me ab errore; quærenti te mihi nihil aliud pro te occurrat. Si nihil aliud desidero quam te, inveniam te jam, quæso, Pater. Si autem est in me superflui alicujus appetitio, tu ipse me munda, et fac idoneum ad videndum te. Cæterum de salute hujus mortalis corporis mei, quamdiu nescio quid mihi ex eo utile sit, vel eis quos diligo, tibi illud committo, Pater sapientissime atque optime, et pro eo quod ad tempus admonueris deprecabor : tantum oro excellentissimam clementiam tuam, ut me penitus ad te convertas, nihilque mihi repugnare facias tendenti ad te, jubeasque me dum hoc ipsum corpus ago atque porto, purum, magnanimum, justum, prudentemque esse, perfectumque amatorem perceptoremque sapientiæ tuæ, et dignum habitatione, atque habitatorem beatissimi regni tui. Amen, amen.

## CAPUT II. — *Quid amandum.*

7. *A.* Ecce oravi Deum. *R.* Quid ergo scire vis? *A.* Hæc ipsa omnia quæ oravi. *R.* Breviter ea collige. *A.* Deum et animam scire cupio. *R.* Nihilne plus? *A.* Nihil omnino. *R.* Ergo incipe quærere. Sed prius explica quomodo tibi si demonstretur Deus, possis dicere, Sat est. *A.* Nescio quomodo mihi demonstrari debeat, ut dicam, Sat est : non enim credo me scire aliquid sic, quomodo scire Deum desidero. *R.* Quid ergo agimus? Nonne censes prius tibi esse sciendum, quomodo tibi Deum scire satis sit, quo cum perveneris non amplius quæras? *A.* Censeo quidem; sed quo pacto fieri possit, non video.

[1] Septem Mss., *unis*.

(*a*) Vide 1 Retract., cap. 4, n. 3.

Quid enim Deo simile unquam intellexi, ut possim dicere, Quomodo hoc intelligo, sic volo intelligere Deum? *R.* Qui nondum Deum nosti, unde nosti nihil te nosse Deo simile? *A.* Quia si aliquid Deo simile scirem, sine dubio id amarem; nunc autem nihil aliud amo quam Deum et animam, quorum neutrum scio. *R.* Non igitur amas amicos tuos? *A.* Quo pacto eos possum, anians animam, non amare? *R.* Hoc modo ergo et pulices et cimices amas? *A.* Animam me amare dixi, non animalia. *R.* Aut homines non sunt amici tui, aut eos non amas : omnis enim homo est animal, et animalia te non amare dixisti. *A.* Et homines sunt, et eos amo, non eo quod animalia, sed eo quod homines sunt; id est, ex eo quod rationales animas habent, quas amo etiam in latronibus. Licet enim mihi in quovis amare rationem, cum illum jure oderim qui male utitur eo quod amo. Itaque tanto magis amo amicos meos, quanto magis bene utuntur anima rationali, vel certe quantum desiderant ea bene uti.

CAPUT III. — *Cognitio Dei.*

8. *R.* Accipio istud : sed tamen si quis tibi diceret, Faciam te sic Deum nosse, quomodo nosti Alypium; nonne gratias ageres, et diceres, Satis est? *A.* Agerem quidem gratias, sed satis esse non dicerem. *R.* Cur, quæso? *A.* Quia Deum ne sic quidem novi quomodo Alypium, et tamen Alypium non satis novi. *R.* Vide ergo ne impudenter velis satis Deum nosse, qui Alypium non satis nosti. *A.* Non sequitur. Nam in comparatione siderum, quid est mea cœna vilius? et tamen cras quid sim cœnaturus ignoro; quo autem signo luna futura sit, non impudenter me scire profiteor. *R.* Ergo vel ita Deum nosse tibi satis est, ut nosti quo cras signo luna cursura sit? *A.* Non est satis : nam hoc sensibus approbo. Ignoro autem utrum vel Deus vel aliqua naturæ occulta causa subito lunæ ordinem cursumque commutet : quod si acciderit, totum illud quod præsumpseram, falsum erit. *R.* Et credis hoc fieri posse? *A.* Non credo. Sed ego quid sciam quæro, non quid credam. Omne autem quod scimus, recte fortasse etiam credere dicimur; at non omne quod credimus, etiam scire. *R.* Respuis igitur in hac causa omne testimonium sensuum? *A.* Prorsus respuo. *R.* Quid? illum familiarem tuum quem te adhuc ignorare dixisti, sensu vis nosse, an intellectu? *A.* Sensu quidem quod in eo novi, si tamen sensu aliquid noscitur, et vile est, et satis est : illam vero partem qua mihi amicus est, id est ipsum animum, intellectu assequi cupio. *R.* Potestne aliter nosci? *A.* Nullo modo. *R.* Amicum igitur tuum et vehementer familiarem, audes tibi dicere esse ignotum? *A.* Quidni audeam? Illam enim legem amicitiæ justissimam esse arbitror, qua præscribitur ut sicut non minus, ita nec plus quisque amicum quam seipsum diligat. Itaque cum memetipsum ignorem, qua potest a me affici contumelia, quem mihi esse dixero ignotum, cum præsertim, ut credo, ne ipse quidem se noverit? *R.* Si ergo ista quæ scire vis, ex eo sunt genere quæ intellectus assequitur, cum dicerem impudenter te velle Deum scire, cum Alypium nescias, non debuisti mihi cœnam tuam et lunam proferre pro simili, si hæc, ut dixisti, ad sensum pertinent.

CAPUT IV. — *Certa scientia quæ.*

9. Sed quid ad nos? Nunc illud responde : si ea quæ de Deo dixerunt Plato et Plotinus vera sunt, satisne tibi est ita Deum scire, ut illi sciebant? *A.* Non continuo, si ea quæ dixerunt, vera sunt, etiam scisse illos ea necesse est. Nam multi copiose dicunt quæ nesciunt, ut ego ipse omnia quæ oravi, me dixi scire cupere, quod non cuperem si jam scirem : num igitur eo minus illa dicere potui? Dixi enim non quæ intellectu comprehendi, sed quæ undecumque collecta memoriæ mandavi, et quibus accommodavi quantam potui fidem : scire autem aliud est. *R.* Dic, quæso, scisne saltem in geometrica disciplina quid sit linea? *A.* Istud plane scio. *R.* Nec in ista professione vereris Academicos? *A.* Non omnino. Illi enim sapientem errare noluerunt; ego autem sapiens non sum. Itaque adhuc non vereor earum rerum quas novi, scientiam profiteri. Quod si, ut cupio, pervenero ad sapientiam, faciam quod illa monuerit. *R.* Nihil renuo : sed, ut quærere cœperam, ita ut lineam nosti, nosti etiam pilam quam sphæram nominant? *A.* Novi. *R.* Æque utrumque nosti, an aliud alio magis aut minus? *A.* Æque prorsus. Nam in utroque nihil fallor. *R.* Quid hæc, sensibusne percepisti, an intellectu? *A.* Imo sensus in hoc negotio quasi navim sum expertus. Nam cum ipsi me ad locum quo tendebam pervexerint, ubi eos dimisi, et jam velut in solo positus [1] cœpi cogitatione ista volvere, diu mihi vestigia titubarunt. Quare citius mihi videtur in terra posse navigari, quam geometricam sensibus percipi, quamvis primo discentes aliquantum adjuvare videantur. *R.* Ergo istarum rerum disciplinam, si qua tibi est, non dubitas vocari scientiam? *A.* Non, si Stoici sinant, qui scientiam tribuunt nulli, nisi sapienti. Perceptionem sane istorum me habere non nego, quam etiam stultitiæ concedunt : sed nec istos quidquam pertimesco. Prorsus hæc quæ interrogasti scientia teneo : perge modo; videam quorsum ista quæris. *R.* Ne propera, otiosi sumus. Intentus tantum accipe, ne quid temere concedas. Gaudentem te studeo reddere de rebus quibus nullum casum pertimescas, et quasi parvum negotium sit, præcipitare jubes? *A.* Ita Deus faxit, ut dicis. Itaque arbitrio tuo rogato, et objurgato gravius, si quidquam tale posthac.

10. *R.* Ergo lineam in duas lineas per longum scindi, manifestum tibi est nullo modo posse? *A.* Manifestum. *R.* Quid, transversim? *A.* Quid, nisi infinite secari posse? *R.* Quid, sphæram ex una qualibet parte a medio, ne duos quidem pares circulos habere posse pariter lucet? *A.* Pariter omnino. *R.* Quid linea et sphæra? unumne aliquid tibi videntur esse, an quidquam inter se differunt? *A.* Quis non videat differre plurimum? *R.* At si æque illud atque hoc nosti, et tamen inter se, ut fateris, plurimum differunt, est ergo differentium rerum scientia indifferens? *A.* Quis enim negavit? *R.* Tu paulo ante. Nam cum te rogassem

[1] Sic Edd. At Mss., *in salo positus.*

quomodo velis Deum nosse, ut possis dicere, Satis est; respondisti te ideo nequire hoc explicare, quia nihil haberes perceptum, similiter atque Deum cupis percipere, nihil enim te scire Deo simile. Quid ergo nunc? linea vel sphæra similes sunt? *A.* Quis hoc dixerit? *R.* Sed ego quæsiveram, non quid tale scires, sed quid scires sic, quomodo Deum scire desideras. Sic enim nosti lineam ut nosti sphæram, cum se non sic habeat linea ut se habet sphæra. Quamobrem responde utrum tibi satis sit sic Deum nosse, ut pilam illam geometricam nosti; hoc est, ita de Deo nihil, ut de illa, dubitare.

CAPUT V. — *Dissimilium eadem aut par scientia.*

11. *A.* Quæso te, quamvis vehementer urgeas atque convincas, non audeo tamen dicere ita me velle Deum scire, ut hæc scio. Non solum enim res, sed ipsa etiam scientia mihi videtur esse dissimilis. Primo, quia nec linea et pila tantum inter se differunt, ut tamen eorum cognitionem una disciplina non contineat: nullus autem geometres Deum se docere professus est. Deinde, si Dei et istarum rerum scientia par esset, tantum gauderem quod ista novi, quantum me Deo cognito gavisurum esse præsumo. Nunc autem permultum hæc in illius comparatione contemno, ut nonnunquam videatur mihi si illum intellexero, et modo illo quo videri potest videro, hæc omnia de mea notitia esse peritura: siquidem nunc præ illius amore jam vix mihi veniunt in mentem. *R.* Esto plus te ac multo plus quam de istis Deo cognito gavisurum, rerum tamen non intellectus dissimilitudine; nisi forte alio visu terram, alio serenum cœlum intueris, cum tamen multo plus illius quam hujus aspectus te permulceat. Oculi autem si non falluntur, credo te interrogatum utrum tibi tam certum sit terram te videre quam cœlum, tam tibi certum esse respondere debere, quamvis non tam terræ quam cœli pulchritudine atque splendore læteris. *A.* Movet me, fateor, hæc similitudo, adducorque ut assentiar quantum in suo genere a cœlo terram, tantum ab intelligibili Dei majestate spectamina illa disciplinarum vera et certa differre.

CAPUT VI. — *Sensus animæ in quibus percipit Deum.*

12. *R.* Bene moveris. Promittit enim ratio quæ tecum loquitur, ita se demonstraturam Deum tuæ menti, ut oculis sol demonstratur. Nam mentis quasi sui sunt oculi sensus animæ [1]; disciplinarum autem quæque certissima talia sunt, qualia illa quæ sole illustrantur, ut videri possint, veluti terra est atque terrena omnia: Deus autem est ipse qui illustrat. Ego autem ratio ita sum in mentibus, ut in oculis est aspectus. Non enim hoc est habere oculos quod aspicere; aut item hoc est aspicere quod videre. Ergo animæ tribus quibusdam rebus opus est ut oculos habeat quibus jam bene uti possit, ut aspiciat, ut videat. Oculi sani mens est [2] ab omni labe corporis pura, id est, a cupiditatibus rerum mortalium jam remota atque purgata: quod ei nihil aliud præstat quam fides primo. Quod enim adhuc ei demonstrari non potest vitiis inquinatæ atque ægrotanti, quia videre nequit nisi sana, si non credat aliter se non esse visuram, non dat operam suæ sanitati. Sed quid, si credat quidem ita se rem habere ut dicitur, atque ita se, si videre potuerit, esse visuram, sanari se tamen posse desperet; nonne se prorsus abjicit atque contemnit, nec præceptis medici obtemperat? *A.* Omnino ita est, præsertim quia ea præcepta necesse est ut morbus dura sentiat. *R.* Ergo fidei spes adjicienda est. *A.* Ita credo. *R.* Quid, si et credat ita se habere omnia, et se speret posse sanari, ipsam tamen quæ promittitur lucem non amet, non desideret, suisque tenebris, quæ jam consuetudine jucundæ sunt, se arbitretur debere interim esse contentam; nonne medicum illum nihilominus respuit? *A.* Prorsus ita est. *R.* Ergo tertia charitas necessaria est. *A.* Nihil omnino tam necessarium. *R.* Sine tribus istis igitur anima nulla sanatur, ut possit Deum suum videre, id est intelligere.

13. Cum ergo sanos habuerit oculos, quid restat? *A.* Ut aspiciat. *R.* Aspectus animæ, ratio est: sed quia non sequitur ut omnis qui aspicit videat, aspectus rectus atque perfectus, id est quem visio sequitur, virtus vocatur; est enim virtus vel recta vel perfecta ratio. Sed et ipse aspectus quamvis jam sanos oculos convertere in lucem non potest, nisi tria illa permaneant: fides, qua credat ita se rem habere, ad quam convertendus aspectus est, ut visa faciat beatum; spes qua cum bene aspexerit, se visurum esse præsumat; charitas, qua videre perfruique desideret. Jam aspectum sequitur ipsa visio Dei, qui est finis aspectus; non quod jam non sit, sed quod nihil amplius habeat quo se intendat: et hæc est vere perfecta virtus, ratio perveniens ad finem suum, quam beata vita consequitur. Ipsa autem visio, intellectus est ille qui in anima est, qui conficitur ex intelligente et eo quod intelligitur: ut in oculis videre quod dicitur, ex ipso sensu constat atque sensibili, quorum detracto quolibet, videri nihil potest.

CAPUT VII. — *Fides, spes, charitas quo usque necessariæ.*

14. Ergo cum animæ Deum videre, hoc est Deum intelligere contigerit, videamus utrum adhuc ei tria illa sint necessaria. Fides quare sit necessaria, cum jam videat? Spes nihilominus, quia jam tenet. Charitati vero non solum nihil detrahetur, sed addetur etiam plurimum. Nam et illam singularem veramque pulchritudinem cum viderit, plus amabit; et nisi ingenti amore oculum infixerit, nec ab aspiciendo uspiam declinaverit, manere in illa beatissima visione non poterit. Sed dum in hoc corpore est anima, etiamsi plenissime videat, hoc est intelligat Deum; tamen, quia etiam corporis sensus utuntur opere proprio, si nihil quidem valent ad fallendum, non tamen nihil ad non ambigendum [1], potest adhuc dici fides ea qua his resistitur, et illud potius verum esse creditur. Item quia

[1] Lov.: *Nam mentes quasi sui sunt sensus animis.* Sic aliæ quoque editiones, nisi quod Bad. habet, *animi;* Am. et Er., *animæ.*

[2] Ita Mss. plerique. At Edd.: *Oculus animæ mens est.*

[1] Sic Mss. At Edd. habent: *Utuntur opere proprio, nihil quidem valente ad fallendum, non tamen nihil agente, potest.*

in ista vita, quanquam Deo intellecto anima jam beata sit; tamen, quia multas molestias corporis sustinet, sperandum est ei post mortem omnia ista incommoda non futura. Ergo nec spes, dum in hac est vita, animam deserit. Sed cum post hanc vitam tota se in Deum collegerit, charitas restat qua ibi teneatur. Nam neque dicenda est fidem habere quod illa sint vera, quando nulla falsorum interpellatione sollicitatur; neque quidquam sperandum ei restat, cum totum secura possideat. Tria igitur ad animam pertinent, ut sana sit, ut aspiciat, ut videat. Alia vero tria, fides, spes et charitas, primo illorum trium et secundo semper sunt necessaria : tertio vero in hac vita, omnia; post hanc vitam, sola charitas.

CAPUT VIII. — *Quæ ad cognoscendum Deum necessaria.*

15. Nunc accipe, quantum præsens tempus exposcit, ex illa similitudine sensibilium etiam de Deo aliquid nunc me docente[1]. Intelligibilis nempe Deus est, intelligibilia etiam illa disciplinarum spectamina; tamen plurimum differunt. Nam et terra visibilis, et lux; sed terra, nisi luce illustrata, videri non potest. Ergo et illa quæ in disciplinis traduntur, quæ quisquis intelligit, verissima esse nulla dubitatione concedit, credendum est ea non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quædam licet animadvertere; quod est, quod fulget, quod illuminat : ita in illo secretissimo Deo quem vis intelligere, tria quædam sunt; quod est, quod intelligitur, et quod cætera facit intelligi. Hæc duo, id est, teipsum et Deum, ut intelligas, docere te audeo. Sed responde quomodo hæc acceperis; ut probabilia, an ut vera? *A.* Plane ut probabilia; et in spem, quod fatendum est, majorem surrexi : nam præter illa duo de linea et pila, nihil abs te dictum est quod me scire audeam dicere. *R.* Non est mirandum : non enim quidquam est adhuc ita expositum, ut abs te sit flagitanda perceptio.

CAPUT IX. — *Amor nostri.*

16. Sed quid moramur? Aggredienda est via : videamus tamen, quod præcedit omnia, utrum sani simus. *A.* Hoc tu videris, si vel in te, vel in me aliquantum aspicere potes : ego quærenti, si quid sentio, respondebo. *R.* Amasne aliquid præter tui Deique scientiam? *A.* Possem respondere, nihil me amare amplius, pro eo sensu qui mihi nunc est; sed tutius respondeo nescire me. Nam sæpe mihi usu venit ut cum alia nulla re me crederem commoveri, veniret tamen aliquid in mentem, quod me multo aliter atque præsumpseram pungeret. Item sæpe, quamvis in cogitationem res aliqua incidens non me pervellerit, revera tamen veniens perturbavit plus quam putabam : sed modo videor mihi tribus tantum rebus posse commoveri : metu amissionis eorum quos diligo, metu doloris, metu mortis. *R.* Amas ergo et vitam tecum charissimorum tuorum, et bonam valetudinem tuam, et vitam tuam ipsam in hoc corpore : neque enim aliter amissionem horum metueres. *A.* Fateor, ita est. *R.* Modo ergo, quod non omnes tecum sunt amici tui, et quod tua valetudo minus integra est, facit animo nonnullam ægritudinem : nam et id esse consequens video. *A.* Recte vides; negare non possum. *R.* Quid, si te repente sano esse corpore sentias et probes, tecumque omnes quos diligis concorditer, liberali otio frui videas, nonne aliquantum tibi etiam lætitia gestiendum est? *A.* Vere aliquantum; imo, si hæc præsertim, ut dicis, repente provenerint, quando me capiam; quando id genus gaudii vel dissimulare permittar? *R.* Omnibus igitur adhuc morbis animi et perturbationibus agitaris. Quænam ergo talium oculorum impudentia est, velle illum solem videre? *A.* Ita conclusisti quasi prorsus non sentiam quantum sanitas mea promoverit, aut quid pestium recesserit, quantumque restiterit. Fac me istud concedere.

CAPUT X. — *Amor rerum corporis et externarum.*

17. *R.* Nonne vides hos corporis oculos etiam sanos, luce solis istius sæpe repercuti et averti, atque ad illa sua obscura confugere? Tu autem quid promoveris cogitas, quid velis videre non cogitas : et tamen tecum hoc ipsum discutiam, quid profecisse nos putas. Divitias nullas cupis? *A.* Hoc quidem non nunc primum. Nam cum triginta tres annos agam[1], quatuordecim fere anni sunt ex quo ista cupere destiti, nec aliud quidquam in his, si quo casu offerrentur, præter necessarium victum liberalemque usum cogitavi. Prorsus mihi unus Ciceronis liber facillime persuasit, nullo modo appetendas esse divitias, sed si provenerint, sapientissime atque cautissime administrandas. *R.* Quid honores? *A.* Fateor, eos modo, ac pene his diebus cupere destiti. *R.* Quid uxor? Nonne te delectat interdum pulchra, pudica, morigera, litterata, vel quæ abs te facile possit erudiri, afferens etiam dotis tantum, quoniam contemnis divitias, quantum eam prorsus nihilo faciat onerosam otio tuo, præsertim si speres certusque sis nihil ex ea te molestiæ esse passurum? *A.* Quantumlibet velis eam pingere atque cumulare bonis omnibus, nihil mihi tam fugiendum quam concubitum esse decrevi : nihil esse sentio quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. Itaque, si ad officium pertinet sapientis (quod nondum comperi) dare operam liberis, quisquis rei hujus tantum gratia concumbit, mirandus mihi videri potest, at vero imitandus nullo modo : nam tentare hoc periculosius est, quam posse felicius. Quamobrem, satis, credo, juste atque utiliter pro libertate animæ meæ mihi imperavi non cupere, non quærere, non ducere uxorem. *R.* Non ego nunc quæro quid decreveris, sed utrum adhuc lucteris, an vero jam ipsam libidinem viceris. Agitur enim de sanitate oculorum tuorum. *A.* Prorsus nihil hujusmodi quæro, nihil desidero; etiam cum horrore

[1] Er. Ven. Lov. *docentem.* M.

[1] In codice Regio-Montensi necnon in tribus ex iis quos Lovanienses inspexerunt, habetur, XXXIV *annos agam.* Mendose; siquidem *quatuordecim fere anni erant* ex quo Ciceronis Hortensium legerat Augustinus; atqui hunccе librum anno ætatis undevigesimo lectum a se fuisse testatur lib. 3 Conf., cap. 4, et lib. 3 contra Academ., cap. 20.

atque aspernatione talia recordor. Quid vis amplius? Et hoc mihi bonum in dies crescit: nam quanto augetur spes videndæ illius qua vehementer æstuo pulchritudinis, tanto ad illam totus amor voluptasque convertitur. *R.* Quid ciborum jucunditas? quantæ tibi curæ est? *A.* Ea quæ statui non edere, nihil me commovent. Iis autem quæ non amputavi, delectari me præsentibus fateor, ita tamen ut sine ulla permotione animi vel visa vel gustata subtrahantur. Cum autem non adsunt prorsus, non audet hæc appetitio se inserere ad impedimentum cogitationibus meis. Sed omnino sive de cibo et potu, sive de balneis, cæteraque corporis voluptate nihil interroges: tantum habere appeto [1], quantum in valetudinis opem conferri potest.

CAPUT XI. — *Externa commoda non propter se, sed propter alia vera bona possunt admitti verius quam expeti.*

18. *R.* Multum profecisti: ea tamen quæ restant ad videndam illam lucem, plurimum impediunt. Sed molior aliquid quod mihi videtur facile ostendi; aut nihil edomandum nobis remanere, aut nihil nos omnino profecisse, omniumque illorum quæ resecta credimus tabem manere. Nam quæro abs te, si tibi persuadeatur aliter cum multis charissimis tuis te in studio sapientiæ non posse vivere, nisi ampla res aliqua familiaris necessitates vestras sustinere possit; nonne desiderabis divitias et optabis? *A.* Assentior. *R.* Quid, si etiam illud appareat, et multis te persuasurum esse sapientiam, si tibi de honore auctoritas creverit, eosque ipsos familiares tuos non posse cupiditatibus suis modum imponere, sequc totos convertere ad quærendum Deum, nisi et ipsi fuerint honorati, idque nisi per tuos honores dignitatemque fieri non posse? nonne ista etiam desideranda erunt, et ut proveniant magnopere instandum. *A.* Ita est ut dicis. *R.* Jam de uxore nihil disputo; fortasse enim non potest, ut ducatur, existere talis necessitas: quanquam, si ejus amplo patrimonio certum sit sustentari posse omnes quos tecum in uno loco vivere otiose cupis, ipsa etiam concorditer id sinente, præsertim si generis nobilitate tanta polleat, ut honores illos quos esse necessarios jam dedisti, per eam facile adipisci possis, nescio utrum pertineat ad officium tuum ista contemnere. *A.* Quando ego istud sperare audeam?

19. *R.* Ita istud dicis, quasi ego nunc requiram quid speres. Non quæro quid negatum non delectet, sed qui delectet oblatum. Aliud est enim exhausta pestis, aliud consopita. Ad hoc enim valet quod a quibusdam doctis viris dictum est, ita omnes stultos insanos esse, ut male olere omne cœnum; quod non semper, sed dum commoves, sentias. Multum interest utrum animi desperatione obruatur cupiditas, an sanitate pellatur. *A.* Quanquam tibi respondere non possum, nunquam tamen mihi persuadebis ut hac affectione mentis, qua nunc me esse sentio, nihil me profecisse arbitrer. *R.* Credo propterea tibi hoc videri, quia quamvis ista optare posses, non tamen propter seipsa, sed propter aliud expetenda viderentur. *A.* Hoc est quod dicere cupiebam: nam quando desideravi divitias, ideo desideravi ut dives essem, honoresque ipsos, quorum cupiditatem modo me perdomuisse respondi, eorum nescio quo nitore delectatus volebam; nihilque aliud in uxore semper attendi, cum attendi, nisi quam mihi efficeret cum bona fama voluptatem. Tunc erat istorum in me vera cupiditas; nunc ea omnia prorsus aspernor: sed si ad illa quæ cupio non nisi per hæc mihi transitus datur, non amplectenda appeto, sed subeo toleranda. *R.* Optime omnino: nam nec ego ullarum rerum vocandam puto cupiditatem, quæ propter aliud requiruntur.

CAPUT XII. — *Nihil expetendum nisi quatenus conducit ad summum bonum, nihil horrendum nisi quatenus avocat.*

20. Sed quæro abs te, cur eos homines quos diligis, vel vivere, vel tecum vivere cupias? *A.* Ut animas nostras et Deum simul concorditer inquiramus. Ita enim facile cui priori contingit inventio, cæteros eo sine labore perducit. *R.* Quid, si nolunt hæc illi quærere? *A.* Persuadebo ut velint. *R.* Quid, si non possis, vel quod se invenisse jam, vel quod ista non posse inveniri arbitrantur, vel quod aliarum rerum curis et desiderio præpediuntur? *A.* Habebo eos, et ipsi me, sicut possumus. *R.* Quid, si te ab inquirendo etiam impediat eorum præsentia? nonne laborabis atque optabis, si aliter esse non possunt, non tecum esse potius quam sic esse? *A.* Fateor, ita est ut dicis. *R.* Non igitur eorum vel vitam vel præsentiam propter seipsam, sed propter inveniendam sapientiam cupis? *A.* Prorsus assentior. *R.* Quid? ipsam vitam tuam si tibi certum esset impedimento esse ad comprehendendam sapientiam, velles eam manere? *A.* Omnino eam fugerem. *R.* Quid? si docereris, tam te relicto isto corpore, quam in ipso constitutum, posse ad sapientiam pervenire, curares utrum hic, an in alia vita eo quod diligis fruereris? *A.* Si nihil me pejus excepturum intelligerem, quod retroageret ab eo quo progressus sum, non curarem. *R.* Nunc ergo propterea mori times, ne aliquo pejore malo involvaris, quo tibi auferatur divina cognitio. *A.* Non solum ne auferatur timeo, si quid forte percepi, sed etiam ne intercludatur mihi aditus eorum quibus percipiendis inhio; quamvis quod jam teneo, mecum mansurum putem. *R.* Non igitur et vitam istam propter seipsam, sed propter sapientiam vis manere. *A.* Sic est.

21. *R.* Dolor corporis restat, qui te fortasse vi sua commovet. *A.* Et ipsum non ob aliud vehementer formido, nisi quia me impedit a quærendo. Quanquam enim acerrimo his diebus dentium dolore torquerer (*a*), non quidem sinebar animo volvere, nisi ea quæ jam forte didiceram; a discendo autem penitus impediebar, ad quod mihi tota intentione animi opus erat: tamen mihi videbatur, si se ille mentibus meis veritatis fulgor

[1] Edd., *ab ea peto*; melius Anglicani Mss., *habere appeto*, [*Ab ea peto.*]

(*a*) Vid. lib. 9 Conf., cap. 4, n. 12.

aperiret, aut me non sensurum fuisse illum dolorem, aut certe pro nihilo toleraturum. Sed quia etsi nihil majus aliquando pertuli, tamen sæpe cogitans quanto graviores possint accidere, cogor interdum Cornelio Celso assentiri, qui ait summum bonum esse sapientiam, summum autem malum dolorem corporis. Nec ejus ratio mihi videtur absurda. Nam quoniam duabus, inquit, partibus compositi sumus, ex animo scilicet et corpore, quarum prior pars est animus melior, deterius corpus est; summum bonum est melioris partis optimum, summum autem malum pessimum deterioris : est autem optimum in animo sapientia, est in corpore pessimum dolor. Summum igitur bonum hominis sapere, summum malum dolere, sine ulla, ut opinor, falsitate concluditur. *R.* Posterius ista videbimus. Aliud enim fortasse nobis ipsa ad quam pervenire nitimur sapientia persuadebit. Si autem hoc esse verum ostenderit, hanc de summo bono et summo malo sententiam sine dubitatione tenebimus.

CAPUT XIII. — *Quomodo et quibus gradibus perspiciatur sapientia. Amor verus.*

22. Nunc illud quærimus, qualis sis amator sapientiæ, quam castissimo conspectu atque amplexu, nullo interposito velamento quasi nudam videre ac tenere desideras, qualem se illa non sinit, nisi paucissimis et electissimis amatoribus suis. An vero si alicujus pulchræ feminæ amore flagrares, jure se tibi non daret, si aliud abs te quidquam præter se amari comperisset; sapientiæ se tibi castissima pulchritudo, nisi solam arseris, demonstrabit? *A.* Quid ergo adhuc suspendor infelix, et cruciatu miserabili differor? Jam certe ostendi nihil aliud me amare, siquidem quod non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam propter se amo sapientiam, cætera vero vel adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam; vitam, quietem, amicos. Quem modum autem potest habere illius pulchritudinis amor, in qua non solum non invideo cæteris, sed etiam plurimos quæro qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecumque perfruantur; tanto mihi amiciores futuri, quanto erit nobis amata communior.

23. *R.* Prorsus tales esse amatores sapientiæ decet. Tales quærit illa cujus vere casta est, et sine ulla contaminatione conjunctio. Sed non ad eam una via pervenitur (*a*). Quippe pro sua quisque sanitate ac firmitate comprehendit illud singulare ac verissimum bonum. Lux est quædam ineffabilis et incomprehensibilis mentium. Lux ista vulgaris nos doceat quantum potest, quomodo se illud habeat. Nam sunt nonnulli oculi tam sani et vegeti, qui se, mox ut aperti fuerint, in ipsum solem sine ulla trepidatione convertant. His quodammodo ipsa lux sanitas est, nec doctore indigent [1], sed sola fortasse admonitione. His credere, sperare, amare satis est. Alii vero ipso quem videre vehementer desiderant, fulgore feriuntur, et eo non viso sæpe in tenebras cum delectatione redeunt. Quibus periculosum est, quamvis jam talibus ut sani recte dici possint, velle ostendere quod adhuc videre non valent. Ergo isti exercendi sunt prius, et eorum amor utiliter differendus atque nutriendus est. Primo enim quædam illis demonstranda sunt quæ non per se lucent, sed per lucem videri possint, ut vestis, aut paries, aut aliquid horum. Deinde quod non per se quidem, sed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat, ut aurum, argentum et similia, nec tamen ita radiatum ut oculos lædat. Tunc fortasse terrenus iste ignis modeste demonstrandus est, deinde sidera, deinde luna, deinde auroræ fulgor, et albescentis cœli nitor. In quibus seu citius seu tardius, sive per totum ordinem, sive quibusdam contemptis, pro sua quisque valetudine assuescens, sine trepidatione et cum magna voluptate solem videbit. Tale aliquid sapientiæ studiosissimis, nec acute, jam tamen videntibus, magistri optimi faciunt. Nam ordine quodam ad eam pervenire bonæ disciplinæ officium est, sine ordine autem vix credibilis felicitatis. Sed hodie satis, ut puto, scripsimus; parcendum est valetudini.

CAPUT XIV. — *Ipsa sapientia medetur oculis ut videri possit.*

24. *A.* Et alio die : Da, quæso, inquam, jam si potes, illum ordinem. Duc, age qua vis, per quæ vis, quomodo vis. Impera quævis dura, quælibet ardua, quæ tamen in mea potestate sint, per quæ me quo desidero, perventurum esse non dubitem. *R.* Unum est quod tibi possum præcipere; nihil plus novi. Penitus esse ista sensibilia fugienda (*a*), cavendumque magnopere, dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennæ nostræ impediantur, quibus integris perfectisque opus est, ut ad illam lucem ab his tenebris evolemus : quæ se ne ostendere quidem dignatur in hac cavea inclusis, nisi tales fuerint ut ista vel effracta vel dissoluta possint in auras suas evadere. Itaque, quando fueris talis ut nihil te prorsus terrenorum delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis. *A.* Quando istud erit, oro te? Non enim puto posse mihi hæc in summum venire contemptum, nisi videro illud in cujus comparatione ista sordescant.

25. *R.* Hoc modo posset et iste oculus corporis dicere : Tum tenebras non amabo, cum solem videro. Videtur enim quasi et hoc ad ordinem pertinere, quod longe est secus. Amat enim tenebras, eo quod sanus non est; solem autem nisi sanus videre non potest. Et in eo sæpe fallitur animus, ut sanum se putet et sese jactet; et quia nondum videt, veluti jure conqueritur. Novit autem illa pulchritudo quando se ostendat. Ipsa enim medici fungitur munere, meliusque intelligit qui sint sani, quam iidem ipsi qui sanantur. Nos autem quantum emerserimus, videmur nobis videre : quantum autem mersi eramus, et quo progressi fueramus, nec cogitare, nec sentire permittimur, et in comparatione gravioris morbi sanos esse nos credimus. Nonne vides quam veluti securi hesterno die pronuntiaveramus, nulla jam nos peste detineri, nihilque amare nisi sa-

[1] Edd.: *Ipsa sanitas dux est, nec ductore indigent.* Tres Mss., *Ipsa lux sanitas est, nec doctore.*

(*a*) 1 Retract., cap. 4, n. 3.

(*a*) Ibid.

pientiam ; cætera vero non nisi propter istam quærere aut velle? Quam tibi sordidus, quam fœdus, quam exsecrabilis, quam horribilis complexus femineus videbatur, quando inter nos de uxoris cupiditate quæsitum est ! Certe ista nocte vigilantes, cum rursus eadem nobiscum ageremus, sensisti quam te aliter quam præsumpseras, imaginatæ illæ blanditiæ et amara suavitas titillaverit; longe quidem longe minus quam solet, sed item longe aliter quam putaveras ; ut sic tibi secretissimus ille medicus utrumque demonstraret, et unde cura ejus evaseris, et quid curandum remaneat.

26. *A.* Tace, obsecro, tace. Quid crucias? quid tantum fodis alteque descendis? Jam flere non duro, jamjam nihil promitto, nihil præsumo; ne me de istis rebus interroges. Certe dicis quod ille ipse quem videre ardeo, noverit quando sim sanus; faciat quod placet : quando placet sese ostendat; jam me totum ejus clementiæ curæque committo. Semel de illo credidi quod sic erga se affectos sublevare non cesset. Ego nihil de mea sanitate, nisi cum illam pulchritudinem videro, pronuntiabo. *R.* Prorsus nihil aliud facias. Sed jam cohibe te a lacrymis, et stringe animum. Multum omnino flevisti, et hoc omnino morbus iste pectoris tui graviter accipit. *A.* Modum vis habere lacrymas meas, cum miseriæ meæ modum non videam? aut valetudinem corporis considerare me jubes, cum ego ipse tabe confectus sim? Sed, quæso te, si quid in me vales, ut me tentes per aliqua compendia ducere, ut vel vicinitate nonnulla lucis illius, quam, si quid profeci, tolerare jam possum, pigeat oculos referre ad illas tenebras, quas reliqui; si tamen relictæ dicendæ sunt, quæ cæcitati meæ adhuc blandiri audent.

CAPUT XV. — *Anima quomodo cognoscitur. Fiducia erga Deum.*

27. *R.* Concludamus, si placet, hoc primum volumen, ut jam in secundo aliquam, quæ commoda occurrerit, aggrediamur viam. Non enim huic affectioni tuæ a moderata exercitatione cessandum est. *A.* Non sinam omnino concludi hunc libellum, nisi mihi modicum quo intentus sim de vicinia lucis aperueris. *R.* Gerit tibi ille medicus morem. Nam nescio quis me quo te ducam fulgor invitat et tangit. Itaque accipe intentus. *A.* Duc, oro te, ac rape quo vis. *R.* Animam te certe dicis, et Deum velle cognoscere? *A.* Hoc est totum negotium meum. *R.* Nihilne amplius? *A.* Nihil prorsus. *R.* Quid? veritatem non vis comprehendere? *A.* Quasi vero possim hæc nisi per illam cognoscere. *R.* Ergo prius ipsa cognoscenda est, per quam possunt illa cognosci. *A.* Nihil abnuo. *R.* Primo itaque illud videamus, cum duo verba sint veritas et verum, utrum tibi etiam res duæ istis verbis significari, an una videatur. *A.* Duæ res videntur. Nam, ut aliud est castitas, aliud castum, et multa in hunc modum; ita credo aliud esse veritatem, et aliud quod verum dicitur. *R.* Quod horum duorum putas esse præstantius! *A.* Veritatem opinor. Non enim casto castitas, sed castitate fit castum; ita etiam, si quid verum est, veritate utique verum est.

28. *R.* Quid? cum castus aliquis moritur, censes mori etiam castitatem? *A.* Nullo modo. *R.* Ergo, cum interit aliquid quod verum est, non interit veritas. *A.* Quomodo autem interit aliquid verum? Non enim video. *R.* Miror te istud quærere : nonne ante oculos nostros millia rerum videmus interire? Nisi forte putas hanc arborem, aut esse arborem, sed veram non esse, aut certe interire non posse. Quamvis enim non credas sensibus, possisque respondere, ignorare te prorsus utrum arbor sit; tamen illud non negabis, ut opinor, veram esse arborem, si arbor est : non enim hoc sensu, sed intelligentia judicatur. Si enim falsa arbor est, non est arbor; si autem arbor est, vera sit necesse est. *A.* Concedo istud. *R.* Quid illud alterum? nonne concedis hoc genus rerum esse arborem, quod nascatur et intereat? *A.* Negare non possum. *R.* Concluditur ergo aliquid quod verum sit, interire. *A.* Non contravenio. *R.* Quid illud? nonne tibi videtur intereuntibus rebus veris veritatem non interire, ut non mori casto mortuo castitatem? *A.* Jam et hoc concedo, et magnopere quid moliaris, exspecto. *R.* Ergo attende. *A.* Isthic sum.

29. *R.* Verane tibi videtur ista sententia : Quidquid est, alicubi esse cogitur? *A.* Nihil me sic ducit ad consentiendum. *R.* Fateris autem esse veritatem? *A.* Fateor. *R.* Ergo ubi sit, necesse est quæramus; non est enim in loco, nisi forte aut esse in loco aliquid aliud præter corpus, aut veritatem corpus esse arbitraris. *A.* Nihil horum puto. *R.* Ubinam igitur illam esse credis? Non enim nusquam est quam esse concedimus. *A.* Si scirem ubi esset, nihil fortasse amplius quærerem. *R.* Saltem ubi non sit, potes cognoscere? *A.* si commemores, fortasse potero. *R.* Non est certe in rebus mortalibus. Quidquid enim est, in aliquo non potest manere, si non maneat illud in quo est : manere autem, etiam rebus veris intereuntibus, veritatem paulo ante concessum est. Non igitur est veritas in rebus mortalibus. Est autem veritas, et non est nusquam. Sunt igitur res immortales. Nihil autem verum in quo veritas non est. Conficitur itaque non esse vera, nisi quæ sunt immortalia. Et omnis falsa arbor, non est arbor, et falsum lignum non est lignum, et falsum argentum non est argentum, et omnino quidquid falsum est, non est. Omne autem quod verum non est, falsum est. Nulla igitur recte dicuntur esse, nisi immortalia. Hanc tu tecum ratiunculam diligenter considera, ne quid tibi concedendum non esse videatur. Si enim rata est, totum negotium pene confecimus, quod in alio fortasse libro melius apparebit.

30. *A.* Habeo gratiam, et ista mecum atque adeo tecum, quando in silentio sumus, diligenter cauteque tractabo [1], si nullæ se tenebræ immittant, suique etiam, quod vehementer formido, mihi faciant delectationem. *R.* Constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius et in tua potestate; sed ejus clementissimi et

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *retractabo.*

utilissimi Domini te servum esse profitere. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias. *A.* Audio, credo, et quantum possum obtempero; plurimumque ipsum deprecor, ut plurimum possim, nisi quid forte amplius a me desideras. *R.* Bene habet interim, facies postea quidquid jam visus ipse præceperit [1].

[1] Angl. Mss., *quidquid jam usus ipse præceperit.*

# LIBER SECUNDUS.

In eo secum Augustinus de vero et falso copiose disputat, ut demum veritatis perpetuitate bene perspecta, animam ipsam hominis, quæ veritatis sedes est, immortalem esse concludat.

CAPUT PRIMUM. — *De immortalitate hominis.*

1. *A.* Satis intermissum est opus nostrum, et impatiens est amor, nec lacrymis modus fit, nisi amori detur quod amatur: quare, aggrediamur librum secundum. *R.* Aggrediamur. *A.* Credamus Deum affuturum. *R.* Credamus sane, si vel hoc in potestate nostra est. *A.* Potestas nostra ipse est. *R.* Itaque ora brevissime ac perfectissime, quantum potes. *A.* Deus semper idem, noverim me, noverim te. Oratum est. *R.* Tu qui vis te nosse, scis esse te? *A.* Scio. *R.* Unde scis? *A.* Nescio. *R.* Simplicem te sentis, anne multiplicem? *A.* Nescio. *R.* Moveri te scis? *A.* Nescio. *R.* Cogitare te scis? *A.* Scio. *R.* Ergo verum est cogitare te. *A.* Verum. *R.* Immortalem te esse scis? *A.* Nescio. *R.* Horum omnium quæ te nescire dixisti, quid scire prius mavis? *A.* Utrum immortalis sim. *R.* Vivere igitur amas? *A.* Fateor. *R.* Quid, cum te immortalem esse didiceris? satisne erit? *A.* Erit id quidem magnum, sed id mihi parum. *R.* Hoc tamen quod parum est quantum gaudebis? *A.* Plurimum. *R.* Nihil jam flebis? *A.* Nihil omnino. *R.* Quid, si ipsa vita talis esse inveniatur, ut in ea tibi nihil amplius quam nosti, nosse liceat? temperabis a lacrymis? *A.* Imo tantum flebo ut vita nulla sit. *R.* Non igitur vivere propter ipsum vivere amas, sed propter scire. *A.* Cedo conclusioni. *R.* Quid, si eadem ipsa rerum scientia miserum faciat? *A.* Nullo id quidem pacto fieri posse credo. Sed si ita est, nemo esse beatus potest; non enim nunc aliunde sum miser, nisi rerum ignorantia. Quod si et rerum scientia miserum facit, sempiterna miseria est. *R.* Jam video totum quod cupis. Nam, quoniam neminem scientia miserum esse credis, ex quo probabile est ut intelligentia efficiat beatum; beatus autem nemo nisi vivens, et nemo vivit qui non est: esse vis, vivere et intelligere; sed esse ut vivas, vivere ut intelligas. Ergo esse te scis, vivere te scis, intelligere te scis. Sed utrum ista semper futura sint, an nihil horum futurum sit, an maneat aliquid semper, et aliquid intercidat, an minui et augeri hæc possint, cum omnia mansura sint, nosse vis. *A.* Ita est. *R.* Si igitur probaverimus semper nos esse victuros, sequetur etiam semper futuros. *A.* Sequetur. *R.* Restabit quærere de intelligendo.

CAPUT II. — *Veritas perpetua.*

2. *A.* Manifestissimum ordinem video atque brevissimum. *R.* Hic ergo esto nunc, ut interroganti caute firmeque respondeas. *A.* Isthic sum. *R.* Si manebit semper mundus iste, verum est mundum semper mansurum esse? *A.* Quis hoc dubitet? *R.* Quid, si non manebit? nonne ita verum est mundum non esse mansurum? *A.* Nihil resisto. *R.* Quid, cum interierit, si interiturus est? nonne tunc id erit verum, mundum interisse? Nam quamdiu verum non est mundum occidisse, non occidit: repugnat igitur ut mundus occiderit, et verum non sit mundum occidisse. *A.* Et hoc concedo. *R.* Quid illud? Videturne tibi verum aliquid esse posse, ut veritas non sit? *A.* Nullo modo. *R.* Erit igitur veritas, etiamsi mundus intereat. *A.* Negare non possum. *R.* Quid, si ipsa veritas occidat? nonne verum erit veritatem occidisse? *A.* Et istud quis negat? *R.* Verum autem non potest esse, si veritas non sit. *A.* Jam hoc paulo ante concessi. *R.* Nullo modo igitur occidet veritas. *A.* Perge ut cœpisti, nam ista collectione nihil est verius.

CAPUT III. — *Si falsitas semper erit, et sine sensu esse non poterit, sequitur animam aliquam semper exstituram.*

3. *R.* Nunc respondeas mihi velim, utrum tibi sentire anima videatur, an corpus? *A.* Anima videtur. *R.* Quid? intellectus videtur tibi ad animam pertinere? *A.* Prorsus videtur. *R.* Ad solam animam, an ad aliquid aliud? *A.* Nihil aliud video præter animam, nisi Deum, ubi intellectum esse credam. *R.* Jam illud videamus. Si tibi quispiam istum parietem non esse parietem, sed arborem diceret, quid putares? *A.* Aut ejus sensum, aut meum falli, aut hoc nomine ab eo parietem vocari. *R.* Quid, si et illi species arboris in eo appareat, et tibi parietis? nonne poterit utrumque verum esse? *A.* Nullo modo; quia una eademque res, et arbor et paries esse non potest. Quamvis enim singulis nobis singula esse videantur, necesse est unum nostrum imaginationem falsam pati. *R.* Quid, si nec paries nec arbor est, et ambo fallimini? *A.* Potest id quidem. *R.* Hoc ergo unum superius prætermiseras. *A.* Fateor. *R.* Quid, si agnoscatis aliud vobis videri quam est? numquidnam fallimini? *A.* Non. *R.* Potest igitur et falsum esse quod videtur, et non falli cui videtur. *A.* Potest. *R.* Confitendum est igitur non eum falli qui falsa videt, sed eum qui assentitur falsis. *A.* Plane confitendum. *R.* Quid ipsum falsum? quare falsum est? *A.* Quod aliter sese habet quam videtur.

*R.* Si ergo non sint quibus videatur, nihil est falsum. *A.* Sequitur. *R.* Non igitur est in rebus falsitas, sed in sensu : non autem fallitur qui falsis non assentitur. Conficitur ut aliud simus nos, aliud sensus ; siquidem, cum ipse fallitur, possumus nos non falli. *A.* Nihil habeo quod contradicam. *R.* Sed numquid, cum anima fallitur, audes te dicere non esse falsum? *A.* Quo pacto istud audeam? *R.* At nullus sensus sine anima, nulla falsitas sine sensu. Aut operatur igitur anima, aut cooperatur falsitati [1]. *A.* Trahunt præcedentia consensionem.

4. *R.* Illud nunc responde, utrum tibi videatur posse fieri ut aliquando falsitas non sit. *A.* Quomodo mihi hoc videri potest, cum tanta sit difficultas inveniendæ veritatis, ut absurdius dicatur falsitatem quam veritatem esse non posse? *R.* Numquidnam arbitraris eum qui non vivit, posse sentire? *A.* Non potest fieri. *R.* Confectum est animam semper vivere. *A.* Nimis cito urges me in gaudia : pedetentim, quæso. *R.* Atqui, si recte illa concessa sunt, nihil de hac re dubitandum video. *A.* Nimis cito est, inquam. Itaque facilius adducor ut me temere aliquid concessisse arbitrer, quam ut jam securus de immortalitate animæ fiam. Tamen evolve istam conclusionem, et quomodo id effectum sit ostende. *R.* Falsitatem dixisti sine sensu esse non posse, et eam non esse non posse : semper igitur est sensus. At nullus sensus sine anima : anima igitur sempiterna est. Nec valet sentire, nisi vivat. Semper igitur anima vivit.

### CAPUT IV. — *Ex falsitatis seu veritatis perpetuitate possitne colligi animæ immortalitas.*

5. *A.* O plumbeum pugionem! Posses enim concludere hominem esse immortalem, si tibi concessissem nunquam istum mundum esse posse sine homine, eumque mundum esse sempiternum. *R.* Bene quidem vigilas. Sed tamen non parum est quod confecimus, rerum naturam sine anima esse non posse, nisi forte in rerum natura falsitas aliquando non erit. *A.* Istud quidem consequens esse confiteor. Sed jam amplius deliberandum censeo, utrum superius concessa non nutent. Non enim parvum gradum ad animæ immortalitatem factum esse video. *R.* Satisne considerasti, ne quid temere dederis? *A.* Satis quidem, sed nihil video quo me arguam temeritatis. *R.* Ergo confectum est rerum naturam sine anima viva esse non posse. *A.* Confectum hactenus, ut possint vicissim aliæ nasci, aliæ mori. *R.* Quid, si de natura rerum falsitas auferatur? nonne fiet ut vera sint omnia? *A.* Consequi video. *R.* Responde unde tibi videatur paries iste verus esse. *A.* Quia ejus non fallor aspectu. *R.* Ergo quia ita est ut videtur. *A.* Etiam. *R.* Si igitur aliquid inde falsum est quod aliter videtur atque est, inde verum quod ita ut est videtur; ablato eo cui videtur, nec falsum quidquam, nec verum est. At si falsitas in rerum natura non sit, vera sunt omnia. Nec videri quidquam nisi viventi animæ potest. Manet igitur anima in rerum natura, si auferri falsitas non potest; manet, si potest. *A.* Video robustius quidem esse factum quod jam conclusum erat; sed nihil hac adjectione promovimus. Nihilominus enim manet illud quod plurimum me movet, nasci animas et interire, atque ut non desint mundo, non earum immortalitate, sed successione provenire.

6. *R.* Videnturne tibi quæque corporea, id est sensibilia, intellectu posse comprehendi? *A.* Non videntur. *R.* Quid illud? videtur tibi sensibus uti Deus ad res cognoscendas? *A.* Nihil audeo de hac re temere affirmare; sed quantum conjicere datur, nullo modo Deus utitur sensibus. *R.* Ergo concludimus non sentire posse nisi animam. *A.* Conclude interim quantum probabiliter licet. *R.* Quid illud? dasne istum parietem, si verus paries non sit, non esse parietem? *A.* Nihil hoc facilius dederim. *R.* Neque quidquam, si verum corpus non sit, corpus esse? *A.* Tale etiam hoc est. *R.* Ergo si nihil verum est, nisi ita sit ut videtur; nec quidquam corporeum videri nisi sensibus potest; nec sentire, nisi anima; nec, si verum corpus non sit, corpus esse : restat ut corpus esse non possit, nisi anima fuerit. *A.* Nimis urges, et quid resistam non habeo.

### CAPUT V. — *Verum quid sit.*

7. *R.* Attende in ista diligentius. *A.* En Adsum. *R.* Certe hic lapis est; et ita verus est, si non se habet aliter ac videtur; et lapis non est, si verus non est; et non nisi sensibus videri potest. *A.* Etiam. *R.* Non sunt igitur lapides in abditissimo terræ gremio, nec omnino ubi non sunt qui sentiant : nec iste lapis esset, nisi eum videremus; nec lapis erit cum discesserimus, nemoque alius eum præsens videbit. Nec, si loculos bene claudas, quamvis multa in eis incluseris, aliquid habebunt. Nec prorsus ipsum lignum intrinsecus lignum est. Fugit enim omnes sensus quidquid in altitudine est corporis minime perlucentis, quod non esse omnino cogitur. Etenim si esset, verum esset; nec verum quidquam est, nisi quod ita est ut videtur : illud autem non videtur; non est igitur verum : nisi quid habes ad hæc quod respondeas. *A.* De iis quidem quæ concessi, hoc natum esse video; sed absurdum ita est, ut quidquid vis illorum facilius negem, quam hoc verum esse concedam. *R.* Nihil repugno. Vide ergo quid dicere velis : corporea nisi sensibus videri posse, an sentire nisi animam, an esse lapidem vel quid aliud, sed verum non esse, an ipsum verum aliter esse definiendum. *A.* Isthuc ipsum, oro te, ultimum videamus.

8. *R.* Defini ergo verum. *A.* Verum est quod ita se habet ut cognitori videtur, si velit possitque cognoscere. *R.* Non erit igitur verum quod nemo potest cognoscere? Deinde, si falsum est quod aliter quam est, videtur; quid, si alteri videatur hic lapis, lapis; alteri lignum? eadem res et falsa et vera erit? *A.* Illud me magis superius movet, quomodo si quid cognosci non potest, eo fiat ut verum non sit. Nam quod simul una res, et vera et falsa est, non nimis curo. Etenim video unam rem diversis comparatam, simul et majorem et minorem esse. Sed ex eo istud contingit, quod nihil per se majus aut minus est. Comparationis enim

[1] Angl. Mss., *cooperatur falsitas.*

sunt ista nomina. *R.* At si dicis nihil esse verum per se, non times ne sequatur ut nihil sit per se? Unde enim lignum est hoc, inde etiam verum lignum est. Nec fieri potest ut per seipsum, id est sine cognitore lignum sit, et verum lignum non sit. *A.* Ergo illud dico et sic definio, nec vereor ne definitio mea ob hoc improbetur, quod nimis brevis est : nam verum mihi videtur esse id quod est. *R.* Nihil ergo erit falsum, quia quidquid est, verum est. *A.* In magnas angustias me conjecisti, nec invenio prorsus quid respondeam. Ita fit ut cum aliter doceri nolim quam istis interrogationibus, verear jam tamen interrogari.

CAPUT VI. — *Unde falsitas, et ubi.*

9. *R.* Deus cui nos commisimus, sine dubitatione fert opem, et de his angustiis liberat nos, modo credamus, et eum rogemus devotissime. *A.* Nihil plane libentius hoc loco fecerim; nam nusquam tantam caliginem pertuli. Deus, Pater noster, qui ut oremus hortaris, qui et hoc quod rogaris præstas; siquidem cum te rogamus, melius vivimus, melioresque sumus: exaudi me palpitantem in his tenebris, et mihi dexteram porrige. Prætende mihi lumen tuum, revoca me ab erroribus; te duce in me redeam et in te. Amen. *R.* Hic esto quantum potes, et vigilantissime attende. *A.* Dic, quæso, si quid tibi suggestum est, ne pereamus. *R.* Hic esto. *A.* Ecce habes me nihil aliud agentem.

10. *R.* Prius quid sit falsum, etiam atque etiam ventilemus. *A.* Miror si quidquam aliud erit, quam quod non ita est ut videtur. *R.* Attende potius, et ipsos sensus prius interrogemus. Nam certe quod oculi vident, non dicitur falsum, nisi habeat aliquam similitudinem veri. Ut verbi causa, homo quem videmus in somnis, non est utique verus homo, sed falsus, eo ipso quod habet veri similitudinem. Quis enim canem videat, et recte se dicat hominem somniasse? Ergo et ille falsus canis est, ex eo quod similis vero est. *A.* Ita est ut dicis. *R.* Quid, vigilans quisque si viso equo putet se hominem videre? nonne eo fallitur quod ei appareat aliqua hominis similitudo? Nam si nihil ei appareat, nisi equi species, non potest arbitrari sese hominem videre. *A.* Prorsus cedo. *R.* Dicimus item falsam arborem quam pictam videmus, et falsam faciem quæ de speculo redditur, et falsum turrium motum navigantibus, falsamque infractionem remi, ob aliud nihil nisi quod verisimilia sunt. *A.* Fateor. *R.* Ita et in geminis fallimur, ita in ovis, ita in singulis sigillis uno annulo impressis, et in cæteris talibus. *A.* Sequor omnino atque concedo. *R.* Similitudo igitur rerum quæ ad oculos pertinet, mater est falsitatis. *A.* Negare non possum.

11. *R.* Sed hæc omnis silva, nisi me fallit, in duo genera dividi potest. Nam partim æqualibus in rebus, partim vero in deterioribus est. Æqualia sunt, quando tam hoc illi quam illud huic simile esse dicimus, ut de geminis dictum est, vel de impressionibus annuli. In deterioribus autem, quando illud quod deterius est, simile esse dicimus meliori. Quis enim in speculum attendat, et recte dicat se esse illi imagini similem, ac non potius illam sibi? Hoc autem genus partim est in eo quod anima patitur, partim vero in iis rebus quæ videntur. Sed ipsum quod anima patitur, aut in sensu patitur, ut turris motum qui nullus est; aut apud seipsam ex eo quod accepit a sensibus, qualia sunt visa somniantium, et fortassis etiam furentium. Porro illa quæ in ipsis rebus quas videmus apparent, alia a natura, cætera ab animantibus exprimuntur atque finguntur. Natura gignendo vel resultando similitudines deteriores facit. Gignendo, cum parentibus similes nascuntur; resultando, ut de speculis cujuscemodi. Quamvis enim pleraque specula homines faciant, non tamen ipsi effingunt eas quæ redduntur imagines. Jam vero animantium opera sunt in picturis, et hujuscemodi quibusque figmentis : in quo genere includi etiam illa possunt, si tamen fiunt, quæ dæmones faciunt. Umbræ autem corporum, quia non nimis ab re abest [1] ut corporibus similes et quasi falsa corpora dicantur, nec ad oculorum judicium pertinere negandæ sunt; in illo eas genere poni placet, quod resultando a natura fit. Resultat enim omne corpus lumini objectum, et in contrariam partem umbram reddit. An tibi aliquid contradicendum videtur? *A.* Mihi vero nihil. Sed quonam ista tendant, vehementer exspecto.

12. *R.* Atqui oportet patienter feramus, donec nobis cæteri sensus renuntient in veri similitudine habitare falsitatem. Nam et in ipso auditu totidem fere genera veniunt similitudinum : veluti cum loquentis vocem, quem non videmus, audientes, putamus alium quempiam, cui voce similis est; atque in deterioribus vel echo testis est, vel tinnitus ille ipsarum aurium, vel in horologiis merulæ aut corvi quædam imitatio, vel quæ sibi somniantes aut furentes videntur audire. Falsæ autem voculæ quæ dicuntur a musicis, incredibile est quantum attestantur veritati, quod post apparebit : tamen etiam ipsæ, quod sat est nunc, non absunt ab earum similitudine quas veras vocant. Sequeris hæc? *A.* Et libentissime. Nam nihil laboro ut intelligam. *R.* Ergo, ne moremur, videturne tibi aut lilium a lilio posse odore, aut mel thyminum a melle thymino de diversis alveariis sapore, aut mollitudo plumarum cycni ab anseris tactu facile dijudicari? *A.* Non videtur. *R.* Quid, cum talia nos vel olfacere, vel gustare, vel tangere somniamus? nonne similitudine imaginum eo deteriore quo inaniore decipimur? *A.* Verum dicis. *R.* Ergo apparet nos in omnibus sensibus sive æqualibus, sive in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli; aut etiamsi non fallimur suspendentes consensionem, seu differentiam dignoscentes, tamen eas res falsas nominare quas verisimiles deprehendimus. *A.* Dubitare non possum.

CAPUT VII. — *De vero et simili. Soliloquia cur dicta.*

13. *R.* Nunc attende, dum eadem rursum recurrimus, quo fiat apertius quod conamur ostendere. *A.* Eccum, loquere quod vis. Nam ego circumitum istum semel statui tolerare, neque in eo defatiscar spe tanta perveniendi quo nos tendere sentio. *R.* Bene facis. Sed attende utrum tibi videatur, cum ova similia vi-

[1] *Absunt*, juxta Lov. M.

demus, aliquod eorum falsum esse recte nos posse dicere. *A.* Nullo modo videtur. Omnia enim si ova sunt, vera ova sunt. *R.* Quid, cum de speculo resultare imaginem videmus? quibus signis falsam esse comprehendimus? *A.* Scilicet quod non tenetur, non sonat, non per se movetur, non vivit, et cæteris innumerabilibus, quæ prosequi longum est. *R.* Video te nolle immorari, et properationi tuæ mos gerendus est. Itaque, ne singula repetam, si et illi homines quos videmus in somnis, vivere, loqui, teneri a vigilantibus possent, nihilque inter ipsos differret, et eos quos expergefacti ac sani alloquimur et videmus, numquidnam eos falsos diceremus? *A.* Quo pacto istud recte diceretur? *R.* Ergo si eo veri essent, quo veri simillimi apparerent, nihilque inter eos et veros omnino distaret, eoque falsi quo per illas vel alias differentias dissimiles convincerentur; nonne similitudinem veritatis matrem, et dissimilitudinem falsitatis esse fatendum est? *A.* Non habeo quid dicam, et pudet me tam temerariæ consensionis meæ superioris.

14. *R.* Ridiculum est si te pudet, quasi non ob idipsum elegerimus hujusmodi sermocinationes : quæ quoniam cum solis nobis loquimur, Soliloquia vocari et inscribi volo; novo quidem et fortasse duro nomine, sed ad rem demonstrandam satis idoneo. Cum enim neque melius quæri veritas possit, quam interrogando et respondendo, et vix quisquam inveniatur quem non pudeat convinci disputantem, eoque pene semper eveniat ut rem bene inductam ad discutiendum inconditus pervicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum, plerumque dissimulata, interdum et aperta; pacatissime, ut opinor, et commodissime placuit, a meipso interrogatum mihique respondentem, Deo adjuvante, verum quærere : quare nihil est quod vereare, sicubi te temere illigasti, redire atque resolvere; aliter hinc enim evadi non potest.

CAPUT VIII. — *Unde verum aut falsum.*

15. *A.* Recte dicis; sed quid male concesserim non plane video : nisi forte id recte dici falsum quod habeat aliquam veri similitudinem, cum prorsus mihi nihil aliud dignum falsi nomine occurrat; et rursus tamen cogor fateri eo falsa vocari quæ vocantur, quo a veris differunt. Ex quo conficitur eam ipsam dissimilitudinem causam esse falsitatis. Itaque conturbor; non enim mihi facile quidquam venit in mentem, quod contrariis causis gignatur. *R.* Quid, si hoc unum est in rerum natura genus, et solum quod ita sit? An ignoras, cum per animalium innumerabilia genera cucurreris, solum crocodilum inveniri qui superiorem in mandendo partem moveat; præsertim cum pene reperiri nihil queat ita cuique rei simile, ut non in aliquo etiam dissimile sit? *A.* Video quidem ista; sed cum considero illud quod falsum vocamus, et simile aliquid habere veri et dissimile, ex qua potius parte meruerit falsi nomen, non valeo discernere. Si enim ex eo quod dissimile est, dixero; nihil erit quod non falsum dici possit : nihil enim est quod non alicui rei dissimile sit, quam veram esse concedimus. Item, si dixero eo quod simile est, falsum appellandum; non solum ova illa reclamabunt quæ vera eo ipso sunt quo simillima, sed etiam sic non effugiam eum qui me coegerit falsa esse omnia confiteri, quod omnia sibi ex aliqua parte similia esse negare non possum. Sed fac me non metuere illud respondere, similitudinem ac dissimilitudinem simul efficere ut aliquid falsum recte nominetur; quam mihi evadendi viam dabis? Instabitur enim nihilominus ut omnia falsa esse renuntiem; quippe omnia sibimet, ut supra dictum est, et similia quadam ex parte, et dissimilia reperiuntur. Restaret ut nihil aliud falsum esse dicerem, nisi quod aliter se haberet atque videretur, ni vererer illa tot monstra quæ me dudum enavigasse arbitrabar. Nam eo rursum repellor vertigine inopinata, ut verum id esse dicam quod ita se habet ut videtur. Ex quo confit sine cognitore nihil verum esse posse : ubi mihi naufragium in scopulis occultissimis formidandum est, qui veri sunt, etiamsi nesciantur. Aut, si verum esse id quod est dixero, falsum non esse uspiam concludetur, quovis repugnante. Itaque redeunt illi æstus, nec quidquam tanta patientia morarum tuarum processisse me video.

CAPUT IX. — *Quid falsum, quid fallax et quid mendax.*

16. *R.* Attende potius; nam nullo modo in animum inducam, frustra nos auxilium divinum implorasse. Video enim, tentatis quantum potuimus omnibus rebus, non remansisse quod falsum jure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod non est, aut omnino esse tendit et non est. Sed illud superius falsi genus, vel fallax etiam, vel mendax est. Nam fallax id recte dicitur quod habet quemdam fallendi appetitum; qui sine anima intelligi non potest : sed partim ratione fit, partim natura; ratione, in animalibus rationalibus, ut in homine; natura, in bestiis, tanquam in vulpecula. Illud autem quod mendax voco, a mentientibus fit. Qui hoc differunt a fallacibus, quod omnis fallax appetit fallere; non autem omnis vult fallere qui mentitur : nam et mimi et comœdiæ et multa poemata mendaciorum plena sunt, delectandi potius quam fallendi voluntate, et omnes fere qui jocantur, mentiuntur. Sed fallax vel fallens is recte dicitur, cujus negotium est ut quisque fallatur. Illi autem qui non id agunt ut decipiant, sed tamen aliquid fingunt, vel mendaces tantum, vel si ne hoc quidem, mentientes tamen vocari nemo ambigit : nisi quid habes adversus ista quod dicas.

17. *A.* Perge, quæso; nunc enim fortasse de falsis non falsa docere cœpisti : sed jam illud genus exspecto quale sit quod dixisti, esse tendit et non est. *R.* Quidni exspectes? Eadem illa sunt, quorum multa supra memoravimus. Annon tibi videtur imago tua de speculo quasi tu ipse velle esse, sed ideo esse falsa, quod non est? *A.* Valde hoc videtur. *R.* Quid omnis pictura vel cujuscemodi simulacrum, et id genus omnia opificum? nonne illud esse contendunt, ad cujus quidque similitudinem factum est? *A.* Prorsus adducor. *R.* Jam ea quibus vel dormientes vel furentes falluntur, concedis, ut opinor, in eo esse genere. *A.* Et nulla

magis : nam nulla magis tendunt talia esse, qualia vel vigilantes vel sani cernunt; et eo tamen falsa sunt, quo id quod tendunt esse non possunt. *R.* Quid jam de turrium motu, vel de merso remo, vel de umbris corporum plura dicam? Planum est, ut arbitror, ex hac regula esse metienda. *A.* Planissimum. *R.* Taceo de cæteris sensibus; nam nemo considerans non hoc inveniet, falsum appellari in rebus ipsis quas sentimus, quod esse aliquid tendit et non est.

CAPUT X. — *Quædam eo vera quo falsa.*

18. *A.* Recte dicis : sed miror cur ab hoc genere tibi secernenda illa poemata et joca visa sunt, cæteræque fallaciæ. *R.* Quia scilicet aliud est falsum esse velle, aliud verum esse non posse. Itaque ipsa opera hominum velut comœdias aut tragœdias, aut mimos, et id genus alia possumus operibus pictorum fictorumque conjungere. Tam enim verus esse pictus homo non potest, quamvis in speciem hominis tendat, quam illa quæ scripta sunt in libris comicorum. Neque enim falsa esse volunt, aut ullo appetitu suo falsa sunt; sed quadam necessitate, quantum fingentis arbitrium sequi potuerunt. At vero in scena Roscius voluntate falsa Hecuba erat, natura verus homo; sed illa voluntate etiam verus tragœdus, eo videlicet quo implebat, institutum : falsus autem Priamus, eo quod Priamum assimilabat, sed ipse non erat. Ex quo jam nascitur quiddam mirabile, quod tamen ita se habere nemo ambigit. *A.* Quidnam id est? *R.* Quid putas, nisi hæc omnia inde esse in quibusdam vera, unde in quibusdam falsa sunt, et ad suum verum hoc solum eis prodesse, quod ad aliud falsa sunt? Unde ad id quod esse aut volunt aut debent, nullo modo perveniunt, si falsa esse fugiunt. Quo pacto enim iste quem commemoravi, verus tragœdus esset, si nollet esse falsus Hector, falsa Andromache, falsus Hercules, et alia innumera? aut unde vera pictura esset, si falsus equus non esset? unde in speculo vera hominis imago, si non falsus homo? Quare, si quibusdam, ut verum aliquid sint, prodest ut sint aliquid falsum; cur tantopere falsitates formidamus, et pro magno bono appetimus veritatem? *A.* Nescio, et multum miror, nisi quia in exemplis istis nihil imitatione dignum video. Non enim tanquam histriones, aut de speculis quæque relucentia, aut tanquam Myronis buculæ ex ære, ita etiam nos ut in nostro quodam habitu veri simus, ad alienum habitum adumbrati atque assimilati, et ob hoc falsi esse debemus; sed illud verum quærere, quod non quasi bifronte ratione sibique adversanti, ut ex aliqua parte verum sit, ex aliqua falsum sit[1]. *R.* Magna et divina quædam requiris. Quæ tamen si invenerimus, nonne fatebimur his ipsam confici, et quasi conflari veritatem, a qua denominatur omne quod verum quoquo modo nominatur? *A.* Non invitus assentior.

CAPUT XI. — *Disciplinarum veritas. Fabula quid. Quid sit grammatica.*

19. *R.* Quid tibi ergo videtur? disciplina disputandi verane, an falsa est? *A.* Quis dubitet veram? Sed vera est etiam grammatica. *R.* Itane ut illa? *A.* Non video quid sit vero verius. *R.* Illud profecto quod nihil falsi habet : quod intuens paulo ante offendebare ex iis rebus quæ nescio quomodo nisi falsæ essent, veræ esse non possent. An ignoras omnia illa fabulosa et aperte falsa ad grammaticam pertinere? *A.* Non ignoro istud quidem; sed, ut opinor, non per grammaticam falsa sunt, sed per eam qualiacumque sunt, demonstrantur. Siquidem est fabula compositum ad utilitatem delectationemve mendacium. Est autem grammatica vocis articulatæ custos et moderatrix disciplina : cujus professionis necessitate cogitur humanæ linguæ omnia etiam figmenta colligere, quæ memoriæ litterisque mandata sunt, non ea falsa faciens, sed de his veram quamdam docens asserensque rationem. *R.* Recte sane : nihil nunc curo, utrum abs te ista bene definita atque distincta sint; sed illud quæro, utrum hoc ita esse ipsa grammatica, an vero illa disciplina disputationis ostendat. *A.* Non nego vim peritiamque definiendi, qua nunc ego ista separare conatus sum, disputatoriæ arti tribui.

20. *R.* Quid ipsa grammatica? nonne si vera est, eo vera est quo disciplina est? Disciplina enim a discendo dicta est : nemo autem quæ didicit ac tenet, nescire dici potest; et nemo scit falsa. Omnis ergo vera est disciplina. *A.* Non video quidem quid in ista ratiuncula temere concedatur. Movet me tamen ne per istam cuipiam videatur etiam illas fabulas veras esse; nam et has discimus et tenemus. *R.* Numquidnam magister noster nolebat nos credere quæ docebat, et nosse? *A.* Imo vehementer ut nossemus instabat. *R.* Numquid aliquando institit ut Dædalum volasse crederemus? *A.* Hoc quidem nunquam. Sed plane nisi teneremus fabulam, vix nos posse aliquid manibus tenere faciebat. *R.* Tu ergo negas verum esse quod ista fabula sit, et quod ita sit Dædalus diffamatus? *A.* Hoc non nego verum esse. *R.* Non negas ergo te didicisse verum, cum ista didiceris. Nam si volasse Dædalum verum est, et hoc pueri pro ficta fabula acciperent atque redderent, eo ipso falsa retinerent, quo vera essent illa quæ redderent. Hinc enim exstitit illud quod superius mirabamur, de volatu Dædali veram fabulam esse non potuisse, nisi Dædalum volasse falsum esset. *A.* Jam teneo istud; sed quid ex eo proficiamus exspecto. *R.* Quid, nisi non esse falsam illam rationem, qua collegimus disciplinam, nisi vera doceat, disciplinam esse non posse? *A.* Et hoc quid ad rem? *R.* Quia volo dicas mihi unde sit disciplina grammatica : inde enim vera est, unde disciplina est. *A.* Nescio quid tibi respondeam. *R.* Nonne tibi videtur, si nihil in ea definitum esset, et nihil in genera et partes distributum atque distinctum, eam nullo modo disciplinam esse potuisse? *A.* Jam intelligo quid dicas; nec ulla mihi occurrit cujusvis facies disciplinæ, in qua non definitiones ac divisiones et ratiocinationes, dum quid quidque sit declaratur, dum sine confusione partium sua cuique redduntur, dum nihil prætermittitur proprium, nihil annumeratur alienum, totum hoc ipsum quo disciplina dicitur egerint. *R.* Ergo et totum ipsum quo

[1] *Est*, juxta Er. Lov. M.

vera dicitur. *A.* Video consequi.

21. *R.* Responde nunc quæ disciplina contineat definitionum, divisionum, partitionumque rationes. *A.* Jam superius dictum est hæc disputandi regulis contineri. *R.* Grammatica igitur eadem arte creata est, ut disciplina, et ut vera esset, quæ est abs te superius a falsitate defensa. Quod non de una grammatica mihi licet concludere, sed prorsus de omnibus disciplinis. Nam dixisti, vereque dixisti, nullam disciplinam tibi occurrere, in qua non definiendi jus atque distribuendi idipsum, ut disciplina sit, fecerit. At, si eo veræ sunt quo sunt disciplinæ, negabitne quispiam, veritatem ipsam esse per quam omnes veræ sunt disciplinæ? *A.* Prope est omnino ut assentiar: sed illud me movet, quod etiam rationem disputandi inter easdem disciplinas numeramus. Quare illam potius existimo esse veritatem, qua et ista ipsa ratio vera est. *R.* Optime omnino ac vigilantissime : sed non negas, ut opinor, eo veram esse quo disciplina est. *A.* Imo idipsum est quod me movet. Adverti enim etiam disciplinam esse, et ob hoc veram dici. *R.* Quid ergo? istam putas aliter disciplinam esse potuisse, nisi omnia in ea definita essent et distributa? *A.* Nihil aliud habeo quod dicam. *R.* At, si ad eam pertinet hoc officium, per seipsam disciplina vera est. Quisquamne igitur mirum putabit, si ea qua vera sunt omnia, per se ipsa et in seipsa vera sit veritas [1]? *A.* Nihil mihi obstat quominus recta pergam in istam sententiam.

CAPUT XII. — *Quot modis quædam sint in alio.*

22. *R.* Ergo attende pauca quæ restant. *A.* Profer si quid habes, modo tale sit quod intelligam, libenterque concedam. *R.* Esse aliquid in aliquo, non nos fugit duobus modis dici. Uno quo ita est, ut etiam sejungi atque alibi esse possit, ut hoc lignum in hoc loco, ut sol in oriente : altero autem quo ita est aliquid in subjecto, ut ab eo nequeat separari, ut in hoc ligno forma et species quam videmus, ut in sole lux, ut in igne calor, ut in animo disciplina, et si qua sunt alia similia. An tibi aliter videtur? *A.* Ista quidem vetustissima sunt nobis, et ab ineunte adolescentia studiosissime percepta et cognita : quare non possum de his interrogatus, quin ea sine ulla deliberatione concedam. *R.* Quid illud? nonne concedis, quod in subjecto est inseparabiliter, si subjectum ipsum non maneat, manere non posse? *A.* Hoc quoque video necessarium; nam manente subjecto, posse id quod in subjecto est non manere, quisquis diligenter res advertit, intelligit. Siquidem hujus corporis color potest vel valetudinis ratione vel ætate immutari, cum ipsum corpus necdum interierit. Et hoc non peræque in omnibus valet, sed in his in quibus, non ut sint ipsa subjecta, ea quæ in subjectis sunt coexistunt. Non enim ut sit iste paries, paries hoc colore fit, quem in eo videmus; cum etiam si quo casu nigrescat aut albescat, vel aliquem alium mutet colorem, nihilominus tamen maneat paries ac dicatur. At vero ignis si calore careat, ne ignis quidem erit; nec nivem vocare, nisi candidam, possumus.

CAPUT XIII. — *Immortalitas animæ colligitur.*

23. Illud vero quod interrogasti, quis concesserit, aut cui posse fieri videatur, ut id quod in subjecto est, maneat ipso intereunte subjecto? Monstruosum enim et a veritate alienissimum est, ut id quod non esset nisi in ipso esset, etiam cum ipsum non fuerit possit esse. *R.* Illud igitur quod quærebamus inventum est. *A.* Quid narras? *R.* Id quod audis. *A.* Jamne ergo liquido constat animum esse immortalem? *R.* Si ea quæ concessisti vera sint, liquidissime : nisi forte animum dicis, etiamsi moriatur, animum esse. *A.* Nunquam equidem hoc dixerim ; sed eo ipso quo interit, fieri ut animus non sit, dico. Nec me ab hac sententia revocat, quod a magnis philosophis dictum est, eam rem quæ, quocumque venerit, vitam præstat, mortem in se admittere non posse. Quamvis enim lumen quocumque intrare potuerit, faciat id lucere, tenebrasque in se propter memorabilem illam vim contrariorum non possit admittere; tamen exstinguitur, locusque ille exstincto lumine tenebratur. Ita illud quod tenebris resistebat, neque ullo modo in se tenebras admisit, et sic eis intercundo locum fecit, ut poterat etiam discedendo. Itaque timeo ne mors ita contingat corpori, ut tenebræ loco, aliquando discedente animo ut lumine, aliquando autem ibidem exstincto ; ut jam non de omni morte corporis securitas sit, sed aliquod genus mortis sit optandum, quo anima ex corpore incolumis educatur, perducaturque ad locum, si est ullus talis locus, ubi non possit exstingui. Aut, si ne hoc quidem potest, atque in ipso corpore anima quasi lumen accenditur, nec alibi potest durare, omnisque mors est exstinctio quædam animæ in corpore vel vitæ ; aliquod genus eligendum est quantum homo sinitur, quo idipsum quod vivitur, cum securitate ac tranquillitate vivatur, quanquam nescio quomodo istud possit fieri si anima moritur. O multum beatos; quibus sive ab ipsis, sive abs quolibet, non esse metuendam mortem, etiamsi anima intereat, persuasum est! At mihi misero nullæ adhuc rationes, nulli libri persuadere potuerunt.

24. *R.* Noli gemere, immortalis est animus humanus. *A.* Unde hoc probas? *R.* Ex iis quæ cum magna cautione, ut arbitror, superius concessisti. *A.* Nihil quidem me minus vigilanter interroganti tibi memini dedisse : sed collige jam ipsam summam, oro te ; videamus quo tantis ambagibus pervenerimus, nec me jam interroges volo. Si enim ea breviter enumeraturus es quæ concessi, quonam rursus responsio mea desideratur? An ut moras gaudiorum mihi frustra inferas, si quid boni forte confecimus? *R.* Faciam quod te velle video, sed attende diligentissime. *A.* Loquere jam, hic sum ; quid enecas? *R.* Omne quod in subjecto est, si semper manet, ipsum etiam subjectum maneat semper necesse est. Et omnis in subjecto est animo disciplina. Necesse est igitur semper ut animus maneat, si semper manet disciplina. Est autem disciplina veritas, et semper, ut in initio libri hujus ratio

[1] Sic Mss. At Lov.: *Mirum putabit, si ea quæ vera sunt, omnia ab ipsa vera sunt, si et ipsa sit veritas.* — Sic etiam Er. et Ven. M.

persuasit, veritas manet. Semper igitur animus manet, nec animus mortuus dicitur. Immortalem igitur animum solus non absurde negat, qui superiorum aliquid non recte concessum esse convincit.

CAPUT XIV. — *Excutitur superior syllogismus.*

25. *A.* Jam me volo in gaudia mittere, sed duabus aliquantum revocor causis. Nam primum me movet quod circuitu tanto usi sumus, nescio quam ratiocinationum catenam sequentes, cùm tam breviter totum de quo agebatur, demonstrari potuerit, quam nunc demonstratum est. Quare, me sollicitum facit quod tam diu quasi ad insidiandum obambulavit oratio. Deinde non video quomodo in animo semper sit disciplina, præsertim disputandi, cum et tam pauci ejus gnari sint, et quisquis eam novit, tanto ab infantia tempore fuerit indoctus. Non enim possumus dicere aut imperitorum animos non esse animos, aut esse in animo eam quam nesciant disciplinam. Quod si vehementer absurdum est, restat ut aut non semper in animo sit veritas, aut disciplina illa veritas non sit.

26. *R.* Vides quam non frustra tantos circuitus egerit nostra ratiocinatio. Quærebamus enim quid sit veritas, quod ne nunc quidem in hac quadam silva rerum, omnibus pene callibus oberratis, video nos investigare potuisse. Sed quid facimus? An incœpta omittimus, et exspectamus ecquid nobis librorum alienorum in manus incidat, quod huic quæstioni satisfaciat? Nam et multos ante nostram ætatem scriptos esse arbitror, quos non legimus : et nunc, ut nihil quod nescimus opinemur, manifestum habemus, et carmine de hac re scribi, et soluta oratione; et ab iis viris quorum nec scripta latere nos possunt, et eorum ingenia talia novimus, ut nos in eorum litteris quod volumus, inventuros desperare non possimus : præsertim cum hic ante oculos nostros sit ille, in quo ipsam eloquentiam quam mortuam dolebamus, perfectam revixisse cognovimus (*a*). Illene nos sinet, cum scriptis suis vivendi modum docuerit, vivendi ignorare naturam? *A.* Non arbitror equidem et multum inde spero, sed unum doleo quod vel erga se, vel erga sapientiam studium nostrum non ei ut volumus, valemus aperire. Nam profecto ille misereretur sitim nostram, et exundaret multo citius quam nunc. Securus enim est, quod sibi jam totum de animæ immortalitate persuasit, nec scit aliquos esse fortasse, qui hujus ignorationis miseriam satis cognoverunt, et quibus præsertim rogantibus non subvenire crudele sit. Ille autem alius novit quidem pro familiaritate ardorem nostrum; sed ita longe abest, et ita nunc constituti sumus, ut vix ad eum vel epistolæ mittendæ facultas sit (*b*). Quem credo jam otio Transalpino perfecisse carmen quo mortis metus excantatus effugiat, et antiqua glacie duratus animæ stupor frigusque pellatur. Sed interim dum ista proveniunt, quæ in nostra potestate non sunt, nonne turpissimum est perire otium nostrum, et totum ipsum animum ex incerto arbitrio pendere deligatum?

(*a*) Ambrosius, ut videtur, qui libros de Officiis scripsit; et cui ad audiendum Augustinum non vacabat, ex lib. 6 Conf., cap. 2, n. 3; et cap. 11, n. 18.

(*b*) Fortean Zenobius poetices peritus, de cujus repentina profectione lib. 1 de Ordine, cap. 7, n. 20.

CAPUT XV. — *Veri et falsi natura.*

27. Ubi est quod Deum et rogavimus et rogamus, ut nobis non divitias, non corporis voluptates, non populares suggestus atque honores, sed animam nostram seque ipsum quærentibus, iter aperiat? Itane nos deseret, aut a nobis deseretur? *R.* Alienissimum quidem ab ipso est ut eos qui talia desiderant deserat : unde a nobis quoque alienum esse debet ut tantum ducem deseramus. Quare, si placet, repetamus breviter unde illa duo confecta sint, aut semper manere veritatem, aut veritatem esse [1] disputandi rationem. Hæc enim vacillare dixisti, quo minus nos faciat totius rei summa securos. An potius illud quæremus, quomodo esse possit in imperito animo disciplina, quem non possumus non animum dicere? Hinc enim commotus videbare, ut de illis quæ concesseras, dubitare rursus necesse fuerit. *A.* Imo discutiamus prius illa, deinde hoc quale sit videbimus. Ita enim, ut opinor, nulla controversia remanebit. *R.* Ita fiat, sed adesto totus atque cautissimus. Scio enim quid tibi eveniat attendenti, dum nimis pendes in conclusionem, et ut jam jamque inferatur exspectas, ea quæ interrogantur non diligenter examinata concedis. *A.* Verum fortasse dicis; sed enitar contra hoc genus morbi quantum possum : modo jam tu incipe quærere, ne superfluis immoremur.

28. *R.* Ex eo, quantum memini, veritatem non posse interire conclusimus, quod non solum si totus mundus intereat, sed etiam si ipsa veritas, verum erit et mundum et veritatem interisse. Nihil autem verum sine veritate : nullo modo igitur interit veritas. *A.* Agnosco ista, et multum miror si falsa sunt. *R.* Ergo illud alterum videamus. *A.* Sine me paululum considerare, oro te, ne huc iterum turpiter redeam. *R.* Ergone interisse veritatem verum non erit? Si non erit verum, non ergo interit. Si verum erit, unde post occasum veritatis verum erit, cum jam veritas nulla est? *A.* Nihil habeo quid plus cogitem atque considerem; perge ad aliud. Certe faciemus, quantum possumus, ut docti atque prudentes viri legant hæc, et nostram, si qua est, corrigant temeritatem : nam me nec modo, nec aliquando arbitror quid contra hoc dicatur posse invenire.

29. *R.* Numquidnam ergo dicitur veritas, nisi qua verum est quidquid verum est? *A.* Nullo modo. *R.* Numquidnam recte dicitur verum, nisi quod non est falsum? *A.* Hinc vero dubitare dementia est. *R.* Num falsum non est quod ad similitudinem alicujus accommodatum est, neque id tamen est cujus simile appareret? *A.* Nihil quidem aliud video quod libentius falsum vocem. Sed tamen solet falsum dici, etiam quod a veri similitudine longe abest. *R.* Quis negat? sed tamen quod habeat ad verum nonnullam imitationem. *A.* Quomodo? Non enim cum dicitur, junctis alitibus anguibus Medeam volasse, ulla ex parte resista verum imitatur; quippe quæ nulla sit, nec imitari aliquid

[1] In duobus Mss., *aut veritatem non esse.*

possit ea res quæ omnino non sit. *R.* Recte dicis; sed non attendis eam rem quæ omnino nulla sit, ne falsum quidem posse dici. Si enim falsum est, est : si non est, non est falsum [1]. *A.* Non ergo dicemus illud de Medea, nescio quod monstrum, falsum esse? *R.* Non utique; nam si falsum est, quomodo monstrum est [2]? *A.* Miram rem video : itane tandem cum audio,

Angues ingentes alites junctos jugo.

(*Poeta apud Cic., de Invent.* I, 19.)

non dico falsum? *R.* Dicis plane : est enim quod falsum esse dicas. *A.* Quid, quæso? *R.* Illam scilicet sententiam quæ ipso versu enuntiatur. *A.* Et quam tandem habet ista imitationem veri? *R.* Quia similiter enuntiaretur, etiamsi vere illud Medea fecisset. Imitatur ergo ipsa enuntiatione veras sententias falsa sententia. Quæ si non creditur, eo solo imitatur veras quod ita dicitur, estque tantum falsa, non etiam fallens. Si autem fidem impetrat, imitatur etiam creditas veras. *A.* Jam intelligo multum interesse inter illa quæ dicimus, et illa de quibus dicimus aliquid; quare jam assentior : nam hoc solo revocabar, quidquid falsum dicimus non recte dici, nisi habeat veri alicujus imitationem. Quis enim lapidem falsum argentum esse dicens non jure rideatur? tamen si quisquam lapidem argentum esse dicat, dicimus falsum eum dicere, id est falsam proferre sententiam. Stannum autem vel plumbum non absurde, ut opinor, falsum argentum vocamus, quod id res ipsa velut imitatur : neque ex eo falsa est nostra sententia, sed illud ipsum de quo enuntiatur.

### CAPUT XVI. — *An meliora deteriorum nominibus vocari possint.*

30. *R.* Bene intelligis. Sed illud vide, utrum et argentum falsi plumbi nomine congruenter appellare possimus. *A.* Non mihi placet. *R.* Quid ita? *A.* Nescio; nisi illud video, vehementer contra voluntatem meam dici. *R.* Num forte propterea quod argentum melius est, et quasi in contumeliam ejus dicitur; plumbi autem quidam velut honor est, si falsum argentum vocetur? *A.* Prorsus explicasti quod volebam. Et ideo credo jure infames intestabilesque haberi, qui muliebri habitu se ostentant, quos nescio utrum falsas mulieres, an falsos viros melius vocem. Veros tamen histriones, verosque infames sine dubitatione possumus vocare; aut, si latent nec infame quidquam nisi a turpi fama nominatur, veros nequam non sine veritate dicimus, ut opinor. *R.* Alius locus nobis erit de istis rebus disserendi : multa enim fiunt, quæ quasi facie populari turpia videntur, aliquo tamen fine laudabili honesta monstrantur. Et magna quæstio est utrum patriæ liberandæ causa muliebri tunica indutus, debeat hostem decipere, hoc ipso quo mulier falsa sit, fortasse verior vir futurus : et utrum sapiens qui aliquo modo certum habeat necessariam fore vitam suam rebus humanis, malit emori frigore, quam femineis vestibus, si aliud non sit, amiciri. Sed de hoc, ut dictum est, alias videbimus. Profecto enim cernis quantæ inquisitionis indigeat, quatenus ista progredi debeant, ne in quasdam inexcusabiles turpitudines decidatur. Nunc autem quod præsenti quæstioni satis est, jam puto apparere, neque dubitari non esse falsum quidquam nisi veri aliqua imitatione.

### CAPUT XVII. — *Num aliquid ex omni parte falsum sit aut verum.*

31. *A.* Proficiscere ad reliqua; nam hoc mihi bene persuasum est. *R.* Ergo illud quæro, utrum præter disciplinas quibus erudimur, et quibus etiam ipsum studium sapientiæ annumerari decet, possimus quidquam ita verum invenire, quod non sicut theatricus Achilles ex aliqua parte falsum sit, ut ex alia verum esse possit? *A.* Mihi videntur multa inveniri. Non enim disciplinæ istum habent lapidem, nec tamen, ut verus sit lapis, imitatur aliquid secundum quod falsus dicatur. Quo uno commemorato, vides jam innumerabilibus supersedendum esse, quæ sponte occurrant cogitantibus. *R.* Video prorsus. Sed nonne tibi videntur uno corporis nomine includi? *A.* Viderentur, si aut inane nihil esse certum haberem, aut ipsum animum inter corpora numerandum arbitrarer, aut etiam Deum corpus aliquod esse crederem. Quæ omnia si sunt, ad nullius imitationem falsa et vera esse video. *R.* In longum nos mittis, sed utar quantum possum compendio. Certe enim aliud est quod inane appellas, aliud quod veritatem. *A.* Longe aliud. Quid enim me inanius, si veritatem inane aliquid puto, aut tantopere aliquid inane appeto? Quid enim aliud quam veritatem invenire desidero? *R.* Ergo et illud fortasse concedis, nihil verum esse quod non veritate fiat ut verum sit. *A.* Jam hoc olim manifestum est. *R.* Num dubitas nihil esse inane præter ipsum inane, aut certe corpus? *A.* Prorsus non dubito. *R.* Opinor ergo, veritatem corpus esse aliquod credis. *A.* Nullo modo. *R.* Quid in corpore? *A.* Nescio; nihil ad rem : arbitror enim vel illud te scire, si est inane, magis illud esse ubi nullum sit corpus. *R.* Hoc sane planum est. *A.* Quid igitur immoramur? *R.* An tibi aut veritas videtur fecisse inane, aut aliquid verum esse ubi veritas non sit? *A.* Non videtur. *R.* Non est ergo inane verum, quia neque ab eo quod inane non est, inane fieri potest : et quod veritate caret, verum non esse manifestum est; et omnino ipsum quod inane dicitur, ex eo quod nihil sit dicitur. Quomodo igitur potest verum esse quod non est? aut quomodo potest esse quod penitus nihil est? *A.* Age nunc, inane tanquam inane deseramus.

### CAPUT XVIII. — *An verum sit corpus.*

32. *R.* Quid de cæteris dicis? *A.* Quid [1]? *R.* Quod vides mihi plurimum suffragari. Restat enim animus et Deus, quæ duo si propterea vera sunt quod in his est veritas, de immortalitate Dei nemo dubitat. Animus autem immortalis creditur, si veritas quæ interire non potest, etiam in illo esse probatur. Quare jam illud ultimum videamus, utrum corpus non sit vere ve-

[1] Sic nostri Mss. Sic etiam Mss. Angl. At Lov. : *Si enim falsum est, non est : si est, non est falsum.*

[2] Sic melioris notæ Mss. At prius vulgati habent : *Nam si factum est, quomodo falsum est? Si non est factum, quomodo monstrum est?*

[1] Er. Ven. Lov. : *Quid nisi quod vides*, non interrupto sermone usque ad verba : *Unde scis.* M.

rum, id est non in eo sit veritas, sed quasi quædam imago veritatis. Nam si et in corpore, quod satis certum est recipere interitum, tale verum invenerimus, quale est in disciplinis, non continuo erit disputandi disciplina veritas, qua omnes veræ sunt disciplinæ. Verum est enim et corpus quod non videtur disputandi ratione esse formatum. Si vero et corpus imitatione aliqua verum est, et ob hoc non ad liquidum verum, nihil erit fortasse quod impediat disputandi rationem, quominus ipsa veritas esse doceatur. *A.* Interim quæramus de corpore ; nam ne hoc quidem cum constiterit, video istam controversiam terminatam. *R.* Unde scis quid velit Deus? Itaque attende : nam ego puto corpus aliqua forma et specie contineri, quam si non haberet, corpus non esset ; si veram haberet, animus esset. An aliter putandum est? *A.* Assentior in parte, de cætero dubito; nam, nisi teneatur aliqua figura, corpus non esse concedo. Quomodo autem, si eam veram haberet, animus esset, non satis intelligo. *R.* Nihilne tandem de primi libri exordio, et de illa tua geometrica recordaris? *A.* Bene commemorasti ; recordor prorsus, ac libentissime. *R.* Talesne in corporibus figuræ inveniuntur, quales illa disciplina demonstrat? *A.* Imo incredibile est quanto deteriores esse convincuntur. *R.* Quas ergo istarum veras putas? *A.* Ne quæso, etiam istuc me interrogandum putes. Quis enim mente tam cæcus est qui non videat, istas quæ in geometrica docentur, habitare in ipsa veritate, aut in his etiam veritatem; illas vero corporis figuras, siquidem quasi ad istas tendere videntur, habere nescio quam imitationem veritatis, et ideo falsas esse? Jam enim totum illud quod ostendere molicbaris intelligo.

CAPUT XIX. — *Veritas immortalis arguit animæ immortalitatem.*

33. *R.* Quid ergo jam opus est ut de disciplina disputationis requiramus? Sive enim figuræ geometricæ in veritate, sive in eis veritas sit, anima nostra, id est intelligentia nostra, contineri nemo ambigit, ac per hoc in nostro animo etiam veritas esse cogitur. Quod si quælibet disciplina ita est in animo, ut in subjecto inseparabiliter, nec interire veritas potest; quid, quæso, de animi perpetua vita, nescio qua mortis familiaritate dubitamus? An illa linea vel quadratura vel rotunditas habent alia quæ imitentur ut vera sint? *A.* Nullo modo id possum credere, nisi forte aliud sit linea quam longitudo sine latitudine, et aliud circulus quam linea circumducta undique ad medium æqualiter vergens. *R.* Quid ergo cunctamur? An ubi ista sunt, veritas non est? *A.* Avertat Deus amentiam. *R.* An disciplina non est in animo? *A.* Quis hoc dixerit? *R.* Sed forte potest, intereunte subjecto, id quod in subjecto est permanere? *A.* Quando mihi hoc persuadetur? *R.* Restat ut occidat veritas. *A.* Unde fieri potest? *R.* Immortalis est igitur anima : jamjam crede rationibus tuis, crede veritati ; clamat et in te esse habitare, et immortalem esse, nec sibi suam sedem quacumque corporis morte posse subduci. Avertere ab umbra tua, revertere in te ; nullus est interitus tuus, nisi oblitum te sese quod interire non possis. *A.* Audio, resipisco, recolere incipio. Sed, quæso, illa quæ restant expedias quomodo in animo imperito, non enim eum mortalem dicere possumus, disciplina et veritas esse intelligantur. *R.* Aliud ista quæstio volumen desiderat, si eam vis tractari diligenter : simul et illa quæ, ut potuimus, investigata sunt, recensenda tibi esse video ; quia si nihil eorum quæ concessa sunt dubium est, multum nos egisse arbitror, nec cum parva securitate cætera quærere.

CAPUT XX. — *Quædam vera credimus, quædam recordamur ; quædam nec sensu, nec phantasia, sed tantum ratione deprehenduntur.*

34. *A.* Ita est ut dicis, et obtempero præceptis tuis libens. Sed illud saltem impetrem, antequam terminum volumini statuas, ut quid intersit inter veram figuram, quæ intelligentia continetur, et eam quam sibi fingit cogitatio, quæ græce sive phantasia sive phantasma dicitur, breviter exponas. *R.* Hoc quæris quod videre nisi mundissimus non potest, et ad cujus rei visionem parum es exercitatus; neque nunc per istos circuitus aliud quam exercitationem tuam, ut illud videre sis idoneus, operamur : tamen interesse plurimum quomodo possit doceri, fortasse breviter planum facio. Fac enim te aliquid esse oblitum, aliosque te velle quasi in memoriam revocare. Dicunt ergo illi : Numquidnam hoc est, aut illud? diversa velut similia proferentes. Tu vero nec illud vides quod recordari cupis, et tamen vides non hoc esse quod dicitur. Numquidnam tibi cum hoc evenit, omni modo videtur oblivio? Nam ipsa discretio, qua non admittitur quod falso admoneris, pars quædam recordationis est. *A.* Ita videtur. *R.* Tales ergo nondum verum vident; falli tamen decipique non possunt; et quid quærant, satis norunt. At si tibi quispiam dicat te post paucos dies risisse quam natus es, non audes dicere falsum esse : et si auctor sit cui fides habenda est, non recordaturus, sed crediturus es; totum enim tempus illud validissima oblivione tibi sepultum est : an aliter putas? *A.* Prorsus consentio. *R.* Hæc igitur ab illa oblivione plurimum differt, sed illa media est. Nam est alia recordationi revisendæque veritati propior atque vicinior : cui simile est quando videmus aliquid, certoque recognoscimus id nos vidisse aliquando, atque nosse affirmamus; sed ubi, aut quando, aut quomodo, aut apud quem nobis in notitiam venerit, satagimus repetere atque recolere. Ut si de homine nobis contigerit, etiam quærimus ubi eum noverimus : quod cum ille commemoraverit, repente tota res memoriæ quasi lumen infunditur, nihilque amplius, ut reminiscamur, laboratur. An hoc genus ignotum tibi est, aut obscurum? *A.* Quid hoc planius? aut quid crebrius mihi accidere solet?

35. *R.* Tales sunt qui bene disciplinis liberalibus eruditi ; siquidem illas sine dubio in se oblivione obrutas eruunt discendo, et quodammodo refodiunt (*a*) : nec tamen contenti sunt, nec se tenent donec totam faciem veritatis, cujus quidam in illis artibus splen-

(*a*) 1 Retract., cap. 4, n. 4.

dor jam subrutilat, latissime atque plenissime intueantur. Sed ex his quidam falsi colores atque formæ, velut in speculum cogitationis se fundunt, falluntque inquirentes sæpe, ac decipiunt putantes illud totum esse quod norunt vel quod inquirunt. Ipsæ sunt illæ imaginationes magna cautione vitandæ; quæ deprehenduntur fallaces, cum cogitationis variato quasi speculo variantur, cum illa facies veritatis una et immutabilis maneat. Tum enim alterius atque alterius magnitudinis quadratum sibi cogitatio depingit, et quasi ante oculos præfert; sed mens interior quæ vult verum videre, ad illud se potius convertat, si potest, secundum quod judicat illa omnia esse quadrata. *A.* Quid, si nobis quispiam dicat secundum id eam judicare, quod videre oculis solet? *R.* Quare ergo judicat, si tamen bene erudita est, quantamvis pilam veram vera planitie puncto tangi? Quid tale unquam oculus vidit, aut videre potest, cum ipsa imaginatione cogitationis fingi quidquam hujusmodi non potest? Annon hoc probamus, cum etiam minimum circulum imaginando animo describimus, et ab eo lineas ad centrum ducimus? Nam cum duas duxerimus, inter quas quasi acu vix pungi possit, alias jam in medio non possumus ipsa cogitatione imaginaria ducere, ut ad centrum sine ulla commixtione perveniant; cum clamet ratio innumerabiles posse duci, nec sese in illis incredibilibus angustiis nisi centro posse contingere, ita ut in omni earum intervallo scribi etiam circulus possit. Hoc cum illa phantasia implere non possit, magisque quam ipsi oculi, deficiat, siquidem per ipsos est animo inflicta, manifestum est et multum eam differre a veritate, et illam, dum hæc videtur, non videri.

36. Hæc dicentur operosius atque subtilius, cum de intelligendo disserere cœperimus, quæ nobis pars proposita est, cum de animæ vita quidquid sollicitat, fuerit quantum valemus enucleatum atque discussum. Non enim credo te parum formidare ne mors humana, etiamsi non interficiat animam, rerum tamen omnium, et ipsius, si qua comperta fuerit, veritatis oblivionem inferat. *A.* Non potest satis dici quantum hoc malum metuendum sit. Qualis enim erit illa æterna vita, vel quæ mors non ei præponenda est, si sic vivit anima, ut videmus eam vivere in puero mox nato? ut de illa vita nihil dicam quæ in utero agitur; non enim puto esse nullam. *R.* Bono animo esto; Deus aderit, ut jam sentimus, quærentibus nobis, qui beatissimum quiddam post hoc corpus, et veritatis plenissimum sine ullo mendacio pollicetur. *A.* Fiat ut speramus.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTIBUS TRIBUS CONTRA ACADEMICOS LIBRIS.

Rectus ordo postulat, ut libri contra Academicos, qui primi omnium ab Augustino recensiti, et ante cæteros (excepto opere de Pulchro et Apto, qui fetus eo juniore editus statim intercidit) ab eo profecti sunt, huc in proprium locum restituantur. Nempe cum Academicorum contra veri perceptionem argumenta sanctus Doctor dudum imbibisset; ea tum etiam, cum veritatem Dei gratia fuisset assecutus, nonnullam ipsi molestiam facessebant: quibus diluendis, non modo privatim sedulis meditationibus insistere, sed etiam cum amicis disputationem habere animo destinavit. Hanc porro collationem per aliquot dies habitam tres in libros partitus est, et Romaniano suo concivi ac Mæcenati, eum ad philosophiæ studium adhortando, transmisit.

Liber primus congredientes inter se Licentium et Trygetium exhibet, hunc contra Academicos, illum pro Academicis disputantem: an beata vita in cognitione veri; an contra in sola illius investigatione sit collocanda. Ubi quid sit error, quid sapientia fuse explicatur.

In libro secundo S. Augustinus recenset placita Academicorum; prosequitur Alypius veterem inter novamque Academiam discrimina. Exploditur sententia horum philosophorum, qui cum verum haud posse deprehendi putarent, tamen veri simile sequi se profiterentur.

In tertio libro verum inveniri pro susceptis partibus diffitetur Alypius; probat Augustinus a sapiente cognosci, ut pote qui saltem sapientiam noverit. Hic ipse deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redarguit Academicorum effata: *Nihil percipi posse*, et, *Nulli rei debere assentiri*. Dicit demum videri sibi, Academicos non ita sensisse uti vulgo existimantur.

Scripsit hos libros initio suæ conversionis in agro Cassiciaco, *pauculis*, ut ait, *diebus transactis*, posteaquam ibi vivere cœpit (*Lib.* 1, *c.* 1, *n.* 4); adeoque sub finem anni 386; quo abdicata rhetoricæ professione illuc secessit, ut totus purgando animo vacaret, seseque ad sacrum Baptisma digne compararet. Consule annotationem in lib. 3, c. 20.

S. AUGUSTINUS, EPIST. 1, AD HERMOGENIANUM.

*Academicos ego ne inter jocandum quidem unquam lacessere auderem: quando enim me tantorum virorum non moveret auctoritas, nisi eos putarem longe in alia, quam vulgo creditum est, fuisse sententia? Quare potius eos imitatus sum quantum valui, quam expugnavi, quod omnino non valeo. Videtur enim mihi satis congruisse temporibus, ut si quid sincerum de fonte Platonico flueret, inter umbrosa et spinosa dumeta potius in pastionem paucissimorum hominum duceretur, quam per aperta manans, irruentibus passim pecoribus nullo modo posset liquidum purumque servari..... Hoc autem sæculo cum jam nullos videamus philosophos, nisi forte amiculo corporis, quos quidem haud*

*censuerim dignos tam venerabili nomine; reducendi mihi videntur homines, si quos Academicorum per verborum ingenium a rerum comprehensione deterruit sententia, in spem reperiendæ veritatis : ne id quod eradicandis altissimis erroribus pro tempore accommodatum fuit, jam incipiat inserendæ scientiæ impedimento esse..... Equidem quoquo modo se habeant illæ litteræ, non tam me delectat, quod, ut scribis, Academicos vicerim (scribis enim hoc amantius forte quam verius) ; quam quod mihi abruperim odiosissimum retinaculum, quo ab philosophiæ ubere desperatione veri, quod est animi pabulum, refrenabar.*

EX LIB. XV DE TRINITATE, CAP. XII.

*Adversus Academicos... qui nihil ab homine scire posse contendunt... sunt libri tres nostri, primo nostræ conversionis tempore conscripti : quos qui potuerit et voluerit legere, lectosque intellexerit, nihil eum profecto quæ ab eis contra perceptionem veritatis argumenta multa inventa sunt, permovebunt.* Vide lib. Enchirid. c. 20.

*Vide præterea librum* 1, *cap.* 1, Retractationum, *col.* 585-587, *a verbis,* Cùm ergo reliquissem, *n.* 1, *usque ad verba n.* 4, Hominem sibi aptum. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# CONTRA ACADEMICOS
## LIBRI TRES (a).

## *LIBER PRIMUS.*

Romanianus ad philosophiam incitatur proœmio libri hujus, in quo ejus filius Licentius cum Trygetio per tres disputationes congreditur. Ille pro Academicis beatam vitam ipsa inquisitione veri, hic contra nonnisi veri comprehensione constare propugnat. Venit in contentionem definitio erroris, necnon definitio sapientiæ, quæ luculenter explicatur.

CAPUT PRIMUM. — *Romanianum ad veram philosophiam cohortatur.*

1. O utinam, Romaniane, hominem sibi aptum ita vicissim virtus fortunæ repugnanti posset auferre, ut ab ea sibi auferri neminem patitur ! jam tibi profecto injecisset manum, suique juris te esse proclamans, et in bonorum certissimorum possessionem traducens, ne prosperis quidem casibus servire permitteret. Sed quoniam ita comparatum est, sive pro meritis nostris, sive pro necessitate naturæ (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 1, *n.* 2), ut divinum animum mortalibus inhærentem, nequaquam sapientiæ portus accipiat, ubi neque adversante fortunæ flatu, neque secundante moveatur; nisi eo illum fortuna ipsa, vel secunda, vel quasi adversa perducat : nihil pro te nobis aliud quam vota restant, quibus ab illo cui hæc curæ sunt Deo, si possumus, impetremus ut te tibi reddat; ita enim facile reddet et nobis; sinatque mentem illam tuam, quæ respirationem jamdiu parturit, aliquando in auras veræ libertatis emergere. Etenim fortasse quæ vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur; nihilque aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio et causa secreta est (*Ibid.*) : nihilque seu commodi seu incommodi contingit in parte, quod non conveniat et congruat universo. Quam sententiam uberrimarum divinarum oraculis editam, remotamque longissime ab intellectu profanorum, se demonstraturam veris amatoribus suis, ad quam te invito, philosophia pollicetur. Quamobrem, cum tibi tuo animo indigna multa accidunt; ne te ipse contemnas. Nam si divina providentia pertenditur usque ad nos, quod minime dubitandum est; mihi crede, sic tecum agi oportet ut agitur. Nam cum tanta, quantam semper admiror, indole tua, ab ineunte adolescentia adhuc infirmo rationis atque lapsante vestigio humanam vitam errorum omnium plenissimam ingredereris; excepit te circumfluentia divitiarum, quæ illam ætatem atque animum, quæ pulchra et honesta videbantur avide sequentem, illecebrosis cœperat absorbere gurgitibus, nisi inde te fortunæ illi flatus, qui putantur adversi, eripuissent pene mergentem.

2. An vero si edentem te munera ursorum [1] et nu quam ibi antea visa spectacula civibus nostris, th tricus plausus semper prosperrimus accepisset; si stultorum hominum, quorum immensa turba est, c flatis et consentientibus vocibus ferreris ad cœlum; nemo tibi auderet esse inimicus; si municipales ta-



(a) Scripti sub finem anni 386.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

His castigandis (libris) adhibiti sunt Mss. Germanensis, Michaelinus, Theodericensis, Albinensis, Casalensis, Victorini duo, Sorbonici tres, Regius, Vaticanus, Lectiones Belgicorum quatuor apud Lov. necnon editiones Bad. Am. Er. Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] Bad., *munera cursorum.* Sed alii Cdd. summo inter se consensu habent *ursorum.* Inusitatum quodpiam ludorum genus hic nominare voluit Augustinus. Ludos nempe, quia liberaliter populo munerum instar exhibebantur, munera vocabant. Hinc de ludis præstitis non male intelligitur concilii Eliberitani can. 3 : « Flamines qui non immolaverint : sed « munus tantum dederint, » etc.

bulæ te non solum civium, sed etiam vicinorum patronum ære signarent; collocarentur statuæ, influerent honores, adderentur etiam potestates, quæ municipalem habitum supercrescerent; conviviis quotidianis mensæ opimæ struerentur; quod cuique esset necesse, quod cujusque etiam deliciæ sitirent, indubitanter peteret, indubitanter hauriret, multa etiam non petentibus funderentur; resque ipsa familiaris diligenter a tuis fideliterque administrata, idoneam se tantis sumptibus paratamque præberet: tu interea viveres in ædificiorum exquisitissimis molibus, in nitore balnearum, in tesseris quas honestas non respuit, in venatibus, in conviviis, in ore clientium, in ore civium, in ore denique populorum humanissimus, liberalissimus, mundissimus, fortunatissimus, ut fuisti [1], jactareris: quisquam tibi, Romaniane, beatæ alterius vitæ, quæ sola beata est, quisquam, quæso, mentionem facere auderet? quisquam tibi persuadere posset, non solum te felicem non esse; sed eo maxime miserum, quo tibi minime videreris? Nunc vero quam te breviter admonendum tot et tanta, quæ pertulisti adversa fecerunt? Non enim tibi alienis exemplis persuadendum est quam fluxa et fragilia, et plena calamitatum sint omnia, quæ bona mortales putant; cum ita ex aliqua parte bene expertus sis, ut ex te cæteris persuadere possimus.

3. Illud ergo, illud tuum, quo semper decora et honesta desiderasti; quo te liberalem magis quam divitem esse maluisti; quo nunquam concupisti esse potentior quam justior, nunquam adversitatibus improbitatibusque cessisti: illud ipsum, inquam, quod in te divinum nescio quo vitæ hujus somno veternoque sopitum est, variis illis durisque jactationibus secreta providentia excitare decrevit. Evigila, evigila, oro te; multum, mihi crede, gratulaberis quod pene nullis prosperitatibus quibus tenentur incauti, mundi hujus tibi dona blandita sunt: quæ meipsum capere molibantur quotidie ista cantantem, nisi me pectoris dolor ventosam professionem abjicere et in philosophiæ gremium confugere coegisset. Ipsa me nunc in otio, quod vehementer optavimus, nutrit ac fovet: ipsa me penitus ab illa superstitione, in quam te mecum præcipitem dederam, liberavit (*a*). Ipsa enim docet, et vere docet nihil omnino colendum esse, totumque contemni oportere, quidquid mortalibus oculis cernitur, quidquid ullus sensus attingit (*Lib.* I *Retract.*, *c.* 1, *n.* 2). Ipsa verissimum et secretissimum Deum perspicue se demonstraturam promittit, et jam jamque quasi per lucidas nubes ostentare dignatur.

4. In hac mecum studiosissime vivit noster Licentius: ad eam totus a juvenilibus illecebris voluptatibusque conversus est, ita ut eum non temere patri audeam imitandum proponere. Philosophia est enim, a cujus uberibus se nulla ætas queretur [1] excludi; ad quam avidius retinendam et hauriendam quo te incitarem, quamvis tuam sitim bene noverim, gustum tamen mittere volui, quem tibi suavissimum, et, ut ita dicam, inductorium fore, peto ne frustra speraverim. Nam disputationem quam inter se Trygetius et Licentius habuerunt, relatam in litteras, tibi misi. Illum enim quoque adolescentem, quasi ad detergendum fastidium disciplinarum aliquantum sibi usurpasset militia, ita nobis magnarum honestarumque artium ardentissimum edacissimumque restituit. Pauculis igitur diebus transactis, posteaquam in agro vivere cœpimus, cum eos ad studia hortans atque animans, ultra quam optaveram paratos et prorsus inhiantes viderem, volui tentare pro ætate quid possent: præsertim cum Hortensius liber Ciceronis jam eos ex magna parte conciliasse philosophiæ videretur. Adhibito itaque notario, ne auræ laborem nostrum discerperent, nihil perire permisi. Sanein hoc libro res et sententias illorum, mea vero et Alypii etiam verba lecturus es.

DISPUTATIO PRIMA.

## CAPUT II. — *An ad beatam vitam necessaria sit veri comprehensio, an sola ejus inquisitio.*

5. Cum igitur omnes hortatu meo unum in locum ad hoc congregati essemus, ubi opportunum visum est: Numquidnam dubitatis, inquam, verum nos scire oportere? Minime, ait Trygetius: cæterique se vultu ipso approbasse significaverunt. Quid si, inquam, etiam non comprehenso vero beati esse possumus; necessariam veri comprehensionem arbitramini? Hic Alypius: Hujus quæstionis, inquit, judicem me tutius puto. Cum enim iter mihi in urbem sit constitutum, oportet me onere alicujus suscipiendæ partis relevari; simul quod facilius judicis partes, quam cujusquam defensoris, cuipiam delegare possim. Quare dehinc pro alterutra parte ne a me quidquam exspectetis. Quod ei cum concessum esset ab omnibus, et ego rogationem repetissem: Beati certe, inquit Trygetius, esse volumus; et si ad hanc rem possumus absque veritate pervenire, quærenda nobis veritas non est. Quid hoc ipsum, inquam? Existimatisne beatos nos esse posse, etiam non inventa veritate? Tunc Licentius: Possumus, inquit, si verum quæramus. Hic cum ego cæterorum sententiam nutu flagitassem: Movet me, inquit Navigius (*a*), quod a Licentio dictum est. Potest enim fortasse hoc ipsum esse beate vivere, in veritatis inquisitione vivere. Defini ergo, ait Trygetius, quid sit beata vita, ut ex eo colligam quid respondere conveniat. Quid censes, inquam, esse aliud beate vivere, nisi secundum id quod in homine optimum est, vivere? Temere, inquit, verba non fundam: nam id ipsum optimum quid sit, definiendum mihi abs te puto. Quis, inquam, dubitaverit, nihil aliud esse hominis optimum, quam eam partem animi, cui dominanti obtemperare convenit cætera quæque in ho-

[1] In Mss. aliquot vetustis, et in Bad. Am. Er. deest *ut fuisti*. In aliis septem Mss. substituitur *ut suesti*; quæ lectio forte hoc verior est, quo ab usu vulgato remotior.

(*a*) Erat haud dubie Romanianus ex eorum numero, quos in Manichæorum hæresim secum pertraxisse deflet Augustinus lib. 4 Conf. c. 1. Verum is quoque ad sanam fidem aliquando se recepit: quippe qui Augustinum semper coluit immense, et nuncupatum sibi ab ipso librum de Vera Religione, aliaque ipsius scripta in magno pretio habuit; ac demum per litteras a Paulino Nolensi episcopo, qui panes eulogiarum nomine eidem mittit, tractatur honorificentissime, atque ut vir plane christianus catholicus.

[1] *Queritur*, juxta Lov. M

(*a*) Augustini frater.

mine sunt? Hæc autem, ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest (*Lib. 1 Retract., cap. 1, n. 2*). Quod si tibi non videtur, quære quomodo ipse definias vel beatam vitam, vel hominis optimum. Assentior, inquit.

6. Quid ergo? ut ad propositum, inquam, redeamus; videturne tibi non invento vero beate posse vivi, si tantum quæratur? Repeto, inquit, sententiam illam meam: Minime videtur. Vos, inquam, quid opinamini? Tum Licentius: Mihi prorsus, inquit, videtur: nam majores nostri, quos sapientes beatosque accepimus, eo solo quod verum quærebant, bene beateque vixerunt. Ago gratias, inquam, quod cum Alypio me judicem fecistis, cui, fateor, invidere jam cœperam. Quoniam igitur alteri vestrum videtur beatam vitam sola investigatione veritatis; alteri, non nisi inventione posse contingere; Navigius autem paulo ante ostendit in tuam, Licenti, partem se velle transire: magnopere exspecto quales sententiarum vestrarum patroni esse possitis. Res enim magna est, et diligenti discussione dignissima. Si res magna est, ait Licentius, magnos viros desiderat. Noli quærere, inquam, præsertim in hac villa, quod ubivis gentium reperire difficile est: sed potius explica, cur id quod abs te non temere, ut opinor, prolatum est, et qua tibi ratione videatur: nam et maximæ res, cum a parvis quæruntur, magnos eos solent efficere.

CAPUT III. — *Beatitatem in investigatione veri sitam esse pro Academicis propugnatur.*

7. Quoniam te, inquit, video magnopere nos urgere, ut adversum invicem disputemus, quod te utiliter velle confido; quæro cur beatus esse non possit, qui verum quærit, etiamsi minime inveniat? Quia beatum, inquit Trygetius, volumus esse perfectum in omnibus sapientem. Qui autem adhuc quærit, perfectus non est. Hunc igitur quomodo asseras beatum, omnino non video. Et ille: Potest apud te, inquit, vivere [1] auctoritas majorum? Non omnium, inquit Trygetius. Quorum tandem? Ille: Eorum scilicet, qui sapientes fuerunt. Tum Licentius: Carneades, inquit, tibi sapiens non videtur? Ego, ait, græcus non sum; nescio Carneades iste qui fuerit. Quid, inquit Licentius, de illo nostro Cicerone, quid tandem existimas? Hic cum diu tacuisset: Sapiens fuit, inquit. Et ille: Ergo ejus de hac re sententia habet apud te aliquid ponderis? Habet, inquit. Accipe igitur quæ sit, nam eam tibi excidisse arbitror. Placuit enim Ciceroni nostro, beatum esse qui veritatem investigat, etiamsi ad ejus inventionem non valeat pervenire. Ubi hoc, inquit, Cicero dixit? Et Licentius: Quis ignorat eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse; nihilque remanere sapienti, nisi diligentissimam inquisitionem veritatis: propterea quia si incertis rebus esset assensus, etiam si fortasse veræ forent, liberari ab errore non posset? quæ maxima est culpa sapientis. Quamobrem si et sapientem necessario beatum esse credendum est, et veritatis sola inquisitio perfectum sapientiæ munus est; quid dubitamus existimare beatam vitam, etiam per se ipsa investigatione veritatis posse contingere?

8. Tum ille: Licetne tandem ad ea quæ temere concessa sunt, redire rursum? Hic ego: Illi hoc non solent concedere, inquam, quos ad disputandum non inveniendi veri cupiditas, sed ingenii puerilis jactantia impellit. Itaque apud me, præsertim cum adhuc nutriendi educandique sitis, non solum conceditur, sed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos discutienda redire oportere, quæ concesseritis incautius. Et Licentius: Non parvum in philosophia profectum puto, inquit, cum in comparatione recti verique inveniendi contemnitur a disputante victoria. Itaque libenter obsequor præceptis et sententiæ tuæ, et Trygetium ad id quod se temere concessisse arbitratur, res enim mei juris est, redire permitto. Tum Alypius: Suscepti a me officii nondum partes esse, vosmetipsi mecum recognoscitis. Sed quoniam id jamdudum disposita profectio interrumpere me compellit, pro meo quoque munere geminatam sibi potestatem particeps mecum judicii non renuet usque in reditum meum: video enim hoc vestrum certamen longius progressurum. Et cum discessisset: Quod [1], inquit Licentius, temere concesseras, profer. Et ille: Temere dedi, inquit, Ciceronem fuisse sapientem. Ergone Cicero sapiens non fuit, a quo in latina lingua philosophia et inchoata est, et perfecta? Etsi concedam, inquit, esse sapientem, non omnia tamen ejus probo. Atqui oportet multa ejus alia refellas, ut non impudenter hoc de quo agitur, improbare videaris. Quid si hoc solum non recte sensisse illum affirmare paratus sum? Vestra, ut opinor, nihil interest, nisi cujus [2] ponderis ad id quod volo asserendum, rationes afferam. Perge, inquit ille. Quid enim, inquit, audeam contra eum, qui se Ciceronis adversarium profitetur?

9. Hic Trygetius: Volo attendas, ait, tu judex noster, quemadmodum superius beatam vitam definieris: dixisti namque cum beatum esse, qui secundum eam partem animi vivit, quam cæteris convenit imperare. Tu autem, Licenti, volo vel nunc mihi concedas (jam enim libertate, in quam maxime nos vindicaturam se philosophia pollicetur, jugum illud auctoritatis excussi), perfectum non esse qui adhuc veritatem requirat. Tum ille post diuturnum silentium: Non concedo, inquit. Et Trygetius: Cur, quæso? explica. Isthic sum enim, et aveo audire, quo pacto possit et perfectus homo esse, et adhuc quærere veritatem. Hic ille: Qui ad finem inquit, non pervenit, fateor quod perfectus non sit. Veritatem autem illam solum Deum nosse arbitror, aut forte hominis animam, cum hoc corpus, hoc est tenebrosum carcerem, dereliquerit. Hominis autem finis est, perfecte quærere veritatem: perfectum enim quærimus, sed tamen hominem. Et Trygetius: Non igitur potest beatus esse homo. Quomodo enim; cum id quod magnopere concupiscit, assequi

Sex Mss., *vincere*. — Sic etiam Er. et Ven. M.

[1] In B.: *Et cum discessit: Quid*. Par. Er. Ven. Lov., *et cum discessisset: Quod*. M.

[2] Ita Mss. At in excusis legitur, *nisi alicujus ponderis*.

nequeat? Potest autem homo beate vivere, siquidem potest secundum eam partem animi vivere quam dominari in homine fas est. Potest[1] igitur verum invenire. Aut colligat se, et non concupiscat verum, ne cum id assequi non potuerit, necessario miser sit. At hoc ipsum est beatum hominis, ait ille, perfecte quærere veritatem : hoc est enim pervenire ad finem, ultra quem non potest progredi. Quisquis ergo minus instanter quam oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit : quisquis autem tantum quantum homo potest ac debet, dat operam inveniendæ veritati, is etiamsi eam non inveniat, beatus est; totum enim facit, quod ut faciat, ita natus est. Inventio autem si defuerit, id deerit quod natura non dedit. Postremo cum hominem necesse sit aut beatum esse aut miserum, nonne dementis est eum qui dies noctesque quantum potest instat investigandæ veritati, miserum dicere? Beatus igitur erit. Deinde illa definitio mihi, ut arbitror, uberius suffragatur : nam si beatus est, sicuti est, qui secundum eam partem animi vivit, quam regnare cæteris convenit, et hæc pars ratio dicitur; quæro utrum non secundum rationem vivat, qui quærit perfecte veritatem? Quod si absurdum est, quid dubitamus beatum hominem dicere sola ipsa inquisitione veritatis?

### CAPUT IV. — *Quid sit error.*

10. Mihi, ait ille, nec secundum rationem vivere, nec beatus omnino, quisquis errat videtur. Errat autem omnis qui semper quærit nec invenit. Unde tibi unum jam e duobus monstrandum est : aut errantem beatum esse posse; aut eum qui quod quærit nunquam invenit, non errare. Hic ille : Beatus errare non potest. Et cum diu siluisset : Non autem errat, inquit, cum quærit; quia ut non erret, perfecte quærit. Et Trygetius : Ut non erret quidem, inquit, quærit; sed errat, cum minime invenit. Ita autem tibi profuturum putasti, quod errare ille non vult, quasi nemo erret invitus, aut quisquam omnino erret, nisi invitus. Tum ego, cum ille diu cunctaretur quid responderet : Definiendum vobis est, inquam, quid sit error : facilius enim ejus fines potestis videre, in quem jam penitus ingressi estis. Ego, inquit Licentius, definire aliquid idoneus non sum : quamvis errorem definire sit facilius quam finire. Ego, ait ille, definiam; quod mihi facillimum est, non ingenio, sed causa optima. Nam errare est utique semper quærere, nunquam invenire. Ego, inquit Licentius, si vel istam definitionem facile possem refellere, jamdudum causæ meæ non defuissem. Sed quoniam aut res ipsa per se ardua est, aut ita mihi apparet; peto a vobis ut usque in crastinam lucem quæstio differatur, si nihil hodie quod respondeam, reperire potuero, cum id sedulo mecum ipse volvam. Quod cum concedendum putarem, non renuentibus cæteris, deambulatum ire surreximus : nobisque inter nos multa variaque sermocinantibus, ille in cogitatione defixus fuit. Quod cum frustra esse sensisset, relaxare animum maluit, et nostro se sermoni miscere. Postea cum jam advesperasceret, in eumdem conflictum redierant : sed modum imposui, persuasique ut in alium diem differri paterentur. Inde ad balneas.

[1] Par., *aut potest igitur verum invenire : aut colligat.* M.

### DISPUTATIO SECUNDA.

11. Postridie autem cum consedissemus : Proferte, inquam, quod heri cœperatis. Tum Licentius : Distuleramus, inquit, disputationem, nisi fallor, rogatu meo, cum erroris definitio difficillima mihi esset. Hic plane, inquam, non erras, quod ut tibi omen sit ad reliqua, libenter optaverim (*Lib.* 1 *Retract.*, *c.* 1, *n.* 2). Audi ergo, inquit, quod heri etiam nisi intercessisses, protulissem. Error mihi videtur esse falsi pro vero approbatio; in quem nullo pacto incidit, qui veritatem quærendam semper existimat : falsum enim probare non potest, qui probat nihil; non igitur potest errare. Beatus autem facillime esse potest : nam, ne longius abeam, si nobis ipsis, ut heri licuit, quotidie vivere liceret; nihil mihi occurrit cur nos beatos appellare dubitaremus. Viximus enim magna mentis tranquillitate, ab omni corporis labe animum vindicantes, et a cupiditatum facibus longissime remoti, dantes, quantum homini licet, operam rationi; hoc est, secundum illam divinam partem animi viventes, quam beatam vitam esse hesterna inter nos definitione convenit : atque, ut opinor, nihil invenimus, sed tantummodo quæsivimus veritatem. Potest igitur sola inquisitione veritatis, etiamsi eam invenire minime possit, homini beata vita contingere. Nam definitio tua vide quanta facilitate excludatur notione communi. Etenim errare dixisti esse, Semper quærere, et nunquam invenire. Quid si quisquam nihil quærat, et interrogatus, verbi gratia, utrumnam modo dies sit, temere statimque noctem esse opinetur atque respondeat? nonne tibi videtur errare? Hoc igitur erroris genus vel immanissimum, non complexa est definitio tua. Quid si etiam non errantes complexa est, potestne definitio ulla esse vitiosior? Nam si quis Alexandriam quærat, et ad eam recto pergat itinere; non, opinor, potes eum errantem vocare. Quid si eamdem viam, variis impeditus causis, longo agat tempore, et in ea morte præveniatur; nonne et semper quæsivit, et nunquam invenit, nec erravit tamen? Non, inquit ille, semper quæsivit.

12. Recte dicis, ait Licentius, et bene admones. Inde enim prorsus nihil ad rem pertinet definitio tua : non enim ego beatum esse dixi, qui semper quærat veritatem. Quod ne fieri quidem potest : primo, quia non semper homo est; deinde, quia non ex quo tempore incipit esse homo, eo jam potest, ætate impediente, verum quærere. Aut si semper id putas dicendum, si nihil temporis quo jam quærere potest, perire patitur; rursus tibi Alexandriam redeundum est. Fac enim quemquam, ex quo tempore iter agere vel ætate vel negotio sinitur, pergere occipere illam viam, atque, ut supra dixi, cum deviet nusquam, antequam perveniat tamen vita excedere; multum profecto errabis, si tibi errasse iste videbitur, quamvis omni quo potuit tempore, nec quærere desierit, nec invenire potuerit quo pergebat. Quamobrem si et mea descriptio vera est, et secundum eam non errat ille

qui perfecte quærit, quamvis non inveniat veritatem, beatusque est ob eam rem, quod secundum rationem vivit; tua vero definitio et frustrata est, et si non esset, nihil eam curare deberem, si ex eo solum quod ego definivi, satis causa firmata est: cur, quæso, nondum est ista inter nos quæstio dissoluta?

CAPUT V. — *Quidnam sit sapientia.*

13. Hic Trygetius: Dasne, inquit, sapientiam rectam viam vitæ esse? Do, inquit, sine dubio: sed tamen volo mihi sapientiam definias, ut sciam utrum quæ mihi, eadem tibi esse videatur. Et ille: Parum tibi, ait, videtur definita hoc ipso quod nunc interrogatus es? Etiam quod volui concessisti. Si enim non fallor, non falso recta via vitæ sapientia nominatur. Tum Licentius: Nihil mihi tam ridiculum, quam ista definitio videtur, inquit. Fortasse, ait ille: pedetentim tamen quæso, ut ratio præveniat risum tuum: nihil enim est fœdius risu irrisione dignissimo. Quid enim, ait ille, nonne fateris vitæ mortem esse contrariam? Fateor, ait. Mihi igitur, inquit ille, via vitæ nulla magis videtur, quam ea qua quisque pergit, ne in mortem incidat. Assentiebatur Trygetius. Ergo si viator quispiam diverticulum vitans, quod a latronibus obsideri audierit, recta ire pergat, atque ita evadat interitum; nonne et viam vitæ, et rectam secutus est; et eam sapientiam nominat nemo? Quomodo igitur omnis recta vitæ via sapientia est? Concessi enim esse, sed non solam. Definitio autem nihil comprecti debuit, quod esset alienum. Itaque rursus defini, si placet, quid tibi videtur esse sapientia.

14. Diu ille tacuit; deinde: En, inquit, iterum definio, si hoc tu nunquam finire statuisti. Sapientia est via recta, quæ ad veritatem ducat. Similiter et hoc, inquit ille, refellitur: nam dum apud Virgilium Æneæ dictum est a matre:

Perge modo, et qua te ducit via dirige gressum.
(*Æneid.* 1, 400.)

sequens hanc viam ad id quod dictum erat, id est ad verum, pervenit. Contende, si placet, ubi pedem ille incedens posuit, sapientiam posse dici: quanquam stulte prorsus istam descriptionem tuam effringere conor; nam causam meam nulla plus adjuvat. Etenim sapientiam non ipsam veritatem, sed viam quæ ad eam ducat, esse dixisti. Quisquis ergo hac utitur via, sapientia profecto utitur; et qui sapientia utitur, sapiens sit necesse est: sapiens igitur erit ille, qui perfecte quæsierit veritatem, etiamsi ad eam nondum pervenerit. Nam via quæ ducit ad veritatem, nulla, uti opinor, intelligitur melius quam diligens inquisitio veritatis. Hac igitur sola via utens, jam iste sapiens erit: at nemo sapiens miser; omnis autem homo aut miser, aut beatus: beatum igitur faciet non tantum inventio, sed ipsa per se investigatio veritatis.

15. Tum ille arridens: Merito mihi, inquit, ista contingunt, dum adversario in re non necessaria fidenter assentior: quasi vero ego sim magnus definitor, aut quidquam in disputando magis supervacaneum putem. Quis enim modus erit, si ego rursus velim definiri abs te aliquid, et rursus ejusdem definitionis verba, et consequentium item singillatim omnia, fingens quod nihil intelligam, definiri flagitem? Nam quid planissimum non meo jure definiri cogam, si jure a me sapientiæ definitio postulatur? Cujus enim verbi in animis nostris apertiorem notionem natura esse voluit quam sapientiæ? Sed nescio quomodo, cum mentis nostræ veluti portum notio ipsa reliquerit, et verborum sibi quasi vela tetenderit, occurrant[1] statim calumniarum mille naufragia. Quamobrem aut definitio sapientiæ ne requiratur, aut judex noster in ejus patrocinium dignetur descendere. Tum ego, cum jam stilum nox impediret, et quasi de integro magnum quiddam disserendum viderem oboriri, in alium diem distuli: nam disputare cœperamus sole jam in occasum declinante, diesque pene totus cum in rebus rusticis ordinandis, tum in recensione primi libri Virgilii peractus fuit.

DISPUTATIO TERTIA.

CAPUT VI. — *Sapientiæ definitio datur et impugnatur. Albicerii divinationes.*

16. Deinde mox ut illuxit, ita enim res erant pridie constitutæ ut largum esset otium, statim peragendum negotium susceptum est. Tum ego: Heri postulasti, inquam, Trygeti, ut a judicis munere ad sapientiæ patrocinium descenderem: quasi vero quemquam in sermone vestro adversarium sapientia pateretur; aut ullo defendente ita laboraret, ut majus implorare deberet auxilium. Nam neque inter vos aliud quærendum natum est, quam quid sit sapientia; in quo eam vestrum neuter oppugnat, quia uterque desiderat. Neque si tu in definienda sapientia defecisse te putas, propterea reliqua defensio sententiæ tuæ tibi deserenda est. Itaque a me nihil aliud habebis quam definitionem sapientiæ, quæ nec mea nec nova est, sed et priscorum hominum, et quam vos mirer non recordari. Non enim nunc primum auditis, Sapientiam esse rerum humanarum divinarumque scientiam.

17. Hic Licentius, quem post istam definitionem diu putabam quæsiturum esse quod diceret, subjecit statim: Cur ergo non, quæso, sapientem vocamus flagitiosissimum illum hominem, quem ipsi bene novimus per innumera scorta solere dissolvi; Albicerium dico illum, qui apud Carthaginem multos annos consulentibus mira quædam et certa respondit? Innumerabilia commemorare possem, nisi et apud eos loquerer qui experti sunt, et paucis nunc satis sit ad id quod volo. Nonne cochlearium (mihi autem dicebat) cum domi non inveniretur; tuo jussu percontatus, non solum quid quæreretur, verum etiam nominatim cujus res esset, et ubi lateret, citissime verissimeque respondit? Item me præsente, omitto illud quod in eo quod rogabatur nihil omnino falsus est, sed cum puer qui nummos ferebat, certam eorum partem, cum ad eum pergeremus, furatus esset; omnes sibi numerari jussit, coegitque illum ante oculos nostros quos abstulerat reddere, priusquam omnino ipse aut eosdem nummos vidisset, aut quantum sibi allatum fuerit audisset e nobis.

[1] In B., *occurrent*. Par. Er. Ven. Lov., *occurrant*. M.

18. Quid quod doctissimum et clarissimum virum Flaccianum mirari solitum esse abs te accepimus? qui cum de fundo emendo esset locutus, ad illum divinum rem ita detulit, ut quid egisset, si potis esset, ediceret. Atque ille statim non modo negotii genus, sed etiam, in quo ille vehementer clamabat admirans, ipsum fundi nomen pronuntiavit, cum ita esset absurdum, ut vix ejus Flaccianus ipse meminisset. Jam illud sine stupore animi non queo dicere, quod amico nostro discipulo tuo sese volenti exagitare, flagitantique insolenter, ut diceret quid secum ipse tacitus volveret; Virgilii versum eum cogitare respondit. Cum ille obstupefactus negare non posset, perrexit quærere quisnam versus esset. Nec Albicerius, qui grammatici scholam vix transiens vidisset aliquando, versum ipsum securus et garrulus canere dubitavit. Num igitur aut res humanæ non erant, de quibus ille consulebatur; aut sine rerum divinarum scientia, tam certa consulentibus et vera respondit? At utrumque absurdum est. Nam et humanæ res nihil sunt aliud quam res hominum; ut argentum, nummi, fundus, postremo ipsa etiam cogitatio: et res divinas quis non recte arbitretur esse, per quas homini divinatio ipsa contingit? Sapiens ergo fuit Albicerius, si sapientiam rerum humanarum divinarumque scientiam illa definitione concedimus.

CAPUT VII. — *Vindicatur data sapientiæ definitio.*

19. Hic ille: Primo, inquit [1], ego scientiam non appello, in qua ille qui eam profitetur, aliquando fallitur. Scientia enim non solum comprehensis, sed ita comprehensis rebus constat, ut neque in ea quis unquam errare, nec quibuslibet adversantibus impulsus nutare debeat. Unde verissime a quibusdam philosophis dicitur, in nullo eam posse nisi in sapiente inveniri; qui non modo perceptum habere debet id quod tuetur ac sequitur, verum etiam inconcussum tenere. Scimus autem illum quem commemorasti, multa sæpe falsa dixisse: quod non solum aliis mihi referentibus comperi, sed præsens aliquando ipse percepi. Eumne igitur scientem vocem, cum sæpe falsa dixerit; quem non vocarem, si cunctanter [2] vera dixisset? Hoc me de aruspicibus et de auguribus, et de his omnibus qui sidera consulunt, et de conjectoribus somniorum dixisse putatote. Aut aliquem ex hoc genere hominum proferte, si potestis, qui consultus, nunquam de responsis suis dubitaverit, nunquam postremo falsa responderit. Nam de vatibus nihil mihi puto esse laborandum, qui mente loquuntur aliena.

20. Deinde res humanas esse ut concedam res hominum, quidquam tu existimas nostrum esse, quod nobis vel dare vel eripere casus potest? Aut cum rerum humanarum scientia dicitur, ea dicitur, qua quisquam novit vel quot, vel quales fundos habeamus; quid auri, quid argenti, quidque denique alienorum carminum cogitemus? Illa est humanarum rerum scientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, justitiæ sanctitatem. Hæc enim sunt, quæ nullam fortunam metuentes vere nostra dicere audemus: quæ si Albicerius ille didicisset, nunquam, mihi crede, tam luxuriose deformiterque vixisset. Quod autem dixit, quem versum volveret animo ille a quo consulebatur; neque hoc puto inter res nostras esse numerandum: non quo negem honestissimas disciplinas ad possessionem quamdam nostri animi pertinere, sed quia versum alienum etiam imperitissimis canere ac pronuntiare concessum est. Ideoque talia cum in memoriam nostram incurrerint, non mirum est, si sentiri possunt ab hujus aeris animalibus quibusdam vilissimis, quos dæmonas vocant, a quibus nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo, ratione autem nego; atque id fieri nescio quo modo secretissimo atque a nostris sensibus remotissimo. Non enim, si miramur apiculam melle posito, nescio qua sagacitate qua hominem vincit, unde advolare; ideo eam nobis præponere, aut saltem comparare debemus.

21. Itaque vellem magis iste Albicerius, ab eo qui discere cuperet, interrogatus ipsa metra docuisset; vel coactus a quopiam consultorum, de re sibi statim proposita versus proprios cecinisset. Quod eumdem Flaccianum sæpe dixisse soles commemorare, cum illud divinationis genus magna mentis altitudine derideret atque despiceret, idque nescio cui abjectissimæ animulæ, sic enim dicebat, tribueret, quo ille quasi spiritu admonitus vel inflatus hæc respondere solitus esset. Quærebat enim vir ille doctissimus ab iis qui talia mirarentur, num grammaticam vel musicam vel geometriam [1] Albicerius posset docere? Quis autem illum nosset, et non istorum *omnium imperitissimum* fateretur? Quamobrem ad extremum hortabatur, ut animos suos ii qui talia didicissent, illi divinationi sine dubitatione præferrent, darentque operam his disciplinis instruere atque adminiculari suam mentem, quibus aeriam istam invisibilium animantium naturam transilire, et eam supervolare contingeret.

CAPUT VIII. — *Hariolus an sapiens, et quid sit sapiens. Sapientiæ descriptio tuendæ Academicorum opinioni accommodata.*

22. Jam res divinæ cum, omnibus concedentibus, meliores augustioresque multo quam humanæ sint; quo pacto ille eas assequi poterat, qui quid esset ipse, nesciebat? Nisi forte existimas sidera, quæ quotidie contemplamur, magnum quiddam esse in comparatione verissimi et secretissimi Dei, quem raro fortasse intellectus, sensus autem nullus attingit: hæc autem præsto sunt oculis nostris. Nec ista igitur sunt illa divina, qualia se sola scire sapientia profitetur: cætera autem quibus isti, nescio qui divinantes, vel ad vanam jactantiam, vel ad quæstum abutuntur, præ sideribus

[1] Victorini Cdd. cum aliis tribus Mss. habent: *Hic ego: Primo, inquam, scientiam*, etc., mendose, ut satis intelligitur ex postremo capite, ubi hæc responsio non obscure Trygetio attribuitur.

[2] In prius excusis, *constanter*. In quinque Mss., *incunctanter*. In aliis sex optimæ notæ legitur *cunctanter*, et melius. Trygetius quippe hic Albicerium et ejus generis homines non vult appellari scientes, quod eorum nullus sit, *qui consultus nunquam de responsis suis dubitaverit, nunquam postremo falsa responderit.*

[1] In B., *geometricam*, Par. Er. Ven. Lov., *geometriam*. M.

profecto viliora sunt. Non igitur Albicerius rerum humanarum ac divinarum scientiæ particeps fuit, frustraque abs te isto modo definitio nostra tentata est. Postremo cum quidquid præter res humanas atque divinas est, nos vilissimum ducere et omnino contemnere oporteat; quæro in quibus rebus quærat ille tuus sapiens veritatem? In divinis, ait ille : nam virtus etiam in homine sine dubitatione divina est. Has igitur Albicerius jam sciebat, quas tuus sapiens semper inquiret? Tum Licentius : Divinas, ait, et ille noverat, sed non eas quæ a sapiente quærendæ sunt. Quis enim non evertat omnem loquendi consuetudinem, si ei divinationem concedat, adimat [1] res divinas, e quibus divinatio nominata est? Quare illa vestra definitio, ni fallor, nescio quid aliud quod ad sapientiam non pertineret, inclusit.

23. Tum Trygetius : Definitionem istam, inquit, defendet, si libebit, ille qui protulit. Nunc mihi tu volo respondeas, ut tandem ad id quod agitur, veniamus. Isthic sum, inquit ille : Dasne, ait, Albicerium scisse verum? Do, inquit. Melior igitur tuo sapiente. Nullo modo, ait ille : nam quod genus veri sapiens inquirit, non solum ille delirus hariolus, sed ne ipse quidem sapiens dum in hoc corpore vivit, assequitur : quod tamen tantum est, ut multo sit præstabilius hoc semper quærere, quam illud aliquando invenire. Necesse est, ait Trygetius, ut mihi in angustiis definitio illa subveniat. Quæ si propterea tibi vitiosa visa est, quia complexa est eum quem non possumus vocare sapientem; quæro utrum eam probes, si sapientiam rerum humanarum divinarumque scientiam dicamus, sed earum quæ ad beatam vitam pertineant. Est, inquit ille, et ista sapientia, sed non sola : unde superior definitio invasit alienum, hæc autem proprium deseruit : quare illa avaritiæ, ista stultitiæ coargui potest. Etenim ut ipse jam explicem definitione quod sentio, sapientia mihi videtur esse rerum humanarum divinarumque, quæ ad beatam vitam pertineant, non scientia solum, sed etiam diligens inquisitio. Quam descriptionem si partiri velis, prima pars quæ scientiam tenet, Dei est; hæc autem quæ inquisitione contenta est, hominis. Illa igitur Deus, hac autem homo beatus est. Tum ille : Miror, inquit, sapientem tuum quomodo asseras [2] frustra operam consumere. Quomodo, inquit Licentius, frustra operam consumere [3], cum tanta mercede conquirat? Nam hoc ipso quo quærit, sapiens est; et quo sapiens, eo beatus : cum ab omnibus involucris corporis mentem quantum potest, evolvit, et scipsum in semetipsum colligit; cum se non permittit cupiditatibus laniandum, sed in se atque in Deum semper tranquillus intenditur : ut et hic, quod beatum esse supra inter nos convenit, ratione perfruatur; et extremo die vitæ ad id quod concupivit adipiscendum reperiatur paratus; fruaturque merito divina beatitudine, qui humana sit ante perfructus [4].

[1] *Et adimat*, juxta Par. Er. Ven. Lov. M.
[2] *Asseris*, juxta Par. Ven. Lov. M.
[3] Editi omittunt hic loci, *operam consumere :* et mox habent, *cum tantam mercedem conquirat;* excepto Bad., qui cum Mss. præfert, *tanta mercede.* — Sic etiam Par. M.
[4] Ita in Mss., pro quo in Edd. *perfruitus.*

## CAPUT IX. — *Epilogus.*

24. Tum ego, cum Trygetius quid sibi esset respondendum diu quæreret : Non puto, inquam, Licenti, etiam argumenta huic defutura, si eum otiose quærere permittamus : quid enim ei quovis loco defuit ad respondendum? Nam primo ipse intulit, quoniam de beata vita quæstio nata est, et beatum solum necesse est esse sapientem, siquidem stultitia etiam stultorum judicio misera est; perfectum sapientem esse debere, non autem perfectum esse, qui adhuc verum quid sit inquirit; unde ne beatum quidem. Cui loco tu cum molem auctoritatis objiceres, moleste [1] aliquantum Ciceronis nomine perturbatus, tamen se statim erexit, et generosa quadam contumacia in verticem libertatis exsiliit, rursumque arripuit quod erat de manibus violenter excussum : quæsivitque abs te, utrum tibi perfectus, qui adhuc quæreret, videretur; ut si fatereris non esse perfectum, ad caput recurreret, demonstraretque, si posset, per illam definitionem, perfectum esse hominem, qui secundum legem mentis vitam gubernaret : ac per hoc, beatum nisi perfectum esse non posse. A quo te laqueo cum expedisses cautius quam putabam, et perfectum hominem diceres, inquisitorem diligentissimum veritatis; ipsaque illa definitione, qua beatam vitam illam demum esse dixeramus, quæ secundum rationem ageretur, tu præfidentius apertiusque pugnasses; ille tibi plane reposuit : nam occupavit præsidium tuum, unde pulsus omnino summam rerum amiseras, ni te induciæ reparassent. Ubi enim arcem locaverunt Academici, quorum tueris sententiam, nisi in erroris definitione? Quæ tibi nisi noctu fortasse per somnium rediret in mentem, jam quid responderes non habebas, cum in exponenda Ciceronis sententia idipsum tu ipse ante commemoraveris. Deinde ventum est ad definitionem sapientiæ, quam cum tanta calliditate labefactare conareris, ut tua furta nec ipse auxiliator tuus Albicerius fortasse comprehenderet; quanta tibi vigilantia, quantis viribus restitit? quam te pene involvit atque depressit; nisi postremo te tua definitione nova tutareris, diceresque humanam esse sapientiam inquisitionem veritatis, ex qua propter animi tranquillitatem beata vita contingeret? Huic iste sententiæ non [2] respondebit, præsertim si in proroganda diei vel parte quæ restat, reddi sibi gratiam postulabit.

25. Sed ne longum faciamus, jam, si placet, sermo iste claudatur, in quo immorari etiam superfluum puto. Tractata enim res est pro suscepto negotio satis; quæ post pauca omnino posset verba finiri, nisi exercere vos vellem, nervosque vestros et studia, quæ mihi magna est cura, explorare : nam cum instituissem vos ad quærendam veritatem magnopere hortari, cœperam ex vobis quærere quantum in ea momenti poneretis : omnes autem posuistis tantum, ut plus non desiderem. Nam cum beati esse cupiamus, sive id fieri non potest nisi inventa, sive non nisi diligen-

[1] Editi, *modeste*. At Mss. decem habent *moleste*, et melius; alludit nempe Augustinus ad illud, *molem auctoritatis*.
[2] Par., *sententiæ respondebit*. M.

ter quæsita veritate; postpositis cæteris omnibus rebus, nobis, si beati esse volumus, perquirenda est. Quamobrem jam istam, ut dixi, disputationem terminemus, et relatam in litteras mittamus, Licenti, potissimum patri tuo, cujus erga philosophiam jam prorsus animum teneo. Sed adhuc quæ admittat, quæro fortunam. Incendi autem in hæc studia vehementius poterit, cum teipsum jam intentum mecum sic vivere, non audiendo solum, verum etiam legendo ista cognoverit. Tibi autem si, ut sentio, Academici placent, vires ad eos defendendos validiores para; nam illos ego reos citare decrevi [1]. Quæ cum essent dicta, prandium paratum esse annuntiatum est, atque surreximus.

[1] Antiquæ editiones, *ego laccusare decrevi*. Sic etiam aliquot Mss. vetustiores, qui paulo post non habent hæc verba, *prandium paratum esse annuntiatum est, atque*.

# LIBER SECUNDUS.

Romanianum Mæcenatem suum ad amplectendam philosophiam rursus cum grati animi significatione hortatur, tresque illi describit Collationes, in quarum prima explicantur placita Academicorum. In secunda novæ ac veteris Academiæ discrimina referuntur; et exploditur sententia horum philosophorum, qui cum verum haud posse deprehendi putarent, veri tamen simile se sequi profiterentur. In tertia dicitur quid illi verisimile seu probabile appellarent.

## CAPUT PRIMUM. — *Contra Academicorum rationes Dei auxilio opus est.*

1. Si quam necesse est, disciplina atque scientia sapientiæ vacuum esse non posse sapientem, tam eam necesse esset invenire dum quæritur; omnis profecto Academicorum vel calumnia, vel pertinacia, vel pervicacia, vel, ut ego interdum arbitror, congrua illi tempori ratio, simul cum ipso tempore, et cum ipsius Carneadis Ciceronisque corporibus sepulta foret. Sed quia sive vitæ hujus multis variisque jactationibus, Romaniane, ut in eodem te probas, sive ingeniorum quodam stupore, vel socordia vel tarditate torpentium, sive desperatione inveniendi; quia non quam facile oculis ista lux, tam facile mentibus sapientiæ sidus oboritur; sive etiam qui error omnium populorum est, falsa opinione inventæ a se veritatis, nec diligenter homines quærunt, si qui quærunt, et a quærendi voluntate avertuntur; evenit ut scientia raro paucisque proveniat: eoque fit, ut Academicorum arma, quando cum eis ad manus venitur, nec mediocribus viris, sed acutis et bene eruditis, invicta et quasi Vulcania videantur. Quamobrem contra illos fluctus procellasque fortunæ, cum obnitendum remis qualiumcumque virtutum, tum in primis divinum auxilium omni devotione atque pietate implorandum est; ut intentio constantissima bonorum studiorum teneat cursum suum, a quo eam nullus casus excutiat, quominus illam philosophiæ tutissimus jucundissimusque portus accipiat. Hæc prima tua causa est; hinc tibi metuo, hinc te cupio liberari, hinc, si modo dignus sim qui impetrem, quotidianis votis auras tibi prosperas orare non cesso; oro autem ipsam summi Dei Virtutem atque Sapientiam. Quid est enim aliud, quem mysteria nobis tradunt Dei Filium?

2. Multum autem me adjuvabis pro te deprecantem, si non nos exaudiri posse desperes, nitarisque nobiscum et tu non solum votis, sed etiam voluntate, atque illa tua naturali mentis altitudine, propter quam te quæro, qua singulariter delector, quam semper admiror, quæ in te, proh nefas! illis rerum domesticarum nubibus quasi fulmen involvitur, et multos, ac pene omnes latet: me autem, et alium, vel tertium, familiarissimos tuos latere non potest, qui sæpe non solum attente audivimus murmura tua, sed etiam nonnulla fulgura fulminibus propiora conspeximus. Quis enim, ut cætera pro tempore taceam et unum commemorem; quis, inquam, tam subito unquam tantum intonuit, tantumque lumine mentis emicuit, ut sub uno [1] fremitu rationis, et quodam coruscamine temperantiæ, uno die illa pridie sævissima penitus libido moreretur? Ergone non erumpet aliquando ista virtus, et multorum desperantium risus in horrorem stuporemque convertet; et locuta in terris quasi quædam futurorum signa, rursus projecto totius corporis onere recurret in cœlum? Ergone Augustinus de Romaniano frustra ista dixit? Non sinet ille cui me totum dedi, quem nunc recognoscere aliquantum cœpi.

## CAPUT II. — *Romaniano grati animi obsequium exhibet, eumque ad philosophiam hortatur.*

3. Ergo aggredere mecum philosophiam: hic est quidquid te anxium sæpe, atque dubitantem mirabiliter solet movere. Non enim metuo aut a socordia morum, aut a tarditate ingenii tui. Quis enim te quando aliquantum respirare concessum est, in sermonibus nostris vigilantior? quis acutior apparuit? Ergone tibi gratiam non repensabo? an fortasse paululum debeo? Tu me adolescentulum pauperem ad peregrina [2] studia pergentem, et domo et sumptu, et, quod plus est, animo excepisti. Tu patre orbatum amicitia consolatus es, hortatione animasti, ope adjuvisti. Tu in nostro ipso municipio, favore, familiaritate, communicatione domus tuæ pene tecum clarum primatemque me fecisti. Tu Carthaginem illustrioris professionis gratia remeantem, cum tibi soli [3] et meorum nulli consilium meum spemque aperuissem, quamvis aliquantum illo tibi insito, quia ibi jam docebam, patriæ amore cunctatus es: tamen ubi evincere adolescentis cupiditatem, ad ea quæ videbantur meliora tendentis, nequisti; ex dehortatore in adjutorem mira benevolentiæ moderatione conversus es. Tu necessariis omnibus iter adminiculasti meum. Tu ibidem rursus, qui cunabula, et quasi nidum studiorum meorum foveras, jam volare audentis sustentasti rudimenta. Tu etiam cum te absente atque ignorante navigassem, nihil succen-

[1] Quatuor Mss., *illo*.
[2] In Mss. pervetustis deest vox, *peregrina*.
[3] Sic juxta omnes Edd., præter B., in quibus omittitur, *soli*. M.

sens[1] quod non tecum communicassem ut solerem, atque aliud quidvis quam contumaciam suspicans, mansisti inconcussus in amicitia; nec plus ante oculos tuos liberi deserti a magistro, quam nostræ mentis penetralia puritasque versata est.

4. Postremo quidquid de otio meo modo gaudeo; quod a superfluarum cupiditatum vinculis evolavi, quod depositis oneribus mortuarum curarum, respiro, resipisco, redeo ad me; quod quæro intentissimus veritatem, quod invenire jam ingredior, quod me ad summum ipsum modum [2] perventurum esse confido; tu animasti, tu impulisti, tu fecisti. Cujus autem minister fueris, plus adhuc fide concepi, quam ratione comprehendi. Nam cum præsens præsenti tibi exposuissem interiores motus animi mei (*a*), vehementerque ac sæpius assererem, nullam mihi videri prosperam fortunam, nisi quæ otium philosophandi daret; nullam beatam vitam, nisi qua in philosophia viveretur : sed me tanto meorum onere, quorum ex officio meo vita penderet, multisque necessitatibus, vel vani mei pudoris, vel ineptæ meorum miseriæ refrenari : tam magno es elatus gaudio, tam sancto hujus vitæ inflammatus ardore, ut te diceres, si tu ab illarum importunarum litium vinculis aliquo modo eximereris, omnia mea vincula etiam patrimonii tui mecum participatione rupturum.

5. Itaque cum admoto nobis fomite discessisses, nunquam cessavimus inhiantes in philosophiam, atque illam vitam quæ inter nos placuit atque convenit, prorsus nihil aliud cogitare : atque id constanter quidem, sed minus acriter agebamus; putabamus tamen satis nos agere. Et quoniam nondum aderat ea flamma, quæ summa nos arreptura erat; illamqua lenta æstuabamus, arbitrabamur vel esse maximam. Cum ecce tibi libri quidam pleni, ut ait Celsinus, bonas res arabicas ubi exhalarunt in nos, ubi illi flammulæ instillarunt pretiosissimi unguenti guttas paucissimas; incredibile, Romaniane, incredibile, et ultra quam de me fortasse et tu credis; quid amplius dicam? etiam mihi ipsi de meipso incredibile incendium concitarunt. Quis me tunc honor, quæ hominum pompa, quæ inanis famæ cupiditas, quod denique hujus mortalis vitæ fomentum atque retinaculum commovebat? Prorsus totus in me cursim redibam. Respexi tantum, confiteor, quasi de itinere in illam religionem, quæ pueris nobis insita est, et medullitus implicata : verum autem ipsa me ad se nescientem rapiebat. Itaque titubans, properans, hæsitans arripio apostolum Paulum : Neque enim vere isti, inquam, tanta potuissent, vixissentque ita ut eos vixisse manifestum est, si eorum Litteræ atque rationes huic tanto bono adversarentur. Perlegi totum intentissime atque cautissime [1].

6. Tunc vero quantulocumque jam lumine asperso, tanta se mihi philosophiæ facies aperuit, ut non dicam tibi, qui ejus incognitæ fame semper arsisti, sed si ipsi adversario tuo, a quo nescio utrum plus exerceari quam impediaris, eam demonstrare potuissem; næ ille et baias, et amœna pomaria [2], et delicata nitidaque convivia, et domesticos histriones, postremo quidquid eum acriter commovet in quascumque delicias, abjiciens et relinquens, ad ejus pulchritudinem blandus amator et sanctus, mirans, anhelans, æstuans advolaret. Habet enim et ille, quod confitendum est, quoddam decus animi, vel potius decoris quasi sementem [3], quod erumpere in veram pulchritudinem nitens, tortuose ac deformiter inter scabra vitiorum, et inter opinionum fallacium dumeta frondescit : tamen non cessat frondescere, et paucis acute ac diligenter in densa intuentibus quantum sinitur eminere. Inde est illa hospitalitas, inde in conviviis multa humanitatis condimenta, inde ipsa elegantia, nitor, mundissima facies rerum omnium, et undique cuncta perfundens adumbratæ venustatis urbanitas.

## CAPUT III. — *Philocalia et Philosophia. Romanianum rursus ad philosophiam accendit.*

7. Philocalia ista vulgo dicitur : ne contemnas nomen hoc ex vulgi nomine : nam philocalia et philosophia prope similiter cognominatæ sunt, et quasi gentiles [4] inter se videri volunt, et sunt. Quid est enim philosophia? Amor sapientiæ. Quid philocalia? Amor pulchritudinis. Quære de Græcis. Quid ergo sapientia? nonne ipsa vera est pulchritudo? Germanæ igitur istæ sunt prorsus, et eodem parente procreatæ (*Lib. 1 Retract., cap. 1, n. 3*) : sed illa visco libidinis detracta cœlo suo, et inclusa cavea populari, viciniam tamen nominis tenuit, ad commonendum aucupem ne se [5] contemnat. Hanc igitur sine pennis sordidatam et egentem volitans libere soror sæpe agnoscit, sed raro liberat : non enim philocalia ista unde genus ducat agnoscit, nisi philosophia. Quam totam fabulam (nam subito Æsopus factus sum) Licentius tibi carmine suavius indicabit : poeta est enim pene perfectus. Ergo ille, si veram pulchritudinem cujus falsæ amator est, sanatis renudatisque paululum oculis posset intueri, quanta voluptate philosophiæ gremio se involveret? Quomodo ibi te cognitum, sicut verum fratrem amplecteretur? Miraris hæc, et forsitan rides. Quid si hæc explicarem ut volebam? quid si saltem vox, si

[1] Am. Er., *nonnihil succensens*, quibus suffraganturaliquot Mss. melioris notæ.

[2] Er. et Lov., *ad ipsum summum bonum*. Sed melius Bad. Am. et. Mss. plerique, *ad summum ipsum modum*, id est ad sapientiam; juxta illud, quod circa idem tempus disserebat Aug., lib. de Beata vita, sub finem : «Sapientia nihil « est aliud quam modus animi, hoc est quo sese animus li- « brat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quam « plenum est coarctetur.» — Sic etiam Par. M.

(*a*) Romaniano præsente usus fuerat Mediolani ante annos circiter duos, quo tempore de communi vita ineunda cum amicis deliberabat, lib. 6 Conf. c. 14. «Romanianus maxime, « communiceps noster, quem tunc graves æstus negotiorum « suorum ad comitatum attraxerant, ab ineunte ætate mihi « familiarissimus; qui maxime instabat huic rei, et magnam « in suadendo habebat auctoritatem, quod ampla res ejus « multum cæteris anteibat.»

[1] Bad. Am. Er. et Mss. quamplures, *atque castissime*. Paulo post, in hactenus vulgatis et aliquot Mss. legitur, *incognitæ fama;* aut, *incognitæ famæ*. Sed castigatius in aliis codicibus, *fame*.

[2] Ubique legimus *pomœria*, vel *pomeria*, corrupte, ut videtur; nam hic agitur evidenter de pomariis, quæ vox sensum omnino alium habet. M.

[3] *Seminarium*, juxta Par. Er. Ven. Lov. M.

[4] In quinque Mss., *germanæ*.

[5] *Illam*, juxta Par. Er. Ven. Lov. M.

adhuc facies videri a te non potest, ipsius philosophiæ posset audiri? Mirareris profecto; sed non rideres, non desperares. Crede mihi, de nullo desperandum est, de talibus autem minime. Omnino sunt exempla; facile evadit, facile revolat [1] hoc genus avium, multis inclusis multum mirantibus.

8. Sed ad nos redeamus, nos inquam, Romaniane, philosophemur: reddam tibi gratiam, filius tuus cœpit jam philosophari: ego eum reprimo, ut disciplinis necessariis prius excultus vigentior et firmior insurgat, quarum te ne metuas expertem, si bene te novi, auras [2] tibi liberas tantum opto. Nam de indole quid dicam? Utinam non tam rara esset in hominibus, quam certa est in te! Restant duo vitia, et impedimenta inveniendæ veritatis, a quibus tibi non multum timeo; timeo tamen ne te contemnas, atque inventurum esse desperes, aut certe ne invenisse te credas. Quorum primum, si tamen inest, ista tibi disputatio fortasse detrahet. Sæpius enim succensuisti Academicis, eo quidem gravius, quo minus eruditus esses; sed eo libentius, quod veritatis amore illiciebaris. Itaque jam cum Alypio, te fautore, confligam, et tibi facile persuadebo quod volo, probabiliter tamen. Nam ipsum verum non videbis, nisi in philosophiam totus intraveris. Illud autem alterum quod te fortasse aliquid invenisse præsumis, quamvis a nobis jam quærens, dubitansque discesseris, tamen si quid superstitionis in animum revolutum est, ejicietur profecto, vel cum tibi aliquam inter nos disputationem de religione misero, vel cum præsens tecum multa contulero.

9. Ego enim nunc aliud nihil ago, quam me ipse purgo a vanis perniciosisque opinionibus. Itaque non dubito melius mihi esse, quam tibi. Unum tantum est unde invideam fortunæ tuæ, quod solus frueris Luciliano meo [3]: an et tu invides quia dixi, meo? Sed quid dixi aliud quam tuo, et omnium quicumque unum sumus? De quo tamen ut subvenias desiderio meo, quid te rogem? Tu te ipse pro me roga quantum scis, quia debes. Sed nunc ambobus dico, cavete ne quid vos nosse arbitremini, nisi quod ita didiceritis, saltem ut nostis, unum, duo, tria, quatuor simul collecta in summam fieri decem. Sed item cavete ne vos in philosophia veritatem aut non cognituros, aut nullo modo ita posse cognosci arbitremini. Nam mihi vel potius illi credite qui ait, *Quærite et invenietis* (*Matth.* VII, 7), nec cognitionem desperandam esse, et manifestiorem futuram, quam sunt illi numeri. Nunc ad propositum veniamus. Jam enim sero cœpi metuere, ne hoc principium modum excederet, et non est leve. Nam modus procul dubio divinus est: sed fefellerit cum dulciter ducit, ero cautior cum sapiens fuero.

DISPUTATIO PRIMA.

CAPUT IV. — *Repetuntur in priore libro disputata.*

10. Post pristinum sermonem, quem in primum librum contulimus, septem fere diebus a disputando fuimus otiosi, cum tres tantum Virgilii libros post primum recenseremus, atque ut in tempore congruere videbatur, tractaremus. Quo tamen opere Licentius in poeticæ [1] studium sic inflammatus est, ut aliquantum mihi etiam reprimendus videretur. Jam enim ab hac intentione ad nullam se rem devocari libenter ferebat. Tandem tamen ad retractandam quam distuleramus de Academicis quæstionem, cum a me, quantum potui, lumen philosophiæ laudaretur, non invitus accessit: et forte dies ita serenus effulserat, ut nulli prorsus rei magis, quam serenandis animis nostris congruere videretur. Maturius itaque solito lectos reliquimus, paululumque cum rusticis egimus, quod tempus urgebat. Tum Alypius: Antequam vos, inquit, audiam de Academicis disputantes, volo mihi legatur sermo ille vester quem dicitis me absente perfectum: non enim possum aliter, cum inde hujus disceptationis occasio nata sit, in audiendis vobis non aut errare, aut certe laborare. Quod cum factum esset, et in eo pene totum antemeridianum tempus consumptum videremus; redire ab agro, qui deambulantes nos acceperat, domum instituimus. Et Licentius: Quæso, inquit, ante prandium mihi breviter totam Academicorum sententiam exponendo repetere ne graveris, ne quid in ea me fugiat, quod pro partibus meis sit. Faciam, inquam, et eo libentius quo de hac re cogitans parum prandeas. Ne, inquit ille, isthinc securus sis: nam et multos, et maxime patrem meum sæpe animadverti eo edaciorem, quo refertior curis esset. Deinde tu quoque de istis metris cogitantem non sic expertus es, ut cura mea mensa secura sit. Quod quidem apud meipsum mirari soleo: quid enim sibi vult, quod tunc cibum pertinacius appetimus cum in aliud intendimus animum? Aut quid est quod [2] manibus et dentibus nostris, occupatis nobis, animus imperiosus fit? Audi potius, inquam, de Academicis quod rogaveras, ne te metra ista volventem, non solum in epulis sine metro, sed etiam in quæstionibus patiar. Si quid autem pro mea parte occultabo, prodet Alypius. Bona fide tua opus est, inquit Alypius: nam si metuendum est, ne aliquid occultes, a me deprehendi difficile posse arbitror eum, a quo me ista didicisse nullus qui me novit ignorat, præsertim cum in prodendo vero non magis victoriæ, quam animo tuo consulturus sis.

CAPUT V. — *Academicorum placita.*

11. Agam, inquam, bona fide, quoniam de jure præscribis. Nam et Academicis placuit, nec homini scientiam posse contingere earum duntaxat rerum, quæ ad philosophiam pertinent; nam cætera curare se Carneades negabat; et tamen hominem posse esse sapientem, sapientisque totum munus, ut abs te quoque, Licenti, illo sermone dissertum est,

[1] Sic Am. Er. et prope omnes Mss. At Bad. et Lov., *evolat*.
[2] Am. Er. et Lov., *aures*. Sed legendum cum Bad. et Mss. *auras*, quas Romaniano liberas optat Augustinus, ut assurgat et revolet. — *auras*, juxta Par. M.
[3] Sic scribitur in vetustioribus et pluribus Mss. Porro in prius Edd. *Luciniano meo*; et in Mss. quatuor, *Luciano*.

[1] *Poetriæ*, juxta Par. *Poeticum studium*, juxta Er. Ven. Lov. M.
[2] Plerique Mss., *aut quis est qui manibus*. Mox ex iis nonnulli, *et dentibus nostris nobis occupatis nimis imperiosus fit*. Alii porro tres, *et dentibus nostris occupatis minus animus imperiosus fit*.

in conquisitione veri explicari. Ex quo confici, ut nulli etiam rei sapiens assentiatur : erret enim necesse est, quod sapienti nefas est, si assentiatur rebus incertis. Et omnia incerta esse non dicebant solum, verum etiam copiosissimis [1] rationibus affirmabant. Sed verum non posse comprehendi, ex illa stoici Zenonis definitione arripuisse videbantur, qui ait id verum percipi posse, quod ita esset animo impressum ex eo unde esset, ut esse non posset ex eo unde non esset. Quod brevius planiusque sic dicitur, his signis verum posse comprehendi, quæ signa non potest haberé quod falsum est. Hoc prorsus non posse inveniri, vehementissime ut convincerent incubuerunt. Inde dissensiones philosophorum, inde sensuum fallaciæ, inde somnia furoresque, inde pseudomeni et soritæ in illius causæ patrocinio viguerunt. Et cum ab eodem Zenone accepissent, nihil esse turpius quam opinari, confecerunt callidissime, ut si nihil percipi posset, et esset opinatio turpissima, nihil unquam sapiens approbaret.

12. Hinc eis invidia magna conflata est : videbatur enim esse consequens, ut nihil ageret, qui nihil approbaret. Unde dormientem semper, et officiorum omnium desertorem, sapientem suum Academici describere videbantur, quem nihil approbare censebant. Hic illi inducto quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, nullo modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cum haberet quid sequeretur; veritas autem sive propter naturæ tenebras quasdam, sive propter similitudinem rerum, vel obruta, vel confusa latitaret. Quamvis et ipsam refrenationem et quasi suspensionem assensionis magnam prorsus actionem sapientis esse dicebant. Videor mihi breviter totum, ut voluisti, exposuisse, nihilque recessisse a præscriptione, Alypi, tua; id est egisse, ut dicitur, bona fide. Si enim aliquid vel non ita ut est dixi, vel forte non dixi; nihil voluntate a me factum est. Bona ergo fides est, ex animi sententia. Homini enim homo falsus docendus, fallax cavendus debet videri : quorum prius magistrum bonum, posterius discipulum cautum desiderat.

13. Tum Alypius : Gratum, inquit, habeo, cum et Licentio a te satisfactum est, et me onere imposito relevasti. Non enim magis tibi verendum erat, ne quid explorandi mei causa minus a te diceretur (nam alio modo qui fieri poterat?) quam mihi, si in quo-quam te prodere fuisset necesse. Quare faxis, ut illud quod deest, non tam percontationi, quam ipsi percontanti, de differentia novæ ac veteris Academiæ, ne te pigeat exponere. Prorsus, inquam, fateor, piget. Quare beneficium dederis (nam et hoc quod commemoras, ad rem maxime pertinere negare non possum), si me paululum conquiescente, apud me distinguere ista nomina, et causam novæ Academiæ aperire volueris. Crederem, inquit, me quoque a prandio te avocare voluisse, ni te [2] magis a Licentio territum dudùm putarem, et ejus postulatio ita nobis præscripsisset, ut ei ante prandium quidquid hujus involutionis esset, expediretur. Et cum reliqua dicere tenderet, mater nostra (nam domi jam eramus) ita nos trudere in prandium cœpit, ut verba faciendi locus non esset.

[1] In Mss. quinque, *perniciosissimis*.
[2] In B., *et*. Juxta omnes alios Edd., *te*. M.

DISPUTATIO SECUNDA.

CAPUT VI. — *Academiæ novæ et veteris discidium.*

14. Deinde, cum tantum alimentorum accepissemus, quantum compescendæ fami satis esset; ad pratum regressis nobis, Alypius, Pareamˆ, inquit, sententiæ tuæ, nec ausim recusare. Si enim nihil me fugerit, gratabor [1] cum doctrinæ tuæ, tum etiam memoriæ meæ. At si in quoquam fortasse aberravero, recurabis id, ut deinceps hujusmodi delegationem non pertimescam. Novæ Academiæ discidium non tam contra veterem conceptum, quam contra Stoicos arbitror esse commotum. Nec vero discidium est putandum, siquidem a Zenone illatam novam quæstionem dissolvi discutique oportebat. Nam de non percipiendo, quamvis nullis conflictationibus agitata, incolens tamen etiam veterum Academicorum mentes sententia non impudenter existimata est. Quod etiam ipsius Socratis Platonisque ac reliquorum veterum auctoritate probatu facile est, qui se hactenus crediderunt ab errore posse defendi, si se assensioni non temere commisissent : quamvis propriam de hac re disputationem in scholas suas non introduxerint, nec ab illis enucleate aliquando quæsitum sit, percipi, necne veritas possit. Quod cum Zeno rude ac novum intulisset, contenderetque nihil percipi posse, nisi quod verum ita esset, ut dissimilibus notis a falso discerneretur, neque opinationem subeundam esse sapienti, atque id Archesilas audiret; negavit hujusmodi quidquam posse ab homine reperiri, neque illi opinionis naufragio sapientis committendam esse vitam. Unde etiam conclusit, nulli rei esse assentiendum.

15. Verum cum ita res se haberet, ut vetus Academia magis aucta, quam oppugnata videretur; exstitit Philonis auditor Antiochus, qui, ut nonnullis visus est, gloriæ cupidior quam veritatis, in simultatem adduxit Academiæ utriusque sententias. Dicebat enim rem insolitam, et ab opinione veterum remotissimam Academicos novos conatos inducere. In quam rem veterum physicorum aliorumque magnorum philosophorum implorabat fidem; ipsos etiam Academicos oppugnans, qui se verisimile contenderent sequi, cum ipsum verum se ignorare faterentur. Multaque argumenta collegerat, quibus nunc supersedendum arbitror : nihil tamen magis defendebat, quam verum percipere posse sapientem. Hanc puto inter Academicos novos ac veteres controversiam fuisse. Quæ si secus se habet, ut Licentium plenissime informes, pro utroque postulaverim. Si vero ita est, ut dicere potui, susceptam disputationem peragite.

CAPUT VII. — *Adversus Academicos.*

16. Tum ego : Quamdiu, inquam, Licenti, in isto nostro longiore quam putabam sermone conquiescis? Audisti qui sint Academici tui? At ille ve-

[1] Sic Mss. At Edd., *gratulabor*.

recunde arridens, et aliquantum hac compellatione turbatior : Pœnitet me, inquit, tantopere affirmasse contra Trygetium, beatam vitam in veritatis inquisitione consistere. Nam me ista quæstio ita perturbat, ut vix non miser sim, qui certe vobis, si quid humanitatis geritis, videor miserandus. Sed quid me ipse ineptus crucio? aut quid exhorreo tanta causæ bonitate subnixus? Prorsus non cedam nisi veritati. Placentne, inquam, tibi novi Academici? Plurimum, inquit. Ergo verum videntur tibi dicere? Tum ille cum jam esset assensurus, arrisione Alypii cautior factus, hæsit aliquantum. Et deinde : Repete, inquit, rogatiunculam. Verumne, inquam, tibi videntur Academici dicere? Et rursum cum diu tacuisset : Utrum, ait, verum sit, nescio : probabile est tamen. Neque enim plus video quod sequar. Probabile, inquam, scisne ab ipsis etiam verisimile nominari? Ita, inquit, videtur. Ergo, inquam, verisimilis est Academicorum sententia. Ita, inquit. Jam quæso attende, inquam, diligentius. Si quisquam fratrem tuum visum patris tui similem esse affirmet, ipsumque tuum patrem non noverit; nonne tibi insanus, aut ineptus videbitur? Et hic diu tacuit. Tum ait, Non mihi hoc videtur absurdum.

17. Cui ego cum respondere cœpissem ; Exspecta, inquit, quæso, paululum. Ac post arridens, Dic mihi, ait, oro te, jamne certus es de victoria tua? Tum ego: Fac me, inquam, certum esse : non ideo tamen tu causam tuam debes deserere, præsertim cum hæc inter nos disputatio suscepta sit exercendi tui causa, et ad elimandum animum provocandi. Numquidnam, inquit, aut Academicos legi, aut tot disciplinis eruditus sum, quibus tu ad me instructus adventas? Academicos, inquam, nec illi legerant a quibus primo sententia ista defensa est. Eruditio autem disciplinarumque copia si te deficit, non usque adeo tamen ingenium tuum esse debet invalidum, ut nullo facto impetu paucissimis verbis meis rogationibusque succumbas. Illud enim jam vereri cœpi, ne tibi citius quam volo succedat Alypius, quo adversario non ita securus deambulabo. Ergo utinam, inquit ille, jam vincar, ut aliquando vos audiam disserentes, et quod plus est, videam ; quo mihi spectaculo nihil potest felicius exhiberi. Nam quoniam placuit vobis ista fundere, potius quam effundere ; siquidem ore prorumpentia stilo excipitis, nec in terram, ut dicitur, cadere sinitis ; legere etiam vos licebit[1] : sed nescio quomodo, cum admoventur oculis iidem ipsi quos inter sermo cæditur[2] ; bona disputatio si non utilius, at certe lætius perfundit animum.

18. Gratum habemus, inquam : sed repentina ista gaudia tua temere illam sententiam evadere coegerunt, qua dixisti, nullum tibi spectaculum exhiberi posse felicius. Quid si enim illum patrem tuum, quo profecto nemo philosophiam est post tam longam sitim hausturus ardentius, nobiscum ista quærentem ac disserentem videbis ; cum ego me fortunatiorem nunquam putabo, quid te tandem sentire ac dicere convenit? Hic vero ille aliquantum lacrymavit, et ubi loqui potuit, porrecta manu cœlum suspiciens : Et quando ego, inquit, Deus, hoc videbo? sed nihil est de te desperandum. Hic cum pene omnes ab intentione disputationis remitti in lacrymas cœpissemus, obluctans mecum, et vix me colligens : Age potius, inquam, et in vires tuas redi ; quas ut congereres unde unde posses, patronus Academiæ futurus, longe ante monueram : non opinor ideo ut modo *ante tubam tremor occupet artus* (*Æneid. lib.* 11, v. 424) ; aut ut visendæ alienæ pugnæ desiderio, tam cito te optes esse captivum. Hic Trygetius, ubi satis attendit jam vultus nostros serenatos : Quidni iste optet, inquit, homo tam sanctus, ut hoc ei Deus ante vota concesserit? Crede jam, Licenti ; nam qui non invenis quid respondeas, et adhuc ut vincare optas, parvæ fidei mihi videris. Arrisimus. Tum Licentius : Loquere beatus, inquit, non inveniendo verum, sed certe, non quærendo.

19. Qua hilaritate adolescentulorum cum essemus lætiores ; Attende, inquam, rogationem, et in viam redi firmior et valentior, si potes. En adsum, inquit, quantum possum. Quid enim si ille fratris mei visor fama compertum habeat eum esse similem patris, potest insanus aut ineptus esse, si credit? Stultusne, inquam, saltem dici potest? Non continuo, inquit, nisi se id scire contenderit. Nam si ut probabile sequitur quod crebra fama jactavit, nullius temeritatis argui potest. Tum ego : Rem ipsam paulisper consideremus, et quasi ante oculos constituamus. Ecce fac illum nescio quem hominem quem describimus, esse præsentem : advenit alicunde frater tuus ; ibi iste : Cujus hic puer filius? Respondetur : Cujusdam Romaniani. At hic : Quam patri similis est! quam ad me hoc non temere fama detulerat! Hic tu, vel quis alius : Nosti enim Romanianum, bone homo? Non novi, inquit : tamen similis ejus mihi videtur. Poteritne quisquam risum tenere? Nullo modo, inquit. Ergo, inquam, quid sequatur vides. Jamdudum, inquit, video. Sed tamen istam conclusionem abs te audire volo : oportet enim alere incipias, quem cepisti. Quidni, inquam, concludam? Ipsa res clamat similiter ridendos esse Academicos tuos, qui se in vita veri similitudinem sequi dicunt, cum ipsum verum quid sit, ignorent.

## CAPUT VIII. — *Academicorum cavillatio.*

20. Tum Trygetius : Longe mihi, inquit, videtur dissimilis Academicorum cautio ab hujus quem descripsisti ineptia. Illi enim rationibus assequuntur quod dicunt esse verisimile : iste autem ineptus famam secutus est, cujus auctoritate nihil est vilius. Quasi vero, inquam, non ineptior esset, si diceret, Patrem quidem ejus minime novi, nec fama comperi quam sit similis patris, et mihi tamen similis videtur. Ineptior certe, inquit. Sed quorsum ista?

[1] Aliquot Mss., *vobis licebit.*

[2] Am. Er. et Lov., *editur*. Sed Mss., nullo fere excepto, habent, *cæditur*. Ita etiam Bad. Phrasis a Terentio usurpata est in Heaut. act. 2, scen. 3 : « Verum interea dum sermones cædimus. »

Quia tales, inquam, sunt, qui dicunt, Verum quidem non novimus; sed hoc quod videmus, ejus quod non novimus simile est. Probabile, inquit, illi dicunt. Cui ego : Quomodo istuc dicis? An negas eos verisimile dicere? Et ille inquit : Ego ob hoc dicere volui, ut illam similitudinem excluderem. Videbatur enim mihi fama improbe irruisse in quæstionem vestram, cum Academici ne oculis quidem credant humanis, nedum famæ mille quidem, ut poetæ fingunt, sed monstrosis tamen luminibus. Nam quis ego tandem sum Academiæ defensor? An in quæstione ista invidetis securitati meæ? En habes Alypium, cujus adventus nobis, quæso, ferias dederit, quem te jamdudum non frustra formidare arbitramur.

21. Tum facto silentio, oculos ambo in Alypium contulerunt. Tum ille : Vellem, inquit, quidem, ut meæ vires patiuntur, auxiliari aliquatenus partibus vestris, nisi mihi omen vestrum terrori esset. Sed hanc formidinem, ni me spes fefellerit, facile fugem [1]. Simul enim solatur me, quod præsens Academicorum oppugnator, onus Trygetii victi pene subierit, et nunc eum victorem vestra confessione probabile est. Illud magis vereor, ne et deserti officii negligentiam, et invasi impudentiam, devitare non possim. Non enim vos oblitos credo, judicis mihi munus fuisse delatum. Hic Trygetius : Illud, inquit, aliud, hoc autem aliud est; quare quæsumus, ut te aliquando patiare privatum. Ne renuerim, ait; nedum impudentiam vel negligentiam vitare cupio, in superbiæ, quo vitio nihil est immanius, laqueos incidam, si honorem mihi a vobis concessum, diutius quam permittitis teneam.

CAPUT IX. — *De Academicorum sententia serio deinceps disputandum.*

22. Proinde velim mihi exponas, bone accusator Academicorum, officium tuum; id est, in quorum defensionem hos oppugnes. Metuo enim, ne Academicos refellens, Academicum te probare velis. Accusatorum, inquam, ut opinor, duo genera esse bene nosti : non enim si a Cicerone modestissime dictum est, ita eum Verris esse accusatorem, ut Siculorum defensor esset (*Cicero in Verrem*, *actione* 1), propterea necesse est, eum qui aliquem accusat, habere alterum quem defendat. Et ille : Saltem habesne tu quidquam in quo sententia tua jam fundata constiterit? Facile est, inquam, huic rogationi respondere, mihi præsertim cui repentina non est : jam hoc totum mecum egi, et diu multumque versavi animo. Quamobrem audi, Alypi, quod, ut arbitror, jam optime scis : non ego istam disputationem disputandi gratia susceptam volo; satis sit quod cum istis adolescentibus prælusimus, ubi libenter nobiscum philosophia quasi jocata est. Quare auferantur de manibus nostris fabellæ pueriles. De vita nostra, de moribus, de animo res agitur; qui se superaturum inimicitias omnium fallaciarum, et veritate comprehensa, quasi in regionem suæ originis rediens, triumphaturum de libidinibus, atque ita temperantia velut conjuge accepta regnaturum esse præsumit, securior rediturus in cœlum (*Lib.* 1 *Retract.*, *cap.* 1, *n.* 3). Vides quid dicam? Tollamus de medio jam cuncta ista : *arma acri facienda viro* (*Æneid. lib.* 8, v. 304); nec quidquam minus semper optavi, quam inter eos, qui secum multum vixerunt, multumque sermocinati sunt, oriri aliquid, unde novus quasi conflictus exsurgat. Sed propter memoriam, quæ infida custos est excogitatorum, referri in litteras volui, quod inter nos sæpe pertractavimus, simul ut isti adolescentes, et in hæc attendere discerent, et aggredi ac subire tentarent.

23. Tunc ergo nescis, nihil me certum adhuc habere quod sentiam (*a*), sed ab eo quærendo Academicorum argumentis atque disputationibus impediri? Nescio enim quomodo fecerunt in animo quamdam probabilitatem (ut ab eorum verbo nondum recedam), quod homo verum invenire non possit : unde piger et prorsus segnis effectus eram, nec quærere audebam, quod acutissimis ac doctissimis viris invenire non licuit. Nisi ergo prius tam mihi persuasero verum posse inveniri, quam sibi illi non posse persuaserunt; non audebo quærere, nec habeo aliquid quod defendam. Itaque istam interrogationem remove, si placet, et potius discutiamus inter nos, quam sagaciter possumus, utrumnam possit verum inveniri. Et pro parte mea videor mihi habere jam multa, quibus contra rationem Academicorum niti molior : inter quos et me modo interim nihil distat, nisi quod illis probabile visum est, non posse inveniri veritatem; mihi autem inveniri posse probabile est. Nam ignoratio veri, aut mihi, si illi fingebant, peculiaris est, aut certe utrisque communis.

CAPUT X. — *Verborum controversia non est quæ habetur cum Academicis, sed rerum.*

24. Tum Alypius : Jam, inquit, securus incedam : video enim te non tam accusatorem, quam adjutorem fore. Itaque ne longius abeamus, videamus quæso prius ne per hanc quæstionem in qua successisse videor iis qui tibi cesserunt, in verbi controversiam decidamus, quod te ipso insinuante ex auctoritate illa Tulliana turpissimum esse, sæpe confessi sumus. Cum enim, ni fallor, Licentius placuisse sibi diceret de probabilitate Academicorum sententiam, subjecisti quod ille haud dubie confirmavit, sciretne hanc ab eisdem etiam verisimilitudinem nominari. Et bene novi, siquidem ex te mihi nota sunt, non absque te esse Academicorum placita. Quæ cum, ut dixi, animo tuo infixa sint; quid [1] verba secteris, ignoro. Non est ista, inquam, mihi crede, verborum, sed rerum ipsarum magna controversia : non enim illos

[1] In hactenus vulgatis, *facile fugiam.*

[1] *Quæ*, juxta Par. Er. Ven. M.

(*a*) Hic figura quadam utitur Augustinus solemni dialogorum more. Nam nonnihil certum habebat quod sentiret, qui jamdudum mente «pervenerat ad id quod est,» uti lib. 7 Conf. c. 17 legimus. Et perspicue in ejusdem operis lib. 8, c. 5, de se conversionem differente confitetur : «Et non erat «jam illa excusatio, qua videri mihi solebam propterea «nondum me contempto sæculo servire tibi, quia incerta «mihi esset perceptio veritatis : iam enim et ipsa certa «erat.»

viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere; sed mihi hæc vocabula videntur elegisse, et ad occultandam tardioribus, et ad significandam vigilantioribus sententiam suam. Quod quare et quomodo mihi videatur, exponam, cum prius illa discussero, quæ ab eis tanquam cognitionis humanæ inimicis dicta homines putant. Itaque perlibenter habeo hucusque hodie nostrum processisse sermonem, ut satis quid inter nos quæreretur, aperteque constaret. Nam illi mihi videntur graves omnino ac prudentes viri fuisse. Si quid est autem, quod nunc disputabimus adversus eos erit [1], qui Academicos inventioni veritatis adversos fuisse crediderunt. Et ne me territum putes, etiam contra eos ipsos non invitus armabor, si non occultandæ sententiæ suæ causa, ne ab eis temere pollutis mentibus, et quasi profanis, quædam veritatis sacra proderentur; sed ex animo illa quæ in eorum libris legimus, defenderunt. Quod hodie facerem, nisi nos solis occasus jam domum redire compelleret. Hactenus illo die disputatum est.

DISPUTATIO TERTIA.

CAPUT XI. — *Probabile quid sit.*

25. Postridie autem quamvis non minus blandus tranquillusque dies illuxisset, vix tamen domesticis negotiis evoluti sumus. Nam magnam ejus partem in epistolarum maxime scriptione consumpseramus. Et cum jam duæ horæ vix reliquæ forent, ad pratum processimus. Nam invitabat cœli nimia serenitas, placuitque, ut ne ipsum quidem quod restiterat tempus, perire pateremur. Itaque cum ad arborem solitam ventum esset, et mansissemus loco: Velim vos, inquam, adolescentuli, quoniam non est hodie magna res aggredienda, in memoriam mihi revocetis, quomodo hesterno die rogatiunculæ quæ vos turbavit, Alypius responderit. Hic Licentius: Tam breve est, inquit, ut nihil negotii sit hoc recordari; quam leve sit autem tu videris. Nam, ut opinor, vetuit te, res cum constaret, de verbis movere quæstionem. Et ego: Hoc ipsum, inquam, quid sit, quamve habeat vim, satis animadvertistis? Videor, inquit, mihi videre quid sit; sed quæso, tu id paulisper exponas. Nam sæpe abs te audivi, turpe esse disputantibus in verborum quæstione immorari, cum certamen nullum de rebus remanserit. Sed hoc subtilius est, quam ut explicandum a me debeat flagitari.

26. Audite ergo, inquam, quid sit, vos. Id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, Ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur; agamus tamen. Ut verbi causa, utrum hesterna nocte tam liquida ac pura, hodie tam lætus sol exorturus esset, si nos quispiam rogaret; credo quod nos id scire negaremus, diceremus tamen ita videri. Talia, inquit Academicus, mihi videntur omnia quæ probabilia vel verisimilia putavi nominanda; quæ tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. Satis enim mihi est, te jam bene accepisse quid dicam, id est quibus rebus hæc nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. Satisne intellexistis, quomodo mihi ludicra illa quibus vos agitabam, de manibus excussa sint? Hic cum ambo se intellexisse respondissent, vultuque ipso responsionem postularent meam: Quid putatis, inquam? Ciceronem cujus hæc verba sunt, inopem fuisse latinæ linguæ, ut minus apta rebus imponeret, quas sentiebat, nomina?

CAPUT XII. — *Rursum de probabili et verisimili.*

27. Tum Trygetius: Jam, inquit, placet nobis, cum res nota sit, de verbis nullas calumnias commovere. Quare vide potius quid huic respondeas qui nos liberavit, in quos tu impulsus tentas iterum irruere. Et Licentius: Mane, ait, quæso: nam mihi sublucet nescio quid, quo videam non tibi tam facile tantum argumentum eripi debuisse. Et cum defixus in cogitatione siluisset aliquantum: Rogo, inquit, nihil mihi videtur esse absurdius, quam dicere, se verisimile sequi, eum qui verum quid sit ignoret: nec illa me tua similitudo conturbat. Nam recte ego interrogatus, utrum ex ista temperie cœli nulla in crastinum pluvia cogatur, respondeo esse verisimile, qui me non nego nosse aliquid veri. Nam scio arborem istam modo argenteam fieri non posse, multaque talia vera non impudenter me scire dico, quorum video esse similia ea quæ verisimilia nomino. Tu vero, Carneades, vel quæ alia græca pestis, ut nostris parcam (quid enim dubitem in hanc partem transire ad eum cui captivus debeor jure victoriæ?): tu ergo cum te nihil veri scire dicas, unde hoc verisimile sequeris? At enim nomen ei non potui aliud imponere. Quid ergo nobis disputandum est cum eo, qui nec loqui potest?

28. Non ego, inquit Alypius, perfugas metuam: quanto minus ille Carneades, in quem nescio utrum juvenili an puerili levitate commotus, maledicta potius quam aliquod telum putasti esse jaciendum? Nam illi quidem ad roborandam sententiam suam, quæ semper tenus probabili [1] fundata fuit, hoc interim adversum te facile suffecerit, ita nos a veri inventione procul esse positos, ut tu tibi ipse magno argumento esse possis, qui ita una interrogatiuncula loco motus es, ut ubi tibi standum esset, penitus ignorares. Sed hæc, atque scientiam tuam, quam tibi impressam de hac arbore paulo ante confessus es, in aliud tempus differamus. Quamvis enim jam alias partes delegeris, tamen sedulo docendus es quid paulo ante dixerim. Nondum enim, ut opinor, in eam quæstionem, qua utrum inveniri verum possit quæritur, progressi fueramus: sed illud tantum in ipso vestibulo defensionis meæ præscribendum putavi, in quo te lassum prostratumque prospexeram; hoc est; utrum verisimile, an probabile, an alio si quo nomine appellari potest, quod sibi Academici sat esse dicant, quærendum non esse. Nam si tu optimus jam inventor veritatis tibi videris, nihil ad me. Postea si ingratus non fueris

[1] Par., *siquidem quod disputabimus, contra eos disputabimus, qui.* M.

[1] Par. Er. Ven., *sæpetenus probabili ratione.* M.

huic patrocinio meo, eadem fortasse me docebis.

CAPUT XIII. — *An Academici dissimularint se scire verum.*

29. Hic ego, cum verecunde Licentius Alypii impetum formidaret; Omnia potius, inquam, Alypi, loqui maluisti, quam quemadmodum nobis cum iis, qui loqui nesciant, disputandum sit. Et ille : Quoniam olim tum mihi, tum omnibus notum est, et nunc tua professione satis indicas te loquendi peritum esse; velim explices utilitatem primo hujus inquisitionis suæ [1], quæ aut superflua est, ut opinor, et ei multo magis respondere superfluum est; aut si commoda visa fuerit, et a me explicari nequierit, precario abs te impetrem, ut magistri officium ne gravere. Meministi, inquam, heri me esse pollicitum de istis vocabulis post-acturum. Et nunc ille sol admonet, ut quæ ludicra pueris proposui, redigam in cistas; præsertim cum ea ornandi jam potius quam vendendi gratia proponam. Nunc antequam stilum nostrum tenebræ occupent, quæ patronæ Academicorum solent esse, volo inter nos hodie plenissime constet, ad quam quæstionem nobis explicandam mane surgendum sit. Itaque responde, quæso, utrum tibi videantur Academici habuisse certam de veritate sententiam, et eam temere ignotis vel non purgatis animis prodere noluisse; an vero ita senserint, ut eorum disputationes se habent.

[1] Bad. Er. et Lov., *inquisitionis tuæ*. Sed melius Am. et Mss. *suæ;* refertur enim ad Licentium.

30. Tum ille : Quid illis animi fuerit, inquit, non temere confirmabo. Nam quantum ex libris colligi datur, tu melius nosti quæ in verba sententiam suam promere soleant : Me autem de meipso si consulis, inventum nondum verum esse puto. Addo etiam quod de Academicis flagitabas, nec posse inveniri me putare, non solum inolita, quam semper fere animadvertisti opinione mea, sed etiam auctoritate magnorum excellentiorumque philosophorum; quibus nos præbere colla sive imbecillitas nostra, sive sagacitas ipsorum, ultra quam nihil jam inveniri posse credendum est, nescio quomodo compellit. Hoc est, inquam, quod volui. Nam verebar, ne cum tibi quoque id videretur quod mihi; disputatio nostra manca remaneret, nullo existente qui ex altera parte rem venire in manus cogeret, ut diligenter quantum possumus versaretur. Itaque si id evenisset, paratus eram te rogare, ut Academicorum partes ita susciperes, quasi tibi non solum disputasse, sed etiam sensisse viderentur, verum non posse comprehendi. Quæritur ergo inter nos, utrum illorum argumentis probabile sit nihil percipi posse, ac nulli rei esse assentiendum. Quod si obtinueris, cedam libenter : si autem demonstrare potuero multo esse probabilius, et posse ad veritatem pervenire sapientem, et assensionem non semper esse cohibendam : nihil habebis, ut opinor, cur non te in meam sententiam transire patiaris. Quod cum illi placuisset et cæteris qui aderant, jam vespere obumbrati domum revertimus.

# LIBER TERTIUS

Exhibet disputationes duas, quarum initio statuitur fortunam nihil sive adjumento sive impedimento esse sapienti. Mox Augustinus, repugnante pro susceptis partibus Alypio, probat nonnihil sciri a sapiente, utpote qui saltem sapientiam noverit. Deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redarguit Academicorum placita : « Nihil percipi posse; » et, « Nulli rei debere assentiri. » Dicit demum videri sibi Academicos non ita sensisse uti vulgo existimantur.

DISPUTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM. — *Magnopere quærenda veritas unde pendet vita beata.*

1. Cum post illum sermonem quem secundus liber continet, alio die consedissemus in balneis; nam erat tristior quam ut ad pratum liberet descendere; sic exorsus sum : Arbitror vos jam satis animadvertisse qua de re inter nos discutienda quæstio constituta sit. Sed antequam ad partes meas veniam; quæ ad eam pertinent explicandam, pauca, quæso, de spe, de vita, de instituto nostro non ab re abhorrentia libenter audiatis. Negotium nostrum non leve aut superfluum, sed necessarium ac summum esse arbitror, magnopere quærere veritatem : hoc inter me atque Alypium convenit. Nam et cæteri philosophi sapientem suum eam invenisse putaverunt; et Academici sapienti suo summo conatu inveniendam esse professi sunt, idque illum agere sedulo; sed quoniam vel lateret obruta, vel confusa non emineret, ad agendam vitam id eum sequi quod probabile ac verisimile occurreret. Id etiam vestra pristina disceptatione confectum est. Nam cum alter inventa veritate beatum fieri asseruerit hominem, alter vero tantum diligenter quæsita; nulli nostrum dubium est, nihil esse a nobis huic negotio præponendum. Quamobrem qualem vobis, quæso, hesternum diem videmur duxisse? Vobis quidem in studiis vestris vivere licuit. Nam et tu, Trygeti, Virgilii te carminibus oblectasti, et Licentius fingendis versibus vacavit, quorum amore ita perculsus est, ut propter eum maxime mihi istum sermonem inferendum putarem, quo in ejus animo philosophia (nunc enim tempus est) majorem partem, non modo quam poetica, sed quævis alia disciplina sibi usurpet, ac vindicet.

CAPUT II. — *An fortuna sapienti necessaria.*

2. Sed quæso vos, nonne miserti [1] nostri estis, cum pridie ita cubitum issemus, ut ad dilatam quæstionem, et prorsus ad nihil aliud surgeretur; quod tanta de re familiari necessario peragenda exstiterunt, ut his penitus occupati, vix duas extremas diei horas in nosmetipsos respirare possemus? Quare

[1] In B. *miserati*, quæ lectio neque adoptata est ab Er. Ven. Lov., neque adoptanda, utpote minime latina, sequente casu genitivo. M.

semper fuit sententia mea, sapienti jam homini nihil opus esse; ut autem sapiens fiat, plurimum necessariam esse fortunam (*Lib.* 1 *Retract. cap.* 1, n. 1): nisi quid aliud videtur Alypio. Tum ille : Quantum juris, inquit, fortunæ tribuas, nondum bene novi. Nam si ad contemnendam fortunam, fortuna ipsa opus esse arbitraris, me quoque comitem in hanc sententiam do tibi. Sin fortunæ nihil aliud concedis, quam ea quæ corporis necessitati non possunt, nisi ipsa volente, suppetere; non ita sentio. Aut enim licet eadem repugnante atque invita, nondum sapienti, cupido tamen sapientiæ, ea sumere quæ vitæ necessaria confitemur; aut concedendum est etiam in omni sapientis vita eam dominari, cum et ipse sapiens iis quæ corpori necessaria sunt, non indigere nôn possit.

3. Dicis ergo, inquam, fortunam esse necessariam studioso sapientiæ, sapienti vero negas. Non ab re est eadem repetere, inquit. Itaque nunc etiam abs te quæro, utrum fortunam ad seipsam contemnendam aliquid juvare æstimes. Quod si arbitraris, dico sapientiæ cupidum magnopere indigere fortuna. Arbitror, inquam, siquidem per illam erit talis, qualis eam possit contemnere. Nec absurdum est : nam sic etiam parvis nobis ubera necessaria sunt, quibus efficitur, ut sine his postea vivere, ac valere possimus. Sententias, ait, nostras si animi conceptio non dissonat, concordare mihi liquet : nisi forte discernendum cuiquam videtur quod vel fortunæ vel uberum, non ipsa ubera seu fortuna, sed alia res quædam nos faciat contemptores. Nihil magnum est, inquam, alio simili uti. Nam ut sine navi, vel quolibet vehiculo, aut omnino, ne vel ipsum Dædalum timeam, sine ullis ad hanc rem accommodatis instrumentis, aut aliqua occultiore potentia, Ægeum mare nemo transmittit; quamvis nihil aliud, quam pervenire proponat; quod cum ei evenerit, illa omnia quibus advectus est, paratus sit abjicere atque contemnere : ita quisquis ad sapientiæ portum, et quasi firmissimum et quietissimum solum pervenire voluerit; quoniam, ut alia omittam, si cæcus ac surdus fuerit, non potest, quod positum est in potestate fortunæ, necessariam mihi videtur ad id, quod concupivit, habere fortunam. Quod cum obtinuerit, quamvis putetur indigere quibusdam rebus ad corporis valetudinem pertinentibus; illud tamen constat, non his opus esse ut sapiens sit, sed ut inter homines vivat. Imo, ait ille, si cæcus ac surdus sit; et sapientiam adipiscendam, et ipsam vitam propter quam sapientia quæritur, mea sententia, jure contemnet [1].

4. Tamen, inquam, cum ipsa vita nostra, qua hic vivimus, sit in potestate fortunæ; nec nisi vivens quisque sapiens fieri possit : nonne fatendum est opus esse ejus favore, quo ad sapientiam pervehamur? Sed cum sapientia, inquit, non nisi viventibus sit necessaria, remotaque vita nulla sit indigentia sapientiæ, nihil in propaganda vita pertimesco fortunam. Etenim quia vivo, propterea volo sapientiam, non quod sapientiam desidero, volo vitam. Unde fortuna si mihi abstulerit vitam, auferet causam quærendæ sapientiæ. Nihil igitur habeo, cur ut fiam sapiens, aut favorem optem fortunæ, aut impedimenta formidem, nisi alia fortasse protuleris. Tum ego : Non igitur censes sapientiæ studiosum posse a fortuna, ne ad sapientiam perveniat, impediri, etiamsi ei non auferat vitam? Non arbitror, inquit.

CAPUT III. — *Differunt sapiens et studiosus. Sapientem nonnihil scire, quia saltem scit sapientiam.*

5. Volo, inquam, mihi paululum aperias, quid tibi inter sapientem et philosophum distare videatur? Sapientem a studioso, ait, nulla re differre arbitror; nisi quod quarum rerum in sapiente quidam habitus inest, earum est in studioso sola flagrantia. Quæ sunt tandem istæ res, inquam? Nam mihi nihil aliud videtur interesse, nisi quod alter scit sapientiam, alter scire desiderat. Si scientiam, inquit, modesto fine determinas, ipsam rem planius elocutus es. Quoquo modo, inquam, eam determinem, illud omnibus placuit, scientiam falsarum rerum esse non posse. In hoc mihi, inquit ille, visa fuit objicienda præscriptio, ne inconsiderata consensione mea facile in principalis illius quæstionis campis tua equitaret oratio. Plane, inquam, mihi nihil ubi equitare possem reliquisti. Nam nisi fallor, quod jamdudum molior, ad ipsum finem pervenimus. Si enim, ut subtiliter vereque dixisti, nihil inter sapientiæ studiosum et sapientem interest, nisi quod iste amat, ille autem habet sapientiæ disciplinam; unde etiam nomen ipsum, id est, habitum quemdam exprimere nôn cunctatus es; nemo autem habere disciplinam potest in animo, qui nihil didicit; nihil autem didicit, qui nihil novit; et nosse falsum nemo potest : novit igitur sapiens veritatem, quem disciplinam sapientiæ habere in animo, id est habitum jam ipse confessus es. Nescio, inquit, cujus impudentiæ sim, si habitum inquisitionis divinarum humanarumque rerum esse in sapiente confessum me negare voluero. Sed qui tibi videatur inventorum probabilium habitus non esse, non video. Concedis mihi, inquam, falsa neminem scire? Facile id quidem, inquit. Dic jam si potes, inquam, sapientem nescire sapientiam. Quid enim, ait, hoc limite universa concludis, ut videri sibi non possit, comprehendisse se sapientiam? Da, inquam, dexteram. Nam si meministi, hoc est quod heri me dixi effecturum, quod nunc non a me conclusum, sed a te ultro mihi oblatum esse gaudeo. Nam cum inter me et Academicos hoc interesse dixissem, quod illis probabile visum est veritatem non posse comprehendi; mihi autem nondum quidem a me inventam, inveniri tamen posse a sapiente videatur : nunc tu cum mea interrogatione urgereris, utrum sapiens nesciat sapientiam, Videtur sibi scire, dixisti. Quid tum postea, inquit? Quia si videtur sibi, inquam, scire sapientiam, non ei videtur nihil scire posse sapientem. Aut si sapientia nihil est, volo affirmes.

6. Crederem vere, inquit, ad calcem nos finem-

[1] Par. Er. Ven. *contemnit.* M.

que venisse; sed repente cum dexteras interposuisti, disjunctissimos nos esse et in longum progressos video : videlicet quod hesterno die a nobis nulla alia quæstio constituta videbatur, nisi quod sapientem ad comprehensionem veri pervenire posse, affirmante te, ego negaveram : nunc vero nihil me opinor concessisse tibi, quam videri posse sapienti probabilium rerum se consecutum esse sapientiam : quam tamen sapientiam in investigatione divinarum humanarumque rerum me constituisse nulli nostrum arbitror dubium. Non, inquam, ideo quia involvis, evolveris : videris enim jam mihi exercendi tui causa disputare. Et quia bene nosti istos adolescentulos vix adhuc posse discernere quæ acute ac subtiliter disseruntur, tanquam judicum abuteris ignorantia, ut tibi quantumlibet loqui nullo liceat reclamante. Nam paulo ante dixisti, cum quærerem utrum sciret sapiens sapientiam, scire sibi videri. Cui ergo videtur sapientem, scire sapientiam, non utique videtur nihil scire sapientem. Hoc enim contendi non potest, nisi quisquam dicere audeat, nihil esse sapientiam. Ex quo fit, ut jam hoc tibi, quod etiam mihi, videatur; nam mihi videtur sapientem non nihil scire, et tibi, opinor, cui placet, videri sapienti sapientem scire sapientiam. Tum ille, Non magis me ingenium exercere velle quam te, arbitror; et id miror, non enim tibi ulla in hanc rem exercitatione opus est. Nam mihi adhuc fortasse cæco videtur interesse inter videri sibi scire, et scire; et inter sapientiam quæ in investigatione posita est, et veritatem : quæ a nobis cum alterutra dicantur, sibi quemadmodum quadrent non invenio. Tum ego, cum jam ad prandium vocaremur; Non, inquam, mihi quod tantum reniteris displicet : aut enim ambo nescimus quid loquamur, et danda est opera ne tam turpes simus; aut unus nostrum, quod item relinquere atque negligere non minus turpe est : sed pomeridianis horis rediemus ad invicem. Mihi enim cum videretur jam nos ad calcem pervenisse, pugnos etiam miscuisti. Hic cum arrisissent, discessimus.

DISPUTATIO SECUNDA.

CAPUT IV. — *Rursus quod sapiens non est qui nihil scit.*

7. Et cum redissemus, invenimus Licentium, cui nunquam sitienti Helicon subvenisset, excogitandis versibus inhiantem. Nam de medio pene prandio, quamvis nostri prandii idem initium qui finis fuit, clam surrexerat, nihilque biberat. Cui ego, Opto quidem, inquam, tibi ut istam poeticam quam concupisti, complectaris aliquando : non quod me nimis delectet ista perfectio; sed quod video te tantum exarsisse, ut nisi fastidio evadere ab hoc amore non possis; quod evenire post perfectionem facile solet. Deinde cum sis bene canorus, malim auribus nostris inculces tuos versus; quam ut in illis græcis tragœdiis, more avicularum quas in caveis inclusas videmus, verba quæ non intelligis cantes. Admoneo tamen ut pergas potum, si voles, et ad scholam redeas nostram, si tamen aliquid jam de te Hortensius et philosophia meretur, cui dulcissimas primitias jam vestro illo sermone libasti, qui te vehementius quam ista poetica incenderat ad magnarum et vere fructuosarum rerum scientiam. Sed dum ad istarum disciplinarum, quibus excoluntur animi, circum [1] revocare vos cupio; metuo ne vobis labyrinthus fiat, et prope me pœnitet ab illo te impetu repressisse. Erubuit ille, discessitque ut biberet. Nam et multum sitiebat, et occasio dabatur evitandi me, plura fortasse atque asperiora dicturum.

8. Et cum rediisset, intentis omnibus, sic coepi : Itane est, Alypi, ut inter nos de re jam, ut mihi videtur, manifestissima non conveniat? Non mirum est, inquit, si quod tibi in promptu esse asseris, mihi obscurum sit : siquidem pleraque manifesta, possint aliis manifestiora, et item obscura quædam, nonnullis obscuriora esse. Nam si et hoc tibi vere manifestum est, mihi crede, esse alium quemquam cui et hoc manifestum tuum manifestius sit; et item alium cui meum obscurum obscurius sit. Sed ne me perpugnacem diutius putes, obsecraverim ut hoc manifestum manifestius edisseras. Attende, inquam, quæso diligenter, et quasi seposita paululum respondendi cura. Si enim bene me atque te novi, facile data opera clarebit quod dico, et alter alteri cito persuadebit. Dixistine tandem, an fortasse obsurdueram, videri sapienti se scire sapientiam? Annuit. Omittamus, inquam, paululum istum sapientem. Tu ipse sapiens es, an non? Nihil, inquit, minus. Volo tamen, inquam, respondeas mihi quid ipse sentias de sapiente Academico; utrumnam tibi videatur scire sapientiam? Utrum sibi, inquit, scire videatur an sciat, unumne an diversum putas? Metuo enim ne hæc confusio cuiquam nostrum suffugium præbeat.

9. Hoc est, inquam, Tuscum illud jurgium quod dici solet, cum quæstioni intentatæ non ejus solutio, sed alterius objectio videtur mederi. Quod etiam poeta noster (ut me aliquantum Licentii auribus dedam) decenter in Bucolico carmine hoc rusticanum et plane pastoricium esse judicavit, cum alter alterum interrogat, ubi cœli spatium non amplius quam tres ulnas pateat : ille autem,

> Dic quibus in terris inscripti nomina regum
> Nascantur flores.
>
> (*Virg.*, *Ecloga* 3, *vv.* 105, 106.)

Quod quæso, Alypi, ne in villa nobis licere arbitreris : certe vel istæ balneolæ aliquam decoris gymnasiorum faciant recordationem : ad id, si placet, quod rogo, responde. Videturne tibi sapiens Academicorum scire sapientiam? Ne verba verbis referendo, inquit, in longum eamus, videtur videri sibi scire. Videtur ergo, inquam, tibi nescire? Non enim ego quæro quid tibi videatur videri sapienti, sed utrum tibi videatur sapiens scire sapientiam. Potes, ut opinor, hic aut aiere, aut negare. O utinam, inquit, aut ita mihi facile esset ut tibi, aut ita tibi difficile ut mihi! nec tam molestus esses, nec in his quidquam sperares. Nam cum me interrogares, quid mihi de Academico sapiente videatur; respondi, vi-

[1] Editi habent, *circulum*. Sed melius Mss. decem, *circum*. *(Trente.)*

deri mihi quod videatur sibi scire sapientiam, ne aut temere me scire affirmarem, aut illum non minus temere scire dicerem. Pro magno, inquam, beneficio mihi obsecro concedas primo, ut ad id quod ego, non ad id quod tu te interrogas respondere digneris. Deinde ut spem meam, quam tibi non minus curæ, quam tuam esse certo scio, nunc paululum omittas. Certe si me ista interrogatione decepero, cito transibo in tuam partem, controversiamque finiemus. Postremo ut pulsa nescio qua sollicitudine, qua te tangi video, diligentius animadvertas, quo facile intelligas quid mihi abs te responderi velim. Dixisti enim ideo te non aut aiere aut negare, quod utique faciendum est ad id quod rogo, ne temere te scire dicas quod nescis : quasi vero ego quid scias quæsierim, et non quid tibi videatur. Itaque nunc idem planius (si tamen planius dici potest) interrogo : Videturne tibi scire sapientiam sapiens, an non videtur? Si inveniri, inquit, sapiens qualem ratio prodit, queat; potest mihi videri scire sapientiam. Ratio igitur, inquam, talem tibi prodit esse sapientem, qui sapientiam non ignoret : et recte isthuc. Non enim aliter decebat videri tibi.

10. Quæro ergo jam, utrum possit sapiens inveniri. Si enim potest, potest etiam scire sapientiam, omnisque quæstio inter nos dissoluta est. Si autem non posse dicis, jam non quæretur utrum sapiens aliquid sciat, sed utrum sapiens quisquam esse possit. Quo constituto, jam recedendum erit ab Academicis, et tecum ista quæstio quantum valemus, diligenter cauteque versanda. Nam illis placuit, vel potius visum est, et esse posse hominem sapientem, et tamen in hominem scientiam cadere non posse. Quare illi sapientem nihil scire affirmarunt. Tibi autem videtur scire sapientiam, quod non est utique nihil scire. Simul enim placuit inter nos, quod etiam inter omnes veteres, interque ipsos Academicos, scire falsa neminem posse : unde illud jam restat, ut aut contendas nihil esse sapientiam, aut talem sapientem ab Academicis describi, qualem ratio non habet, fatearis.

### CAPUT V. — *Academicorum inane suffugium præcluditur.*

11. Et his omissis consentias ut quæramus, utrum possit homini talis provenire sapientia, qualem prodit ratio. Non enim aliam debemus, aut possumus recte vocare sapientiam. Etsi concedam, inquit, quod te magnopere niti video, sciri a sapiente sapientiam, et aliquid inter nos deprehensum quod sapiens possit percipere; tamen nequaquam mihi occurrit Academicorum labefactata omnis intentio. Prospicio enim defensionis eis locum non minimum reservatum, nec illam assensionis suspensionem esse præcisam, cum hoc ipso causæ suæ deesse non possint, quo convictos putas. Dicent enim usqueadeo nihil comprehendi, nullique rei assensionem præbendam, ut etiam hoc de nihil percipiendo, quod tota sibi pene vita usque ad te probabiliter persuaserant, nunc ista conclusione sibi extortum sit : ut sive tunc, sive nunc hujus argumenti vis tarditate ingenii mei, sive revera suo robore invicta sit, eos loco movere non possit, cum audacter affirmare adhuc valeant, ne nunc quidem ulli rei consentiendum esse. Forte enim aliquando contra hoc quoque nonnihil vel a se vel a quopiam reperiri posse, quod acute probabiliterque dicatur : suamque imaginem et quasi speculum quoddam in Proteo illo animadverti oportere, qui traditur eo solere capi quo minime caperetur, investigatoresque ejus nunquam eumdem tenuisse, nisi indice alicujusmodi numine (*a*). Quod si adsit, et illam nobis veritatem quæ tantum curæ est demonstrare dignetur, ego quoque vel ipsis invitis, quod minime reor, illos superatos esse confitebor.

12. Bene habet, inquam; prorsus nihil amplius optavi. Nam videte, quæso, bona mihi quot et quanta provenerint. Primum est, quod Academici jam sic convicti esse dicuntur, ut nihil eis restet ad defensionem, nisi quod fieri non potest. Quis enim hoc aut intelligere ullo modo, aut credere valeat, eum qui victus sit, eo ipso quo victus est, victorem se esse gloriari? Deinde si quid jam remanet cum his conflictionis, non ex eo est quod dicunt, nihil sciri posse, sed ex eo quod nulli rei assentiendum esse contendunt. Nunc itaque concordes sumus. Nam ut mihi, ita etiam illis videtur, sapientem scire sapientiam. Sed tamen ab assensione illi temperandum monent. Videri enim sibi tantum dicunt; scire autem nullo modo : quasi ego me scire profitear. Mihi quoque videri istud dico : sum enim stultus, ut etiam ipsi, si nesciunt sapientiam. Approbare autem nos debere aliquid puto, id est, veritatem. De quo eos consulo utrum negent, id est, utrum eis placeat veritati assentiendum non esse. Nunquam hoc dicent, sed eam non inveniri asseverabunt. Ergo et hic ex nonnulla parte socium me tenent, quod utrisque non displicet, atque adeo necessario placet, consentiendum esse veritati. Sed quis eam demonstrabit, inquiunt? Ubi ego cum illis non curabo certare; satis mihi est quod jam probabile non est, nihil scire sapientem, ne rem absurdissimam dicere cogantur, aut nihil esse sapientiam, aut sapientiam nescire sapientem.

### CAPUT VI. — *Veritatem nisi divina ope non percipi.*

13. Quis autem verum possit ostendere, abs te, Alypi, dictum est, a quo ne dissentiam magnopere mihi laborandum est. Etenim numen aliquod aisti solum posse ostendere homini quid sit verum, cum breviter, tum etiam pie. Nihil itaque in hoc sermone nostro libentius audivi, nihil gravius, nihil probabilius, et, si id numen ut confido adsit, nihil verius. Nam et Proteus ille quanta abs te mentis altitudine commemoratus, quanta intentione in optimum philosophiæ genus? Proteus enim ille, ut vos adolescentes non penitus poetas a philosophia contemnendos esse videatis, in imaginem veritatis inducitur. Veritatis, inquam, Proteus in carminibus ostentat sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus comprehensionis nodos vel laxaverit

(*a*) Hujus loci mentio fit lib. 2 de Ordine, c. 15, n. 43.

vel dimiserit. Sunt enim istæ imagines, quæ consuetudine rerum corporalium per istos quibus ad necessaria hujus vitæ utimur sensus, nos etiam cum veritas tenetur, et quasi habetur in manibus, decipere atque illudere moliuntur. Hoc ergo tertium bonum mihi accidit, quod non invenio quanti æstimem. Mecum enim familiarissimus amicus meus, non solum de probabilitate humanæ vitæ, verum etiam de ipsa religione concordat, quod est veri amici manifestissimum indicium. Siquidem amicitia rectissime atque sanctissime definita est, rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensio.

CAPUT VII. — *Augustinus Alypii hortatu habet deinceps orationem contra Academicos. Lepidus quidam locus Ciceronis refertur.*

14. Tamen ne aut Academicorum argumenta quasdam nebulas videantur offundere, aut doctissimorum virorum auctoritati, inter quos maxime Tullius non movere nos non potest, superbe nonnullis resistere videamur; si vobis placet, prius pauca contra eos disseram, quibus videntur disputationes illæ adversari veritati. Deinde ut mihi videtur, ostendam quæ causa fuerit Academicis occultandæ sententiæ suæ. Itaque, Alypi, quamvis te totum in meis partibus videam, tamen suscipe pro his paululum, mihique responde. Quoniam hodie, inquit, auspicato, ut aiunt, processisti, non impediam plenissimam victoriam tuam, et partes illas jam securius, quo abs te imponuntur, tentabo suscipere; si tamen hoc quod interrogationibus te acturum esse significas, in orationem perpetuam (si tibi commodum est) malis convertere; ne vere ut pertinax adversarius, quod a tua humanitate longissimum est, minutis illis telis abs te jam captivus excrucier.

15. Atque ego cum et illos hoc exspectare animadverterem, quasi aliud ingressus exordium: Morem, inquam, vobis geram. Et quamvis post illum laborem scholæ rhetoricæ in hac me levi armatura nonnihil requieturum esse præsumpseram, ut interrogando ista potius agerem quam dicendo; tamen quia et paucissimi sumus, ut clamare mihi contra valetudinem meam non sit necesse; et istum stilum causa ejusdem salutis quasi aurigam moderatoremque sermonis mei esse volui, ne concitatius rapiar animo quam cura corporis poscit: perpetua, ut vultis, oratione audite quid sentiam. Sed primo illud videamus quale sit, unde amatores Academicorum gloriari nimium solent. Nam est in libris Ciceronis, quos in hujus causæ patrocinium scripsit, locus quidam, ut mihi videtur, mira urbanitate conditus, ut nonnullis autem, etiam firmitate roboratus. Difficile est prorsus, ut quemquam non moveat, quod ibi dictum est, Academico sapienti ab omnibus cæterarum sectarum qui sibi sapientes videntur, secundas partes dari, cum primas sibi quemque vindicare necesse sit. Ex quo posse probabiliter confici, eum recte primum esse judicio suo, qui omnium cæterorum judicio sit secundus.

16. Fac enim, verbi causa, Stoicum adesse sapientem; nam contra eos potissimum Academicorum exarsit ingenium: ergo Zeno vel Chrysippus si interrogentur, quis sit sapiens; respondebit eum esse quem ipse descripserit. Contra Epicurus vel quis alius adversariorum negabit, suumque potius peritissimum voluptatum aucupem sapientem esse contendet. Inde ad jurgium: clamat Zeno, et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud quam honestatem; ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito et quasi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem; in quorum societatem et hominem et sapientem trudere nefas esse. Contra ille convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tamen quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem, teste populo, exaggerans, instat acriter, ut nisi ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes: sed si in illos aut in istos concesserit, ab eis quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamabitur. Itaque cum et hac et illac aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc stoicum, quis sit melior; Epicurusne qui delirare illum clamat, an Academicus qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat. Nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rursus te ad illum converte, et quære quem magis amet; Zenonem, a quo bestia nominatur; an Archesilam, a quo audit: Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius. Nonne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem præ illis modestos cautosque homines videri Epicuro? Ita peræque prope de omnibus sectis copiosissime Cicero jucundissimum legentibus quasi spectaculum præbet, velut ostendens nullum illorum esse qui non cum sibi primas partes dederit, quod necesse est, secundas ei dicat dare, quem non repugnare, sed dubitare conspexerit. In quo ego nihil adversabor, nec eis ullam [1] auferam gloriam. Videatur sane quibuslibet Cicero hic non jocatus, sed inania et ventosa quædam, quod ab ipsorum Græculorum levitate abhorret [2], sequi et colligere voluisse.

CAPUT VIII. — *Redarguitur locus e Cicerone allatus.*

17. Quid enim me impedit, quin si huic vanitati resistere velim, facile ostendam quanto minus malum sit indoctum esse quam indocilem? Unde fit ut cum se ille Academicus jactanticulus quasi discipulum singulis dederit, nemoque illi quod se scire putat, persuadere potuerit; magna illorum postea consensione rideatur. Jam enim quisque alium quemlibet adversariorum suorum nihil didicisse, hunc vero nihil posse discere judicabit. Ex quo deinceps de omnium scholis non ferulis, quod esset deformius quam molestius, sed illorum palliatorum clavis et fustibus projicietur.

[1] Am. et Er. habent, *nec ei Syllæ auferam gloriam.*
[2] In prius excusis, *non abhorréret.* Sed octo Mss. ferunt, *abhorret,* nec minus bene. [*Abhorreret*].

Non enim magnum negotium erit, contra communem pestem velut Herculea quædam postulare auxilia Cynicorum. Si autem ista vilissima gloria cum his certare libeat, quod philosophanti mihi jam quidem, sed nondum sapienti faciliore venia concedendum est; quid habebunt quod possint refellere? Ecce enim faciamus me atque Academicum in illas lites philosophorum irruisse: omnes prorsus adsint, exponant breviter pro tempore sententias suas. Quæratur de Carneade quid sentiat. Dubitare se dicet. Itaque illum singuli præferent cæteris. Ergo omnes omnibus: magna nimirum atque altissima gloria. Quis istum nolit imitari? et ego itaque interrogatus, idem respondebo; par erit laus. Ea igitur gloria gaudet sapiens, in qua illi stultus æquatur? Quid si eum etiam facile superat? Nihilne agit pudor? Nam istum Academicum jam de judicio discedentem tenebo. Quippe avidior hujusmodi victoriæ stultitia est. Ergo eo retento prodam judicibus quod ignorant, et dicam: Ego, viri optimi, hoc cum isto commune habeo, quod dubitat quis vestrum verum sequatur. Sed habemus etiam proprias sententias, de quibus peto judicetis. Nam mihi incertum est quidem, quamvis audierim decreta vestra, ubi sit verum: sed ideo quod qui sit in vobis sapiens, ignoro. Iste autem etiam ipsum sapientem negat aliquid scire, ne ipsam quidem, unde sapiens dicitur, sapientiam. Quis non videat palma illa cujus sit? Nam si hoc adversarius meus dixerit, vincam gloria; si autem erubescens confessus fuerit sapientem scire sapientiam, vincam sententia.

### CAPUT IX. — *Zenonis definitio discutitur.*

18. Sed ab hoc jam litigioso tribunali secedamus in aliquem locum, ubi nobis nulla turba molesta sit; atque utinam in ipsam scholam Platonis, quæ nomen ex eo dicitur accepisse, quod a populo sit secreta: hic jam non de gloria, quod leve ac puerile est, sed de ipsa vita, et de aliqua spe animi beati, quantum inter nos possumus, disseramus. Negant Academici sciri aliquid posse. Unde hoc vobis placuit, studiosissimi homines atque doctissimi? Movit nos, inquiunt, definitio Zenonis. Cur quæso? Nam si vera est, nonnihil veri novit, qui vel ipsam novit; sin falsa, non debuit constantissimos commovere. Sed videamus quid ait Zeno. Tale scilicet visum comprehendi et percipi posse, quale cum falso non haberet signa communia. Hoccine te movit, homo Platonice, ut omnibus viribus ab spe discendi studiosos retraheres, ut totum negotium philosophandi adjuvante quodam etiam mentis ingemiscendo torpore desererent?

19. Sed quomodo illum non permoveret, si et nihil tale inveniri potest, et nisi quid tale est, percipi non potest? hoc si ita est, dicendum potius erat, non posse in hominem cadere sapientiam, quam sapientem nescire cur vivat, nescire quemadmodum vivat, nescire utrum vivat; postremo, quo perversius magisque delirum et insanum dici nihil potest, simul et sapientem esse, et ignorare sapientiam. Quid enim est durius, hominem non posse esse sapientem, an sapientem nescire sapientiam? Nihil hinc disputandum est, si res ipsa ita posita satis non est ad dijudicandum. Sed illud forte si diceretur, penitus homines a philosophando averterentur: nunc vero inducendi sunt sapientiæ dulcissimo ac sanctissimo nomine, ut cum contrita ætate nihil didicerint, postea te summis exsecrationibus prosequantur, quem relictis saltem voluptatibus corporis, ad animi tormenta sunt secuti.

20. Sed videamus per quem potius a philosophia deterreantur. Per eumne qui dixerit: Audi, amice; philosophia non ipsa sapientia, sed studium sapientiæ vocatur, ad quam te si contuleris, non quidem dum hic vivis sapiens eris (est enim apud Deum sapientia, nec provenire homini potest), sed cum te tali studio satis exercueris atque mundaveris, animus tuus ea post hanc vitam, id est, cum homo esse desieris, facile perfruetur? An per eum qui dixerit: Venite, mortales, ad philosophiam; magnus hic fructus est: quid enim homini sapientia charius? venite igitur ut sapientes sitis, et sapientiam nesciatis? Non, inquit, a me ita dicetur. Hoc est decipere, nam nihil aliud apud te invenietur. Ita fit ut si hoc dixeris, fugiant tanquam insanum; si alio modo ad hoc adduxeris, facias insanos. Sed credamus, propter utramque sententiam æque homines nolle philosophari. Si aliquid philosophiæ perniciosum Zenonis definitio dicere cogebat, mi homo, idne homini dicendum fuit, unde se doleret; an id, unde te derideret?

21. Tamen quod Zeno definivit, quantum stulti possumus, discutiamus. Id visum ait posse comprehendi, quod sic appareret, ut falsum apparere non posset. Manifestum est, nihil aliud in perceptionem venire. Hoc et ego, inquit Archesilas, video, et hoc ipso doceo nihil percipi. Non enim tale aliquid inveniri potest. Fortasse abs te, atque ab aliis stultis: at a sapiente cur non potest? Quanquam et ipsi stulto nihil responderi posse arbitror, si tibi dicat ut illo memorabili acumine tuo hanc ipsam Zenonis definitionem refellas, et ostendas eam etiam falsam esse posse: quod si non potueris, hanc ipsam quam percipias habes; si autem refelleris, unde a percipiendo impediaris non habes. Ego eam refelli posse non video, et omnino verissimam judico. Itaque cum eam scio, quamvis sim stultus, nonnihil scio. Sed fac illam cedere versutiæ tuæ. Utar complexione securissima. Aut enim vera est, aut falsa: si vera, bene teneo; si falsa, potest aliquid percipi, etiamsi habeat communia signa cum falso. Unde, inquit, potest? Verissime igitur Zeno definivit, nec ei quisquis vel in hoc consensit, erravit. An parvæ laudis et sinceritatis definitionem putabimus, quæ contra eos qui erant adversum perceptionem multa dicturi, cum designaret quale esset quod percipi posset, seipsam talem esse monstravit? Itaque comprehensibilibus rebus et definitio est, et exemplum. Utrum, ait, etiam ipsa vera sit nescio: sed quia est probabilis, ideo sequens eam ostendo nihil esse tale, quale illa expressit posse comprehendi. Ostendis fortasse præter ipsam, et vides, ut arbitror, quid sequatur. Quod si etiam ejus incerti sumus, nec ita nos deserit scientia; scimus enim aut veram esse, aut fal-

sam: non igitur nihil scimus. Quanquam nunquam efficiet ut ingratus sim, prorsus ego illam definitionem verissimam judico. Aut enim possunt percipi et falsa, quod vehementius Academici timent, et revera absurdum est; aut nec ea possunt, quæ sunt falsis similia: unde illa definitio vera est. Sed jam cætera videamus.

CAPUT X. — *Duo Academicorum effata.*

22. Quamvis hæc, nisi fallor, possint ad victoriam satis esse, non tamen fortasse ad victoriæ satietatem. Duo sunt quæ ab Academicis dicuntur, contra quæ, ut valemus, venire instituimus: *Nihil posse percipi*; et, *Nulli rei debere assentiri*. De assentiendo mox alias, nunc pauca de perceptione dicemus. Nihilne prorsus dicitis posse comprehendi? Hic evigilavit Carneades: nam nemo istorum minus alte quam ille dormivit, et circumspexit rerum evidentiam. Itaque credo, secum ipse, ut fit, loquens: Ergone, ait, Carneades, dicturus es nescire te utrum homo sis, an formica? Aut de te Chrysippus triumphabit? Dicamus ea nos nescire quæ inter philosophos inquiruntur; cætera ad nos non pertinere, ut si in luce titubavero quotidiana et vulgari, ad illas imperitorum tenebras provocem, ubi soli quidam divini oculi vident: qui me etiam si palpitantem atque cadentem aspexerint, cæcis prodere nequeant, præsertim arrogantibus, et quos doceri aliquid pudeat. Laute quidem, o græca industria, succincta et parata procedis; sed non respicis illam definitionem et inventum esse philosophi, et in vestibulo philosophiæ fixam atque fundatam. Quam si succidere tentabis, rediet bipennis in crura: illa enim labefactata, non solum potest aliquid percipi, sed etiam id potest quod simillimum falso est, si eam non audebis evertere. Est enim latibulum tuum unde in incautos transire cupientes vehemens erumpis atque exsilis: aliquis te Hercules in tua spelunca tanquam semihominem Cacum [1] suffocabit, et ejusdem molibus opprimet, docens aliquid esse in philosophia quod tanquam simile falso incertum abs te fieri non possit. Certe ad alia properabam; hoc quisquis urget, teipsum, Carneades, magna afficit contumelia, quem a me veluti mortuum putat ubicumque aut undecumque posse superari. Si autem non putat, immisericors est, qui me passim deserere præsidia et tecum in campo certare cogit: in quem descendere cum cœpissem, solo tuo nomine territus pedem retuli, et de superiore loco nescio quid jaculatus sum, quod utrum ad te pervenerit, vel quid egerit, viderint sub quorum examine dimicamus. Sed quid metuo ineptus? Si bene memini, mortuus es, nec jam pro sepulcro tuo jure pugnat Alypius: facile me contra umbram tuam Deus adjuvabit.

23. Nihil ais in philosophia posse percipi. Et ut orationem tuam large lateque diffundas, arripis rixas, dissensionesque philosophorum, et eas tibi contra illos arma ministrare arbitraris. Quomodo enim inter Democritum et superiores physicos de uno mundo, et innumerabilibus litem dijudicabimus, cum inter ipsum hæredemque ejus Epicurum concordia manere nequiverit? Nam iste luxuriosus cum atomos quasi ancillulas suas, id est corpuscula quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim sponte declinare permittit; totum patrimonium etiam per jurgia dissipavit. Hoc vero nihil ad me attinet. Si enim ad sapientiam pertinet horum aliquid scire, id non potest latere sapientem. Si autem aliud quiddam est sapientia [1]; illam scit sapiens, ista contemnit. Tamen ego qui longe adhuc absum vel a vicinitate sapientis, in istis physicis nonnihil scio. Certum enim habeo, aut unum esse mundum, aut non unum; et si non unum, aut finiti numeri, aut infiniti. Istam sententiam Carneades falsæ esse similem doceat. Item scio mundum istum nostrum, aut natura corporum, aut aliqua providentia sic esse dispositum; eumque aut semper fuisse et fore, aut cœpisse esse minime desiturum; aut ortum ex tempore non habere, sed habiturum esse finem; aut et manere cœpisse, et non perpetuo esse mansurum: et innumerabilia physica hoc modo novi. Vera enim ista sunt disjuncta, nec similitudine aliqua falsi ea potest quisquam confundere. Sed assume aliquid, ait Academicus. Nolo: nam hoc est dicere, Relinque quod scis, dic quod nescis. Sed pendet sententia. Melius certe pendet quam cadit: nempe plana est [2]; nempe jam potest aut falsa, aut vera nominari. Hanc ergo me scire dico. Tu qui nec ad philosophiam pertinere ista negas, et eorum sciri nihil posse asseris, ostende me ista nescire: dic istas disjunctiones aut falsas esse, aut aliquid commune habere cum falso, per quod discerni omnino non possint.

CAPUT XI. — *Ex sensuum imbecillitate non effici ut nihil veri percipiatur. Neque ex somno et furore.*

24. Unde, inquit, scis esse istum mundum, si sensus falluntur? Nunquam rationes vestræ ita vim sensuum refellere potuerunt, ut convinceretis nobis nihil videri: nec omnino ausi estis aliquando ista tentare; sed posse aliud esse ac videtur, vehementer persuadere incubuistis. Ego itaque hoc totum, qualecumque est quod nos continet, atque alit; hoc, inquam, quod oculis meis apparet, a meque sentitur habere terram et cœlum, aut quasi terram, et quasi cœlum, mundum voco. Si dicis nihil mihi videri, nunquam errabo. Is enim errat, qui quod sibi videtur, temere probat. Posse enim falsum videri a sentientibus dicitis, nihil videri non dicitis. Prorsus enim omnis disputationis causa tolletur, ubi regnare vos libet, si non solum nihil scimus, sed etiam nihil nobis videtur. Si autem hoc quod mihi videtur negas mundum esse, de nomine controversiam facis, cum id a me dixerim mundum vocari.

25. Etiamne, inquies, si dormis, mundus est iste quem vides? Jam dictum est, quidquid tale mihi videtur, mundum appello. Sed si eum solum placet mundum vocare, qui videtur a vigilantibus vel etiam a sanis; illud contende, si potes, eos qui dormiunt ac

[1] Undecim Mss., *semihominem suffocabit*, omisso nomine *Cacum*.

[1] Ita Mss. At Edd., *sapientiam illam*.
[2] Septem Mss., *plena est*.

furiunt, non in mundo furere atque dormire. Quamobrem hoc dico, istam totam corporum molem atque machinam in qua sumus, sive dormientes, sive furentes, sive vigilantes, sive sani, aut unam esse, aut non esse unam. Edissere, quomodo possit ista esse falsa sententia. Si enim dormio, fieri potest ut nihil dixerim; aut si etiam ore dormientis verba, ut solet, evascrunt, potest fieri ut non hic, non ita sedens, non istis audientibus dixerim : ut autem hoc falsum sit, non potest. Nec ego illud me percepisse dico, quod vigilem. Potes enim dicere, hoc mihi etiam dormienti videri potuisse; ideoque hoc potest esse falso simillimum. Si autem unus et sex mundi sunt; septem mundos esse, quoquo modo affectus sim, manifestum est, et id me scire non impudenter affirmo. Quare vel hanc connexionem, vel illas superius disjunctiones, doce somno aut furore aut vanitate sensuum posse esse falsas; et me, si expergefactus ista meminero, victum esse concedam. Credo enim jam satis liquere quæ per somnium et dementiam falsa videantur, ea scilicet quæ ad corporis sensus pertinent : nam ter terna novem esse, et quadratum intelligibilium numerorum, necesse est vel genere humano stertente sit verum. Quanquam etiam pro ipsis sensibus multa posse dici video, quæ ab Academicis reprehensa non invenimus. Credo enim sensus non accusari, vel quod imaginationes falsas furentes patiuntur, vel quod falsa in somnis videmus. Si enim vera vigilantibus atque sanis renuntiarunt; nihil ad eos, quid sibi animus dormientis insanientisque confingat [1].

26. Restat ut quæratur, utrum cum ipsi renuntiant, verum renuntient. Age, si dicat Epicureus quispiam, Nihil habeo quod de sensibus conquerar : injustum est enim ab eis exigere plusquam possunt; quidquid autem possunt videre oculi, verum vident. Ergone verum est quod de remo in aqua vident? Prorsus verum. Nam causa accedente quare ita videretur, si demersus unda remus rectus appareret, magis oculos meos falsæ renuntiationis arguerem. Non enim viderent quod talibus existentibus causis videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis avium, hoc de cæteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor, si assentiar, ait quispiam. Noli plus assentiri, quam ut ita tibi apparere persuadeas; et nulla deceptio est. Non enim video, quomodo refellat Academicus eum qui dicit : Hoc mihi candidum videri scio; hoc auditum meum delectari scio; hoc mihi jucunde olere scio; hoc mihi sapere dulciter scio; hoc mihi esse frigidum scio. Dic potius, utrum per se amaræ sint oleastri frondes, quas caper tam pertinaciter appetit. O hominem improbum! nonne est caper ipse modestior? Nescio quales pecori sint, mihi tamen amaræ sunt : quid quæris amplius? Sed est fortasse aliquis etiam hominum, cui non sint amaræ. Tendisne in molestiam? Numquidnam ego amaras esse omnibus dixi? mihi dixi, et hoc non semper affirmo. Quid si enim alias alia causa, nunc dulce quidpiam, nunc amarum in ore sentiatur? Illud dico, posse hominem cum aliquid gustat, bona fide jurare, se scire palato suo illud suave esse, vel contra, nec ulla calumnia græca ab ista scientia posse deduci. Quis enim tam impudens sit, qui mihi cum delectatione aliquid ligurienti dicat : Fortasse non gustas, sed hoc somnium est? Numquidnam resisto? Sed me tamen illud in somnis etiam delectaret. Quare illud quod me scire dixi, nulla confundit similitudo falsorum. Et Epicureus, vel Cyrenaici et alia multa fortasse pro sensibus dicant, contra quæ nihil dictum esse ab Academicis accepi. Sed quid ad me? Si volunt ista, et si possunt, etiam me favente rescindant. Quidquid enim contra sensus ab eis disputatur, non contra omnes philosophos valet. Sunt enim qui ista omnia, quæ corporis sensu accipit animus, opinionem posse gignere confitentur, scientiam vero negant. Quam tamen volunt intelligentia contineri, remotamque a sensibus in mente vivere. Et forte in eorum numero est sapiens ille quem quærimus. Sed de hoc alias. Nunc ad reliqua pergamus quæ propter ista quæ jam dicta sunt, paucis, nisi fallor, explicabimus.

CAPUT XII. — *Urget Academicos causare frustra sensuum vel somni et furoris deceptiones.*

27. Quid enim de moribus inquirentem vel juvat vel impedit corporis sensus? Nisi vero illos ipsos qui summum hominis bonum in voluptate posuere, nihil impedit aut columbæ collum, aut vox incerta, aut grave pondus homini quod camelis leve est, aut alia sexcenta, quominus dicant eo quo delectantur delectari se scire, vel eo quo offenduntur offendi (quod refelli posse non video); eum commovebunt qui finem boni mente complectitur. Quid horum tu eligis? Si quid mihi videatur, quæris; in mente arbitror esse summum hominis bonum (*Lib. I Retract., cap. 1, n. 4*). Sed nunc de scientia quærimus. Ergo interroga sapientem, qui non potest ignorare sapientiam : mihi tamen tardo illi atque stulto licet interim scire, boni humani finem, in quo inhabitet beata vita, aut nullum esse, aut in animo esse, aut in corpore, aut in utroque. Hoc me, si potes, nescire convince; quod notissimæ illæ vestræ rationes nullo modo faciunt. Quod si non potes, non enim reperies cui falso simile sit, egone concludere dubitabo, recte mihi videri scire sapientem quidquid in philosophia verum est, cum ego inde tam multa vera cognoverim?

28. Sed metuit fortasse ne summum bonum eligat dormiens. Nihil periculi est : cum evigilaverit, repudiabit si displicet, tenebit si placet. Quis enim eum recte vituperabit quod falsum vidit in somnis? Aut fortasse illud formidabit, ne dormiens amittat sapientiam, si pro veris falsa probaverit? Hoc jam ne dormiens quidem audet somniare, ut sapientem vigilantem vocet, neget si dormiat. Hæc etiam de furore dici possunt : sed in alia festinat oratio. Hæc tamen sine conclusione securissima non relinquo. Aut enim amittitur furore sapientia, et jam non erit sapiens, quem verum ignorare clamatis : aut scientia

[1] Par., *qui sibi animum... confingant*. M.

ejus manet in intellectu, etiamsi pars animi cætera id quod accepit a sensibus velut in somnis imaginetur.

CAPUT XIII. — *Multa percipi in dialectica.*

29. Restat dialectica, quam certe sapiens bene novit, nec falsum scire quisquam potest. Si vero eam nescit, non pertinet ad sapientiam ejus cognitio, sine qua esse sapiens potuit; et superfluo utrum vera sit, possitve percipi, quærimus. Hic fortasse aliquis mihi dicat: Soles prodere tu stulte, quid noveris: an de dialectica nihil scire potuisti? Ego vero plura quam de quavis parte philosophiæ. Nam primo omnes illas propositiones, quibus supra usus sum, veras esse ista me docuit. Deinde per istam novi alia multa vera. Sed quam multa sint, numerate, si potestis. Si quatuor in mundo elementa sunt, non sunt quinque. Si sol unus est, non sunt duo. Non potest una anima et mori et esse immortalis. Non potest homo simul et beatus, et miser esse. Non hic et sol lucet, et nox est. Aut vigilamus nunc, aut dormimus. Aut corpus est, quod mihi videre videor, aut non est corpus. Hæc et alia multa, quæ commemorare longissimum est, per istam didici vera esse, quoquo modo sese habeant sensus nostri, in se ipsa vera. Docuit me [1], si cujus eorum quæ per connexionem modo proposui pars antecedens assumpta fuerit, trahere necessario id quod annexum est. Ea vero quæ per repugnantiam vel disjunctionem a me sunt enuntiata, hanc habere naturam, ut cum auferuntur cætera, sive unum, sive plura sint, restet aliquid quod eorum ablatione firmetur. Docuit etiam me, cum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi: et quisquis id faciat, si imperitia faciat, docendum esse; si malitia, deserendum: si doceri non potest, monendum ut aliquid aliud potius agat, quam tempus in superfluis operamque consumat; si non obtemperat, negligendum. De captiosis autem atque fallacibus ratiunculis breve præceptum est: si male concedendo inferuntur, ad ea quæ concessa sunt esse redeundum. Si verum falsumque in una conclusione confligunt, accipiendum inde quod intelligitur, quod explicari non potest relinquendum. Si autem modus in aliquibus rebus latet penitus hominem, scientiam ejus non esse quærendam. Hæc quidem habeo a dialectica, et alia multa quæ commemorare non est necesse. Neque enim debeo ingratus existere. Verum ille sapiens aut hæc negligit, aut si profecto dialectica ipsa scientia veritatis est, sic illam novit ut istorum mendacissimam calumniam: *Si verum est, falsum est; si falsum est, verum est*: contemnendo, et non miserando fame enecet [2]. Hæc de perceptione satis esse propterea puto, quia de assentiendo cum dicere cœpero, tota ibi rursum causa versabitur.

CAPUT XIV. — *Sapientem oportet sapientiæ saltem assentiri.*

30. Jam ergo ad eam partem veniamus, in qua dubitare adhuc videtur Alypius. Et primo idipsum perspiciamus quale sit, quod te acutissime atque cautissime movet. Nam si tot tantisque rationibus roboratam [1] (hoc enim dixisti) Academicorum sententiam, qua eis placuit nihil scire sapientem, hoc tuum labefactat inventum, quo cogimur confiteri multo esse probabilius, sapientem scire sapientiam; magis est assensio cohibenda. Hoc enim ipso ostenditur nihil quamlibet copiosissimis subtilissimisque argumentis posse suaderi, cui non ex parte contraria, si adsit ingenium, non minus acriter, vel fortasse acrius resistatur. Eo fit, ut cum sit victus Academicus, vicerit. O utinam vincatur! nunquam efficiet quavis arte Pelasga, ut simul a me victus victorque discedat. Certe nihil aliud inveniatur quod adversum ista dici possit, et ultro me victum esse profiteor. Non enim de gloria comparanda, sed de invenienda veritate tractamus. Mihi satis est, quoquo modo molem istam transcendere, quæ intrantibus ad philosophiam sese opponit, et nescio quibus receptaculis tenebrascens [2] talem esse philosophiam totam minatur, nihilque in ea lucis inventum iri sperare permittit. Quid autem amplius desiderem, nihil habeo, si jam probabile est, nonnihil scire sapientem. Non enim alia causa veri simile videbatur eum assensionem sustinere debere, nisi quia erat veri simile nihil posse comprehendi. Quo sublato, percipit enim sapiens vel ipsam, ut jam conceditur, sapientiam, nulla jam causa remanebit cur non assentiatur sapiens vel ipsi sapientiæ. Est enim sine dubitatione monstrosius sapientem non approbare sapientiam, quam sapientem nescire sapientiam.

31. Nam quæso, paululum quasi ante oculos tale spectaculum constituamus, si possumus, rixam quamdam sapientis et sapientiæ. Quid aliud dicit sapientia, quam se esse sapientiam? At contra iste, Non credo, inquit. Quis ait sapientiæ: Non credo esse sapientiam? quis, nisi is cum quo illa loqui potuit, et in quo habitare dignata est, scilicet sapiens? Ite nunc, et me quærite, qui cum Academicis pugnem: habetis jam novum certamen, sapiens et sapientia secum pugnant. Sapiens non vult consentire sapientiæ, ego vobiscum securus exspecto. Quis enim non credat invictam esse sapientiam? Tamen nos aliqua complexione muniamus. Aut enim in hoc certamine Academicus vincet sapientiam: et a me vincetur, quia non erit sapiens: aut ab ea superabitur; et sapientem sapientiæ consentire docebimus. Aut igitur sapiens Academicus non est, aut nonnulli rei sapiens assentietur: nisi forte quem dicere puduit sapientem nescire sapientiam, sapientem non consentire sapientiæ dicere non pudebit. At si jam veri simile est cadere in sapientem vel ipsius sapientiæ perceptionem, et nulla causa est, cur non ei quod potest percipi assentiatur; video quod volebam esse veri simile, sapientem scilicet assensurum esse sapientiæ. Si quæres ubi inveniat ipsam sapientiam; respondebo, In semetipso. Si dicis eum nescire quod habeat, redis ad illud absurdum, sapientem nescire

[1] Lov., *in se. Ipsa vero docuit me.*
[2] Am. Er. et Lov. omittunt *fame.* Mss. quatuor, *et non miseranda fama.* Sed verius alii novem, *et non miserando fame enecet:* quibus accedit Bad.

[1] Lov., *roboratum.* At alii Cdd., *roboratam.*
[2] *Tenebras tegens,* juxta Par. Er. Ven. M.

sapientiam. Si sapientem ipsum negas posse inveniri; non jam cum Academicis, sed tecum, quisquis hoc sentis, sermone alio disseremus. Illi enim cum hæc disputant, de sapiente profecto disputant. Clamat Cicero, seipsum magnum esse opinatorem, sed de sapiente se quærere. Quod si adhuc vos, adolescentes, ignotum habetis, certe in Hortensio legistis : *Si igitur nec certi est quidquam, nec opinari sapientis est; nihil unquam sapiens approbabit.* Unde manifestum est eos de sapiente illis suis disputationibus, contra quas nitimur, quærere.

32. Ergo arbitror ego sapienti certam esse sapientiam, id est sapientem percepisse sapientiam; et ob hoc eum non opinari, cum assentitur sapientiæ : assentitur enim ei rei, quam si non percepisset, sapiens non esset. Nec isti quemquam non debere assentiri, nisi rebus quæ non possunt percipi, affirmant. Non autem sapientia nihil est. Cum igitur et scit sapientiam, et assentitur sapientiæ; neque nihil scit, neque nulli rei sapiens assentitur. Quid amplius vultis? An de illo errore aliquid quærimus, quem dicunt penitus evitari, si in nullam rem animum declinet assensio? Errat enim, inquiunt, quisquis non solum rem falsam, sed etiam dubiam, quamvis vera sit, approbat : nihil autem quod dubium non sit invenio. At invenit sapiens ipsam, ut dicebamus, sapientiam.

CAPUT XV. — *An qui sequitur in agendo probabile citra assensum, vitet errorem.*

33. Sed hinc jam vultis fortasse me discedere. Non sunt facile securissima relinquenda; cum versutissimis hominibus agimus : morem tamen vobis geram. Sed quid hic dicam? quid? quidnam? illud nimirum vetus dicendum est, ubi et ipsi habent quod dicant. Quid enim faciam, quem de castris meis foras truditis? num implorabo auxilia doctiorum, cum quibus si superare nequeo, minus pudebit fortasse superari? Jaciam igitur quibus viribus possum fumosum quidem jam et scabrum, sed nisi fallor, validissimum telum. Qui nihil approbat, nihil agit. O hominem rusticum! Et ubi est probabile? ubi est verisimile? Hoc volebatis. Auditisne ut sonent scuta græcanica? Exceptum est quod robustissimum quidem [1] : sed qua manu jaculati sumus? Et nihil mihi potentius isti mei suggerunt; nec aliquid, ut video, vulneris fecimus. Convertam me ad ea quæ villa et ager ministrat : onerant me potius majora quam præparant.

34. Nam cum otiosus diu cogitassem in isto rure, quonam modo possit isthuc probabile ac veri simile actus nostros ab errore defendere; primo visum est mihi, ut solet videri cum ista vendebam, belle tectum et munitum. Deinde ubi totum cautius circumspexi, visus sum mihi vidisse unum aditum, qua in securos error irrueret. Non enim solum puto eum errare, qui falsam viam sequitur; sed etiam eum qui veram non sequitur. Faciamus enim duos viatores ad unum locum tendentes, quorum alter instituerit nulli credere, alter nimis credulus sit. Ventum est ad aliquod bivium : hic ille credulus pastori qui aderat, vel cuipiam rusticano : Salve, frugi homo; dic quæso, qua bene in illum locum pergatur. Respondetur : Si hac ibis, nihil errabis. Et ille ad comitem : Verum dicit, hac eamus. Ridet vir cautissimus, et tam cito assensum facetissime illudit, atque interea illo discedente in bivio figitur : et jam incipit videri turpe cessare, cum ecce ex alio viæ cornu lautus quidam et urbanus equo insidens eminet, et propinquare occipit : gratulatur iste. Tum advenienti, et salutato indicat propositum, quærit viam; dicit etiam remansionis suæ causam, quo benevolentiorem reddat, pastori eum præferens. Ille autem casu planus erat de iis quos Samardacos [1] jam vulgus vocat. Tenuit suum morem homo pessimus etiam gratis. Hac perge, ait : nam ego inde venio. Decepit, atque abiit. Sed quando iste deciperetur? Non enim monstrationem istam tanquam veram, inquit, approbo; sed quia est veri similis. Et hic otiosum esse nec honestum, nec utile est; hac eam. Interea ille qui assentiendo erravit, tam cito existimans vera esse verba pastoris, in loco illo quo tendebant, jam se reficiebat : iste autem non errans, siquidem probabile sequitur, circumit silvas nescio quas, nec jam cui locus ille notus sit, ad quem venire proposuerat, invenit. Vere vobis dicam, cum ista cogitarem, risum tenere non potui, fieri per Academicorum verba nescio quomodo, ut erret ille qui veram viam vel casu tenet; ille autem qui per avios montes probabiliter ductus est, nec petitam regionem invenit, non videatur errare. Ut enim temerariam consensionem jure condemnem, facilius ambo errant, quam iste non errat. Hinc jam adversum ista verba vigilantior, ipsa facta hominum et mores considerare cœpi. Tum vero tam multa mihi et tam capitalia in istos venerunt in mentem, ut jam non riderem, sed partim stomacharer, partim dolerem homines doctissimos et acutissimos in tanta scelera sententiarum et flagitia devolutos.

CAPUT XVI. — *Facere quod videtur probabile etiam citra assensum, nefarium est.*

35. Certe enim, non fortasse omnis qui errat, peccat; omnis tamen qui peccat, aut errare conceditur, aut aliquid pejus. Quid si ergo aliquis adolescentium cum hos audierit dicentes : Turpe est errare, et ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat [2], nec errat : illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens, insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ, Te, te consulo, M. Tulli; de adolescentium moribus vitaque tractamus, cui educandæ atque instituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile ut id

[1] Ed. Par., *quod robustissimum quidem est.* M.

[1] Ita scribitur in editione Bad. et in pluribus Mss. In antiquis etiam editionibus Chrysostomi, Homil 17, in Epist. ad Ephes. legitur *samardakous*, ibique significat *gelotopoious;* nec multum aliter apud Am. et tres Mss. qui habent, *Samardocos.* At Er. et Lov. *Sarmadacos;* uti etiam scribit vetus commentator Horatii, ad illud lib. 1, Satir. 6, « Fallacem « circum : » ubi eos dicit « Sarmadacos et sortilegos ma« thematicos, qui ad metas spectatores circumstabant et im« peritos nugis fallebant.»

[2] Bad. et Mss. undecim, *quod ei videtur probabile, nec cessat, nec errat.*

faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare rempublicam; quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam: qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet a quo defendatur? Quanquam etiam si inveniat, quid dicturus es? Negabis profecto. Quid si tam clarum est, ut frustra inficiere? Persuadebis nimirum, tanquam in Cumano gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imo etiam nec errasse quidem. Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit; probabile occurrit, secutus est, fecit : aut fortasse non fecit, sed fecisse sibi visus est. Iste autem maritus, homo fatuus, perturbat omnia litibus pro uxoris castitate proclamans, cum qua forte nunc dormit, et nescit. Hoc illi judices si intellexerint, aut negligent Academicos, et tanquam crimen verissimum punient; aut eisdem obtemperantes, verisimiliter hominem probabiliterque damnabunt, ut jam quid agat iste patronus prorsus ignoret. Cui enim succenseat non habebit, cum omnes se nihil errasse dicant; quando non assentientes, id quod visum est, probabile fecerint. Ponet igitur personam patroni, et philosophi consolatoris suscipiet: ita facile adolescenti, qui jam tantum in Academia profecerit, persuadebit ut se tanquam in somnis putet esse damnatum. Sed vos me jocari arbitramini : liquet [1] dejerare per omne divinum (*Lib. I Retract. cap.* 1,*n.* 4), nescire me prorsus quomodo iste peccaverit; si, quisquis id egerit quod probabile videtur, non peccat. Nisi forte in totum aliud esse dicunt errare, aliud peccare; seque illis præceptis egisse ne erremus, peccare autem nihil magnum esse duxisse.

36. Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, et quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur : Nihil consensi, et ideo non erravi. Quomodo autem non facerem quod probabile visum est? Qui autem non putant ista probabiliter posse persuaderi, legant orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit (*Sallust., de Bello Catil., cap.* 12). Jam illud quis non ridet? Ipsi dicunt, nihil se in agendo sequi nisi probabile, et quærunt magnopere veritatem, cum eis sit probabile non posse inveniri. O mirum monstrum! Sed hoc omittamus, minus id ad nos, minus ad vitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committat. Quid ergo? Hæc illi non viderunt? Imo solertissime prudentissimeque viderunt, nec mihi ullo pacto tantum arrogaverim, ut M. Tullium aliqua ex parte sequar industria, vigilantia, ingenio, doctrina : cui tamen asserenti, nihil scire posse hominem, si hoc solum diceretur, Scio ita videri mihi; unde id refelleret non haberet.

CAPUT XVII.— *Academici quare dissimularint suam sententiam.*

37. Quid igitur placuit tantis viris perpetuis et pertinacibus contentionibus agere, ne in quemquam cadere veri scientia videretur? Audite jam paulo attentius, non quid sciam, sed quid existimem : hoc enim ad ultimum reservabam, ut explicarem, si possem, quale mihi videatur esse totum Academicorum consilium. Plato vir sapientissimus et eruditissimus temporum suorum, qui et ita locutus est, ut quæcumque diceret, magna fierent, et ea locutus est, ut quomodocumque diceret, parva non fierent (*Lib. I Retract., cap.* 1, *n.* 4); dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, a Pythagoreis etiam multa didicisse. Pythagoras autem græca philosophia non contentus, quæ tunc aut pene nulla erat, aut certe occultissima, postquam commotus Pherecydæ cujusdam Syri disputationibus, immortalem esse animum credidit, multos sapientes etiam longe lateque peregrinatus audierat. Igitur Plato adjiciens lepori subtilitatique Socraticæ quam in moralibus habuit, naturalium divinarumque rerum peritiam, quam ab eis quos memoravi diligenter acceperat; subjungensque quasi formatricem illarum partium, judicemque dialecticam, quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset; perfectam dicitur composuisse philosophiæ disciplinam, de qua nunc disserere tempus [1] non est. Sat est enim ad id quod volo, Platonem sensisse duos esse mundos: unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret; istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire. Itaque illum verum, hunc veri similem et ad illius imaginem factum. Et ideo de illo in ea, quæ se cognosceret, anima velut expoliri et quasi serenari veritatem; de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quæ, nisi paucis sapientibus, ignotæ essent, non posse nisi veri simile nominari.

38. Hæc et alia hujusmodi mihi videntur inter successores ejus, quantum poterant, esse servata, et pro mysteriis custodita. Non enim aut facile ista percipiuntur, nisi ab eis qui se ab omnibus vitiis mundantes, in aliam quamdam plus quam humanam consuetudinem vindicaverint; aut non graviter peccat quisquis ea sciens quoslibet homines docere voluerit. Itaque Zenonem principem Stoicorum, cum jam quibusdam auditis et creditis, in scholam relictam a Platone venisset, quam tunc Polemo retinebat, suspectum habitum suspicor, nec talem visum cui Platonica illa velut sacrosancta decreta facile prodi committique deberent, priusquam dedicisset [2] ea, quæ in illam scholam ab aliis accepta

[1] Lov., *libet.* Restituitur ex Am., Er. et Mss., *liquet dejerare*; quod jam in lib. 1 Retract. c. 1 annotavimus usurpatum esse ex Terentio. Hunc nempe atque alios politioris latinitatis auctores æmulari amabat Augustinus, in his litteris « jam quidem servientibus Deo, sed adhuc superbiæ « scholam tanquam in pausatione anhelantibus, » ut ipse ait lib. 9 Conf. c. 4.

[1] In B., *temporis.* Cæteri omnes editi, *tempus.* M.

[2] Lov., *dedocuissent.*

detulerat. Moritur Polemo, succedit ei Archesilas Zenonis quidem condiscipulus, sed sub Polemonis magisterio. Quamobrem cum Zeno sua quadam de mundo, et maxime de anima, propter quam vera philosophia vigilat, sententia delectaretur, dicens eam esse mortalem, nec quidquam esse præter hunc sensibilem mundum, nihilque in eo agi, nisi corpore; nam et Deum ipsum ignem putabat: prudentissime atque utilissime mihi videtur Archesilas, cum illud late serperet malum, occultasse penitus Academiæ sententiam, et quasi aurum inveniendum quandoque posteris obruisse. Quare cum in falsas opiniones ruere turba sit pronior, et consuetudine corporum omnia esse corporea facillime, sed noxie credatur; instituit vir acutissimus atque humanissimus, dedocere potius quos patiebatur male doctos quam docere quos dociles non arbitrabatur. Inde illa omnia nata sunt quæ novæ Academiæ tribuuntur, quia eorum necessitatem veteres non habebant.

39. Quod si Zeno expergefactus esset aliquando, et vidisset neque quidquam comprehendi posse, nisi quale ipse definiebat, neque tale aliquid in corporibus posse inveniri, quibus ille tribuebat omnia; olim prorsus hoc genus disputationum, quod magna necessitate flagraverat, fuisset exstinctum. Sed Zeno imagine constantiæ deceptus, ut ipsis Academicis videbatur, nec mihi etiam non videtur, pertinax fuit: fidesque illa corporum perniciosa quoquo modo potuit pervixit in Chrysippum, qui ei (nam maxime poterat), magnas vires latius se diffundendi dabat; nisi ex illa parte Carneades acrior et vigilantior superioribus cæteris ita restitisset, ut mirer illam opinionem aliquid etiam postea valuisse. Namque Carneades primo illam velut calumniandi impudentiam, qua videbat Archesilam non mediocriter infamatum, deposuit; ne contra omnia velle dicere quasi ostentationis causa videretur: sed ipsos proprie sibi Stoicos, atque Chrysippum convellendos evertendosque proposuit.

### CAPUT XVIII. — *Quomodo probabile inductum ab Academicis.*

40. Deinde cum undique premeretur, si nulli rei esset assensus, nihil acturum esse sapientem (o hominem mirum atque adeo non mirum! ab ipsis enim Platonis fontibus profluebat); attendit sapienter quales illi actiones probarent, easque nescio quarum verarum similes videns, id quod in hoc mundo ad agendum sequeretur, veri simile nominavit. Cui enim esset simile et perite norat, et prudenter tegebat, idque etiam probabile appellabat. Probat enim bene imaginem, quisquis ejus intuetur exemplum. Quomodo enim approbat sapiens [1], aut quomodo simile sequitur veri, cum ipsum verum quid sit ignoret? Ergo illi norant, et approbabant falsa in quibus imitationem laudabilem rerum verarum animadvertebant (*Lib. I Retract., cap.* 1, *n.* 4). Sed quia hoc tanquam profanis nec fas, nec facile erat ostendere; reliquerunt posteris, et quibus illo tempore potuerunt, signum quoddam sententiæ suæ. Illos autem bene dialecticos de verbis movere quæstionem insultantes irridentesque prohibebant. Ob hoc dicitur Carneades etiam tertiæ Academiæ princeps atque auctor fuisse.

41. Deinde in nostrum Tullium conflictio ista duravit, jam plane saucia et ultimo spiritu latinas litteras inflatura. Nam nihil mihi videtur inflatius, quam tam multa copiosissime atque ornatissime dicere, non ita sentientem. Quibus tamen ventis feneus ille platonicus Antiochus satis, ut mihi videtur, dissipatus atque dispersus est. Nam Epicureorum greges in animis deliciosorum populorum aprica stabula posuerunt. Quippe Antiochus Philonis auditor, hominis quantum arbitror circumspectissimi, qui jam veluti aperire cedentibus hostibus portas cœperat, et ad Platonis auctoritatem Academiam legesque revocare; quanquam et Metrodorus id antea facere tentaverat, qui primus dicitur esse confessus, non decreto [1] placuisse Academicis nihil posse comprehendi, sed necessario contra Stoicos hujusmodi eos arma sumpsisse: igitur Antiochus, ut institueram dicere, auditis Philone academico, et Mnesarcho stoico, in Academiam veterem, quasi vacuam defensoribus, et quasi nullo hoste securam, velut adjutor et civis irrepserat, nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adita violaret. Sed huic arreptis iterum illis armis et Philon restitit donec moreretur, et omnes ejus reliquias Tullius noster oppressit, se vivo impatiens labefactari vel contaminari quidquid amavisset: adeo post illa tempora non longo intervallo omni pervicacia pertinaciaque demortua, os illud Platonis quod in philosophia purgatissimum est et lucidissimum, dimotis nubibus erroris emicuit, maxime in Plotino, qui platonicus philosophus ita ejus similis judicatus est, ut simul eos vixisse, tantum autem interest [2] temporis ut in hoc ille revixisse putandus sit.

### CAPUT XIX. — *Multiplex philosophiæ genus.*

42. Itaque nunc philosophos non fere videmus, nisi aut Cynicos aut Peripateticos aut Platonicos: et Cynicos quidem, quia eos vitæ quædam delectat libertas atque licentia. Quod autem ad eruditionem doctrinamque attinet, et mores quibus consulitur animæ, quia non defuerunt acutissimi et solertissimi viri, qui docerent disputationibus suis Aristotelem ac Platonem ita sibi concinere, ut imperitis minusque attentis dissentire videantur; multis quidem sæculis multisque contentionibus, sed tamen eliquata est, ut opinor, una verissimæ philosophiæ disciplina. Non enim est ista hujus mundi philosophia, quam sacra nostra meritissime detestantur, sed alterius intelligibilis; cui animas multiformibus erroris tenebris cæcatas, et altissimis a corpore sordibus oblitas, nunquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret, atque submitteret; cujus non solum præceptis, sed etiam factis excitatæ animæ redire in semetipsas, et

[1] In octo Mss., *Quomodo ergo nihil approbat sapiens.*

[1] In Mss. prope omnibus legitur, *non de recto.*
[2] *Interesse,* juxta Er. Ven. M.

respicere patriam, etiam sine disputationum concertatione potuissent.

CAPUT XX. — *Conclusio operis.*

43. Hoc mihi de Academicis interim probabiliter, ut potui, persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est jam non arbitrari, non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam nisi qui secum ad senectutem usque vixisset [1], aperire consuesse. Quæ sit autem ista, Deus viderit; eam tamen arbitror Platonis fuisse. Sed ut breviter accipiatis omne propositum meum; quoquo modo se habeat humana sapientia, eam me video nondum percepisse. Sed cum trigesimum et tertium ætatis annum agam (*a*), non me arbitror desperare debere eam me quandoque adepturum. Contemptis tamen cæteris omnibus quæ bona mortales putant, huic investigandæ inservire proposui. A quo me negotio quoniam rationes Academicorum non leviter deterrebant, satis, ut arbitror, contra eas ista disputatione munitus sum. Nulli autem dubium est gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. Mihi autem certum est nusquam prorsus a Christi auctoritate discedere : non enim reperio valentiorem. Quod autem subtilissima ratione persequendum est; ita enim jam sum affectus, ut quid sit verum, non credendo solum, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem; apud Platonicos me interim quod sacris nostris non repugnet reperturum esse confido.

[1] Sic juxta tres Mss. [*Vixissent*].

(*a*) Annum ætatis agebat trigesimum tertium, quando apicem ultimum imponebat huic operi : verum id scribere cœperat nondum elapso ætatis suæ anno trigesimo secundo; quandoquidem inchoatum ab ipso fuit ante opus de Beata Vita, quod videlicet « non post libros de Academicis, sed inter « illos » se scripsisse prodit lib. 1 Retract. c. 2, « occasione diei «natalis sui, » qui in 13 novembris incidebat, ut testatur lib. de Beata Vita, in præfatione.

44. Hic postquam sermonis finem me fecisse aspexerunt, quamquam jam erat nox, et aliquid etiam lucerna illata scriptum erat; tamen illi adolescentes intentissime exspectabant, utrum Alypius vel alio die se responsurum esse promitteret. Tum ille : Nihil mihi aliquando, inquit, tam ex sententia provenisse affirmare paratus sum, quam quod hodierna disputatione discedo superatus. Nec istam meam tantum puto debere esse lætitiam. Communicabo ergo eam vobiscum, concertatores mei, vel judices nostri. Quandoquidem isto se pacto a suis posteris vinci, ipsi etiam fortasse Academici optarunt. Quid enim nobis hoc sermonis lepore jucundius, quid sententiarum gravitate perpensius, quid benevolentia promptius, quid doctrina peritius videri aut exhiberi posset? Prorsus nequaquam digne admirari possum, quod tam facete aspera, tam fortiter desperata, tam moderate convicta, tam dilucide obscura tractata sunt. Quare jam, socii mei, exspectationem vestram, qua me ad respondendum provocabatis, certiore spe mecum ad discendum convertite. Habemus ducem qui nos in ipsa veritatis arcana, Deo jam monstrante, perducat.

45. Hic ego, cum illi puerili quodam studio, quod Alypius responsurus non videbatur, quasi fraudatos vultu se ostenderent : Invidetis, inquam arridens, laudibus meis? Sed quoniam de Alypii constantia jam securus nihil eum timeo; ut vos quoque mihi gratias agatis, instruo vos adversus illum qui tantam intentionem vestræ exspectationis offendit. Legite Academicos; et cum ibi victorem (quid enim facilius?) istarum nugarum (*Lib.* I *Retract.*, *cap.* 1, *n.* 4), Ciceronem inveneritis, cogatur iste a vobis hunc nostrum sermonem contra illa invicta defendere. Hanc tibi, Alypi, duram mercedem pro mea falsa laude restituo. Hic cum arrisissent, finem tantæ conflictionis, utrum firmissimum nescio, modestius tamen et citius quam speraveram fecimus.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTI LIBRO DE BEATA VITA.

Damus hic loci librum de Beata Vita, qui opere contra Academicos jam inchoato atque interim dimisso susceptus, et continuata per tres dies disputatione apud Cassiacum perfectus est. Cum vero ejus edendi occasionem natalitio suo die idibus novembris recurrente (quo videlicet die in annum ipse suæ ætatis trigesimum tertium progrediebatur) nactum se dicat Augustinus, constare omnino debet opus utrumque, cum hoc de Beata Vita, tum illud contra Academicos elaboratum fuisse exeunte Christi anno trecentesimo octogesimo sexto, qui ipsius conversione insignis fuit.

Hisce porro de Beata Vita disputationibus, quas festivi ac solemnis instar epuli exhibebat, adesse voluit convictores suos omnes, atque in primis Monnicam matrem suam, quæ sententiarum suarum gravitate ac sapientia præsentes in admirationem rapuit, exclamante etiam Augustino : *Ipsam prorsus, mater, arcem philosophiæ tenuisti.*

Dicavit librum hunc Theodoro, cujus consuetudine apud Mediolanum potitus erat, uti satis ex præfatione intelligitur. Is vero cui Manlio prænomen fuisse in Retractatione indicat, non videtur esse alius ab eo cujus meminit in lib. 18 de Civitate Dei, c. 54 : qui videlicet consulatum gessit anno Christi 399, et alia præclara munera sub diversis imperatoribus egregie sustinuit; unde illum Claudianus panegyrico in ejus consulatum edito carmine plurimum commendat.

*Vide librum* 1, *cap.* 2, Retractationum, *col.* 588, *à verbis,* Librum de Beata, *usque ad verba,* Philosophiæ portum. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE BEATA VITA
## *LIBER UNUS.*

Triduanas hic liber complectitur disputationes Theodoro nuncupatas; quibus eo demum res abit, ut beatam vitam non nisi in perfecta Dei cognitione consistere definiatur.

CAPUT PRIMUM.— *Præfatio. Dicat librum Theodoro, eique aperit quibus veluti ventis ad christianæ philosophiæ portum impulsus sit. Occasio disputationis.*

1. Si ad philosophiæ portum, de quo jam in beatæ vitæ regionem solumque proceditur, vir humanissime atque magne, Theodore, ratione institutus cursus, et voluntas ipsa perduceret; nescio utrum temere dixerim, multo minoris numeri homines ad eum perventuros fuisse, quamvis nunc quoque, ut videmus, rari admodum paucique perveniant. Cum enim in hunc mundum, sive Deus, sive natura, sive necessitas, sive voluntas nostra, sive conjuncta horum aliqua, sive simul omnia (res enim multum obscura est, sed tamen a te jam illustranda suscepta) veluti in quoddam procellosum salum nos quasi temere passimque projecerit; quotusquisque cognosceret quo sibi nitendum esset, quave redeundum, nisi aliquando et invitos contraque obnitentes aliqua tempestas, quæ stultis videtur adversa, in optatissimam terram nescientes errantesque compingeret?

2. Igitur hominum quos philosophia potest accipere, tria quasi navigantium genera mihi videor videre. Unum est eorum, quos ubi ætas compos rationis assumpserit, parvo impetu pulsuque remorum de proximo fugiunt, seseque condunt in illa tranquillitate, unde cæteris civibus quibus possunt, quo admoniti conentur ad se, lucidissimum signum sui alicujus operis erigunt. Alterum vero est eorum, superiorique contrarium, qui fallacissima facie maris decepti, elegerunt in medium progredi, longeque a sua patria peregrinari audent, et sæpe ejus obliviscuntur. Hos si nescio quo et nimis latente modo a puppi ventus, quem prosperum putant, fuerit prosecutus, penetrant in altissima miseriarum elati atque gaudentes, quod eis usquequaque fallacissima serenitas voluptatum honorumque blanditur. His profecto quid aliud optandum est, quam quædam in illis rebus a quibus jacti excipiuntur, improspera; et, si parum est, sæviens omnino tempestas, contrarieque flans ventus, qui eos ad certa et solida gaudia [1], vel flentes gementesque perducat? hujus generis tamen plerique nondum longius evagati, quibusdam non ita gravibus molestiis reducuntur. Hi sunt homines, quos cum vel lacrymabiles tragœdiæ fortunarum suarum, vel inanium negotiorum anxiæ difficultates, quasi nihil aliud habentes quod agant, in libros doctorum sapientissimorumque hominum truserint, in ipso quodammodo portu evigilant, unde illos nulla maris illius promissa nimium falso ridentis excludant. Est autem genus inter hæc tertium eorum, qui vel in ipso adolescentiæ limine, vel jam diu multumque jactati, tamen quædam signa respiciunt, et suæ dulcissimæ patriæ, quamvis in ipsis fluctibus recordantur: et aut recto cursu in nullo falsi, et nihil morati, eam repetunt; aut plerumque vel inter nubila deviantes, vel mergentia contuentes sidera, vel nonnullis illecebris capti, bonæ navigationis tempora differentes, errant diutius, sæpe etiam periclitantur. Quos item sæpe nonnulla in fluxis fortunis calamitas, quasi conatibus eorum adversa tempestas, in optatissimam patriam [1] quietamque compellit.

3. His autem omnibus, qui quocumque modo ad beatæ vitæ regionem feruntur, unus immanissimus mons ante ipsum portum constitutus, qui etiam magnas ingredientibus gignit angustias, vehementissime formidandus, cautissimeque vitandus est. Nam ita fulget, ita mentiente illa luce vestitur, ut non solum pervenientibus, nondumque ingressis incolendum se offerat, et eorum voluntatibus pro ipsa beata terra satisfacturum polliceatur; sed plerumque de ipso portu ad sese homines invitat, eosque nonnunquam detinet ipsa altitudine delectatos, unde cæteros despicere libeat. Hi tamen admonent sæpe venientes, ne aut occultis subter scopulis decipiantur, aut ad se ascendere facile putent; et qua sine periculo ingrediantur propter illius terræ vicinitatem, benevolentissime docent. Ita cum eis invident vanissimam gloriam, locum securitatis ostendunt. Nam quem montem alium vult intelligi ratio propinquantibus ad philosophiam ingressisve metuendum, nisi superbum studium

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigatus est ad Mss. codices, Sorbonicos tres, Victorinum, Genovefæum, Michaelinum, Thuaneum, Casalinum, Arnufensem, Cirsterciensem, Vedastinum, Regium, Regio-montensem, e bibliotheca Collegii Navarrici duos, e bibliotheca majoris conventus Augustinianorum Paris. unum; ad variantes Lectiones a Lovaniensibus ex quatuor Belgicis excerptas; et ad editiones Bad. Am. Er. Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] In Mss. quinque legitur, *qui eos atterat, et ad solida gaudia.*

[1] Sic aliquot Mss. At Lov. et alii Cdd., *in optatissimam vitam.*

inanissimæ gloriæ : quod ita nihil intus plenum atque solidum habet, ut inflatos sibi superambulantes succrepante fragili solo demergat ac sorbeat, eisque in tenebras revolutis, eripiat luculentissimam domum, quam pene jam viderant?

4. Quæ cum ita sint, accipe, mi Theodore, namque ad id quod desidero, te unum intueor, teque aptissimum semper admiror; accipe, inquam, et quod illorum trium genus hominum me tibi dederit, et quo loco mihi esse videar, et abs te cujusmodi auxilium certus exspectem. Ego ab usque undevigesimo anno ætatis meæ, postquam in schola rhetoris librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore philosophiæ succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer. Sed neque mihi nebulæ defuerunt, quibus confunderetur cursus meus ; et diu, fateor, quibus in errorem ducebar, labentia in oceanum astra suspexi. Nam et superstitio quædam puerilis me ab ipsa inquisitione terrebat : et ubi factus erectior, illam caliginem dispuli, mihique persuasi docentibus potius quam jubentibus esse credendum; incidi in homines quibus lux ista quæ oculis cernitur, inter summa et divina colenda videretur (*a*). Non assentiebar, sed putabam eos magnum aliquid tegere illis involucris, quod essent aliquando aperturi. At ubi discussos eos evasi, maxime trajecto isto mari, diu gubernacula mea repugnantia omnibus ventis in mediis fluctibus Academici tenuerunt. Deinde veni in has terras; hic septentrionem cui me crederem didici. Animadverti enim et sæpe in sacerdotis nostri (*b*), et aliquando in sermonibus tuis, cum de Deo cogitaretur, nihil omnino corporis esse cogitandum, neque cum de anima : nam id est unum in rebus proximum Deo. Sed ne in philosophiæ gremium celeriter advolarem, fateor, uxoris honorisque illecebra detinebar; ut cum hæc essem consecutus, tum demum me, quod paucis felicissimis licuit, totis velis omnibusque remis in illum sinum raperem, ibique conquiescerem. Lectis autem Platonis [1] paucissimis libris, cujus te esse studiosissimum accepi, collataque cum eis, quantum potui, etiam illorum auctoritate qui divina mysteria tradiderunt, sic exarsi, ut omnes illas vellem anchoras rumpere, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoveret (*Conf. lib.* 7, *capp.* 9, 20). Quid ergo restabat aliud, nisi ut immoranti mihi superfluis, tempestas quæ putabatur adversa, succurreret? Itaque tantus me arripuit pectoris dolor, ut illius professionis onus sustinere non valens, qua mihi velificabam fortasse ad Sirenas, abjicerem omnia, et optatæ tranquillitati vel quassatam navem fissamque perducerem.

5. Ergo vides in qua philosophia quasi in portu navigem. Sed etiam ipse late patet, ejusque magnitudo quamvis jam minus periculosum, non tamen penitus excludit errorem. Nam cui parti terræ, quæ profecto una [1] beata est, me admoveam, atque contingam, prorsus ignoro. Quid enim solidum tenui, cui adhuc de anima quæstio nutat et fluctuat? Quare obsecro te per virtutem tuam, per humanitatem, per animarum inter se vinculum atque commercium, ut dexteram porrigas. Hoc autem est, ut me ames, et a me vicissim te amari credas charumque haberi. Quod si impetravero, ad ipsam beatam vitam, cui te jam hærere præsumo, parvo conatu facillime accedam. Quid autem agam, quove modo ad istum portum necessarios meos congregem ut cognoscas, et [2] ex eo animum meum (neque enim alia signa invenio quibus me ostendam) ut plenius intelligas, initium disputationum mearum, quod mihi videtur religiosius evasisse, atque tuo titulo dignius, ad te scribendum putavi, et ipso tuo nomine dedicandum. Aptissime sane; nam de beata vita quæsivimus inter nos, nihilque aliud video quod magis Dei donum vocandum sit. Eloquentia tua territus non sum; quidquid enim amo, quamvis non assequar, timere non possum : fortunæ vero sublimitatem multo minus; apud te enim vere, quamvis sit magna, secunda est; nam quibus dominatur, eosdem ipsos secundos facit. Sed jam quid afferam, quæso te, attende.

6. Idibus novembris mihi natalis dies erat : post tam tenue prandium, ut ab eo nihil ingeniorum impediretur, omnes qui simul non modo illo die, sed quotidie convivabamur, in balneas ad consedendum vocavi; nam is tempori aptus locus secretusque occurrerat. Erant autem, non enim vereor eos singulari benignitati tuæ notos interim nominibus facere, in primis nostra mater (*a*), cujus meriti credo esse omne quod vivo; Navigius frater meus, Trygetius et Licentius, cives et discipuli mei; nec Lastidianum [3] et Rusticum consobrinos meos, quamvis nullum vel grammaticum passi sint, deesse volui, ipsumque eorum sensum communem, ad rem quam moliebar, necessarium putavi. Erat etiam nobiscum ætate minimus omnium, sed cujus ingenium, si amore non fallor, magnum quiddam pollicetur, Adeodatus filius meus. Quibus attentis, sic cœpi.

CAPUT II.— *Disputatio primæ diei. Ex anima et corpore constamus. Cibus corpori necessarius. Animæ quoque suus est cibus. Beatus non est qui quod vult non habet. Nec tamen omnis qui quod vult habet, bea-*

[1] Quinque Mss. : *Lectis autem Plotini.*

(*a*) Manichæos; lib. 3 Conf., c. 6.

(*b*) Ambrosii; lib. 6 Conf. c. 3, n. 4.

[1] Ita Mss. tredecim cum Bad. Am. et Er. At in textu Lov. præfertur *quæ vita beata est.*

[2] Er. et Lov. omittunt hic particulam *et*, quæ apud Bad. Am. et Mss. reperitur. Paulo post vero editiones omnes habent, *quibus me ostendam, vel quo plenius intelligas pelagus disputationum mearum ;* iisque aliquot suffragantur Mss. At alii Cdd. nec pauci ferunt, *ut plenius intelligas;* tumque ex iis quidam habent, *seriem disputationum mearum.* Cisterciensis porro, *disputationum mearum onus.* Denique codex S. Arnulfi Metensis, *initium disputationum mearum*, quæ optima lectio visa est. Reipsa enim hicce liber omnium qui apud Cassiciacum disputando editi sunt primus absolutus fuit, isque ratione argumenti non immerito dicitur et, « reli« giosior evasisse, » id est prodiisse, quo significatu adhibetur istud verbum lib. 2 contra Academ. c. 7 : et Theodori « nomine dignior. »

[3] In Mss. prope omnibus habetur, *Lartidianum.*

(*a*) Monnica.

*tus est. Quid sibi homo comparare debet ut sit beatus. Quis Deum habeat. Academicus beatus esse non potest, ergo nec sapiens.*

7. Manifestum vobis videtur ex anima et corpore nos esse compositos? Cum omnes consentirent, Navigius se ignorare respondit. Cui ego : Nihil, nihilne omnino scis, inquam, an inter aliqua quæ ignoras etiam hoc numerandum est? Non puto me, inquit, omnia nescire. Potesne, inquam, nobis dicere aliquid eorum quæ nosti? Possum, inquit. Nisi molestum est, inquam, profer aliquid. Et cum dubitaret : Scisne, inquam, saltem te vivere? Scio, inquit. Scis ergo habere te vitam, siquidem vivere nemo nisi vita potest. Et hoc, inquit, scio. Scis etiam corpus te habere? Assentiebatur. Ergo jam scis te constare ex corpore et vita. Scio interim ; sed utrum hæc sola sint, incertus sum. Ergo duo ista, inquam, esse non dubitas, corpus et animam; sed incertus es utrum sit aliud quod ad complendum ac perficiendum hominem valet. Ita, inquit. Hoc quale sit, alias, si possumus, quæremus, inquam. Nunc illud jam ex omnibus quæro, cum fateamur cuncti neque sine corpore, neque sine anima esse posse hominem, cibos propter quid horum appetamus. Propter corpus, inquit Licentius. Cæteri autem cunctabantur, varioque sermone inter se agebant, quomodo posset propter corpus cibus necessarius videri, cum appeteretur propter vitam, et vita non nisi ad animam pertineret. Tum ego : Videtur, inquam, vobis ad eam partem cibum pertinere, quam cibo crescere robustioremque fieri videmus? Assentiebantur præter Trygetium. Ait enim : Cur ergo non pro edacitate mea crevi? Modum, inquam, suum a natura constitutum habent omnia corpora, ultra quam mensuram progredi nequeant : tamen ea mensura minora essent, si eis alimenta defuissent; quod et in pecoribus facilius animadvertimus. Et nemo dubitat cibis subtractis omnium animantium corpora macrescere. Macrescere, inquit Licentius, non decrescere. Satis est mihi, inquam, ad id quod volo. Etenim quæstio est utrum ad corpus cibus pertineat. Pertinet autem, cum eo subducto, ad maciem deducitur. Omnes ita esse censuerunt.

8. Quid ergo anima, inquam? nulla ne habet alimenta propria? an ejus esca scientia vobis videtur? Plane, inquit mater; nulla re alia credo ali animam quam intellectu rerum atque scientia. De qua sententia cum Trygetius dubium se ostenderet : hodie, inquit illa, tu ipse nonne docuisti unde aut ubi anima pascatur? Nam post aliquantam prandii partem te dixisti non advertisse quo vasculo uteremur, quod alia nescio quæ cogitasses, nec tamen ab ipsa ciborum parte abstinueras manus atque morsus. Ubi igitur erat animus tuus, quo tempore illud, te vescente, non attendebat; inde, mihi crede, et talibus epulis animus pascitur, id est theoriis et cogitationibus suis, si per eas aliquid percipere possit. De qua re cum dubitanter streperent : Nonne, inquam, conceditis hominum doctissimorum animos multo esse quam imperitorum quasi in suo genere pleniores atque majores? Manifestum esse dixerunt. Recte igitur dicimus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, jejunos et quasi famelicos esse. Plenos, inquit Trygetius, et illorum animos esse arbitror, sed vitiis atque nequitia. Ista ipsa est, inquam, crede mihi, quædam sterilitas et quasi fames animorum. Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitia indicant famem; ita et illorum animi pleni sunt morbis quibus sua jejunia confitentur. Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequidquam sit, id est ex eo quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt. Cui vitio quæ contraria virtus est, frugalitas nominatur. Ut igitur hæc a fruge, id est a fructu, propter quamdam animorum fecunditatem ; ita illa ab sterilitate, hoc est a nihilo, nequitia nominata est : nihil est enim omne quod fluit, quod solvitur, quod liquescit et quasi semper perit. Ideo tales homines etiam perditos dicimus. Est autem aliquid, si manet, si constat, si semper tale est, ut est virtus, cujus magna pars est atque pulcherrima, quæ temperantia et frugalitas dicitur. Sed si hoc obscurius est quam ut id jam vos videre possitis; certe illud conceditis, quia si animi imperitorum etiam ipsi pleni sunt, ut corporum, ita animorum duo alimentorum genera inveniuntur ; unum salubre atque utile, alterum morbidum atque pestiferum.

9. Quæ cum ita sint, arbitror die natali meo, quoniam duo quædam esse in homine convenit inter nos, id est corpus atque animam, non me prandium paulo lautius corporibus nostris solum, sed et animis etiam exhibere debere. Quod autem hoc sit prandium, si esuritis, proferam. Nam si vos invitos, et fastidientes alere conabor, frustra operam insumam; magisque vota facienda sunt, ut tales epulas potius quam illas corporis desideretis. Quod eveniet si sani animi vestri fuerint : ægri enim, sicut in morbis ipsius corporis videmus, cibos suos recusant et respuunt. Omnes se vultu ipso et consentiente voce, quidquid præparassem jam sumere ac vorare velle dixerunt.

10. Atque ego rursus exordiens : Beatos esse nos volumus, inquam? Vix hoc effuderam, occurrerunt una voce consentientes. Videturne vobis, inquam, beatus esse qui quod vult non habet? Negaverunt. Quid? omnis qui quod vult habet, beatus est? Tum mater : Si bona, inquit, velit et habeat, beatus est; si autem mala velit, quamvis habeat, miser est. Cui ego arridens atque gestiens : Ipsam, inquam, prorsus, mater, arcem philosophiæ tenuisti. Nam tibi procul dubio verba defuerunt, ut non sicut Tullius te modo panderes, cujus de hac sententia verba ista sunt. Nam in Hortensio, quem de laude ac defensione philosophiæ librum fecit : *Ecce autem*, ait, *non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos qui vivant ut ipsi velint. Falsum id quidem : Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. Plus enim mali pravitas voluntatis affert, quam fortuna cuiquam boni-*

In quibus verbis illa sic exclamabat, ut obliti penitus sexus ejus, magnum aliquem virum considere nobiscum crederemus, me interim, quantum poteram, intelligente ex quo illa, et quam divino fonte manarent. Et Licentius : Sed dicendum, inquit, tibi est, ut beatus sit quisque, quid velle debeat, et quarum rerum eum oporteat habere desiderium. Invita me, inquam, natali tuo, quando dignaberis ; quidquid apposueris libenter sumam. Qua conditione hodie apud me ut epuleris peto, nec flagites quod fortasse non est paratum. Quem cum modestæ ac verecundæ commonitionis suæ pœniteret : Ergo illud, inquam, convenit inter nos, neque quemquam beatum esse posse, qui quod vult non habet ; neque omnem qui quod vult habet, beatum esse? Dederunt.

11. Quid illud, inquam, conceditis, omnem qui beatus non est, miserum esse? Non dubitaverunt. Omnis igitur, inquam, qui quod vult non habet, miser est. Placuit omnibus. Quid ergo sibi homo comparare debet, ut beatus sit, inquam? Forte enim etiam hoc isti nostro convivio subministrabitur, ne Licentii aviditas negligatur : nam id, opinor, ei comparandum est, quod cum vult, habet. Manifestum esse dixerunt. Id ergo, inquam, semper manens, nec ex fortuna pendulum, nec ullis subjectum casibus esse debet. Nam quidquid mortale et caducum est, non potest a nobis quando volumus, et quamdiu volumus haberi. Assentiebantur omnes. Sed Trygetius : Sunt, inquit, multi fortunati, qui eas ipsas res fragiles casibusque subjectas, tamen jucundas pro hac vita cumulate largeque possideant, nec quidquam illis eorum quæ volunt desit. Cui ego : Qui timet, inquam, videturne tibi beatus esse? Non videtur, inquit. Ergo quod amat quisque si amittere potest, potestne non timere? Non potest, inquit. Amitti autem possunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat et possidet, potest ullo modo beatus esse. Nihil repugnavit. Hoc loco autem mater : Etiamsi securus sit, inquit, ea se omnia non esse amissurum, tamen talibus satiari non poterit. Ergo et eo miser, quo semper est indigus. Cui ego : Quid, inquam, his omnibus abundans rebus atque circumfluens, si cupiendi modum sibi statuat, eisque contentus decenter jucundeque perfruatur ; nonne tibi videtur beatus? Non ergo, inquit, illis rebus, sed animi sui moderatione beatus est. Optime, inquam, nec huic interrogationi aliud, nec abs te aliud debuit responderi. Ergo nullo modo dubitamus, si quis beatus esse statuit, id eum sibi comparare debere quod semper manet, nec ulla sæviente fortuna eripi potest. Hoc, inquit, Trygetius, jamdudum consensimus. Deus, inquam, vobis æternus, et semper manens videtur? Hoc quidem inquit Licentius, ita certum est, ut interrogatione non egeat ; cæterique omnes pia devotione concinuerunt. Deum igitur, inquam, qui habet, beatus est.

12. Quod cum gaudentes libentissime acciperent : Nihil ergo, inquam, nobis jam quærendum esse arbitror, nisi quis hominum habeat Deum ; beatus enim profecto is erit. De quo quæro quid vobis videatur. Hic Licentius : Deum habet, qui bene vivit. Trygetius : Deum habet, inquit, qui facit quæ Deus vult fieri. In cujus sententiam Lastidianus concessit. Puer autem ille minimus omnium : Is habet Deum, ait, qui spiritum immundum non habet. Mater vero omnia, sed hoc maxime approbavit. Navigius tacebat. Quem cum interrogassem quid sentiret, illud ultimum sibi placere respondit. Nec Rusticum percontari visum est negligendum, quænam esset de re tanta ejus sententia, qui mihi videbatur non deliberatione magis quam pudore impeditus silere ; Trygetio consensit.

13. Tum ego : Teneo, inquam, omnium placita de re magna sane, et ultra quam nec quæri quidquam oportet, nec inveniri potest, si modo eam, uti cœpimus, serenissime ac sincerissime investigemus. Quod hodie quia longum est, et habent in epulis suis et animi quamdam luxuriem, si ultra modum in eas et voraciter irruant (ita enim male quodammodo digerunt; unde valetudini mentium non minus quam ab illa ipsa fame metuendum est), melius nos hæc quæstio cras esurientes, si videtur, accipiet. Illud modo libenter liguriatis volo, quod subito mihi ministratori vestro in mentem suggestum est inferendum ; et est, nisi fallor, qualia solent ultima apponi, quasi scholastico melle confectum atque conditum. Quo audito sese omnes quasi in elatum ferculum tetenderunt, coegeruntque ut dicere properarem quidnam id esset. Quid, inquam, putatis, nisi cum Academicis totum quod susceperamus confectum esse negotium? Quo accepto nomine, tres illi quibus res nota erat, sese erexerunt alacrius ; et velut porrectis, ut fit, manibus inferentem ministrum adjuverunt, quibus potuerunt verbis, nihil se jucundius audituros esse monstrantes.

14. Tum ego ita rem proposui. Si manifestum est, inquam, beatum non esse qui quod vult non habet, quod paulo ante ratio demonstravit ; nemo autem quærit quod invenire non vult, et quærunt illi semper veritatem : volunt ergo invenire ; volunt igitur habere inventionem veritatis. At non inveniunt[1] : sequitur eos non habere quod volunt ; et ex eo sequitur etiam beatos non esse. At nemo sapiens, nisi beatus : sapiens igitur Academicus non est. Hic repente illi, quasi totum rapientes exclamaverunt. Sed Licentius attentius et cautius advertens timuit assensionem, atque subjecit : Rapui quidem vobiscum, siquidem exclamavi illa conclusione commotus. Sed nihil hinc admittam in viscera, et partem meam servabo Alypio : nam aut simul eam mecum lambet, aut me admonebit cur non oporteat attingere. Dulcia, inquam, magis metuere Navigius deberet, splene vitioso. Hic ille arridens : Plane, inquit, me talia sanabunt. Nam nescio quomodo contortum hoc et aculeatum, quod posuisti, ut ait ille, de melle Hymetio, acriter dulce est, nihilque inflat viscera. Quare totum etiam, palato aliquantum remorso, tamen ut possum libentissime in medullas trajicio. Non enim video quomodo redargui possit ista conclusio. Prorsus nullo modo potest, inquit Trygetius. Quare gaudeo jamdiu cum illis me inimicitias susce-

[1] Er. Ven. Lov. *veritatis, et non inveniunt.* M.

pisse. Nam nescio qua impellente natura, vel, ut verius dicam, Deo, etiam nesciens quomodo refellendi essent, tamen eis nimis adversabar.

15. Hic Licentius : Ego, inquit, illos nondum desero. Ergo, ait Trygetius, dissentis a nobis? Numquidnam, ille inquit, vos ab Alypio dissentitis? Cui ego : Non dubito, inquam, quin si adesset Alypius, huic ratiunculæ cederet. Non enim tam absurde sentire poterat, ut aut beatus ille [1] videretur, qui tantum bonum animi, quod ardentissime vellet habere, non haberet, aut illos nolle invenire veritatem, aut eum qui beatus non sit esse sapientem : nam his tribus, quasi melle, farre, atque nucleis, illud quod metuis gustare, confectum est. Illene, inquit, huic tam parvæ puerorum illecebræ cederet, Academicorum tanta ubertate deserta, qua inundante hoc nescio quid breve aut obruetur, aut pertrahetur? Quasi vero, inquam, longum aliquid nos quæramus, præsertim adversus Alypium : nam non mediocriter parva ista esse fortia et utilia, satis sibi ipse de suo corpore argumentaretur. Tu autem qui elegisti de absentis auctoritate pendere, quid horum non probas? Utrum beatum non esse, qui quod vult non habet? an illos negas velle habere inventam veritatem, quam vehementer inquirunt? an videtur tibi quisquam sapiens non beatus? Prorsus beatus est, inquit, qui quod vult non habet, quasi stomachanter arridens. Quod cum juberem ut scriberetur : Non dixi, inquit exclamans. Quod item cum annuerem scribi : Dixi, inquit. Atque ego semel præceperam ut nullum verbum præter litteras funderetur. Ita adolescentem inter verecundiam atque constantiam exagitatum tenebam.

16. Sed cum his verbis eum jocantes, quasi ad vescendam particulam suam provocaremus, animadverti cæteros rei totius ignaros, sed scire cupientes quid inter nos solos tam jucunde ageretur, sine risu nos intueri. Qui mihi prorsus similes visi sunt, quod plerumque fieri solet, iis qui cum epulantur inter avidissimos rapacissimosque convivas, a rapiendo vel gravitate sese abstinent, vel pudore terrentur. Et quia ego invitaveram, et magni cujusdam hominis personam, atque ut totum explicem, veri hominis etiam in illis epulis invitatorem gerebam, sustinere non potui, commovitque me [2] illa inæqualitas mensæ nostræ et discrepantia. Arrisi matri. Atque illa liberrime quod minus habebant, quasi de suo cellario promendum imperans : Jam dic nobis, inquit, et redde qui sint isti Academici, et quid sibi velint? Cui breviter cum exposuissem aperteque, ita ut nemo illorum ignarus abscederet : Isti homines, inquit, caducarii sunt (quo nomine vulgo apud nos vocantur, quos comitialis morbus subvertit), et simul surrexit ut abiret ; atque hic omnes læti ac ridentes, interposito fine discessimus.

[1] *Illi*, juxta Er. Lov. M.

[2] Mss. undecim : *In illis epulis invitatorem sustinere docusti, commovit me* ; ad quam lectionem prope accedunt alii duo qui ferunt, *sustinebam docti*, *commovit me*. Fortean docuerat Theodorus cui tractandæ res essent cum imperitioribus in ejuscemodi colloquiis. Id quod suspicari licet ex lib. 1 de Ordine, cap. 11.

CAPUT III. — *Disputatio secundæ diei. Quis Deum habeat eo modo ut beatus sit. Spiritus immundus duobus modis appellari solet.*

17. Postridie autem cum item post prandium, sed aliquanto quam pridie serius, iidem ibidemque consedissemus : Tarde, inquam, venistis ad convivium : quod vobis non cruditate accidisse arbitror, sed paucitatis ferculorum securitate ; quod non tam mature aggrediendum visum est, quod cito vos peresuros putastis. Non multum enim reliquiarum credendum erat remansisse, ubi die ipso atque solemnitate tam exiguum repertum erat. Fortasse recte. Sed quid vobis præparatum sit, ego quoque vobiscum nescio. Alius est enim qui omnibus cum omnes [1], tum maxime tales epulas præbere non cessat : sed nos ab edendo, vel imbecillitate, vel saturitate, vel negotio plerumque cessamus : quem manentem in hominibus beatos eos facere, inter nos heri, ni fallor, pie constanterque convenerat. Nam cum ratio demonstrasset eum beatum esse qui Deum haberet, nec huic quisquam vestrum sententiæ restitisset, quæsitum est quisnam vobis videretur Deum habere. De qua re, si bene memini, tres sententiæ dictæ sunt. Nam parti placuit, Deum habere illum qui ea faceret quæ Deus vellet. Quidam autem dixerunt quod is Deum haberet, qui bene viveret. Reliquis vero in eis Deus esse visus est, in quibus qui immundus appellatur, spiritus non est.

18. Sed fortasse omnes diversis verbis unum idemque sensistis. Nam si duo prima consideremus, et omnis qui bene vivit, ea facit quæ vult Deus ; et omnis qui ea facit quæ vult Deus, bene vivit ; nec quidquam est aliud bene vivere, quam ea facere quæ Deo placeant : nisi quid vobis aliud videtur. Assentiebantur. Tertium vero illud paulo diligentius considerandum est, propterea quod ritu castissimorum sacrorum spiritus immundus [2], quantum intelligo, duobus modis appellari solet : vel ille qui extrinsecus invadit animam sensusque conturbat, et quemdam hominibus infert furorem ; cui excludendo qui præsunt, manum imponere vel exorcizare dicuntur, hoc est, per divina eum adjurando expellere : aliter autem dicitur spiritus immundus, omnis omnino anima immunda ; quod nihil est aliud quam vitiis et erroribus inquinata. Itaque abs te quæro, tu puer, qui fortasse aliquanto sereniore ac purgatiore spiritu istam sententiam protulisti, quis tibi videatur immundum spiritum non habere : illene qui dæmonem non habet, quo vesani homines fieri solent ; an ille qui animam suam a vitiis omnibusque peccatis mundavit? Is mihi videtur, inquit, immundum spiritum non habere, qui caste vivit. Sed castum, inquam, quem vocas? eumne qui nihil peccat, an eum qui ab illicito tantum concubitu temperet? Quomodo, inquit, castus potest esse,

[1] *Qui omnibus vel communes*, juxta Er. *Vel cum omnes*, juxta Lov. M.

[2] In prius Edd. legitur : *Quod ritu castissimorum sacrorumque spirituum spiritus immundus*, etc., minus bene, ut intelligitur satis ex re subjecta et ex Mss. quos sequimur. Hic nempe *castissimorum sacrorum* nomine commendantur sacramenta initiorum.

qui ab illicito tantum concubitu abstinens sese, cæteris peccatis non desinit inquinari? Ille est vere castus, qui Deum attendit, et ad ipsum solum se tenet. Quæ verba pueri sicut dicta erant, cum conscribi mihi placuisset: Is ergo, inquam, necesse est ut bene vivat, et qui bene vivit necessario talis est; nisi quid tibi aliud videtur. Concessit cum cæteris. Ergo una est hic, inquam, dicta sententia.

19. Sed illud a vobis paululum quæro, velitne Deus ut homo Deum quærat? Dederunt. Item quæro; numquidnam possumus dicere, illum qui Deum quærit, male vivere? Nullo modo, dixerunt. Etiam hoc tertium respondete; spiritus immundus potestne Deum quærere? Negabant, aliquantum dubitante Navigio, qui postea cæterorum vocibus cessit [1]. Si igitur, inquam, qui Deum quærit, id facit quod Deus vult, et bene vivit, et spiritum immundum non habet; qui autem Deum quærit, nondum habet Deum: non igitur quisquis aut bene vivit, aut quod vult Deus facit, aut spiritum immundum non habet, continuo Deum habere credendus est. Hic cum se cæteri concessionibus suis deceptos riderent, postulavit mater, cum diu stupida fuisset, ut ei hoc ipsum quod conclusionis necessitate intorte dixeram, explicando relaxarem atque solverem. Quod cum factum esset: Sed nemo, inquit, potest pervenire ad Deum, nisi Deum quæsierit. Optime, inquam. Tamen qui adhuc quærit, nondum ad Deum pervenit, etiamsi bene vivit. Non igitur quisquis bene vivit, Deum habet. Mihi, inquit, videtur Deum nemo non habere: sed eum qui bene vivit, habet propitium; qui male, infestum. Male igitur, inquam, hesterno die concessimus eum beatum esse qui Deum habet: siquidem omnis homo Deum habet, nec tamen omnis homo beatus est. Adde ergo, inquit, propitium.

20. Saltem, inquam, hoc inter nos satis constat, eum beatum esse qui habet propitium Deum? Vellem, inquit Navigius, consentire: sed illum vereor qui adhuc quærit; præsertim ne concludas beatum esse Academicum, qui hesterno sermone, vulgari quidem et male latino, sed aptissimo sane, ut mihi videtur, verbo caducarius nominatus est. Non enim possum dicere homini Deum quærenti adversum Deum esse: quod si dici nefas est, propitius erit; et qui propitium Deum habet, beatus est. Beatus ergo erit ille qui quærit: omnis autem quærens nondum habet quod vult. Erit igitur beatus homo qui quod vult non habet, quod heri nobis omnibus videbatur absurdum; unde credebamus Academicorum tenebras esse discussas. Quare jam de nobis Licentius triumphabit; mihique illa dulcia, quæ contra valetudinem meam temere accepi, has de me pœnas exigere, quasi prudens medicus admonebit.

21. Hic cum etiam mater arrisisset: Ego, inquit, Trygetius, non concedo continuo Deum adversari cui non sit propitius, sed esse aliquid medium puto. Cui ego: Istum tamen hominem, inquam, medium, cui nec Deus propitius est nec infestus, Deum quoquo modo habere concedis? Hic cum ille cunctaretur: Aliud est, inquit mater, Deum habere, aliud non esse sine Deo. Quid ergo, inquam, melius est; utrum habere Deum, an non esse sine Deo? Quantum, inquit, possum intelligere, ista est sententia mea: qui bene vivit, habet Deum, sed propitium; qui male, habet Deum, sed adversum. Qui autem adhuc quærit, nondumque invenit, neque propitium neque adversum, sed non est sine Deo. Hæccine, inquam, vestra etiam sententia est? Hanc esse dixerunt. Dicite mihi, quæso, inquam: non vobis videtur esse homini Deus propitius cui favet? Esse confessi sunt. Non ergo, inquam, favet Deus quærenti sese homini? Responderunt: Favet. Habet igitur, inquam, qui Deum quærit, Deum propitium; et omnis qui habet Deum propitium, beatus est. Beatus est ergo et ille qui quærit. Qui autem quærit, nondum habet quod vult. Erit igitur beatus qui quod vult non habet. Prorsus, inquit mater, non mihi videtur beatus esse qui quod vult non habet. Ergo, inquam, non omnis qui habet Deum propitium, beatus est. Si hoc cogit ratio, inquit, non possum negare. Ista igitur, inquam, distributio erit, ut omnis qui jam Deum invenit et propitium Deum habeat, et beatus sit: omnis autem qui Deum quærit propitium Deum habeat, sed nondum sit beatus; jamvero quisquis vitiis atque peccatis a Deo se alienat, non modo beatus non sit, sed ne Deo quidem vivat propitio.

22. Quod cum placuisset omnibus: Bene habet, inquam; sed adhuc illud vereor, ne vos moveat quod jam superius concesseramus, miserum esse quisquis beatus non sit: cui consequens erit esse miserum hominem qui propitium tenet Deum, quem adhuc Deum quærentem nondum diximus esse beatum. An vero, quod ait Tullius, multorum in terris prædiorum dominos divites appellamus; omnium virtutum possessores pauperes nominabimus? Sed illud videte, utrum quomodo verum est quod omnis egens miser sit, ita sit verum quod omnis miser egeat. Ita enim erit verum, nihil aliud esse miseriam quam egestatem, quod me nunc, cum diceretur, laudare sensistis. Hoc autem hodie longum est ut quæramus; quare peto ne fastidio vobis sit ad istam mensam cras etiam convenire. Quod cum omnes se libentissime habere dixissent, surreximus.

CAPUT IV. — *Disputatio tertiæ diei. De quæstione pridie proposita dicendum. Miser est omnis qui eget. Sapiens porro aliquo non eget. An omnis qui miser est, egeat. Animi egestas. Animi plenitudo. Quis demum sit beatus.*

23. Tertius autem dies disputationis nostræ, matutinas nubes quæ nos cogebant in balneas, dissipavit, tempusque pomeridianum candidissimum reddidit. Placuit ergo in pratuli propinqua descendere, atque omnibus nobis ubi commodum visum est considentibus, reliquus ita sermo peractus est. Omnia pene, inquam, quæ interroganti mihi concedi a vobis volui, habeo ac teneo: quare hodierno die, quo possimus tandem hoc nostrum convivium aliquo intervallo dierum distinguere, aut nihil, aut non multum erit, ut

[1] Quatuor Mss., *vultibus cessit.*

opinor, quod mihi vos respondere necesse sit. Dictum enim erat a matre, nihil aliud esse miseriam quam egestatem, convenitque inter nos, omnes qui egeant miseros esse. Sed utrum omnes etiam miseri egeant, nonnulla quæstio est, quam hesterno die non potuimus explicare. Hoc autem ita se habere, si ratio demonstraverit, perfectissime inventum est qui sit beatus : erit enim ille qui non eget. Omnis enim non miser, beatus est. Beatus est ergo qui egestate caret, si quam dicimus egestatem, eamdem miseriam esse constiterit.

24. Quid enim, ait Trygetius? non potest ex eo jam confici, omnem non egentem beatum esse, quo manifestum est omnem qui egeat esse miserum? Nam concessisse nos memini, nihil esse medium inter miserum et beatum. Aliquidne, inquam, inter mortuum et vivum tibi medium videtur esse? nonne omnis homo aut vivus aut mortuus est? Fateor, inquit, neque hic esse aliquid medium : sed quorsum istud? Quia, inquam, etiam istud te fateri credo, omnem qui ante annum sepultus est, esse mortuum. Non negabat. Quid? omnis qui ante annum sepultus non est, vivit? Non, ait, sequitur. Ergo, inquam, non sequitur ut si omnis qui eget miser est, omnis qui non eget sit beatus, quamvis inter miserum et beatum, ut inter vivum et mortuum, medium nihil inveniri queat.

25. Quod cum aliqui eorum paulo tardius intellexissent, me id quibus potui verbis ad eorum sensum accommodatis aperiente atque versante : Ergo, inquam, miserum esse omnem qui egeat, dubitat nemo : nec nos terrent quædam sapientium corpori necessaria. Non enim eis eget ipse animus, in quo posita est vita beata. Ipse enim perfectus est; nullus autem perfectus aliquo eget : et quod videtur corpori necessarium sumet, si adfuerit; si non adfuerit, non eum istarum rerum franget inopia. Omnis namque sapiens fortis est; nullus autem fortis aliquid metuit. Non igitur metuit sapiens aut mortem corporis, aut dolores, quibus pellendis vel vitandis vel differendis sunt necessaria illa, quorum ei potest contingere inopia. Sed tamen non desinit eis bene uti, si ipsa non desunt. Verissima est enim illa sententia :

Nam tu quod vitare possis stultum admittere est.

(*Terent. in Eunucho, act. 4, scen.* 6.)

Vitabit ergo mortem ac dolorem, quantum potest et quantum decet; ne si minime vitaverit, non ex eo miser sit quia hæc accidunt, sed quia vitare cum posset, noluit : quod manifestum stultitiæ signum est. Erit ergo ista non vitans, non earum rerum perpessione, sed stultitia miser. Si autem non valuerit evitare, cum id sedulo ac decenter egerit, non eum ista irruentia miserum facient. Etenim et illa ejusdem comici sententia non minus vera est :

Quoniam non potest id fieri quod vis,
Id velis quod possit.

(*Id. in Andria, act.* 2, *scen.* 1.)

Quomodo erit miser, cui nihil accidit præter voluntatem? Quia quod sibi videt non posse provenire, non potest velle. Habet enim rerum certissimarum voluntatem, id est, ut quidquid agit, non agat nisi ex virtutis quodam præscripto et divina lege sapientiæ, quæ nullo ab eo pacto eripi possunt.

26. Jam nunc videte, utrum etiam omnis qui miser est, egeat. Nam huic sententiæ concedendæ difficultatem illa res facit, quod multi in magna fortuitarum rerum copia constituti sunt, quibus ita facilia sunt omnia, ut ad eorum nutum præsto sit quidquid cupiditas poscit. Difficilis quidem ista vita est. Sed fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuisse dicit Oratam, Quis enim facile dicat Oratam [1] egestate laborasse, hominem ditissimum, amœnissimum, deliciosissimum, cui neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valetudinem? Nam et prædiis quæstuosissimis et amicis jucundissimis, quantum libuit, abundavit; et illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est, ejusque (ut breviter totum explicem) omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est. Sed fortasse inquiet aliquis vestrum, plus illum quam habebat, habere voluisse. Hoc ignoramus. Sed quod satis est quæstioni, faciamus eum non desiderasse amplius quam tenebat. Videturne vobis eguisse? Etiamsi concedam, inquit Licentius, nihil eum desiderasse, quod in homine non sapiente nescio quomodo accipiam; metuebat tamen, erat enim vir, ut dicitur, ingenii non mali, ne illa omnia sibi vel uno adverso impetu raperentur. Non enim magnum erat intelligere, talia cuncta, quantacumque essent, esse sub casibus constituta. Tum ego arridens : Vides, inquam, Licenti, fortunatissimum istum hominem a beata vita ingenii bonitate impeditum. Quo enim erat acutior, eo videbat illa omnia se posse amittere; quo metu frangebatur, illudque vulgare satis asserebat : Infidum hominem malo suo esse cordatum.

27. Hic cum et ille et cæteri arrisissent : Illud tamen, inquam, diligentius attendamus, quia etsi timuit iste, non eguit : unde quæstio est. Egere est enim in non habendo, non in timore amittendi quæ habeas. Erat autem iste miser, quia metuebat, quamvis non egeret. Non igitur omnis qui miser est, eget. Quod cum approbavisset cum cæteris etiam ipsa cujus sententiam defendebam, aliquantulum tamen addubitans : Nescio, inquit, tamen, et nondum plene intelligo quomodo ab egestate possit miseria, aut egestas a miseria separari. Nam et iste qui dives et locuples erat, et nihil, ut dicitis, amplius desiderabat; tamen quia metuebat, ne amitteret egebat sapientia. Ergone hunc egentem diceremus, si egeret argento et pecunia; cum egeret sapientia, non diceremus? Ubi cum omnes mirando exclamassent, me ipso etiam non mediocriter alacri atque læto, quod ab ea potissimum dictum esset quod pro magno de philosophorum libris, atque ultimum proferre paraveram : Videtisne, inquam, aliud esse multas variasque doctrinas, aliud animum attentissimum in Deum? Nam unde ista quæ miramur, nisi inde procedunt? Hic

[1] Mss. octo cum Bad. et Am. constanter habent, *Oratum*

Licentius lætus exclamans : Prorsus, inquit, nihil verius, nihil divinius dici potuit. Nam et major et miserabilior egestas nulla est, quam egere sapientia ; et qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest.

28. Est ergo animi egestas, inquam, nihil aliud quam stultitia. Hæc est enim contraria sapientiæ, et ita contraria ut mors vitæ, ut beata vita miseræ ; hoc est, sine aliquo medio. Nam ut omnis non beatus homo miser est, omnisque homo non mortuus vivit ; sic omnem non stultum manifestum est esse sapientem. Ex quo et illud jam licet videre, non ex eo tantum Sergium Oratam fuisse miserum, quod timebat ne fortunæ illa munera amitteret, sed quia stultus erat. Quo fit ut miserior esset, si tam pendulis nutantibusque iis quæ bona putabat, nihil omnino metuisset. Esset enim non fortitudinis excubiis, sed mentis sopore securior, et altiore stultitia demersus miser. At si omnis qui caret sapientia magnam patitur egestatem, omnisque compos sapientiæ nihilo eget, sequitur ut stultitia sit egestas. Ut autem omnis stultus miser, ita omnis miser stultus est. Ergo ut omnis egestas miseria, ita omnis miseria egestas esse convincitur.

29. Quam conclusionem Trygetius cum se parum intellexisse diceret : Quid, inquam, inter nos ratione convenit? Eum egere, inquit, qui sapientiam non habeat. Quid est ergo, inquam, egere? Sapientiam, inquit, non habere. Quid est, inquam, sapientiam non habere? Hic cum taceret, nonne hoc est, inquam, habere stultitiam? Hoc, inquit. Nihil est ergo aliud, inquam, habere egestatem, quam stultitiam ; ex quo jam necesse est egestatem alio verbo nominari, quando stultitia nominatur. Quanquam nescio quomodo dicamus, Habet egestatem, aut, habet stultitiam. Tale est enim ac si locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras : quod nihil est aliud quam lumen non habere. Non enim tenebræ quasi veniunt aut recedunt ; sed carere lumine hoc ipsum est jam tenebrosum esse, ut carere veste hoc est esse nudum. Non enim veste accedente veluti aliqua res mobilis nuditas fugit. Sic ergo dicimus aliquem habere egestatem, quasi dicamus habere nuditatem. Egestas enim verbum est non habendi. Quamobrem, ut quod volo explicem sicut possum, ita dicitur, Habet egestatem ; quasi dicatur, Habet non habere. Itaque, si stultitiam ipsam veram et certam egestatem esse monstratum est, vide jam quæstionem quam susceperamus, utrum soluta sit. Dubitabatur enim inter nos, utrum cum appellaremus miseriam, nihil aliud quam egestatem nominaremus. Dedimus autem rationem, recte stultitiam vocari egestatem. Sicut ergo et omnis stultus miser, et omnis miser stultus est ; ita necesse est non solum omnem qui egeat miserum, sed etiam omnem qui miser sit egentem esse fateamur. At si ex eo quod et omnis stultus miser est, et omnis miser stultus est, conficitur stultitiam esse miseriam ; cur non ex eo quod et quisquis eget miser, et quisquis miser est egeat, nihil aliud miseriam quam egestatem esse conficimus?

30. Quod cum omnes ita esse faterentur : Illud jam, inquam, sequitur, ut videamus quis non egeat ; is enim erit sapiens et beatus. Egestas autem stultitia est, egestatisque nomen : hoc autem verbum sterilitatem quamdam et inopiam solet significare. Attendite, quæso, altius, quanta cura priscorum hominum, sive omnia, sive quod manifestum est, quædam verba creata sunt, earum rerum maxime quarum erat notitia pernecessaria. Jam enim conceditis omnem stultum egere, et omnem qui egeat stultum esse : credo vos etiam concedere animum stultum esse vitiosum, omniaque animi vitia uno stultitiæ nomine includi. Primo autem die hujus disputationis nostræ nequitiam dixeramus esse ab eo dictam quod nec quidquam sit, cui contrariam frugalitatem a fruge fuisse nominatam. Ergo in iis duobus contrariis, hoc est frugalitate atque nequitia, illa duo videntur eminere, esse et non esse. Egestati autem de qua quæstio est, quid putamus esse contrarium? Hic cum aliquantum cunctarentur : Si dicam, inquit Trygetius, divitias ; video his paupertatem esse contrariam. Est quidem, inquam, vicinum. Nam paupertas et egestas unum atque idem accipi solent. Tamen aliud verbum inveniendum est, ne meliori parti desit unum vocabulum, ut cum illa pars paupertatis et egestatis nomine abundet, ex hac parte solum opponatur divitiarum nomen. Nihil enim absurdius quam ut hic sit egestas vocabuli, ubi est contraria pars egestati. Plenitudo, inquit Licentius, si dici potest, videtur mihi recte opponi egestati.

31. Postea, inquam, de verbo quæremus fortasse diligentius. Non enim hoc curandum est in inquisitione veritatis. Quamvis enim Sallustius lectissimus pensator verborum, egestati opposuerit opulentiam (*Sallustius, de Bello Catilin.*) ; tamen accipio istam plenitudinem. Non enim hic grammaticorum formidine laborabimus [1], aut metuendum est ne ab eis castigemur, quod incuriose utimur verbis, qui res suas nobis ad utendum dederunt (*a*). Ubi cum arrisissent : Ergo, quia mentes vestras, inquam, cum intenti estis in Deum, velut quædam oracula non contemnere statui, videamus quid sibi velit hoc nomen ; nam nullum accommodatius esse arbitror veritati. Plenitudo igitur et egestas contraria sunt : at etiam hic similiter, ut in nequitia et frugalitate, apparent illa duo, esse et non esse. Et si egestas est ipsa stultitia, plenitudo erit sapientia. Merito etiam virtutum omnium matrem multi frugalitatem esse dixerunt. Quibus consentiens Tullius etiam in populari oratione ait : *Ut volet quisque accipiat : ego tamen frugalitatem, id est modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam judico* (*Orat. pro Dejotaro*). Prorsus doctissime ac decentissime : consideravit enim frugem, id est illud quod esse dicimus, cui est non esse contrarium. Sed propter vulgarem loquendi consuetudinem, qua frugalitas quasi parcimonia dici solet, duobus consequentibus quid senserit, illustravit, subjiciendo modestiam

[1] Ita Mss. At prius excusi habent : *Non enim nec hic grammaticorum formidine liberabimur.*

(*a*) Verecundi grammatici beneficium subindicat.

et temperantiam : et hæc duo verba diligentius attendamus.

32. Modestia utique dicta est a modo, et a temperie temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quidquam nec minus. Ipsa est igitur plenitudo, quam egestati contrariam posueramus, multo melius quam si abundantiam poneremus. In abundantia enim intelligitur affluentia et quasi rei nimium exuberantis effusio. Quod cum evenit ultra quam satis est, etiam ibi desideratur modus, et res quæ nimia est, modo eget. Ergo nec ab ipsa redundantia egestas aliena est ; a modo autem et plus et minus aliena sunt. Ipsam etiam opulentiam si discutias, invenies eam nihil aliud tenere quam modum. Nam non nisi ab ope dicta est opulentia. Quomodo autem opitulatur, quod nimium est, cum incommodius sit sæpe quam parum? Quidquid igitur vel parum vel nimium est, quia modo eget, obnoxium est egestati. Modus ergo animi sapientia est. Etenim sapientia contraria stultitiæ non negatur, et stultitia egestas, egestati autem contraria plenitudo. Sapientia igitur plenitudo. In plenitudine autem modus. Modus igitur animi in sapientia est Unde illud præclarum est, et non immerito diffamatur hoc primum in vita esse utile :

Ut ne quid nimis.
(*Terent. in Andria, act.* 1, *scen.* 1.)

33. Dixeramus autem in exordio hodiernæ disputationis nostræ, quod si inveniremus nihil aliud esse miseriam quam egestatem, eum beatum esse fateremur, qui non egeret. Est autem inventum : ergo beatum esse nihil est aliud quam non egere, hoc est esse sapientem. Si autem quæritis quid sit sapientia (nam et ipsam ratio, quantum in præsentia potuit, evolvit atque eruit) ; nihil est aliud quam modus animi, hoc est, quo sese animus librat, ut neque excurrat in nimium, neque infra quam plenum est coarctetur. Excurrit autem in luxurias, dominationes, superbias, cæteraque id genus, quibus immoderatorum miserorumque animi sibi lætitias atque potentias comparari putant. Coarctatur autem sordibus, timoribus, mœrore, cupiditate, atque aliis, quæcumque sunt, quibus homines miseros etiam miseri confitentur. Cum vero sapientiam contemplatur inventam, cumque, ut hujus pueri verbo utar, ad ipsam se tenet, nec se ad simulacrorum fallaciam, quorum pondus amplexus a Deo suo cadere atque demergi solet, ulla commotus inanitate convertit; nihil immoderationis, et ideo nihil egestatis, nihil igitur miseriæ pertimescit. Habet ergo modum suum, id est sapientiam, quisquis beatus est.

34. Quæ est autem dicenda sapientia, nisi quæ Dei Sapientia est? Accepimus autem etiam auctoritate divina, Dei Filium nihil esse aliud quam Dei Sapientiam (I *Cor.* I, 24) : et est Dei Filius profecto Deus. Deum habet igitur quisquis beatus est : quod omnibus nobis jam ante placuit, cum hoc convivium ingressi sumus. Sed quid putatis esse sapientiam, nisi veritatem? Etiam hoc enim dictum est : *Ego sum Veritas* (*Joan.* XIV, 6). Veritas autem ut sit, fit per aliquem summum modum, a quo procedit, et in quem se perfecta convertit. Ipsi autem summo modo nullus alius modus imponitur : si enim summus modus per summum modum modus est, per seipsum modus est. Sed etiam summus modus necesse est ut verus modus sit. Ut igitur veritas modo gignitur, ita modus veritate cognoscitur. Neque igitur veritas sine modo, neque modus sine veritate unquam fuit. Quis est Dei Filius? Dictum est, *Veritas*. Quis est qui non habet patrem, quis alius quam summus modus? Quisquis igitur ad summum modum per veritatem venerit, beatus est. Hoc est animo Deum habere, id est Deo frui. Cætera enim quamvis a Deo habeantur, non habent Deum.

35. Admonitio autem quædam, quæ nobiscum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulso omni fastidio sitiamus, de ipso ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris jubar sol ille secretus infundit. Hujus est verum omne quod loquimur, etiam quando adhuc vel minus sanis vel repente apertis oculis audacter converti, et totum intueri trepidamus : nihilque aliud etiam hoc apparet esse quam Deum, nulla degeneratione impediente perfectum. Nam ibi totum atque omne perfectum est, simulque est omnipotentissimus Deus. Sed tamen quamdiu quærimus, nondum ipso fonte, atque ut illo verbo utar, plenitudine saturati, nondum ad nostrum modum nos pervenisse fateamur : et ideo, quamvis jam Deo adjuvante, nondum tamen sapientes ac beati sumus. Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est beata vita, pie perfecteque cognoscere a quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo modo [1]. Quæ tria unum Deum intelligentibus unamque substantiam, exclusis vanitatibus variæ superstitionis, ostendunt. Ilic mater recognitis verbis quæ suæ memoriæ penitus inhærebant, et quasi evigilans in fidem suam, versum illum sacerdotis nostri :

Fove precantes, Trinitas,
(Ambrosius in hym., *Deus creator omnium.)*

læta effudit, atque subjecit : Hæc est nullo ambigente beata vita, quæ vita perfecta est, ad quam nos festinantes posse perduci, solida fide [2], alacri spe, flagrante charitate præsumendum est.

36. Ergo, inquam, quoniam modus ipse nos admonet, convivium aliquo intervallo dierum distinguere, quantas pro viribus possum gratias ago summo et vero Deo Patri, Domino liberatori animarum : deinde vobis qui concorditer invitati, multis etiam me cumulastis muneribus. Nam tantum *in nostrum* sermonem contulistis, ut me negare non possim, ab invitatis meis esse satiatum. Hic omnibus gaudentibus et laudantibus Deum : Quam vellem, inquit Trygetius, hoc modo nos quotidie pasceres. Modus, inquam, ille ubique servandus est, ubique amandus, si vobis cordi est ad Deum reditus noster. His dictis, facto disputationis fine, discessimus.

[1] Lov., *quo veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono*. Sed concinnius aliæ editiones et Mss. nobiscum præferunt, *qua veritate... summo modo*.

[2] Sic incunctanter legendum cum Mss. et omnibus antiquis editionibus Bad. Am. Er. et Coloniens. an. 1529. Non vero, *sola fide*, uti habetur apud Lov. manifesto lapsu, cum ad hæc continenter addatur, *alacri spe, flagrante charitate*.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTIBUS DUOBUS DE ORDINE LIBRIS.

Ad edendum opus de Ordine animum adjecit Augustinus auctore Zenobio, cujus viri amicitiam et plurimam in se suosque familiares benevolentiam commemorat lib. 1, c. 7; ubi se ipsi ea de re multa atque alta percontanti facere satis antehac non potuisse dicit, cum non modo rei difficultas, sed temporum etiam angustiæ prohiberent. Cæterum amico vehementer instanti ne diutius differret, atque ad copiosius respondendum carmine provocanti morem gerere oportuit.

Cœpit itaque conscribendis hisce libris vacare apud Cassiciacum sub finem anni 386 : quippe cum primum librum perfecerit antequam Mediolano regressus esset Alypius, qui inchoato jam contra Academicos opere, ante 13 diem novembris eo profectus, inde rediit opportune ut interesset tum ejusdem operis posterioribus duobus absolvendis libris, tum etiam alteri cudendo libro de ordine; in quo citatur interdum liber de Beata Vita, laudatur etiam locus libri tertii contra Academicos ; unde secundum hunc de Ordine librum post istos perfectum esse intelligimus.

Argumentum utriusque libri exhibet annexa hic Retractatio. In primo insignior locus est, ubi comprimuntur æmulationis et inanis jactantiæ motus illi, quibus agitari solent adolescentes qui litteris navant operam. In secundo libro ex ordinis definitione nascuntur variæ quæstiones : cumque rei difficultas collocutorum captum superaret, visum est Augustino rectum studendi ordinem edocere. Quapropter primum de informandis rite moribus, tum de comparandis humanis disciplinis disserit, quibus fretus adjumentis animus ad celsiora demum percipienda evehatur.

*Vide librum* 1, *cap.* 3, Retractationum, *col.* 588–589, *a verbis,* Per idem tempus, *n.* 1, *usque ad verba n.* 3, Ordinem rerum, Zenobi. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE ORDINE
## LIBRI DUO [a].

## *LIBER PRIMUS.*

Disputationes duas exhibet, quarum prima docet omnia prorsus et bona et mala ordine divinæ providentiæ contineri. Secunda de ordinis præstantia et notione nonnihil tangit ; atque hic data occasione incompositos animi motus et puerilesgloriolæ obtentu rixas alumnorum suorum graviter carpit Augustinus ; tumque Monnicam dicit ob sexum a philosophica disputatione minime arcendam esse.

PRÆFATIO.

CAPUT PRIMUM. — *Omnia divina providentia regi.*

1. Ordinem rerum , Zenobi , consequi ac tenere cuique proprium, tum vero universitatis quo coercetur ac regitur hic mundus, vel videre vel pandere difficillimum hominibus atque rarissimum est. Huc accedit quod etiamsi quis hæc possit, non illud quoque valet efficere , ut dignum auditorem tam divinis obscurisque rebus, vel vitæ merito , vel habitu quodam eruditionis , inveniat. Nec tamen quidquam est quod magis avide expetant quæque optima ingenia, magisque audire ac discere studeant qui scopulos vitæ hujus et procellas , velut erecto quantum licet capite, inspiciunt, quam quomodo fiat ut et Deus humana curet, et tanta in humanis rebus perversitas usquequaque diffusa sit, ut non divinæ, sed ne servili quidem cuipiam procurationi , si ei tanta potestas daretur, tribuenda esse videatur. Quamobrem illud quasi necessarium iis quibus talia sunt curæ, credendum dimittitur ; aut divinam providentiam non usque in hæc ultima et ima pertendi , aut certe mala omnia Dei voluntate committi. Utrumque impium , sed magis posterius. Quanquam enim desertum Deo quidquam credere , cum imperitissimum, tum etiam periculosissimum animo sit; tamen in ipsis hominibus nemo quemquam non potuisse aliquid criminatus est :

(*a*) Scripti sub finem anni 386.

negligentiæ vero vituperatio multo est quam malitiæ crudelitatisque purgatior. Itaque velut compellitur ratio tenere non immemor pietatis, aut ista terrena non posse a divinis administrari, aut negligi atque contemni potius quam ita gubernari, ut omnis de Deo sit mitis atque inculpanda conquestio.

2. Sed quis tam cæcus est mente, ut quidquam in movendis corporibus rationis [1] quod præter humanam dispositionem ac voluntatem est, divinæ potentiæ moderationique dare dubitet? nisi forte aut casibus tam rata [2] subtilique dimensione vel minutissimorum quorumque animalium membra figurantur; aut quod casu quis negat, possit nisi ratione factum fateri; aut vero per universam naturam, quod in singulis quibusque rebus nihil arte humana satagente ordinatum miramur, alienare a secretissimo majestatis arbitrio ullis nugis vanæ opinionis audebimus. At enim hoc ipsum est plenius quæstionum, quod membra pulicis disposita mire atque distincta sunt, cum interea humana vita innumerabilium perturbationum inconstantia versetur et fluctuet. Sed hoc pacto si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento nihil ultra unius tessellæ modulum acies ejus valeret ambire, vituperaret artificem velut ordinationis et compositionis ignarum; eo quod varietatem lapillorum perturbatam putaret, a quo illa emblemata in unius pulchritudinis faciem congruentia simul cerni collustrarique non possent. Nihil enim aliud minus eruditis hominibus accidit, qui universam rerum coaptationem atque concentum imbecilla mente complecti et considerare non valentes, si quid eos offenderit, quia suæ cogitationi magnum est, magnam putant rebus inhærere fœditatem.

3. Cujus erroris maxima causa est, quod homo sibi ipse est incognitus. Qui tamen ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi a sensibus (1 *Retract. cap.* 3, *n.* 2), et animum in seipsum colligendi atque in seipso retinendi. Quod ii tantum assequuntur, qui plagas quasdam opinionum, quas vitæ quotidianæ cursus infligit, aut solitudine inurunt, aut liberalibus medicant disciplinis.

CAPUT II. — *Dedicat hoc opus Zenobio.*

Ita enim animus sibi redditus, quæ sit pulchritudo universitatis intelligit; quæ profecto ab uno cognominata est. Idcircoque illam videre non licet animæ quæ in multa procedit, sectaturque aviditate pauperiem, quam nescit sola segregatione multitudinis posse vitari. Multitudinem autem non hominum dico, sed omnium quæ sensus attingit. Nec mirere quod eo egestatem patitur magis, quo magis appetit plura complecti. Ut enim in circulo quantumvis amplo unum est medium quo cuncta convergunt, quod centrum geometræ vocant [1], et quamvis totius ambitus partes innumerabiliter secari queant, nihil tamen est præter illud unum, quo cætera pariliter dimetiantur, et quod omnibus quasi quodam æqualitatis jure dominetur; hinc vero in quamlibet partem si egredi velis, eo amittuntur omnia, quo in plurima pergitur: sic animus a seipso fusus immensitate quadam diverberatur, et vera mendicitate conteritur, cum eum natura sua cogit ubique unum quærere, et multitudo invenire non sinit.

4. Sed et hæc quæ dixi qualia sint, et quæ causa exstet erroris animarum, quoque modo et in unum congruant atque perfecta sint cuncta, et tamen peccata fugienda sint, assequeris profecto, mi Zenobi. Sic enim mihi notum est ingenium tuum, et pulchritudinis omnimodæ amator animus, sine libidinis immoderatione atque sordibus. Quod signum in te futuræ sapientiæ perniciosis cupiditatibus divino jure præscribit, ne tuam causam deseras falsis voluptatibus illectus; qua prævaricatione nihil turpius et periculosius inveniri potest. Assequeris ergo ista, mihi crede, cum eruditioni operam dederis, qua purgatur et excolitur animus, nullo modo ante idoneus cui divina semina committantur. Quod totum cujusmodi sit, et quem flagitet ordinem, quidve studiosis et bonis ratio promittat, qualemque vitam nos vivamus charissimi tui, et quem fructum de liberali otio carpamus, hi te libri satis, ut opinor, edocebunt, nomine tuo nobis quam nostra elaboratione dulciores, præsertim si te in ipsum ordinem, de quo ad te scribo, meliora eligens inserere atque coaptare volueris.

5. Nam cum stomachi dolor scholam me deserere coegisset, qui jam, ut scis, etiam sine ulla tali necessitate in philosophiam confugere moliebar, statim me contuli ad villam familiarissimi nostri Verecundi. Quid dicam, eo libente? Nosti optime hominis, cum in omnes, tum vero in nos benevolentiam singularem. Ibi disserebamus inter nos quæcumque videbantur utilia, adhibito sane stilo quo cuncta exciperentur, quod videbam conducere valetudini meæ. Cum enim nonnulla loquendi cura detinerer, nulla inter disputandum irrepebat immoderata contentio. Simul etiam ut si quid nostrum litteris mandare placuisset, nec aliter dicendi necessitas, nec labor recordationis esset. Agebant autem ista mecum Alypius et Navigius frater meus, et Licentius repente admirabiliter poeticæ deditus. Trygetium item nobis militia reddiderat, qui tanquam veteranus adamavit historiam. Et jam in libris nonnihil habebamus.

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Ad codices mille fere annorum Theodericensem et Corbeiensem collati sunt (præsentes de Ordine libri), ad Vaticanum, Vedastinum, Thuaneos duos, ad Regio-Montensem, Albinensem, Michaelinum, Arnulfensem, monasterii Vindocinensis unum, Navarrici Gymnasii unum, Collegii RR. PP. Bernardinorum Paris. unum; ad lectiones quatuor Mss. Belgicorum apud Lov. et ad editiones Bad. Am. Er. Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] Hic Mss. decem omittunt *rationis*; sed paulo post habent *rationi divinæ potentiæ moderationique.*

[2] Sic Bad. Am. Er. et aliquot Mss. At Lov., *rara.*

[1] Plerique Mss., *mathematici vocant.*

DISPUTATIO PRIMA.

CAPUT III. — *Occasio disputationis.*

6. Sed nocte quadam cum evigilassem de more, mecumque ipse tacitus agitarem quæ in mentem nescio unde veniebant : nam id mihi amore inveniendi veri jam in consuetudinem verterat, ita ut aut primam, si tales curæ inerant, aut certe ultimam, dimidiam tamen fere noctis partem pervigil quodcumque cogitarem ; nec me patiebar adolescentium lucubrationibus a meipso avocari, quia et illi per totum diem tantum agebant, ut nimium mihi videretur, si aliquid etiam noctium in studiorum laborem usurparent ; et id a me ipsi quoque præceptum habebant, ut aliquid et præter codices secum agerent, et apud sese habitare consuefacerent animum : ergo, ut dixi, vigilabam ; cum ecce aquæ sonus pone balneas quæ præterfluebat, eduxit me in aures, et animadversus est solito attentius. Mirum admodum mihi videbatur quod nunc clarius, nunc pressius eadem aqua strepebat silicibus irruens. Cœpi a me quærere quænam causa esset. Fateor, nihil occurrebat ; cum Licentius lecto suo importunos percusso juxta ligno sorices terruit, seseque vigilantem hoc modo indicavit. Cui ego : Animadvertisti, inquam, Licenti (nam video tibi Musam tuam lumen ad lucubrandum accendisse [1 *Retract. c.* 3, *n.* 2]), quomodo canalis iste inconstanter sonet ? Jam, inquit, mihi hoc non est novum. Nam desiderio serenitatis cum expergefactus aliquando aurem admovissem, ne imber ingrueret, hoc agebat aqua ista quod nunc. Approbavit Trygetius. Nam et ipse in eodem conclavi lecto suo cubans vigilabat, nobis nescientibus : erant enim tenebræ ; quod in Italia etiam pecuniosis prope necesse est.

7. Ergo ubi vidi scholam nostram, quantacumque aderat, nam et Alypius et Navigius in urbem ierant, etiam illis horis non sopitam, et me cursus ille aquarum aliquid de se dicere admonebat : Quidnam vobis, inquam, videtur esse causæ quod sic alternat hic sonus ? Non enim quemquam putamus his horis vel transitu, vel re aliqua lavanda toties illum meatum interpellare. Quid putas, inquit Licentius, nisi alicubi folia cujuscemodi quæ autumno perpetuo copioseque decidunt, angustiis canalis intertrusa evinci aliquando atque cedere ; ubi autem unda quæ urgebat, pertransierit, rursum colligi atque stipari : aut aliquid aliud vario casu foliorum natantium fieri, quod ad illum fluxum nunc refrenandum, nunc emittendum similiter valeat ? Visum est mihi probabile aliud non habenti, confessusque sum, laudans ingenium ejus, nihil me invenisse, cum diu quæsissem cur ita esset.

8. Tum interposito modico silentio : Merito, inquam, tu nihil mirabaris, et apud Calliopam te intus tenebas. Merito, inquit ille : sed modo plane dedisti mihi magnum mirari. Quidnam hoc est, inquam ? Quod tu, inquit, ista miratus es. Unde enim solet, inquam, oboriri admiratio, aut quæ hujus vitii mater est (*Ibid.*), nisi res insolita præter manifestum causarum ordinem ? Et ille : Præter manifestum, inquit, accipio ; nam præter ordinem nihil mihi fieri videtur. Hic ego erectior spe alacriore quam soleo esse, cum aliquid ab his requiro, quod rem tantam et tam subito, heri pene ad ista conversus, adolescentis animus concepisset, nulla unquam de his rebus inter nos antea quæstione agitata : Bene, inquam, bene ; sed prorsus bene multum sensisti, multum ausus es : hoc mihi crede ; longo intervallo transcendis Heliconem, ad cujus verticem tanquam ad cœlum pervenire conaris. Sed pervellem adesses huic sententiæ, nam eam labefactare tentabo. Sine, inquit, modo me mihi, quæso te ; nam valde in aliud intendi animum. Hic ego non nihil metuens ne studio poeticæ penitus provolutus a philosophia longe raperetur : Irritor, inquam, abs te versus istos tuos omni metrorum genere cantando et ululando insectari, qui inter te atque veritatem immaniorem murum quam inter amantes tuos conantur erigere ; nam in se illi vel inolita rimula respirabant. Pyramum enim ille tum canere instituerat.

9. Quod cum severiore quam putabat voce dixissem, subticuit aliquantum. Et ego jam reliqueram cœpta, et ad me redieram, ne frustra occupare præoccupatum atque inepte vellem. Tum ille :

Egomet meo indicio miser quasi sorex,

inquit, non dictum est commodius apud Terentium, quam nunc dici a me de me potest : sed sane illud ultimum fortasse in contrarium vertetur. Quod enim ait ille,

Hodie perii,

(*In Eunucho, act.* 5, *scen.* 6.)

ego hodie forte inveniar. Nam si non contemnitis quod superstitiosi solent etiam de muribus augurari, si ego illum murem vel soricem, qui me tibi vigilantem detulit, strepitu meo commonui, si quid sapit redire in cubile suum secumque conquiescere ; cur non ego ipse isto strepitu vocis tuæ commonear philosophari potius quam cantare ? Nam illa est, ut tibi quotidie probanti jam cœpi credere, vera et inconcussa nostra habitatio. Quare si tibi molestum non est, atque id fieri debere arbitraris, roga quod vis ; defendam, quantum possum, ordinem rerum, nihilque præter ordinem fieri posse asseram. Tantum enim eum animo imbibi atque hausi, ut etiamsi me quisquam in hac disputatione superarit, etiam hoc nulli temeritati, sed rerum ordini tribuam. Neque enim res ipsa, sed Licentius superabitur.

CAPUT IV. — *Nihil omnino sine causa fieri.*

10. Ego rursum gaudens eis me restitui. Tum Trygetio : Quid, inquam, tibi videtur ? Faveo quidem, inquit, ordini plurimum ; sed incertus sum tamen, et rem tantam diligentissime discuti cupio. Favorem, inquam, tuum illa ergo pars habeat [1] : nam quod incertus es, etiam cum Licentio ac meipso tibi puto esse commune. Prorsus, ait Licentius, ego hujus sententiæ certus sum. Quid enim dubitem parietem, cujus mentionem fecisti, antequam plane se erexerit, diruere ? Non enim vere poetica tantum me avertere a philosophia potest, quantum inveniendi veri

[1] Editi, *ille ergo paries*. Male ; nam id Trygetio impositus ut pro sua parte defendendum ordinem suscipiat.

diffidentia. Tum Trygetius gaudentibus verbis : Habemus, inquit, jam quod plus est, Licentium non Academicum ; eos enim ille studiosissime defendere solebat. Hæc modo, inquit, omitte quæso, ne me hoc vafrum quiddam et captatorium a nescio qua divina re, quæ mihi ostentare se cœpit, et cui me inhiantem suspendo, detorqueat atque disrumpat. Hic ego multo uberius cernens abundare lætitias meas quam vel optare aliquando ausus sum, versum istum gestiens effudi :

Sic Pater ille deum faciat, sic altus Apollo,
Incipias:

(*Æneid.* x, 874. 875.)

perducet enim ipse, si sequimur quo nos ire jubet, atque ubi ponere sedem, qui dat modo augurium, nostrisque illabitur animis (*Id.* III, 88, 89). Nec enim altus Apollo est, qui in speluncis, in montibus, in nemoribus, nidore thuris pecudumque calamitate concitatus implet insanos ; sed alius profecto est, alius ille altus veridicus, atque ipsa (quid enim verbis ambiam ?) Veritas : cujus vates sunt quicumque possunt esse sapientes. Ergo aggrediamur, Licenti, freti pietate cultores, et vestigiis nostris ignem perniciosum fumosarum cupiditatum opprimamus.

11. Jam, inquit, interroga, oro te, si possim hoc tantum nescio quid explicare, et tuis verbis et meis. Hoc ipsum, inquam, mihi responde, primo unde tibi videatur aqua ista non temere sic, sed ordine influere. Nam quod illa ligneolis canalibus superlabitur, et ducitur usque in usus nostros, potest ad ordinem pertinere. Factum est enim ab hominibus ratione utentibus, ut uno ejus itinere simul et biberent et lavarent, et pro locorum opportunitatibus consequens erat ut ita fieret. Quod vero illa, ut dicis, folia sic inciderunt, ut hoc quod admirati sumus eveniret ; quo tandem rerum ordine, ac non potius casu factum putabimus ? Quasi vero, inquit ille, aliter atque ceciderunt, debuisse aut potuisse cadere cuiquam videri potest, serenissime intuenti nihil posse fieri sine causa. Quid ? jam vis persequar situs arborum atque ramorum, ipsumque pondus quantum natura foliis imposuit ? Quid, aeris vel mobilitatem qua volitant, vel mollitiem qua descendunt, variosque lapsus pro affectione cœli, pro onere, pro figuris suis, cæterisque innumerabilibus atque obscurioribus causis, quid me attinet quærere ? Latent ista sensus nostros, penitus latent : illud tamen quod aggressæ [2] quæstioni satis est, nescio quomodo animum non latet, nihil fieri sine causa. Potest enim odiosus percontator pergere quærere, quæ causa erat ut ibi arbores ponerentur ? Respondebo, secutos esse homines uber terræ. Quid, si fructuosæ arbores non sunt, ac temere natæ sunt ? Et hic respondebo, nos parum videre ; nam temerariam, quæ illas genuit, nequaquam esse naturam. Quid plura ? Aut aliquid sine causa fieri docear, aut nihil fieri nisi certo causarum ordine credite.

[1] Mss. plerique, *Deus faciat*. Tum nonnulli, *sic altus Iesus*.
[2] In Ms. S. Arnulfi Metensis legitur, *agresti quæstioni*. Fortasse aptius.

CAPUT V. — *Ordine cuncta Deus administrat.*

12. Cui ego : Licet, inquam, me odiosum percontatorem voces ; vix enim possum non esse, qui expugnavi ne cum Pyramo et Thysbe colloquereris ; pergam tamen quærere abs te. Natura ista quam vis videri ordinatam, cui bono, ut de cæteris rebus innumerabilibus taceam, istas ipsas arbores quæ fructus non afferunt, procreavit ? At illo cogitante quid diceret, ait Trygetius : Numquidnam usus arbustorum in solis fructibus præbetur hominibus ? Quanta sunt alia, quæ umbra, quæ lignis, postremo quæ ipsis frondibus seu foliis fiant ? Noli obsecro, inquit ille, interrogationibus ejus hæc reddere. Innumerabilia sunt enim quæ proferri possunt, ex quibus nulla est hominibus utilitas, aut certe ita latet vel imbecilla est, ut ab hominibus, præsertim nobis, erui defendive non possit. Ipse potius nos doceat, quomodo aliquid fiat quod non causa præcesserit. Post, inquam, ista videbimus. Non enim jam me necesse est esse doctorem, cum tu qui jam tantæ rei te certum esse professus es, adhuc me nihil docueris nimium discere cupientem, et propter hoc solum dies noctesque vigilantem.

13. Quo me mittis, inquit ? An quia levius te sequor quam ista folia ventos, quibus in profluentem aquam jaciuntur, ut eis cadere parum sit, nisi etiam trahantur ? Nam quid aliud erit cum Licentius et Augustinum, et ea quæ sunt in media philosophia docet ? Noli obsecro, inquam, aut te tantum abjicere, aut me extollere. Nam et ego in philosophia puer sum, et non nimis curo, cum interrogo, per quem mihi ille respondeat, qui me quotidie querulum accipit : cujus te quidem credo quandoque vatem futurum ; neque hoc, quandoque, forsitan longum est. Sed tamen alii quoque multum sepositi ab hujusmodi studiis docere aliquid possunt, cum disserentium societati quasi vinculis interrogationum coarctantur. Idem autem aliquid non est nihil. An non vides (tuo enim simili utar libentius) illa ipsa folia quæ feruntur ventis, quæ undis innatant, resistere aliquantum præcipitanti se flumini, et de rerum ordine homines commonere, si tamen hoc quod abs te defenditur, verum est ?

14. Hic ille lecto etiam exsiliens præ lætitia : Quis neget, Deus magne, inquit, te cuncta ordine administrare ? Quam se omnia tenent ! quam ratis successionibus in nodos suos urgentur ! quanta et quam multa facta sunt ut hæc loqueremur ! quanta fiunt ut te inveniamus ! Unde enim hoc ipsum, nisi ex rerum ordine manat et ducitur, quod evigilavimus, quod illum sonum advertisti, quod quæsisti tecum causam, quod tu causam tantillæ rei non invenisti ? Sorex etiam prodit, ut ego vigilans prodar. Postremo tuus etiam ipse sermo, te fortasse id non agente (non enim cuiquam in potestate est quid veniat in mentem), sic nescio quomodo circumagitur, ut me ipse doceat quid tibi debeam respondere. Namque, oro te, si hæc quæ a nobis dicta sunt, litteris, ut instituisti, mandata pervagentur paulo latius ad hominum famam ; nonne ita res magna videbitur, ut de illa consultus aliquis vates magnus aut Chaldæus respondere debue-

rit, multo ante quam evenit? Quod si respondisset, ita divinus diceretur, ita efferretur laudibus omnium, ut tamen ex eo nemo quærere auderet cur folium ab arbore ceciderit, aut utrum mus oberrans jacenti homini molestus fuerit? Numquidnam enim talia futura quisquam illorum aut per se dixit aliquando, aut a consultore coactus est dicere? Atqui, si futurum quemdam librum non ignobilem diceret, et id necessario eventurum videret, non enim posset aliter divinare; profecto quidquid volitatio foliorum in agro, quidquid vilissima bestiola in domo facit, tam sunt in rerum ordine necessaria, quam illæ litteræ. His enim verbis fiunt, quæ sine illis præcedentibus vilissimis rebus nec in mentem venire possent, nec ore procedere posterisque mandari. Quare jam, rogo, nemo ex me quærat cur quidque fiat. Satis est nihil fieri, nihil gigni quod non aliqua causa genuerit ac moverit.

CAPUT VI. — *Ordo omnia complectitur.*

15. Hic apparet te, inquam, nescire adolescens quam multa, et a qualibus viris contra divinationem dicta sint. Sed responde nunc, non utrum fiat aliquid sine causa; nam id jam video te nolle respondere: sed ordo iste susceptus tuus bonumne quidquam, an malum tibi esse videatur. Et ille submurmurans: Non, inquit, sic rogasti, ut unum e duobus queam respondere. Video hic enim quamdam medietatem. Nam ordo mihi nec bonum, nec malum videtur. Quid saltem censes, inquam, ordini esse contrarium? Nihil, ait ille. Nam quomodo esse contrarium quidquam potest ei rei quæ totum occupavit, totum obtinuit? Quod enim erit ordini contrarium, necesse erit esse præter ordinem. Nihil autem esse præter ordinem video. Nihil igitur ordini oportet putare esse contrarium. Ergone, ait Trygetius, contrarius ordini error non est? Nullo modo, inquit. Nam neminem video errare sine causa. Causarum autem series ordine includitur. Et error ipse non solum gignitur causa, sed etiam gignit aliquid cujus causa sit. Quamobrem quo extra ordinem non est, eo non potest ordini esse contrarius.

16. Et cum tacuisset Trygetius, egoque meipsum non caperem gaudio, quod videbam adolescentem charissimi amici filium etiam meum fieri; nec solum, verum in amicum quoque jam mihi surgere atque grandescere, et cujus studium vel in mediocres litteras desperaveram, quasi respecta [1] possessione sua toto impetu in mediam venire philosophiam. Quod dum tacitus miror et exæstuo in gratulationem, subito ille quasi mente quadam correptus exclamat: O si possem dicere quod volo! Rogo; ubi, ubi estis, verba? succurrite. Et bona et mala in ordine sunt.

CAPUT VII. — *Deus non diligit mala licet ad ordinem pertineant.*

17. Credite, si vultis; nam quomodo id explicem nescio. Ego mirabar et tacebam. Trygetius autem ubi vidit hominem paululum quasi digesta ebrietate affabilem factum redditumque colloquio: Absurdum, inquit, mihi videtur, Licenti, et plane alienum a veritate quod dicis; sed quæso patiare me paululum, nec perturbes clamitando. Dic quod vis, ait ille: non enim metuo ne me auferas ab eo quod video, ac pene teneo. Utinam, inquit, ab eo quem defendis ordine devius non sis, non tanta in Deum feraris (ut mitius loquar) incuria. Quid enim potuit dici magis impium, quam etiam mala ordine contineri? Certe enim Deus amat ordinem. Vere amat, ait ille; ab ipso manat, et cum ipso est. Et si quid potest de re tantum alta convenientius dici, cogita, quæso, ipse tecum. Nec enim sum idoneus qui te ista nunc doceam. Quid cogitem, inquit Trygetius? Accipio prorsus quod dicis, satisque mihi est in eo quod intelligo. Certe enim et mala dixisti ordine contineri, et ipsum ordinem manare a summo Deo, atque ab eo diligi. Ex quo sequitur ut et mala sint a summo Deo, et mala Deus diligat.

18. In qua conclusione timui Licentio. At ille ingemiscens difficultate verborum, nec omnino quærens quid responderet, sed quemadmodum quod respondendum erat promeret: Non diligit Deus mala, inquit; nec ob aliud, nisi quia ordinis non est ut Deus mala diligat. Et ordinem ideo multum diligit, quia per eum non diligit mala. At vero ipsa mala qui possunt non esse in ordine, cum Deus illa non diligat? Nam iste ipse est malorum ordo ut non diligantur a Deo. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut et bona Deus diligat, et non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit Deus, et ipsum tamen ordinem diligit: hoc ipsum enim diligit diligere bona, et non diligere mala; quod est magni ordinis, et divinæ dispositionis. Qui ordo atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit. Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur.

19. Post hoc intersiluit modice. Et repente sese erigens qua Trygetius lectum habebat: Nam quæro ex te, quæso, inquit, justusne sit Deus? Tacebat ille, nimis, ut postea retulit, admirans et horrens subito condiscipuli et familiaris sui afflatum nova inspiratione sermonem. Quo tacente, ille ita secutus est. Si enim Deum justum non esse responderis, tu videris quid agas, qui me dudum impietatis arguebas. Si autem, ut nobis traditur, nosque ipsius ordinis necessitate sentimus, justus est Deus, sua cuique distribuendo utique justus est. Quæ autem distributio dici potest, ubi distinctio nulla est? Aut quæ distinctio, si bona sunt omnia? Quidve præter ordinem reperiri potest, si Dei justitia bonorum malorumque meritis sua cuique redduntur? Justum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine includitur. Quibus dictis resilit e strato, et jam lenior voce cum ei verbum nemo faceret: Nihilne mihi, inquit, vel tu qui compulisti ad ista, respondes?

20. Cui ego: Nova nunc religio isthæc in te incessit, credo (*Terent. Andr. act. 4, scen. 3*), inquam. Sed

[1] Lov. *despecta possessione*. At cæteri codices editi et scripti habent, *respecta*,

quod videbitur, per diem respondebo, qui mihi jam videtur redire; nisi lunæ est ille qui fenestris fulgor inducitur. Simul et agendum est ne tanta bona tua, Licenti, absorbeat oblivio. Quando enim nostræ litteræ non sibi hæc mandari flagitent? Dicam plane tibi quod sentio, disputabo adversum te, quantum possum; non enim mihi, si me viceris, major triumphus dari potest. Si autem vel calliditati vel acuto cuidam errori hominum, quorum partes suscipere tentabo, cesserit imbecillitas tua, quæ minus pasta eruditione disciplinarum tantum deum fortasse sustinere non poterit; res te ipsa commonebit quantæ tibi vires, ut in eum firmior redeas, parandæ sint: simul quia et istam disputationem nostram elimatius volo provenire; non enim eam grossis auribus debeo. Nam Zenobius noster multa mecum sæpe de rerum ordine contulit, cui alta percontanti nunquam satisfacere potui, seu propter obscuritatem rerum, seu propter temporum angustias. Crebrarum autem ille procrastinationum usque adeo impatiens fuit, ut me, quo diligentius et copiosius respondere cogerer, etiam carmine provocaret, et bono carmine, unde illum magis ames. Sed neque tunc tibi legi potuit ab istarum rerum studio remotissimo, neque nunc potest. Nam profectio ejus tam repentina et perturbata fuit tumultu illo, ut nihil istorum venire nobis in mentem potuerit: nam id relinquere mihi responsuro statuerat; et multa concurrunt cur ei sermo iste mittatur. Primum est, quia debetur; deinde, quia cujusmodi nunc vitam ducamus, etiam sic indicari ejus in nos benevolentiæ decet; postremo, quod in gaudio de spe tua nemini cedit. Nam et cum præsens esset, pro familiaritate patris tui, vel potius omnium nostrum, multum sollicitus erat ne ingenii tui quædam scintillæ, quas diligenter animadvertebat, non tam conflarentur cura mea, quam tua exstinguerentur incuria. Et cum te poeticæ quoque studiosum esse cognoverit, sic gratulabitur, ut eum mihi gestientem videre jam videar.

CAPUT VIII. — *Licentius philosophiæ amore succensus. Reprehensus a Monnica quod psalmi versiculum ad requisita naturæ egressus cantitaret. Liberalium disciplinarum utilitas.*

21. Nihil mihi quidem gratius facies, inquit: sed, sive mobilitatem meam et puerilem levitatem ridebitis, sive aliquo vere divino nutu et ordine fit in nobis, non vobis dubitem dicere, pigrior sum ad illa metra subito effectus; alia, longe alia nescio quid mihi nunc luce resplenduit. Pulchrior est philosophia, fateor, quam Thysbe, quam Pyramus, quam illa Venus et Cupido, talesque omnimodi amores: et cum suspirio gratias Christo agebat. Accepi ego hæc, quid dicam, libenter; aut quid non dicam? Accipiat quisque ut volet, nihil curo, nisi quod forte immodice gaudebam.

22. Interea post paululum dies sese aperuit; surrexerunt illi, et ego illacrymans multa oravi: cum audio Licentium succinentem illud Propheticum læte atque garrule: *Deus virtutum, converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX, 8). Quod pridie post cœnam cum ad requisita naturæ foras exisset, paulo clarius cecinit, quam ut mater nostra ferre posset, quod illo loco talia continuo repetita canerentur. Nihil enim aliud dicebat, quoniam ipsum cantilenæ modum nuper hauserat, et amabat, ut fit, melos inusitatum. Objurgavit eum religiosissima, ut scis, femina, ob hoc ipsum quod inconveniens locus cantico esset. Tunc ille dixerat, jocans: Quasi vero si quis hic me inimicus includeret, non erat Deus exauditurus vocem meam.

23. Ergo mane cum regressus esset solus, nam uterque ob eamdem causam processerat, accessit ad lectulum meum. Verum dic mihi, inquit, ita fiat nobis quod vis, quid de me existimes. Atque ego adolescentis dexteram apprehendens: Quid, inquam, existimem sentis, credis, intelligis. Neque enim arbitror te frustra heri tamdiu cecinisse, ut virtutum Deus converso tibi se ostendat. At ille cum admiratione recordatus: Magnum, inquit, dicis et verum. Non enim meipsum parum movet quod modo tam ægre avocabar a nugis illis carminis mei, et jam redire ad eas piget et pudet, ita totus in quædam magna et mira subvehor. Nonne hoc est vere in Deum converti? Simul et illud gaudeo, quod frustra mihi scrupulus superstitionis injectus est quod tali loco talia cantitabam. Mihi, inquam, neque hoc displicet, et ad illum ordinem puto pertinere ut etiam hinc aliquid diceremus. Nam illi cantico, et locum ipsum quo illa offensa est, et noctem congruere video. A quibus enim rebus putas nos orare ut convertamur ad Deum, ejusque faciem videamus, nisi a quodam cœno corporis atque sordibus, et item a tenebris quibus nos error involvit? Aut quid est aliud converti, nisi ab immoderatione vitiorum, virtute ac temperantia in sese attoli? Quidve aliud est Dei facies, quam ipsa cui suspiramus, et cui nos amatæ mundos pulchrosque reddimus, veritas? Melius dici non potest, inquit exclamans. Deinde suppressius quasi ad aurem: Vide, quæso, quanta occurrerunt, ut credam erga nos aliquid jam prosperiore ordine fieri.

24. Si ordinem, inquam, curas, redeundum tibi est ad illos versus. Nam eruditio disciplinarum liberalium modesta sane atque succincta, et alacriores et perseverantiores et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritati, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhæreant postremo dulcius (1 *Retract. cap.* 3, *n.* 2), quæ vocatur, Licenti, beata vita. Qua nominata, omnes sese erigunt, et quasi attendunt in manus, utrum habeas quod dare possis egentibus variisque morbis impeditis. Quibus sapientia cum præcipere cœperit ut medicum perferant, seque cum aliqua patientia curari sinant, in pannos suos recidunt. Quorum concalefactione tabificati, scabiem voluptatum ærumnosarum scalpunt libentius, quam ut monita medici paululum dura et morbis onerosa perpetiendo atque subeundo, valetudini sanorum lucique reddantur. Itaque illo summi Dei nomine ac sensu tanquam stipe contenti vivunt miseri, vivunt tamen. Alios autem viros, vel, ut verius loquamur, alias animas, dum hoc corpus agunt, jam thalamo suo dignas conjux ille

optimus ac pulcherrimus quærit, quibus non vivere, sed beate vivere satis sit. Vade ergo interim ad illas Musas. Verumtamen, scis quid te facere velim? Jube, ait, quod placet. Ubi se, inquam, Pyramus et illa ejus supra seminecem, ut cantaturus es, interemerint, in dolore ipso, quo tuum carmen vehementius inflammari decet, habes commodissimam opportunitatem. Arripe illius fœdæ libidinis et incendiorum venenatorum exsecrationem, quibus miseranda illa contingunt: deinde totus attollere in laudem puri et sinceri amoris, quo animæ dotatæ disciplinis et virtute formosæ copulantur intellectui per philosophiam, et non solum mortem fugiunt, verum etiam vita beatissima perfruuntur. Hic ille tacitus ac diu consideratione nutans, motato capite abscessit.

25. Deinde ego quoque surrexi, redditisque Deo quotidianis votis, ire cœperamus in balneas. Ille enim locus nobis, cum cœlo tristi in agro esse minime poteramus, aptus ad disputandum et familiaris fuit. Cum ecce ante fores advertimus gallos gallinaceos ineuntes pugnam nimis acrem. Libuit attendere. Quid enim non ambiunt, qua non peragrant oculi amatum, ne quid unde unde [1] innuat pulchritudo rationis cuncta scientia et nescientia modificantis et gubernantis, quæ inhiantes sibi sectatores suos trahit quacumque atque ubicumque se quæri jubet? Nam unde aut ubi non potest signum dare? Ut in eisdem ipsis gallis erat videre, intenta projectius capita, inflatas comas, vehementes ictus, cautissimas evitationes, et in omni motu animalium rationis expertium nihil non decorum, quippe alia ratione desuper omnia moderante. Postremo legem ipsam victoris; superbum cantum, et membra in unum quasi orbem collecta velut in fastum dominationis. Signum autem victi; elatas a cervice pennulas, et in voce atque motu deforme totum, et eo ipso naturæ legibus nescio quomodo concinnum et pulchrum.

26. Multa quærebamus: cur sic omnes, cur propter dominationem in subjectas sibi feminas, cur deinde nos ipsa pugnæ facies aliquantum et præter altiorem istam considerationem duceret in voluptatem spectaculi: quid in nobis esset quod a sensibus remota [2] multa quæreret; quid rursum quod ipsorum sensuum invitatione caperetur. Dicebamus nobis ipsis: Ubi non lex? ubi non meliori debitum imperium? ubi non umbra constantiæ? ubi non imitatio verissimæ illius pulchritudinis? ubi non modus? Atque inde admoniti ut spectandi modus esset, perreximus quo propositum erat. Atque ibi, ut potuimus, sane diligenter (nam et recentes res erant, et quando poterant tam insignita trium studiosorum memoriam effugere?) omnia nostræ lucubrationis opuscula in hanc libelli partem contulimus. Nihilque a me aliud actum est illo die, ut valetudini parcerem, nisi quod ante cœnam cum ipsis dimidium volumen Virgilii audire quotidie solitus eram, nihil nobis ubique aliud quam rerum modum considerantibus. Quem non probare nemo potest; sentire autem, cum quisque aliquid studiose agit, difficillimum atque rarissimum.

[1] Am. Er. et Lov. habent, *ne quid inde innuat*: et paulo post, *aque ubicumque sectari jubet*. Sed concinnior Mss. lectio, quam in textu damus.

[2] Sic Mss. At Edd. *remotum*.

DISPUTATIO SECUNDA.

## CAPUT IX. — *Ordo dux ad Deum.*

27. Deinde postridie bene mane alacres ad solitum locum convenimus, in eoque consedimus. Et ego attentis in me ambobus: Hic esto, inquam, Licenti, quantum potes, et tu quidem, Trygeti; nec enim parva res agitur: de ordine quærimus. Quid ego nunc quasi in schola illa, unde me quoquo modo evasisse gaudeo, constitutus, copiose atque ornate vobis ordinem laudem? Accipite, si vultis, imo facite ut velitis, quo neque quidquam de hujus laude brevius, neque ut mihi videtur verius dici potest. Ordo est quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum; et quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum. Perventuros autem nos jam, nisi me animus de vobis fallit, præsumimus et speramus. Diligentissime igitur inter nos ista quæstio versari debet atque dissolvi. Vellem adessent cæteri qui nobiscum his negotiis solent interesse. Vellem, si fieri posset, non istos tantum, sed omnes saltem familiares nostros, quorum semper admiror ingenium, nunc [1] mecum habere quam vos estis intentos; aut certe ipsum tantum Zenobium, quem de hac re tanta molientem nunquam pro ejus magnitudine otiosus accepi. Sed quia id non evenit, legent litteras nostras, quoniam instituimus jam de istis rebus verba non perdere, resque ipsas a memoria fugaces, scriptorum quasi vinculo quo reducantur innectere. Et sic fortasse ordo ipse poscebat, qui eorum procuravit absentiam. Nam et vos profecto in rem tantam, quia solis perferenda imponitur nobis, erectiore animo insurgitis; et cum illi legerint qui nobis maxima cura sunt, si quid eos moverit ad contradicendum, alias nobis disputationes disputatio ista procreabit, seque ipsa successio sermonum in ordinem inseret disciplinæ. Sed nunc, ut promiseram, Licentio, quantum res patitur, adversabor; qui totam causam jam pene confecit, si possit eam defensionis muro stabiliter firmeque vallare.

## CAPUT X. — *Ordo quid. Ut coercendi æmulationis et inanis jactantiæ motus in adolescentibus, qui dant operam litteris.*

28. Hic ubi eos, silentio, vultu, oculis, suspensione atque immobilitate membrorum et rei magnitudine satis commotos, et audiendi desiderio inflammatos esse conspexi: Ergo, inquam, Licenti, si tibi videtur, collige in te quidquid virium potes, elima quidquid habes acuminis, et ordo iste quid sit definitione complectere. Tum ille ubi se ad definiendum cogi audivit, quasi aqua frigida aspersus exhorruit; et turbatiore vultu me intuens, atque, ut fit, ipsa trepidatione subridens: Quid hoc est rei? quid quasi tibi videor, inquit? an vere nescio quo adventitio spiritu me credis inflatum? Statimque sese animans: Aut fortasse, ait, aliquid mecum est. Paululumque siluit, ut in definitionem quidquid illi de ordine notionis erat,

[1] Lov., *non minus mecum habere*. Alii libri, *nunc mecum habere*.

conduceretur. Deinde erectior : Ordo est, inquit, per quem aguntur omnia quæ Deus constituit.

29. Quid ipse Deus, inquam? non tibi videtur agi ordine? Prorsus, inquit, videtur. Ergo agitur Deus, ait Trygetius. Et ille : Quid enim, inquit, Christum Deum negas, qui et ordine ad nos venit, et a Patre Deo missum esse se dicit? Si igitur Deus Christum ordine ad nos misit, et Deum Christum esse non negamus, non solum agit omnia, sed agitur ordine etiam Deus. Hic Trygetius addubitans : Nescio, inquit, quomodo istuc accipiam. Deum enim quando nominamus, non quasi mentibus ipse Christus occurrit, sed Pater. Ille autem tunc occurrit, quando Dei Filium nominamus. Bellam rem facis, inquit Licentius. Negabimus ergo Dei Filium Deum esse? Hic ille, cum ei respondere periculosum videretur, tamen se coegit atque ait: Et hic quidem Deus est, sed tamen proprie Patrem Deum dicimus. Cui ego : Cohibe te potius, inquam; non enim Filius improprie Deus dicitur. At ille religione commotus, cum etiam verba sua scripta esse nollet, urgebat Licentius ut manerent, puerorum scilicet more, vel potius hominum, proh nefas! pene omnium, quasi vero gloriandi causa inter nos illud ageretur. Cujus motum animi cum objurgarem gravioribus verbis, erubuit : qua ejus perturbatione animadverti ridentem lætantemque Trygetium. Et ambobus : Itane agitis, inquam? Nonne vos movet quibus vitiorum molibus atque imperitiæ tenebris premamur et cooperiamur? Hæccine est illa paulo ante vestra, de qua ineptus lætabar, attentio et in Deum veritatemque surrectio? O si videretis, vel tam lippientibus oculis quam ego, in quibus periculis jaceamus, cujus morbi dementiam risus iste indicet! O si videretis! quam cito, quam statim, quantoque productius eum verteretis in fletus. Miseri, nescitis ubi sumus? Demersos quidem esse animos omnium stultorum indoctorumque commune est, sed non uno atque eodem modo demersis opem sapientia et manum porrigit. Alii sunt, credite, alii sunt qui sursum vocantur, alii qui in profunda laxantur. Nolite, obsecro vos, geminare mihi miserias. Satis mihi sint vulnera mea, quæ ut sanentur, pene quotidianis fletibus Deum rogans, indigniorem tamen esse me qui tam cito saner quam volo, sæpe memetipse convinco. Nolite, obsecro, si quid mihi amoris, si quid necessitudinis debetis, si intelligitis quantum vos diligam, quanti faciam, quantum me cura exagitet morum vestrorum, si dignus sum quem non negligatis, si denique, Deo teste, non mentior, nihil me plus mihi optare quam vobis, rependite mihi beneficium. Et si me magistrum libenter vocatis, reddite mihi mercedem : boni estote.

30. Hic ubi, ne plura dicerem, lacrymæ mihi modum imposuerunt, Licentius molestissime ferens, quod omnia scribebantur : Quid enim, ait, fecimus, oro te? Adhuc, inquam, nec fateris saltem peccatum tuum? Tu nescis in illa schola graviter me stomachari solitum, quod usque adeo pueri non utilitate atque decore disciplinarum, sed inanissimæ laudis amore ducerentur, ut quosdam etiam aliena verba recitare non puderet, exciperentque plausus (o ingemiscendum malum!) ab eisdem ipsis quorum erant illa quæ recitabant. Ita vos, quamvis nihil unquam, ut opinor, tale feceritis; tamen et in philosophiam, et in eam vitam quam me tandem occupasse lætor, æmulationis tabificæ atque inanis jactantiæ ultimam, sed nocentiorem cæteris omnibus pestem introducere ac proseminare conamini : et fortasse, quia vos ab ista vanitate morboque deterreo, pigriores eritis ad studia doctrinæ; et ab ardore ventosæ famæ repercussi, in torporem inertiæ congelabitis. Me miserum, si necesse erit tales etiam nunc perpeti, a quibus vitia decedere sine aliorum vitiorum successione non possint. Probabis, ait Licentius, quam purgatiores futuri simus. Modo illud obsecramus per omnia quæ diligis, ut ignotum nobis velis, atque illa omnia deleri jubeas; simul, ut parcas etiam tabulis, quas jam non habemus. Non enim aliquid in libros translatum est eorum quæ a nobis multa disserta sunt (*a*). Prorsus, inquit Trygetius, maneat nostra pœna, ut ea ipsa, quæ nos illicit fama, flagello proprio a suo amore deterreat. Ut enim solis amicis et familiaribus nostris litteræ istæ innotescant, non parum desudabimus. Assensus est ille.

CAPUT XI. — *Monnica ob sexum non arcenda a philosophica disputatione.*

31. Atque interea mater ingressa est, quæsivitque a nobis quid promovissemus; nam et ei quæstio nota erat. Cujus et ingressum, et rogationem cum scribi nostro more jussissem : Quid agitis, inquit? Numquidnam in illis quos legitis libris etiam feminas unquam audivi in hoc genus disputationis inductas? Cui ego : Non valde curo, inquam, superborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt. Non enim cogitant quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, et quanta pompa rerum fortunæque præfulgeant. Isti enim in litteris non multum attendunt aut unde sit quæstio, aut quo pervenire disserentes moliantur, quidve ab eis explicatum atque confectum sit. In quibus tamen quia nonnulli reperiuntur quorum animi contemnendi non sunt, aspersi sunt enim quibusdam condimentis humanitatis, et facile per aureas depictasque januas ad sacrosancta philosophiæ penetralia perducuntur; satis eis fecerunt et majores nostri, quorum libros tibi nobis legentibus notos esse video. Et his temporibus, ut omittam cæteros, vir et ingenio et eloquentia, et ipsis insignibus muneribusque fortunæ, et quod ante omnia est, mente præstantissimus Theodorus, quem bene ipsa nosti, id agit, ut et nunc et apud posteros nullum genus hominum de litteris nostrorum temporum jure conqueratur. Mei autem libri si quorum forte manus tetigerint, lectoque meo nomine non dixerint, Iste quis est? codicemque projecerint; sed vel curiosi, vel nimium studiosi contempta vilitate liminis intrare perrexerint : me tecum philosophantem non moleste ferent, nec quemquam istorum quorum meis litteris sermo miscetur, fortasse contemnent. Sunt enim non

(*a*) Inscribebant primum tabulis; hinc porro in libros transferebant.

solum liberi, quod cuivis disciplinæ liberali, nedum philosophiæ satis est, sed summo apud suos loco nati. Doctissimorum autem hominum litteræ etiam sutores philosophatos, et multo viliora fortunarum genera continent : qui tamen tanta ingenii virtutisque luce fulserunt, ut bona sua cum qualibet hujuscemodi nobilitate nullo modo vellent, etiamsi possent, ulla conditione mutare. Nec deerit, mihi crede, tale hominum genus, cui plus placeat hoc ipsum, quia mecum philosopharis, quam si quid hic aliud, aut jucunditatis aut gravitatis invenerit. Nam et feminæ sunt apud veteres philosophatæ, et philosophia tua mihi plurimum placet.

32. Nam ne quid, mater, ignores, hoc græcum verbum, quo philosophia nominatur, latine amor sapientiæ dicitur. Unde etiam divinæ Scripturæ quas vehementer amplecteris, non omnino philosophos, sed philosophos hujus mundi evitandos atque irridendos esse præcipiunt (*Coloss.* II, 8). Esse autem alium mundum ab istis oculis remotissimum, quem paucorum sanorum intellectus intuetur (I *Retract. cap.* 3, *n.* 2), satis ipse Christus significat, qui non dicit, Regnum meum non est de mundo; sed, *Regnum meum non est de hoc mundo?* (*Joan.* XVIII, 36.) Nam quisquis omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare sapientiam. Contemnerem te igitur in his litteris meis, si sapientiam non amares; non autem contemnerem, si eam mediocriter amares; multo minus, si tantum quantum ego amares sapientiam. Nunc vero cum eam multo plus quam meipsum diligas, et noverim quantum me diligas; cumque in ea tantum profeceris, ut jam nec cujusvis incommodi fortuiti, nec ipsius mortis, quod viris doctissimis difficillimum est, horrore terrearis, quam summam philosophiæ arcem omnes esse confitentur; egone me non libenter tibi etiam discipulum dabo?

33. Hic illa cum blande ac religiose nunquam me tantum mentitum esse dixisset, et viderem tam multa nos verba fudisse, ut neque scribenda non essent, et jam libri modus esset, neque tabulæ reliquæ forent; placuit quæstionem differri, simul ut meo stomacho parcerem. Nam eum, plus quam vellem, commoverant ea quæ mihi evomenda in illos adolescentes necessario visa sunt. Sed cum abire cœpissemus : Memento, inquit Licentius, quam multa et quam necessaria nobis abs te accipienda per occultissimum illum divinumque ordinem etiam te nesciente subministrentur. Video, inquam, et ingratus Deo non sum; vosque ipsos qui hæc advertitis ob id ipsum præsumo fore meliores. Hoc fuit tantum illo die negotium meum.

# *LIBER SECUNDUS.*

Disputationes hoc libro duæ continentur, quibus dum Ordinis definitionem expendunt colloquentes, incidunt in varias quæstiones, scilicet : quomodo sapiens cum Deo maneat immotus; an etiam ea quæ perperam ab hominibus fiunt, ex Dei ordine agantur; utrum Deus justus esset ante originem mali; utrum ex Dei ordine malum exortum sit. Agitur demum fusius de recto studendi ordine, qui postulat ut informatis rite moribus, et comparatis humanis disciplinis promoveatur animus ad aliora et divina percipienda.

## DISPUTATIO PRIMA.

### CAPUT PRIMUM. — *Ordinis definitio expenditur.*

1. Interpositis deinde pauculis diebus venit Alypius, et exorto sole clarissimo, invitavit cœli nitor, et quantum in illis locis hieme poterat, blanda temperies in pratum descendere, quo sæpius et familiarius utebamur. Nobiscum erat etiam mater nostra, cujus ingenium, atque in res divinas inflammatum animum, cum antea convictu diuturno et diligenti consideratione perspexeram; tum vero in quadam disputatione non parvæ rei, quam die natali meo cum convivis habui, atque in libellum contuli, tanta mihi mens ejus apparuerat, ut nihil aptius veræ philosophiæ videretur. Itaque institueram, cum abundaret otio, agere ut colloquio nostro non deesset. Quod in primo etiam hujus operis libro abs te cognitum est.

2. Cum igitur memorato in loco, ut commode potuimus, consedissemus, ego illis duobus adolescentibus : Quamvis vobis, inquam, succensuerim, pueriliter de magnis rebus agentibus; tamen mihi videtur non sine ordine, propitio Deo, accidisse, quod in sermone quo vos ab ista levitate detrahebam, tempus ita consumptum est, ut res tanta ad Alypii adventum dilata videatur. Quapropter, quoniam ei jam quæstionem notissimam feci, et quantum in ea processerimus ostendi, paratusne es, Licenti, causam quam suscepisti ex illa tua definitione defendere? Nam memi-

nisse me arbitror, te ordinem esse dixisse per quem Deus ageret omnia. Paratus sum, inquit, quantum valeo. Quomodo ergo, inquam, agit ordine omnia Deus? Itane ut etiam se ordine agat; an præter eum ordine ab eo cætera gubernantur? Ubi omnia bona sunt, inquit, ordo non est. Est enim summa æqualitas, quæ ordinem nihil desiderat. Negas, inquam, apud Deum omnia bona esse? Non nego, inquit. Conficitur, inquam, neque Deum, neque illa quæ apud Deum sunt, ordine administrari. Concedebat. Numquidnam, inquam, omnia bona nihil tibi videntur esse? Imo, ait, ipsa vere sunt. Ubi est ergo, inquam, illud tuum quod dixisti, omnia quæ sunt, ordine administrari, nihilque omnino esse quod ab ordine separatum sit? Sed sunt, inquit, etiam mala, per quæ factum est ut et bona ordo concludat; nam sola bona non ordine reguntur, sed simul bona et mala. Quum autem dicimus, Omnia quæ sunt, non sola utique bona dicimus. Ex quo fit ut omnia simul, quæ Deus administrat, ordine administrentur.

3. Cui ego : Quæ administrantur et aguntur, videntur tibi moveri, an immobilia putas esse? Ista, inquit, quæ in hoc fiunt mundo, fateor moveri. Reliqua, inquam, negas? Quæ sunt cum Deo, inquit, non moventur; reliqua omnia moveri arbitror. Cum igitur ea quæ cum Deo sunt, inquam, non moveri putas, cætera autem concedis moveri, ostendis omnia quæ moventur non esse cum Deo. Repete hoc ipsum, in

quit, paulo planius. Quod non mihi visus est difficultate intelligendi fieri voluisse, sed quærendi spatium quo inveniret quid responderet. Dixisti, inquam, ea quæ cum Deo sunt non moveri, cætera autem moveri. Si ergo hæc quæ moventur non moverentur si essent cum Deo, quoniam omnia quæ sunt cum Deo, negas moveri, restat ut præter Deum sint quæ moventur. Quibus dictis adhuc tacebat; cum tandem : Videtur mihi, inquit, quod et in hoc mundo si qua non moventur, cum Deo sunt. Nihil hoc ad me, inquam. Fateris enim, ut opinor, non omnia quæ in hoc mundo sunt, non moveri. Ex quo conficitur, non omnia mundi hujus esse cum Deo. Fateor, inquit, non omnia. Ergo est aliquid sine Deo. Non, inquit. Cum Deo sunt igitur omnia. Hic cunctabundus : Quæso, inquit, illud non dixerim, quod sine Deo nihil sit; nam prorsus omnia quæ moventur, non mihi videntur esse cum Deo. Sine Deo est, inquam, igitur cœlum hoc, quod moveri nemo ambigit. Non est, inquit, sine Deo cœlum. Ergo est aliquid cum Deo, quod moveatur. Non possum, inquit, ut volo, explicare quod sentio : tamen quid moliar dicere, peto ut non exspectatis verbis meis, sagacissime, si potestis, intelligatis. Nam et sine Deo mihi nihil videtur esse; et quod cum Deo est, rursum videtur inconcussum manere : cœlum autem dicere sine Deo esse, non possum; non solum quod nihil sine Deo esse arbitror, sed quod cœlum putem habere aliquid quod non movetur, quod vere aut Deus est, aut cum Deo, quamvis ipsum cœlum non dubitem verti ac moveri.

CAPUT II.—*Cum Deo esse, quid sit. Quomodo sapiens cum Deo manet immotus.*

4. Defini ergo, inquam, si placet, quid sit esse cum Deo, et quid sit non esse sine Deo. Si enim de verbis inter nos controversia est, facile contemnetur, dummodo rem ipsam quam concepisti mente, videamus. Odi ego, inquit, definire. Quid ergo faciemus, inquam? Tu, inquit, defini, quæso. Nam facilius est mihi videre in alterius definitione quid non probem, quam quidquam bene definiendo explicare. Geram tibi morem, inquam. Videtur tibi id esse cum Deo, quod ab eo regitur atque administratur? Non, ait ille, hoc animo conceperam, cum dicebam ea quæ non moventur, esse cum Deo. Vide ergo, inquam, utrum hæc tibi saltem definitio placeat : cum Deo est quidquid intelligit Deum. Concedo, inquit. Quid ergo, inquam? sapiens tibi Deum intelligere non videtur? Videtur, inquit. Cum ergo sapientes non solum in una domo, aut urbe, sed etiam per immensa regionum peregrinando, navigandoque moveantur; quomodo erit verum, quidquid cum Deo est non moveri? Risum mihi, inquit, movisti, quasi ego quod sapiens facit, dixerim esse cum Deo. Cum Deo est, sed illud quod novit. Non novit, inquam, sapiens codicem suum, pallium, tunicam, supellectilem, si quam habet, cæteraque id genus, quæ stulti etiam bene noverunt? Fateor, inquit, nosse tunicam, et nosse pallium, non esse cum Deo.

5. Hoc ergo, inquam, dicis : Non omne quod novit sapiens, esse cum Deo; sed tamen quidquid sapientis cum Deo est, id nosse sapientem. Optime, inquit; nam quidquid sensu isto corporis novit, non est cum Deo, sed illud quod animo percipit. Plus etiam fortasse audeo dicere; sed tamen dicam : vobis enim existimatoribus, aut confirmer, aut discam. Quisquis enim ea sola novit quæ corporis sensus attingit, non solum cum Deo esse non mihi videtur, sed ne secum quidem. Hic cum Trygetium animadvertissem in eo vultu, ut nescio quid velle dicere videretur, sed verecundia eum, ne quasi in alienum locum irrueret, contineri; feci potestatem, jam tacente Licentio, ut promeret si quid vellet. At ille : Ista, inquit, quæ ad sensus corporis pertinent, prorsus nemo mihi videtur nosse. Aliud est enim sentire, aliud nosse. Quare si quid novimus, solo intellectu contineri puto, et eo solo posse comprehendi. Ex quo fit, ut si illud est cum Deo quod intelligendo sapiens novit, totum quod novit sapiens possit esse cum Deo. Quod cum Licentius approbasset, subjecit aliud quod nullo pacto possem contemnere. Ait enim : Sapiens prorsus cum Deo est, nam et seipsum intelligit sapiens. Quod conficitur et ex eo quod a te accepi, id esse cum Deo, quod intelligit Deum; et ex eo quod a nobis dictum est, id esse cum Deo, quod a sapiente intelligitur. Sed hanc ejus partem per quam istis utitur sensibus (non enim puto connumerandam esse, cum sapientem vocamus), fateor me nescire, nec omnino cujusmodi sit suspicari.

6. Negas ergo, inquam, non solum ex corpore et anima, sed etiam ex anima tota constare sapientem; siquidem partem istam qua utitur sensibus, animæ esse negare dementis est. Non enim ipsi oculi vel aures, sed nescio quid aliud per oculos sentit. Ipsum autem sentire, si non damus intellectui, non damus alicui parti animæ. Restat ut corpori tribuatur, quo absurdius dici nihil interim mihi videtur. Anima, inquit, sapientis perpurgata virtutibus, et jam cohærens Deo, sapientis etiam nomine digna est, nec quidquam ejus aliud decet appellari sapientem : sed tamen quasi quædam, ut ita dicam, sordes atque exuviæ quibus se ille mundavit, et quasi subtraxit in seipsum, ei animæ serviunt. Vel si tota hæc anima dicenda est, ei certe parti animæ serviunt atque subjectæ sunt, quam solam sapientem nominari decet. In qua parte subjecta etiam ipsam memoriam puto habitare. Utitur ergo hac sapiens quasi servo, ut hæc ei jubeat, easque jam domito atque substrato metas legis imponat, ut dum istis sensibus utitur propter illa quæ jam non sapienti, sed sibi sunt necessaria, non se audeat extollere, nec superbire domino, nec iis ipsis quæ ad se pertinent passim atque immoderate uti. Ad illam enim vilissimam partem possunt ea pertinere quæ prætereunt. Quibus autem est memoria necessaria, nisi prætereuntibus, et quasi fugientibus rebus? Ille igitur sapiens amplectitur Deum, eoque perfruitur qui semper manet, nec exspectatur ut sit, nec metuitur ne desit, sed eo ipso quo vere est, semper est præsens. Curat autem immobilis et in se manens servi sui quodammodo peculium, ut eo tanquam frugi et diligens famulus bene utatur, parceque custodiat.

7. Quam sententiam ejus cum admiratione considerans, recordatus sum idipsum aliquando me breviter illo audiente dixisse. Tum arridens : Gratias age, inquam, Licenti, huic servo tuo, qui tibi nisi aliquid de peculio suo ministraret, nunc fortasse quod promeres non haberes. Nam si ad eam partem memoria pertinet, quæ se velut famulam bonæ menti regendam concedit, ipsa nunc adjutus es, mihi crede, ut hoc diceres. Ergo antequam ad illum ordinem redeam, nonne tibi videtur vel propter talia, id est, propter honestas ac necessarias disciplinas, memoria opus esse sapienti? Quid, inquit, memoria opus est, cum omnes suas res præsentes habeat ac teneat? Non enim vel in ipso sensu, ad id quod ante oculos nostros est, in auxilium nobis vocamus memoriam. Sapienti ergo ante illos interiores intellectus oculos habenti omnia, id est, Deum ipsum fixe immobiliterque intuenti, cum quo sunt omnia quæ intellectus videt ac possidet, quid opus est, quæso, memoria? Mihi autem ut opus esset ad hæc quæ abs te audieram retinenda, nondum sum illius famuli dominus; sed ei modo servio, modo pugno ut non serviam, et quasi me audeo asserere in libertatem meam. Et si forte aliquando impero, atque obtemperat mihi, facitque sæpe putare quod vicerim, in aliis rursus rebus ita sese erigit, ut ejus sub pedibus miser jaceam. Quamobrem, quando de sapiente quærimus, me nolo nomines. Nec me, inquam. Sed tamen numquidnam sapiens iste suos potest deserere, aut ullo pacto, cum hoc corpus agit, in quo istum famulum sua lege devinctum tenet, relinquet officium beneficia tribuendi quibus potest, et maxime quod ab eo vehementissime flagitatur, sapientiam ipsam docendi? Quod cum facit, ut congrue doceat, minusque ineptus sit, præparat sæpe aliquid, quod ex dispositione eloquatur ac disputet, quod nisi memoriæ commendaverit, pereat necesse est. Ergo aut officia benevolentiæ negabis esse sapientis, aut confiteberis res aliquas sapientis memoria custodiri : an fortasse aliquid suarum rerum non propter se quidem, sed propter suos sibi tamen necessarium commendat servandum illi famulo, ut ille tanquam sobrius, et ex optima domini disciplina, non quidem custodiat, nisi quod propter stultos ad sapientiam perducendos, sed quod ei tamen ille custodiendum imperarit? Nec omnino huic, inquit, commendari quidquam arbitror a sapiente; siquidem ille semper Deo infixus est, sive tacitus, sive cum hominibus loquens : sed ille servus jam bene institutus diligenter servat quod interdum disputanti domino suggerat, et ei tanquam justissimo gratum faciat officium suum, sub cujus se videt potestate vivere. Et hoc facit non quasi ratiocinando, sed summa illa lege summoque ordine præscribente. Nihil, inquam, nunc resisto rationibus tuis, ut quod suscepimus potius peragatur. De isto vero diligenter quemadmodum sese habeat (non enim parva res est, aut tam parvo sermone contenta) videbimus alias, cum Deus ipse opportunitatem ordine dederit.

CAPUT III. — *Stultitia an cum Deo sit.*

8. Definitum est autem quid sit esse cum Deo. Et cum a me dictum esset, id esse cum Deo quod intelligit Deum, vos etiam plus adjecistis, ut ibi sint etiam illa quæ intelliguntur a sapiente. Qua in re multum me movet quomodo subito cum Deo stultitiam collocaveritis. Nam si cum Deo sunt quæcumque intelligit sapiens, nec nisi intellectam stultitiam effugere potest; erit etiam, quod dictu nefas est, pestis illa cum Deo. Qua conclusione commoti, cum in silentio se aliquantum tenuissent : Respondeat, inquit Trygetius, etiam ille de cujus adventu ad istam disputationem opportunissimo non nos puto temere gratulatos. Tum Alypius : Deus meliora, inquit! huccine mihi tandem tantum meum silentium parabatur? Sed irrupta jam quies est. Verum nunc enitar huic utcumque rogationi satisfacere, cum mihi prius vel in futurum prospexero, et a vobis impetravero ut a me amplius ista responsione nihil flagitetis. Nullo modo, inquam, est, Alypi, benevolentiæ atque humanitatis tuæ vocem tuam sermoni nostro etiam desideratam negare. Sed perge modo, quod instituisti effice; cætera, ut jam sese habet ordo ille, provenient. Æque mihi de ordine, inquit, sunt speranda meliora, in cujus assertione interim me substituere voluistis. Sed, ni fallor, ob hoc stultitiam Deo ista tua conclusione ab his copulatam putasti, quod universa quæ intelligit sapiens cum Deo esse dixerunt. Sed id quatenus accipiendum sit, nunc omitto; tuam illam ratiocinationem paululum adverte. Dixisti quippe : Nam si cum Deo sunt quæcumque intelligit sapiens, nec nisi intellectam stultitiam effugere potest. Quasi vero illud obscurum sit, antequam stultitiam quisque vitet, sapientis cum nomine non esse censendum. Et dictum est, a sapiente intellecta esse cum Deo. Cum igitur evitandæ stultitiæ gratia eamdem stultitiam quisque intelligit, nondum est sapiens. Cum autem sapiens fuerit, non inter ea quæ ille intelligit stultitia numeranda est. Quamobrem quoniam ea conjuncta sunt Deo, quæ jam sapiens intelligit, recte a Deo stultitia secernitur.

9. Acute quidem, inquam, ut soles, Alypi, respondisti, sed tanquam in alienas trusus angustias. Tamen quia, ut arbitror, adhuc mecum stultus esse dignaris, quid faciemus si aliquem nanciscamur sapientem, qui nos tanto malo docendo ac disputando libenter liberet? Nam nihil eum prius, quantum arbitror, deprecaturus sum, nisi ut mihi ostendat quæ sit, quid sit, qualis sit omnino stultitia. De te enim non facile affirmaverim; me tamen tantum et tam diu detinet, quantum et quam diu a me non intelligitur. Dicturus est ergo ille, te auctore : Ut hoc vos docerem, quando stultus eram ad me venire debuistis; modo autem vos vestri magistri esse poteritis : nam ego jam stultitiam non intelligo. Quod quidem ab eo si audirem, non vererer admonere hominem ut comes nobis fieret, simulque magistrum alium quæreremus. Ut enim plene stultitiam non intelligo, video tamen nihil responsione hac esse stultius. Sed pudebit eum fortasse ita nos aut relinquere, aut sequi. Disputabit ergo et exaggerabit copiosissime stultitiæ mala. Nos autem bene nobis providentes, aut audiemus attente hominem nescientem

quæ loquatur, aut credemus eum id quod non intelligit scire, aut adhuc Deo susceptorum tuorum ratione stultitia copulata est. Nihil autem superiorum est quod video posse defendi. Restat igitur, quod non vultis, extremum. Nunquam te, inquit, invidum senseram. Nam si ab istis, ut dicis, susceptis quidquam honorarii, ut solet, accepissem, dum ratiocinationis hujus nimium tenax es, id eis modo reddere cogerer Quare vel hoc contenti sint, quod me tecum laborante non parum eis ad excogitandum temporis dedi; vel, si victi patroni nulla quidem sua culpa consilio libenter auscultant, et in hoc jam tibi cedant, et sint in cæteris cautiores.

10. Non contemnam, inquam, quod in tua defensione Trygetius nescio quid etiam perstrepens dicere cupiebat, faciamque bona tua venia : nam fortasse non bene instructus es, qui recens huic negotio supervenisti, ut remoto patrocinio ipsos causam suam peragentes audiam patienter, ut cœperam. Tum Trygetius, Licentio prorsus absente : Quomodo vultis, inquit, accipite et ridete stultitiam meam. Non mihi videtur debere dici intellectus, quo intelligitur ipsa stultitia, quæ non intelligendi vel sola vel maxima causa est. Non facile, inquam, recuso istud accipere. Quamvis enim me multum moveat, quod sentit Alypius, quomodo recte possit quisque docere qualis sit res quam non intelligit, quantamque menti afferat perniciem quod mente non videt; nam id utique attendens, quod tu dixisti dicere est veritus, cum ei sit ista etiam de doctorum libris nota sententia : tamen sensum ipsum considerans corporis, nam et isto ipso anima utitur, et ipsa sola est cum intellectu qualiscumque collatio, adducor ut dicam neminem posse videre tenebras. Quamobrem, si menti hoc est intelligere, quod sensui videre, et licet quisque oculis apertis, sanis, purisque sit, videre tamen tenebras non potest; non absurde dicitur, intelligi non posse stultitiam : nam nullas alias mentis tenebras nominamus. Nec jam illud movebit, quomodo stultitia possit non intellecta vitari. Ut enim oculis tenebras vitamus eo ipso quo nolumus non videre : sic quisquis volet vitare stultitiam, non eam conetur intelligere; sed ea quæ possunt intelligi, per hanc se non intelligere doleat; eamque sibi esse præsentem, non quo ipsam magis intelligit, sed quo alia minus intelligit, sentiat.

CAPUT IV. — *Quæ homo perperam agit, an ordine agat. Mala in ordinem redacta faciunt ad decorem universi.*

11. Sed ad ordinem redeamus, ut nobis aliquando reddatur Licentius. Illud enim jam ex vobis requiro, utrum quæcumque agit stultus, ordine vobis agere videatur. Nam videte rogatio quos laqueos habeat. Si ordine dixeritis, ubi erit illa definitio, Ordo est quo Deus agit omnia quæ sunt; si etiam stultus quæ agit, agit ordine? Si autem ordo non est in iis quæ aguntur ab stulto, erit aliquid quod ordo non teneat : neutrum autem vultis. Videte, quæso, ne cuncta ipsius ordinis defensione turbetis. Hic item Trygetius, nam ille alter adhuc omnino absens erat : Facile est, inquit, huic quidem respondere complexioni tuæ; sed me in præsentia similitudo deficit, qua sententiam meam video asseri illustrarique debere. Tamen dicam quod sentio; facies enim tu quod paulo ante fecisti. Non enim illa commemoratio tenebrarum ad id quod a me involutum prolatum erat, parum nobis attulit luminis. Namque omnis vita stultorum, quamvis per eos ipsos minime constans minimeque ordinata sit, per divinam tamen providentiam necessario rerum ordine includitur, et quasi quibusdam locis illa ineffabili et sempiterna lege dispositis, nullo modo esse sinitur, ubi esse non debet. Ita fit ut angusto animo ipsam solam quisque considerans, veluti magna repercussus fœditate aversetur. Si autem mentis oculos erigens atque diffundens, simul universa collustret, nihil non ordinatum, suisque semper veluti sedibus distinctum dispositumque reperiet.

12. Quam magna, inquam, quam mira mihi per vos Deus ille, atque ipse, ut magis magisque credere adducor. rerum nescio quis occultus ordo respondet! Nam ea dicitis quæ nec quomodo dicantur non visa, nec quomodo ea videatis intelligo; ita ea et vera et alta esse suspicor. Simile autem aliquod in istam sententiam tu fortasse unum requirebas. At mihi jam occurrunt innumerabilia, quæ me ad consentiendum prorsus trahunt. Quid enim carnifice tetrius? quid illo animo truculentius atque dirius? At inter ipsas leges locum necessarium tenet, et in bene moderatæ civitatis ordinem inseritur; estque suo animo nocens, ordine autem alieno pœna nocentium. Quid sordidius, quid inanius decoris et turpitudinis plenius meretricibus, lenonibus, cæterisque hoc genus pestibus dici potest? Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus : constitue matronarum loco, labe ac dedecore dehonestaveris. Sic igitur hoc genus hominum per suos mores impurissimum vita, per ordinis leges conditione vilissimum. Nonne in corporibus animantium quædam membra, si sola attendas, non possis attendere? Tamen ea naturæ ordo, nec quia necessaria sunt, deesse voluit, nec quia indecora, eminere permisit. Quæ tamen deformia suos locos tenendo, meliorem locum concessere melioribus. Quid nobis suavius, quod agro villæque spectaculum congruentius fuit pugna illa conflictuque gallinaceorum gallorum, cujus superiore libro fecimus mentionem (*Cap.* 8, *n.* 25). Quid abjectius tamen deformitate subjecti vidimus? Et per ipsam tamen ejusdem certaminis perfectior pulchritudo provenerat.

13. Talia, credo, sunt omnia; sed oculos quærunt. Solœcismos et barbarismos quos vocant, poetæ adamaverunt; quæ schemata et metaplasmos mutatis appellare nominibus, quam manifesta vitia fugere maluerunt. Detrahe tamen ista carminibus, suavissima condimenta desiderabimus. Congere multa in unum locum, totum acre, putidum, rancidum fastidibo. Transfer in liberam forensemque dictionem, quis non eam fugere atque in theatra secedere jubebit [1]? Ordo igitur ea gubernans et moderans, nec apud se

[1] In hactenus editis legitur, *atque in antris se condere.* At in omnibus fere Mss. habetur, *in theatra;* et in nonnullis, *secedere :* quæ vera lectio est.

nimia, nec ubilibet aliena esse patietur. Submissa quædam impolitæque simillima ipsos saltus ac venustos locos sese interponens illustrat oratio. Quæ si sola sit, projicis ut vilem : si autem desit, illa pulchra non prominent, non in suis quasi regionibus possessionibusque dominantur, sibique ipsa propria luce obstant, totumque confundunt.

CAPUT V. — *Quomodo medendum errori credentium res nullo ordine geri.*

Magnæ et hic debentur ordini gratiæ. Mentientes conclusiones, aut irrepentes paulatim, vel minuendo, vel addendo in assensionem falsitatis, quis non metuat? quis non oderit? Sæpe tamen in disputationibus, certis et suis sedibus collocatæ tantum valent, ut nescio quomodo per eas dulcescat ipsa deceptio. Nonne hic quo que ordo ipse laudabitur?

14. Jam in musica, in geometria, in astrorum motibus, in numerorum necessitatibus ordo ita dominatur, ut si quis quasi ejus fontem atque ipsum penetrale videre desideret, aut in his inveniat, aut per hæc eo sine ullo errore ducatur. Talis enim eruditio, si quis ea moderate utatur (nam nihil ibi quam nimium formidandum est), talem philosophiæ militem nutrit vel etiam ducem, ut ad summum illum modum, ultra quem requirere aliquid nec possit, nec debeat, nec cupiat, qua vult evolet atque perveniat, multosque perducat. Unde jam, dum ipsis humanis rebus teneatur, sic eas despiciat, cunctaque discernat, ut nullo modo eum moveat cur alius optet liberos habere, nec habeat; alius nimia uxoris fecunditate torqueatur : egeat ille pecunia, qui largiri liberaliter multa paratus est; eique defossæ incubet macer et scabiosus fenerator : ampla patrimonia luxuries dispergat atque diffundat; vix toto die lacrymans mendicus nummum impetret : alium honor extollat indignum; lucidi mores abscondantur in turba.

15. Hæc et alia in hominum vita, cogunt homines plerumque impie credere, nullo nos ordine divinæ providentiæ gubernari. Alii autem pii et boni atque splendido ingenio prædíti, qui neque nos deseri a summo Deo possunt in animum inducere, et tamen rerum tanta quasi caligine atque commixtione turbati nullum ordinem vident, volentes [1] sibi nudari abditissimas causas, errores suos sæpe etiam carminibus conqueruntur (*a*). Qui si hoc solum interrogent, cur Itali semper serenas hiemes orent, et item semper Getulia nostra misera sitiat; quis eis facile respondebit? aut ubi apud nos indagabitur illius ordinis ulla suspicio? Ego autem, si quid meos monere possum, quantum mihi apparet, quantumque sentio, censeo illos disciplinis omnibus erudiendos (I *Retractat.*, *cap.* 3, *n.* 2). Aliter quippe ista sic intelligi, ut luce clariora sint, nullo modo possunt. Si autem aut pigriores sunt, aut aliis negotiis præoccupati, aut jam duri ad discendum, fidei sibi præsidia parent; quo illos vinculo ad sese trahat, atque ab his horrendis et involutissimis malis liberet ille, qui neminem sibi per mysteria bene credentem perire permittit.

16. Duplex enim est via quam sequimur, cum rerum nos obscuritas movet; aut rationem, aut certe auctoritatem. Philosophia rationem promittit, et vix paucissimos liberat : quos tamen non modo non contemnere illa mysteria, sed sola intelligere, ut intelligenda sunt, cogit. Nullumque aliud habet negotium, quæ vera, et, ut ita dicam, germana philosophia est, quam ut doceat quod sit omnium rerum principium sine principio, quantûsque in eo maneat intellectus, quidve inde in nostram salutem sine ulla degeneratione manaverit : quem unum Deum omnipotentem eumque [1] tripotentem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, docent veneranda mysteria, quæ fide sincera et inconcussa populos liberant; nec confuse, ut quidam; nec contumeliose, ut multi prædicant. Quantum autem illud sit, quod hoc etiam nostri generis corpus, tantus propter nos Deus assumere atque agere dignatus est, quanto videtur vilius, tanto est clementia plenius, et a quadam ingeniosorum superbia longe lateque remotius.

17. Anima vero unde originem ducat, quidve hic agat, quantum distet a Deo, quid habeat proprium quod alternat in utrâmque naturam, quatenus moriatur, et quomodo immortalis probetur; quam magni putatis esse ordinis, ut ista discantur? Magni omnino atque certi : de quo breviter, si tempus fuerit, post loquemur. Illud nunc a me accipiatis volo : si quis temere ac sine ordine disciplinarum in harum rerum cognitionem audet irruere, pro studioso illum curiosum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri. Itaque mihi quod modo interroganti tam bene atque apte respondistis, et miror unde sit, et cogor agnoscere. Videamus tamen quousque progredi vestra latens possit intentio. Jam nobis Licentii etiam verba reddantur, qui tam diu nescio qua cura occupatus, alienus ab hoc sermone fuit, ut eum ista, non aliter quam eos qui non adsunt familiares nostros, credam esse lecturum. Sed redi ad nos, quæso, Licenti, atque hic totus fac ut adsis; tibi enim dico. Nam definitionem meam tu probasti, qua dictum est quid sit esse cum Deo, cum quo mentem sapientis manere immobilem, me, quantum assequi valeo, docere voluisti.

CAPUT VI. — *Mens sapientis immobilis.*

18. Sed illud me movet, quomodo cum iste sapiens quamdiu inter homines vivit, in corpore esse non negetur; quo pacto fiat ut ejus corpore huc atque illuc vagante, mens immobilis maneat. Isto enim modo potes dicere, cum movetur navis, homines qui in ea sunt non moveri, quamvis ab ipsis eam possideri gubernarique fateamur. Etenim si sola eam

[1] In B., *volentesque*. Lectionem Er. Ven. Lov. secuti sumus. M.

(*a*) Zenobii carmen subindicare videtur, de quo supra, lib. 1, c. 7, n. 20.

[1] In codicibus pervetustis Corbeiensi et Theodericensi legitur, *cum quo tripotentem*. In Mss. Abbatiæ Vindocinensis, *eo quo*. In alio S. Michaelis in Periculo maris, *eoque tripotentem*. Facilis hic fuit librariorum lapsus : sed officii nostri esse ducimus lectiones omnes, si forte veteres ac melioris notæ codices in re non levi dissentiunt, eruditiorum judicio reservare.

cogitatione regerent, facerentque ire quo vellent; tamen, cum ea moveretur, non possent illi qui ibidem constituti sunt non moveri. Non, ait Licentius, animus ita est in corpore, ut corpus imperet animo. Neque hoc ego dico, inquam: sed etiam eques non ita est in equo, ut ei equus imperet; et tamen, quamvis quo velit ire equum agat, equo moto moveatur necesse est. Potest, inquit, sedere ipse immobilis. Cogis nos, inquam, definire quid sit moveri: quod si potes, facias volo. Prorsus, inquit, maneat, quæso, beneficium tuum; nam manet postulatio mea: et ne me rursus interroges, utrum mihi definire placeat; quando id facere potuero, ipse profitebor. Quæ cum dicta essent, puer de domo cui dederamus id negotii, cucurrit ad nos, et horam prandii esse nuntiavit. Tum ego: Quid sit, inquam, moveri, non definire nos puer iste, sed ipsis oculis cogit ostendere. Eamus igitur, et de isto loco in alium locum transeamus: nam nihil est aliud, nisi fallor, moveri. Hic cum arrisissent, discessimus.

DISPUTATIO SECUNDA.

19. At ubi refecimus corpora, quoniam cœlum obduxerat nubes, solito loco in balneo consedimus. Atque ego: Concedis ergo, inquam, Licenti, nihil esse aliud motum quam de loco in locum transitum? Concedo, inquit. Concedis ergo, inquam, neminem in eo loco esse in quo non fuerat, et motum non fuisse? Non intelligo, inquit. Si quid, inquam, in alio loco fuit dudum, et nunc in alio est, motum esse concedis? Assentiebatur. Ergo, inquam, posset alicujus sapientis vivum corpus hic modo nobiscum esse, ut animus hinc abesset? Posset, inquit. Etiamne, inquam, si nobiscum colloqueretur, et nos aliquid doceret? Etiamsi, inquit, nos ipsam doceret sapientiam, non illum dicerem nobiscum esse, sed secum. Non igitur in corpore, inquam? Non, inquit. Cui ego: Corpus illud quod careret animo, nonne mortuum fatereris, cum ego vivum proposuerim? Nescio, inquit, quomodo explicem. Nam et corpus hominis vivum esse non posse video, si animus in eo non sit; et non possum dicere, ubiubi sit corpus sapientis, non ejus animum esse cum Deo. Ego, inquam, faciam, ut hoc explices. Fortasse enim quia ubique Deus est, quoquo ierit sapiens, invenit Deum cum quo esse possit. Ita fit ut possimus et non negare illum de loco in locum transire, quod est moveri; et tamen semper esse cum Deo. Fateor, inquit, corpus illud de loco in locum transitum facere, sed mentem ipsam nego, cui nomen sapientis impositum est.

CAP. VII.—*Quomodo ordo fuerit cum malum non esset.*

20. Nunc interim tibi cedo, inquam, ne res obscurissima, et diutius diligentiusque tractanda, impediat in præsentia propositum nostrum. Sed illud videamus, quoniam definitum est a nobis quid sit esse cum Deo, utrum scire possimus etiam, quid sit esse sine Deo, quamvis jam manifestum esse arbitror. Nam crédo videri tibi eos qui cum Deo non sunt, esse sine Deo. Si possent, inquit, mihi verba suppetere, dicerem fortasse quod tibi non displiceret. Sed peto perferas infantiam meam, resque ipsas, ut te decet, veloci mente præripias. Nam isti nec cum Deo mihi videntur esse, et a Deo tamen haberi. Itaque non possum eos sine Deo esse dicere, quos Deus habet. Cum Deo item non dico, quia ipsi non habent Deum. Siquidem Deum habere, jam inter nos pridem in sermone illo quem die natali tuo jucundissimum habuimus, placuit nihil aliud esse quam Deo perfrui (De Beata Vita, n. 34). Sed fateor me formidare ista contraria, quomodo quisque nec sine Deo sit, nec cum Deo.

21. Non te moveant ista, inquam. Nam ubi res convenit, quis non verba contemnat? Quare jam ad illam tandem ordinis definitionem redeamus. Nam ordinem esse dixisti quo Deus agit omnia. Nihil autem, ut video, non agit Deus: nam inde visum tibi est, nihil præter ordinem posse inveniri. Manet, inquit, sententia mea: sed jam video quid sis dicturus, utrum Deus agat quæ non bene agi confitemur. Optime, inquam; prorsus oculum in mentem injecisti. Sed ut vidisti quid essem dicturus, ita peto videas quid respondendum sit. Atque ille nutans capite atque humeris, Turbamur, inquit: et huic forte quæstioni mater supervenerat. Atque ille post aliquantulum silentium petiit ut a me hoc ipsum rursus interrogaretur. Cui loco superius a Trygetio fuisse responsum non omnino animadverterat (*Cap. 4, n.* 11). Tum ego: Quid, inquam, vel cur tibi repetam? Actum, aiunt, ne agas. Quare moneo potius ut ea quæ supra dicta sunt, vel legere cures, si audire nequivisti. Quam quidem absentiam a sermone nostro animi tui non ægre tuli, diuque ita esse te pertuli, ut neque illa impedirem quæ tecum intentus remotusque a nobis, pro te agebas, et ea persequerer quæ te amittere stilus iste non sineret.

22. Nunc illud quæro, quod nondum discutere diligenti ratione tentavimus. Nam ut primum nobis istam de ordine quæstionem nescio quis ordo peperit, memini te dixisse hanc esse justitiam Dei, quæ separat inter bonos et malos, et sua cuique tribuit (*Supra, lib.* 1, *c.* 7, *n.* 19). Nam nulla est, quantum sentio, manifestior justitiæ definitio: itaque respondeas velim, utrum tibi videatur aliquando Deum non fuisse justum. Nunquam, inquit. Si ergo semper, inquam, Deus justus, semper bonum et malum fuerunt. Prorsus, inquit mater, nihil aliud video quod sequatur. Non enim judicium Dei fuit ullum quando malum non fuit; nec, si aliquando bonis et malis sua cuique non tribuit, potest videri justus fuisse. Cui Licentius: Ergo dicendum nobis censes, inquit, semper malum fuisse. Non audeo, inquit illa, hoc dicere. Quid ergo dicemus, inquam? Si Deus ideo justus est, quia judicat inter bonos et malos, quando non erat malum non erat justus. Hic illis tacentibus animadverti Trygetium respondere velle, atque permisi. At ille: Prorsus, inquit, erat Deus justus. Poterat enim bonum malumque secernere, si exstitisset, et eo ipso quo poterat, justus erat. Non enim, cum dicimus Ciceronem prudenter investigasse conjurationem Catilinæ,

temperanter nullo corruptum fuisse præmio quo parceret malis, juste illos summo supplicio senatus auctoritate mactasse, fortiter sustinuisse omnia tela inimicorum et molem, ut ipse dixit, invidiæ, non in eo fuissent virtutes istæ, nisi Catilina reipublicæ tantam perniciem comparasset. Virtus enim per seipsam, non per aliquod hujusmodi opus consideranda est, et in homine; quanto magis in Deo? si tamen in angustiis rerum atque verborum componere illis ista quoquo modo permittitur. Nam, ut intelligamus quia Deus semper justus fuit, quando exstitit malum quod a bono sejungeret, nihil distulit sua cuique tribuere: non enim tunc ei erat discenda justitia; sed tunc ea utendum, quam semper habuit.

23. Quod cum et Licentius et mater in tanta necessitate approbassent: Quid, inquam, dicis, Licenti? Ubi est quod tam magnopere asseruisti, nihil præter ordinem fieri? Quod enim factum est ut malum nasceretur, non utique Dei ordine factum est; sed cum esset natum, Dei ordine inclusum est. Et ille admirans ac moleste ferens quod tam repente bona causa esset lapsa de manibus: Prorsus, inquit, ex illo dico cœpisse ordinem, ex quo malum esse cœpit. Ergo, inquam, ut esset ipsum malum, non ordine factum est, si postquam malum ortum est, ordo esse cœpit. Sed semper erat ordo apud Deum: et aut semper fuit nihil quod dicitur malum; aut si aliquando invenitur cœpisse, quia ordo ipse aut bonum est, aut ex bono est, nunquam aliquid sine ordine fuit, nec erit aliquando. Quamvis et nescio quid potius occurrit; sed illa consuetudine oblivionis elapsum est: quod credo ordine contigisse pro merito vel gradu vel ordine vitæ [1]. Nescio quomodo mihi, inquit, effugit, quam nunc sperno sententiam: non enim debui dicere postquam malum natum est, cœpisse ordinem: sed ut illa justitia, de qua Trygetius disseruit, ita et ordinem fuisse apud Deum; sed ad usum [2] non venisse, nisi postquam mala esse cœperunt. Eodem, inquam, relaberis; illud enim, quod minime vis, inconcussum manet: nam sive apud Deum fuit ordo, sive ex illo tempore esse cœpit, ex quo etiam malum, tamen malum illud præter ordinem natum est. Quod si concedis, fateris aliquid præter ordinem posse fieri; quod causam tuam debilitat ac detruncat: si autem non concedis, incipit Dei ordine natum malum videri, et malorum auctorem Deum fateberis; quo sacrilegio mihi detestabilius nihil occurrit. Quod cum sive non intelligenti, sive dissimulanti se intellexisse, versarem sæpius et revolverem, nihil habuit quod diceret, et se silentio dedit. Tum mater: Ego, inquit, non puto nihil potuisse præter Dei ordinem fieri, quia ipsum malum quod natum est, nullo modo Dei ordine natum est; sed illa justitia id inordinatum esse non sivit, et in sibi meritum ordinem redegit et compulit.

[1] Insignis hic omissio est in codicibus novem, iisque non deterioris notæ, qui ad hæc verba, *ordo esse cœpit*, ista continenter subjiciunt: *Nescio quomodo mihi.*

[2] Bad. Am. Er. et Lov., *ad usum ejus non venisse.* At a Mss. plerisque abest *ejus.*

24. Hic ego cum omnes cernerem studiosissime, ac pro suis quemque viribus Deum quærere, sed ipsum de quo agebamus ordinem non tenere, quo ad illius ineffabilis majestatis intelligentiam perveniturr: Oro vos, inquam, si, ut video, multum diligitis ordinem, ne nos præposteros et inordinatos esse patiamini. Quanquam enim occultissima ratio se demonstraturam polliceatur, nihil præter divinum ordinem fieri: tamen si quempiam ludimagistrum audiremus, conantem docere puerum syllabas, quem prius litteras nemo docuisset; non dico ridendum tanquam stultum, sed vinciendum tanquam furiosum putaremus, non ob aliud, opinor, nisi quod docendi ordinem non teneret. At multa talia et imperitos, quæ a doctis reprehendantur ac derideantur, et dementes homines, quæ nec stultorum judicium fugiunt, facere nemo ambigit: et tamen etiam ista omnia quæ fatemur esse perversa, non esse præter divinum ordinem, alta quædam et a multitudinis vel suspicione remotissima disciplina, se ita studiosis et Deum atque animas tantum amantibus animis manifestaturam esse promittit, ut non nobis summæ numerorum possint esse certiores.

CAPUT VIII. — *Traduntur primum adolescentibus præcepta vitæ, tum ordo eruditionis.*

25. Hæc autem disciplina ipsa Dei lex est, quæ apud eum fixa et inconcussa semper manens, in sapientes animas quasi transcribitur; ut tanto se sciant vivere melius, tantoque sublimius, quanto et perfectius eam contemplantur intelligendo, et vivendo custodiunt diligentius. Hæc igitur disciplina eis qui illam nosse desiderant, simul geminum ordinem sequi jubet; cujus una pars vitæ, altera eruditionis est. Adolescentibus ergo studiosis ejus ita vivendum est, ut a venereis rebus, ab illecebris ventris et gutturis, ab immodesto corporis cultu et ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, a torpore somni atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidentia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate se abstineant. Amorem autem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse credant. Nihil enerviter faciant, nihil audaciter. In peccatis autem suorum vel pellant omnino iram, vel ita frenent, ut sit pulsæ similis. Neminem oderint. Nulla vitia non curare velint. Magnopere observent cum vindicant, ne nimium sit: cum ignoscunt, ne parum. Nihil puniant quod non valeat ad melius: nihil indulgeant quod vertat in pejus. Suos putent omnes, in quos sibi potestas data fuerit. Ita serviant, ut eis dominari pudeat: ita dominentur, ut eis servire delectet. In alienorum autem peccatis molesti non sint invito. Inimicitias vitent cautissime, ferant æquissime, finiant citissime. In omni vero contractu atque conversatione cum hominibus, satis est servare unum hoc vulgare proverbium: Nemini faciant quod pati nolunt. Rempublicam nolint administrare, nisi perfecti. Perfici autem vel intra ætatem senatoriam festinent, vel certe intra juventutem. Sed quisquis sero ad ista se converterit, non arbitretur nihil sibi esse

præceptum : nam ista utique facilius decocta ætate servabit. In omni autem vita, loco, tempore, amicos aut habeant, aut habere instent. Obsequantur dignis etiam non hoc exspectantibus. Superbos minus curent, minime sint [1]. Apte congruenterque vivant. Deum colant, cogitent quærant, fide, spe, charitate subnixi. Optent tranquillitatem, atque certum cursum studiis suis, omniumque sociorum; et sibi quibusque possunt, mentem bonam pacatamque vitam.

CAPUT IX. — *Ad discendum auctoritate ducimur et ratione.*

26. Sequitur ut dicam quomodo studiosi eruditi debeant, qui sicut dictum est vivere instituerunt. Ad discendum item necessario dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur. Itaque, quanquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior, ratio vero aptior eruditis : tamen quia nullus hominum nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus novit qualem se debeat præbere docentibus, et quali vita esse docilis possit; evenit ut omnibus bona magna et occulta discere cupientibus, non aperiat nisi auctoritas januam. Quam quisque ingressus sine ulla dubitatione vitæ optimæ præcepta sectatur : per quæ cum docilis factus fuerit, tum demum discet et quanta ratione prædita sint ea ipsa quæ secutus est ante rationem; et quid sit ipsa ratio quam post auctoritatis cunabula firmus et idoneus jam sequitur atque comprehendit; et quid intellectus, in quo universa sunt, vel ipse [2] potius universa; et quid præter universa universorum principium. Ad quam cognitionem in hac vita pervenire pauci, ultra quam vero etiam post hanc vitam nemo progredi potest. Qui autem sola auctoritate contenti, bonis tantum moribus rectisque votis constanter operam dederint, aut contemnentes, aut non valentes disciplinis liberalibus atque optimis erudiri, beatos eos quidem, cum inter homines vivunt, nescio quomodo appellem; tamen inconcusse credo mox ut hoc corpus reliquerint, eos quo bene magis minusve vixerunt, eo facilius aut difficilius liberari.

27. Auctoritas autem partim divina est, partim humana : sed vera, firma, summa ea est quæ divina nominatur. In qua metuenda est aeriorum animalium mira fallacia; quæ per rerum ad istos sensus corporis pertinentium quasdam divinationes, nonnullasque potentias, decipere animas facillime consuerunt, aut perituraram fortunarum curiosas, aut fragilium cupidas potestatum, aut inanium formidolosas miraculorum. Illa ergo auctoritas divina dicenda est, quæ non solum in sensibilibus signis transcendit omnem humanam facultatem, sed et ipsum hominem agens, ostendit ei quousque se propter ipsum depresserit : et non teneri sensibus, quibus videntur illa miranda, sed ad intellectum jubet evolare; simul demonstrans et quanta hic possit, et cur hæc faciat, et quam parvi pendat. Doceat enim oportet et factis potestatem suam, et humilitate clementiam, et præceptione naturam; quæ omnia sacris quibus initiamur, secretius firmiusque traduntur : in quibus bonorum vita facillime, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate purgatur. Humana vero auctoritas plerumque fallit : in eis tamen jure videtur excellere, qui quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, et non vivunt aliter quam vivendum esse præcipiunt. Quibus si aliqua etiam fortunæ munera accesserint, quorum appareant usu magni, contemptuque majores; difficillimum omnino est ut eis quisque vivendi præcepta dantibus credens, recte vituperetur.

CAPUT X. — *Vitæ præcepta pauci assequuntur.*

28. Hic Alypius : Permagna, inquit, vitæ imago abs te ante oculos nostros, cum plene, tum breviter constituta est; cui quamvis quotidianis præceptis tuis inhiemus, tamen nos hodie cupidiores flagrantioresque reddidisti. Ad quam, si fieri posset, non solum nos, verum etiam cunctos homines jam pervenire, et eidem inhærere cuperem, ut hæc sicuti auditu mirabilia, ita essent imitatione facilia. Nam nescio quomodo, quod utinam vel a nobis procul absit, animus humanus dum hæc audiendo, cœlestia, divina ac prorsus vera esse proclamet, in appetendo aliter se gerit; ut mihi verissimum videatur aut divinos homines, aut non sine divina ope sic vivere. Cui ego : Hæc præcepta vivendi, quæ tibi, ut semper, plurimum placent, Alypi, quamvis hic meis verbis pro tempore expressa sint, non tamen a me inventa esse optime scis. His enim magnorum hominum et pene divinorum libri plenissimi sunt : quod non propter te dicendum mihi putavi, sed propter istos adolescentes, ne in eis quasi auctoritatem meam jure contemnant. Nam mihi omnino illos nolo credere, nisi docenti, rationemque reddenti, propter quos pro rerum magnitudine concitandos, etiam te arbitror istum interposuisse sermonem. Non enim tibi sunt ad sequendum ista difficilia, quæ tanta rapuisti aviditate, tantoque in ea naturæ admirabilis impetu ingressus es, ut ego tibi verborum, tu mihi rerum magister effectus sis. Non enim est modo ulla causa mentiendi, aut saltem occasio : nam neque te falsa tua laude studiosiorem fieri puto, et ii adsunt qui utrumque noverunt, et ei sermo iste mittetur, cui nostrum nullus ignotus est.

29. Bonos autem viros, deditosque optimis moribus, si non aliter sentis atque dixisti, pauciores te arbitror esse credere, quam mihi probabile est. sed multi penitus latent te. Item multorum non latentium, ea ipsa quæ mira sunt, latent : in animo enim sunt ista, qui neque sensu accipi potest, et plerumque dum congruere vult vitiosorum hominum colloquiis, ea dicit quæ aut probare aut appetere videatur. Multa etiam facit non libenter, propter aut vitandum odium hominum, aut ineptiam fugiendam; quod nos audien-

[1] Sic Mss. et editiones, excepta Lov., quæ habet *minimi sint.*

[2] In prius vulgatis, *ipsa potius universa.* Sed melius in Mss., *ipse.*

tes aut videntes difficile aliter existimamus, quam sensus iste renuntiat. Eoque fit ut multos non tales esse credamus, quales et se ipsi, et eos sui familiares noverunt. Quod tibi ex amicorum nostrorum quibusdam magnis animi bonis, quæ nos soli scimus, persuadeas velim. Nam error iste non minima hac causa nititur [1], quod non pauci se subito ad bonam vitam mirandamque convertunt; et donec aliquibus clariоribus factis innotescant, quales erant esse creduntur. Nam ne longius abeam, quis istos adolescentes, qui antea noverat, facile credat tam studiose magna quærere, tantas repente in hac ætate indixisse inimicitias voluptatibus? Ergo hanc opinionem pellamus ex animo: nam et illud divinum auxilium, quod, ut decebat, religiose in ultimo sermonis tui posuisti, latius quam nonnulli opinantur, officium clementiæ suæ per universos populos agit. Sed ad disputationis nostræ, si placet, ordinem redeamus; et quoniam de auctoritate satis dictum est, videamus quid sibi ratio velit.

CAPUT XI.— *Ratio quid, et hujus in sensibilibus vestigia. Ut differunt rationale et rationabile.*

30. Ratio est mentis motio, ea quæ discuntur distinguendi et connectendi potens : qua duce uti ad Deum intelligendum, vel ipsam quæ aut in nobis, aut usquequaque est animam, rarissimum omnino genus hominum potest; non ob aliud, nisi quia in istorum sensuum negotia progresso, redire in semetipsum cuique difficile est. Itaque, cum in rebus ipsis fallacibus ratione totum agere homines moliantur, quid sit ipsa ratio, et qualis sit, nisi perpauci prorsus ignorant. Mirum videtur, sed tamen se ita res habet. Satis est hoc dixisse in præsentia : nam si vobis rem tantam sicut intelligenda est, nunc ostendere cupiam, tam ineptus sim quam arrogans, si vel me illam jam percepisse profitear. Tamen quantum dignata est in res quæ nobis notæ videntur procedere, indagemus eam, si possumus interim, prout susceptus sermo desiderat.

31. Ac primum videamus ubi hoc verbum, quod ratio vocatur, frequentari solet; nam illud nos movere maxime debet, quod ipse homo a veteribus sapientibus ita definitus est : Homo est animal rationale mortale. Hic genere posito quod animal dictum est, videmus additas duas differentias, quibus credo admonendus erat homo, et quo sibi redeundum esset, et unde fugiendum. Nam ut progressus animæ usque ad mortalia lapsus est; ita regressus esse in rationem debet. Uno verbo a bestiis, quod rationale; et alio a divinis separatur, quod mortale dicitur. Illud igitur nisi tenuerit, bestia erit : hinc nisi se averterit, divina non erit. Sed quoniam solent doctissimi viri quid inter rationale et rationabile intersit, acute subtiliterque discernere, nullo modo est, ad id quod instituimus, negligendum : nam rationale esse dixerunt, quod ratione uteretur vel uti posset; rationabile autem, quod ratione factum esset aut dictum. Itaque has balneas rationabiles possumus dicere, nostrumque sermonem; rationales autem vel illum qui has fecit, vel nos qui loquimur. Ergo procedit ratio ab anima rationali, scilicet in ea quæ vel fiunt rationabilia, vel dicuntur.

32. Duo ergo video, in quibus potentia visque rationis possit ipsis etiam sensibus admoveri : opera hominum quæ videntur, et verba quæ audiuntur. In utroque autem utitur mens gemino nuntio pro corporis necessitate : uno qui oculorum est, altero qui aurium. Itaque, cum aliquid videmus congruentibus sibi partibus figuratum, non absurde dicimus rationabiliter apparere. Itemque, cum aliquid bene concinere audimus, non dubitamus dicere quod rationabiliter sonat. Nemo autem non rideatur, si dixerit, Rationabiliter olet; aut, rationabiliter sapit; aut, rationabiliter molle est; nisi forte in iis quæ propter aliquid ab hominibus procurata sunt, ut ita olerent vel saperent vel ferverent, vel quid aliud. Ut si quis locum, unde gravibus odoribus serpentes fugantur, rationabiliter dicat ita olere, causam intuens quare sit factum; aut poculum quod medicus confecerit, rationabiliter amarum esse vel dulce; aut quod temperari languido solium jusserit, calere rationabiliter aut tepere. Nemo autem hortum ingressus, et rosam naribus admovens, audet ita dicere. Quam rationabiliter fragrat! nec si medicus illam ut olfaceret jusserit. Tunc enim præceptum vel datum illud rationabiliter, non tamen olere rationabiliter dicitur; nec propterea, quia naturalis ille odor est. Nam, quamvis a coquo pulmentum condiatur, rationabiliter conditum possumus dicere : rationabiliter autem sapere, cum causa extrinsecus nulla sit, sed præsenti satisfiat voluptati, nullo modo ipsa loquendi consuetudine dicitur. Si enim quæratur de illo cui poculum medicus dederit, cur id dulciter sentire debuerit, aliud infertur propter quod ita est, id est morbi genus, quod jam non in illo sensu est, sed aliter sese habet in corpore. Si autem rogetur liguriens aliquid, gulæ stimulo concitatus, cur ita dulce sit, et respondeat, Quia libet; aut, quia delector; nemo illud dicet rationabiliter dulce, nisi forte illius delectatio alicui rei sit necessaria, et illud quod mandit, ob hoc ita confectum sit.

33. Tenemus, quantum investigare potuimus, quædam vestigia rationis in sensibus; et quod ad visum atque auditum pertinet, in ipsa etiam voluptate. Alii vero sensus non in voluptate sua [1], sed propter aliquid aliud solent hoc nomen exigere : id autem est rationalis animantis factum propter aliquem finem. Sed ad oculos quod pertinet, in quo congruentia partium rationabilis dicitur, pulchrum appellari solet. Quod vero ad aures, quando rationabilem concentum dicimus, cantumque numerosum rationabiliter esse compositum; suavitas vocatur proprio jam nomine. Sed neque in pulchris rebus cum nos color illicit, neque in aurium suavitate cum pulsa chorda quasi liquide sonat atque pure, rationabile illud dicere solemus. Restat ergo ut in istorum sensuum voluptate id ad rationem pertinere fateamur, ubi quædam dimensio ést atque modulatio.

34. Itaque in hoc ipso ædificio singula bene consi-

[1] Decem Mss., *nutritur*. Alii, *innititur*.

[1] Lov., *alii vero sensus in voluptate sua*. At cæteri Cdd., *non in voluptate sua*.

derantes, non possumus non offendi quod unum ostium videmus in latere, alterum prope in medio, nec tamen in medio collocatum. Quippe in rebus fabricatis, nulla cogente necessitate, iniqua dimensio partium facere ipsi aspectui velut quamdam videtur injuriam. Quod autem intus tres fenestræ, una in medio, duæ a lateribus, paribus intervallis solio [1] lumen infundunt, quam nos delectat diligentius intuentes, quamque in se animum rapit, manifesta res est, nec multis verbis vobis aperienda. Unde ipsi architecti jam suo verbo rationem istam vocant; et partes discorditer collocatas, dicunt non habere rationem. Quod late patet, ac pene in omnes artes operaque humana diffunditur. Jam in carminibus, in quibus item dicimus esse rationem ad voluptatem aurium pertinentem, quis non sentiat dimensionem esse totius hujus suavitatis opificem? Sed histrione saltante, cum bene spectantibus gestus illi omnes signa sint rerum, quamvis membrorum numerosus quidam motus oculos eadem illa dimensione delectet, dicitur tamen rationabilis illa saltatio, quod bene aliquid significet et ostendat, excepta sensuum voluptate. Non enim, si pennatam Venerem faciat, et Cupidinem palliatum, quamvis id mira membrorum motione atque collocatione depingat, oculos videtur offendere; sed per oculos animum, cui rerum signa illa monstrantur: nam oculi offenderentur, si non pulchre moveretur. Hoc enim pertinebat ad sensum, in quo anima eo ipso quod mixta est corpori, percipit voluptatem. Aliud ergo sensus, aliud per sensum: nam sensum mulcet pulcher motus; per sensum autem animum solum pulchra in motu significatio. Hoc etiam in auribus facilius advertitur: nam quidquid jucunde sonat, illud libet, atque ipsum auditum illicit [2]; quod autem per eumdem sonum bene significatur, nuntio quidem aurium, sed ad solam mentem refertur. Itaque cum audimus illos versus:

Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet;
*(Virg., Georg. lib. 2, vers. 480, 481.)*

aliter metra laudamus, aliterque sententiam: nec sub eodem intellectu dicimus, Rationabiliter sonat; et, rationabiliter dictum est.

CAPUT XII.—*Disciplinarum omnium excogitatrix ratio. Occasio vocabulorum. Occasio litterarum. Occasio numerorum. Occasio discretionis litterarum, syllabarum et verborum. Occasio historiæ.*

35. Ergo jam tria genera sunt rerum in quibus illud rationabile apparet. Unum est in factis ad aliquem finem relatis, alterum in dicendo [3], tertium in delectando. Primum nos admonet nihil temere facere; secundum, recte docere; ultimum, beate contemplari. In moribus est illud superius; hæc autem duo in disciplinis, de quibus nunc agimus. Namque illud quod in nobis est rationale, id est, quod ratione utitur, et rationabilia vel facit vel sequitur, quia naturali quodam vinculo in eorum societate astringebatur, cum quibus illi erat ratio ipsa communis, nec homini homo firmissime sociari posset, nisi colloquerentur, atque ita sibi mentes suas cogitationesque quasi refunderent, vidit esse imponenda rebus vocabula, id est significantes quosdam sonos; ut, quoniam sentire animos suos non poterant, ad eos sibi copulandos sensu quasi interprete uterentur. Sed audiri absentium verba non poterant: ergo illa ratio peperit litteras, notatis omnibus oris ac linguæ sonis, atque discretis. Nihil autem horum facere poterat, si multitudo rerum sine quodam defixo termino infinite patere videretur. Ergo utilitas numerandi magna necessitate animadversa est. Quibus duobus repertis, nata est illa librariorum et calculonum professio [1], velut quædam grammaticæ infantia, quam Varro litterationem vocat: græce autem quomodo appelletur, non satis in præsentia recolo.

36. Progressa deinde ratio animadvertit eosdem oris sonos quibus loqueremur, et quos litteris jam signaverat, alios esse qui moderato varie hiatu, quasi enodati ac simplices, faucibus sine ulla collisione defluerent, alios diverso pressu oris, tenere tamen aliquem sonum; extremos autem qui nisi adjunctis sibi primis erumpere non valerent. Itaque litteras hoc ordine quo expositæ sunt, vocales, semivocales et mutas nominavit. Deinde syllabas notavit: deinde verba in octo genera formasque digesta sunt; omnisque illorum motus, integritas, junctura, perite subtiliterque distincta sunt. Inde jam numerorum et dimensionis non immemor, adjecit animum in ipsas vocum et syllabarum varias moras; atque inde spatia temporis alia dupla, alia simpla esse comperit, quibus longæ brevesque syllabæ tenderentur. Notavit etiam ista, et in regulas certas disposuit.

37. Poterat jam perfecta esse grammatica, sed quia ipso nomine profiteri se litteras clamat, unde etiam latine litteratura dicitur, factum est ut quidquid dignum memoria litteris mandaretur, ad eam necessario pertineret. Itaque unum quidem nomen, sed res infinita, multiplex, curarum plenior quam jucunditatis aut veritatis, huic disciplinæ accessit historia, non tam ipsis historicis quam grammaticis laboriosa. Quis enim ferat imperitum videri hominem qui volasse Dædalum non audierit; mendacem illum qui finxerit [2], stultum qui crediderit, impudentem qui interrogaverit, non videri? aut in quo nostros familiares graviter miserari soleo, qui si non responderint quid vocata sit mater Euryali,

[1] Er. et Lov., *solis*. At Mss. duodecim Bad. et Am., *solio lumen infundunt;* id est, balnearum vasi cui insidentes lavabantur; de quo supra, n. 32.

[2] In B.: *Nam quidquid jocunde sonat, illum ipsum auditum libet atque illicit.* Lectionem Er. Er. Guill. Ven. Lov. Lov. Par. secuti sumus, uti præferendam. M.

[3] In Mss. plurimis, *discendo,*

[1] Bad. et Mss. nonnulli habent *calculorum professio.* Sed verius alii Cdd., *calculonum.* Hoc nomine, quod a lexicographis plerisque prætermissum est, vocabantur olim ludimagistri, qui primi pueros legendi, scribendi et numerandi arte imbuendos suscipiebant: quo pertinet illud Julii Capitolini in Pertinace: « Puer litteris elementariis et calculo imbu- « tus. » Item quod Augustinus lib. 1 Conf. cap. 13 ait: « Ada- « maveram litteras latinas, non quas primi magistri, sed « quas docent qui grammatici vocantur: nam illas primas, « ubi legere et scribere et numerare discitur, non minus « onerosas pœnalesque habebam. » Hinc demum intelliges « illud Tertulliani, lib. de Pallio, in fine: « Primus in ornator « litterarum, et primus enodator vocis, et primus numerorum « arenarius. »

[2] Plerique Mss., *dixerit.*

accusantur inscitiæ ; cum ipsi eos, a quibus ea rogantur, vanos et ineptos, nec curiosos audeant appellare?

CAPUT XIII.— *Dialectices et rhetorices inventio.*

38. Illa igitur ratio [1] perfecta dispositaque grammatica, admonita est quærere atque attendere hanc ipsam vim, qua peperit artem ; nam eam definiendo, distribuendo, colligendo, non solum digesserat atque ordinaverat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defenderat. Quando ergo transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere ; in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire ; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. Verum, quoniam plerumque stulti homines ad ea quæ suadentur recte, utiliter et honeste, non ipsam sincerissimam quam rarus animus videt veritatem, sed proprios sensus consuetudinemque sectantur, oportebat eos non doceri solum quantum queunt, sed sæpe et maxime commoveri. Hanc suam partem quæ id ageret, necessitatis pleniorem quam puritatis, refertissimo gremio deliciarum, quas populo spargat, ut ad utilitatem suam dignetur adduci, vocavit rhetoricam. Hactenus pars illa quæ in significando rationabilis dicitur, studiis liberalibus disciplinisque promota est.

CAPUT XIV.— *Musica et poetica. Triplex sonus. Versus unde. Rhythmus.*

39. Hinc se illa ratio ad ipsarum rerum divinarum beatissimam contemplationem rapere [2] voluit. Sed ne de alto caderet, quæsivit gradus, atque ipsa sibi viam per suas possessiones ordinemque molita est. Desiderabat enim pulchritudinem, quam sola et simplex posset sine istis oculis intueri ; impediebatur a sensibus. Itaque in eos ipsos paululum aciem torsit, qui veritatem sese habere clamantes, festinantem ad alia pergere, importuno strepitu revocabant. Et primo ab auribus cœpit, quia dicebant ipsa verba sua esse, quibus jam et grammaticam et dialecticam et rhetoricam fecerat. At ista potentissima secernendi cito vidit quid inter sonum et id cujus signum esset, distaret. Intellexit nihil aliud ad aurium judicium pertinere, quam sonum, eumque esse triplicem ; aut in voce animantis, aut in eo quod flatus in organis faceret, aut in eo quod pulsu ederetur. Ad primum pertinere tragœdos vel comœdos, vel choros cujuscemodi, atque omnes omnino qui voce propria canerent : secundum tibiis et similibus instrumentis deputari : tertio dari citharas, lyras, cymbala, atque omne quod percutiendo canorum esset.

40. Videbat autem hanc materiam esse vilissimam, nisi certa dimensione temporum, et acuminis gravitatisque moderata varietate soni figurarentur. Recognovit hinc esse illa semina quæ in grammatica, cum syllabas diligenti consideratione versaret, pedes et accentus vocaverat. Et quia in ipsis verbis brevitates et longitudines syllabarum prope æquali multitudine sparsas in oratione attendere facile fuit, tentavit pedes illos in ordines certos disponere atque conjungere ; et in eo primo sensum ipsum secuta, moderatos impressit articulos, quæ et cæsa et membra nominavit. Et ne longius pedum cursus provolveretur, quam ejus judicium posset sustinere, modum statuit unde reverteretur, et ab eo ipso versum vocavit. Quod autem non esset certo fine moderatum, sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus curreret, rhythmi nomine notavit : qui latine nihil aliud quam numerus dici potuit. Sic ab ea poetæ geniti sunt : in quibus cum videret non solum sonorum, sed etiam verborum rerumque magna momenta, plurimum eos honoravit, eisque tribuit quorum vellent rationabilium mendaciorum potestatem. Et quoniam de prima illa disciplina stirpem ducebant, judices in eos grammaticos esse permisit.

41. In hoc igitur quarto gradu, sive in rhythmis, sive in ipsa modulatione intelligebat regnare numeros, totumque perficere : inspexit diligentissime cujusmodi essent ; reperiebat divinos et sempiternos, præsertim quod ipsis auxiliantibus omnia superiora contexuerat. Et jam tolerabat ægerrime splendorem illorum atque serenitatem corporea vocum materia decolorari. Et quoniam illud quod mens videt, semper est præsens, et immortale approbatur, cujus generis numeri apparebant ; sonus autem quia sensibilis res est, præterfluit in præteritum tempus, imprimiturque memoriæ ; rationabili mendacio jam poetis favente ratione (quærendumne quid propagini similiter inesset?), Jovis et Memoriæ filias Musas esse confictum est. Unde ista disciplina sensus intellectusque particeps musicæ nomen invenit.

CAPUT XV. — *Geometria et Astronomia.*

42. Hinc est profecta in oculorum opes, et terram cœlumque collustrans, sensit nihil aliud quam pulchritudinem sibi placere, et in pulchritudine figuras, in figuris dimensiones, in dimensionibus numeros ; quæsivitque ipsa secum, utrum ibi talis linea talisque rotunditas, vel quælibet alia forma et figura esset, qualem intelligentia contineret. Longe deteriorem invenit, et nulla ex parte quod viderent oculi cum eo quod mens cerneret, comparandum. Hæc quoque distincta et disposita, in disciplinam redegit, appellavitque geometriam. Motus eam cœli multum movebat, et ad se diligenter considerandum invitabat. Etiam ibi per constantissimas temporum vices, per astrorum ratos definitosque cursus, per intervallorum spatia moderata, intellexit nihil aliud quam illam dimensionem numerosque dominari. Quæ similiter definiendo ac secernendo in ordinem nectens, astrologiam genuit ; magnum religiosis argumentum, tormentumque curiosis.

43. In his igitur omnibus disciplinis occurrebant ei omnia numerosa, quæ tamen in illis dimensionibus manifestius eminebant, quas in seipsa cogitando atque volvendo intuebatur verissimas : in his autem quæ sentiuntur, umbras earum potius atque vestigia reco-

[1] Er. Lov., *ratione*.
[2] Sic Bad. Am. Er. et præstantiores e nostris Mss. At Lov. et quatuor Mss. substituerunt, *reparare*.

lebat. Hic se multum erexit, multumque præsumpsit; ausa est[1] immortalem animam comprobare. Tractavit omnia diligenter, percepit prorsus se plurimum posse; et quidquid posset, numeris posse. Movit eam quoddam miraculum, et suspicari cœpit seipsam fortasse numerum esse eum ipsum quo cuncta numerarentur; aut si id non esset, ibi tamen eum esse quo pervenire satageret. Hunc vero totis viribus comprehendit, qui jam universæ veritatis index futurus, ille cujus mentionem fecit Alypius, cum de Academicis quæreremus, quasi Proteus in manibus erat (*Lib.* 3, *Contra Acad.*, *cap.* 5, *n.* 11). Imagines enim falsæ rerum earum quas numeramus, ab illo occultissimo quo numeramus defluentes, in sese rapiunt cogitationem, et sæpe illum cum jam tenetur, elabi faciunt.

CAPUT XVI. — *Disciplinæ liberales efferunt intellectum ad divina.*

44. Quibus si quisque non cesserit, et omnia quæ per tot disciplinas late varieque diffusa sunt, ad unum quoddam simplex verum certumque redegerit; eruditi nomine dignissimus, non temere jam quærit illa divina, non jam credenda solum, verum etiam contemplanda, intelligenda atque retinenda. Quisquis autem vel adhuc servus cupiditatum, et inhians rebus pereuntibus; vel jam ista fugiens, casteque vivens, nesciens tamen quid sit nihil, quid informis materia, quid formatum exanime; quid corpus, quid species in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore; quid motus secundum locum, quid motus non secundum locum, quid stabilis motus, quid sit ævum; quid sit nec in loco esse, nec nusquam[2]; et quid sit præter tempus, et semper; quid sit et nusquam esse, et nusquam non esse; et nunquam esse, et nunquam non esse: quisquis ergo ista nesciens, non dico de summo illo Deo, qui scitur melius nesciendo, sed de anima ipsa sua quærere ac disputare voluerit, tantum errabit, quantum errari plurimum potest: facilius autem cognoscet ista, qui numeros simplices atque intelligibiles comprehenderit. Porro istos comprehendet, qui et ingenio valens, et privilegio ætatis aut cujuslibet felicitatis otiosus, et studio vehementer incensus, memoratum disciplinarum ordinem, quantum satis est, fuerit persecutus. Cum enim artes illæ omnes liberales, partim ad usum vitæ, partim ad cognitionem rerum contemplationemque discantur; usum earum assequi difficillimum est, nisi ei qui ab ipsa pueritia ingeniosissimus, instantissime atque constantissime operam dederit.

CAPUT XVII. — *Arduas quæstiones ne attingant non instructi disciplinis.*

45. Quod vero ex illis ad id quod quærimus opus est, ne te, quæso, mater, hæc velut rerum immensa quædam silva deterreat. Etenim quædam de omnibus eligentur numero paucissima, vi potentissima[3], cognitione autem multis quidem ardua; tibi tamen, cujus ingenium quotidie mihi novum est, et cujus animum vel ætate vel admirabili temperantia remotissimum ab omnibus nugis, et a magna labe corporis emergentem, in se multum surrexisse cognosco, tam erunt facilia quam difficilia tardissimis miserrimeque viventibus. Si enim dicam te facile ad eum sermonem perventuram, qui locutionis et linguæ vitio careat, profecto mentiar. Me enim ipsum, cui magna necessitas fuit ista perdiscere, adhuc in multis verborum sonis Itali exagitant; et a me vicissim, quod ad ipsum sonum attinet, reprehenduntur. Aliud est enim esse arte, aliud gente securum. Solœcismos autem quos dicimus, fortasse quisque doctus diligenter attendens in oratione mea reperiet; non enim defuit qui mihi nonnulla hujusmodi vitia ipsum Ciceronem fecisse peritissime persuaserit. Barbarismorum autem genus nostris temporibus tale compertum est, ut et ipsa ejus oratio barbara videatur, qua Roma servata est. Sed tu, contemptis istis vel puerilibus rebus, vel ad te non pertinentibus, ita grammaticæ pene divinam vim naturamque cognoscis, ut ejus animam tenuisse, corpus reliquisse disertis videaris.

46. Hoc etiam de cæteris hujusmodi artibus dixerim: quas si penitus fortasse contemnis, admoneo te, quantum filius audeo, quantumque permittis, ut fidem istam tuam, quam venerandis mysteriis percepisti, firme cauteque custodias; deinde ut in hac vita atque moribus constanter vigilanterque permaneas. De rebus autem obscurissimis, et tamen divinis, quomodo Deus et nihil mali faciat, et sit omnipotens, et tanta mala fiant; et cui bono mundum fecerit, qui non erat indigus; et utrum semper fuerit malum, an tempore cœperit; et, si semper fuit, utrum sub conditione Dei fuerit: et, si fuit, utrum etiam iste mundus semper fuerit, in quo illud malum divino ordine dominaretur[1]; si autem hic mundus aliquando esse cœpit, quomodo antequam esset, potestate Dei malum tenebatur; et quid opus erat mundum fabricari, quo malum quod jam Dei potestas frenabat, ad pœnas animarum includeretur; si autem fuit tempus quo sub Dei dominio malum non erat, quid subito accidit, quod per æterna retro tempora non acciderat. In Deo enim novum exstitisse consilium, ne dicam impium, ineptissimum est dicere. Si autem importunum fuisse, et quasi improbum malum Deo dicimus, quod nonnulli existimant, jam nemo doctus risum tenebit, nemo non succensebit indoctus. Quid enim potuit Deo nocere mali nescio qua illa natura? Si enim dicunt non potuisse, fabricandi mundi causa non erit: si potuisse dicunt, inexpiabile nefas est Deum violabilem credere; nec ita saltem, ut vel virtute providerit, ne sua substantia violaretur. Namque animam pœnas hic pendere fatentur, cum inter ejus et Dei substantiam nihil velint omnino distare. Si autem istum mundum non factum dicamus, impium est atque ingratum credere, ne illud sequatur, quod Deus eum non fabricarit: ergo de his atque hujusmodi rebus, aut ordine illo eruditionis, aut nullo modo quidquam requirendum est.

[1] Lov., *ita ausa est*. Abest porro vox *ita* a Mss.
[2] Sic Mss. et editi Cdd. excepto Lov., qui in textu præfert, *usquam*.
[3] Lov., *numero paucissima, id est potentissima*.

[1] In B., *domitaretur*. Sic etiam Er. Guill.; at Lov. Par. *dominaretur*. M.

CAPUT XVIII. — *Quo ordine anima provehitur ad cognitionem sui et ipsius unitatis. Omnia in unum tendunt.*

47. Et ne quisquam latissimum aliquid nos complexos esse arbitretur, hoc dico planius atque brevius. Ad istarum rerum cognitionem neminem aspirare debere sine illa quasi duplici scientia bonæ disputationis, potentiæque numerorum. Si quis etiam hoc plurimum putat, solos numeros optime noverit, aut solam dialecticam. Si et hoc infinitum est, tantum perfecte sciat quid sit unum in numeris, quantumque valeat; nondum in illa summa lege summoque ordine rerum omnium, sed in iis quæ quotidie passim sentimus atque agimus. Excipit enim hanc eruditionem jam ipsa philosophiæ disciplina, et in ea nihil plus invenit quam quid sit unum, sed longe altius longeque divinius. Cujus duplex quæstio est : una de anima, altera de Deo. Prima efficit ut nosmetipsos noverimus; altera, ut originem nostram. Illa nobis dulcior, ista charior; illa nos dignos beata vita, beatos hæc facit; prima est illa discentibus, ista jam doctis. Hic est ordo studiorum sapientiæ, per quem fit quisque idoneus ad intelligendum ordinem rerum, id est, ad dignoscendos duos mundos, et ipsum parentem universitatis; cujus nulla scientia est in anima, nisi scire quomodo eum nesciat.

48. Hunc igitur ordinem tenens anima jam philosophiæ tradita, primo seipsam inspicit : et cui jam illa eruditio persuasit, aut suam, aut seipsam esse rationem, in ratione autem aut nihil esse melius et potentius numeris, aut nihil aliud quam numerum esse rationem; ita secum loquetur : Ego quodam meo motu interiore et occulto, ea quæ discenda sunt possum discernere et connectere, et hæc vis mea ratio vocatur. Quid autem discernendum est, nisi quod aut unum putatur et non est, aut certe non tam unum est quam putatur? Item, cur quid connectendum est, nisi ut unum fiat, quantum potest? Ergo et in discernendo et in connectendo, unum volo, et unum amo. Sed cum discerno, purgatum; cum connecto, integrum volo. In illa parte vitantur aliena, in hac propria copulantur, ut unum aliquid perfectum fiat. Lapis ut esset lapis, omnes ejus partes, omnisque natura in unum solidata est. Quid arbor? nonne arbor non esset, si una non esset? Quid membra cujuslibet animantis ac viscera, et quidquid est eorum e quibus constat? Certe si unitatis patiantur divortium, non erit animal. Amici quid aliud quam unum esse conantur? Et quanto magis unum, tanto magis amici sunt. Populus una civitas est, cui est periculosa dissensio : quid est autem dissentire, nisi non unum sentire? Ex multis militibus fit unus exercitus : nonne quævis multitudo eo minus vincitur, quo magis in unum coit? Unde ipsa coitio in unum, cuneus nominatus est, quasi conucus. Quid amor omnis? nonne unum vult fieri cum eo quod amat, et si ei contingat, unum cum eo fit? Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementius, nisi quod amantia sese corpora in unum coguntur. Dolor unde perniciosus est? Quia id quod unum erat, dissicere nititur [1].

CAPUT XIX. — *Homo unde brutis præstantior, quomodo possit videre Deum.*

Ergo molestum et periculosum est, cum eo unum fieri quod separari potest.

49. Ex multis rebus passim ante jacentibus, deinde in unam formam congregatis, unam facio domum. Melior ego, siquidem ego facio, illa fit : ideo melior quia facio; non dubium est inde me esse meliorem quam domus est. Sed non inde sum melior hirundine, aut apicula; nam et illa nidos affabre struit, et illa favos : sed his melior, quia rationale animal sum. At si in ratis dimensionibus ratio est; numquidnam et aves quod fabricant, minus apte congruenterque dimensum est? Imo numerosissimum est. Non ergo numerosa faciendo, sed numeros cognoscendo, melior sum. Quid ergo? illæ nescientes operari numerosa poterant? Poterant profecto. Unde id docetur? Ex eo quod nos quoque certis dimensionibus linguam dentibus et palato accommodamus, ut ex ore litteræ ac verba prorumpant, nec tamen cogitamus cum loquimur, quo motu oris id facere debeamus. Deinde quis bonus cantator, etiam si musicæ sit imperitus, non ipso sensu naturali et rhythmum et melos perceptum memoria custodiat in canendo? quo quid fieri numerosius potest? Hoc nescit indoctus, sed tamen facit operante natura. Quando autem melior, et pecoribus præponendus? Quando novit quod facit. At nihil aliud me pecori præponit, nisi quod rationale animal sum.

50. Quomodo igitur immortalis est ratio, et ego simul et rationale et mortale quiddam esse definior? An ratio non est immortalis? Sed unum ad duo, vel duo ad quatuor, verissima ratio est : nec magis heri fuit ista ratio vera quam hodie; nec magis cras aut post annum erit vera; nec si omnis iste mundus concidat, poterit ista ratio non esse. Ista enim semper talis est; mundus autem iste nec heri habuit, nec cras habebit quod habet hodie, nec hodierno ipso die, vel spatio unius horæ eodem loco solem habuit : ita cum in eo nihil manet, nihil vel parvo spatio temporis habet eodem modo. Igitur, si immortalis est ratio, et ego qui ista omnia vel discerno vel connecto, ratio sum; illud quo mortale appellor, non est meum. Aut, si anima non id est quod ratio, et tamen ratione utor, et per rationem melior sum; a deteriore ad melius, a mortali ad immortale fugiendum est. Hæc et alia multa secum anima bene erudita loquitur, atque agitat : quæ persequi nolo, ne cum ordinem vos docere cupio, modum excedam, qui pater est ordinis. Gradatim enim se, et ad mores vitamque optimam non jam sola fide, sed certa ratione perducit. Cui numerorum vim atque potentiam diligenter intuenti nimis indignum videbitur et nimis flendum, per suam scientiam versum bene currere citharamque concinere, et suam vitam seque ipsam quæ anima est, devium

[1] Lov., *discindere nititur*. Er., *disjicere*. Bad., *dishiscere*. At Am. et Mss. decem præferunt, *dissicere*. Quod verbum antiquis auctoribus receptum esse observant eruditi, et manuscriptorum ope passim restituunt.

iter sequi, et dominante sibi libidine, cum turpissimo se vitiorum strepitu dissonare.

51. Cum autem se composuerit et ordinaverit, ac concinnam pulchramque reddiderit, audebit jam Deum videre, atque ipsum fontem unde manat omne verum, ipsumque Patrem Veritatis. Deus magne, qui erunt illi oculi! quam sani, quam decori, quam valentes, quam constantes, quam sereni, quam beati! Quid autem est illud quod vident? quid, quæso? Quid arbitremur, quid æstimemus, quid loquamur? Quotidiana verba occurrunt, et sordidata sunt omnia vilissimis rebus. Nihil amplius dicam, nisi promitti nobis aspectum pulchritudinis, cujus imitatione pulchra, cujus comparatione fœda sunt cætera. Hanc quisquis viderit (videbit autem qui bene vivit, bene orat, bene studet), quando eum movebit cur alius optans habere filios non habeat, alius abundantes exponat, alius oderit nascituros, diligat alius natos: quomodo non repugnet nihil futurum esse, quod non sit apud Deum, ex quo necesse est ordine omnia fieri, et tamen non frustra Deum rogari? Postremo, quando justum virum movebunt aut ulla onera, aut ulla pericula, aut ulla fastidia, aut ulla blandimenta fortunæ? In hoc enim sensibili mundo vehementer considerandum est quid sit tempus et locus; ut quod delectat in parte, sive loci, sive temporis, intelligatur tamen multo esse melius totum, cujus illa pars est; et rursus, quod offendit in parte, perspicuum sit homini docto, non ob aliud offendere, nisi quia non videtur totum, cui pars illa mirabiliter congruit: in illo vero mundo intelligibili, quamlibet partem, tanquam totum, pulchram esse atque perfectam [1]. Dicentur ista latius, si vestra studia sive memoratum istum a nobis, sive alium fortasse breviorem atque commodiorem, rectum tamen ordinem, ut hortor ac spero, tenere instituerint, atque omnino graviter constanterque tenuerint.

CAPUT XX. — *Epilogus hortans ad bonam vitam.*

52. Quod ut nobis liceat, summa opera danda est optimis moribus; Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit: bene autem viventes facillime exaudiet (1 *Retract.*, *c.* 5, *n.* 5). Oremus ergo, non ut nobis divitiæ, vel honores, vel hujusmodi res fluxæ atque nutantes, et quovis resistente transeuntes, sed ut ea proveniant, quæ nos bonos faciant ac beatos. Quæ vota ut devotissime impleantur, tibi maxime hoc negotium, mater, injungimus: cujus precibus indubitanter credo atque confirmo mihi istam mentem Deum dedisse, ut inveniendæ veritati nihil omnino præponam, nihil aliud velim, nihil cogitem, nihil amem. Nec desino credere nos hoc tantum bonum, quod te promerente concupivimus, eadem te petente adepturos. Jam vero te, Alypi, quid hortor? quid moneam? Qui propterea nimius non es, quia talia quantumvis amare, fortasse semper parum, nimium vero nunquam recte dici potest.

53. Hic ille: Vere effecisti, inquit, ut memoriam doctissimorum ac magnorum virorum, quæ aliquando pro rerum magnitudine incredibilis videbatur, et quotidiana consideratione, et ista præsenti quæ in te nobis est admiratione, non solum dubiam non habeamus, verum etiam, si necesse sit, de illa jurare possimus. Quid enim? nobis nonne illa venerabilis ac prope divina, quæ jure et habita est et probata Pythagoræ disciplina, abs te hodie nostris etiam pene oculis reserata est [1] (*Lib.* 1 *Retract.*, *cap.* 3, *n.* 3)? Cum et vitæ regulas, et scientiæ non tam itinera quam ipsos campos, ac liquida æquora, et quod illi viro magnæ venerationi fuit, ipsa etiam sacraria veritatis ubi essent, qualia essent, quales quærerent, et breviter, et ita plene significasti, ut quamvis suspicemur, et credamus tibi esse adhuc secretiora, tamen non absque impudentia nos putemus, si amplius quidquam flagitandum abs te arbitremur.

54. Accipio ista, inquam, libenter. Neque enim me tam verba tua, quæ vera non sunt, quam verus in verbis animus delectat atque excitat. Et bene quod ei mittere statuimus has litteras, qui de nobis solet libenter multa mentiri. Si qui autem alii fortasse legerint, neque hos metuo, ne tibi succenseant. Quis enim amantis errori in judicando non benevolentissime ignoscat? Quod autem Pythagoræ mentionem fecisti, nescio quo illo divino ordine occulto tibi in mentem venisse credo. Res enim multum necessaria mihi prorsus exciderat, quam in illo viro (si quid litteris memoriæ mandatis credendum est; quamvis Varroni quis non credat?) mirari et pene quotidianis, ut scis, efferre laudibus soleo (*Ibid.*), quod regendæ reipublicæ disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat jam doctis, jam perfectis, jam sapientibus, jam beatis. Tantos ibi enim fluctus videbat, ut eis nollet committere nisi virum qui et in regendo pene divine scopulos evitaret, et, si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret. De solo enim sapiente verissime dici potest,

Ille velut pelagi rupes immota, resistit;

et cætera quæ luculentis in hanc sententiam versibus dicta sunt (*Æneid.*, *lib.* 7, *vers.* 585-589). Hic finis disputationis factus est, lætisque omnibus et multum sperantibus consessum dimisimus, cum jam nocturnum lumen fuisset illatum.

[1] Er et Ven., *quamlibet partem totam pulchram esse atque perfectam.* Lov., *quamlibet partem, tanquam totum, totam pulchram atque perfectam.* M.

[1] Er.: *Quid enim nobis non de illa venerabili... reseratum est?* M.

## DE SEQUENTE LIBRO DE ANIMÆ IMMORTALITATE,

*Vide librum* 1, *cap.* 5, Retractationum, *col.* 590-591, *a verbis,* Post libros Soliloquiorum, *n.* 1, *usque ad verba n.* 3, Alicubi est disciplina. M.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# DE IMMORTALITATE ANIMÆ

## Liber unus (a).

Continet hic liber congeriem rationum pro animæ immortalitate, necnon intercurrentium difficultatum solutionem.

CAPUT PRIMUM. — *Prima ratio, quod anima sit immortalis, quia subjectum est disciplinæ quæ semper est.*

1. Si alicubi est disciplina, nec esse nisi in eo quod vivit potest, et semper est, neque quidquam in quo quid semper est potest esse non semper; semper vivit in quo est disciplina. Si nos sumus qui ratiocinamur, id est animus noster, nec recte ratiocinari sine disciplina potest, nec sine disciplina esse animus, nisi in quo disciplina non est, potest; est in hominis animo disciplina. Est autem alicubi disciplina : nam est, et quidquid est nusquam esse non potest. Item disciplina non potest esse, nisi in eo quod vivit. Nihil enim quod non vivit, aliquid discit; nec esse in eo quod nihil discit, disciplina potest (*b*). Item semper est disciplina. Nam quod est atque immutabile est, semper sit necesse est. Esse autem disciplinam, nemo negat. Et quisquis fatetur fieri non posse, ut ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ non per medium ducuntur maxima, idque esse alicujus disciplinæ; immutabilem disciplinam esse non negat. Item nihil in quo quid semper est, potest esse non semper. Nihil enim quod semper est, patitur sibi subtrahi aliquando id in quo semper est. Jamvero cum ratiocinamur, animus id agit. Non enim id agit, nisi qui intelligit : nec corpus intelligit, nec animus auxiliante corpore intelligit; quia cum intelligere vult, a corpore avertitur. Quod enim intelligitur [1], ejusmodi est semper (*c*); nihilque corporis ejusmodi est semper : non igitur potest adjuvare animum ad intellectum nitentem, cui non impedire satis est. Item nemo sine disciplina recte ratiocinatur. Est enim recta ratiocinatio a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio [2] : nihilque certum est in animo quod ignorat. Omne autem quod scit animus, in sese habet; nec ullam rem scientia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertineat disciplinam (*d*). Est enim disciplina quarumcumque rerum scientia. Semper igitur animus humanus vivit.

(*a*) Scriptus anno Christi 387.
(*b*) I Retract., cap. 5, n. 2.
(*c*) Ibid.
(*d*) Ibid.

CAPUT II. — *Alia ratio, quia subjectum est rationis quæ non mutatur.*

2. Ratio profecto aut animus est, aut in animo. Melior autem ratio nostra, quam corpus nostrum : et corpus nostrum nonnulla substantia est, et melius est esse substantiam, quam nihil : non est igitur ratio nihil. Rursum, quæcumque harmonia corporis est, in subjecto corpore sit necesse est inseparabiliter, nec aliud quidquam in illa harmonia esse credatur, quod non æque necessario sit in subjecto illo corpore, in quo et ipsa harmonia non minus inseparabiliter. Mutabile est autem corpus humanum, et immutabilis ratio. Mutabile est enim omne quod semper eodem modo non est. Et semper eodem modo est, Duo et quatuor, sex [1]. Item semper eodem modo est quod est, quod quatuor habent duo et duo; hoc autem non habent duo : duo igitur quatuor non sunt. Est autem ista ratio immutabilis : igitur ratio est. Nullo modo autem potest, mutato subjecto, id quod in eo est inseparabiliter non mutari. Non est igitur harmonia corporis animus. Nec mors potest accidere immutabilibus rebus. Semper ergo animus vivit, sive ipse ratio sit, sive in eo ratio inseparabiliter.

CAPUT III. — *Viva substantia et immutabilis animus, nec si aliquo modo mutabilis, propterea mortalis fit.*

3. Quædam constantiæ virtus est, et omnis constantia immutabilis est, et omnis virtus potest aliquid agere, nec cum agit aliquid [2], virtus non est. Omnis porro actio movetur, aut movet. Aut igitur non omne quod movetur, aut certe non omne quod movet, mutabile est. At omne quod ab alio movetur, nec movet ipsum, aliquid mortale est. Neque mortale quidquam immutabile. Quare de certo jam et sine ulla disjunctione concluditur, non omne quod movet mutari. Nullus autem motus sine substantia : et omnis substantia aut vivit, aut non vivit : atque omne quod non vivit, exanime est; nec est ulla exanimis actio. Illud igitur quod ita movet ut non mutetur, non potest esse nisi viva substantia. Hæc autem omnis per quoslibet gradus corpus movet. Non igitur omne quod corpus movet, mutabile est. Corpus autem non nisi secundum

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Recognitus est ad Mss. Corneliensem pervetustum, Corbeiensem, Michaelinum, Sergiensem, Ebrulphensem, Vindocinensem, Regio-Montensem, Victorinos duos, Sorbonicos totidem, Bigotianum, Vedastinum, Vaticanum; ad variantes lectiones ex tribus Belgicis per Lovanienses excerptas; ad editiones demum Bad. Am. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessiorum *memoratas.* M.

[1] Am. Er. et Lov., *quod enim intelligit.* Sed Bad. et Mss., tum hic, tum in lib. 1 Retract. cap. 5, habent *intelligitur.*
[2] Sex Mss., *cognitio.*

[1] In B., *et sex.* Par., *sex*, sine vocula *et.* Posterior hæc lectio nobis visa est præ erenda. M.
[2] Lov., *nec cum non agit aliquid.* Sed abest *non* a Mss., et abesse debet.

tempus movetur : ad hoc enim pertinet tardius et celerius moveri : conficitur esse quiddam quod tempore moveat, nec tamen mutetur. Omne autem quod tempore movet corpus, tametsi ad unum finem tendat, tamen nec simul potest omnia facere, nec potest non plura facere : neque enim valet quavis ope agatur, aut perfecte unum esse, quod in partes secari potest, aut ullum est sine partibus corpus, aut sine morarum intervallo tempus, aut vero vel brevissima syllaba enuntietur, cujus non tunc finem audias, cum jam non audis initium. Porro quod sic agitur, et exspectatione opus est ut peragi, et memoria ut comprehendi queat quantum potest. Et exspectatio futurarum rerum est, præteritarum vero memoria. At intentio ad agendum præsentis est temporis, per quod futurum in præteritum transit, nec cœpti motus corporis exspectari finis potest sine ulla memoria. Quomodo enim exspectatur ut desinat, quod aut cœpisse excidit, aut omnino motum esse? Rursus intentio peragendi quæ præsens est, sine exspectatione finis qui futurus est, non potest esse : nec est quidquam quod aut nondum est, aut jam non est. Potest igitur in agendo quiddam esse, quod ad ea quæ nondum sunt pertineat. Possunt simul in agente plura esse, cum ea plura quæ aguntur simul esse non possint. Possunt ergo etiam in movente, cum in eo quod movetur non possint. At quæcumque in tempore simul esse non possunt, et tamen a futuro in præteritum transmittuntur, mutabilia sint necesse est.

4. Hinc jam colligimus, posse esse quiddam quod cum movet mutabilia, non mutatur. Cum enim non mutatur moventis intentio perducendi ad finem quem volet corpus quod movet, illudque corpus de quo aliquid fit eodem motu per momenta mutetur, atque illa intentio perficiendi quam immutatam manere manifestum est, et ipsa membra artificis, et lignum aut lapidem artifici subjectum moveat, quis dubitet consequens esse quod dictum est? Non igitur si qua mutatio corporum movente animo fit, quamvis in eam sit intentus, hinc eum necessario mutari, et ob hoc etiam mori arbitrandum est. Potest enim in hac intentione simul et memoriam præteritorum et exspectationem futurorum habere, quæ omnia sine vita esse non possunt. Quanquam etsi nullus interitus sine mutatione sit, et nulla mutatio sine motu ; non tamen omnis mutatio interitum, omnisque motus mutationem operatur. Licet enim ipsum corpus nostrum, et motum plerumque qualibet actione, et mutatum certe vel ætate dicere, tamen nondum interisse, id est non esse sine vita. Liceat igitur et animum non continuo putare privari vita, quanquam ei fortasse per motum mutatio nonnulla contingat.

CAPUT IV. — *Ars et ratio numerorum immutabilis quæ animo non sine vita inhærent.*

5. Si enim manet aliquid immutabile in animo, quod sine vita esse non possit ; animo etiam vita sempiterna maneat necesse est. Nam hoc prorsus ita se habet, ut si primum est, sit secundum. Est autem primum. Quis enim, ut alia omittam, aut rationem numerorum mutabilem esse audeat dicere, aut artem quamlibet non ista ratione constare ; aut artem non esse in artifice, etiam cum eam non exercet ; aut ejus esse, nisi in animo ; aut ubi vita non sit, esse posse ; aut quod immutabile est, esse aliquando non posse ; aut aliud esse artem, aliud rationem ? Quamvis enim ars una multarum quasi quidam cœtus rationum esse dicatur, tamen ars etiam una ratio dici verissime atque intelligi potest. Sed sive hoc, sive illud sit, non minus immutabilem artem esse conficitur : artem autem non solum esse in animo artificis, sed etiam nusquam esse nisi in animo manifestum est, idque inseparabiliter. Nam si ars ab animo separabitur ; aut erit præterquam in animo, aut nusquam erit, aut de animo in animum continuo transibit. At ut sedes arti nulla sine vita est, ita nec vita cum ratione ulli nisi animæ (*a*). Nusquam porro esse quod est, vel quod immutabile est non esse aliquando non potest. Si vero ars de animo in animum transit, in illo mansura deserens istum ; nemo artem docet nisi amittendo, aut etiam non nisi docentis oblivione fit aliquis peritus, sive morte [1]. Quæ si absurdissima et falsissima sunt, sicuti sunt, immortalis est animus humanus.

6. At enim si ars aliquando est, aliquando non est in animo, quod per oblivionem atque imperitiam satis notum est ; nihil ad ejus immortalitatem, affert argumenti hujus connexio, nisi negetur antecedens hoc modo. Aut est aliquid in animo, quod in præsenti cogitatione non est ; aut non est in erudito animo ars musica, cum de sola geometrica cogitat : hoc autem falsum est ; illud igitur verum. Non autem quidquam se habere animus sentit, nisi quod in cogitationem venerit. Potest igitur aliquid esse in animo, quod esse in se animus ipse non sentiat. Id autem quamdiu sit, nihil interest. Namque si diutius fuerit in aliis animus occupatus, quam ut intentionem suam in ante cogitata facile possit reflectere, oblivio vel imperitia nominatur. Sed cum vel nos ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibusdam liberalibus artibus ea quæ invenimus, non alibi quam in animo nostro invenimus : neque id est invenire, quod facere aut gignere ; alioquin æterna gigneret animus inventione temporali (nam æterna sæpe invenit ; quid enim tam æternum quam circuli ratio, vel si quid aliud in hujuscemodi artibus, nec non fuisse aliquando, nec non fore comprehenditur ?) : manifestum etiam est, immortalem esse animum humanum, et omnes veras rationes in secretis ejus esse, quamvis eas sive ignoratione sive oblivione, aut non habere, aut amisisse videatur.

CAPUT V. — *Animus non mutatur ut desinat esse animus.*

7. Nunc autem quatenus accipienda sit animi mutatio videamus. Si enim subjectum est animus arte in subjecto existente, neque subjectum immutari potest quin et id quod in subjecto est immutetur ; qui possu-

[1] In prius vulgatis, *sine morte*. Sed melius in Mss., *sive morte*.

(*a*) I Retract., cap. 5, n. 2:

mus obtinere immutabilem esse artem atque rationem, si mutabilis animus in quo illa sunt esse convincitur? Quæ autem major quam in contraria solet esse mutatio? et quis negat animum, ut omittam cætera, stultum alias, alias vero esse sapientem? Prius ergo quot modis accipiatur, quæ dicitur animæ mutatio, videamus; qui, ut opinor, manifestiores duntaxat clarioresque nobis duo sunt genere, specie vero plures inveniuntur. Namque aut secundum corporis passiones, aut secundum suas, anima dicitur immutari. Secundum corporis, ut per ætates, per morbos, per dolores, labores, offensiones, per voluptates. Secundum suas autem, ut cupiendo, lætando, metuendo, ægrescendo, studendo, discendo.

8. Hæ omnes mutationes, si non necessario argumento sunt mori animam, nihil quidem metuendæ sunt per se ipsæ separatim: sed ne rationi nostræ adversentur, qua dictum est, mutato subjecto omne quod in subjecto est necessario mutari, videndum est. Sed non adversantur. Nam illud secundum hanc mutationem subjecti dicitur, per quam omnino mutare cogitur nomen. Nam si ex albo cera nigrum colorem ducat alicunde, non minus cera est; et si ex quadrata rotundam formam sumat, et ex molli durescat, frigescatque ex calida: at ista in subjecto sunt, et cera subjectum. Manet autem cera non magis minusve cera, cum illa mutentur. Potest igitur aliqua mutatio fieri eorum quæ in subjecto sunt, cum ipsum tamen juxta id quod hoc est ac dicitur, non mutetur. At si eorum quæ in subjecto sunt, tanta commutatio fieret, ut illud quod subesse dicebatur, dici jam omnino non posset; veluti cum calore ignis cera in auras discedit, eamque mutationem patitur ut recte intelligatur mutatum esse subjectum, quod cera erat, et cera jam non est: nullo modo aliqua ratione quidquam eorum, quæ in illo subjecto ideo erant quia hoc erat, remanere putaretur.

9. Quamobrem si anima subjectum est, ut supra diximus, in quo ratio inseparabiliter, ea necessitate quoque qua in subjecto esse monstratur [1], nec nisi viva anima potest esse anima, nec in ea ratio potest esse sine vita, et immortalis est ratio; immortalis est anima. Prorsus enim nullo pacto non existente subjecto suo immutabilis ratio permaneret. Quod eveniret, si tanta accideret animæ mutatio, ut eam non animam faceret, id est mori cogeret. Nulla autem illarum mutationum, quæ sive per corpus, sive per ipsam animam fiunt (quamvis utrum aliquæ per ipsam fiant, id est quarum ipsa sit causa, non parva sit quæstio), id agit ut animam non animam faciat. Jam igitur non solum per se, verum nec nostris rationibus formidandæ sunt.

CAPUT VI. — *Ratio quæ incommutabilis est, sive in animo sive cum animo sit, sive animus in ea, ab ipso eodem animo separari nequit.*

10. Ergo incumbendum omnibus ratiocinandi viribus video, ut ratio quid sit, et quoties definiri possit sciatur, ut secundum omnes modos et de animæ immortalitate constet. Ratio est aspectus animi, quo per seipsum, non per corpus verum intuetur; aut ipsa veri contemplatio, non per corpus; aut ipsum verum quod contemplatur. Primum illud in animo esse nemo ambigit: de secundo et tertio quæri potest; sed et secundum sine animo esse non potest. De tertio magna quæstio est, utrum verum illud quod sine instrumento corporis animus intuetur sit per seipsum, et non sit in animo, aut possit esse sine animo. Quoquolibet modo autem se habeat, non id posset contemplari animus per seipsum, nisi aliqua conjunctione cum eo. Nam omne quod contemplamur, sive cogitatione capimus, aut sensu aut intellectu capimus. Sed ea quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, et locis continentur, unde nec percipi quidem posse affirmantur. Ea vero quæ intelliguntur, non quasi alibi posita intelliguntur, quam ipse qui intelligit animus: simul enim etiam intelliguntur non contineri loco.

11. Quare ista conjunctio intuentis animi, et ejus veri quod intuetur, aut ita est ut subjectum sit animus, verum autem illud in subjecto; aut contra subjectum verum, et in subjecto animus; aut utrumque substantia. Horum autem trium si primum est, tam est immortalis animus quam ratio, secundum superiorem disputationem, quod inesse illa nisi vivo non potest. Eadem necessitas in secundo est. Nam si verum illud quod ratio dicitur, nihil habet commutabile sicut apparet; nihil commutari potest quod in eo tanquam in subjecto est. Remanet igitur omnis pugna de tertio. Nam si animus substantia est, et substantia ratio cui conjungitur [1]; non absurde quis putaverit fieri posse, ut manente illa hic esse desinat. Sed manifestum est quamdiu animus a ratione non separatur eique cohæret, necessario eum manere atque vivere. Separari autem qua tandem vi potest? Num corporea, cujus et potentia infirmior, et origo inferior, et ordo separatior? Nullo modo. Animali ergo? Sed etiam in quo modo? An alter animus potentior quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterum inde separaverit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur: et cum nihil sit ipsa ratione potentius, qua nihil est incommutabilius; nullo pacto erit animus nondum rationi conjunctus, eo qui est conjunctus potentior. Restat ut aut ipsa ratio a se ipsum separet, aut ipse animus ab ea voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura invidentiæ, quominus fruendam se animo præbeat. Deinde quo magis est, eo quidquid sibi conjungitur facit ut sit, cui rei contrarius est interitus. Voluntate autem animum separari a ratione non nimis absurde quis diceret, si ulla ab invicem separatio posset esse rerum quas non continet locus (*a*). Quod quidem dici adversus omnia superiora potest, quibus alias contradictiones opposuimus. Quid ergo? Jamne concludendum est, animum

[1] Quatuor Mss., *ea necessitate qua quæque in subjecto esse monstrantur*.

[1] Ita Mss., et concinnius quam si cum hactenus editis legatur, *rationi conjungitur*.

(*a*) I Retract., cap. 5, n. 2.

esse immortalem? an etiamsi separari non potest, exstingui potest? At si illa rationis vis ipsa sua conjunctione afficit animum; neque enim non afficere potest; ita profecto afficit ut ei esse tribuat. Est enim maxime ipsa ratio, ubi summa etiam incommutabilitas intelligitur. Itaque eum quem ex se afficit [1], cogit esse quodammodo. Non ergo exstingui animus potest, nisi a ratione separatus; separari autem non potest, ut supra ratiocinati sumus : non potest igitur interire.

CAPUT VII. — *Nec, si per substantiam ad defectum tendit animus, ob id interit.*

12. At enim aversio ipsa a ratione per quam stultitia contingit animo, sine defectu ejus fieri non potest : si enim magis est ad rationem conversus eique inhærens, ideo quod inhæret incommutabili rei quæ est veritas, quæ et maxime et primitus est; cum ab ea est aversus, idipsum esse minus habet, quod est deficere. Omnis autem defectus tendit ad nihilum; et interitum nullum magis proprie oportet accipi, quam cum id, quod aliquid erat, nihil fit. Quare tendere ad nihilum, est ad interitum tendere. Qui cur non cadat in animum, vix est dicere, in quem defectus cadit. Dantur hic cætera : sed negatur esse consequens interire id quod tendit ad nihilum, id est ad nihilum pervenire. Quod in corpore quoque animadverti potest. Nam quoniam quodlibet corpus pars est mundi sensibilis, et ideo quanto majus est locique plus occupat, tanto magis propinquat universo : quantoque id magis facit, tanto magis est. Magis enim [2] est totum quam pars. Quare etiam minus sit, cum minuitur, necesse est. Defectum ergo patitur cum minuitur. Porro autem minuitur, cum ex eo aliquid præcisione detrahitur. Ex quo conficitur ut tali detractione tendat ad nihilum. At nulla præcisio perducit ad nihilum. Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, et quidquid hoc est, quantolibet spatio locum occupat. Neque id posset, nisi haberet partes in quas identidem cæderetur. Potest igitur infinite cædendo infinite minui, et ideo defectum pati atque ad nihilum tendere, quamvis pervenire nunquam queat. Quod item de ipso spatio et quolibet intervallo dici atque intelligi potest. Nam et de his etiam terminatis, dimidiam, verbi gratia, partem detrahendo, et ex eo quod restat, semper dimidiam, minuitur intervallum, atque ad finem progreditur, ad quem tamen nullo pervenitur modo. Quo minus hoc de animo formidandum est. Est enim profecto corpore melior et vivacior, a quo huic vita tribuitur.

CAPUT VIII. — *Ut corpori non potest auferri quo corpus est, ita nec animo quo animus est.*

13. Quod si non id quod est in mole corporis, sed id quod in specie facit corpus esse, quæ sententia invictiore ratione approbatur : tanto enim magis est corpus, quanto speciosius est atque pulchrius; tantoque minus est, quanto fœdius ac deformius; quæ defectio non præcisione molis, de qua jam satis actum est, sed speciei privatione [1] contingit : quærendum de hac re diligenter ac discutiendum est, ne quis affirmet animum tali defectu interire; ut quoniam specie aliqua sua privatur dum stultus est, credatur in tantum augeri posse hanc privationem, ut omni modo specie spoliet animum, et ea labe ad nihilum redigat cogatque interire. Quamobrem si potuerimus impetrare ut ostendatur, ne corpori quidem hoc posse accidere, ut etiam ea specie privetur qua corpus est; jure fortasse obtinebimus multo minus auferri posse animo quo animus est. Siquidem nemo se bene inspexit, qui non omni corpori qualemlibet animum præponendum esse fateatur.

14. Sit igitur nostræ ratiocinationis exordium, quod nulla res se facit aut gignit, alioquin erat antequam esset : quod si falsum est, illud est verum. Item quod factum ortumve non est, et tamen est, sempiternum sit necesse est. Quam naturam et excellentiam quisquis ulli corpori dat, errat vehementer quidem. Sed quid pugnamus? multo enim magis eam dare animo cogimur. Ita si corpus ullum est sempiternum, nullus animus non sempiternus est. Quoniam quilibet animus cuilibet corpori præferendus est, et omnia sempiterna non sempiternis. At si quod vere dicitur, factum est corpus; aliquo faciente factum est, nec eo inferiore. Neque enim esset potens ad dandum ei quod faceret, quidquid illud est quod est, id quod faciebat. Sed ne pari quidem : oportet enim facientem melius aliquid habere ad faciendum, quam est id quod facit. Nam de gignente non absurde dicitur, hoc eum esse, quod est illud quod ab eo gignitur. Universum igitur corpus ab aliqua vi et natura potentiore atque meliore factum est, non utique corporea. Nam si corpus a corpore factum est, non potuit universum fieri. Verissimum est enim quod in exordio ratiocinationis hujus posuimus, nullam rem a se posse fieri. Hæc autem vis et natura incorporea effectrix corporis universi præsente potentia tenet universum. Non enim fecit, atque discessit effectumque descruit. Ea quippe substantia quæ corpus non est, neque, ut ita dicam, localiter movetur, ut ab ea substantia quæ locum obtinet, separari queat; et illa effectoria vis vacare non potest, quin id quod ab ea factum est, tueatur, et specie carere non sinat, qua est in quantumcumque est. Quod enim per se non est, si destituatur ab eo per quod est, profecto non erit : et non possumus dicere id accepisse corpus cum factum est, ut seipso jam contentum esse posset, etiamsi a conditore desereretur.

15. Quanquam si ita est, magis id habet animus, quem corpori præstare manifestum est. Atque ita de proximo immortalis probatur, si potest esse per seipsum. Quidquid enim tale est, incorruptibile sit necesse est, ac per hoc interire non possit, quia nihil se deserit. Sed corporis mutabilitas in promptu

[1] Ita in Mss. At in Edd. : *Ita quæcumque ex se afficit*; excepto Bad., in quo habetur : *Ita quocumque*.—Par. uti Bad. M.

[2] Edd., *tanto majus est. Majus est enim.* Sed concinnior Mss. lectio quam restituimus.

[1] Sic Mss. cum Bad. At Am. Er. et Lov. habent, *putatione.*

est, quod ipsius universi corporis universus motus satis indicat. Unde diligenter inspicientibus quantum talis natura inspici potest, ordinata mutabilitate id quod immutabile est imitari reperitur [1]. Quod autem per se est, ne motu quidem opus habet ullo, omni copia sibi seipso existente; quia motus omnis ad aliud est, cujus indiget quod movetur. Adest igitur species universo corpori, meliore natura sufficiente atque obtinente quæ fecit : quare illa mutabilitas non adimit corpori corpus esse, sed de specie in speciem transire facit motu ordinatissimo. Non enim quæpiam ejus pars ad nihilum redigi sinitur, cum totum capessat vis illa effectoria nec laborante nec deside potentia, dans ut sit omne quod per illam est, in quantum est : quamobrem nemo tam devius a ratione debet esse, cui aut non sit certum corpore animum esse meliorem, aut qui hoc concesso arbitretur corpori non accidere ut corpus non sit, animo accidere ut animus non sit. Quod si non accidit, neque animus esse nisi vivat, potest, nunquam profecto animus moritur.

CAPUT IX. — *Animus vita est, sic vita carere non potest.*

16. Quod si quisquam non eum interitum dicit formidandum animo, quo efficitur ut nihil sit quod aliquid fuit, sed eum quo dicimus ea mortua quæ vita carent; attendat quod nulla res seipsa caret. Est autem animus vita quædam : unde omne quod animatum est, vivere; omne autem inanime quod animari potest, mortuum, id est vita privatum intelligitur. Non ergo potest animus mori. Nam si carere poterit vita, non animus sed animatum aliquid est. Quod si absurdum est, multo minus hoc genus interitus timendum est animo, quod vitæ certe non est timendum. Nam prorsus si tunc moritur animus, cum eum deserit vita illa; ipsa vita quæ hunc deserit multo melius intelligitur animus, ut jam non sit animus quidquid a vita deseritur, sed ea ipsa vita quæ deserit. Quidquid enim vita desertum mortuum dicitur, id ab anima desertum intelligitur : hæc autem vita, quæ deserit ea quæ moriuntur, quia ipsa est animus, et seipsam non deserit; non moritur animus.

CAPUT X. — *Animus non est temperatio corporis.*

17. Nisi forte vitam temperationem aliquam corporis, ut nonnulli opinati sunt, debemus credere. Quibus profecto nunquam hoc visum esset, si ea quæ vere sunt et incommutabilia permanent, eodem animo a corporum consuetudine alienato atque purgato videre valuissent. Quis enim bene se inspiciens, non expertus est tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit? Quod si temperatio corporis esset animus, non utique id posset accidere. Non enim ea res quæ naturam propriam non haberet, neque substantia esset, sed in subjecto corpore tanquam color et forma inseparabiliter inesset, ullo modo se ab eodem corpore ad intelligibilia percipienda conaretur avertere, et in quantum id posset, in tantum illa posset intueri, eaque visione melior et præstantior fieri. Nullo quippe modo forma vel color, vel ipsa etiam corporis temperatio, quæ certa commixtio est earum quatuor naturarum quibus idem corpus subsistit, avertere se ab eo potest, in quo subjecto est inseparabiliter. Ad hæc, ea quæ intelligit animus cum se avertit a corpore, non sunt profecto corporea; et tamen sunt, maximeque sunt, nam eodem modo semper sese habent. Nam nihil absurdius dici potest quam ea esse quæ oculis videmus, ea non esse quæ intelligentia cernimus; cum dubitare dementis sit, intelligentiam incomparabiliter oculis anteferri. Hæc autem quæ intelliguntur eodem modo sese habentia, cum ea intuetur animus, satis ostendit se illis esse conjunctum, miro quodam eodemque incorporali modo, scilicet non localiter. Namque aut in illo sunt, aut ipse in illis. Et utrumlibet horum sit, aut in subjecto alterum in altero est, aut utrumque substantia est. Sed si illud primum est, non est in subjecto corpore animus, ut color et forma : quia vel ipse substantia est, vel alteri substantiæ quæ corpus non est, in subjecto inest. Si autem hoc secundum verum est, non est in subjecto corpore tanquam color animus, quia substantia est. Temperatio autem corporis in subjecto corpore est tanquam color : non est ergo temperatio corporis animus, sed vita est animus : et se nulla res deserit; et id moritur quod vita deserit : non igitur animus mori potest.

CAPUT XI. —*Animus nec per falsitatem perit veritati contrariam, etsi animi est causa veritas.*

18. Rursus igitur si quid metuendum est, id est metuendum ne deficiendo animus intereat, id est dum ipsa existendi specie privatur. De qua re quanquam satis esse dictum arbitrer, et quam hoc fieri non possit certa ratione monstratum sit; tamen etiam hoc attendendum est, non esse aliam causam hujus formidinis, nisi quia fatendum est in defectu quodam esse animum stultum, et in essentia certiore atque pleniore sapientem. Sed si, quod nemini dubium est, tunc est animus sapientissimus, cum veritatem, quæ semper eodem modo est, intuetur, eique immobilis inhæret divino amore conjunctus; et illa omnia quæ quoquo modo sunt ab ea essentia sunt, quæ summe maximeque est [1] : aut ab illa est animus in quantum est, aut per seipsum est. Sed si per seipsum est, quoniam ipse sibi causa existendi est, et nunquam se deserit; nunquam interit, ut supra etiam disputavimus. Si vero ex illa, diligenter opus est quærere quæ res ei possit esse contraria, quæ animo auferat animum esse quod illa præbet. Quid est igitur? An forte falsitas, quia illa veritas? Sed manifestum est, atque in promptu situm, quantum nocere animo falsitas possit. Num enim amplius potest quam fallere? at nisi

[1] Am. Er. et Lov., *id quod mutabile est mutari reperitur.* Prætulimus hic lectionem Mss., quæ est etiam Bad. Paulo post legitur in Edd., *nec motum quidem habet ullum.* At in Mss., *ne motum quidem opus habet ullum;* vel, *ne motu quidem opus habet ullo.*

[1] Er. et Lov., *et illa omnium quæ quoquomodo sunt summe maximeque est.*

qui vivit, fallitur nemo. Non igitur falsitas interimere animum potest. Quod si hæc non potest quæ contraria veritati est, auferre animo animum esse, quod ei veritas dedit (ita enim est invictissima veritas); quid aliud invenietur, quod auferat animo id quod est animus? Nihil profecto : nam nihil est contrario valentius ad id auferendum, quod fit ab ejus contrario.

CAPUT XII. — *Veritati a qua est animus quod est, quatenus ipsa est, nihil contrarium.*

19. At si veritati contrarium ita quæramus, non in quantum veritas est, sed in quantum summe maximeque est, quanquam in tantum est idipsum in quantum est veritas; siquidem veritatem eam dicimus qua vera sunt omnia in quantumcumque sunt, in tantum autem sunt in quantum vera sunt; tamen nullo modo id defugerim, quod mihi evidentius suffragatur. Nam si nulla essentia in quantum essentia est, aliquid habet contrarium, multo minus habet contrarium prima illa essentia, quæ dicitur veritas, in quantum essentia est. Primum autem verum est. Omnis enim essentia non ob aliud essentia est, nisi quia est. Esse autem non habet contrarium, nisi non esse : unde nihil est essentiæ contrarium. Nullo modo igitur res ulla esse potest contraria illi substantiæ, quæ maxime ac primitus est. Ex qua si habet animus idipsum quod est (non enim aliunde hoc habere potest, qui ex se non habet, nisi ab illa re quæ illo ipso est animo præstantior), nulla res est qua id amittat, quia nulla res ei rei est contraria qua id habet; et propterea esse non desinit. Sapientiam vero, quia conversione habet ad id ex quo est, aversione illam potest amittere. Conversioni namque aversio contraria est. Illud vero quod ex eo habet cui nulla res est contraria, non est unde possit amittere. Non igitur potest interire.

CAPUT XIII. — *Animus nec in corpus convertitur.*

20. Hic forte oboriatur nonnulla quæstio, utrum sicut non interit animus, ita nec in deteriorem commutetur essentiam. Videri enim cuipiam potest, neque injuria, id effectum esse ratiocinatione hac, ut animus ad nihilum non possit pervenire, converti autem in corpus forsitan possit. Si enim quod erat ante animus, corpus fuerit effectum, non utique omnino non erit. Sed hoc fieri non potest, nisi aut ipse id velit, aut ab alio cogatur. Nec continuo tamen animus, sive ipse id appetierit, sive coactus fuerit, poterit corpus esse. Illud enim sequitur ut, si sit, velit aut cogatur. At illud non sequitur ut, si velit aut cogatur, sit. Nunquam autem volet : nam omnis ejus appetitus ad corpus, aut ut id possideat, est, aut ut vivificet, aut ut quodammodo fabricetur, aut quolibet pacto ei consulat. Nihil autem horum fieri potest, si non sit corpore melior. At si erit corpus, melior corpore profecto non erit. Non igitur corpus esse volet. Neque ullum rei hujus certius argumentum est, quam cum seipsum hinc interrogat animus. Ita enim facile comperit appetitum se non habere, nisi agendi aliquid, aut sciendi, aut sentiendi, aut tantummodo vivendi in quantum sua illi potestas est.

21. Si autem cogitur corpus esse, a quo tandem cogitur? A quolibet, certe a potentiore. Non ergo ab ipso corpore cogi potest. Nullo enim modo ullo animo ullum corpus potentius. Potentior autem animus non cogit in aliquid, nisi quod suæ potestati subditum est. Nec ullo modo animus potestati alterius animi, nisi suis cupiditatibus subditur. Cogit ergo ille animus non amplius quam quantum ejus quem cogit cupiditates sinunt. Dictum est autem cupiditatem non posse animum habere, ut corpus sit [1]. Illud etiam manifestum est ad nullam suæ cupiditatis expletionem pervenire, dum amittit omnem cupiditatem : et amittit dum corpus fit. Non igitur potest ab eo cogi ut fiat, qui cogendi jus nisi per subditi cupiditates non habet. Deinde quisquis animus alterum animum habet in potestate, magis eum necesse est velit in potestate habere quam corpus, et ei velit bonitate consulere, vel malitia imperitare. Non ergo volet ut corpus sit.

22. Postremo iste animus cogens aut animal est, aut caret corpore (I *Retract.*, *c.* 5, *n.* 3). Sed si caret corpore, in hoc mundo non est. Et si ita est, summe bonus est, nec potest velle alteri tam turpem commutationem. Si autem animal est, aut animal est etiam ille quem cogit, aut non est. Sed si non est, ad nihil cogi ab alio potest. Non enim habet potentiorem qui in summo est. Si autem in corpore est, ab eo rursus qui in corpore est per corpus cogitur, ad quodcumque cogitur. Quis autem dubitet nullo modo per corpus fieri tantam commutationem animo? Fieret enim si esset illo corpus potentius : quamvis quidquid illud est, ad quod per corpus cogitur, prorsus non per corpus, sed per cupiditates suas cogitur, de quibus satis dictum est. Quod autem rationali anima melius est, omnibus consentientibus, Deus est. Qui profecto consulit animæ, et ideo non ab eo cogi anima potest, ut convertatur in corpus.

CAPUT XIV. — *Nec somno, nec hujusmodi corporis affectione animæ vim minui.*

23. Si igitur nec propria voluntate, nec alio cogente id animus patitur; unde id pati potest? An quia invitos nos plerumque opprimit somnus, metuendum est ne quo tali defectu animus convertatur in corpus? Quasi vero quoniam somno membra nostra marcescunt, idcirco animus fiat ulla ex parte debilior. Sensibilia tantum non sentit, quia quidquid illud est quod somnum facit, e corpore est atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit et claudit quodammodo, ita sane ut tali commutationi corporis cedat anima cum voluptate; quia secundum naturam est talis commutatio quæ reficit corpus a laboribus : non tamen hæc adimit animo vel sentiendi vim vel intelligendi. Nam et imagines sensibilium præsto habet, tanta expressione similitudinis, ut eo ipso tempore discerni nequeant ab his rebus quarum imagines sunt : et si quid intelligit, æque dormienti ac vigilanti verum est. Nam verbi gratia si per somnium disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus in disputando didicerit aliquid; etiam expergefacto eædem in-

[1] Sic in Mss. At in prius editis legitur : *Dictum est autem cogi non posse animum ut corpus sit;* haud satis consequenter.

commutabiles manent, quamvis falsa reperiantur cætera, veluti locus ubi disputatio, et persona cum qua disputatio fuisse visa erat, et verba ipsa, quod ad sonum attinet, quibus disputari videbatur, et alia hujuscemodi; quæ etiam cum ipsis sensibus sentiuntur agunturque a vigilantibus, prætereunt tamen, nec ulla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis, qualis somnus est, usum ejusdem corporis animæ, non vitam [1] propriam, posse minui.

CAPUT XV. — *Rursum animam non posse in corpus mutari.*

24. Postremo si quamvis locum occupanti corpori anima tamen non localiter jungitur, summis illis æternisque rationibus, quæ incommutabiliter manent, nec utique loco continentur, prior afficitur anima quam corpus; nec prior tantum, sed etiam magis. Tanto enim prior, quanto propinquior; et eadem causa tanto etiam magis, quanto etiam corpore melior. Nec ista propinquitas loco, sed naturæ ordine dicta sit. Hoc autem ordine intelligitur a summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est in quantumcumque est. Per animam ergo corpus subsistit, et eo ipso est quo animatur, sive universaliter, ut mundus; sive particulariter, ut unumquodque animal intra mundum. Quapropter consequens erat ut anima per animam corpus fieret, nec omnino aliter posset. Quod quia non fit, manente quippe anima in eo quo anima est, corpus per illam subsistit, dantem speciem, non adimentem; commutari in corpus anima non potest. Si enim non tradit speciem quam sumit a summo bono, non per illam fit corpus: et si non per illam fit, aut non fit omnino, aut tam propinque speciem sumit quam anima: sed et fit corpus, et si tam propinque sumeret speciem, id esset quod anima: nam hoc interest; eoque anima melior, quo sumit propinquius. Tam propinque autem etiam corpus sumeret, si non per animam sumeret. Etenim nullo interposito tam propinque utique sumeret. Nec invenitur aliquid quod sit inter summam vitam, quæ sapientia et veritas est incommutabilis, et id quod ultimum vivificatur, id est corpus, nisi vivificans anima. Quod si tradit speciem anima corpori, ut sit corpus in quantum est, non utique speciem tradendo adimit. Adimit autem in corpus animam transmutando. Non igitur anima sive per seipsam corpus fit, quia non nisi anima manente corpus per eam fit; sive per aliam, quia non nisi traditione speciei fit corpus per animam, et ademptione speciei anima in corpus converteretur, si converteretur.

[1] Er., *vim.*

CAPUT XVI. — *Ne in animam quidem irrationalem rationalis anima convertitur. Anima tota est in toto corpore et singulis partibus.*

25. Hoc et de irrationali anima vel vita, quod nec in eam rationalis anima convertitur, dici potest. Et ipsa enim nisi inferiore ordine rationali subjiceretur, æque sumeret speciem et talis esset. Tradunt ergo speciem a summa pulchritudine acceptam potentiora infirmioribus naturali ordine. Et utique cum tradunt, non adimunt. Eoque sunt quæ infirmiora sunt, in quantum sunt, quod species eis, qua sint [1] a potentioribus traditur: quæ quidem potentiora etiam meliora sunt. Quod his naturis datum est, quæ non mole majore plus possunt minoribus molibus, sed sine tumore ullo localis magnitudinis eadem specie potentiora sunt qua meliora. In quo genere est anima corpore melior et potentior. Quapropter cum per illam, ut dictum est, corpus subsistat, ipsa in corpus nullo modo verti potest. Corpus enim nullum fit, nisi accipiendo per animam speciem. At anima ut corpus fieret, non accipiendo speciem, sed amittendo, fieri posset: et propterea fieri non potest; nisi forte loco anima continetur, et localiter corpori jungitur. Nam si ita est, potest eam fortasse major moles, quanquam speciosiorem, in suam deteriorem vertere speciem, ut aer major ignem minorem. Sed non est ita. Moles quippe omnis quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus. Quare alia pars ejus alibi est, et alibi alia. Anima vero non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quid dolet in pede, advertit oculus, loquitur lingua, admovetur manus. Quod non fieret, nisi id quod animæ in eis partibus est, et in pede sentiret; nec sentire quod ibi factum est absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat: quia passio quæ fit non per continuationem molis currit, ut cæteras animæ partes quæ alibi sunt latere non sinat; sed illud tota sentit anima quod in particula fit pedis, et ibi tantum sentit ubi fit. Tota igitur singulis partibus simul adest, quæ tota simul sentit in singulis. Nec tamen hoc modo adest tota, ut candor vel alia hujusmodi qualitas in unaquaque parte corporis tota est. Nam quod in alia parte corpus patitur candoris immutatione, potest ad candorem qui est in alia parte non pertinere. Quapropter secundum partes molis a se distantes, et ipse a se distare convincitur. Non autem ita esse in anima per sensum de quo dictum est, probatur.

[1] Lov., *quod species eis quasi a potentioribus traditur.* At Mss. veriores, *quod species eis, qua sint.*

# ADMONITIO

## DE SEQUENTE LIBRO DE QUANTITATE ANIMÆ.

Dialogum de Animæ Quantitate cum Evodio habuit Augustinus, uti prodit ipse epistola centesima sexagesima secunda, eidem Evodio nonnullas rursum de anima quæstiones proponenti rescribens his verbis: ***Illa si***

*relegas..... quæ te conferente mecum ac sermocinante conscripsi sive de Quantitate Animæ, sive de Libero Arbitrio invenies unde dissolvas, etiam sine mea opera, dubitationes tuas* (*Epist.* 162, *n.* 2). Inspectis porro locis illis in quibus editiones cum Mss. aliquot non admodum vetustis præferunt Augustini et Adeodati veluti interlocutorum nomina; nihil in antiquis codicibus deprehensum a nobis est, præter incertos quosdam characteres interrogationibus et responsionibus indigitandis interscriptos. Quapropter Adeodati nomen expungi oportuit : enimvero quo tempore dialogus hicce habebatur, vix adolescentiam attigerat Adeodatus; at is qui cum Augustino colloquitur, juvenem se esse dicit, cap. 24, n. 46.

Visum autem est id operis non movere loco quem habita argumenti ratione obtinuit hactenus in editis, in quibus proxime post librum de Animæ Immortalitate subsequitur. Testatur porro Augustinus libro primo Retractationum, capite septimo, *se jam baptizatum, cum Romæ esset, scripsisse libros de moribus Ecclesiæ catholicæ, et de Moribus Manichæorum;* tum in sequente capite istum quo de agimus dialogum eadem in urbe habuisse; postea vero libros de Libero Arbitrio ibidem incœptos recenset : atque idcirco dialogum huncce versus initium anni Christi trecentesimi octogesimi octavi collocamus. Cum enim superiore anno Romam venisset Augustinus, magnam quoque sequentis anni partem ibi transegit, atque interea temporis libros præfatos conscripsit.

*Vide librum* 1, *cap.* 8, Retractationum, *col.* 594, *a verbis,* In eadem urbe, *n.* 1, *usque ad verba n.* 3, Abundare otio. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE QUANTITATE ANIMÆ
## Liber unus (a).

In hocce dialogo sex de anima quæstiones a collocutore proponuntur Augustino; quarum tertiam, scilicet, Quanta sit anima, pentius tractaturus distinguit imprimis duplex quantitatis genus, unum a mole et loci spatio; alterum a potentia et virtute dictum : illud quidem corporis proprium ab anima, quæ prorsus incorporea sit, excludi, hoc autem reperiri in illa docet deinde magnitudinis istius gradus septem assignat, ad quos revocat quidquid anima humana sive in corpore, sive in seipsa, sive denique apud Deum valet.

CAPUT PRIMUM.— *Sex de anima quæstiones proponit Evodius. Unde sit anima. Animæ patria Deus. Animæ substantia propria et simplex.*

1. *E.* Quoniam video te abundare otio, quæso ut mihi respondeas de iis quæ me movent, non, ut opinor, importune atque incongrue. Sæpe enim cum abs te multa quæsissem, nescio qua illa græca sententia me deterrendum putasti, qua prohibemur ea quæ supra nos sunt requirere : nunc vero non puto nos ipsos supra nos esse. Quamobrem cum de anima quæro, non sum dignus qui audiam : Quod supra nos, quid ad nos (*b*)? sed fortasse dignus qui audiam, quid simus nos. *A.* Enumera breviter quæ de anima audire velis. *E.* Faciam : nam sunt mihi ista diuturna cogitatione præparata. Quæro igitur unde sit anima, qualis sit, quanta sit, cur corpori fuerit data, et cum ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cum abscesserit?

2. *A.* Cum quæris unde sit anima, duo quædam intelligere cogor. Aliter enim dicimus unde sit homo, quæ sit ejus patria scire cupientes; aliter unde sit, cum quærimus unde constet, id est, ex quibus elementis rebusque compositus. Quid horum scire vis, cum interrogas unde sit anima? Utrumnam quasi regionem ejus et patriam, unde huc venerit, nosse desideras; an vero quæ sit ejus substantia, requiris? *E.* Equidem utrumque scire vellem, sed quid scit sciendum prius, tuo judicio malo committere. *A.* Propriam quamdam habitationem animæ ac patriam, Deum ipsum credo esse a quo creata est. Substantiam vero ejus nominare non possum : non enim eam puto esse ex iis usitatis notisque naturis, quas istis corporis sensibus tangimus. Nam neque ex terra, neque ex aqua, neque ex aere, neque ex igni, neque ex his omnibus, neque ex aliquibus horum conjunctis constare animam puto. Sed quemadmodum si ex me quæreres, arbor ista ex quibus constet, notissima ista elementa quatuor nominarem, ex quibus omnia talia constare credendum est; porro si pergeres quærere, unde ipsa terra, vel aqua, vel aer, vel ignis constent, nihil jam quod dicerem reperirem : sic cum quæritur ex quibus sit homo compositus, respondere possum, ex anima et corpore; rursum de corpore si quæras, ad illa elementa quatuor recurram; de anima vero quærenti tibi, cum simplex quiddam et propriæ substantiæ videatur esse, non aliter hæream ac si quæras, ut dictum est, unde sit terra. *E.* Quomodo eam propriam velis habere substantiam, cum dixeris a Deo factam, non intelligo. *A.* Quomodo et terram ipsam a Deo factam, negare non possum; et tamen non possum dicere, ex quibus quasi aliis corporibus terra constet. Simplex enim corpus est terra, eo ipso quo terra est; et ideo elementum dicitur omnium istorum corporum, quæ fiunt ex quatuor elementis. Non ergo sibi adversatur sententia qua dicimus, et a Deo animam factam, et propriam quamdam habere naturam. Hanc enim ejus propriam quamdam naturam et suam, Deus ipse fecit, ut ignis, ut aeris, ut aquæ, ut terræ, quo cætera ex his omnibus componerentur.

(*a*) Scriptus circa initium anni 388.
(*b*) Socratis dictum : HA HUPER HÊMAS, TI PROS HÊMAS?

CAPUT II. — *Anima qualis sit.*

3. *E.* Interim accipio unde sit anima, id est; ex Deo, quæ mecum sedulo retractabo, et si quid me moverit, post requiram. Unde quæso, explices qualis sit. *A.* Videtur mihi esse similis Deo. De anima enim, nisi fallor, requiris humana. *E.* Idipsum est quod abs te explicari vellem, quemadmodum sit anima similis Deo; cum Deum a nullo factum esse credamus, animam vero ab ipso Deo factam supra dixeris. *A.* Quid? tu difficile putas Deo fuisse, ut aliquid sibi simile faceret, cum hoc in tanta varietate imaginum etiam videas nobis esse concessum? *E.* Sed nos videmur mortalia facere, Deus autem immortalem animam fecit, ut opinor, nisi forte tibi aliter videtur. *A.* Ergo tu velles talia fieri ab hominibus, qualia Deus fecit [1]? *E.* Non equidem hoc dixerim. Sed quemadmodum ipse immortalis immortale quiddam fecit ad similitudinem suam; sic et nos immortales a Deo facti, ad similitudinem nostram quod facimus, immortale esse deberet. *A.* Recte diceres, si ad ejus imaginem pingeres tabulam, quod in te immortale esse credis: nunc vero in ea exprimis similitudinem corporis, quod profecto mortale est. *E.* Quomodo ergo sum similis Deo, cum immortalia nulla possum facere ut ille? *A.* Quomodo nec imago corporis tui potest hoc valere quod tuum corpus valet; sic anima non mirandum est si potentiam tantam non habet, quantam ille ad cujus similitudinem facta est.

CAPUT III. — *Anima quanta sit.*

4. *E.* Et hoc interim satis est: dic nunc quanta sit anima. *A.* Quomodo quæris quanta sit? Non enim intelligo utrum ejus quasi spatium latitudinis vel longitudinis, vel roboris, vel horum simul omnium requiras; an quantum valeat nosse velis. Solemus enim quærere quantus fuerit Hercules, id est, in quot pedes statura ejus porrecta fuerit. Et item quantus vir fuerit, id est, quantæ potentiæ atque virtutis. *E.* Utrumque de anima scire cupio. *A.* Atqui illud superius dici non potest, nec omnino intelligi de anima. Non enim ullo modo, aut longa, aut lata, aut quasi valida suspicanda est anima: corporea ista sunt, ut mihi videtur; et de consuetudine corporum sic animam quærimus. Ideoque bene præcipitur etiam in mysteriis, ut omnia corporea contemnat, universoque huic mundo renuntiet, qui, ut videmus, corporeus est, quisquis se talem reddi desiderat, qualis a Deo factus est, id est, similem Deo: non enim alia salus animæ est, aut renovatio, aut reconcilaitio auctori suo. Quamobrem quanta sit anima secundum inquisitionem hanc tibi respondere non possum; sed possum affirmare, neque illam longam esse, nec latam, nec robustam, neque aliquid horum quæ in mensuris corporum quæri solent. Et hoc cur existimem, rationem tibi reddam, si placet. *E.* Placet vero, ac vehementer exspecto: videtur enim mihi quasi nihil esse anima, si nihil est horum. *A.* Prius ergo si videtur, ostendam tibi multas esse res quas non possis dicere nihil esse, nec tamen in eis invenire aliqua hujusmodi spatia, qualia in anima requiris: ut non solum non tibi ex eo anima nihil esse videatur, quod in ea non invenis longitudinem, sive aliquid tale; sed eo pretiosior et pluris æstimanda sit, quo nihil horum habet. Deinde utrum vere nihil horum habeat, videbimus. *E.* Utere quo vis ordine ac modo, ego audire et discere paratus sum.

CAPUT IV. — *Animam nonnihil esse, tametsi nec longa nec lata sit.*

5. *A.* Recte facis: sed volo interroganti mihi respondeas; fortasse enim ea quæ te docere conor, ipse jam nosti: credo enim non te dubitare hanc arborem non esse omnino nihil. *E.* Quis dubitaverit? *A.* Quid illud? num dubitas justitiam multo esse hac arbore meliorem? *E.* Ridiculum istud quidem est, quasi vero ulla sit comparatio. *A.* Liberaliter mecum agis; sed illud nunc attende: cum constet ita hanc arborem esse deteriorem quam est justitia, ut nec comparanda quidem tibi videatur, et hoc lignum non esse nihil confessus sis; placetne tibi ut ipsam justitiam nihil esse credamus? *E.* Quis hoc demens crediderit? *A.* Recte omnino: sed fortasse arbor hæc propterea tibi videtur esse aliquid, quod longa est pro suo modo, et lata, et robusta; quæ si detraxeris, nihil erit. *E.* Ita videtur. *A.* Quid ergo? justitia, quam non nihil esse confessus es, imo quiddam longe divinius hac longeque præstantius, videtur tibi longa esse? *E.* Nullo modo mihi justitia aut longa, aut lata, aut tale aliquid cogitanti potest occurrere. *A.* Si igitur nihil horum est justitia, et tamen ipsa nihil non est; cur tibi anima nihil videtur, nisi ejus aliqua longitudo sit? *E.* Age; jam non mihi videtur ex eo nihil esse anima, quod nec longa, nec lata, nec robusta sit, sed utrum vere ita sit, nondum a te dictum esse scis. Fieri enim potest, ut multa sint magni æstimanda, quæ istis careant; sed non continuo ex hoc genere animam esse credendum puto.

6. *A.* Scio istud nobis enodandum restare, et hoc me deinceps explicaturum promiseram: verum quia res subtilissima est, et longe alios mentis oculos quærit, quam humana consuetudo in quotidianæ vitæ actibus habere solita est; admoneo te, ut per ea, per quæ te ducendum existimo, libens pergas, nec nostro quodam necessario circuitu defatigatus, ægre tuleris aliquanto te tardius ad id quod cupis pervenire. Nam prius abs te quæro, utrum corpus ullum putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem, et latitudinem, et altitudinem? *E.* Quam dicas altitudinem, non intelligo. *A.* Illam dico qua efficitur

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Huic emendando libro adhibiti sunt Mss. Sorbonici duo, Victorini tres, Regius, Cisterciensis, Floriacensis, Michaelinus, Remigiensis, Corbeiensis, Vindocinensis, Ebrulphensis, Sergiensis, Vaticanus, et Vedastinus, præter lectiones ex quatuor Belgicis depromptas per Lovanienses; necnon editiones Bad. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] *Facit,* juxta Ven. Par. M.

ut interiora corporis cogitentur, aut etiam sentiantur, si perlucet ut vitrum; quanquam si hoc demas corporibus [1], quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari. Hinc mihi volo aperias quid tu sentias. *E.* Prorsus non dubito corpora omnia his carere non posse. *A.* Quid illud? potes cogitare ista tria non esse nisi in corporibus? *E.* Non intelligo quomodo alibi esse possint. *A.* Ergo animam non putas esse aliud quam corpus? *E.* Si etiam ventum corpus esse confitemur, negare non possum corpus mihi animam videri : nam tale aliquid eam esse cogito. *A.* Corpus quidem ventum esse tam concedo, quam si me de fluctu interrogares. Nam nihil aliud quam istum aerem commotum ac agitatum ventum esse sentimus; quod in loco tranquillissimo, et ab omnibus ventis quietissimo vel brevi flabello approbari potest, quo etiam muscas abigentes aerem commovemus, flatumque sentimus. Quod cum evenerit occultiore quodam motu cœlestium vel terrenorum corporum per magnum spatium mundi, ventus vocatur, ex diversis partibus cœli nomina etiam diversa sortitus. An tibi aliter videtur? *E.* Mihi vero nihil, et probabile esse accipio quod dicis : sed ego animam non ipsum ventum, sed tale aliquid esse dixi. *A.* Dic mihi prius, utrum ipsum ventum cujus mentionem fecisti, habere aliquam longitudinem, latitudinem et altitudinem sentias. Deinde videbimus utrum tale aliquid anima sit, ut hoc modo etiam quanta sit, investigare possimus. *E.* Quid hoc aere longius, et latius, et altius facile inveniri potest, quem commotum, ventum esse nunc abs te mihi persuasum est?

CAPUT V. — *Infinita animæ vis.*

7. *A.* Recte dicis : sed numquidnam animam tuam putas esse nisi in corpore tuo? *E.* Ita puto. *A.* Intrinsecus tantum, ut tanquam utrem impleat [2]; an tantum forinsecus, velut tectorium; an et intrinsecus et extrinsecus eam esse arbitraris? *E.* Hoc sentio quod ultimum requisisti. Nam nisi esset intrinsecus, nihil in visceribus nostris vitale haberetur; nisi esset extrinsecus, non etiam in cute leviter possit [3] sentire pungentem. *A.* Quid ergo amplius quæris quanta sit anima, cum videas esse tantam quantam ipsa spatia corporis patiuntur? *E.* Si hoc ratio docet, nihil amplius requiro. *A.* Recte facis nihil quærere amplius quam docet ratio. Sed hæc ratio videturne tibi firmissima? *E.* Quando aliam non invenio, videtur. Suo enim loco quæram, quod me multum movet, utrum hæc figura eadem maneat cum corpore excesserit : nam hoc inter discutienda ultimum me posuisse memini. Sed quoniam de numero animarum quærere, ad quantitatem mihi videtur pertinere, non esse hoc loco prætereundum existimo. *A.* Non incongrue existimas, sed prius de spatio ejus quod me adhuc movet, explicemus, si placet, ut etiam ego aliquid discam, si tibi jam satisfactum est. *E.* Quære ut vis; nam tua ista simulata dubitatio, dubitare me verissime facit de hoc ipso quod jam peractum esse præsumpseram.

8. *A.* Dic mihi, quæso te, utrum ea quæ appellatur memoria, non tibi nomen inane videatur. *E.* Cui hoc videri potest? *A.* Animæ hanc esse arbitraris, an corporis? *E.* Et hinc dubitare ridiculum est. Quid enim? exanime corpus meminisse aliquid credi, aut intelligi potest? *A.* Meministine tandem urbis Mediolanensis? *E.* Valde memini. *A.* Nunc ergo quia ejus facta mentio est, recordaris quanta et qualis sit? *E.* Recordor sane, ac nihil recentius atque integrius? *A.* Nunc ergo cum oculis eam non videas, animo vides. *E.* Ita est. *A.* Meministi, credo etiam, quanto spatio terrarum nunc a nobis longe absit. *E.* Ita et hoc memini. *A.* Vides itaque animo etiam ipsam locorum distantiam. *E.* Video. *A.* Cum igitur anima tua hic sit ubi corpus, nec ultra spatium ejus porrigatur, ut superior ratio demonstrabat, unde fit ut illa omnia videat? *E.* Per memoriam hoc fieri puto, non quod illis locis sit præsens. *A.* Imagines ergo illorum locorum memoria continentur. *E.* Ita sentio : nam et quid ibi nunc agatur ignoro; quod utique non ignorarem, si animus meus usque ad ea loca porrigeretur, præsentiaque sentiret. *A.* Verum mihi videris dicere : sed certe istæ imagines corporum sunt. *E.* Ita necesse est : non enim aliud sunt urbes terræque, quam corpora.

9. *A.* Nunquamne intuitus es parva specilla, aut nunquam in pupilla oculi alieni faciem tuam vidisti? *E.* Imo sæpe. *A.* Cur multo brevior quam est appareret? *E.* Quid enim velles aliud quam ut pro modo speculi videretur? *A.* Necesse est ergo imagines corporum, si parva sunt corpora in quibus apparent, parvas apparere. *E.* Necesse omnino. *A.* Cur ergo, cum tam parvo spatio sit anima quam corpus est ejus, tam magnæ in ea possunt exprimi imagines, ut et urbes, et latitudo terrarum, et quæque alia ingentia apud se possit imaginari? Volo enim cogites paulo diligentius, quanta et quam multa memoria nostra contineat, quæ utique anima continentur. Qui ergo fundus est, qui sinus, quæ immensitas quæ possit hæc capere, cum et eam tantam quantum corpus est superior ratio docuisse videatur? *E.* Non invenio quid respondeam, nec satis explicare possum, quantum me ista moveant : et multum me ipse derideo, qui superiori rationi tam cito consenseram, ut ex isto corporis modo quanta sit anima terminarem. *A.* Non ergo jam tibi tale aliquid videtur, qualis ventus est? *E.* Nullo modo : nam etiamsi aer iste cujus quasi fluctum ventum esse probabiliter creditur, universum istum mundum possit implere, innumerabiles tales tantosque mundos secum anima imaginari potest, quas imagines quo spatio contineat suspicari non possum. *A.* Vide ergo ne melius sit eam credere, ut superius dixeram, nec longam, nec latam, nec altam, sicut mihi de justitia concesseras. *E.* Facile assentirem, nisi me plus conturbaret, quo rursum pacto tantorum spatiorum imagines innumerabiles nulla sua et

[1] Juxta Lov., *quam si demas corporibus.* M.
[2] Edd., *ut tanquam aqua utrem impleat.* At a Mss. abest *aqua.*
[3] *Possis*, juxta Er. Ven. Lov. M.

longitudine, et latitudine, et altitudine capere possit.

CAPUT VI. — *Longitudo mera et simplex.*

10. *A.* Inveniemus hoc fortasse quantum licet, si prius diligenter discutiamus hæc tria, id est longitudinem, latitudinem, et altitudinem. Itaque enitere cogitare longitudinem, quæ adhuc nullam latitudinem assumpserit. *E.* Nihil possum tale cogitare : si enim filum araneæ in animo constituero, quo nihil exilius solemus videre; occurrit mihi etiam in eo tamen et longitudo per se, et latitudo, et altitudo : quæ qualescumque sint, esse tamen negare non possum. *A.* Non usquequaque absurda est responsio tua sed certe cum tria ista in araneæ filo esse intelligis, discernis hæc, et quid inter se differant nosti? *E.* Quidni quid differant nossem? An aliter potui videre nihil horum deesse huic filo? *A.* Quo igitur intellectu hæc discrevisti, hoc potes etiam, sejunctis illis, solam longitudinem cogitare, si nec aliquod corpus volvas animo : nam quodcumque fuerit, his omnibus non carebit. Incorporeum est enim quod te nunc intelligere cupio : nam sola longitudo non nisi intelligi animo potest, in corpore inveniri non potest. *E.* Jam intelligo. *A.* Ergo istam longitudinem si quasi secare cogitatione per longum velis, vides profecto non posse : nam si potest, inest etiam latitudo. *E.* Manifestum est. *A.* Hanc igitur longitudinem meram et simplicem, si tibi placet, lineam vocemus : hoc enim nomine a doctis multis appellari solet. *E.* Voca quidquid vis : non enim mihi de nominibus laborandum est, cum res aperta sit.

11. *A.* Bene facis, et non solum approbo, verum etiam moneo, ut semper rerum curam magis quam verborum te habere delectet. Sed linea ista quam jam, ut opinor, bene intelligis, si porrigatur sive ex una, sive ex utraque parte, quam in longum porrigi potest, cernis nullum esse finem. An ad hoc contemplandum minus valet acies mentis tuæ? *E.* Contemplor omnino, ac nihil facilius. *A.* Vides ergo etiam nullam figuram posse fieri, si nihil agatur aliud quam ut illa linea porrigatur. *E.* Quam dicas figuram nondum intelligo.

CAPUT VII. — *Compendiosior et multitudini tutior ad veritatis perceptionem via per auctoritatem, quam per rationem.*

*A.* Figuram interim voco, cum aliquod spatium linea lineisve concluditur, tanquam si circulum faceres, aut quatuor lineas finibus suis sibimet jungeres,



ita ut nullius finis ab alterius copulatione liber esset. *E.* Quid dicas figuram, jam me videre arbitror; sed utinam tam viderem quo ista tendant, aut quid ex his effecturus sis, ut ego quod de anima requiro, sciam.

12. *A.* Hoc initio te admonui, et postulavi ut patienter ferres aliquantum circuitum nostrum, quod item quæso ut facias. Non levis res quæritur, non facilis ad cognoscendum : nosse enim hoc plane ac tenere volumus, si fieri potest. Aliud est enim cum auctoritati credimus, aliud cum rationi. Auctoritati credere magnum compendium est, et nullus labor : quod si te delectat, poteris multa legere, quæ magni et divini viri de his rebus necessaria quæ videbantur, salubriter imperitioribus quasi nutu quodam locuti sunt, credique sibi voluerunt ab iis, quorum animis vel tardioribus vel implicatioribus alia salus esse non posset. Tales enim homines, quorum profecto maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillime decipiuntur, et in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari, aut nunquam, aut ægerrime queant. His ergo utilissimum est excellentissimæ auctoritati credere, et secundum hoc agere vitam. Quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo. Si autem cupiditatem istam refrenare non potes, qua tibi persuasisti ratione pervenire ad veritatem, multi et longi circuitus tibi tolerandi sunt, ut non ratio te adducat, nisi ea quæ sola ratio dicenda est, id est vera ratio; et non solum vera, sed ita certa, et ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamen ullo modo hæc ab homine inveniri potest, ut nullæ disputationes falsæ aut verisimiles ab ea te possint traducere. *E.* Nihil jam præpropere desiderabo : agat ac ducat ratio qua vult[1], dummodo perducat.

CAPUT VIII. — *De figuris mathematicis. Quot lineis figura fiat. Quomodo tribus lineis figura possit fieri.*

13. *A.* Deus hoc faciet, qui aut de solis talibus rebus, aut certe de his maxime deprecandus est. Sed ad rem quam institueram redeamus. Nam si et quid sit linea, et quid sit figura jam tibi notum est, dic quod abs te quæro, id est utrum putes ullam figuram fieri posse, si linea ex utraque parte, aut ex altera per infinitum ducatur? *E.* Nullo modo id fieri posse confirmo. *A.* Quid igitur agendum est ut figuram faciamus? *E.* Quid, nisi ut illa linea infinita non sit, et ducatur in circulum, ut ex alia parte se contingat? non enim video, quomodo aliter possit ex una linea concludi aliquod spatium; quod nisi fiat, secundum tuam descriptionem, figura non erit. *A.* Quid, si rectis lineis figuram facere velim? potest fieri ut de una linea fiat, an non potest? *E.* Nullo modo. *A.* Quid, duabus? *E.* Ne hoc quidem. *A.* Quid, tribus? *E.* Video posse. *A.* Bene igitur nosti ac tenes, cum figura lineis rectis facienda est, minus quam tribus non posse. An si ulla tibi adversetur ratio, de hac te sententia devocabit? *E.* Plane si quis mihi hoc falsum esse monstraverit, nihil erit quod me scire posse confidam. *A.* Nunc ergo illud responde, quomodo tribus lineis figuram feceris? *E.* Cum se finibus jungunt. *A.* Quid? ubi se jungunt, nonne videtur tibi angulus fieri? *E.* Ita est. *A.* Quot ergo angulis hæc figura constat? *E.* Totidem quot lineis. *A.* Quid? ipsas lineas pares constituis, an impares? *E.* Pares. *A.* Quid? anguli tantumdem omnes patent, an est alius alio contractior vel apertior? *E.* Etiam ipsos pares esse video. *A.* Potestne fieri, ut in figura, quæ



[1] Lov., *quo vult.* In aliis Cdd., *qua vult.*

tribus rectis paribus lineis facta sit, impares anguli sint; an non potest? *E.* Nullo prorsus modo. *A.* Quid? si rectis lineis tribus, sed imparibus figura constet, possunt etiam in ista pares esse anguli, an aliud intelligis? *E.* Omnino non possunt. *A.* Recte dicis : sed dic, quæso, quænam tibi figura melior videatur et pulchrior? eane quæ paribus, an quæ imparibus lineis constat? *E.* Quis dubitet eam esse meliorem in qua æqualitas prævalet?

CAPUT IX. — *Quæ figura præstantior. In triangulo quid angulo contrarietur.*


14. *A.* Ergo inæqualitati æqualitatem præponis? *E.* Nescio utrum quispiam non præponat. *A.* Vide nunc in figura quæ tribus angulis paribus perfecta est, quid in ea sit angulo contrarium, id est ex altera parte contra positum; utrum linea an angulus. *E.* Lineam video. *A.* Quid ergo? si et angulus angulo, et linea lineæ contraria sit, nonne fateris æqualitatem esse potiorem in ea figura in qua id accidit? *E.* Fateor quidem, sed quemadmodum id fiat tribus lineis omnino non video. *A.* Quid? quatuor lineis potestne hoc fieri? *E.* Prorsus potest. *A.* Melior est igitur figura quæ quatuor lineis rectis paribus, quam quæ tribus constat. *E.* Melior certe, siquidem magis in ea æqualitas valet. *A.* Quid ergo? istam quæ quatuor rectis paribus lineis



confit, censesne posse etiam ita fieri, ut non anguli omnes in ea pares sint, an non putas? *E.* Video posse. *A.* Quonam modo? *E.* Si duo contractiores, duo apertiores sint. *A.* Videsne etiam quemadmodum et ambo contractiores, et ambo apertiores sibi contrarii sint? *E.* Ac verissime atque apertissime. *A.* Servatam igitur et hic, quanta servari potuit, cernis æqualitatem : cernis enim profecto fieri non posse, ut cum quatuor paribus lineis figura perficitur, non aut omnes, aut certe vel bini anguli pares sint; quæque tamen paria sunt, sibi ex contrario respondere. *E.* Cerno, et firmissime teneo.

15. *A.* Nihilne te movet etiam in his rebus tanta et tam inconcussa quædam justitia? *E.* Quonam modo? *A.* Quia nihil, ut arbitror, dicimus esse justitiam nisi æquitatem : æquitas autem ab æqualitate quadam videtur appellata. Sed quæ in hac virtute æquitas, nisi ut sua cuique tribuantur? Porro sua cuique, nisi quadam distinctione tribui non possunt. An aliter putas? *E.* Manifestum est, et prorsus assentior. *A.* Quid? distinctionem arbitrarisne esse ullam, si omnia paria sint, ut nihil omnino inter se differant? *E.* Nullo modo. *A.* Ergo justitia servari non potest, nisi in rebus in quibus servatur, sit quædam, ut ita dicam, imparilitas et dissimilitudo. *E.* Intelligo. *A.* Cum igitur fateamur istas figuras, de quibus agimus, inter se esse dissimiles, illam scilicet quæ tribus, et hanc quæ quatuor angulis constat, cum ambæ paribus lineis fiant; nonne videtur tibi quædam retenta justitia, ut illa quæ habere non potest parilitatem contrariorum, inconcussam teneat angulorum æqualitatem : in hac vero quia tanta est contrariorum congruentia, illa lex angulorum admittat nonnullam inæqualitatem? Hoc ergo cum me multum moveret, quærendum abs te visum est, quonam modo ista veritate, æquitate, æqualitate delectarere. *E.* Jam cerno quid dicas, et non mediocriter admiror. *A.* Age nunc, quia inæqualitati æqualitatem jure præponis, nec quisquam omnino est, ut opinor, humano sensu præditus, cui non id videatur; quæramus, si placet, figuram in qua summa æqualitas inveniri queat : quæcumque enim erit, ea cæteris sine dubitatione præferetur. *E.* Placet vero, et quæ ista sit, scire cupio.

CAPUT X. — *Summa æqualitas in figuris.*



16. *A.* Prius ergo responde, utrum tibi illarum figurarum, quarum jam quantum satis videbatur facta mentio est, ea videatur excellere, quæ quatuor lineis paribus, totidemque angulis paribus constet : namque, ut vides, in hac et linearum æqualitas et angulorum est; et, quod in illa quæ tribus lineis paribus claditur, non inveniebamus, adest huic parilitas contrariorum : nam lineæ linea, et angulus angulo est, ut cernis, contrarius. *E.* Ita vero est, ut dicis. *A.* Habetne summam æqualitatem, an aliter tibi videtur? Nam si habet, frustra, ut instituéramus, aliam quærimus; si autem non habet, volo ut idipsum mihi abs te demonstretur. *E.* Videtur mihi habere : nam ubi et anguli pares et lineæ pares sunt, ubi deprehendam inæqualitatem non video. *A.* Ego aliud sentio : nam recta linea donec veniat ad angulos, summa æqualitate prædita est; sed cum ex diverso latere alia conjungitur linea, et angulum facit, nonne censes hoc ipsum esse inæquale? An tibi figuræ pars quæ[1] linea clauditur cum illa parte quæ angulo concluditur, congruere videtur æqualitate aut similitudine? *E.* Nullo modo : et me pudet temeritatis meæ; eo enim ductus sum, quod et angulos in ea pares inter se et latora cernerem : sed quis non videat eorum laterum ab angulis magnam differentiam? *A.* Accipe aliud inæqualitatis apertissimum indicium : certe enim cernis, vel illam figuram triangulam paribus lineis constantem, vel istam quadratam habere aliquod medium. *E.* Cerno plane. *A.* Quid? ab eodem medio cum lineas ad omnes figuræ partes ducimus, paresne tibi duci lineæ videntur, an impares?




*E.* Impares prorsus : nam longiores eas necesse est esse, quas in angulos ducimus. *A.* Istæ in quadrata quot sunt, et quot in triangula? *E.* Quatuor hic, tres ibi. *A.* Quid? minimæ omnium quæ rursum, et quot

[1] Sic Mss. At Edd., *qua*.

sunt in figura utraque? *E.* Totidem, scilicet eæ quæ in media latera ducuntur. *A.* Verissime mihi videris dicere, neque hic opus est diutius immorari; ad id enim quod volumus satis est: nam et magnam æqualitatem hic servari, ut opinor, vides, et tamen nondum ex omni parte perfectam. *E.* Omnino video, et quæ illa figura sit quæ summam æqualitatem habeat, nosse vehementer exspecto.

CAPUT XI. — *Figurarum præstantia. Quid signum sit; quid punctum.*

17. *A.* Quam censes, nisi eam, cujus et extremitas sibi concors est undique, nullo angulo æqualitatem perturbante, et a cujus medio ad omnes extremitatis partes pares lineæ duci possunt? *E.* Jam, ut opinor, intelligo: nam illam figuram quæ una linea in circulum ducta terminatur, mihi videris describere. *A.* Recte intelligis. Nunc itaque illud considera, cum superior ratio docuerit lineam in sola longitudine intelligi, nec quidquam latitudinis usurpare, et ideo per longum qua ducitur dividi non posse, utrum tibi videatur figura quælibet sine latitudine inveniri. *E.* Nullo modo. *A.* Quid? ipsa latitudo potestne longitutudinem non habere, quamvis latitudo sola sit, quemadmodum superius longitudinem sine latitudine intelleximus; an non potest? *E.* Video non posse. *A.* Vides etiam illud, nisi fallor, quod latitudo ab omni parte dividi queat, linea vero per longum non queat. *E.* Manifestum est. *A.* Quid ergo putas pluris habendum? quod dividi potest, an id quod non potest? *E.* Profecto id quod non potest. *A.* Præponis igitur lineam latitudini. Nam si quod dividi non potest, præponendum est; præponamus necesse est etiam id quod minus dividi potest: latitudo autem ex omni parte dividitur, longitudo vero non nisi ex diverso, nam per longum divisionem non admittit: est ergo latitudine præstantior. An tu aliter existimas? *E.* Ita prorsus ratio cogit fateri ut dicis.



18. *A.* Jam quæramus, si placet, utrum sit aliquid in ista ratione, quod omnino non queat dividi; erit enim hoc multo etiam quam illa linea melius. Nam lineam cernis ex diverso innumerabiliter secari posse, itaque tibi ipsi hoc inveniendum dimitto. *E.* Ego illud puto non posse dividi, quod medium in figura ponebamus, unde in extrema lineæ ducuntur. Nam si dividitur, longitudine aut etiam latitudine carere non potest. Sed si longitudinem solam habet, non jam unde ducuntur lineæ, sed ipsa linea est. Si vero etiam latum est, aliud desiderat medium a quo in extrema latitudinis lineæ ducantur. Utrumque autem hoc ratio respuit. Id erit igitur quod dividi nequeat. *A.* Recte dicis. Sed nonne tibi aliquid tale videtur etiam illud unde linea ducitur, etsi figura nondum sit cujus medium intelligamus? Illud enim dico lineæ principium a quo incipit longitudo, quod volo sine ulla longitudine intelligas. Nam si longitudinem intelligis, nequaquam profecto intelligis unde ipsa incipit longitudo. *E.* Tale omnino. *A.* Hoc ergo quod jam te intelligere video, potentissimum omnium, quæ demonstrata sunt. Siquidem hoc est, quod nullam divisionem patiatur; et punctum vocatur, cum medium tenet figuræ: si autem principium lineæ est vel lineis, aut etiam finis; vel cum omnino aliquid notat quod sine partibus intelligendum sit, nec tamen obtineat figuræ medium, signum dicitur. Est ergo signum nota sine partibus. Est autem punctum, nota medium figuræ tenens. Ita fit ut omne punctum etiam signum sit, non autem omne signum punctum videatur. Volo enim de his nominibus inter nos convenire, ut minus in disputando circumloquamur: quanquam plerique punctum appellent, non quod omnis figuræ medium, sed quod solius circuli vel pilæ tenet; tametsi minus nobis de vocabulis laborandum est. *E.* Assentior.

CAPUT XII. — *Puncti potentia.*

19. *A.* Vides certe etiam quantum valeat. Nam ab ipso incipit linea, ipso terminatur; figuram rectis lineis nullam videmus fieri posse, nisi ipso angulus claudatur; deinde undecumque secari linea potest, per ipsum secatur, cum ipsum omnino nullam in se admittat sectionem; nulla linea lineæ, nisi per ipsum copulatur. Postremo cum cæteris planis figuris (nam de altitudine adhuc nihil diximus) eam præponendam ratio demonstraverit quæ circulo clauditur, propter summam æqualitatem; quæ alia ipsius æqualitatis moderatio est, quam punctum in medio constitutum? Multa de hujus potentia dici possunt, sed adhibeo modum, et tibi ipsi cogitanda plura permitto. *E.* Sane ut videtur; non enim me requirere pigebit, si quid fuerit obscurius: cerno autem mediocriter, ut puto, magnam hujus signi esse potentiam.

20. *A.* Nunc ergo illud attende, cum et quid sit signum, et quid sit longitudo, et quid sit latitudo perspexeris; quid horum tibi videatur alterius, et cujus indigere, sine quo esse non possit. *E.* Video quod latitudo longitudine indigeat, sine qua prorsus intelligi non potest. Rursus longitudinem cerno latitudine quidem non indigere ut sit, sed sine signo illo esse non posse. Illud autem signum per semetipsum esse et nullius horum indigere, manifestum est. *A.* Ita est ut dicis: sed diligentius considera, utrum latitudo vere undique secari queat; an alicunde nec ipsa sectionem possit admittere, quamvis plus admittat quam linea. *E.* Nescio prorsus unde non possit. *A.* Credo te non recordari; nam nescire istud nullo modo posses: quare commonefaciam te isto modo. Certe enim latitudinem sic intelligis, ut cogitatione tua de altitudine nihil usurpes. *E.* Sic omnino. *A.* Accedat igitur huic latitudini altitudo, et responde jam utrum etiam aliquid accesserit, quo magis undique secari queat. *E.* Mire omnino admonuisti. Nunc enim video non solum desuper aut ex inferiori parte, sed a lateribus quoque admitti posse sectionem, nihilque omnino remansisse, unde non

queat penetrare divisio. Quare manifestum est, et latitudinem ex his partibus secari non posse, per quas surrectura est altitudo.

21. *A.* Quoniam tibi igitur, si non fallor, et longitudo, et latitudo, et altitudo nota est; quæro, utrum possint deesse duo superiora, ubi aderit altitudo. *E.* Sine longitudine quidem video esse non posse altitudinem, sine latitudine autem potest. *A.* Redi ergo ad cogitationem latitudinis, et si eam quasi jacentem animo figuraveris, erigatur in quodlibet latus, tanquam si eam velles per tenuissimam rimam, ubi se clausæ januæ jungunt, educere. An nondum intelligis quid velim? *E.* Intelligo quid dicas, sed nondum fortasse quid velis. *A.* Illud scilicet ut respondeas, utrum sic erecta latitudo videatur tibi migrasse in altitudinem, et latitudinis jam nomen descriptionemque amisisse; an adhuc maneat latitudo, quamvis ita sit collocata. *E.* Videtur mihi altitudo esse facta. *A.* Recordarisne, obsecro, quemadmodum altitudinem definieramus? *E.* Recordor plane, et me jam sic respondisse pudet. Nam etiam hoc modo quasi erecta latitudo sectionem per longum deorsum versus non admittit: quare nulla in ea possunt interiora cogitari, quamvis medium et extrema cogitentur. Secundum autem superiorem demonstrationem altitudinis, quam fecisti ut recordarer, nulla omnino est altitudo, ubi nihil intus cogitari potest. *A.* Recte dicis, et sic te omnino meminisse cupiebam. Quamobrem illud jam volo respondeas, utrum falso verum anteponas. *E.* Jam hinc dubitare, incredibilis dementia est. *A.* Dic ergo, quæso te, numquidnam vera linea est, quæ per longum secari potest; aut verum signum quod ullo modo secari potest; aut vera latitudo, quæ cum erecta est, ut diximus, sectionem per longum deorsum versus admittit? *E.* Nihil minus.

CAPUT XIII. — *Animus incorporeus cernit incorporea. Animus quid sit.*

22. *A.* Unquamne igitur oculis istis corporeis, vel tale punctum, vel talem lineam, vel talem latitudinem vidisti? *E.* Omnino nunquam. Non enim sunt ista corporea. *A.* Atqui si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur; oportet animum quo videmus illa incorporalia, corporeum corpusve non esse. An tu aliter existimas? *E.* Age, jam concedo corpus non esse animum vel quidquam corporeum; quid est tandem, dic mihi? *A.* Vide interim utrum confectum sit carere illum illa omni quantitate, de qua nunc quæstio est: nam quid sit animus, oblitum te esse miror priore inter nos quæstione discussum. Meministi enim te quæsisse primitus, unde esset: quod duobus modis a nobis tractatum esse memini, uno, quo quasi de regione ejus quæsitum est; altero, utrumnam ex terra, vel igne, vel alio quopiam istorum elementorum esset, vel ex omnibus, vel ex aliquibus horum. In qua quæstione constitit inter nos, non magis hoc quærendum esse quam unde sit terra, vel si quod aliud elementorum singulorum. Intelligendum est enim quanquam Deus fecerit animum, habere illum certam substantiam, quæ neque terrena, neque ignea, neque aeria sit, neque humida: nisi forte arbitrandum est Deum terræ dedisse ut nihil aliud sit quam terra, et non dedisse animo ut nihil aliud quam animus sit. Si autem definiri tibi animum vis, et ideo quæris quid sit animus; facile respondeo. Nam mihi videtur esse substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata.

CAPUT XIV. — *Animus incorporeus quantum valeat.*

23. Itaque illud potius attende, unde ambigitur nunc, utrum quantitas et quasi, ut ita dicam, locale spatium animo ullum sit. Nam profecto quia corpus non est; neque enim aliter incorporea ulla [1] cernere valeret, ut superior ratio demonstrabat; procul dubio caret spatio quo corpora metiuntur: et ob hoc recte credi, aut cogitari, aut intelligi talis ejus quantitas non potest. Si autem te movet, cur tanta cœli, terræ, marisque spatia memoria contineat, cum sit ipse nullius quantitatis; mira quædam vis est, quam tamen ex iis quæ a nobis comperta sunt, quantum inest ingenio tuo luminis, animadvertere potes. Si enim corpus nullum est, ut ratio jam ostendit, quod longitudine, latitudine, altitudine careat, nihilque horum nisi cum aliis duobus esse in corpore potest; animo tamen etiam solam lineam interiore quodam oculo, id est intelligentia, videre concessum est: arbitror nos concedere sic animum corpus non esse, ut sit corpore melior. Quo concesso, non opinor dubitandum esse, eum etiam linea esse meliorem: ridiculum est enim cum tria illa insint corpori ut corpus sit, non his omnibus esse meliorem, qui corpore est melior. At ipsa linea, qua melior esse convincitur animus, ideo cæteris duobus præstat, quia minus quam illa duo secari potest. Porro illa duo eo magis secantur quam linea, quo magis se in spatium distendunt: linea vero spatium nisi longitudinis nullum habet, quo sublato nihil omnino remanet spatii. Quapropter quidquid linea melius est, necesse est nullo spatio sit, et omnino dividi secarique non possit. Frustra igitur, ut opinor, quantitatem animi, quæ nulla est, invenire laboramus, cum eum linea concedamus esse meliorem. Et si figurarum omnium planarum illa optima est quæ circulo effingitur, in qua ratio docuit nihil melius esse puncto atque potentius, quod nullo dubitante partibus caret; quid mirum si anima neque corporea sit, neque ulla aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata; et tamen tantum valeat in corpore, ut penes eam sit regimen omnium membrorum, et quasi cardo quidam in agendo, cunctarum corporalium motionum?

24. Cum autem oculi medium, quæ pupilla dicitur, nihil aliud sit quam quoddam punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut eo dimidium cœlum, cujus ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni collustrarique possit; non abhorret a vero animum carere omni corporea magnitudine, quæ tribus illis differentiis consummatur, quamvis corporum magnitudines quaslibet imaginari queat. Sed paucis licet ipso animo animum cernere, id est ut ipse se animus

[1] Edd., *illa cernere*. Mss., *ulla*.

videat ; videt autem per intelligentiam. Huic soli enim licet videre nihil esse in rebus potentius et magnificentius iis naturis, quæ, ut ita dicam, sine tumoribus esse intelliguntur : tumor enim non absurde appellatur corporis magnitudo, quæ si magnipendenda esset, plus nobis profecto elephanti saperent. Quod si quisquam eorum cognatus dicet elephantos esse sapientes; sensi enim quamvis admirans, sensi tamen etiam hinc homines sæpe ambigere; illud, quantum opinor, saltem concedet, plus asino sapere apiculam; quorum comparare magnitudines plus profecto est quam asininum : vel quod etiam de oculo dicebamus, cui non liqueat aquilæ oculum multo quam noster est, esse breviorem? quo tamen illa sublime ita volans, ut a nobis in tanta luce difficile cernatur, latentem sub frutice lepusculum, et sub fluctibus piscem videre comperta est. Quod si in ipsis sensibus, quibus nisi corporea sentire non datum est, nihil ad rem, id est ad vim sentiendi, valet corporis magnitudo ; metuendumne est, quæso, ne animus humanus, cujus excellentior et pene solus aspectus est ipsa ratio qua etiam se invenire molitur, nihil sit, si illum eadem ratio, id est se ipse [1] omni magnitudine, qua obtinetur locus, carere convicerit? Magna quædam, crede mihi, magna, sed sine ulla mole de animo cogitanda sunt. Quod facilius contingit iis, qui aut bene eruditi ad hæc accedunt, non studio inanis gloriæ, sed divino amore veritatis accensi; aut qui jam in his quærendis versantur, quamvis minus eruditi ad investiganda ea venerint, si patienter bonis se dociles præbent, atque ab omni corporum consuetudine, quantum in hac vita permittitur, semet avertunt. Fieri autem non potest quadam divina providentia, ut religiosis animis seipsos et Deum suum, id est veritatem pie, caste ac diligenter quærentibus, inveniendi facultas desit.

CAPUT XV. — *Objicitur animam ætate crescere.*

25. Sed ab ista quæstione, nisi quid adhuc te movet, jam recedamus, si placet; et ad alia transeamus : quidquid autem de illis figuris loquacius a nobis fortasse disputatum est quam volebas, videbis quantum ad alia valebit, si hanc disceptationem aliquid eo adjutam esse concedis : nam et exercet animum hoc genus disciplinarum, ad subtiliora cernenda, ne luce illorum repercussus, et eam sustinere non valens, in easdem tenebras quas fugere cupiebat, libenter refugiat; et affert argumenta, nisi fallor, certissima, quibus quod fuerit inventum atque confectum, impudentem habeat dubitationem, quantum homini talia vestigare [2] permissum est [3]. Minus enim ego de his rebus dubito, quam de iis quas istis oculis videmus cum pituita semper bellum gerentibus. Quid enim minus ferendum et audiendum est, quam fateri nos ratione præstare bestiis [1], et eam rem fateri esse aliquid quam corporeo lumine sentimus, quam etiam nonnullæ bestiæ melius cernunt; id autem quod ratione intuemur, nihil esse contendere? Quod si diceretur tale esse, quale illud est, quod oculi vident, nihil profecto dici posse indignius videretur.

26. *E.* Accipio ista libentissime atque assentior: sed illud me movet, cum corporeæ quantitatis, non esse animam res ita clara sit mihi, ut omnino quemadmodum resistam illis argumentis, et quid eorum non concedam, prorsus ignorem; primum, cur ætate ut corpus crescit, ita et anima vel crescat vel crescere videatur. Quis enim neget pueros infantes, ne bestiarum quidem nonnullarum astutiæ comparandos? quis autem dubitet, illis crescentibus etiam ipsam in eis quodammodo crescere rationem? Deinde, si per spatium sui corporis anima distenditur, quomodo nullius quantitatis est? si autem non distenditur, quomodo sentit ubique pungentem? *A.* Omnino ea quæris quæ me quoque sæpe moverunt : itaque non sum paratus tibi respondere, ut mihi soleo; utrum autem bene, ratio quæ te agit judicabit : qualecumque id tamen sit, plus certe non possum, nisi forte aliquid melius cum disputamus, in mentem divinitus venerit. Sed agamus, si placet, more nostro, ut duce ratione tu tibi ipse respondeas. Ac prius quæramus, utrum crescentis cum corpore animi certum argumentum sit, quod ætatis accessu aptior humanæ consuetudini homo, et in ea magis magisque peritus est. *E.* Age ut placet; nam et ego id genus docendi ac discendi maxime probo : nescio quo enim modo cum id quod nesciens quærebam ipse respondeo, fit ipsa inventio non modo re, sed admiratione [2] etiam dulcior.

CAPUT XVI. — *Respondetur objectioni et ostenditur animam sine corporeo incremento proficere.*

27. *A.* Dic ergo utrum tibi majus et melius duo quædam, an unum atque idem esse videatur duobus nominibus appellatum? *E.* Scio aliud esse quod majus, aliud quod melius dicimus. *A.* Quid horum duorum est cujus esse putes quantitatem? *E.* Id videlicet quod majus dicimus. *A.* Quid cum duarum figurarum rotundam quadrata meliorem esse confitemur? quantitasne id facit, an quid aliud? *E.* Nullo modo quantitas, sed illa de qua superius egimus, æqualitas hujus excellentiæ causa est. *A.* Nunc ergo illud attende, utrum tibi videatur virtus æqualitas quædam esse vitæ, rationi undique consentientis. Nam si aliud ab alio in vita

[1] Sic Mss. At Er. et Lov. habent *ipsam*.

[2] Par. et Er., *quantum homini tali investigari*. Ven., *investigare*.

[3] Hic loci Er. et Lov. interponunt isthæc verba : *Impudens dubitatio duobus modis fieri cognoscitur : dum aut homo qui ratione uti potest, in tantum hebes pigerque ad quærendam veritatem efficitur, ut plus velit in tenebris vanitatis remanere, quam in eo quod a Creatore suo est conditus ad seipsum semel et Deum suum vera ratiocinatione inveniendum investigandumque laborare ; aut tam improba contumacia ea quæ ab aliis laborantibus studiose et pie quærentibus et inventa et confecta sunt, inveniri et confici posse dubitare : neque aliam ob causam faciunt nisi quod a semetipsis inventa non sint ; quod genus invidiæ impudentissimum esse ratio probat :* quæ omnia absunt a Bad. et a Mss. — Absunt etiam a Par. M.

[1] Lov., *nobis ratione præstare bestias*. Sed legendum cum aliis editis et Mss. codicibus, *nos ratione præstare bestiis*. Id quippe Augustino intolerandum hic videtur, si quis contendat objectum rationis esse nihil, dum ipsius visus corporei objectum esse aliquid fateatur : et rationem affert, quia ratione quidem præstamus bestiis, ipsæ vero plerumque visus perspicuitate nobis præstant.

[2] Lov., *animi ratione :* librariorum lapsu pro *ammiratione*, uti scriptum erat in antiquis codicibus.

discrepet, magis, ni fallor, offendimur, quam si aliqua pars circuli, majore minoreve intervallo quam aliæ partes distet a puncto. An tu aliter existimas? *E.* Imo assentior, et hanc quæ abs te descripta est, probo esse virtutem : nam et ratio non dicenda est aut existimanda, nisi vera; et cujus vita per omnia congruit veritati, is est profecto vel solus, vel certe maxime, qui bene atque honeste vivit; et qui ita sit affectus, solus habere virtutem, et ea vivere judicandus est. *A.* Probe dicis : sed certe etiam illud vides, ut opinor, similiorem esse virtuti circulum figurarum planarum alia qualibet. Hinc est enim quod apud Horatium magnis laudibus solemus extollere illum versum, quo ait, cum de sapiente ageret,

Fortis et in se ipso totus teres atque rotundus.
*(Serm. lib. 2, satira 7, v. 60.)*

Et recte : nam neque in animi bonis quidquam invenis, quod magis sibi ex omni parte consentiat quam virtutem; neque in planis figuris quam circulum. Quamobrem si circulus non magnitudine spatii, sed quadam conformatione cæteris præstat; quanto magis de virtute existimandum est, quod non majoris loci occupatione, sed divina quadam congruentia rationum atque concordia cæteras affectiones animi superat?

28. Cum autem puer proficit laudabiliter, ad quam rem magis quam ad virtutem proficere dicitur? an non tibi videtur? *E.* Manifestum est. *A.* Non igitur tibi debet videri animus sicut corpus crescendo cum ætate proficere : proficiendo enim ad virtutem pervenit, quam fatemur nulla spatii magnitudine, sed magna vi constantiæ pulchram esse atque perfectam : et si aliud est majus, aliud melius, ut jam dedisti; quidquid anima cum ætate proficit, composque rationis fit, non mihi videtur fieri major, sed melior. Quod si membrorum id faceret magnitudo; eo quisque prudentior esset, quo longior aut validior : quod se aliter habere non, opinor, negabis. *E.* Quis istud negaverit? Sed tamen cum proficere animam per ætatem etiam tu concedas; miror qui fiat, ut omnis quantitatis expers, etiamsi non membrorum spatio, at certe temporis adjuvetur.

CAPUT XVII. — *Anima spatio temporis crescere dicitur metaphorice.*

29. Desine mirari, nam et hic tibi simili ratione respondeo. Ut enim membrorum magnitudo ideo nihil affert argumenti cur animam adjuvet, quod multi exilioribus brevioribusque membris prudentiores inveniuntur quibusdam magna mole corporis præditis; ita quoniam juniores nonnullos senioribus plerisque magis industrios atque strenuos videmus, non video cur putanda sint spatia temporis in ætatibus incrementa ut corporibus, sic animis dare; cum et ipsa corpora, quibus per tempus crescere atque ampliora spatia tenere concessum est, sæpe sint annosiora breviora, non modo senilia, quæ magnitudine temporis contrahuntur atque minuuntur; sed etiam puerorum, quos animadvertimus his breviores esse corpore quibus sunt ætate majores. Si igitur porrecta in plurimum tempora, ne ipsis quidem corporibus magnitudinis afferunt causam; sed omnis illa seminis vis est, et quorumdam naturæ numerorum sane occultorum, et difficilium ad dignoscendum : quanto minus arbitrandum est longo tempore animam fieri longiorem, quia eam videmus usu rerum atque assiduitate multa didicisse?

30. Quod si te illud movet, quod solemus eam quam Græci *μακροθυμίαν* vocant, longanimitatem interpretari; animadvertere licet a corpore ad animum multa verba transferri, sicut ab animo ad corpus : nam si montem improbum, et justissimam tellurem dixit Virgilius (*Æneid. lib. 12, v. 687; Georg. lib. 2, v. 460*), quæ verba cernis ab animo ad corpora esse translata; quid mirum si mutua vice longanimitatem dicimus, cum longa nisi corpora esse non possint? Ea vero inter virtutes quæ appellatur animi magnitudo, ad nullum spatium, sed ad vim quamdam, id est ad potestatem potentiamque animi relata recte intelligitur; virtus eo pluris æstimanda, quo plura contemnit. Sed de hac post loquemur, cum quæremus quanta sit anima, sicut quæri assolet, quantus fuerit Hercules, factorum excellentia, non mole membrorum : ita enim supra distribuimus. Oportet autem nunc te recordari quod de puncto jam satis egimus : nam id potentissimum esse, maximeque in figuris dominari ratio docebat. Potentia vero atque dominatus nonne ostentant quamdam magnitudinem? et in puncto tamen nullum spatium reperiebamus. Non igitur magnum vel ingentem animum cum audimus aut dicimus, quantum loci occupet, sed quantum possit, cogitandum est. Quamobrem si jam primum argumentum tuum, quo tibi per ætatem cum corpore animus crescere videbatur, satis discussum est; transeamus ad aliud.

CAPUT XVIII. — *Loquendi facultas, quam puer paulatim assequitur, non tribuenda incrementis animæ.*

31. *E.* Nescio utrum omnia quæ me non frustra movere assolent, persecuti fuerimus; et fieri potest ut recordationem meam aliqua fugiant : verumtamen quod nunc in mentem venit videamus quale sit, quod puer infans non loquitur, atque in crescendo assequitur. *A.* Facile est istud : nam credo videri tibi ea lingua quemque loqui, qua loquuntur homines inter quos natus educatusque sit. *E.* Nemo id ignorat. *A.* Constitue ergo quempiam ibi natum atque altum ubi homines non loquerentur, sed nutibus membrorumque motu cogitationes suas sibimet expromendas significarent; nonne censes eum talia esse facturum, neque locuturum, qui loquentem neminem audierit? *E.* Nolo me hoc interroges, quod fieri non potest. Qui enim tales homines, inter quos quemquam natum cogitare possim? *A.* Itane tu non vidisti Mediolani adolescentem honestissimi corporis et elegantissimæ urbanitatis, mutum tamen atque ita surdum, ut neque alios nisi motu corporis intelligeret, neque ipse aliter quæ vellet significaret? hic [1] enim est notissimus.

[1] In B., *hinc;* Far. Er. Ven. Lov., *hic*, et melius quidem. M.

Nam ego novi rusticum quemdam loquentem, de loquente uxore, filios omnes mares atque feminas quatuor fere, aut eo amplius (non enim satis nunc commemini) mutos surdosque genuisse. Nam ex eo quod loqui non poterant, muti; ex eo autem quod nulla signa nisi oculis colligebant, etiam surdi intelligebantur. *E.* Illum vero ego bene novi, et de istis nescio quibus credo tibi : sed quorsum ista? *A.* Quia dixisti non te posse cogitare inter tales homines nasci quempiam. *E.* Nec nunc aliud dico : nam istos, nisi fallor, inter eos qui loquerentur, natos esse concedis. *A.* Non equidem negaverim : sed cum jam inter nos constet nonnullos tales homines esse posse; quæso cogites, si ex hoc genere mas et femina jungerentur, atque in aliquam quocumque casu delati solitudinem, ubi tamen vivere valerent, gignerent filium non surdum, quemadmodum esset cum parentibus iste locuturus? *E.* Quemadmodum censes, nisi ut parentes ei dabant, ita gestu signa redditurum? Sed tamen puer parvus ne hoc quidem posset : quare illa ratio mea manet integra. Quid enim refert utrum loqui, an gestum facere crescendo assequatur, cum ad animam utrumque pertineat, quam fateri nolumus crescere?

32. *A.* Jam mihi videris etiam cum in fune quisque ambulat, ampliorem credere hunc habere animam, quam eos qui id facere nequeunt. *E.* Hoc aliud est : quis enim hoc non videat esse artis? *A.* Cur, obsecro, artis? an quia didicit? *E.* Ita vero. *A.* Quare tibi ergo etiam, si aliud quisque discat, non artis videtur? *E.* Plane quidquid discitur, artis esse non nego. *A.* Non ergo ille didicit a parentibus gestum facere? *E.* Didicit sane. *A.* Oportet igitur et hoc non animæ crescendo amplioris, sed imitatoriæ cujusdam artis esse concedas. *E.* Non possum hoc concedere. *A.* Ergo non omne quod discitur artis est, quod nunc concesseras. *E.* Artis omnino. *A.* Non ergo ille didicit gestum, quod item non minus dederas. *E.* Didicit, sed hoc non est artis. *A.* Atqui tu paulo ante dixisti artis esse quod discitur. *E.* Age, jam concedo, et loqui et gestum facere, eo quod ea didicimus, artis esse. Tamen aliæ sunt artes, quas, dum in alios intendimus, discimus; aliæ, quæ a magistris inseruntur nobis. *A.* Quas tandem istarum putas animam, ex eo quod amplior fiat, adipisci? anne omnes? *E.* Non omnes puto, sed illas superiores. *A.* Nonne tibi ex hoc genere videtur in fune ambulare? nam et hoc videndo, ut arbitror, qui id faciunt assequuntur. *E.* Ita credo : sed tamen non omnes qui hæc spectant et magno studio intuentur, assequi possunt, sed qui hujus rei magistros patiuntur. *A.* Bene sane dicis; nam et hoc tibi etiam de locutione responderim : multi enim Græci et aliud genus linguæ crebrius nos loquentes audiunt, quam funambulum spectant; qui ut linguam nostram discant, quemadmodum nos cum ipsorum nosse volumus, sæpe magistris traduntur. Quæ cum ita sint, miror cur animæ incrementis tribuere velis quod loquuntur homines; quod autem in fune ambulant, nolis. *E.* Nescio quomodo ista confundis : nam qui ut linguam nostram discat, magistro traditur, novit aliam quamdam suam, quam eum, quod ejus anima creverit, puto didicisse; cum autem discit alienam, non ampliori animæ, sed arti tribuo. *A.* Quid si ille qui inter mutos natus atque altus est, sero ac jam juvenis in alios homines incidens loqui didicisset, cum aliam linguam nullam nosset? eo tempore putares animam ejus crevisse, quo loqui didicerat? *E.* Nunquam isthuc ausim dicere; et jam cedo rationi, nec puto amplioris animæ argumentum esse quod loquimur, ne et alias omnes artes cogar fateri crescendo animam consecutam : quod si dixero, illud sequetur absurdum, decrescere animam cum quidque obliviscitur.

CAPUT XIX. — *Anima quomodo crescere minuive dicitur.*

33. *A.* Bene intelligis, et verum ut audias, recte dicitur anima discendo quasi crescere, et contra minui dediscendo, sed translato verbo, ut superius ostendimus. Tamen illud cavendum est, ne quasi spatium loci majus occupare videatur, dum dicitur crescere; sed majorem quamdam vim peritior quam imperitior habere ad agendum. Magni tamen refert qualia sint illa ipsa quæ discit, quibus quodammodo videtur augeri. Nam ut in corpore tria sunt genera incrementorum, unum necessarium, quo naturalis convenientia impletur in membris; alterum superfluum, quo a cæteris membris integra valetudine augendo aliquid discrepat, per quod interdum evenit ut senis digitis nascantur homines, et pleraque alia, quæ cum præter consuetudinem nimia sunt, monstruosa nominantur; tertium noxium, quod cum accidit, tumor vocatur; nam etiam sic membra crescere dicuntur, et revera locum occupant ampliorem, sed expugnata bona valetudine : ita in animo quædam quasi naturalia incrementa sunt, cum honestis et ad bene beateque vivendum accommodatis disciplinis augeri dicitur. Cum vero ea discimus, quæ mirabiliora quam utiliora sunt; quanquam nonnullis rebus plerumque opportuna, supervacanea tamen et de illo secundo genere numeranda sunt. Non enim si quidam tibicen, ut Varro auctor est, ita populum delectavit ut rex fieret, ideo animum nostrum illo artificio augendum putare debemus : quia nec majores quam humani sunt, dentes habere vellemus, si audissemus, a quopiam, quod tales habuerit, morsu hostem necatum. Noxium vero illud est genus artium, quo animi valetudo sauciatur : nam et odore ac sapore mire dijudicare pulmenta, et quo lacu piscis captus sit, vel quotenne vinum sit, nosse dicere [1], quædam est miseranda peritia; et his artibus cum quasi crevisse anima videtur, quæ neglecta mente defluxit in sensus, nihil aliud quam tumuisse vel etiam contabuisse judicanda est.

CAPUT XX. — *Anima num quid ex se sciat.*

34. *E.* Accipio ista et assentior, nec tamen nihil angor ex eo quod imperita omnium rerum et bruta est anima, quam in puero recens nato quantum licet inspicimus. Cur enim nullam artem secum attulit, si

[1] *Discere*, juxta Par. M.

æterna est? *A.* Magnam omnino, magnam, et qua nescio utrum quidquam majus sit, quæstionem moves, in qua tantum nostræ sibimet opiniones adversantur, ut tibi anima nullam, mihi contra omnes artes secum attulisse videatur; nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quam reminisci et recordari (*a*). Sed videsne quam hujus temporis non sit, utrum ista habeant ita sese, requirere? Nunc enim agimus ut appareat, si potest, non eam secundum loci spatia parvam magnamve nominari; æternitatem autem ejus si ulla est, opportune scrutabimur cum illud quod quartum posuisti. Cur corpori fuerit data, quantum fas est tractare cœperimus. Quid enim ad talem ejus quantitatem attinet, semperne an non semper fuerit, futurave sit, aut quod nunc imperita nunc perita est; cum et longum tempus, ne corporibus quidem afferre magnitudinis causam, superius probaverimus; et peritiam notissimum sit posse nullam adesse crescentibus, ac sæpe senescentibus opportunam esse; multaque alia dicta sint satis, ut opinor, ad demonstrandum non cum magnitudine corporis, quam ætas affert, etiam animam fieri ampliorem.

CAPUT XXI. — *Vires in majori ætate majores non sunt argumentum crescentis animæ.*

35. Quare videamus, si placet, illud alterum argumentum tuum quale sit, quod per totum spatium corporis tactus sentitur ab anima, quam spatii nullius esse volumus. *E.* Sinerem jam ad illud transiri, nisi de viribus dicendum aliquid arbitrarer. Quid est enim hoc, quod auctiora per ætatem corpora vires præbent animæ ampliores, si cum his amplior non fit anima? Quanquam enim virtus animæ, vires autem corporis putari soleant; nunquam tamen ab anima eas abjudicaverim, cum videam in exanimis corporibus nullas esse. Per corpus quidem viribus, sicuti sensibus, uti animam non negandum est; tamen quoniam ista sunt viventis officia, quis hæc dubitaverit ad animam potius pertinere? Cum igitur majores vires in pueris grandiusculis quam in infantibus esse videamus, ac deinde adolescentes, juvenesque in dies viribus præstent, donec rursus corpore senescente minuantur; non leve, quantum mihi videtur, crescentis cum corpore, ac deinde senescentis animæ indicium est.

36. *A.* Non usquequaque absurdum est quod dicis: sed ego vires non magis in amplitudine corporis ætatisque incrementis, quam in exercitatione quadam et conformatione [1] membrorum esse soleo putare: id adeo ut tibi probem, quæro abs te utrum alium alio pertinacius ambulare ac minus defatigari, majorum virium esse arbitreris? *E.* Ita sentio. *A.* Cur ergo puer multo amplius itineris conficiebam sine defectu, cum aucupandi studio in ambulando exercerer, quam adolescens cum me ad alia studia, quibus sedere magis cogebar, contulissem; si accedenti ætati, et per hanc animæ [2] crescenti vires ampliores tribuendæ sunt? Deinde in ipsis luctatorum corporibus palæstritæ non molem ac magnitudinem, sed nodos quosdam lacertorum, et destrictos toros, figuramque omnem corporis sibi congruentem peritissime inspiciunt, et hinc potius argumenta virium colligunt. Quæ tamen omnia parum valent, nisi vis artis et exercitationis accedat. Sæpe etiam visum est, ingentis corporis viros ab exiguis brevibusque superari, vel in movendis, vel in ferendis ponderibus, vel in ipso etiam luctamine. Nam olympionicum quemlibet lassari in itinere citius quam circumforaneum [1] aliquem mercatorem, qui uno illius digito collidi possit, cui est incognitum? Quare si et ipsas vires non peræque omnes, sed alias ad aliud aptiores magnas vocamus; et corporum lineamenta magis et figuræ quam magnitudines valent plurimum; et si exercitationes tantum afferunt, ut celeberrime creditum sit, hominem tollendo quotidie vitulum parvum, egisse ut eum etiam taurum sine sensu majoris oneris, quod paulatim addebatur, tollere ac sustinere posset: nequaquam amplioris ætatis vires cum corpore animam crevisse significant.

CAPUT XXII. — *Unde vires corporis majores.*

37. Quod si amplius aliquid animalium majora corpora, eo ipso quo majora sunt, habent virium; illa causa est, quod lege naturæ cedunt pondera minora majoribus, non modo cum ad proprium locum suopte nutu feruntur, ut humida et terrena corpora in ipsius mundi medium locum qui est infimus, rursus aeria et ignea sursum versus; sed etiam cum aliquo tormento aut jactu aut impulsu aut repulsu, eo quo non sponte ferrentur, vi aliena ire coguntur. Nam si ex alto dimiseris, quanquam simul, duos lapides disparis quantitatis, citius quidem major ad terram pervenit; sed si ei minor subjiciatur, eoque inevitabiliter occupetur, cedit profecto, simulque in solum deducitur. Item si dejicitur desuper major, minor autem contra sursum versus jacitur; ubi obviam venerint, repercussio minoris et retrocessio fiat necesse est. Quod ne ideo accidere putes, quod minor contra naturam in sublimia ire cogebatur, alter vero majore impetu locum suum petebat; facito ut major in superna jaculetur, et minori occurrat in terras dejecto: videbis nihilominus repulsum minorem in cœlum cogi, sed repercussu ipso cadere in aliam partem, ut qua expeditum est, in ima deferatur. Item si ambo non motu naturali, sed a duobus quasi in campo pugnantibus adversus invicem jacti, sibimet in medio spatio complodantur; quis dubitaverit minorem majori esse cessurum, in eam partem unde ipse et quo ille ferebantur [2]? Quæ cum ita sint, id est cum minora, ut dictum est, pondera majoribus cedant; multum tamen refert quanto in sese agantur impetu: nam si majore impetu minor, velut vehementi aliquo tormento emissus infligatur majori vel laxius jaculato, vel jam languescenti; quamvis ab eodem resiliat, retardat illum tamen aut etiam retro agit pro modo ictuum atque ponderum.

38. His præjactis atque intellectis, quantum præ-

[1] Sic Mss. At Edd., *confirmatione*.
[2] Lov., *homini*. Alii codices, *animæ*.
(*a*) Vid. 1 Retract. cap. 8, n. 2.

[1] Er. et Mss. novem, *circumforanum*.
[2] Par. Er. Ven. Lov., *unde ipse est, et quo ille ferebatur*.

sens negotium postulat, vide nunc eas quæ dicuntur in animalibus vires, utrum rationi huic congruant : nam corpora omnium animalium quis negat suo pondere prædita? Quod pondus nutu animæ actum, quo inclinaverit, multum valet magnitudine propria. Sed nutus animæ ad movendum corporis pondus, nervis quasi tormentis utitur : nervos autem vegetat mobilioresque efficit siccitas calorque moderatus; contra eos laxat atque infirmat humidus rigor. Itaque somno, quia eum frigidum et humidum dicunt medici et probant, membra languescunt; atque ipse expergefactorum conatus multo est debilior, ideoque nihil est fractius et enervius lethargicis. At quosdam phreneticos, quibus vigiliæ et vini [1] vis et acutæ febres, id est tot calida plus nimio nervos tendunt atque durant, majoribus viribus quam integra valetudine reluctari et multa facere manifestum est, cum eorum corpus sit ægritudine attenuatius et exilius. Si igitur et nutu animæ, et nervorum quodam machinamento, et pondere corporis confiunt hæ quæ vires vocantur; voluntas nutum exhibet, qui pronior fit spe vel audacia, retunditur autem timore, sed multo magis desperatione (nam in metu cum aliqua spes subest, vehementiores vires apparere assolent); machinamentum configuratio quædam corporis coaptat, temperatio modificat valetudinis [2], confirmat exercitationis industria; pondus dat moles membrorum, quam ætas et nutrimenta comparant, instaurant autem sola nutrimenta. His omnibus qui æqualiter prævalet, mirandus est viribus, et tanto est alius alio invalidior, quanto plus eum ista deficiunt. Fitque sæpe ut pertinaci nutu, meliore machinamento alius, quamvis parvum pondus corporis egerit, alium majore mole præditum vincat. Rursusque nonnunquam tanta moles est, ut etiamsi imbecilliore nisu agatur, opprimat tamen parvum adversarium multo vehementius innitentem. Cum vero non pondus corporis, nec moderatio nervorum, sed nutus ipse, id est animus cedit, ut omnino valentior ab omnimodo invalidiore, sed tamen timidior ab audaciore superetur; nescio utrum viribus attribuendum sit. Nisi quis dicat habere quasdam suas vires animam, quibus ei major audacia, vel fiducia pariatur : quæ cum alteri adsunt, alteri desunt, tunc intelligitur quantum animus corpori suo, etiam in eo quod per corpus agitur, antecellat.

39. Quamobrem cum infanti puero solus ad trahendum aliquid vel repellendum nutus sit integer; nervi autem et propter recentem minusque perfectam conformationem inhabiles, et propter humorem qui illi ætati exuberat marcidi, et propter nullam exercitationem languidi; pondus vero adeo sit exiguum, ut ne ab alio quidem impactum graviter urgeat, opportuniusque sit ad accipiendam, quam ad inferendam molestiam : quis est qui cum hæc omnia quæ desunt, contulisse annos viderit, viresque per eos datas cognoverit; crevisse animam, quæ his in dies ampliоribus utatur, recte ac prudenter existimet? Potest enim iste, si ab aliquo juvene, quem velamine interposito non conspiciat, parvos ac leves calamos, laxo arcu quantum potest jaculatos, viderit non longe ire, moxque recidere; ac post paululum sagittas jam ferro graves, pennulis vegetas [1], nervo intentissimo emissas, cœlum remotissimum petere; fidesque facta fuerit, pari conatu hominis utrumque esse factum; crevisse illum tantillo tempore, atque auctum viribus arbitrari. Quo quid dici potest perversius?

40. Deinde anima si crescit, vide quam sit inscitum, incrementa ejus de viribus corporis credere; de copia doctrinarum non credere; cum illis solum accommodet nutum, hoc sola possideat. At si crescere animam putamus, cum additur viribus; minui putanda est, cum demitur. Demitur autem in senecta, demitur in labore studiorum; atque his temporibus doctrinæ aggerari atque exstrui solent; neque ullo modo eodem tempore simul augeri quidquam et minui potest. Nullum igitur crescentis animæ argumentum est, vires in majori ætate majores. Multa alia dici possunt; sed si jam tibi satisfactum est, modum adhibeo, ut ad alia transeamus. *E.* Mihi vero satis persuasum est, majores vires non ex eo esse quod anima creverit : nam, ut alia omittam quæ abs te subtiliter dicta sunt, insania et morbo corporis animam crescere, cum ipsum corpus minuatur, ne ipse quidem phreneticus dixerit, cui vires multo ampliores, quam sano esse solent, nemo nescit. Unde mihi maxime videtur in nervis esse omne quod miramur, cum præter spem vires in quopiam reperiuntur : quare, oro, aggredere jam illud cui totus intendo : cur anima, si non tanti spatii magnitudinem habet quanti corpus est, ubique illius [2] sentit cum tangitur?

CAPUT XXIII. — *Anima tametsi per totum corpus sentit, non idcirco est cum corpore extensa. Quid sensus et quomodo fit visio.*

41. *A.* Age vero, aggrediamur quod vis, sed multo te mihi attentiore opus est, quam te fortasse existimas esse debere. Quare facito ut quam maxime adsis, ac respondeas mihi, quidnam tibi videatur iste esse sensus quo anima per corpus utitur : nam ipse jam nomine proprio sensus dicitur. *E.* Sensus esse quinque audire soleo, videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi atque tangendi : plus quid respondeam nescio. *A.* Partitio ista vetustissima est, et fere in concionibus celebrata. Vellem autem definiri mihi abs te, quid sit ipse sensus, ut eadem definitione omnia illa includerentur, neque aliud quidquam quod sensus non esset, in ea intelligeretur : sed si id non potest, nihil urgeo. Illud enim quod satis est, certe potes meam definitionem vel refellere vel probare. *E.* Hoc modo tibi fortasse non deero, quantum valeo : non enim et hoc semper est facile. *A.* Attende ergo : nam sensum puto esse, non latere animam quod patitur corpus. *E.* Placet mihi hæc definitio. *A.* Adesto ergo huic tanquam tuæ, ac tuere illam, dum a me paulisper refellitur. *E.* Tuebor sane, si tu adjuveris; sin minime, jam

[1] *Vitii*, juxta Par. M.
[2] Sic Mss. At Edd., *valetudines*.

[1] Lov., *pennulis vectas*. Mss., *vegetas*.
[2] *Ubique illa*, juxta Par. Er. Ven. *Ubique ictus* juxta Lov. M.

mihi displicet : non enim frustra tibi visa est refellenda. *A.* Noli nimis ex auctoritate pendere, præsertim mea quæ nulla est ; et quod ait Horatius, *Sapere aude* ( *Epist. lib.* 1, *epist.* 2, *v.* 39 ) : ne non te ratio subjuget priusquam metus. *E.* Ego prorsus nihil metuo, quoquo res modo processerit : non enim errare me sines. Sed jam incipe si quid habes, ne differendo potius quam adversando defatiger.

42. *A.* Dic igitur quid patiatur corpus tuum cum me vides ? *E.* Patitur omnino aliquid : nam oculi mei partes, nisi fallor, corporis mei sunt ; qui si nihil paterentur, quomodo te viderem ? *A.* At non satis est, ut persuadeas tuos oculos aliquid pati, nisi etiam quid patiantur ostenderis. *E.* Quid tandem, nisi ipsum visum ? nam vident. Si enim me rogares quid pateretur ægrotans, ægritudinem responderem ; quid cupiens, cupiditatem ; quid metuens, metum ; quid gaudens, gaudium. Cur ergo roganti quid videns patiatur, non recte ipsum visum respondeam ? *A.* Sed enim gaudens gaudium sentit. An negabis ? *E.* Imo assentior. *A.* Hoc et de cæteris perturbationibus dixerim. *E.* Sic habeo. *A.* Quidquid autem oculi sentiunt, hoc vident. *E.* Nullo modo istud dederim : quis enim dolorem videat, quem tamen sæpe oculi sentiunt ? *A.* Apparet te de oculis agere : bene vigilas. Itaque vide, utrum ut gaudens gaudendo gaudium sentit, ita etiam videns videndo sentiat visum. *E.* An aliter potest ? *A.* Quidquid autem videns videndo sentit, id etiam videat necesse est. *E.* Non est necesse : quid enim ? si amorem videndo sentiat, num et amorem videt ? *A.* Cautissime ac sagacissime ; gaudeo quod difficile deciperis. Sed nunc attende : quoniam constitit inter nos, non omne quod oculi sentiunt, neque omne quod videndo sentitur, videri ; putasne hoc saltem verum esse, omne quod videtur sentiri ? *E.* Hoc sane nisi concessero, quomodo sensus poterit vocari quod videmus ? *A.* Quid ? omne quod sentimus, nonne et patimur ? *E.* Ita est. *A.* Igitur si omne quod videmus, sentimus, et omne quod sentimus, patimur ; patimur omne quod videmus. *E.* Nihil resisto. *A.* Pateris ergo me, ac vicissim te ego, cum invicem nos videmus. *E.* Sic existimo, et ad hoc me ratio instanter cogit.

43. *A.* Accipe cætera : nam credo absurdissimum et stultissimum videri tibi, si quis affirmet ibi te pati aliquod corpus, ubi non est ipsum corpus quod pateris. *E.* Videtur absurdum, et ita esse opinor, ut dicis. *A.* Quid illud ? nonne manifestum est alio loco esse meum corpus, alio tuum ? *E.* Manifestum est. *A.* Sentiunt autem corpus meum oculi tui ; et si sentiunt, utique patiuntur ; nec possunt ibi pati, ubi id quod patiuntur, non est ; nec tamen ibi sunt illi, ubi corpus meum est : igitur ibi patiuntur ubi non sunt. *E.* Ego quidem illa omnia concessi, quæ non concedere absurdum videbam : sed hoc ultimum quod ex his confectum est, ita est absurdius, ut illorum potius aliquid temere me dedisse, quam hoc verum esse consentiam : nam oculos meos ibi sentire ubi non sunt, ne in somnis quidem dicere auderem. *A.* Vide igitur ubi obdormieris : quid enim tibi tandem elaberetur incautius, si ut paulo ante vigilares ? *E.* Enimvero idipsum mecum sedulo pertracto ac revolvo : nihil tamen elucet satis, quod me dedisse pœniteat, nisi forte illud, quod oculi nostri sentiunt cum videmus : visus namque ipse forsitan sentit. *A.* Imo ita est : is enim se foras porrigit, et per oculos emicat longius quaquaversum potest lustrare quod cernimus. Unde fit ut ibi potius videat, ubi est id quod videt, non unde erumpit ut videat. Non ergo tu vides, cum me vides ? *E.* Quis hoc insanus dixerit ? omnino ego video, sed emisso visu per oculos video. *A.* At si tu vides, tu sentis ; si tu sentis, tu pateris ; nec potes ibi pati aliquid, ubi non es : ibi autem me vides, ubi ego sum ; ibi igitur pateris, ubi ego sum. At si ubi ego sum, tu ibi non es ; quo pacto audeas dicere videri me abs te, prorsus ignoro. *E.* Visu, inquam, porrecto in eum locum in quo es, video te ubi es : at me ibi non esse confiteor. Sed quemadmodum si virga te tangerem, ego utique tangerem, idque sentirem ; neque tamen ego ibi essem, ubi te tangerem : ita quod dico visu me videre, quamvis ego ibi non sim, non ex eo cogor fateri non me esse qui videam.

44. *A.* Nihil ergo temere concessisti : nam et oculi tui hoc modo defendi possunt, quorum est quasi virga visus, ut dicis ; neque illa est absurda conclusio, quod ibi oculi tui vident, ubi non sunt. An tibi aliter videtur ? *E.* Ita sane est ut dicis : nam et illud nunc animadverti, quod si ibi viderent oculi ubi sunt, etiam seipsos viderent. *A.* Rectius diceres non, Etiam seipsos ; sed, Tantummodo seipsos viderent. Nam ubi sunt, id est quem locum tenent, soli tenent ; nec nasus est ibi ubi illi, nec quidquid illis vicinum est : alioquin etiam tu ibi esses ubi ego sum ; quia juxta invicem sumus. Quæ cum ita sint, si tantum ibi viderent oculi ubi sunt, nihil amplius quam seipsos viderent. Cum autem se non vident, non modo coginur consentire, posse illos videre, ubi non sunt ; sed etiam omnino non posse, nisi ubi non sunt. *E.* Nihil est quod hinc dubitare me faciat. *A.* Ergo non dubitas ibi eos pati, ubi non sunt. Nam ubi vident, ibi sentiunt : ipsum enim videre, sentire est ; sentire autem, pati : quare ubi sentiunt, ibi patiuntur. Alibi autem vident quam ubi sunt : ibi igitur patiuntur, ubi non sunt. *E.* Mirum est quam ista vera existimo.

CAPUT XXIV. — *Expenditur definitio sensus.*

45. *A.* Recte fortasse existimas. Sed responde obsecro, utrum omne quod per visum cognoscimus, videamus. *E.* Ita credo. *A.* Credis etiam omne quod videndo cognoscimus, per visum nos cognoscere ? *E.* Et hoc credo. *A.* Cur ergo plerumque fumum solum videndo, ignem subter latere cognoscimus, quem non videmus ? *E.* Verum dicis : et jam non puto nos videre quidquid per visum cognoscimus : possumus enim, ut docuisti, aliud videndo, aliud cognoscere quod visus non attigerit. *A.* Quid ? illud quod per visum sentimus, possumusne non videre ? *E.* Nullo modo. *A.* Aliud est ergo sentire, aliud cognoscere. *E.* Omnino aliud : nam sentimus fumum, quem videmus ; et ex eo ignem, quem non videmus, subesse cognoscimus.

*A.* Bene intelligis. Sed vides certe cum hoc accidit, corpus nostrum, id est oculos, nihil pati ex igne, sed ex fumo quem solum vident. Etenim videre, sentire; et sentire, pati esse, jam supra consensimus. *E.* Teneo et assentior. *A.* Cum ergo per passionem corporis non latet aliquid animam, non continuo sensus vocatur unus de quinque memoratis; sed cum ipsa passio non latet: namque ille ignis non visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustatus, nec tactus a nobis, non tamen latet animam, fumo viso. Et cum hoc non latere non vocetur sensus, quia ex igne corpus nihil est passum; vocatur tamen cognitio per sensum, quia ex passione corporis quamvis alia, id est ex alterius rei visione, conjectatum est atque compertum. *E.* Intelligo, et optime video istud congruere ac favere illi definitioni tuæ, quam ut meam mihi defendendam dedisti: nam ita memini esse abs te sensum definitum, cum animam non latet quod patitur corpus. Itaque illud quod fumus videtur, sensum vocamus; passi sunt enim eum oculi videndo, qui sunt corporis partes et corpora: ignem autem, ex quo nihil corpus est passum, quamvis cognitus fuerit, sensum non vocamus.

46. *A.* Memoriam quidem tuam probo et sequacem intelligentiam; verum munitio illa definitionis labascit. *E.* Cur quæso? *A.* Quia non negas, ut opinor, nonnihil pati corpus cum crescimus vel senescimus: neque id nos ullo sensu sentire manifestum est; nec id tamen animam latet. Non igitur eam latet quiddam quod patitur corpus, nec tamen sensus iste appellari potest. Videndo enim majora ea quæ aliquando minora videramus, et videndo senes eos quos juvenes ac pueros fuisse constat; conjectamus aliquam talem mutationem nostra corpora, etiam nunc dum loquimur, pati. Neque in eo fallimur, ut opinor: nam proclivius est, ut me falli dicam quod video, quam quod intelligo capillos meos nunc crescere, corpusve per momenta mutari. Quod si mutatio ista, passio corporis est, quod nemo negat, nec nunc sentitur a nobis, nec tamen animam latet, quia nos non latet; patitur, ut dixi, corpus quod non latet animam, nec sensus est tamen. Quare illa definitio, quæ nihil quod sensus non esset, debebat includere, cum hoc inclusit, certe vitiosa est. *E.* Nihil mihi restare video, quam ut te petam, ut aut definias aliter, aut hanc recures, si potes: nam eam ista ratione quam vehementer probo, vitiosam esse negare non possum. *A.* Facile est istam corrigere, quod volo tu audeas: facies enim, mihi crede, si bene intellexisti ubi peccet. *E.* Num alibi quam ubi aliena comprehendit? *A.* Quo tandem modo? *E.* Quia quod senescit corpus, quamvis in juvene, non potest negari pati aliquid; idque cum scimus, non latet animam quiddam quod patitur corpus, neque tamen ullo sensu percipi potest: nam nec video me modo senescere, neque id auditu, aut olfactu, aut gustatu, aut tactu sentio. *A.* Unde ergo illud nosti? *E.* Ratione id colligo. *A.* Quibus argumentis ratio tua nititur? *E.* Quod alios video senes; qui ut ego nunc sum, juvenes erant. *A.* Nonne sensus est, quo eos vides, unus de quinque? *E.* Quis negat? Sed ex eo quod illos video, me quoque cum id non videam, conjecto senescere. *A.* Quid verborum ergo illi definitioni, quo perficiatur addendum putas; cum sensus non sit, nisi non lateat animam corporis passio, nec tamen ita ut eam per aliam passionem, aut per aliud quodlibet intelligat? *E.* Dic, quæso, istud paulo planius.

CAPUT XXV. — *Definitio quomodo examinanda.*

47. *A.* Geram tibi morem, et multo libentius retardanti quam festinanti: sed fac totus adsis; valebit enim hoc ad plura quod dicam. Definitio nihil minus, nihil amplius continet, quam id quod susceptum est explicandum; aliter omnino vitiosa est. Utrum autem hujusmodi vitiis careat, conversione exploratur: quod his exemplis tibi fiet apertius. Si enim me rogares quid esset homo, et eum hoc modo definirem, Homo est animal mortale; non continuo quia verum dictum est, etiam definitionem probare deberes, sed superposita ei particula, id est, omnis, convertere illam et intueri, utrum etiam conversa vera esset: hoc est, utrum quemadmodum verum est, omnis homo animal mortale est; ita esset verum, omne animal mortale homo est: quo aliter invento, improbare definitionem propter illud vitium quo aliena comprehendit; non enim solus homo est animal mortale, sed etiam quævis bestia. Hæc igitur hominis definitio perfici solet, cum additur mortali rationale: nam homo est animal mortale rationale; atque ut omnis homo animal rationale mortale est, ita omne animal rationale mortale homo est. Plus continendo ergo superior definitio vitiosa erat, bestiam enim cum homine continebat: ista perfecta est; nam et omnem hominem, et nihil plusquam hominem tenet. Tenendo autem minus, ita vitiosa est si addas grammaticum: quanquam enim omne animal rationale mortale grammaticum homo sit, plures tamen homines, qui grammatici non sunt, hac definitione non continentur: et ob hoc ista per primam illam propositionem falsa est; cum autem convertitur, vera. Falsum est enim, omnis homo animal rationale mortale grammaticum est; sed verum est, omne animal rationale mortale grammaticum homo est. Cum autem neque per primam propositionem, neque per conversionem enuntiata vera est, his singulis est profecto vitiosior: ut sunt istæ duæ, homo est animal candidum; aut, homo est animal quadrupes. Nam et si dicas, omnis homo animal candidum est; aut animal quadrupes, falsum dicis; et si convertas. Sed hoc inter se differunt, quod illa prima in aliquos homines cadit; nam plerique sunt homines candidi: hæc altera in neminem, non enim quisquam homo quadrupes. Hæc pro tempore ad explorandas definitiones dideris, quemadmodum propositione atque conversione judicentur: sunt alia multa de hoc genere quæ docentur, et verborum plena et tenebrarum, quæ paulatim ubi opportunum videbitur, conabor ut discas.

48. Nunc converte animum ad illam definitionem nostram, et eam peritior cum discusseris, corrige: inveneramus enim eam, cum definitio sensus esset, complecti aliud quod sensus non esset, et ideo non

esse, cum convertitur, veram. Fortasse enim verum est, omnis sensus passio corporis est animam non latens; ut verum est, omnis homo animal mortale est: at ut falsum est, omne animal mortale homo est, quia id est et bestia; ita falsum est, omnis passio corporis non latens animam, sensus est; quia nunc nobis ungues crescunt, nec animam latet, id enim scimus; neque id sentimus, sed conjectatione cognoscimus. Quemadmodum ergo illi definitioni hominis ut perficeretur, additum est rationale, quo addito, bestiæ, quæ simul continebantur, exclusæ sunt, nihilque præter hominem atque omnem hominem tali definitione comprehendimus; nonne censes aliquid etiam huic addendum esse, quo inde sejungatur quod tenet alienum, nec quidquam in ea nisi sensus, et omnis sensus intelligatur? *E.* Censeo quidem, sed quid addi possit ignoro. *A.* Sensus est certe omnis passio corporis non latens animam: sed converti non potest hæc enuntiatio, propter passionem illam corporis, qua vel crescit vel decrescit scientibus nobis, id est, ut non lateat animam. *E.* Ita est. *A.* Quid? hæc passio per seipsam non latet animam, an per aliud? *E.* Per aliud plane: aliud est enim videre ungues majores, aliud scire quod crescant. *A.* Cum ergo crescere ipsum sit passio, quam nullo sensu attingimus, magnitudo autem illa quam sentimus, eadem passione facta sit, non ipsa sit passio; manifestum est talem passionem non per seipsam scire nos, sed per aliud. Si ergo non per aliud animam non lateret, nonne sentiretur potius quam conjiceretur? *E.* Intelligo. *A.* Cur ergo dubitas, quid illi definitioni sit addendum? *E.* Jam video sic esse definiendum, ut sensus sit passio corporis per seipsam non latens animam: nam et omnis sensus hoc est, et omne hoc, ut opinor, sensus est.

49. *A.* Si hoc ita est, fateor definitionem esse perfectam. Sed tentemus eam, si placet, utrum illo secundo vitio non vacillet, quo illa hominis, cui grammaticum est additum. Nam meminisse te oportet, quod esse hominem dictum est animal rationale mortale grammaticum; eoque peccare istam definitionem, quod conversione vera est, cum prima enuntiatione sit falsa. Namque falsum est, omnis homo animal rationale mortale grammaticum est, quamvis verum sit, omne animal rationale mortale grammaticum homo est. Ergo ideo vitiosa est hæc definitio, quod nihil quidem præter hominem, sed non omnem hominem tenet: et hæc fortasse talis est, de qua velut perfecta gloriamur. Quanquam enim omnis passio corporis per seipsam non latens animam sensus sit, non tamen omnis sensus istud est. Quod sic intelligas licet; bestiæ nempe sentiunt, ac pene omnes quinque illis sensibus vigent, quantum cuique natura tributum est. An tu id negabis? *E.* Nihil minus.

CAPUT XXVI. — *Scientia et ratio num in bestiis.*

*A.* Quid? hoc nonne concedis, scientiam non esse, nisi cum res aliqua firma ratione percepta et cognita est? *E.* Concedo. *A.* At bestia ratione non utitur. *E.* Et hoc concedo. *A.* Non igitur scientia cadit in bestiam. Cum autem non latet aliquid, utique scitur; non igitur sentiunt bestiæ, si omnis sensus est cum passio corporis per seipsam non latet animam: sentiunt autem, ut paulo ante concessum est: quid ergo dubitamus illam definitionem improbare, quæ omnem sensum circumplecti minime potuit, siquidem bestiarum sensus exclusus est?

50. *E.* Fateor me deceptum, cum tibi concessi scientiam tunc esse cum aliquid firma ratione percipitur. Solos enim homines, cum hoc rogabas, intuebar: nam neque possum dicere ratione uti bestias, nec eis possum scientiam denegare. Sciebat enim, ut opinor, dominum suum canis, quem post viginti annos recognovisse perhibetur (*Odyss.* ρ, 291 *sqq.*), ut taceam de cæteris innumerabilibus. *A.* Dic mihi, oro te, si duæ quædam res tibi proponantur, una ad quam perveniendum sit, altera per quam pervenire possis; quam istarum pluris pendis, et quam cui præponis? *E.* Quis dubitat eam præstare ad quam sit perveniendum? *A.* Ergo cum sint duæ res quædam scientia et ratio, per scientiam pervenimus ad rationem, an per rationem ad scientiam? *E.* Utraque res sibimet quantum arbitror, ita nexa est, ut per alterutram ad alteram perveniri possit. Namque ad ipsam rationem non perveniremus, nisi ad eam perveniendum esse sciremus. Præcessit ergo scientia, ut ad rationem per eam perveniremus. *A.* Quid? ad ipsam scientiam quam dicis præcedere, sine ratione pervenitur? *E.* Nunquam hoc dixerim: nam est ita summa temeritas. *A.* Per rationem igitur? *E.* Non ita est. *A.* Ergo per temeritatem? *E.* Quis hoc dixerit? *A.* Per quid igitur? *E.* Per nihil, quia scientia insita est nobis.

51. *A.* Oblitus mihi videris, quid inter nos superius convenerit, cum rogassem utrumnam putares tunc esse scientiam, cum res aliqua firma ratione percipitur. Nam respondisti, ut opinor, hanc tibi videri humanam scientiam: nunc vero dicis posse hominem habere aliquam scientiam, cum rem nulla ratione perceperit. Quis autem non videat nihil sibi adversius esse, quam ista duo sunt: et non esse scientiam, nisi cum res aliqua firma ratione percipitur; et esse cujusdam rei scientiam nulla ratione perceptæ. Itaque nosse cupio, utrum horum eligas; nam utrumque verum esse nullo pacto potest. *E.* Hoc eligo quod paulo ante dixi: nam illud superius temere me dedisse confiteor. Cum enim ratione inter nos verum quæramus, idque fiat rogando et respondendo; quomodo posset ad summam pervenire qua concluditur ratio, nisi prius aliquid concederetur? Concedi autem recte qui posset quod nesciretur? Ita ista ratio nisi inveniret in me aliquid cognitum, quo innitens ad incognitum duceret; nihil omnino per illam discerem, nec eam prorsus rationem nominarem. Quamobrem frustra mihi non assentiris ante rationem necessario esse in nobis aliquam scientiam, unde ipsa ratio sumat exordium. *A.* Geram tibi morem, et te quidem ut institui, quoties alicujus dati pœnitet, emendare permittam: sed ne, quæso, abutaris ista licentia,

et negligenter, cum interrogo, attendas; ne assidue male concessa, etiam de iis quæ bene conceduntur, dubitare te cogant. *E.* Perge potius ad cætera : quamvis enim addam vigilantiæ meæ quidquid possum (nam et me pudet de sententia cadere toties), nunquam tamen deterrear pudori huic reniti, et lapsum meum, te præsertim manum dante, corrigere. Neque enim est ideo suscipienda pertinacia, quia optanda constantia.

CAPUT XXVII. — *Ratio et ratiocinatio.*

52. *A.* Proveniat tibi plane ista constantia quam citissime potest : ita mihi placitam sententiam protulisti. Sed nunc fito quam præsentissimus ad ista quæ volo. Quæro enim abs te, quid tibi interesse videatur inter rationem et ratiocinationem. *E.* Non satis valeo ista discernere. *A.* Hoc ergo intuere, utrum existimes homini jam adolescenti, vel viro, aut (ut omnem ambagem auferam) sapienti sine intermissione inesse rationem, dum mente sanus est, sicut bonam valetudinem corpori, dum peste ac vulneribus caret; an sicut ambulare, sedere, loqui, modo inesse, modo deesse. *E.* Sanæ menti semper puto inesse rationem. *A.* Quid hoc? dum per ea quæ conceduntur ac manifesta sunt, vel interrogando alium, vel connectendo alia, perducimus nos ad alicujus rei cognitionem; videturne tibi aut nos, aut quivis sapiens semper facere? *E.* Non semper : non enim semper homo quilibet aut sapiens, quantum opinor, vel secum vel cum alio quærit aliquid disserendo : nam qui quærit, nondum invenit; ita si semper quærit, nunquam invenit. Sapiens autem jam invenit, ut nihil aliud dicam, vel ipsam sapientiam, quam, cum esset stultus, disserendo fortasse, aut quoquo modo alio poterat, requirebat. *A.* Recte dicis : quare intelligas volo non esse istam rationem, dum per ea quæ conceduntur atque cognita sunt, ad aliquid incognitum ducimur : hoc enim non semper, ut jam consensimus, inest menti sanæ; ratio autem semper.

53. *E.* Intelligo; sed quorsum ista? *A.* Quia paulo ante dixisti, propterea me tibi debere assentiri scientiam nos habere ante rationem, quod cognito aliquo nititur, dum nos ratio ad incognitum ducit : nunc autem invenimus non rationem vocandam esse dum hoc agitur; non enim sana mens agit hoc semper, cum semper habeat rationem; sed recte ista fortasse ratiocinatio nominatur; ut ratio sit quidam mentis aspectus, ratiocinatio autem rationis inquisitio, id est, aspectus illius, per ea quæ aspicienda sunt, motio. Quare ista opus est ad quærendum, illa ad videndum. Itaque cum ille mentis aspectus, quem rationem vocamus, conjectus in rem aliquam, videt illam, scientia nominatur : cum autem non videt mens, quamvis intendat aspectum; inscitia vel ignorantia dicitur. Non enim et his corporalibus oculis omnis qui aspicit, videt; quod in tenebris facillime animadvertimus. Ex quo liquet, ut opinor, aliud esse aspectum, aliud visionem; quæ duo in mente rationem et scientiam nominamus. Nisi quid te adversus hæc movet, aut parum dilucide ista distincta arbitraris. *E.* Per mihi hæc distinctio placet[1], et libenter assentior. *A.* Vide ergo nunc, utrum nos aspicere putes, ut videamus; an videre, ut aspiciamus. *E.* Hinc vero ne cæcus quidem quisquam dubitaverit, aspectum esse propter visionem, non visionem propter aspectum. *A.* Fatendum igitur visionem pluris quam aspectum esse pendendam. *E.* Fatendum omnino. *A.* Ergo et scientiam pluris quam rationem. *E.* Consequens video. *A.* Placetne tibi meliores aut feliciores esse hominibus bestias? *E.* Avertat Deus tam immanem amentiam. *A.* Recte sane exhorruisti; sed ad id nos cogit sententia tua : dixisti enim eas habere scientiam, et non habere rationem. Rationem autem habet homo, per quam vix ad scientiam pervenitur. Sed ut concedam facile perveniri; quid nos adjuvabit ratio, ut bestiis nos anteponendos putemus, cum illæ habeant scientiam, et hanc pluris quam rationem pendendam esse compertum sit?

CAPUT XXVIII. — *Bestiæ vim sentiendi habent, non scientiam.*

54. *E.* Cogor omnino, aut scientiam bestiis non concedere, aut nihil recusare, quin mihi merito anteponantur. Sed, quæso, explica illud, quod de cane Ulyssis commemoravi, qualenam sit : nam ejus admiratione commotus tam inaniter latravi. *A.* Quid autem hoc putas esse, nisi vim quamdam sentiendi, non sciendi? Sensu enim nos bestiæ multæ superant, cujus rei causam non hic locus est ut quæramus; mente autem, ratione, scientia, nos illis Deus præposuit. Sed ille sensus ea quibus tales animæ delectantur, accedente consuetudine cujus magna vis est, potest discernere; atque eo facilius, quod anima belluarum magis corpori affixa est, cujus illi sunt sensus quibus utitur ad victum voluptatemque, quam ex eodem illo corpore capit. Humana vero anima per rationem atque scientiam, de quibus agimus, quod sunt ista longe præstantiora sensibus, suspendit se a corpore quantum potest, et ea quæ intus est, libentius fruitur voluptate; quantoque in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit. Inde est quod etiam pueri vagientes, quanto alieniores a ratione sunt, tanto facilius discernunt sensu etiam contactum conjunctionemque nutricum, nec odorem aliarum possunt sustinere, cum quibus consuetudo non fuit.

55. Quamobrem, quamvis aliud ex alio inciderit, libenter tamen in eo sermone demoror, quo admonetur anima, ne se ultra quam necessitas cogit, refundat in sensus; sed ab his potius ad seipsam colligat, et repuerascat Deo : quod est novum hominem fieri, vetere exuto; a quo incipere propter neglectam Dei legem certa est necessitas, quo neque verius neque secretius quidquam Scripturis divinis continetur. Vellem hinc plura dicere, ac meipsum constringere, dum quasi tibi præcipio, ut nihil aliud agerem quam redderer mihi, cui me maxime debeo (1 *Retract.*, *cap.* 8, *n.* 3) : atque ita Deo fieri, quod ait Horatius, *Amicum mancipium do-*

[1] Sic omnes quas legimus editiones; nonne melius legeretur : *Hæc distinctio mihi perplacet?* M.

*mine* (*Serm. lib.* 2, *satira* 1, *v.* 2, 3). Quod omnino fieri non potest, nisi ad ejus reformemur imaginem, quam nobis ut pretiosissimum quiddam et charissimum custodiendam dedit, dum nos ipsos nobis tales dedit, qualibus nihil possit præter ipsum anteponi. Hac autem actione nihil mihi videtur operosius, et nihil est cessationi similius : neque tamen eam suscipere aut implere animus potest, nisi eo ipso adjuvante cui redditur. Unde fit ut homo ejus clementia reformandus sit, cujus bonitate ac potestate formatus est.

56. Sed ad propositum redire cogimur. Quare vide utrum tibi jam probatum sit, feras non habere scientiam, totamque illam velut imaginem scientiæ, quam miramur, vim esse sentiendi. *E.* Probatum sane; et si quid de hoc diligentius quærendum est, aliud tempus aucupabor : nunc nosse cupio quid hinc conficias.

CAPUT XXIX. — *Scientia et sensus quid differant.*

*A.* Quid aliud putas, nisi definitionem illam sensus, ut antea quod nescio quid plus quam sensum includebat, ita nunc contrario vitio vacillare, quod non omnem sensum potuit includere? Habent enim feræ sensum, nec habent scientiam : quidquid autem non latet, scitur; et omne quod scitur, ad scientiam profecto pertinet. De quibus omnibus jam mihi tecum convenit. Aut igitur non est verum, sensum esse passionem corporis non latentem animam; aut eo carent bestiæ, quia scientia carent : sensum autem concedimus bestiis : definitio ergo illa vitiosa est. *E.* Fateor nihil me invenire quo resistam.

57. *A.* Accipe aliud quo magis nos hujus definitionis pudeat. Nam meministi, ut opinor, tertium definitionis vitium tibi demonstratum, quo prorsus nihil est turpius; cum ex neutra parte vera est, qualis est illa hominis, homo est animal quadrupes : nam sive, omnis homo animal est quadrupes; sive, omne animal quadrupes homo est, qui dicit atque affirmat, insanit profecto, si non jocatur. *E.* Verum dicis. *A.* Quid? si in hoc etiam vitio ista nostra deprehenditur, putasne quidquam magis esse quod sit explodendum atque exterminandum de anima? *E.* Quis id recuset? Sed nollem, si fieri potest, etiam hic tamdiu detineri, atque interrogatiunculis agitari. *A.* Nihil est quod metuas, jam enim confectum est negotium : an tibi nondum persuasum est, cum de differentia ferarum et hominum ageretur, aliud esse sentire, aliud scire? *E.* Imo maxime. *A.* Aliud ergo sensus, aliud scientia. *E.* Ita est. *A.* Non autem sentimus ratione, sed aut visu, aut auditu, aut olfactu, aut gustatu, aut tactu. *E.* Assentior. *A.* Et omne quod scimus, ratione scimus : nullus igitur sensus scientia est. Quidquid autem non latet, ad scientiam pertinet : ad nullum ergo sensum pertinet non latere, ut nullus homo quadrupes recte dici potest. Quamobrem ista nostra definitio suscepta tua, non solum alienos terminos invasisse, neque aliquid sui juris reliquisse, sed nihil omnino habuisse proprium, totumque alienum occupasse convicta est. *E.* Quid ergo agemus? Patierisne illam de judicio ita discedere? Quanquam enim ego ei defensionem qualem potui præbuerim, tu tamen ipsam litis formulam, quæ nos decepit, composuisti. Et ego quidem tametsi obtinere non potui, bona fide adfui, quod mihi satis est : tu vero si prævaricationis arguaris, quid facias, a quo et producta est ut jurgaret audenter, et oppugnata ut turpiter cederet? *A.* Numquidnam est hic quisquam judex, a quo huic vel mihi metuendum sit? Ego te privatim quasi adhibitus jurisconsultus, instruendi causa refellere volui, ut cum ad judicium ventum fuerit, paratus assistas.

58. *E.* Est ergo aliquid quod pro ista proferas, quam mihi invalidissimo temere defendendam tuendamque commendas? *A.* Est certe.

CAPUT XXX. — *Anima quæ ubique sentiat in corpore, non idcirco est per totum corpus diffusa.*

*E.* Quidnam id est, obsecro? *A.* Quia quanquam sit aliud sensus, aliud scientia, illud tamen non latere utrique commune est; ut ipsi homini et bestiæ, quamvis plurimum differant, animal tamen esse commune est. Non latet enim quidquid animæ apparet, sive per temperationem corporis [1], sive per intelligentiæ puritatem; atque illud primum sensus, hoc autem alterum scientia sibi vindicavit. *E.* Manet ergo illa definitio tuta et probata? *A.* Manet vero. *E.* Ubinam ergo deceptus sum? *A.* Ubi rogavi, utrum omne quod non latet, sciatur : tu enim huic rogationi temere assensus es. *E.* Nam quid velles dicerem? *A.* Non continuo esse scientiam si quid non latet, sed si per rationem non latet : cum autem per corpus non latet, sensum vocari, si per seipsam non lateat corporis passio. An ignoras quibusdam philosophis et peracutis visum esse, ne idipsum quidem quod mente comprehenditur, ad nomen aspirare scientiæ, nisi tam firma comprehensio sit, ut ab ea mens nulla ratione queat dimoveri?

59. *E.* Accipio ista gratissime : sed quæso quoniam quid sit sensus, subtilissime quantum arbitror explicatum est, referamus nos ad illam quæstionem, propter quam explicandum hoc susceperamus. Attuleram enim ego argumentum, quo tantam probarem animam esse, quantum ejus est corpus, eo quod tangentem a capite usque ad pedis extremum pollicem sentit quaquaversum tetigeris; atque inde ad sensus definitionem morarum plenissimam, sed forte necessario delati sumus. Itaque ipsum fructum tanti operis jam ostende, si placet. *A.* Est omnino, atque uberrimus; nam totum quod quærebamus, effectum est. Si enim sensus est corporis passio per seipsam non latens animam, quod ut firmissime teneremus, diutius quam velles sermocinati sumus; meministine tandem nos comperisse ibi sentire oculos ubi non sunt, vel potius ibi pati? *E.* Memini. *A.* Etiam illud dedisti, nisi fallor, nec modo dubitas dandum fuisse, animam multo quam totum corpus est, esse meliorem ac potentiorem. *E.* Hinc vero dubitare nefarium puto. *A.* Age, si corpus potest ibi pati aliquid ubi non est, propter quamdam cum anima contemperationem, quod oculis in cernendo accidere inventum est; adeone animam crassam et pigram putamus, per quam ipsi oculi tantum possunt,

[1] Bad. Er. et Lov., *per temperantiam corporis*. At Mss. nullo fere excepto habent, *per temperationem*.

ut eam lateat corporis passio, si non ibi jaceat, ubi passio ipsa contingit?

60. *E.* Multum me movet ista conclusio, et ita multum ut omnino stupeam, et non solum quid respondeam, sed prorsus ubi sim non inveniam. Quid enim dicam? sensum non esse, cum corporis passio per seipsam non latet animam? quid erit aliud, si hoc non est? Oculos nihil pati cum videmus? absurdissimum est. Eos ibi pati ubi sunt? at seipsos non vident [1], nec ubi sunt quidquam est præter ipsos. Non esse oculis animam potentiorem, cum eadem sit istorum potentia? nihil est dementius. An hoc dicendum est, potentius esse ibi pati, ubi quidque sit, quam ubi non sit? sed si hoc verum esset, non esset præstantior visus cæteris sensibus. *A.* Quid quod ictum aliquem, vel incidens quidpiam, vel humoris perturbationem cum ibi patiantur oculi ubi sunt; neque hoc animam latet, nec ista passio visus, sed tactus vocatur: et tamen talia pati oculus posset etiam in exanimo corpore, quamvis deesset anima, quam passio non lateret; illud autem quod pati non potest oculus, nisi adsit anima, id est quod videndo patitur, hoc solum ibi patitur, ubi non est? Ex quo cui non videatur, nullo loco animam contineri? Siquidem oculus, quod est corpus, id tantum non loco suo patitur, quod nunquam sine anima pateretur.

61. *E.* Quid igitur faciam, quæso te? Nonne istis rationibus confici potest, animas nostras non esse in corporibus? quod si ita est, nonne ubi sim nescio? Quis enim mihi eripit, quod ego ipse anima sum? *A.* Ne perturbere, ac magis bono animo facito sis. Ista enim cogitatio et consideratio ad nosmetipsos nos invitat, et quantum licet avellit a corpore. Quod autem tibi visum est, non esse animam in corpore viventis animantis, quanquam videatur absurdum, non tamen doctissimi homines, quibus id placuerit, defuerunt, neque nunc arbitror deesse: sed, ut ipse intelligis, res est subtilissima, et ad quam cernendam mentis acies satis purganda est. Nunc attende potius quid aliud afferas, quo convincas animam vel longam vel latam esse, vel quid ejusmodi: nam illud argumentum tuum de tangendi sensu, sentis non attingere veritatem, nec valere aliquid, ut eam per totum corpus tanquam sanguinem diffusam esse convincat: aut si jam quod afferas nihil habes, videamus quæ restant.

### CAPUT XXXI. — *Vermiculi secti partes moventur. An argumentum sit animæ per totum corpus extensæ.*

62. *E.* Nihil haberem fortasse, nisi recordarer quantum pueri mirari soleremus palpitantes lacertarum caudas amputatas a cætero corpore; quem motum sine anima fieri nullo modo mihi persuadere possum: neque quo pacto fiat, ut nullum sit animæ spatium, quando præcidi etiam cum corpore potest, intelligo. *A.* Possem respondere aerem et ignem, quæ duo per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno et humido, ut omnium quatuor fiat contemperatio, dum post ejusdem animæ abscessum ad superna evadunt, ac sese expediunt, movere illa corpuscula tanto concitatius, quanto plaga recentiore subito erumpunt: deinde porro motum languescere, postremo desinere, dum minus minusque fit quod effugit, ac deinde totum evolat. Sed ab hoc me revocat quod his hausi oculis pene serius quam credi potest; sed certe non serius quam deberem. Cum enim nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adolescentes qui tunc mecum erant studiorum suorum gratia, animadverterunt humi jacentes in opaco loco, reptantem bestiolam multipedem, longum dico quemdam vermiculum: vulgo notus est, hoc tamen quod dicam nunquam in eo expertus eram. Verso namque stilo quem forte habebat unus illorum, animal medium percussit: tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore nisu, quam si duo hujuscemodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, causæque curiosi, ad nos, ubi simul ego et Alypius considebamus, alacriter viventia frusta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quaquaversum poterant, cernebamus: atque unum ipsorum stilo tactum, contorquebat se ad doloris locum, nihil sentiente alio, ac suos alibi motus peragente. Quid plura? Tentavimus, quatenus id valeret; atque vermiculum, imo jam vermiculos in multas partes concidimus: ita omnes movebantur, ut nisi a nobis illud factum esset, et comparerent vulnera recentia, totidem illos separatim natos, ac sibi quemque vixisse crederemus.

63. Sed tunc ego quod illis adolescentibus dixi, cum intenti me intuerentur, tibi nunc dicere vereor: jam enim tantum processimus, ut nisi tibi aliter respondero quod secundum meam causam probabiliter valet, tanta nostra intentio per tam longum munita sermonem, ab uno vermiculo penetrata succubuisse videatur. Illis autem præceperam, ut in studiis, sicuti cœperant, suum cursum tenerent; ita eos opportunius aliquando ad quærenda et discenda ista, si res moneret, esse venturos. Sed quæ illis discedentibus cum Alypio sermocinatus sum, cum uterque nostrum pro suo quisque modulo recordaretur et conjectaret et quæreret, si exponere velim; longe plura nobis dicenda sunt, quam ab ipso principio tantis ambagibus atque anfractibus dicta sunt: non apud te tamen tacebo quod sentio. Nisi mihi tunc multa jam nota essent de corpore, de specie quæ inest corpori, de loco, de tempore, de motu, quæ subtilissime atque abstrusissime propter hanc ipsam quæstionem disseruntur; ad dandam palmam iis, qui corpus esse animam dicunt, declinarem. Quapropter te, ut possum, etiam atque etiam moneo, ne temere aut in libros aut in disputationes loquacissimorum hominum, nimiumque sensibus his corporis credentium te præcipites, donec corrigas firmesque vestigia, quæ usque ad ipsum Deum animam ducunt: ne ab illo secretissimo et tranquillissimo mentis habitaculo, a quo nunc, dum hæc incolit, peregrina est, studiis facilius et laboribus, quam inertia desidiaque avertaris.

[1] In hactenus editis: *Absurdissimum est eos ibi pati ubi sunt, ut seipsos non videant;* excepto tamen Bad., qui prope accedit ad Mss. lectionem, quam hic restituimus.

64. Nunc autem accipe contra illud quo, ut sentio, multum moveris, non quod robustius de multis, sed quod brevius; neque quod mihi probabilius quam cætera, sed quod tibi aptius eligere potui. *E.* Dic, oro te, quam citissime potes. *A.* Primum illud dico, si maxime causa lateat, cur in concisione quorumdam corporum illa contingant, non continuo nos hoc uno ita perturbari oportere, ut tam multa quæ superius luce clariora tibi visa sunt, falsa esse arbitremur. Fieri enim potest ut hujus rei causa nos lateat, quæ vel humanæ naturæ occultata est; vel sit alicui homini cognita, nec iste a nobis interrogari possit; aut etiam hoc ingenio ipsi simus, ut satisfacere nobis interrogatus non possit. Numquidnam ex eo quidquid ex contraria parte firmissime didicimus, ac verissimum esse confitemur, labi nobis atque extorqueri decet? Atqui si illa maneant integra, quæ interrogatus certa et indubia esse respondisti; nihil est quod istum vermiculum pueriliter metuamus, quanquam vivacitatis et numerositatis ejus causam non valeamus afferre. Si enim apud te de aliquo fixum immotumque constaret, quod esset vir bonus, eumque in latronum convivio quos persequerere deprehenderes, atque aliquo casu, antequam abs te interrogari posset, moreretur; quamlibet causam putares potius illius cum sceleratis conjunctionis atque convivii, etiamsi te semper lateret, quam scelus et societatem [1]. Cur ergo non, cum tam multis argumentis superius editis, atque abs te firmissime comprobatis, planum tibi factum sit non loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualem in corporibus cernimus, aliquam suspicaris esse causam, cur nonnullum animal concisum in omnibus partibus vivat; non eam tamen quod cum corpore anima concidi potuerit? Quam si reperire non possumus, quærenda nonne est potius vera, quam falsa credenda?

CAPUT XXXII. — *Dissecto corpore anima non secatur. Frusta dissecti corporis vivere possunt, cum anima secta non sit. Deinceps de animæ quantitate, ratione virtutis ac potentiæ.*

65. Deinde quæro abs te, utrum putes in verbis nostris aliud esse ipsum sonum, aliud quod sono significatur. *E.* Ego utrumque idem puto. *A.* Dic mihi ergo, sonus ipse unde procedat cum loqueris. *E.* Quis dubitet a me procedere? *A.* Abs te ergo sol procedit, dum nominas solem? *E.* De sono me, non de re ipsa interrogasti. *A.* Aliud ergo sonus est, aliud res quam significat sonus: tu autem utrumque idem esse dixeras. *E.* Age, jam concedo aliud esse significantem sonum, aliud rem quæ significatur. *A.* Dic ergo, utrum posses gnarus latinæ linguæ nominare in loquendo solem, si non intellectus solis præcederet sonum. *E.* Nullo modo possem. *A.* Quid? antequam ipsum nomen de ore procedat, si volens id enuntiare aliquandiu te in silentio teneas; nonne in tua cogitatione manet, quod expressa voce alius auditurus est? *E.* Manifestum est. *A.* Quid? cum ipse sol tantæ sit magnitudinis, num illa notio ejus, quam cogitatione ante vocem tenes, aut longa, aut lata, aut quid ejusmodi videri potest? *E.* Nullo modo.

66. *A.* Age, jam dic mihi: cum ore ipsum nomen erumpit tuo, atque id ego audiens solem cogito, quem tu ante vocem et cum ipsa voce cogitasti, et nunc fortasse ambo cogitamus; nonne tibi videtur nomen ipsum veluti accepisse abs te significationem, quam ad me per aures deportaret? *E.* Videtur. *A.* Cum ergo nomen ipsum sono et significatione constet, sonus autem ad aures, significatio ad mentem pertineat; nonne arbitraris in nomine, velut in aliquo animante, sonum esse corpus, significationem autem quasi animam soni? *E.* Nihil mihi videtur similius. *A.* Attende nunc, utrum nominis sonus per litteras dividi possit, cum anima ejus, id est significatio, non possit. Siquidem ipsa est quam paulo ante in nostra cogitatione nec latam nec longam respondisti tibi videri. *E.* Prorsus assentior. *A.* Quid, cum per litteras singulas sonus ille dividitur, videtur tibi significationem illam retinere? *E.* Quomodo possunt singulæ litteræ significare, quod nomen quod ex his confit, significat? *A.* At cum, perdita significatione, discerptus in litteris sonus est; num aliud putas esse factum, quam dilaniato corpore discessisse animam, et quasi mortem quamdam nominis contigisse? *E.* Non solum assentior, sed ita libenter, ut nihil me magis in hoc sermone delectaverit.

67. *A.* Si ergo satis perspexisti in hac similitudine, quomodo possit dissecto corpore anima non secari; accipe nunc quomodo frusta ipsa corporis, cum anima secta non sit, vivere possint. Jam enim concessisti, et recte, ut opinor, significationem quæ quasi anima soni est, dum nomen editur, per seipsam nullo pacto dividi posse, cum ipse sonus, quod velut corpus ejus est, possit. Sed in solis nomine ita soni est facta divisio, ut nulla pars ejus significationem aliquam retineret. Itaque illas litteras, dilacerato corpore nominis, tanquam exanima membra, id est, significatione carentia, considerabamus. Quamobrem si aliquod nomen invenerimus, quod divisum queat etiam singulis partibus quidpiam significare; concedas oportet, non omnimodam veluti mortem tali præcisione factam esse, cum tibi membra separatim considerata quodlibet significantia et quasi spirantia videbuntur. *E.* Concedam omnino, et ut jam idipsum sones, flagito. *A.* Accipe: nam dum viciniam solis attendo, de cujus nomine superius egimus, Lucifer mihi occurrit; qui profecto inter secundam et tertiam syllabam scissus nonnihil priore parte significat, cum dicimus, Luci, et ideo in hoc plusquam dimidio corpore nominis vivit. Extrema etiam pars habet animam: nam cum ferre aliquid juberis, hanc audis. Qui enim posses obtemperare, si quis tibi diceret, Fer codicem, si nihil significaret Fer? quod cum additur Luci, Lucifer sonat, et significat stellam; cum autem demitur, nonnihil significat, et ob hoc quasi retinet vitam.

68. Cum autem locus et tempus sit, quibus omnia quæ sentiuntur occupantur, vel potius quæ occupant; quod oculis sentimus, per locum; quod auribus, per

[1] Mss. Floriac., *quam sceleris et societatis.* Fortasse hic legendum: *Quam sceleris esse societatem.*

tempus dividitur. Ut enim vermiculus ille plus loci totus, quam pars ejus occupabat; ita majorem temporis moram tenet, cum Lucifer dicitur, quam si Luci tantummodo diceretur. Quare si hoc significatione vivit in ea diminutione temporis, quæ diviso illo sono facta est, cum eadem significatio divisa non sit (non enim ipsa per tempus distendebatur, sed sonus); ita existimandum est, secto vermiculi corpore, quanquam in minore loco pars eo ipso quo pars erat viveret, non omnino animam sectam, nec loco minore minorem esse factam, licet integri animantis membra omnia per majorem locum porrecta simul possederit. Non enim locum ipsa, sed corpus quod ab eadem agebatur, tenebat: sicut illa significatio non distenta per tempus, omnes tamen nominis litteras suas moras ac tempora possidentes, velut animaverat atque compleverat. Hac similitudine interim contentus sis peto, qua te sentio delectatum. Quæ autem subtilissime de hoc disputari possunt, ita ut non similitudinibus quæ plerumque fallunt, sed rebus ipsis satis fiat, ne in præsentia exspectes: nam et concludendus est tam longus sermo, et multis aliis quæ tibi desunt, animus ad hæc intuenda et dispicienda præcolendus est, ut possis intelligere liquidissime, utrum quod a quibusdam doctissimis viris dicitur, ita sese habeat, animam per seipsam nullo modo, sed tamen per corpus posse partiri.

69. Nunc accipe a me, si voles, vel potius recognosce per me, quanta sit anima non spatio loci ac temporis, sed vi ac potentia: nam ita si meministi, propositum ac distributum jamdiu nobis est. De numero vero animarum, nescio quid tibi respondeam, cum hoc ad istam quæstionem pertinere putaveris: citius enim dixerim non esse omnino quærendum, aut certe tibi nunc differendum, quam vel numerum ac multitudinem non pertinere ad quantitatem, vel tam involutam quæstionem modo a me tibi posse expediri. Si enim dixero unam esse animam, conturbaberis, quod in altero beata est, in altero misera; nec una res simul et beata et misera potest esse. Si unam simul et multas dicam esse, ridebis; nec mihi facile, unde tuum risum comprimam, suppetit. Sin multas tantummodo esse dixero, ipse me ridebo, minusque me mihi displicentem, quam tibi, perferam. Audi ergo quod ex me bene te audire posse polliceor; quod vero aut ambobus, aut alteri nostrum ita onerosum est, ut fortasse opprimat, ne subire aut imponere velis. *E.* Cedo prorsus, et quod tibi congruenter mecum videtur agi posse, quantum valeat anima, exspecto ut exponas.

CAPUT XXXIII. — *Vis animæ in corpore, in seipsa, et apud Deum, septem ejus magnitudinis gradus constituit.*

Primus gradus animæ.

70. *A.* O utinam doctissimum aliquem, neque id tantum, sed etiam eloquentissimum, et omnino sapientissimum, perfectumque hominem de hoc ambo interrogare possemus! Quonam ille modo quid anima in corpore valeret, quid in seipsa, quid apud Deum cui mundissima proxima est et in quo habet summum atque omne bonum suum, dicendo ac disputando explicaret! Nunc autem cum mihi ad hanc rem desit alius, audeo tamen tibi non deesse: sed hoc mercedis est, quod dum, quid valeat anima, indoctus expedio; quid ipse valeam, securus experior. In primis tamen tibi amputem latissimam quamdam et infinitam exspectationem, ne me de omni anima dicturum putes, sed tantum de humana, quam solam curare debemus, si nobismetipsis curæ sumus. Hæc igitur primo, quod cuivis animadvertere facile est, corpus hoc terrenum atque mortale præsentia sua vivificat; colligit in unum, atque in uno tenet, diffluere atque contabescere non sinit; alimenta per membra æqualiter, suis cuique redditis, distribui facit; congruentiam ejus modumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Sed hæc etiam homini cum arbustis communia videri queunt: hæc enim etiam dicimus vivere, in suo vero quidque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere videmus atque fatemur.

Secundus gradus animæ.

71. Ascende itaque alterum gradum, et vide quid possit anima in sensibus, ubi evidentior manifestiorque vita intelligitur. Non enim audienda est nescio quæ impietas (*a*) rusticana plane, magisque lignea quam sunt ipsæ arbores quibus pratrocinium præbet, quæ dolere vitem quando uva decerpitur, et non solum sentire ista cum cæduntur, sed etiam videre atque audire credit: de quo errore sacrilego alius est disserendi locus. Nunc quod institueram, intende quæ sit vis animæ in sensibus, atque in ipso motu manifestioris animantis, quorum nobis cum iis quæ radicibus fixa sunt, nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum, et eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, levia, gravia sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo videndoque dijudicat. Atque in iis omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt, adsciscit atque appetit; rejicit fugitque contraria. Removet se ab his sensibus certo intervallo temporum, et eorum motus quasi per quasdam ferias reparans, imagines rerum quas per eos hausit, secum catervatim et multipliciter versat, et hoc totum est somnus et somnia. Sæpe etiam gestiendo ac vagando facilitate motus delectatur, et sine labore ordinat membrorum concordiam; pro copulatione sexus agit quod potest, atque in duplici natura, societate atque amore molitur unum. Fetibus non jam gignendis tantummodo, sed etiam fovendis, tuendis alendisque conspirat. Rebus inter quas corpus agit, et quibus corpus sustentat, consuetudine sese innectit, et ab eis quasi membris ægre separatur: quæ consuetudinis vis etiam sejunctione rerum ipsarum atque intervallo temporis non discissa, memoria vocatur. Sed hæc rursus omnia posse animam etiam in bestiis nemo negat.

Tertius gradus animæ.

72. Ergo attollere in tertium gradum, qui jam est homini proprius, et cogita memoriam non consuetudine inolitarum, sed animadversione atque signis

(*a*) Manichæorum error.

commendatarum ac retentarum rerum innumerabilium, tot artes opificum, agrorum cultus, exstructiones urbium, variorum ædificiorum ac moliminum multimoda miracula; inventiones tot signorum in litteris, in verbis, in gestu, in cujuscemodi sono, in picturis atque figmentis; tot gentium linguas, tot instituta, tot nova, tot instaurata; tantum librorum numerum, et cujuscemodi monumentorum ad custodiendam memoriam, tantamque curam posteritatis; officiorum, potestatum, honorum dignitatumque ordines, sive in familiis, sive domi militiæque in republica, sive in profanis, sive in sacris apparatibus; vim ratiocinandi et excogitandi, fluvios eloquentiæ, carminum varietates, ludendi ac jocandi causa milleformes simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi disciplinam, præteritorum ac futurorum ex præsentibus conjecturam. Magna hæc et omnino humana. Sed est adhuc ista partim doctis atque indoctis, partim bonis ac malis animis copia communis.

Quartus gradus animæ.

73. Suspice igitur atque insili quarto gradui, ex quo bonitas incipit, atque omnis vera laudatio. Hinc enim anima se non solum suo, si quam universi partem agit, sed ipsi etiam universo corpori audet præponere, bonaque ejus bona sua non putare, atque potentiæ pulchritudinique suæ comparata discernere atque contemnere : et inde quo magis se delectat, eo magis sese abstrahere a sordibus, totamque emaculare ac mundissimam reddere et comptissimam; roborare se adversus omnia, quæ de proposito ac sententia dimovere moliuntur; societatem humanam magni pendere, nihilque velle alteri quod sibi nolit accidere; sequi auctoritatem ac præcepta sapientium, et per hæc loqui sibi Deum credere. In hoc tam præclaro actu animæ inest adhuc labor, et contra hujus mundi molestias atque blanditias magnus acerrimusque conflictus. In ipso enim purgationis negotio subest metus mortis sæpe non magnus, sæpe vero vehementissimus : non magnus tum cum robustissime creditur (nam videre hoc utrum sit verum, non nisi perpurgatæ animæ licet) tanta Dei providentia justitiaque gubernari omnia, ut nulli mors inique accidere possit, etiamsi eam forte iniquus intulerit. Vehementer autem formidatur mors in hoc jam gradu, cum et illud eo creditur infirmius, quo sollicitius quæritur; et eo ipso minus videtur, quo tranquillitas propter metum minor est, investigandis obscurissimis rebus pernecessaria. Deinde quo magis magisque sentit anima, eo ipso quo proficit, quantum intersit inter puram et contaminatam; eo magis timet, ne, deposito isto corpore, minus eam possit Deus quam seipsa ferre pollutam. Nihil autem difficilius quam et metuere mortem [1], et ab illecebris hujus mundi, sicut pericula ipsa postulant, temperare. Tanta est tamen anima, ut etiam hoc possit adjuvante sane justitia summi et veri Dei, qua hæc universitas sustentatur et regitur; qua etiam factum est, ut non modo sint omnia, sed ita sint, ut omnino melius esse non possint. Cui sese in opere tam difficili mundationis suæ adjuvandam et perficiendam piissime tutissimeque committit.

Quintus gradus animæ.

74. Quod cum effectum erit, id est, cum fuerit ab omni tabe anima libera maculisque diluta, tum se denique in seipsa lætissime tenet, nec omnino aliquid metuit sibi aut ulla sua causa quidquam angitur. Est ergo iste quintus gradus : aliud est enim efficere, aliud tenere puritatem; et alia prorsus actio qua se inquinatam redintegrat, alia qua non patitur se rursus inquinari. In hoc gradu omnifariam concipit quanta sit : quod cum conceperit, tunc vero ingenti quadam et incredibili fiducia pergit in Deum, id est, in ipsam contemplationem veritatis, et illud, propter quod tantum laboratum est, altissimum et secretissimum præmium.

Sextus gradus animæ.

75. Sed hæc actio, id est, appetitio intelligendi ea quæ vere summeque sunt, summus aspectus est animæ, quo perfectiorem, meliorem rectioremque non habet. Sextus ergo erit iste gradus actionis : aliud est enim mundari oculum ipsum animæ, ne frustra et temere aspiciat, et prave videat; aliud ipsam custodire atque firmare sanitatem; aliud jam serenum atque rectum aspectum in id quod videndum est, dirigere. Quod qui prius volunt facere quam mundati et sanati fuerint, ita illa luce reverberantur veritatis, ut non solum nihil boni, sed etiam mali plurimum in ea putent esse, atque ab ea nomen veritatis abjudicent, et cum quadam libidine et voluptate miserabili in suas tenebras, quas eorum morbus pati potest, medicinæ maledicentes refugiant. Unde divino afflatu, et prorsus ordinatissime illud a Propheta dicitur : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L, 12). Spiritus enim rectus est, credo, quo fit ut anima in veritate quærenda deviare atque errare non possit. Qui profecto in ea non instauratur, nisi prius cor mundum fuerit, hoc est, nisi prius ipsa cogitatio ab omni cupiditate ac fæce rerum mortalium sese cohibuerit et eliquaverit.

Septimus gradus animæ.

76. Jamvero in ipsa visione atque contemplatione veritatis, qui septimus atque ultimus animæ gradus est; neque jam gradus, sed quædam mansio, quo illis gradibus pervenitur; quæ sint gaudia, quæ perfructio summi et veri boni, cujus serenitatis atque æternitatis afflatus, quid ego dicam? Dixerunt hæc quantum dicenda esse judicaverunt, magnæ quædam et incomparabiles animæ, quas etiam vidisse ac videre ista credimus. Illud plane ego nunc audeo tibi dicere, nos si cursum quem nobis Deus imperat, et quem tenendum suscepimus, constantissime tenuerimus, perventuros per Virtutem Dei atque Sapientiam ad summam illam causam, vel summum auctorem, vel summum principium rerum omnium, vel si quo alio modo res tanta congruentius appellari potest : quo intellecto, vere videbimus quam sint omnia sub sole vanitas vanitantium (*Eccle.* I, 2 [*a*]). Vanitas enim est fallacia, vanitantes autem vel falsi, vel fallentes, vel utrique

[1] Er. et unus e nostris Mss., *quam et non metuere mortem.*

(*a*) Ita frequenter citat. Vide 1 Retract., cap. 7, n. 3.

intelliguntur. Licet tamen dignoscere quantum inter hæc, et ea quæ vere sunt, distet; et quemadmodum tamen etiam ista omnia Deo auctore creata sint, et in illorum comparatione nulla sint; per se autem considerata, mira atque pulchra. Tunc agnoscemus quam vera nobis credenda imperata sint, quamque optime ac saluberrime apud matrem Ecclesiam nutriti fuerimus, quæve sit utilitas lactis illius quod apostolus Paulus parvulis se potum dedisse prædicavit (I *Cor.* III, 2) : quod alimentum accipere cum quis matre nutritur, utilissimum est; cum jam grandis est, pudendum : respuere cum opus est, miserandum; reprehendere aliquando aut odisse, sceleris et impietatis : tractare autem ac dispensare commode, laudis et charitatis plenissimum est. Videbimus etiam naturæ hujus corporeæ tantas commutationes et vicissitudines, dum divinis legibus servit, ut etiam ipsam resurrectionem carnis, quæ partim tardius, partim omnino non creditur, ita certam teneamus, ut certius nobis non sit, solem, cum occiderit, oriturum. Jamvero eos qui ad exemplum salutis nostræ ac primitias, a Filio Dei potentissimo, æterno, incommutabili susceptum hominem, eumdemque natum esse de virgine, cæteraque hujus historiæ miracula irrident, sic contemnemus, tanquam eos pueros, qui cum pictorem propositis tabulis, quas intueatur, pingentem viderint; non putent posse hominem pingi, nisi aliam picturam, qui pingit, aspexerit. Tanta autem in contemplanda veritate voluptas est, quantacumque ex parte eam quisque contemplari potest, tanta puritas, tanta sinceritas, tam indubitanda rerum fides, ut neque quidquam præterea scisse se aliquando aliquis putet, cum sibi scire videbatur; et quo minus impediatur anima toti tota inhærere veritati, mors quæ antea metuebatur, id est ab hoc corpore omnimoda fuga et elapsio, pro summo munere desideretur.

CAPUT XXXIV. — *Anima solus Deus melior, adeoque solus ei colendus est.*

77. Audisti quanta vis sit animæ ac potentia : quod ut breviter colligam, quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse quod Deus est; ita præsumendum, nihil inter omnia quæ creavit, Deo esse propinquius. Idcoque divine ac singulariter in Ecclesia catholica traditur, *nullam creaturam colendam esse animæ* (libentius enim loquor his verbis quibus mihi hæc insinuata sunt), sed ipsum tantummodo rerum, quæ sunt, omnium Creatorem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; id est incommutabile principium, incommutabilem sapientiam, incommutabilem charitatem, unum Deum verum [1] atque perfectum, qui nunquam non fuerit, nunquam non erit, nunquam aliter fuerit, nunquam aliter erit; quo nihil sit secretius, nihil præsentius; qui difficile invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit; cum quo esse non omnes possunt, et sine quo esse nemo potest : et si quid de illo incredibilius, convenientius tamen atque aptius homines dicere valemus. Hic ergo solus Deus animæ colendus est, neque discrete, neque confuse. Quidquid enim anima colit ut Deum, necesse est ut melius esse, quam seipsam, putet. Animæ autem natura nec terra, nec maria, nec sidera, nec luna, nec sol, nec quidquam omnino quod tangi, aut his oculis videri potest, non denique ipsum quod videri a nobis non potest, cœlum melius esse credendum est. Imo hæc omnia longe deteriora esse, quam est quælibet anima, ratio certa convincit; si modo eam veri amatores ducentem per insolita quædam, et ob hoc ardua, constantissime atque observantissime sequi audeant.

78. Si quid vero aliud est in rerum natura præter ista quæ sensibus nota sunt, et prorsus quæ aliquod spatium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem animam humanam esse diximus : si quid ergo aliud est eorum quæ Deus creavit, quiddam est deterius, quiddam par : deterius, ut anima pecoris; par, ut angeli : melius autem, nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato ejus fit, non natura. Quo tamen non usque adeo fit deterior, ut ei pecoris anima præferenda, aut conferenda sit. Deus igitur solus ei colendus est, qui solus ejus est auctor. Homo autem quilibet alius, quanquam sapientissimus et perfectissimus, vel prorsus quælibet anima rationis compos atque beatissima, amanda tantummodo et imitanda est, eique, pro merito atque ordine, quod ei congruit deferendum. Nam, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13; *Matth.* IV, 10). Errantibus vero cognatis animis et laborantibus, quantum licet atque præceptum est, opem ferendam esse sciamus, ita ut hoc ipsum cum bene agitur, Deum per nos agere intelligamus. Neque quidquam nobis proprium vindicemus inanis gloriæ cupiditate decepti, quo uno malo a summo in ima demergimur [1]. Neque vitiis oppressos, sed ipsa vitia; neque peccantes, sed ipsa peccata oderimus. Omnibus enim subventum velle debemus, etiam qui nos læserunt, aut lædere, aut omnino lædi volunt. Hæc est vera, hæc perfecta, hæc sola religio, per quam Deo reconciliari pertinet ad animæ, de qua quærimus, magnitudinem, qua se libertate dignam facit : nam ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecta et sola [2] libertas est. Sed video me pene excessisse metas propositi mei, ac sine ulla interrogatione tamdiu tibi multa dixisse : neque id me pœnitet. Nam cum sint ista per tam multas Ecclesiæ scripturas dispersa, quanquam ea non incommode collegisse videamur, plene tamen intelligi nequeunt; nisi quisque in illorum septem quarto gradu fortiter agens, pietatemque custodiens, et ad ea percipienda sanitatem ac robur comparans, inquirat omnia singillatim, diligentissime ac sagacissime : namque illis omnibus gradibus inest distincta et propria pulchritudo, quos actus melius appellamus.

[1] Sic plerique Mss. cum Er. At Bad. et Lov. habent : *id est incommutabilem veritatem, incommutabilem æternitatem, incommutabilem virtutem, incommutabilem charitatem, unum verum Deum.* Mss. tres : *id est incommutabilem æternitatem, incommutabilem veritatem, incommutabilem charitatem, unum verum Deum.*

[1] Ita Par. Er. Ven. Lov. In B., *demergitur.* M.
[2] Sic legendum ex auctoritate Mss. Ebrulph.: [*perfecte sola.*]

CAPUT XXXV. — *Actus animæ juxta septem præfatos gradus varie appellantur.*

79. Quærimus quippe de animæ potentia, et fieri potest ut hæc omnia simul agat, sed id solum sibi agere videatur quod agit cum difficultate, aut certe cum timore [1]. Agit enim hoc multo quam cætera attentior. Ascendentibus igitur sursum versus, primus actus, docendi causa, dicatur animatio; secundus, sensus; tertius, ars; quartus, virtus; quintus, tranquillitas; sextus, ingressio; septimus, contemplatio. Possunt et hoc modo appellari: de corpore; per corpus; circa corpus; ad seipsam; in scipsa; ad Deum; apud Deum. Possunt et sic: pulchre de alio; pulchre per aliud; pulchre circa aliud; pulchre ad pulchrum; pulchre in pulchro; pulchre ad pulchritudinem; pulchre apud pulchritudinem. De quibus omnibus post requires, si quid videbitur aperiendum: nunc ideo volui toties ista signare vocabulis, ne te moveat cum alii aliis nominibus eadem vocant, aut aliter etiam partiuntur; et ob hoc aut ista aut illa improbes. Innumerabilibus enim modis eædem res et appellari, et dividi possunt rectissime ac subtilissime; sed in tanta copia modorum utitur quisque, quo se congruenter uti existimat.

CAPUT XXXVI. — *Attinguntur reliquæ de anima quæstiones. Quæ sit religio vera.*

80. Deus igitur summus et verus lege inviolabili et incorrupta, qua omne quod condidit regit, subjicit animæ corpus, animam sibi, et sic omnia sibi: neque in ullo actu eam deserit, sive pœna, sive præmio. Id enim judicavit esse pulcherrimum, ut esset quidquid est, quomodo est; et ita naturæ gradibus ordinaretur, ut considerantes universitatem nulla offenderet ex ulla parte deformitas; omnisque animæ pœna et omne præmium conferret semper aliquid proportione justæ pulchritudini [2] dispositionique rerum omnium. Datum est enim animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant. Nec tamen ita liberum arbitrium animæ datum est, ut quodlibet eo moliens, ullam partem divini ordinis legisque perturbet. Datum est enim a sapientissimo atque invictissimo totius creaturæ Domino. Sed ista ut videnda sunt videre, paucorum est; neque ad hoc quisquam nisi vera religione fit idoneus. Est enim religio vera, qua se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat, reconciliatione religat. Innectit ergo animam in illo actu tertio, atque incipit ducere; purgat in quarto; reformat in quinto; introducit in sexto; pascit in septimo. Atque hoc fit alias citius, alias tardius, ut quæque amore ac meritis valent: omnia tamen Deus justissime, moderatissime, pulcherrime facit, quoquo modo sese habere voluerint de quibus facit. Jamvero etiam puerorum infantium consecrationes quantum prosint, obscurissima quæstio est, nonnihil tamen prodesse credendum est. Inveniet hoc ratio, cum quæri oportuerit: quanquam et alia multa jamdiu quærenda tibi potius aliquando, quam cognoscenda protulerim. Quod fiet utilissime, si duce pietate requirantur.

81. Quæ cum ita sint, quis est qui juste stomachetur, quod agendo atque administrando corpori anima data sit, cum tantus et tam divinus rerum ordo connecti melius non possit; aut quærendum putet, qualis in hoc mortali et fragili corpore efficiatur, cum et in mortem propter peccatum jure contrusa sit, et virtute hic etiam possit excellere; aut qualis post hoc corpus futura sit, cum et pœna mortis necessario manere debeat manente peccato, et virtuti pietatique sit Deus ipse, id est veritas ipsa, præmium? Quare si jam placet, tam longum sermonem terminemus aliquando, et implendis Dei præceptis vigilantissime et religiosissime operam demus: non est enim alia fuga de tantis malis. Si quid autem obscurius a me dictum est quam velles, facito ut memoriæ mandatum alias opportunius requiras. Neque enim deerit nobis quærentibus se, qui desuper est Magister omnium. *E.* Ego vero et hac oratione ita sum affectus, ut eam interpellare nefas putaverim: et si tibi modus sermonis hic placet, tresque illæ quæstiones quæ remanebant, tam breviter perstringendæ in præsentia visæ sunt; cedam judicio tuo, ac deinceps tam magnis rebus investigandis, non modo tempus propter tuas occupationes, sed etiam meipsum opportuniorem observabo.

[3] In Mss. quatuor melioris notæ, *cum amore*.

[2] Edd., *aliquid proportioni justæ pulchritudinis*. At Mss., *proportione*; tumque ex illis tres, *justæ pulchritudini*.

# ADMONITIO
## DE SEQUENTIBUS SEX LIBRIS DE MUSICA

Ex disciplinarum libris quos Augustinus Mediolani, cum esset Baptismum percepturus anno Christi trecentesimo octogesimo septimo delibavit (*Vide Retract. lib.* 1, *cap.* 6), quanquam cæteri perierint (nam de Grammatica, Principia Dialecticæ, Categoriæ, et Principia Rhetoricæ, qui libri inter ejus opera sunt hactenus vulgati, supposititios esse in appendice ostendemus), sex isti de Musica, iique integerrimi ad nos usque pervenerunt; studiosius nimirum a librariis descripti, cum suis omnibus numeris absoluti prodiissent circiter annum Christi, ut videtur, trecentesimum octogesimum nonum, quo tempore post editos libros de Genesi contra Manichæos iis perficiendis in Africa se vacavisse innuit Augustinus libro primo Retractationum, capite undecimo. Eum porro dialogos hosce cum Licentio habuisse ferunt manuscripti plerique etiam vetu-

stiores ; quod nescimus an intelligi possit ex illis Licentii ad Augustinum versibus in epistola vigesima sexta :

Præsentem ipsa mihi te reddent, si mihi morem
Gesseris, et libros, quibus in te lenta recumbit
Musica, tradideris ; nam ferveo totus in illos.

In primo libro definitio Musicæ, et qui ad hujusce disciplinæ considerationem pertinent, numerosorum motuum species explicantur. In secundo disputatur de syllabis pedibusque metricis. In tertio proponitur tractandum singillatim de rhythmo, de metro et de versu ; atque hic primum rhythmi ratio et proprietates traduntur : tumque incipit tractatio de metro ; quæ in quarto libro continuatur. In quinto disseritur de versu. Quæ porro hactenus multa cum eruditione tractavit Augustinus, vocat ipse nugacitatem, quam apud benevolos officiosi laboris nomine deprecatur initio libri sexti, ubi deinceps studiosorum mentes ex numerorum consideratione ad Deum provehit.

S. AUGUSTINUS, EPIST. 101, MEMORIO EPISCOPO.

« Verum quia in omnibus rerum motibus quid numeri valeant, facilius consideratur in vocibus, eaque consideratio quibusdam quasi gradatis itineribus nititur ad superna intima veritatis, in quibus viis ostendit se sapientia hilariter, et in omni providentia occurrit amantibus : initio nostri otii cum a curis majoribus magisque necessariis vacabat animus, volui per ista quæ a nobis desiderasti scripta proludere, quando conscripsi de solo rhythmo sex libros, et de melo scribere alios forsitan sex, fateor, disponebam, cum mihi otium futurum sperabam. Sed posteaquam mihi curarum ecclesiasticarum sarcina imposita est, omnes illæ deliciæ fugere de manibus, ita ut vix nunc ipsum codicem inveniam, quoniam tuam voluntatem, nec petitionem, sed jussionem, contemnere nequeo. Quod sane opusculum si potuero mittere, non quidem me tibi obtemperasse, verumtamen te hoc a me tantopere flagitasse pœnitebit. Difficillime quippe intelliguntur in eo quinque libri, si non adsit qui non solum disputantium possit separare personas, verum etiam pronuntiando ita sonare morulas syllabarum, ut eis exprimantur sensumque aurium feriant genera numerorum : maxime quia in quibusdam etiam silentiorum dimensa intervalla miscentur, quæ omnino sentiri nequeunt, nisi auditorem pronuntiator informet. Sextum sane librum quem emendatum reperi, ubi est omnis fructus cæterorum, non distuli mittere Charitati tuæ : fortassis ipse tuam non multum refugiet gravitatem. »

*Vide præterea librum* 1, *cap.* 11, Retractationum, *col.* 600–602, *a verbis*, Deinde, ut supra, *n.* 1, *usque ad verba n.* 4, Satis diu pene. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE MUSICA
## LIBRI SEX (*a*).
## *LIBER PRIMUS.*

Traditur musicæ definitio ; et qui ad hujusce disciplinæ considerationem pertinent, motuum numerosorum species ac proportio explicantur.

CAPUT PRIMUM.—*Sonorum certas dimensiones observare non ad grammaticam spectat, sed ad musicam.*

1. MAGISTER : *Modus*, qui pes est ? DISCIPULUS [1] : Pyrrhichius. *M.* Quot temporum est ? *D.* Duum. *M. Bonus*, qui pes est ? *D.* Idem qui et *modus*. *M.* Hoc est ergo *modus*, quod *bonus*. *D.* Non. *M.* Cur ergo idem ? *D.* Quia idem in sono, in significatione aliud. *M.* Concedis ergo eumdem sonum esse cum dicimus,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

A mendis prope innumeris expurgati sunt (Libri de Musica) ad Mss. Corbeiensem optimæ notæ, Arnulfensem, Albinensem, Victorinum, Regium, Vaticanum ; ad lectiones ex Belgicis quatuor per Lovanienses collectas ; et ad editiones Am. Er. et Lov. Præterea libri quinque priores ad alium Victorinum et ad Navarricum Mss. collati sunt ; sextus demum liber ad alium Navar. et alium Victor. ad unum majoris conventus Augustinianorum Paris. et ad Benignianum.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas*, *necnon duos Regiæ Bibliothecæ* Mss., *numeris* A, 7200, *et* B, 7231 *designatos*, *ac operis Augustiniani quamdam epitomen ex ipsis potissimum Augustini verbis concinnatam*, *quam Angelus Maius in pervetusto Codice Bibliothecæ Vaticanæ reperit edidilque Romæ*, *anno* 1828, in tomo 3, parte 3, pag. 116-134, novæ Collectionis scriptorum veterum e Vaticanis Cdd. expressæ. M.

[1] In capite Operis, apud Albinensem Mss. habetur : *Incipit dialogorum Augustini et Licentii de Musica liber primus.* Titulum persimilem præferunt Regius codex et Victorini duo. In Mss. autem Corb. Arnulf. et aliis plerisque, interlocutores Augustinus et Licentius ex nomine designantur per totum opus, ubicumque in editis notæ affixæ sunt Magistri ac Discipuli.

(*a*) Inchoati an. Christi 387, perfecti circiter an. 389.

*modus*, et, *bonus*. *D*. Litterarum sono ista vidéo discrepare, cætéra autem paria esse. *M*. Quid? cum enuntiamus, *pone* verbum, et *pone* adverbium; præter id quod significatio diversa est, nihil tibi videtur sonus distare? *D*. Distat omnino. *M*. Unde distat, cum et iisdem temporibus utrumque, et iisdem litteris constet? *D*. Eo distat [1] quod in diversis locis habent acumen. *M*. Cujus tandem artis est ista dignoscere? *D*. A grammaticis hæc audire soleo, et ibi ea didici; sed utrum hoc ejusdem artis sit proprium, an aliunde usurpatum, nescio. *M*. Post ista videbimus: nunc illud quæro, utrum si tympanum vel chordam bis percuterem tam raptim et velociter quam cum enuntiamus *modus*, aut *bonus;* agnoscerès et tibi eadem tempora esse, an non. *D*. Agnoscerem. *M*. Vocares ergo pedem pyrrhichium. *D*. Vocarem. *M*. Nomen hujus pedis a quo, nisi a grammatico, didicisti? *D*. Fateor. *M*. Ergo de omnibus hujusmodi soniis grammaticus judicabit; an per teipsum istos pulsus didicisti, sed nomen quod imponeres, a grammatico audieras? *D*. Ita est. *M*. Et ausus es nomen quod te grammatica docuit, transferre ad eam rem, quam non pertinere ad grammaticam confiteris? *D*. Video non ob aliud pedi nomen impositum, quam propter temporum dimensionem; quam ubicumque cognovero, eo transferre illud vocabulum cur non audeo? Sed etsi alia vocabula sunt imponenda, cum ejusdem dimensionis soni sunt, sed ad grammaticos tamen non pertinent; quid mihi est de nominibus laborare, cum res aperta sit? *M*. Nec ego id volo: sed tamen cum videas innumerabilia genera sonorum, in quibus certæ dimensiones observari possunt, quæ genera fatemur grammaticæ disciplinæ non esse tribuenda; nonne censes esse aliam aliquam disciplinam, quæ quidquid in hujusmodi sit vocibus numerosum artificiosumque, contineat? *D*. Probabile mihi videtur. *M*. Quod ejus esse nomen existimas? Nam opinor non tibi novum esse omnipotentiam quamdam canendi Musis solere concedi. Hæc est, nisi fallor, illa quæ Musica nominatur. *D*. Et ego hanc esse existimo.

CAPUT II. — *Musica quid sit. Modulari quid sit.*

2. *M*. Sed jam placet nobis de nomine minime laborare: modo inquiramus, si videtur, quam diligentissime possumus, omnem hujus quæcumque est disciplinæ vim atque rationem. *D*. Inquiramus sane: nam hoc totum quidquid est, multum nosse desidero. *M* Defini ergo musicam. *D*. Non audeo. *M*. Potes saltem definitionem meam probare? *D*. Experibor, si dixeris. *M*. Musica est scientia bene modulandi. An tibi non videtur? *D*. Videretur fortasse, si mihi liqueret quid sit ipsa modulatio. *M*. Numquidnam hoc verbum quod modulari dicitur, aut nunquam audisti, aut uspiam nisi in eo quod ad cantandum saltandumve pertineret? *D*. Ita est quidem: sed quia video modulari a modo esse dictum, cum in omnibus bene factis modus servandus sit, et multa etiam in canendo ac saltando quamvis delectent, vilissima sint; volo plenissime accipere quid prorsus sit ipsa modulatio, quo uno pene verbo tantæ disciplinæ definitio continetur. Non enim tale aliquid hic discendum est, quale quilibet cantores histrionesque noverunt. *M*. Illud superius, quod in omnibus etiam præter musicam factis modus servandus est, et tamen in musica modulatio dicitur, non te moveat; nisi forte ignoras dictionem oratoris proprie nominari. *D*. Non ignoro: sed quorsum istuc? *M*. Quia et puer tuus quamlibet impolitissimus et rusticissimus, cum vel uno verbo interroganti tibi respondet, fateris eum aliquid dicere? *D*. Fateor. *M*. Ergo et ille orator est? *D*. Non. *M*. Non igitur dictione usus est cum aliquid dixerit, quamvis dictionem a dicendo dictam esse fateamur. *D*. Concedo: sed et hoc quo pertineat requiro. *M*. Ad id scilicet ut intelligas modulationem posse ad solam musicam pertinere, quamvis modus unde flexum verbum est, possit etiam in aliis rebus esse: quemadmodum dictio proprie tribuitur oratoribus, quamvis dicat aliquid omnis qui loquitur, et a discendo dictio nominata sit. *D*. Jam intelligo.

3. *M*. Illud ergo quod abs te postea dictum est, multa esse in canendo et saltando vilia, in quibus si modulationis nomen accipimus, pene divina ista disciplina vilescit; cautissime omnino abs te animadversum est. Itaque discutiamus primum quid sit modulari, deinde quid sit bene modulari: non enim frustra est definitioni additum. Postremo etiam quod ibi scientia posita est, non est contemnendum: nam his tribus, nisi fallor, definitio illa perfecta est. *D*. Ita fiat. *M*. Igitur quoniam fatemur modulationem a modo esse nominatam; numquidnam tibi videtur metuendum ne aut excedatur modus, aut non impleatur nisi in rebus quæ motu aliquo fiunt? aut si nihil moveatur, possumus formidare ne præter modum aliquid fiat? *D*. Nullo pacto. *M*. Ergo modulatio non incongrue dicitur movendi quædam peritia, vel certe qua fit ut bene aliquid moveatur. Non enim possumus dicere bene moveri aliquid, si modum non servat. *D*. Non possumus quidem: sed necesse erit rursus istam modulationem in omnibus bene factis intelligere. Nihil quippe nisi bene movendo, bene fieri video. *M*. Quid si forte ista omnia per musicam fiant, quamvis modulationis nomen in cujuscemodi [1] organis magis tritum sit, nec immerito? Nam credo videri tibi aliud esse tornatum aliquid ligneum, vel argenteum, vel cujusce materiæ; aliud autem ipsum motum artificis, cum illa tornantur. *D*. Assentior multum differre. *M*. Numquidnam ergo ipse motus propter se appetitur, et non propter id quod vult esse tornatum? *D*. Manifestum est. *M*. Quid? si membra non ob aliud moveret, nisi ut pulchre ac decore moverentur, cum facere aliud nisi saltare diceremus? *D*. Ita videtur. *M*. Quando ergo censes aliquam rem præstare et quasi dominari? cum propter seipsam, an cum propter aliud appetitur? *D*. Quis negat cum propter seipsam? *M*. Repete nunc illud superius quod de modulatione diximus: nam ita eam posueramus, quasi quamdam movendi esse peritiam, et vide ubi magis habere sedem debeat hoc nomen: in eo motu qui velut liber est, id est propter se ipse appetitur, et

[1] *Distant*, juxta Cd. Ms. A et edd. Er. Lugd. M.

[1] Sic Ms. B; at Ms. A, *hujuscemodi*. Edd. *ejuscemodi*. M.

per se ipse delectat; an in eo qui servit quodammodo: nam quasi serviunt omnia quæ non sibi sunt, sed ad aliquid aliud referuntur. *D.* In eo scilicet qui propter se appetitur. *M.* Ergo scientiam modulandi jam probabile est esse scientiam bene movendi; ita ut motus per se ipse appetatur, atque ob hoc per se ipse delectet. *D.* Probabile sane.

CAPUT III. — *Bene modulari quid sit, et cur in musicæ definitione positum.*

4. *M.* Cur ergo additum est, bene; cum jam ipsa modulatio nisi bene moveatur, esse non possit? *D.* Nescio, et quemadmodum mihi ereptum sit ignoro: nam hoc requirendum animo hæserat. *M.* Poterat omnino nulla de hoc verbo controversia fieri, ut jam musicam sublato eo quod positum est, bene, tantum scientiam modulandi definiremus. *D.* Quis enim ferat, si enodare totum ita velis? *M.* Musica est scientia bene movendi. Sed quia bene moveri jam dici potest, quidquid numerose servatis temporum [1] atque intervallorum dimensionibus movetur (jam enim delectat, et ob hoc modulatio non incongrue jam vocatur); fieri autem potest, ut ista numerositas atque dimensio delectet, quando non opus est; ut si quis suavissime canens, et pulchre saltans, velit eo ipso lascivire, cum res severitatem desiderat: non bene utique numerosa modulatione utitur; id est ea motione quæ jam bona, ex eo quia numerosa est, dici potest, male ille, id est incongruenter utitur. Unde aliud est modulari, aliud bene modulari. Nam modulatio ad quemvis cantorem, tantum qui non erret in illis dimensionibus vocum ac sonorum; bona vero modulatio ad hanc liberalem disciplinam, id est ad musicam, pertinere arbitranda est. Quod si nec illa bona tibi motio videtur, ex eo quia inepta est, quamvis artificiose numerosam esse fateare; teneamus illud nostrum, quod ubique servandum est, ne certamen verbi, re satis elucente, nos torqueat; nihilque curemus, utrum musica modulandi, an bene modulandi scientia describatur. *D.* Amo quidem rixas verborum præterire atque contemnere, non tamen mihi displicet ista distinctio.

CAPUT IV.—*Scientia cur in musicæ definitione ponitur.*

5. *M.* Restat ut quæramus cur sit in definitione scientia. *D.* Ita fiat: nam hoc flagitare ordinem memini. *M.* Responde igitur, utrum tibi videatur bene modulari vocem luscinia verna parte anni: nam et numerosus est et suavissimus ille cantus, et, nisi fallor, tempori congruit. *D.* Videtur omnino. *M.* Numquidnam liberalis hujus disciplinæ perita est? *D.* Non. *M.* Vides igitur nomen scientiæ definitioni pernecessarium. *D.* Video prorsus. *M.* Dic mihi ergo, quæso te; nonne tales tibi omnes videntur, qualis illa luscinia est, qui sensu quodam ducti bene canunt, hoc est numerose id faciunt ac suaviter, quamvis interrogati de ipsis numeris, vel de intervallis acutarum gravium-que vocum, respondere non possint? *D.* Simillimos eos puto. *M.* Quid? ii qui illos sine ista scientia libenter audiunt; cum videamus elephantos, ursos, aliaque nonnulla genera bestiarum ad cantus moveri, avesque ipsas delectari suis vocibus (non enim nullo extra proposito [1] commodo tam impense id agerent sine quadam libidine); nonne pecoribus comparandi sunt? *D.* Censeo: sed pene in omne genus humanum tendit hæc contumelia. *M.* Non est quod putas. Nam magni viri, etsi musicam nesciunt, aut congruere plebi volunt, quæ non multum a pecoribus distat, et cujus ingens est numerus, quod modestissime ac prudentissime faciunt (sed de hoc nunc disserendi locus non est); aut post magnas curas relaxandi ac reparandi animi gratia moderatissime ab iis aliquid voluptatis assumitur. Quam interdum sic capere modestissimum est; ab ea vero capi vel interdum, turpe atque indecorum est.

6. Sed quid tibi videtur? qui vel tibiis canunt vel cithara, atque hujusmodi instrumentis, numquidnam possunt lusciniæ comparari? *D.* Non. *M.* Quid igitur distant? *D.* Quod in istis artem quamdam esse video, in illa vero solam naturam. *M.* Verisimile dicis; sed ars tibi videtur ista esse dicenda, etiamsi quadam imitatione id faciunt? *D.* Cur non? Nam video tantum valere in artibus imitationem, ut, ea sublata, omnes pene perimantur. Præbent enim se magistri ad imitandum, et hoc ipsum est quod vocant docere. *M.* Videtur tibi ars ratio esse quædam, et ii qui arte utuntur, ratione uti: an aliter putas? *D.* Videtur. *M.* Quisquis igitur ratione uti non potest, arte non utitur. *D.* Et hoc concedo. *M.* Censesne muta animalia, quæ etiam irrationalia dicuntur, uti posse ratione? *D.* Nullo modo. *M.* Aut igitur picas et psittacos et corvos rationalia esse dicturus es animalia, aut imitationem nomine artis temere vocasti. Videmus enim has aves et multa canere ac sonare quodam humano usu, et nonnisi imitando facere: nisi tu aliter credis. *D.* Quomodo hoc confeceris, et quantum contra responsionem meam valeat, nondum plane intelligo. *M.* Quæsiveram ex te, utrum citharistas et tibicines, et hujusmodi aliud genus hominum, artem diceres habere, etiamsi id quod in canendo faciunt, imitatione assecuti sunt. Dixisti esse artem, tantumque id valere affirmasti, ut omnes pene tibi artes periclitari viderentur imitatione sublata. Ex quo jam colligi potest, omnem qui imitando assequitur aliquid, arte uti; etiamsi forte non omnis qui arte utitur, imitando eam perceperit. At [2] si omnis imitatio ars est, et ars omnis ratio; omnis imitatio ratio: ratione autem non utitur irrationale animal; non igitur habet artem: habet autem imitationem; non est igitur ars imitatio. *D.* Ego multas artes imitatione constare dixi, non ipsam imitationem artem vocavi. *M.* Quæ igitur artes imitatione constant, non eas censes ratione constare? *D.* Imo utroque puto eas constare. *M.* Nihil repugno, sed scientiam in quo ponis; in ratione, an in imitatione? *D.* Et hoc in utroque. *M.* Ergo scientiam illis avibus dabis, quibus imitationem non adimis. *D.* Non dabo: ita enim dixi

[1] Sic in Mss.; at Lov., *quidquid numerositatis temporum.* Am. et Er. habent, *quidquid numerositatis, quæ temporum.* — Benedictinis adstipulatur Vatic. Cd. M.

[1] In B., *posito.* Ms. A, Vatic. Cd., *proposito.* M.
[2] In B., *aut.* Mss. A et B, *at.* M.

in utroque esse scientiam, ut in sola imitatione esse non possit. *M.* Quid? in sola ratione videtur tibi esse posse? *D.* Videtur. *M.* Aliud igitur putas esse artem, aliud scientiam. Siquidem scientia et in sola ratione esse potest, ars autem rationi jungit imitationem. *D.* Non video esse consequens. Non enim omnes, sed multas artes dixeram, simul ratione atque imitatione constare. *M.* Quid? scientiam vocabisne etiam illam, quæ his duobus simul constat; an ei solam partem rationis attribues? *D.* Quid enim me prohibet vocare scientiam, cum rationi adjungitur imitatio?

7. *M.* Quoniam nunc agimus de citharista et tibicine, id est de musicis rebus; volo mihi dicas, utrum corpori tribuendum sit, id est obtemperationi cuidam corporis, si quid isti homines imitatione faciunt. *D.* Ego istam et animo simul et corpori tribuendam puto: quanquam idipsum verbum satis proprie abs te positum est, quod obtemperationem corporis appellasti: non enim obtemperare nisi animo potest. *M.* Video te cautissime imitationem non soli corpori voluisse concedere. Sed numquid scientiam negabis ad solum animum pertinere? *D.* Quis hoc negaverit? *M.* Nullo modo igitur scientiam in sonis nervorum [1] et tibiarum, simul et rationi et imitationi tribuere sineris. Illa enim imitatio non est, ut confessus es, sine corpore; scientiam vero solius animi esse dixisti. *D.* Ex iis quidem quæ tibi concessi, fateor hoc esse confectum: sed quid ad rem? Habebit enim et tibicen scientiam in animo. Neque enim cum ei accedit imitatio, quam sine corpore dedi esse non posse, adimet illud quod animo amplectitur. *M.* Non adimet quidem: nec ego affirmo eos, a quibus organa ista tractantur, omnes carere scientia, sed non habere omnes dico. Istam enim ad hoc volvimus quæstionem, ut intelligamus, si possumus, quam recte sit scientia in illa definitione musicæ posita; quam si omnes tibicines et fidicines, et id genus alii quilibet habent, nihil ista disciplina puto esse vilius, nihil abjectius.

8. Sed attende quam diligentissime, ut quod diu jam molimur appareat. Certe enim jam mihi dedisti in solo animo habitare scientiam. *D.* Quidni dederim? *M.* Quid? sensum aurium animone, an corpori, an utrique concedis? *D.* Utrique. *M.* Quid memoriam? *D.* Animo puto esse tribuendam. Non enim si per sensus percipimus aliquid quod memoriæ commendamus, ideo in corpore memoria esse putanda est. *M.* Magna fortasse ista quæstio est, neque huic opportuna sermoni. Sed quod proposito sat est, puto te negare non posse, bestias habere memoriam. Nam et nidos post annum revisunt hirundines, et de capellis verissime dictum est:

> Atque ipsæ memores redeunt in tecta capellæ.
> (*Georg. lib.* 3, *v.* 316.)

Et canis heroem dominum, jam suis hominibus oblitum recognovisse prædicatur (*Odysseæ* ρ, *v.* 291 *seqq.*). Et innumerabilia, si velimus, animadvertere possumus, quibus id quod dico manifestum est. *D.* Nec ego istud nego, et quid te adjuvet, vehementer exspecto.

[1] *Verborum*, juxta Mss. A et B. M.

*M.* Quid putas, nisi quod scientiam qui soli animo tribuit, eamque omnibus irrationalibus animantibus adimit, neque in sensu eam, neque in memoria (nam illud non est sine corpore, et utrumque etiam in bestia est), sed in solo intellectu collocavit? *D.* Et hoc exspecto quid te adjuvet. *M.* Nihil aliud, nisi omnes qui sensum sequuntur, et quod in eo delectat, memoriæ commendant, atque secundum id corpus moventes, vim quamdam imitationis adjungunt; non eos habere scientiam, quamvis perite ac docte multa facere videantur, si rem ipsam quam profitentur aut exhibent, intellectus puritate ac veritate non teneant. At si tales esse istos theatricos operarios ratio demonstraverit; nihil erit, ut opinor, cur dubites eis negare scientiam, et ob hoc musicam, quæ scientia modulandi est, nequaquam concedere. *D.* Explica hoc; videamus quale sit.

9. *M.* Mobilitatem digitorum celeriorem vel pigriorem credo te non scientiæ, sed usui dare. *D.* Cur ita credis id? *M.* Quia superius soli animo scientiam tribuebas, hoc autem quanquam imperante animo tamen esse corporis vides. *D.* Sed cum sciens animus hoc imperat corpori, magis hoc scienti animo, quam servientibus membris tribuendum puto. *M.* Nonne censes posse fieri ut unus alium scientia præcedat, cum ille imperitior multo facilius et expeditius digitos moveat? *D.* Censeo. *M.* At si motus celer et expeditior digitorum scientiæ tribuendus esset, tanto in eo quisque excelleret, quanto esset scientior. *D.* Concedo. *M.* Attende etiam istud. Nam opinor nonnunquam te animadvertisse fabros, vel hujusmodi opifices, ascia sive securi eumdem locum feriendo repetere, et non alio quam eo quo intendit animus ictum perducere; quod nos tentantes cum assequi nequimus, ab eis sæpe irridemur. *D.* Ita est ut dicis. *M.* Ergo cum id nos facere non valemus, numquid ignoramus quid feriri debeat, vel quantum debeat amputari? *D.* Sæpe ignoramus, sæpe scimus. *M.* Fac ergo aliquem nosse omnia, quæ fabri facere debeant, et perfecte nosse, minus tamen valere in opere; sed eisdem ipsis qui facillime operantur, multa dictare solertius quam illi per se judicare [1] possent; an id usu evenire negas? *D.* Non nego. *M.* Non igitur solum movendi celeritas atque facilitas, sed etiam motionis modus ipse in membris, usui potius quam scientiæ tribuendus est. Nam si aliter esset, eo quisque manibus melius uteretur quo esset peritior: quod licet ad tibias citharasve referamus, ne quod ibi digiti atque articuli faciunt, quia difficile nobis est, scientia potius quam usu et sedula imitatione ac meditatione fieri putemus. *D.* Non queo resistere; nam et medicos audire soleo doctissimos viros, sæpe in secandis, vel quoquo modo comprimendis membris, in eo quod manu ac ferro fiat, ab imperitioribus antecedi: quod genus curandi chirurgiam nominant, quo vocabulo satis significatur operaria quædam in manibus medendi consuetudo. Perge itaque ad cætera, et jam istam confice quæstionem.

[1] In B., *indicare*; sic etiam Lov.; at Er. Lugd. Ven. Mss. A et B, *judicare*. M.

CAPUT V. — *Sensus musices an insit a natura.*

10. *M.* Illud restat, ut opinor, ut inveniamus, si possumus, has ipsas artes quæ nobis per manus placent[1] ut illius usus potentes essent, non continuo scientiam, sed sensum ac memoriam secutas : ne forte mihi dicas fieri quidem posse, ut scientia sine usu sit, et major plerumque quam est in eis qui usu excellunt ; sed tamen etiam illos ad usum tantum non potuisse sine ulla scientia pervenire. *D.* Aggredere : nam ita deberi manifestum est. *M.* Nunquamne hujusmodi histriones audisti studiosius? *D.* Plus fortasse quam vellem. *M.* Unde fieri putas, ut imperita multitudo explodat sæpe tibicinem nugatorios sonos efferentem; rursumque plaudat bene canenti, et prorsus quanto suavius canitur, tanto amplius et studiosius moveatur? Numquidnam id a vulgo per artem musicam fieri credendum est? *D.* Non. *M.* Quid igitur? *D.* Natura id fieri puto, quæ omnibus dedit sensum audiendi, quo ista judicantur. *M.* Recte putas. Sed jam etiam illud vide, utrum et tibicen ipse hoc sensu præditus sit. Quod si ita est, potest ejus sequens judicium movere digitos cum tibias inflaverit, et quod satis commode pro arbitrio sonuerit, id notare ac mandare memoriæ, atque id repetendo consuefacere digitos eo ferri sine ulla trepidatione et errore, sive ab alio accipiat id quod cantet, sive ipse inveniat, illa de qua dictum est ducente atque approbante natura. Itaque cum sensum memoria, et articuli memoriam sequuntur, usu jam edomiti atque præparati ; canit cum vult tanto melius atque jucundius, quanto illis omnibus præstat quæ superius ratio docuit cum bestiis nos habere communia, appetitum scilicet imitandi, sensum atque memoriam. Numquid habes adversum ista quod dicas? *D.* Ego vero nihil habeo. Jam audire cupio cujusmodi sit illa disciplina, quam profecto a cognitione vilissimorum animorum video subtilissime vindicatam.

CAPUT VI. — *Cantores theatricos nescire musicam.*

11. *M.* Nondum est satis quod factum est, nec ad ejus explicationem transire nos sinam, nisi quemadmodum constitit inter nos posse histriones sine ista scientia satisfacere voluptati aurium popularium; ita etiam nullo modo esse posse histriones musicæ studiosos peritosque constiterit. *D.* Mirum si hoc effeceris. *M.* Facile id quidem, sed attentiore te mihi opus est. *D.* Nunquam equidem, quod sciam, remissior in audiendo fui, ab usque sermo iste sumpsit exordium : sed nunc me, fateor, multo erectiorem reddidisti. *M.* Gratum habeo, quanquam tibi te commodes magis. Itaque responde, si placet, utrum tibi videatur scire quid sit aureus solidus, qui eum æquo pretio vendere cupiens, decem nummos eum valere putaverit? *D.* Cui hoc videatur? *M.* Nunc age, dic mihi, quid charius habendum sit; quod nostra intelligentia continetur, an quod nobis fortuito imperitorum judicio tribuitur. *D.* Nulli dubium est, longe illud primum præstare cæteris omnibus, quæ ne nostra quidem putanda sunt. *M.* Num ergo negas omnem scientiam intelligentia contineri? *D.* Quis negat? *M.* Et musica igitur ibi est. *D.* Video ex ejus definitione id esse consequens. *M.* Quid? plausus populi et omnia illa theatrica præmia, nonne tibi ex eo genere videntur, quod in potestate fortunæ et imperitorum judicio positum est? *D.* Nihil magis arbitror esse fortuitum obnoxiumque casibus et plebeiæ dominationi nutibusque subjectum, quam illa sunt omnia. *M.* Hoccine igitur pretio cantus suos venderent histriones, si musicam scirent? *D.* Non parum quidem hac conclusione commoveor, sed nonnihil habeo quod contradicam. Nam ille venditor solidi cum isto comparandus non videtur : non enim accepto plausu aut qualibet sibi largita pecunia scientiam, si quam forte habet qua populum delectavit, amittit ; sed onustior nummo, et laude hominum lætior, cum eadem disciplina incolumi atque integra domum discedit : stultus autem esset, si commoda illa contemneret, quæ non adeptus multo esset ignobilior atque pauperior; adeptus autem nihilo esset indoctior.

12. *M.* Vide ergo utrum vel isto conficiamus quod volumus. Nam credo videri tibi multo esse præstantius, id propter quod aliquid facimus, quam idipsum quod facimus. *D.* Manifestum est. *M.* Qui ergo cantat vel cantare discit, non ob aliud nisi ut laudetur a populo, vel omnino abs quovis homine, nonne judicat meliorem laudem illam esse quam cantum? *D.* Negare non possum. *M.* Quid? ille qui male de aliqua re judicat, videtur tibi eam scire? *D.* Nullo modo, nisi forte quoquo modo corruptus. *M.* Ergo qui vere putat melius esse aliquid quod deterius est, nullo dubitante scientia ejus caret. *D.* Ita est. *M.* Quando igitur mihi vel persuaseris vel ostenderis quemlibet histrionum non ideo illam, si quam habet facultatem, vel assecutum esse vel exhibere ut populo placeat propter quæstum aut famam ; concedam posse quemquam et musicæ habere scientiam, et esse histrionem. Si autem perprobabile est, neminem esse histrionum qui non sibi professionis finem in pecunia seu gloria constituat ac proponat, fateare necesse est aut musicam nescire histriones, aut magis expetendam esse ab aliis laudem, vel quæque alia fortuita commoda, quam a nobismetipsis intelligentiam[1]. *D.* Video me, qui superiora concesserim, etiam istis cedere debere. Non enim mihi ullo modo videri potest de scena inveniri posse talem virum, qui artem suam propter seipsam, non propter extra posita commoda diligat; cum de gymnasio vix talis inveniatur : quanquam si quis existit, vel exstiterit, non eo contemnendi musici, sed honorandi aliquando histriones possint videri. Quamobrem explica jam, si placet, tantam istam, quæ jam vilis mihi videri non potest, disciplinam.

CAPUT VII. — *Diu et non diu in motu.*

13. *M.* Faciam, imo tu facies. Nam ego nihil aliud quam rogabo te ac percontabor : tu vero totum hoc quidquid est, et quod nunc nesciens quærere videris,

[1] Ms. A, *has ipsas quæ nobis perplacent manus.* M.

[1] Ms. A addit : *Et quia ab aliis expetunt laudem et commoda, et a nobis intelligentiam non expetunt, cum præjudicant id quod vilius est, eo quod est carius, constat, quia ejus scientiam non habent ;* addita sane perperam. M.

respondendo explicabis. Itaque jam ex te quæro, utrum quisquam possit, et diu et velociter currere. *D.* Potest. *M.* Quid, tarde et velociter? *D.* Nullo modo. *M.* Aliud ergo est diu, aliud tarde. *D.* Aliud omnino. *M.* Item quæro, quid putes diuturnitati esse contrarium, sicuti est tarditati velocitas. *D.* Non mihi occurrit usitatum nomen. Itaque diuturno nihil video quod opponam, nisi non diuturnum, ut ei quod dicitur, diu, contrarium sit non diu, quia et velociter si nollem dicere, et pro eo non tarde dicerem, nihil aliud significaretur. *M.* Verum dicis. Nihil enim deperit, cum ita loquimur, veritati. Nam et mihi si est hoc nomen, quod tibi non occurrisse dicis, aut ignoratur a me, aut in præsentia non venit in mentem. Quamobrem sic agamus, ut hæc bina contraria appellemus hoc modo, diu et non diu, tarde et velociter. Ac primum de diuturno et non diuturno disseramus, si placet. *D.* Ita fiat.

### CAPUT VIII. — *Propositio in motu diuturno et non diuturno.*

14. *M.* Manifestumne tibi est, id dici diù fieri quod per longum, id autem non diu quod per breve tempus fit? *D.* Manifestum. *M.* Motus igitur qui fit, verbi gratia, duabus horis, nonne ad eum qui una hora fit, duplum habet temporis? *D.* Quis hinc dubitaverit? *M.* Recipit ergo id quod diu vel non diu dicimus dimensiones hujusmodi et numeros, ut alius motus ad alium, tanquam duo ad unum sit; id est ut bis tantum habeat alius quantum semel[1]: alius item ad alium tanquam tria ad duo, id est ut tantas tres partes temporis habeat, quantas alius duas: atque ita per cæteros numeros licet currere, ut non sint spatia indefinita et indeterminata, sed habeant ad se duo motus aliquem numerum; aut eumdem, velut unum ad unum, ad duo duo, ad tria tria, quatuor ad quatuor[2]: aut non eumdem, ut unum ad duo, duo ad tria, tria ad quatuor; aut unum ad tria, duo ad sex, et quidquid potest[3] aliquid ad sese dimensionis obtinere. *D.* Planius ista quæso. *M.* Revertere ergo ad illas horas, et quod satis putabam dictum, cum de una hora et de duabus dixissem, per omnia considera. Certe enim non negas posse fieri aliquem motum tempore unius horæ, et alium duarum. *D.* Verum est. *M.* Quid? alium duarum, alium trium non fateris? *D.* Fateor. *M.* Et alium tribus horis fieri, alium quatuor; rursus alium una, alium tribus; aut alium duabus, alium sex, nonne manifestum est? *D.* Manifestum. *M.* Cur ergo et illud non manifestum sit? Nam hoc dicebam cum duos motus habere ad se posse aliquem numerum dicerem, velut unum ad duo, duo ad tria, tria ad quatuor; unum ad tria, duo ad sex, et si quos alios recensere volueris. His enim cognitis, est et[4] potestatis persequi cætera, sive septem ad decem, sive quinque ad octo, et quidquid omnino est in duobus motibus ita partes dimensas habentibus ad invicem, ut possint dici tot ad tot; sive æquales numeri sint, sive alius major, alius minor. *D.* Jam intelligo, et fieri posse concedo.

### CAPUT IX. — *Motus rationabiles et irrationabiles, connumerati et dinumerati.*

15. *M.* Illud etiam, ut opinor, intelligis, omnem mensuram et modum immoderationi et infinitati[1] recte anteponi. *D.* Manifestissimum est. *M.* Duo igitur motus qui ad sese, ut dictum est, habent aliquam numerosam dimensionem, iis qui eam non habent antеponendi sunt. *D.* Et hoc manifestum est atque consequens: illos enim certus quidam modus, atque mensura quæ in numeris est, sibimet copulat; qua qui carent, non utique sibi aliqua ratione junguntur. *M.* Appellemus ergo, si placet, illos qui inter se dimensi sunt, rationabiles; illos autem qui ea dimensione carent, irrationabiles. *D.* Placet vero. *M.* Jam illud attende, utrum tibi videatur major concordia in motibus rationabilibus eorum qui æquales sunt inter se, quam eorum qui sunt inæquales. *D.* Cui hoc non videatur? *M.* Porro inæqualium, nonne alii sunt in quibus possumus dicere, quota parte sua major aut coæquetur minori, aut eum excedat, ut duo et quatuor, vel sex et octo; alii autem in quibus non idem dici potest, sicut in his numeris, tria et decem, vel quatuor et undecim[2]? Cernis profecto in illis duobus numeris superioribus dimidia parte majorem minori coæquari; in iis rursum quos posterius dixi, minorem a majore quarta parte majoris excedi: in his autem aliis, quales sunt tria et decem, vel quatuor et undecim, videmus quidem nonnullam convenientiam, quia partes ad se habent, de quibus dici possit, tot ad tot; sed numquid talem, qualis est in superioribus? Nam neque quota parte minori major æquetur, neque quota parte minorem major excedat, dici ullo modo potest. Nam neque tria quota pars sit denarii numeri, neque quatuor quota pars sit undenarii, dixerit quispiam. Cum autem dico ut consideres quota sit pars, liquidam dico, et sine ullo additamento; sicuti est dimidia, tertia, quarta, quinta, sexta, et deinceps; non ut trientes et semiunciæ, et hoc genus præcisionum aliquid addatur. *D.* Jam intelligo.

16. *M.* Ergo ex his inæqualibus motibus rationabilibus, quoniam duo genera subjectis etiam numerorum exemplis proposui, quos quibus anteponendos arbitraris? illosne in quibus illa quota pars dici potest, an in quibus non potest? *D.* Illos mihi ratio videtur anteponendos jubere, in quibus potest dici, ut demonstratum est, quota parte sui major aut coæquetur minori, aut eum excedat, iis in quibus idem non evenit. *M.* Recte. Sed visne etiam his nomina imponamus, ut cum eos deinceps commemorare necesse fuerit,

[1] Mss. A et B ac Edd. omnes non habent, *alius quantum semel.* Sic legit Vatic. Cd.: *Ut bis tantum habeat spatii, quantum habet ille qui una hora fit.* M.

[2] Sic veteres Mss.; at Edd. habent: *Aut eumdem, ut quantum temporis unus, tantum teneat alter, aut non eumdem,* etc. — Sic etiam Ms. A et Cd. Vatic. M.

[3] Cd. Vatic., *potest omnino,* addita voce *omnino.* M.

[4] Cd. Vatic. legit simpliciter, *est potestatis,* sublata vocula *et.* M.

[1] Mss. plures, *et informitati recte anteponi.* — Quod etiam ferunt Mss. nostri et Vatic. Cd. M.

[2] In B.: *Inæqualium, nonne alii sunt in quibus possumus dicere, quota parte sua major aut coæquetur minori, aut eum excedat; alii autem in quibus non idem dici potest, sicut in his numeris, duo et quatuor, vel sex et octo.* Locum hunc damus emendatum ex Vatic. M.

expeditius loquamur? *D.* Volo sane. *M.* Appellemus ergo istos quos præponimus, connumeratos; illos autem quibus hos præponimus, dinumeratos: propterea quia isti superiores non solum singuli numerantur, sed etiam ea parte qua major minori æquatur vel eum excedit, se metiuntur et numerant; illi autem posteriores singillatim tantummodo ad se numerantur, ea vero parte qua vel æquatur minori major, vel excedit non se metiuntur et numerant. Non enim potest in eis dici, aut quoties habeat minorem major; aut illud quo excedit major minorem quoties habeat et major et minor. *D.* Accipio et ista vocabula, et quantum valeo, faciam ut meminerim.

### CAPUT X. — *Motus complicati et sesquati.*

17. *M.* Age nunc videamus connumeratorum quæ possit esse partitio: namque arbitror eam esse perspicuam. Unum enim genus est connumeratorum, in quo minor numerus metitur majorem; id est aliquoties eum habet major [1] sicut numeros duo et quatuor esse diximus: videmus enim duo a quatuor bis haberi; quæ ter haberentur, si non quatuor, sed sex ad duo poneremus; quater autem, si octo; quinquies, si decem. Aliud genus est, in quo ea pars qua excedit major minorem, ambos metitur; id est aliquoties habent eam et major et minor, quod in illis numeris jam perspeximus, sex et octo. Nam pars illa qua exceditur minor, duo sunt, quos vides esse in octonario numero quater, in senario ter: quare hos quoque motus de quibus agitur, et numeros per quos illustratur quod in motibus discere volumus, notemus atque signemus vocabulis. Nam eorum distinctio jamdudum, nisi fallor, apparet. Quocirca, si tibi jam videtur, illi ubi multiplicato minore fit major, vocentur complicati; illi autem sesquati, veteri jam nomine. Nam sesque appellatur [2], ubi duo numeri ad se ea ratione affecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem major, quota parte sui eum præcedit: nam si est tria ad duo, tertia parte sui præcedit major minorem; si quatuor ad tria, quarta; si quinque ad quatuor, quinta, atque ita deinceps: eadem ratio est, et in sex ad quatuor, octo ad sex, decem ad octo; et inde licet hanc rationem et [3] in consequentibus et in majoribus numeris animadvertere atque explorare. Nominis autem hujus originem non facile dixerim: nisi forte sesque quasi se absque dictum, id est absque se, quia quinque ad quatuor [4], absque quinta parte sua major hoc est quod minor. Quibus de rebus quæro quid tibi videatur. *D.* Mihi vero et illa ratio dimensionum atque numerorum videtur verissima; et vocabula quæ abs te imposita sunt, congrua mihi videntur commemorandis eis rebus quas intelleximus: et hujus origo nominis quam nunc explicasti, non est absurda, etiamsi forte non ea sit quam secutus est qui hoc nomen instituit.

[1] *Aliquoties habent minorem major*, juxta Vatic. M.
[2] In B., *appellantur*. Vatic., *appellatur*.
[3] In B. omittitur, *et*, quod ex Vatic. restituimus. M.
[4] *Si quinque est ad quatuor*, juxta Ms. A et Vatic. M.

### CAPUT XI. — *Motus et numerus in infinitum progrediens ut ad certam formam coercetur.*

18. *M.* Probo et accipio sententiam tuam: sed videsne omnes istos rationabiles motus, id est qui ad sese habent aliquam numerorum dimensionem, in infinitum posse per numeros pergere, nisi rursus eos certa ratio coercuerit, et ad quemdam modum formamque revocaverit? Nam ut primo de ipsis æqualibus dicam; unum ad unum, duo ad duo, tria ad tria, quatuor ad quatuor, ac deinceps si persequar, quis finis erit, cum ipsius numeri finis nullus sit? Namque ista vis numero inest, ut omnis dictus finitus sit, non dictus autem infinitus. Et quod æqualibus evenit, hoc etiam inæqualibus evenire potes animadvertere, sive complicatis, sive sesquatis, sive connumeratis, sive dinumeratis. Si enim unum ad duo constituas, et in ea multiplicatione permanere velis, dicendo unum ad tria, unum ad quatuor, unum ad quinque, et deinceps; non erit finis: sive sola dupla, ut unum ad duo, duo ad quatuor, quatuor ad octo, octo ad sexdecim, et deinde; hic quoque nullus est finis: ita et tripla sola et quadrupla sola, et quidquid horum tentare volueris, in infinitum progrediuntur. Ita etiam sesquati: nam duo ad tria, tria ad quatuor, quatuor ad quinque cum dicimus; vides nihil prohibere cætera persequi, nullo resistente fine: sive isto modo velis in eodem genere perseverans, ut duo ad tria, quatuor ad sex, sex ad novem, octo ad duodecim, decem ad quindecim, et deinceps; sive in hoc genere, sive in cæteris, nullus finis occurrit. Quid opus est de dinumeratis jam dicere, cum ex iis quæ jam dicta sunt quivis intelligere possit, in iis quoque gradatim surgentibus nullum esse finem? An tibi non videtur?

19. *D.* Quid hoc vero verius dici potest? Sed jam illam rationem quæ istam infinitatem revocat ad certum modum formamque præscribit quam excedere non oporteat, avidissime cognoscere exspecto. *M.* Hanc quoque, ut alia, temetipsum nosse cognosces, cum me interrogante vera responderis. Nam primo abs te quæro, quoniam de numerosis motibus agimus, utrum ipsos debeamus consulere numeros, ut quas nobis leges certas fixasque monstraverint, eas in illis motibus animadvertendas observandasque judicemus. *D.* Placet vero: non enim quidquam ordinatius fieri posse arbitror. *M.* Ergo ab ipso, si videtur, principio numerorum capiamus considerationis hujus exordium et videamus, quantum pro viribus mentis nostræ talia valemus intueri, quænam sit ratio, ut quamvis per infinitum, ut dictum est, numerus progrediatur, articulos quosdam homines in numerando fecerint; a quibus ad unum rursus redeant, quod est principium numerorum. In numerando enim progredimur ab uno usque ad decem, atque inde ad unum revertimur: ac [1] si denariam complicationem persequi velis, ut hoc modo progrediaris, decem, viginti, triginta, quadraginta; usque ad centum est progressio: si centenariam, centum, ducenta, trecenta, quadringenta; in

[1] In B., *at*. Ms. A, *ac*, et melius. M.

mille est articulus a quo redeatur. Quid jam opus est ultra quærere? Vides certe quos articulos dicam, quorum prima regula denario numero præscribitur. Nam ut decem, decies habent unum; ita centum, decies habent eosdem decem; et mille, decies habent centum; et ita deinceps quousque libitum est progredi, ibit [1] in hujuscemodi quasi articulis, quod in denario numero præfinitum est. An aliquid horum non intelligis? *D.* Manifestissima sunt omnia, et verissima.

CAPUT XII. — *Cur ab uno ad decem progressus, et inde ad unum reditus in numerando fiat.*

20. *M.* Hoc ergo quantum diligenter possumus perscrutemur, quænam sit ratio ut ab uno usque ad decem progressus, et inde rursus ad unum reditus fiat. Unde abs te quæro, utrum quod vocamus principium, possit omnino nisi alicujus esse principium. *D.* Nullo modo potest. *M.* Item quod dicimus finem, potestne nisi alicujus rei finis esse? *D.* Etiam id non potest. *M.* Quid? a principio ad finem num putas perveniri posse, nisi per aliquod medium? *D.* Non puto. *M.* Ergo ut totum aliquid sit, principio et medio et fine constat. *D.* Ita videtur. *M.* Dic itaque nunc, principium, medium et finis, quo numero tibi contineri videantur. *D.* Arbitror ternarium numerum te velle ut respondeam: tria enim quædam sunt, de quibus quæris. *M.* Recte arbitraris. Quare in ternario numero quamdam esse perfectionem vides, quia totus est: habet enim principium, medium et finem. *D.* Video plane. *M.* Quid? illud nonne ab incunte pueritia didicimus, omnem numerum aut parem esse, aut imparem? *D.* Verum dicis. *M.* Recordare ergo et dic mihi, quem soleamus dicere parem, quem imparem numerum. *D.* Ille qui potest in duas partes æquales dividi, par; qui autem non potest, impar vocatur.

21. *M.* Rem tenes. Cum igitur ternarius primus sit totus impar; et principio enim, et medio, et fine constat, ut dictum est; nonne oportet etiam parem esse totum atque perfectum, ut in eo etiam principium, medium, finisque inveniatur? *D.* Oportet sane. *M.* At iste quisquis est, non potest habere individuum medium sicut impar: si enim haberet, non posset in duas æquales partes dividi, quod esse proprium paris numeri diximus. Individuum autem medium est unum, dividuum duo. Medium autem est in numeris, a quo ambo latera sibimet sunt æqualia. An aliquid obscure dictum est, minusque assequeris? *D.* Imo mihi et hæc manifesta sunt, et dum quæro totum numerum parem, quaternarius primus occurrit. Nam in duobus quomodo possunt tria illa inveniri, per quæ totus est numerus, id est principium, medium et finis? *M.* Idipsum omnino abs te responsum est quod volebam, et quod ipsa ratio cogit fateri. Repete itaque ab ipso uno tractationem, atque considera; videbis profecto ideo unum non habere medium et finem, quia tantum principium est; vel ideo esse principium, quia medio et fine caret. *D.* Manifestum est. *M.* Quid ergo dicemus de duobus? Num possumus in eis intelligere principium et medium, cum medium esse non possit, nisi ubi finis est; aut principium et finem, cum ad finem nisi per medium non queat perveniri? *D.* Urget ratio confiteri; et quid de hoc numero respondeam, prorsus incertus sum. *M.* Vide ne [1] iste quoque numerus possit principium esse numerorum. Nam si medio caret et fine, quod, ut dixisti, cogit ratio confiteri; quid restat, nisi ut sit hoc quoque principium? An dubitas duo principia constituere? *D.* Vehementer dubito. *M.* Bene faceres, si ex adverso sibi constituerentur duo principia: nunc autem hoc alterum principium de illo primo est, ut illud a nullo sit, hoc vero ab illo: unum enim et unum duo sunt, et principia ita sunt ambo, ut omnes numeri quidem ab uno sint; sed quia per complicationem atque adjunctionem quamdam fiunt, origo autem complicationis et adjunctionis duali numero recte tribuitur: fit ut illud primum principium a quo numeri omnes; hoc autem alterum per quod numeri omnes, esse inveniantur. Nisi quid habes adversum ista quod disseras. *D.* Ego vero nihil, et sine admiratione ista non cogito; quamvis ea, interrogatus abs te, ipse respondeam.

22. *M.* Subtilius ista quæruntur atque abstrusius in ea disciplina quæ est de numeris: hic autem nos ad institutum opus quanto citius possumus, redeamus. Quocirca quæro, uni duo juncta quid faciunt? *D.* Tria. *M.* Ergo hæc duo principia numerorum sibimet copulata, totum numerum faciunt atque perfectum. *D.* Ita est. *M.* Quid? in numerando post unum et duo quem numerum ponimus? *D.* Eadem tria. *M.* Idem igitur numerus, qui fit ex uno et duobus, post utrumque in ordine collocatur, ita ut nullus alius interponi queat. *D.* Ita video. *M.* Atqui et illud videas oportet, in nullis reliquis numeris id posse contingere, ut cum duos quoslibet sibimet in numerandi ordine copulatos notaveris, consequatur eos ille qui ex ambobus conficitur, nullo interposito. *D.* Id quoque video: nam duo et tria, qui sibi numeri copulati sunt, in summa quinque faciunt: non autem quinque continuatim sequuntur, sed quatuor. Rursus tria et quatuor septem conficiunt: inter quatuor autem ac septem, quinque atque sex ordinati sunt. Et quanto progredi voluero, tanto plures interponuntur. *M.* Magna hæc ergo concordia est in prioribus tribus numeris: unum enim et duo et tria dicimus, quibus nihil interponi potest: unum autem et duo, ipsa sunt tria. *D.* Magna prorsus. *M.* Quid? illud nullane consideratione dignum putas, quod ista concordia quanto est arctior atque conjunctior, tanto magis in unitatem quamdam tendit, et unum quiddam de pluribus efficit? *D.* Imo maxima, et nescio quomodo, et miror, et amo istam quam commendas unitatem. *M.* Multum probo; sed certe quælibet rerum copulatio atque connexio tunc maxime unum quiddam efficit, cum et media extremis, et mediis extrema consentiunt. *D.* Ita certe oportet.

23. *M.* Attende igitur ut hoc in ista connexione vi-

[1] Lov., *progrediuntur in hujuscemodi quasi articulis.* Am. et Er., *Progredi, vivit in hujuscemodi*, etc.; at Mss. meliores habent, *progredi ibit*, etc.

[1] *Vide an iste*, juxta Ms. A. M.

deamus. Nam cum unum, duo, tria dicimus, nonne quanto unum a duobus, tanto duo a tribus superantur? *D.* Verissimum est. *M.* Dic jam nunc mihi, in ista collatione quoties unum nominaverim. *D.* Semel. *M.* Tria quoties? *D.* Semel. *M.* Quid, duo? *D.* Bis. *M.* Semel ergo, et bis, et semel, quoties fit in summa? *D.* Quater. *M.* Recte igitur istos tres quaternarius numerus sequitur; ei quippe tribuitur ista proportione collatio. Quæ quantum valeat, eo jam assuesce cognoscere, quod illa unitas quam te amare dixisti, in rebus ordinatis hac una effici potest, cujus græcum nomen ἀναλογία est, nostri quidam proportionem vocaverunt, quo nomine utamur, si placet : non enim libenter, nisi necessitate, græca vocabula in latino sermone usurpaverim. *D.* Mihi vero placet; sed perge quo intenderas. *M.* Faciam. Nam quid sit proportio, quantumque in rebus juris habeat, et suo loco in hac disciplina diligentius requiremus; et quanto in eruditione promotior eris, tanto ejus vim melius naturamque cognosces. Sed vides certe, quod in præsentia satis est, tres illos numeros, quorum mirabare concordiam, sibimet in eadem connexione nisi per quaternarium numerum non potuisse conferri. Quamobrem post illos se ordinari, sic ut illa concordia cum his arctiore copuletur, quantum intelligis jure impetravit [1]; ut jam non unum, duo, tria tantum; sed unum, duo, tria, quatuor, sit amicissime copulata progressio numerorum. *D.* Omnino assentior.

24. *M.* At cætera intuere, ne arbitreris nihil habere proprium quaternarium numerum, quo reliqui omnes numeri careant, quod valeat ad istam connexionem de qua loquor, ut ab uno usque ad quatuor certus sit numerus, et pulcherrimus progrediendi modus. Convenerat quippe inter nos superius, tunc ex pluribus unum aliquid maxime fieri, cum extremis media, et mediis extrema consentiunt. *D.* Ita est. *M.* Cum ergo collocamus unum et duo et tria, dic quæ sint extrema, quod medium. *D.* Unum et tria extrema video, duo medium. *M.* Responde nunc, ex uno et tribus quid conficiatur. *D.* Quatuor. *M.* Quid? duo qui unus in medio numerus est, num potest nisi sibi conferri? Quamobrem dic etiam duo bis quid conficiant. *D.* Quatuor. *M.* Ita ergo medium extremis, et medio extrema consentiunt. Quamobrem sicut excellit in tribus, quod post unum et duo collocantur, cum ex uno et duobus constent; sic excellit in quatuor, quod post unum et duo et tria numerantur, cum constent ex uno et tribus, vel bis duobus : quæ extremorum cum medio, et medii cum extremis, in illa quæ græce ἀναλογία dicitur, proportione consensio est. Quod utrum intellexeris pande. *D.* Satis intelligo.

25. *M.* Tenta ergo in reliquis numeris, utrumne inveniatur quod quaternarii numeri proprium esse diximus. *D.* Faciam. Nam si constituamus duo, tria, quatuor, extrema collata fiunt sex; hoc facit et medium sibi collatum : nec tamen sex, sed quinque consequuntur. Rursus tria, quatuor et quinque constituo; extrema octo faciunt, medium quoque bis ductum : at inter quinque et octo, non jam unum, sed duos, senarium scilicet et septenarium numeros interpositos video. Atque illa ratione quantum progredior, tanto hæc fiunt intervalla majora [1]. *M.* Video te intellexisse, et omnino scire quod dictum est : sed jam ne immoremur, animadvertis certe ab uno usque ad quatuor justissimam fieri progressionem; sive propter imparem ac parem numerum, quoniam primus impar totus tria, et primus par totus quatuor, de qua re paulo ante tractatum est; sive quia unum et duo principia sunt, et quasi semina numerorum, e quibus ternarius conficitur, ut sint jam tres numeri; qui sibi dum proportione conferuntur, quaternarius elucescit et gignitur, et propterea eis jure conjungitur, ut usque ad illum fiat ea, quam quærimus moderata progressio. *D.* Intelligo.

26. *M.* Bene sane. Sed meministine tandem quid instituramus inquirere? Nam, ut opinor, propositum erat, si quomodo invenire possemus, cum in illa infinitate numerorum certi articuli essent numerantibus constituti, quid esset causæ cur ipse primus articulus in denario numero esset, qui per omnes cæteros valet plurimum; id est, cur ab uno usque ad decem progressi numerantes rursum ad unum remearent? *D.* Recordor plane quæstionis hujus causa nos tantum circumisse : sed quid effecerimus quod ad eam solvendam pertineat, non invenio. Siquidem illa omnis nostra ratiocinatio ad id conclusa est, ut non usque ad denarium, sed usque ad quaternarium numerum sit justa et moderata progressio. *M.* Tune igitur non vides, ex uno et duobus, et tribus et quatuor quæ summa conficiatur? *D.* Video jam, video, et miror omnia, et ortam quæstionem solutam esse confiteor : unum enim et duo et tria et quatuor simul decem sunt. *M.* Ergo istos quatuor primos numeros, seriemque et connexionem eorum honorabilius haberi, quam cætera, in numeris convenit.

CAPUT XIII. — *De proportionatorum motuum decore quatenus sensibus judicatur.*

27. Tempus est autem ad illos motus redire tractandos et discutiendos, qui huic disciplinæ proprie tribuuntur, et propter quos ista de numeris, de alia scilicet disciplina, quantum pro negotio satis visum est, consideravimus. Itaque nunc abs te quæro, quoniam intelligendi gratia in horarum spatio motus constituebamus, quos ad se invicem habere aliquam numerosam dimensionem ratio demonstrabat; utrum si quisquam mora unius horæ currat, et alius deinceps duarum, possis non inspecto horologio vel clepsydra, vel aliqua hujuscemodi temporum notatione sentire illos duos motus, quod unus simplus, alius duplus sit : vel etiamsi id non possis dicere, illa tamen congruentia delectari, atque aliqua voluptate affici. *D.* Nullo modo possum. *M.* Quid, si quispiam numerose plaudat, ita ut unus sonitus simplum, alter duplum temporis teneat, quos iambos pedes vocant, eosque continuet atque contexat; alius autem ad

[1] *Imperavit*, juxta Mss. A et B. M.

[1] In. B., *faciunt intervella majora*. Ms. A, *fiunt*. M.

eumdem sonum saltet, secundum ea scilicet tempora movens membra? nonne [1] aut etiam dicas ipsum modulum temporum, id est quod simplum ad duplum spatia in motibus alternent, sive in illo plausu qui auditur, sive in illa saltatione quæ cernitur; aut saltem delecteris numerositate quam sentias, tametsi non possis numeros ejus dimensionis edicere? *D.* Ita vero est, ut dicis: nam et illi qui hos numeros noverunt, sentiunt eos in plausu atque saltatione, quique sint facile dicunt; et qui eos non noverunt nec possunt dicere, non negant tamen ex his se voluptate aliqua perfrui.

28. *M.* Cum igitur ad ipsam rationem disciplinæ hujus, siquidem scientia est bene modulandi, non possit negari omnes pertinere motus qui bene modulati sunt, et eos potissimum qui non referuntur ad aliud aliquid, sed in seipsis finem decoris delectationisve conservant; hi tamen motus, ut nunc a me rogatus recte vereque dixisti, si longo spatio temporis fiant, inque ipsa dimensione quæ decora est, horam vel etiam majus tempus obtineant, non possunt congruere nostris sensibus [1]. Quamobrem cum procedens quodammodo de secretissimis penetralibus musica, in nostris etiam sensibus, vel his rebus quæ a nobis sentiuntur, vestigia quædam posuerit; nonne oportet eadem vestigia prius persequi, ut commodius ad ipsa si potuerimus, quæ dixi penetralia, sine ullo errore ducamur? *D.* Oportet vero, et hoc jamjamque ut faciamus, efflagito. *M.* Omittamus ergo illas ultra [2] capacitatem sensus nostri porrectas temporum metas, et de his brevibus intervallorum spatiis, quæ in cantando saltandoque nos mulcent, quantum ratio nos duxerit, disseramus. Nisi tu forte aliter putas illa vestigia indagari posse, quæ in nostris sensibus. hisque rebus quas valemus sentire, hanc disciplinam posuisse prædictum est. *D.* Nullo modo aliter puto.

[1] Ms. A addit, *advertas.* M.

[1] Addit Vatic.: *Licet aliquanto idem pes in canendo, servata collationis ratione, alias longioribus, alias brevioribus possit fieri sonis.* M.

[2] Vatic., *extra.* M.

# LIBER SECUNDUS.

In quo de syllabis et pedibus metricis disputatur.

CAPUT PRIMUM.—*Syllabarum spatia aliunde grammaticus, aliunde musicus attendit.*

1. *M.* Attende igitur diligenter, et nunc demum accipe quasi alterum nostræ disputationis exordium. Ac primum responde, utrum bene didiceris eam quam grammatici docent, syllabarum brevium longarumque distantiam; an vero sive ista noris sive ignores, malis ut ita quæramus, quasi omnino rudes harum rerum simus, ut ad omnia nos ratio potius perducat, quam inveterata consuetudo, aut præjudicata cogat auctoritas. *D.* Ita plane malle me, non modo ipsa ratio, sed istarum etiam syllabarum imperitia (quid enim fateri dubitem?) impellit. *M.* Age jam, saltem illud eloquere, utrum tu ipse per te nunquam animadverteris in locutione nostra alias syllabas raptim et minime diu, alias autem productius et diutius enuntiari. *D.* Negare non possum non me ad ista etiam surdum fuisse. *M.* Atqui scias velim totam illam scientiam, quæ grammatica græce, latine autem litteratura nominatur, historiæ custodiam profiteri, vel solam, ut subtilior docet ratio; vel maxime, ut etiam pinguia corda concedunt. Itaque verbi gratia cum dixeris, *cano*, vel in versu forte posueris, ita ut vel tu pronuntians producas hujus verbi syllabam primam, vel in versu eo loco ponas, ubi esse productam oportebat; reprehendet grammaticus, custos ille videlicet historiæ, nihil aliud asserens cur hunc corripi oporteat, nisi quod hi qui ante nos fuerunt, et quorum libri exstant tractanturque a grammaticis, ea correpta [1], non producta usi fuerint. Quare hic quidquid valet, auctoritas valet. At vero musicæ ratio, ad quam dimensio ipsa vocum rationabilis et numerositas pertinet, non curat nisi ut corripiatur vel producatur syllaba, quæ illo vel illo loco est secundum rationem mensurarum suarum. Nam si eo loco ubi duas longas syllabas poni decet, hoc verbum posueris, et primam quæ brevis est, pronuntiatione longam feceris, nihil musica omnino succenset [1]: tempora enim vocum ea pervenere ad aures, quæ illi numero debita fuerunt. Grammaticus autem jubet emendari, et illud te verbum ponere cujus prima syllaba producenda sit, secundum majorum, ut dictum est, auctoritatem, quorum scripta custodit [2].

[1] Vatic., *pro correpta.* M.

[1] *Offenditur*, juxta Vatic. M.

[2] In B., *custodiantur*. Er. Lugd. Ven., *custodiunt*; sic etiam Ms. B.; at Ms. A, *custodit*, ut significetur custodire grammaticus (quem paulo ante Augustinus historiæ custodem nuncupat). M.

CAPUT II. — *De versu judicat grammaticus ex auctoritate, musicus ex ratione et sensu.*

2. Quamobrem nos, cum rationes musicæ persequendas susceperimus, etiam si nescis quæ syllaba corripienda, quæ producenda sit; possumus tamen non impediri hac ignorantia tua, satisque habere, quod te animadvertisse dixisti alias syllabas correptiores, alias productiores. Quare illud nunc quæro, utrum sonus versuum aliquando te aliqua per aures voluptate commoverit. *D.* Prorsus sæpissime, ita ut nunquam fere sine delectatione versum audierim. *M.* Si quis ergo in versu, quo audito delectaris, eo loco quo ratio ejusdem versus non postulat, vel producat syllabas, vel corripiat, num eodem modo delectari potes? *D.* Imo audire hoc sine offensione non possum. *M.* Nullo modo igitur dubium est, quin te in sono quo te delectari dicis, dimensio quædam numerorum delectet, qua perturbata delectatio illa exhiberi auribus

non potest. *D.* Manifestum est. *M.* Dic mihi deinceps quod ad sonum versus attinet, quid intersit, utrum dicam, *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris:* an *qui primis ab oris.* *D.* Mihi vero utrumque, quantum ad illam dimensionem pertinet, idem sonat. *M.* At [1] hoc mea pronuntiatione factum est, cum eo scilicet vitio quod barbarismum grammatici vocant : nam *primus*, longa est et brevis syllaba; *primis* autem, ambæ producendæ sunt : sed ego ultimam earum corripui; ita nihil fraudis passæ sunt aures tuæ. Quamobrem illud etiam atque etiam tentandum est, utrum me pronuntiante sentias, quid sit [2] in syllabis diu et non diu, ut nostra disputatio, me interrogante ac te respondente, sicut instituimus, possit procedere. Itaque jam eumdem versum in quo barbarismum feceram, repetam, et illam syllabam quam, ne tuæ aures offenderentur, corripui, producam, ut grammatici jubent : tu mihi renuntiato, utrum illa versus dimensio sensum tuum eadem afficiat voluptate : sic enim pronuntiem, *Arma virumque cano, Trojæ qui primis ab oris.* *D.* Nunc vero negare non possum, nescio qua soni deformitate me offensum. *M.* Non injuria : quanquam enim barbarismus factus non sit, id tamen vitium factum est, quod et grammatica reprehendat et musica : grammatica, quia id verbum, cujus novissima syllaba producenda est, eo loco positum est ubi corripienda poni debuit; musica vero tantummodo quia producta quælibet vox est eo loco, quo corripi oportebat, et tempus debitum quod numerosa dimensio postulabat, redditum non est. Quocirca si jam satis discernis quid sensus, quid auctoritas postulet, sequitur ut videamus, ille ipse sensus cur alias delectetur in sonis vel productis vel correptis, alias offendatur : id est enim quod ad diu, et non diu pertinet. Quam partem nos explicandam suscepisse credo quod memineris. *D.* Ego vero et illud discrevi, et hoc memini, et ea quæ sequuntur intentissime exspecto.

CAPUT III. — *Syllabarum tempora.*

3. *M.* Quæ putas, nisi ut incipiamus sibimet syllabas comparare, et videre quos numeros ad sese habeant; sicut de motibus jam inter nos tam longa superius ratione tractatum est? In motu est enim etiam omne quod sonat; et syllabæ utique sonant : an quidquam horum negari potest? *D.* Nullo modo. *M.* Cum ergo inter se syllabæ conferuntur, motus quidam inter se conferuntur, in quibus possint numeri quidam temporis [3] mensura diuturnitatis inquiri. *D.* Ita est. *M.* Num igitur potest sibi una syllaba comparari? Nam omnem comparationem, nisi tu aliud putes, singularitas fugit. *D.* Nihil puto aliud. *M.* Quid? una uni, aut una vel duæ duabus vel tribus, et deinceps in pluribus, quin possint sibimet conferri, num negas? *D.* Quis hoc negaverit? *M.* Rursus hoc vide, quamlibet syllabam brevem minimeque diu pronuntiatam, et mox ut eruperit desinentem, occupare tamen in tempore aliquid spatii, et habere quamdam morulam suam. *D.* Video necesse esse quod dicis. *M.* Dic nunc, unde numerum exordiamur. *D.* Ab uno scilicet. *M.* Non absurde igitur hoc in tempore quasi minimum spatii, quod brevis obtinet syllaba, unum tempus veteres vocaverunt : a brevi enim ad longam progredimur. *D.* Verum est. *M.* Sequitur jam, ut illud quoque animadvertas, quoniam ut in numeris ab uno ad duo est prima progressio; ita in syllabis, qua [4] scilicet a brevi ad longam progredimur, longam duplum temporis habere debere : ac per hoc si spatium quod brevis occupat, recte unum tempus vocatur; spatium item quod longa occupat, recte duo tempora nominari. *D.* Recte prorsus : nam id rationem postulare consentio.

CAPUT IV. — *Pedes dissyllabi.*

4. *M.* Age, nunc collationes ipsas videamus : nam una brevis syllaba ad unam brevem syllabam quæro quam rationem tibi habere videatur, vel hi motus inter se quid vocentur. Meministi enim, nisi fallor, in superiore sermone nos omnibus motibus, qui inter se aliqua numerositate conveniunt, imposuisse vocabula. *D.* Æquales eos memini nominatos : tantumdem enim ad sese habent temporis. *M.* Sed istam collationem syllabarum qua sibi jam conferuntur ut habeant ad se aliquos numeros, num censes sine vocabulo esse relinquendam? *D.* Non puto. *M.* Atqui scias, veteres pedem nuncupasse talem collationem sonorum. Sed quousque pedem progredi ratio sinat, diligenter advertendum est. Quamobrem jam dic etiam, brevis et longa syllaba qua sibi ratione conferuntur? *D.* Opinor, ex illo genere numerorum, quos complicatos vocavimus, istam collationem manare : siquidem in ea simplum ad duplum collatum esse video, id est unum tempus brevis syllabæ ad duo tempora longæ syllabæ. *M.* Quid si ita ordinentur, ut prius longa, deinde brevis syllaba pronuntietur? num quia ordo mutatus est, ideo complicatorum numerorum ratio non manet? Nam ut in illo pede simplum ad duplum, ita in isto duplum ad simplum invenitur. *D.* Ita est. M. Quid? in pede duarum longarum, nonne duo tempora duobus temporibus conferuntur? *D.* Manifestum est. *M.* Ex qua ergo ratione ducitur ista collatio? *D.* Ex eorum scilicet qui æquales appellati sunt.

5. *M.* Age, nunc dic mihi, ex quo a duabus brevibus orsi ad duas syllabas longas pervenimus, quot pedum collationes tractaverimus. *D.* Quatuor : nam primo de duabus brevibus dictum est, secundo de brevi et longa, tertio de longa et brevi, quarto de duabus longis. *M.* Num possunt esse plures quam quatuor, cum duæ syllabæ sibimet conferuntur? *D.* Nullo modo : nam cum syllabæ hunc modum acceperint, ut brevis unum tempus, longa duo habeat, cumque syllaba omnis aut brevis aut longa sit; quo pacto sibi possunt duæ syllabæ comparari atque copulari ut pedem faciant, nisi aut brevis et brevis sit, aut brevis et longa, aut longa et brevis, aut longa et longa? *M.* Dic etiam quot habeat tempora binarum syllabarum mini-

[1] In B., *et;* Mss. A et B, *at.* M.
[2] Sic Mss. A et B. In B., *quod fit,* minus latine. M.
[3] *Temporis, et,* juxta Ms. A. M.
[4] *Quia,* juxta Ms. A. M.

mus pes, quot item maximus. *D.* Duo ille, iste quatuor. *M.* Videsne ut progressio nisi usque ad quaternarium numerum fieri non potuerit, sive in pedibus, sive in temporibus? *D.* Video plane, et recordor rationem progressionis in numeris, atque illam vim hic etiam inesse sentio cum magna animi voluptate. *M.* Nonne ergo censes, cum pedes syllabis constent, id est distinctis et quasi articulatis motibus qui sunt in sonis, syllabæ autem tendantur temporibus, oportere fieri etiam usque ad quatuor syllabas progressionem pedis, sicut jam factam usque ad quaternarium numerum, et ipsorum pedum et temporum cernis? *D.* Ita plane ut dicis sentio, et hoc videri perfectæ rationi cognosco [1], et debitum flagito.

CAPUT V. — *Pedes trisyllabi.*

6. *M.* Age nunc ergo prius, ut ordo ipse postulat, ternarum syllabarum pedes quot esse possint, videamus, sicut binarum quatuor esse comperimus. *D.* Ita fiat. *M.* Meministi ab una brevi syllaba, id est unius temporis istam nos inchoasse rationem, et cur ita oporteret satis intellexisse. *D.* Memini ab illa lege numerandi, qua [2] ab uno incipimus, quod principium numerorum est, placuisse nobis non oportere discedere. *M.* Cum igitur in pedibus binarum syllabarum ille sit primus qui duabus brevibus constat (cogebat enim ratio uni tempori prius unum tempus jungi quam duo); quem tandem arbitraris in pedibus ternarum syllabarum primum esse debere? *D.* Quem, nisi eum qui a tribus brevibus confit? *M.* Et iste quot temporum est? *D.* Trium scilicet. *M.* Quomodo ergo hujus partes sibi conferuntur? Nam omnem pedem propter illam numerorum collationem duas habere partes, quæ sibimet aliqua ratione conferantur, necesse est, idque superius egisse nos memini : sed numquid possumus hunc trium brevium syllabarum pedem in duas æquales partes dividere? *D.* Nullo modo. *M.* Quomodo ergo dividitur? *D.* Nihil aliud video, nisi ut prima pars habeat unam syllabam, secunda duas; aut prima duas, secunda unam. *M.* Dic etiam hoc [3] de qua regula numerorum sit? *D.* De complicatorum genere esse cognosco.

7. *M.* Age, nunc illud attende, tres syllabæ in quibus est una longa, cæteræ breves, quoties variari possint, id est quot pedes facere; et responde, si inveneris. *D.* Unum pedem video esse, qui longa et duabus brevibus constet; aliud non intelligo. *M.* Idemne solus tibi videtur habere unam in tribus longam, qui eam primo habet loco? *D.* Nullo pacto istud putaverim, cum possint duæ breves priores esse, longa ultima. *M.* Considera utrum sit aliquid tertium. *D.* Est plane : nam hæc longa etiam in medio duarum brevium collocari potest. *M.* Vide etiamne sit aliquid quartum. *D.* Omnino non potest. *M.* Potesne jam respondere, tres syllabæ habentes in se unam longam et duas breves, quoties variari possint, id est quot pedes facere? *D.* Possum sane : nam ter sunt variatæ, et tres fecerunt pedes. *M.* Quid? isti tres pedes quomodo sint ordinandi jamne ipse colligis, an ad hoc etiam minutatim es perducendus? *D.* Displicet enim tibi ordo ille quo ipsam varietatem comperi? nam primo adverti unam longam et duas breves, deinde duas breves et unam longam, postremo brevem et longam et brevem. *M.* Itane vero tibi non displiceat qui sic ordinat, ut a primo ad tertium veniat, a tertio ad secundum; ac non potius a primo ad secundum, et deinde ad tertium? *D.* Displicet prorsus : sed quid hic tandem tale advertisti, rogo? *M.* Cum ideo in hac tripartita differentia illum pedem primum posueris, qui primo loco habet longam, quia sensisti unitatem ipsam longæ syllabæ principatum tenere (siquidem ipsa ibi una est), et propterea eam debere ordinem gignere, ut ille sit primus pes ubi prima ipsa est : simul etiam videre debuisti eum esse secundum ubi ipsa secunda est, eum tertium ubi eadem tertia est. An adhuc in illa sententia manendum putas? *D.* Imo eam sine dubitatione condemno : hunc enim esse meliorem ordinem, vel potius hunc esse ordinem, quis non assentiatur? *M.* Nunc ergo dic qua numerorum regula isti quoque dividantur pedes, eorumque sibi partes conferantur. *D.* Primum et postremum æquali regula dividi video, quia et ille in longam et duas breves et iste in duas breves et longam dividi potest, ut singulæ partes habeant bina tempora, et ob hoc sint æquales. In secundo autem quoniam mediam habet longam syllabam, sive priori sive posteriori parti tribuatur, aut in tria et unum, aut in unum et tria tempora dividitur : ac per hoc in ejus divisione complicatorum numerorum ratio valet.

8. *M.* Volo mihi jam dicas per te ipse si potes, post istos qui a nobis tractati sunt, quos pedes ordinandos putes. Tractati enim sunt primo binarum syllabarum quatuor, quorum ordo ductus est a numerorum ordine, ut a brevibus syllabis ordiremur. Deinde jam productiores ternarum syllabarum pedes tractandos suscepimus, et quod facile erat ex superiore ratione, a tribus brevibus orsi sumus. Quid deinde sequebatur, nisi ut una longa cum duabus brevibus quot formas ederet videremus? Visum est; et tres pedes post illum primum, ita ut oportebat, ordinati sunt. Qui deinceps consequantur nonne per teipsum videre jam debes, ne omnia minutissimis interrogatiunculis eruamus? *D.* Recte dicis : nam quis non videat eos jam sequi, in quibus una brevis sit, cæteræ longæ? cui brevi, quia una est, cum superiore ratione principatus tribuatur, primus erit profecto in his ubi prima est, secundus ubi secunda, tertius ubi tertia, quæ etiam ultima est. *M.* Cernis, ut opinor, quibus etiam rationibus dividantur, ut sibi eorum partes conferri queant. *D.* Cerno prorsus : nam ille qui ex una brevi et duabus longis constat, dividi non potest, nisi ita ut prior pars habeat tria tempora, quæ continet brevem et longam; posterior duo, quæ uni longæ insunt. Hic autem tertius in eo quidem priori par est, quod unam patitur divisionem; in eo autem dissimi-

[1] *Agnosco*, juxta Mss. A et B. M.
[2] In B., *quod*. Ex Ms. A, *qua*, rectius. M.
[3] In B. deest *hoc*, quod invenitur apud editos omnes et in Mss. A et B. M.

lis, quod cum ille in tria et duo, iste in duo et tria tempora secatur. Nam longa syllaba, quæ primam tenet partem, duobus temporibus tenditur : restat longa et brevis, quod est trium temporum spatium. At vero medius qui habet brevem syllabam mediam, geminam potest partitionem pati, quia eadem brevis et priori et posteriori parti tribui potest : idcirco aut in duo et tria, aut in tria et duo dividitur tempora : quamobrem sesquatorum numerorum ratio tres istos possidet pedes. *M.* Omnesne jam trium syllabarum pedes consideravimus, an aliquid restat? *D.* Unum reliquum video, qui ex tribus longis constat. *M.* Tracta ergo etiam hujus divisionem. *D.* Una syllaba et duæ, aut duæ atque una hujus divisio est ; tempora scilicet duo et quatuor, aut quatuor et duo : quare complicatorum numerorum ratione istius pedis sibi partes conferuntur.

## CAPUT VI. — *Pedes tetrasyllabi.*

9. *M.* Nunc quaternarum syllabarum pedes consequenter atque ordine videamus, et ipse jam dic quem horum primum esse oporteat, addita etiam ratione divisionis ejus. *D.* Scilicet quatuor brevium, qui dividitur in duas binarum syllabarum partes, æqualium ratione numerorum duo et duo tempora possidentes. *M.* Tenes [1] ; jam itaque perge ipse, et persequere cætera. Nihil enim opus esse jam puto te per singula interrogari, cum sit una ratio demendi deinceps breves syllabas, et pro his longas subjiciendi, donec ad omnes longas veniatur ; et cum demuntur breves, longæque subduntur, quas varietates faciant, et quot pedes gignant, considerandi ; ea scilicet syllaba principatum ordinis retinente, quæ una fuerit inter cæteras vel longa vel brevis : in his enim omnibus jam superius es exercitatus. Ubi autem duæ breves sunt et duæ longæ, quod in præcedentibus non erat, quas censes principatum habere debere? *D.* Jam hoc quoque manifestum est de superioribus. Siquidem magis tenet unitatem brevis syllaba quæ unum habet tempus, quam longa quæ duo. Et propterea in omni capite atque principio eum pedem constituimus qui ex brevibus constat.

10. *M.* Nihil igitur te impedit, quin omnes istos persequaris pedes audiente ac judicante me, non interrogante. *D.* Faciam si potero : nam primo de quatuor brevibus primi pedis, brevis una detrahenda est, et pro ea longa ponenda in primo loco propter unitatis dignitatem. Hic autem pes dividitur bis : aut in longam et tres breves ; aut in longam et brevem, et duas breves ; id est aut in duo et tria ; aut in tria, et duo tempora. Secundo autem loco posita longa facit alium pedem, qui uno modo recte dividitur, in tria scilicet et duo tempora, ut prior pars teneat brevem et longam, posterior duas brèves. Porro tertio loco constituta longa facit eum pedem, qui rursus uno modo rite dividitur ; sed ita ut prior pars habeat duo tempora in duàbus brevibus syllabis, posterior tria in longa et brevi. Quartum pedem facit longa ultima, qui duobus modis dividitur, ut ille ubi prima est : nam vel in duas breves, et brevem ac longam ; vel in tres breves, et longam partiri eum licet ; in duo scilicet, et tria ; aut in tria, et duo tempora. Omnes autem isti quatuor pedes, ubi cum tribus brevibus varie longa collocatur, sesquatorum numerorum ratione partes suas ad se collatas [1] habent.

11. Sequitur ut de quatuor brevibus duabus detractis, pro his duas longas subjiciamus, videamusque quot formas ac pedes cum breves ac longæ binæ sint, possint edere. Primo igitur video duas breves et duas longas esse ponendas, quod a brevibus rectius exordium sit. Hic autem pes habet duplicem divisionem : aut enim in duo et quatuor, aut in quatuor et duo dividitur tempora ; ut aut duæ breves priorem partem teneant, et posteriorem duæ longæ ; aut ut priorem duæ breves et longa, posteriorem autem longa quæ reliqua est. Fit alius pes, cum duæ istæ breves quas in capite posueramus, ita ut ordo ipse postulat, in medio fuerint collocatæ, et est hujus pedis divisio in tria et tria tempora : nam priorem partem occupant longa et brevis, posteriorem brevis et longa. Cum autem ponuntur in ultimo, nam hoc sequitur, faciunt pedem geminæ divisionis, cujus aut prior pars habeat duo tempora in una longa, posterior quatuor in longa et duabus brevibus ; aut prior quatuor in duabus longis, posterior in duabus brevibus duo. Horum autem trium pedum partes, quod ad primum et tertium attinet, complicatorum numerorum ratione sibi comparantur ; medius æquales eas habet.

12. Jam deinceps istæ duæ breves quæ conjunctæ ponebantur, disjunctæ ponendæ sunt : quarum minima disjunctio est, a qua etiam incipiendum, ut unam syllabam longam inter se habeant ; maxima, ut duas. Sed cum una est inter eas, duobus modis fit, et duo pedes gignuntur. Prior autem est horum modorum, ut in capite brevis sit, deinde longa ; inde brevis, et longa quæ reliqua est. Alter modus est, ut in secundo et in ultimo sint breves , in primo et tertio loco longæ : ita erit longa et brevis, et longa et brevis. Maxima vero illa disjunctio est, cum duæ longæ in medio sunt, brevium autem una in primo, altera in extremo loco. Et dividuntur ii tres pedes, in quibus breves disjunctæ ponuntur, in tria et tria tempora, id est primus horum in brevem et longam, et brevem ac longam : secundus in longam ac brevem, et longam ac brevem : tertius in brevem ac longam, et longam ac brevem. Ita fiunt sex pedes duabus brevibus et duabus longis syllabis varie inter se, quoad possunt, locatis.

13. Restat ut de quatuor brevibus detrahantur tres, et pro his tres longæ constituantur : erit una brevis ; et quia una brevis in capite, quam tres longæ consequentur, facit alium pedem, secundo loco posita secundum, tertium tertio, quartum quarto. Quorum quatuor, duo primi in tria et quatuor tempora dividuntur, duo autem posteriores in quatuor et tria, et omnes sesquatorum ratione numerorum partes sibi collatas

[1] *Teneo*, juxta Er. Ludg. Ven. et Mss. A et B. M.

[1] *Collocatas*, juxta Ms. A ac Edd. omnes. M.

habent : nam prior pars primi est brevis et longa, tenens tria tempora ; posterior duæ longæ in quatuor temporibus. Secundi prior pars est longa et brevis, ergo tria tempora ; posterior duæ longæ, quatuor tempora. Tertius priorem partem habet in duabus longis, quatuor temporibus ; posteriorem ejus partem brevis et longa obtinet, id est tria tempora. Quarti priorem partem similiter faciunt duæ longæ, quatuor temporum ; et posteriorem longa et brevis, tribus temporibus. Reliquus pes est quatuor syllabarum, ubi omnes auferuntur breves, ut quatuor longis pes constet. Hic in duas et duas longas secundum æquales numeros, id est in quatuor et quatuor videlicet dividitur tempora. Habes quod per meipsum explicari voluisti : perge jam rogando persequi cætera.

CAPUT VII. — *Versus certo pedum, ut pes syllabarum numero constat.*

14. *M.* Faciam : sed satisne considerasti progressionem istam usque ad quaternarium numerum, quæ in ipsis numeris demonstrata est, quantum in his etiam pedibus valet? *D.* Ita sane in his ut in illis hanc progrediendi rationem probo. *M.* Quid illud? nonne ut contextis syllabis pedes facti sunt, ita etiam contextis pedibus aliquid fieri posse existimandum est, quod jam neque syllabæ neque pedis nomine censeatur? *D.* Omnino existimo. *M.* Quid tandem id putas esse? *D.* Versum arbitror. *M.* Quid si perpetuo contexere quispiam pedes aliquos velit, ita ut eis modum ac finem non imponat, nisi aut defectus vocis, aut aliquis alius casus interpellans, aut temporis ratio ad aliud aliquid transeundi? etiamne versus a te nominabitur, habens vel viginti vel triginta vel centum etiam sive amplius pedes, ut voluerit ac potuerit ille qui eos quamlibet longa perpetuitate contexit? *D.* Non ita est : neque enim aut ubi pedes quoslibet quibuslibet permixtos animadvertero, aut per infinitam longitudinem multos connexos, versum appellabo ; sed et genus et numerum pedum, id est qui et quot pedes versum conficiant aliqua disciplina consequi, et ex ea judicare potero, utrum versus aures meas pepulerit. *M.* At hæc quæcumque est disciplina, versibus regulam et modum non utique ut libitum est, sed aliqua ratione constituit. *D.* Non enim aliter, siquidem disciplina est, aut oportebat, aut poterat. *M.* Hanc ergo rationem investigemus, et assequamur, si placet : nam si auctoritatem solam intueamur, is erit versus, quem versum dici voluit Asclepiades nescio qui, aut Archilochus, poetæ scilicet veteres, aut Sappho poetria, et cæteri, quorum etiam nominibus versuum genera vocantur, quæ primi animadvertentes cecinerunt. Nam et Asclepiadæus versus dicitur, et Archilochius et Sapphicus, et alia sexcenta auctorum vocabula Græci versibus diversi generis indiderunt. Ex quo non absurde cuipiam videri potest, quod si quis ut volet, pedes quot volet, et quos volet ordinaverit, quia nemo ante ipsum hunc ordinem ac mensuram pedibus constituerit, recte ac jure conditor novi generis versuum propagatorque dicetur. Aut si hæc licentia intercluditur homini, cum conquestione quærendum est quid tandem illi meruerunt, si nullam rationem secuti, connexionem pedum quos illis connectere placuit, versum appellari haberique fecerunt. An tibi aliter videtur? *D.* Ita vero est ut dicis, et prorsus assentior, ratione potius quam auctoritate versum esse generatum, quam peto jamjamque videamus.

CAPUT VIII. — *Varia pedum nomina.*

15. *M.* Videamus ergo qui pedes sibimet copulandi sint, deinde quid his copulatis fiat (non enim versus fit solus) ; postremo de versus tota ratione tractabimus. Sed num censes commode ista nos posse persequi, nisi pedum nomina teneamus? Quanquam hoc ordine a nobis digesti sunt, ut possint ipsius sui ordinis nominibus nuncupari : dici enim potest, primus, secundus, tertius, atque hoc modo cæteri. Sed quia non sunt contemnenda vetusta vocabula, nec facile a consuetudine recedendum, nisi quæ rationi adversatur ; utendum est his nominibus pedum quæ Græci instituerunt, et nostri jam utuntur pro latinis : quæ plane ita usurpemus, ut non quæramus origines nominum. Multum enim habet ista res loquacitatis, utilitatis parum. Neque enim eo minus utiliter in loquendo appellas panem, lignum, lapidem, quod nescis cur hæc ita sint appellata. *D.* Ita prorsus, ut dicis, sentio.

*M.* Primus pes vocatur Pyrrhichius, ex duabus brevibus, temporum duum, ut *fuga*.

Secundus, Iambus, ex brevi et longa, ut *parens*, temporum trium.

Tertius, Trochæus, vel Chorius, ex longa et brevi, ut *meta*, temporum trium.

Quartus, Spondeus, ex duabus longis, ut *æstas*, temporum quatuor.

Quintus, Tribrachus, ex tribus brevibus, ut *macula*, temporum trium.

Sextus, Dactylus, ex longa et duabus brevibus, ut *Mœnalus*, temporum quatuor.

Septimus, Amphibrachus, ex brevi et longa et brevi, ut *carina*, temporum quatuor.

Octavus, Anapæstus, ex duabus brevibus et longa, ut *Erato*, temporum quatuor.

Nonus, Bacchius, ex brevi et duabus longis, ut *Achates*, temporum quinque.

Decimus, Creticus vel Amphimacrus, ex longa et brevi et longa, ut *insulæ*, temporum quinque.

Undecimus, Palimbacchius, ex duabus longis et brevi, ut *natura*, temporum quinque.

Duodecimus, Molossus, ex tribus longis, ut *Æneas*, temporum sex.

Decimus tertius, Proceleumaticus, ex quatuor brevibus, ut *avicula*, temporum quatuor.

Decimus quartus, Pæon primus, ex prima longa et tribus brevibus, ut *legitimus*, temporum quinque.

Decimus quintus, Pæon secundus, ex secunda longa et tribus brevibus, ut *colonia*, temporum quinque.

Decimus sextus, Pæon tertius, ex tertia longa et tribus brevibus, ut *Menedemus*, temporum quinque.

Decimus septimus, Pæon quartus, ex quarta longa

et tribus brevibus, ut *celeritas*, temporum quinque.

Decimus octavus, Ionicus a minore, ex duabus brevibus et duabus longis, ut *Diomedes*, temporum sex.

Decimus nonus, Choriambus, ex longa et duabus brevibus et longa, ut *armipotens*, temporum sex.

Vigesimus, Ionicus a majore, ex duabus longis et duabus brevibus, ut *Junonius*, temporum sex.

Vigesimus primus, Diiambus, ex brevi et longa, et brevi et longa, ut *propinquitas*, temporum sex.

Vigesimus secundus, Dichorius vel Ditrochæus, ex longa et brevi, et longa et brevi, ut *cantilena* temporum sex.

Vigesimus tertius, Antispastus, ex brevi et duabus longis et brevi, ut *Saloninus*, temporum sex.

Vigesimus quartus, Epitritus primus, ex prima brevi et tribus longis, ut *sacerdotes*, temporum septem.

Vigesimus quintus, Epitritus secundus, ex secunda brevi et tribus longis, ut *conditores*, temporum septem.

Vigesimus sextus, Epitritus tertius, ex tertia brevi et tribus longis, ut *Demosthenes*, temporum septem.

Vigesimus septimus, Epitritus quartus, ex quarta brevi et tribus longis, ut *Fescenninus*, temporum septem.

Vigesimus octavus, Dispondeus, ex quatuor longis, ut *oratores*, temporum octo [1].

CAPUT IX. — *De pedum structura.*

16. *D.* Habeo ista. Nunc dissere, qui sibi pedes copulentur. *M.* Judicabis hoc facile, si æqualitatem ac similitudinem inæqualitati ac dissimilitudini præstantiorem esse judicas. *D.* Neminem esse arbitror, qui non ita judicet. *M.* Hanc ergo prius maxime in contexendis pedibus sequi oportet, nec ab ea omnino deviandum, nisi cum aliqua causa justissima est. *D.* Assentior. *M.* Non igitur dubitabis pyrrhichios sibimet pedes contexere, nec iambos, nec trochæos qui etiam chorii nominantur, nec spondeos; atque ita cæteros sui generis profecto sibimet sine ulla dubitatione copulabis : est enim summa æqualitas cum ejusdem generis et nominis pedes sese consequuntur. An tibi non videtur? *D.* Nullo modo mihi aliter videri potest. *M.* Quid? illud nonne approbas, alios aliis pedes æqualitate servata esse miscendos? Quid enim auribus potest jucundius esse, quam cum et varietate mulcentur, nec æqualitate fraudantur? *D.* Satis probo. *M.* Num censes alios æquales habendos pedes, nisi qui ejusdem mensuræ sunt? *D.* Ita existimo. *M.* Quid? ejusdem mensuræ putandine sunt, nisi qui temporis tantumdem occupant? *D.* Verum est. *M.* Quos ergo inveneris pedes totidem temporum, sine aurium offensione contexes. *D.* Videe esse consequens.

[1] Libri veteres absque explicatione et exemplo ullo sic pedes recensent : *Primus pes vocatur Pyrrhichius*, *Secundus Iambus*, *Tertius*, etc., scriptumque constanter præferunt *spondius*, *dispondius*, *pæan*, pro *spondeus*, *dispondeus*, *pæon*. Item pro *tribrachus* et *amphibrachus*, habent aliquoties *tribrachys* et *amphibrachys*.

CAPUT X.—*Amphibrachus nec per se nec aliis mixtus versum conficit. De levatione et positione.*

17. *M.* Recte quidem : sed adhuc nonnihil quæstionis res habet. Nam cum Amphibrachus pes quatuor sit temporum, negant eum quidam posse misceri, vel dactylis vel anapæstis vel spondeis vel proceleumaticis : nam hi sunt omnes quaternorum temporum pedes : et non solum istis eum negant posse misceri, sed nec ex ipso solo repetito et sibimet connexo, recte et quasi legitime procedere numerum putant. Quorum opinionem considerare nos oportet, ne quid habeat rationis, quod sequi et approbare conveniat. *D.* Cupio atque aveo prorsus audire quid afferant. Non enim parum me movet, cum duodetriginta pedes sint, quos ratio persecuta est, hunc solum excludi a continuatione numerorum, cum tantum spatii teneat in tempore quantum dactylus et alii quos pares enumerasti, quos connectere nemo prohibetur. *M.* Atqui opus est, ut hoc dispicere valeas, considerare cæteros pedes, quemadmodum sibimet eorum partes conferantur : ita enim videbis huic uni quiddam accidere novum ac singulare, ut non frustra minime adhibendus ad numeros judicatus sit.

18. Sed hoc nobis considerantibus, opus est hæc duo nomina mandare memoriæ, levationem et positionem. In plaudendo enim quia levatur et ponitur manus, partem pedis sibi levatio vindicat, partem positio. Partes autem pedum dico illas, de quibus superius, cum eos ordine persequeremur, satis dictum est. Quocirca si hoc probas, incipe recensere breviter mensuras partium in omnibus pedibus, ut quid huic uni de quo agitur proprium acciderit, noveris. *D.* Video primum pyrrhichium tantum habere in levatione quantum in positione. Spondeus quoque, dactylus, anapæstus, proceleumaticus, choriambus, diiambus, dichorius, antispastus, dispondeus, eadem ratione dividuntur : nam tantumdem temporis in his ponit plausus, quantum levat. Video secundum, iambum simpli et dupli habere rationem; quam rationem cerno et in chorio et in tribracho et in molosso, et in utroque ionico. Jam hujus amphibrachi levatio et positio (nam ipsa mihi ex ordine occurrit, cui pares cæteros quæram), simpli et tripli ratione constat. Sed non invenio prorsus alium deinceps, cujus sibi partes tanto intervallo conferantur. Nam cum eos considero in quibus una brevis est et duæ longæ, id est bacchium, creticum et palimbacchium, sesquialteri numeri ratione levationem ac positionem in his fieri video. Eadem ratio est et in iis quatuor, in quibus una longa est et tres breves, qui quatuor pæones ex ordine nominantur. Reliqui sunt quatuor epitriti similiter ex ordine nuncupati, quorum levationem ac positionem sesquitertius numerus continet.

19. *M.* Num igitur parum tibi justa causa videtur esse, cur iste pes (*a*) ad seriem numerosam vocum non admittatur, quod solius partes tam longe a se differant, ut una simpla sit, alia tripla? Vicinitas enim

(*a*) Amphibrachus.

quædam partium tanto est approbatione dignior, quanto est proxima æqualitati. Itaque in illa regula [1] numerorum cum ab uno usque ad quatuor progredimur, nihil unicuique est seipso propinquius. Quare illud in primis approbandum est in pedibus, cum tantumdem habent partes ad invicem; deinde copulatio simpli et dupli eminet in uno et duobus; sesquialtera vero copulatio in duobus et tribus apparet; jam sesquitertia, tribus et quatuor. Simplum vero et triplum quanquam complicatorum numerorum lege teneatur, non tamen in ordine illo sibimet cohæret : non enim post unum tria numeramus, sed ab uno ad ternarium numerum binario interposito pervenitur. Hæc ratio est qua excludendus judicatur amphibrachus pes ab ea copulatione de qua quærimus [2], quæ si abs te probatur, cætera videamus. *D.* Probatur sane nam manifestissima atque certissima est.

CAPUT XI. — *Pedum rationabilis mixtura.*

20. *M.* Cum ergo placeat, quoquo modo se in syllabis habeant, tamen si ejusdem spatii sint in tempore, recte sibi et sine detrimento æqualitatis pedes posse misceri, excepto duntaxat amphibracho; quæri non immerito potest, utrum recte misceantur, qui quanquam sint æquales tempore, non eadem tamen percussione concordant, quæ levatione ac positione partes pedis sibimet confert. Nam dactylus et anapæstus et spondeus non solum æqualium temporum sunt, sed etiam percutiuntur æqualiter : in omnibus enim tantum levatio, quantum positio sibi vindicat. Itaque hi sibi miscentur justius quam quilibet ionicus cæteris sex temporum pedibus. Uterque quippe ionicus ad simplum et duplum percutitur, duo scilicet tempora quatuor temporibus conferens. Iis molossus etiam in hac re congruit. Cæteri vero (*a*) ad tantumdem; nam in his levationi ac positioni terna tempora tribuuntur. Ergo tametsi omnes legitime feriantur; nam et illi tres simpli et dupli ratione, et alii quatuor æquis partibus feriuntur; tamen quia plausum inæqualem facit ista permixtio, haud scio an jure repudietur : nisi quid habes ad hæc. *D.* Proclivior sum in istam sententiam. Nam inæqualis plausus quomodo sensum non offendat ignoro : si autem offendit, non utique id potest sine vitio hujus permixtionis accidere.

21. *M.* Atqui scias veteres miscendos judicasse istos pedes, et horum mixtione versus compositos condidisse. Sed ne te auctoritate premere videar, accipe aliquid horum versuum, et vide utrum offendat auditum. Si enim non modo non offenderit, sed etiam delectaverit, nulla erit ratio hujus mixtionis improbandæ. Versus autem ii sunt quos advertas volo :

> At consona quæ sunt, nisi vocalibus aptes,
> Pars dimidium vocis opus proferet ex se :
> Pars muta soni comprimet ora molientum :
> illis sonus obscurior impeditiorque,
> Utrumque tamen promitur ore semicluso.
> (*Terentianus.*)

[1] In B. deest vocula *in*, quam restituimus ex Er. Lugd. Ven. Lov. et Mss. A et B. Notandum loco *illa*, quod habent Benedictini, esse in editis, *ista*. M.

[2] In B., *quæsivimus*. Er. Lugd. Ven. Lov. nec non Ms. A, *quærimus*. M.

(*a*) Choriambus, diiambus, dichorius, antispastus.

Satis esse arbitror ad judicandum id quod volo. Quare dic, quæso, utrum nihil tuas aures numerus iste permulserit. *D.* Imo nihil mihi videtur currere ac sonare festivius. *M.* Considera igitur pedes, invenies profecto cum sint quinque versus, duos primos solis ionicis currere, tres posteriores habere admixtum dichorium, cum omnes omnino sensum nostrum communi æqualitate delectent. *D.* Jam hoc animadverti, et facilius te pronuntiante. *M.* Quid ergo dubitamus consentire veteribus non eorum auctoritate, sed ipsa jam ratione victi, qui censent eos pedes qui ejusdem temporis sunt rationabiliter posse misceri, si habeant legitimam, quamvis diversam percussionem? *D.* Cedo jam prorsus : nam me ille sonus quidquam contradicere non sinit.

CAPUT XII. — *Pedes sex temporum*

22. *M.* Intende item in istos versus :

> Volo tandem tibi parcas, labor est in chartis,
> Et apertum ire per auras animum permittas.
> Placet hoc nam sapienter, remittere interdum
> Aciem rebus agendis decenter intentam.

*D.* Etiam hoc satis est. *M.* Præsertim cum isti versus sint inconditi, quos necessitate ad tempu fabricatus sum. Verumtamen et in iis quatuor requiro judicium sensus tui. *D.* Quid aliud et hic possum dicere, quam pulchre illos congruenterque sonuisse? *M.* Sentisne etiam duos superiores altero ionico constare qui dicitur a minore, duos autem posteriores diiambum habere permixtum? *D.* Et hoc te pronuntiando insinuante persensi. *M.* Quid? illud nonne te movet quod in illis Terentiani versibus ionico ei qui a majore dicitur, dichorius; in iis autem nostris alteri ionico qui a minore nominatur, diiambus mixtus est? an nihil interesse arbitraris? *D.* Imo interest, et videor mihi rationem ipsam videre : nam quoniam ionicus a majore a duabus incipit longis, eum sibi potius copulandum poscit, ubi longa prima est, id est dichorium. Diiambus vero quod incipit a brevi, congruentius alteri miscetur ionico a duabus brevibus incipienti.

23. *M.* Bene intelligis : quare hoc quoque tenendum est, istam etiam congruentiam, excepta æqualitate temporum, in pedibus miscendis aliquantum valere oportere : non enim plurimum, sed tamen nonnihil valet. Nam pro omni pede sex temporum, omnem pedem sex temporum poni posse, ita sensu interrogato judices licet : primum molossi exemplum sit nobis, *virtutes :* ionici a minore, *moderatas :* choriambi, *percipies :* ionici a majore, *concedere :* diiambi, *benignitas :* dichorii, *civitasque :* antispasti, *volet justa*. *D.* Habeo ista. *M.* Contexe igitur ista omnia atque pronuntia, vel me potius pronuntiante accipe, quo ad judicandum liberior sensus vacet. Nam ut continuati numeri æqualitatem sine ulla offensione aurium tibi insinuem, hoc totum contextum ter pronuntiabo, quod satis esse non dubitaverim. *Virtutes moderatas percipies, concedere benignitas civitasque volet justa. Virtutes moderatas percipies, concedere benignitas civitasque volet justa. Virtutes moderatas percipies, concedere benignitas civitasque volet justa.* Num forte aliquid in hoc pedum cursu aures tuas æqualitate

aut suavitate fraudavit? *D.* Nullo modo. *M.* Delectavitne aliquid? quanquam hoc quidem consequens est in hoc genere, ut delectet omne quod non offenderit. *D.* Non possum aliter me dicere affectum, quam videtur tibi. *M.* Probas ergo omnes istos pedes senum temporum recte sibi posse copulari atque [1] misceri. *D.* Probo.

CAPUT XIII. — *Ordo pedum quomodo mutetur concinne.*

24. *M.* Nihilne formidas, ne quis arbitretur tam æqualiter istos pedes hoc ordine collatos sonare potuisse; si autem ordinem permutes, non idem posse? *D.* Nonnihil quidem affert, sed experiri non est difficile. *M.* Istud ergo facito cum vacabit: non aliter invenies quam sensum tuum multiformi varietate et una æqualitate mulceri. *D.* Faciam: quanquam hoc exemplo nemo est, qui non prævideat necessario id eventurum. *M.* Recte existimas: sed quod ad propositum pertinet, admoto plausu ista percurram, ut de hoc quoque dijudicare possis utrum aliquid, an nihil claudicet: atque ut simul aliquid experiaris de commutatione illius ordinis, quam nihil claudicationis illaturam esse prædiximus; jam nunc ipsum ordinem muta, et ut libitum est, eosdem pedes collocatos aliter atque a me collocati sunt, personandos mihi plaudendosque permitte. *D.* Primum volo esse ionicum a minore, secundum ionicum a majore, tertium choriambum, quartum diiambum, quintum antispastum, sextum dichorium, septimum molossum. *M.* Intende ergo et aurem in sonum, et in plausum oculos: non enim audiri, sed videri opus est plaudentem manum, et animadverti acriter quanta temporis mora in levatione, quanta in positione sit. *D.* Totus istic sum, quantum valeo. *M.* Accipe igitur collocationem illam cum plausu tuam: *Moderatas, concedere, percipies, benignitas, volet justa, civitasque, virtutes.* *D.* Sentio quidem nequaquam plausum istum claudicare, et tantum levare quantum ponere; sed vehementer admiror quomodo eo percuti potuerint illi pedes, quorum divisio simpli et dupli ratione constat, sicuti sunt ambo ionici et molossus. *M.* Quid hic fieri tamen arbitraris, cum in his tria leventur tempora, totidemque ponantur? *D.* Nihil aliud hic prorsus video quam eam longam syllabam, quæ in ionico a majore et in molosso secunda, in ionico autem a minore tertia est, plausu ipso dividi; ut quoniam duo habet tempora, unum inde superiori parti, alterum posteriori tribuat, atque ita terna tempora levatio positioque sortiantur.

25. *M.* Nihil hic omnino aliud dici aut intelligi potest. Sed cur non etiam ille amphibrachus, quem ab ista numerositate penitus ejiciebamus, hac conditione misceatur spondeo, dactylo, et anapæsto, vel per se ipse numerosum [2] aliquid in musica continuatus efficiat? Potest enim simili ratione media quoque pedis ejus syllaba, quæ longa est, plausu dividi; ut cum singula tempora singulis lateribus dederit, non jam unum et tria, sed bina tempora levatio positioque sibi vindicent: nisi habes aliquid quod resistat. *D.* Nihil sane habeo quod dicam, nisi hunc etiam esse admittendum. *M.* Aliquid ergo plaudamus quaternorum temporum pedibus ordinatum atque contextum, quibus iste commixtus sit, et eodem modo sensu exploremus utrum nihil imparile offendat. Et ideo attende in hunc numerum propter judicandi facilitatem cum plausu tertio repetitum. *Sumas optima, facias honesta. Sumas optima, facias honesta, Sumas optima, facias honesta.* *D.* Jamjam, obsecro, parce auribus meis: nam etiam plausu non admoto, ipse per se horum pedum cursus in illo amphibracho vehementissime claudicat. *M.* Quid igitur putandum est esse causæ, ut in hoc fieri non possit quod in molosso et ionicis potuit? an quoniam in illis æqualia sunt medio latera? in numero enim pari, ubi sit medium suis æquale lateribus, primus senarius occurrit. Ergo illi senum temporum pedes quoniam duo tempora in medio possident, et bina in lateribus; libenter quodammodo illud medium cecidit in latera, quibus amicissima æqualitate conjungitur. Non autem idem fiet in amphibracho, ubi sunt imparia medio latera, siquidem in illis singula, in illo duo tempora sunt. Huc accedit quod in ionicis et molosso medio in latera soluto, terna fiunt tempora, in quibus rursum medio pari [1] paria latera inveniuntur; quod item defit amphibracho. *D.* Ita res est ut dicis: nec immerito amphibrachus in illa serie offendit auditum, hi vero etiam delectant.

CAPUT XIV.— *Qui pedes quibus misceantur.*

26. *M.* Age, nunc tu per te ab ipso exordire pyrrhichio, et secundum supra dictas rationes, quos pedes quibus misceri oporteat, quantum potes, breviter explica. *D.* Nullus pyrrhichio: non enim alius invenitur totidem temporum. Iambo posset chorius; sed propter inæqualem plausum vitandum est, quod alter a simplo, a duplo alter incipit. Ergo tribrachus utrique accommodari potest. Spondeum et dactylum et anapæstum, et proceleumaticum amicos inter se atque copulabiles video: non enim tantum temporibus, sed plausu etiam sibi congruunt. Enimvero exclusus amphibrachus, nulla potuit ratione reduci, cui parilitas temporum auxiliari quid, divisione plausuque discordante, non potuit. Bacchio creticum, et pæones primum, secundum et quartum. Palimbacchio autem eumdem creticum, et pæones primum et tertium et quartum, et [2] temporibus et plausu concordare manifestum est. Ergo cretico et pæonibus primo et quarto, quoniam et a duobus et a tribus temporibus eorum incipere divisio potest, cæteri omnes quinum temporum pedes possunt sine ulla claudicatione copulari. Jam illorum qui sex temporibus constant, omnium inter se miram quamdam

[1] In B., *aut*; rectius cum Er. Lugd. Ven. Lov. et Mss. A., *atque*. M.

[1] Sic Mss.; at Lov. aliæque editiones habent, *numerosus*.

[1] In prius editis omittitur *pari*, quam vocem restituimus ex Mss., necnon ex iisdem paulo infra, *hi vero etiam delectant*; ubi editi habent, *hic vero etiam delectat*.

[2] In B., *in temporibus*; rectius cum utroque Ms., *et*. M.

esse concordiam, satis disputatum est. Quandoquidem illi quoque ab aliis in plaudendo non dissonant, quos aliter dividi cogit conditio syllabarum : tantam vim habet cum medio laterum æqualitas. Porro septenum temporum pedes cum sint quatuor, qui epitriti nominantur, primum et secundum invenio sibi posse copulari : amborum enim divisio incipit a tribus temporibus, idcirco nec spatio temporis nec plausu dissident. Rursus libenter sibi junguntur tertius et quartus, quia uterque in dividendo incipit a quatuor temporibus, quare et metiuntur et plauduntur æqualiter. Restat octo temporum pes qui dispondeus vocatur, cui sicut pyrrhichio par nullus est. Habes a me quod poposcisti et facere potui. Perge ad reliqua. *M*. Faciam : sed post tam longum sermonem respiremus aliquantulum; et illorum versuum meminerimus, quos mihi extemporales paulo ante ipsa lassitudo suggessit.

Volo tandem tibi parcas, labor est in chartis,
Et apertum ire per auras animum permittas.
Placet hoc nam sapienter, remittere interdum
Aciem rebus agendis decenter intentam.

*D*. Placet sane, ac libenter obtempero.

# LIBER TERTIUS.

In quo exponitur quid intersit discriminis inter rhythmum, metrum et versum; tum agitur seorsim de rhythmo; ac deinde tractatio de metro inchoatur.

## CAPUT PRIMUM. — *Rhythmus ac metrum quid.*

1. *M*. Tertius hic sermo postulat, ut quoniam de pedum amicitia quadam concordiaque satis dictum est, videamus quid ex his contextis continuatisque gignatur. Quare primum ex te quæro, utrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quemdam numerum creare, ubi nullus finis certus appareat : velut cùm symphoniaci scabella et cymbala pedibus feriunt, certis quidem numeris et his qui sibi cum aurium voluptate junguntur; sed tamen tenore perpetuo, ita ut si tibias non audias, nullo modo ibi notare possis quousque procurrat connexio pedum, et unde rursus ad caput redeatur. Velut si tu velis centum vel amplius, quousque libitum est, pyrrhichios vel alios qui inter se amici sunt pedes, continua connexione decurrere. *D*. Jam intelligo, et fieri posse concedo quamdam pedum connexionem, in qua certum est usque ad quot pedes progrediendum sit, atque inde redeundum. *M*. Num hujus generis esse dubitas [1], cum certam faciendorum versuum disciplinam esse non neges, et qui versus te semper cum voluptate audisse confessus sis? *D*. Manifestum est et hoc esse, et ab illo superiore genere distare.

2. *M*. Ergo quoniam oportet distingui etiam vocabulis ea quæ re ab se distincta sunt, scias illud superius genus copulationis, rhythmum a Græcis; hoc autem alterum, metrum vocari : latine autem dici possent, illud numerus, hoc mensio vel mensura. Sed quoniam hæc apud nos nomina late patent, et cavendum est ne ambigue loquamur, commodius utimur græcis. Vides tamen, ut opinor, quam recte utrumque nomen sit his rebus impositum. Nam quoniam illud pedibus certis provolvitur, peccaturque in eo si pedes dissoni misceantur, recte appelatus est rhythmus, id est numerus : sed quia ipsa provolutio non habet modum, nec statutum est in quoto pede finis aliquis emineat; propter nullam mensuram continuationis non debuit metrum vocari. Hoc autem utrumque habet : nam et certis pedibus currit [1], et certo terminatur modo. Itaque non solum metrum propter insignem finem, sed etiam rhythmus est, propter pedum rationabilem connexionem. Quocirca omne metrum rhythmus, non omnis rhythmus etiam metrum est. Rhythmi enim nomen in musica usque adeo late patet, ut hæc tota pars ejus quæ ad diu et non diu pertinet, rhythmus nominata sit. Sed de nomine, cum res appareat, non esse satagendum, et doctis et sapientibus placuit. An aliquid contradicendum aut dubitandum putas de his quæ a me dicta sunt? *D*. Imo prorsus assentior.

## CAPUT II. — *Quid intersit inter versum et metrum.*

3. *M*. Nunc ergo mecum illud considera, utrum sicut omnis versus metrum est, ita omne metrum etiam versus sit. *D*. Considero quidem, sed quid respondeam non invenio. *M*. Unde id tibi censes accidisse? an quia de vocabulis quæstio est? Non enim ut de rebus ad disciplinam pertinentibus, ita de nominibus possumus respondere interrogati : propterea quia res omnium mentibus communiter sunt insitæ; nomina vero, ut cuique placuit, imposita, quorum vis auctoritate atque consuetudine maxime nititur : unde etiam esse linguarum diversitas potest, rerum autem in ipsa veritate constitutarum profecto non potest. A me igitur accipe quod ipse nullo pacto respondere posses : non versum solum, metrum veteres vocavere. Itaque quod ad te attinet, vide atque responde, non enim jam de nominibus agitur, utrum inter hæc duo aliquid distet, quod quidam numerus pedum ita certo fine claudatur, ut nihil ad rem pertineat, ubi fiat quidam articulus antequam veniatur ad finem; alius autem non solum certo fine claudatur, sed etiam ante finem [2] certo quodam loco quædam ejus partitio emineat, ut quasi membris conficiatur duobus. *D*. Non intelligo. *M*. Attende ergo in hæc exempla :

Ite igitur, Camœnæ
Fonticolæ puellæ,
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores,
Quæ lavitis capillum

[1] Lov.: *Num certum esse dubitas*; at Mss., *num hujus generis esse dubitas*; quomodo etiam editiones Am. et Er. quæ addunt, *et hoc ab illo superiore* distare concedis. — In Ms. A deest *hujus generis*, fertque simpliciter, *num esse dubitas*. M.

[1] In B., *curritur*. Ex Vat. et Ms. A, *currit*. M.

[2] Huc revocavimus ex Mss. isthæc verba, *ante finem*, quæ in hactenus editis desunt. — Non desunt in Vatic. M.

Purpureum Hyppocrene
Fonte, ubi fusus olim
Spumea lavit almus
Ora jubis aquosis
Pegasus, in nitentem
Pervolaturus æthram.

Cernis profecto quinque superiores versiculos eodem loco partem orationis habere terminatam, id est in choriambo pede, cui subjungitur bacchius, ut versiculum compleat (namque hi undecim, choriambo et bacchio pedibus constant); cæteros vero excepto uno, scilicet *Ora jubis aquosis*, non eodem loco habere terminatam partem orationis. *D.* Cerno istud quidem, sed quo pertineat non video. *M.* Eo scilicet ut intelligas, hoc metrum non quasi legitimum locum habere, ubi ante finem versus finiatur pars orationis : nam si ita esset, omnes eodem loco hunc haberent articulum, aut certe rarissime in his inveniretur qui non haberet : nunc vero cum sint undecim, sex ita sunt, quinque non ita. *D.* Et hoc accipio, et adhuc quo ratio tendat exspecto. *M.* Attende ergo etiam in ista pervulgatissima : *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris*. Et ne longum faciamus, quia carmen notissimum est, ab hoc versu usque ad quem volueris explora singulos; invenies finitam partem orationis in quinto semipede, id est, in duobus pedibus et semisse : nam hi versus constant pedibus quaternorum temporum : quare iste finis de quo agitur partis orationis, quasi legitimus in decimo tempore est. *D.* Manifestum est.

4. *M.* Jam ergo intelligis inter illa duo genera quæ ante ista exempla proposueram, nonnihil distare : quod aliud scilicet metrum antequam claudatur, non habet certum et statutum aliquem articulum, sicut in illis undecim versiculis exploravimus : aliud vero habet, sicut in heroico metro quintus semipes satis indicat. *D.* Jam liquet quod dicis. *M.* Atqui scias oportet, a veteribus doctis, in quibus magna est auctoritas, illud superius genus non esse versum appellatum; sed hunc definitum et vocatum esse versum, qui duobus quasi membris constaret, certa mensura et ratione conjunctis. Sed tu non multum labores de nomine, quod nisi a me vel a quolibet alio tibi indicaretur, nullo modo de hoc interrogatus respondere posses. Sed quod ratio docet, in id præcipue et maxime animum intende, velut hoc ipsum quod nunc agimus : ratio enim docet inter hæc duo genera distare aliquid, quibuslibet vocabulis nuncupentur : itaque hoc bene interrogatus posses dicere ipsa veritate confisus; illud autem nisi auctoritatem secutus, non posses. *D.* Apertissime jam ista cognovi, et quanti pendas hoc, de quo me tam crebro admones, jam existimo. *M.* Hæc ergo tria nomina, quibus disserendi causa necessario usuri sumus, memoriæ mandes velim : rhythmum, metrum, versum. Quæ sic distinguuntur, ut omne metrum etiam rhythmus sit, non omnis rhythmus etiam metrum. Item omnis versus etiam metrum sit, non omne metrum etiam versus. Ergo omnis versus est rhythmus et metrum : nam hoc, ut arbitror, esse consequens vides. *D.* Video sane : nam est luce clarius.

## CAPUT III. — *Rhythmi ex pyrrhichiis.*

5. *M.* Prius igitur, si placet, de rhythmo in quo nullum metrum est, deinde de metro ubi versus non est, postremo de ipso versu, quantum possumus, disseramus. *D.* Placet vero. *M.* Sume ergo tibi ab ipso capite pedes pyrrhichios, et de his rhythmum contexe. *D.* Etiam si id possim facere, qui modus erit? *M.* Satis est, ut eum tendas (exempli enim gratia id facimus) usque ad decem pedes : nam usque ad hunc pedum numerum non progreditur versus, quod suo loco diligenter tractabitur. *D.* Bene quidem tu non multos pedes mihi proposuisti copulandos; sed videris mihi non recordari, jam te satis discrevisse, quid inter grammaticum et musicum intersit, cum ego tibi respondissem, syllabarum longarum et brevium cognitionem me non habere, quæ a grammaticis traditur : nisi forte permittis, ut non verbis, sed aliquo plausu rhythmum istum exhibeam : nam judicium aurium ad temporum momenta moderanda me posse habere non nego; quæ vero syllaba producenda vel corripienda sit, quod in auctoritate situm est, omnino nescio. *M.* Fateor nos ita, ut dicis, grammaticum a musico discrevisse, et in hoc te genere inscitiam tuam esse confessum. Quare a me accipe hoc exempli genus : *Ago celeriter agile quod ago tibi quod anima velit*. *D.* Habeo istuc.

6. *M.* Hoc ergo quoties libet repetendo, efficies rhythmi hujus longitudinem quantam voles, quanquam hi decem pedes ad exemplum sufficiant. Sed illud quæro, si tibi quispiam dicat, non pyrrhichiis, sed proceleumaticis pedibus hunc rhythmum constare, quid respondebis? *D.* Prorsus ignoro : nam ubi decem pyrrhichii sunt, quinque proceleumaticos metior; et eo major dubitatio est, quod de rhythmo consulimur, qui scilicet perpetuo fluit. Undecim enim pyrrhichii vel tredecim, et quolibet impari numero, non possunt habere integrum proceleumaticorum numerum. Si ergo esset certus finis in hoc de quo agitur rhythmo, ibi saltem dicere possemus pyrrhichio potius quam proceleumatico eum currere, ubi omnes integri proceleumatici non invenirentur : nunc vero et ipsum infinitum nobis conturbat judicium, et si quando numerati quidem pedes, sed pari numero nobis proponuntur, sicut isti sunt decem. *M.* Atqui nec de ipso impari numero pyrrhichiorum, quod tibi visum est, liquido visum est. Quid enim si undecim positis pedibus pyrrhichiis dicatur rhythmus quinque habere proceleumaticos et semipedem? numquid resisti potest, cum multos inveniamus versus claudi semipede? *D.* Jam dixi me nescire quid de hac re dici possit. *M.* Num etiam illud nescis, proceleumatico priorem esse pyrrhichium? siquidem duobus pyrrhichiis proceleumaticus confit; sicut prius est unum quam duo, et duo quam quatuor, ita proceleumatico prior est pyrrhichius. *D.* Verissimum est. *M.* Cum ergo in hanc ambiguitatem incidimus, ut possit in rhythmo et pyrrhichius metiri et proceleumaticus, cui principatum daturi sumus? priori, ex quo iste constat; an posteriori, ex quo ille non constat? *D.*

Nemo dubitabit priori esse dandum. *M.* Quid ergo dubitas de hac re consultus respondere, pyrrhichium potius quam proceleumaticum istum rhythmum esse nuncupandum? *D.* Jam omnino non dubito : pudet tam manifestam rationem non me cito animadvertisse.

CAPUT IV. — *Rhythmus continuus.*

7. *M.* Videsne illud etiam ista ratione cogi, ut quidam pedes sint, qui rhythmum continuare non possint? Nam quod de proceleumatico inventum est, cui tollit pyrrhichius principatum, hoc et de diiambo et de dichorio et de dispondeo inventum puto : nisi tibi aliud videtur. *D.* Quid mihi aliud videri potest, cum probata illa ratione hoc quod sequitur improbare non possim? M. Vide etiam ista, et compara ac judica. Nam videtur, cum tale incertum evenit, plausu potius debere discerni [1] quo pede curratur : ut si pyrrhichio velis currere, unum tibi tempus levandum, unum ponendum sit; si proceleumatico, duo et duo : ita et pes apparebit, et nullus pedum erit a rhythmi continuatione seclusus. *D.* Huic magis faveo sententiæ, quæ nullum pedem ab hac contextione esse immunem sinit. *M.* Recte facis, et quo magis hoc approbes, considera de tribracho pede quid respondere possimus, si nihilominus quisque contendat non pyrrhichio aut proceleumatico istum rhythmum, sed tribracho currere. *D.* Video judicium ad plausum illum esse revocandum, ut si unum tempus est in levatione, duo in positione, id est, una et duæ syllabæ; aut contra duæ in levatione, una in positione; tribrachus rhythmus esse dicatur.

8. *M.* Recte intelligis. Quamobrem jam dic mihi utrum spondeus pes pyrrhichio rhythmo possit adjungi. *D.* Nullo modo : non enim continuabitur plausus æqualis; cum levatio et positio in pyrrhichio singula, in spondeo vero bina tempora teneant. *M.* Potest ergo proceleumatico adjungi. *D.* Potest. *M.* Quid cum ei adjungitur? interrogati utrum rhythmus proceleumaticus an spondiacus sit, quid respondebimus? *D.* Quid censes, nisi spondeo dandum esse principatum? Cum enim plausu ista controversia non dijudicetur, nam in utroque bina levamus ac ponimns tempora; quid aliud restat, nisi ut ille regnet qui in ipso pedum ordine prior est? *M.* Rationem te secutum esse satis approbo; et vides, ut arbitror, quid sequatur. *D.* Quid tandem? *M.* Quid putas, nisi proceleumatico rhythmo [2] nullum alium pedem posse misceri? quoniam quisquis miscebitur totidem temporum, non enim aliter potest misceri, in eum rhythmi nomen transferatur necesse est. Omnes enim priores illo sunt, qui totidem temporibus constant. Et quoniam iis qui priores inventi fuerint, cogit nos ratio, quam vidisti principatum dare, id est, ex eo rhythmum nuncupare; non erit jam proceleumaticus rhythmus, aliquo alio quatuor temporum mixto, sed spondiacus aut dactylicus aut anapæsticus. Amphibrachum enim ab istorum copulatione numerorum recte remotum esse convenit. *D.* Fateor ita esse.

9. *M.* Nunc ergo ex ordine considera iambicum rhythmum, quoniam pyrrhichium et proceleumaticum, qui duplicato pyrrhichio gignitur, satis discussimus. Quare dicas velim huic quem censes admiscendum pedem, ut iambicus rhythmus suum nomen obtineat. *D.* Quem, nisi tribrachum, qui et temporibus et plausu congruit; et quia posterior est, regno pollere non potest? Nam chorius est quidem posterior, et totidem temporum, sed non eodem modo plaudi-tur. *M.* Age, jam vide rhythmum trochaicum, et ad eadem de hoc quoque responde. *D.* Idem respondeo : nam potest et huic non solum spatio temporis, sed plausu etiam concinere tribrachus. Cavendum autem iambum quis non videat? qui etiam si æqualiter plauderetur, principatum tamen mixtus auferret. *M.* Quid? spondiaco rhythmo quem tandem copulabimus pedem? *D.* Sane in hoc largissima copia est : nam et dactylum et anapæstum et proceleumaticum nulla imparilitate temporum, nulla claudicatione plausus, nulla principatus ademptione impediente, huic video misceri posse.

10. *M.* Video jam te facile posse cætera ordine persequi : quocirca remota interrogatione mea, vel potius tanquam de omnibus interrogatus responde breviter, dilucideque quantum potes, quomodo singuli qui restant pedes, aliis legitime immixtis, obtineant suum nomen in rhythmo. *D.* Faciam : neque enim ullius negotii est, tanta rationum luce præmissa. Nam tribracho nullus miscebitur; omnes enim priores sunt, qui ei sunt temporibus pares. Dactylo anapæstus potest; nam et est posterior, et [1] tempore ac plausu currit æqualiter : utrique autem proceleumaticus eadem scilicet ratione copulatur. Jam bacchio, creticus, et de pæonibus primus, secundus et quartus misceri possunt. Porro ipsi cretico, omnes qui post illum sunt quinque temporum pedes jure miscentur, sed non omnes eadem divisione. Alii namque ad duo et tria, alii ad tria et duo tempora dividuntur. Iste autem creticus utroque modo dividi potest, quia media brevis cuilibet parti tribuitur. Palimbacchius autem, quia ejus divisio a duobus temporibus incipiens, in tria desinit, congruos et copulabiles habet pæones omnes, præter secundum. Molossus de trisyllabis restat, a quo primo incipiunt sex temporum pedes, qui omnes eidem conjungi possunt, partim propter simpli duplique rationem; partim propter illam quam nobis plausus ostendit, partitionem longæ syllabæ, quæ singula tempora parti utrique concedit, quia in senario numero par lateribus medium est. Ob quam causam et molossus, et ambo ionici non solum in simplum et duplum, sed etiam in æquas partes per terna tempora feriuntur. Hinc efficitur ut deinceps omnibus sex temporum pedibus, omnes totidem

[1] *Decerni*, juxta Ms. A. M.

[2] In B.: *Quid putas, nisi tam proceleumatico quam pyrrhichio ahythmo* : corrupte profecto; nam cum pyrrhichius omnes glios præcedat pedes, ei male accommodaretur ratio ab Augustino subjecta, quæ in proceleumaticum convenientissime cidit. M.

[1] In B. et omnibus editis, *posterior tempore*, omissa particula *et*, quam fert Ms. A, et sine qua oratio claudicat. M.

temporum posteriores copulari queant ; solusque antispastus, qui nullum sibi velit misceri, remaneat. Hos consequuntur quatuor epitriti, quorum primus admittit secundum, secundus nullum, tertius quartum, quartus nullum. Restat dispondeus, rhythmum solus etiam ipse facturus, quia nec posteriorem quemquam invenit, nec æqualem. Itaque omnium pedum octo sunt [1], qui nullo alio mixto rhythmum faciunt : pyrrhichius, tribrachus, proceleumaticus, pæon quartus, antispastus, epitritus secundus, et quartus, et dispondeus : reliqui eos, qui se posteriores sunt, copulari sibi patiuntur, ita ut rhythmi nomen obtineant, etiamsi pauciores in ea serie numerentur. Hoc est, ut opinor, satis a me quod voluisti, explicatum atque digestum : tuum est jam videre quod restat.

CAPUT V. — *An sint pedes supra syllabas quatuor.*

11. *M.* Imo mecum etiam tuum [2] : ambo enim quærimus. Sed quid tandem restare arbitraris, quod ad rhythmum attinet ? Nonne illud considerandum est utrum aliqua dimensio pedis, quamvis octo tempora non excedat, quæ dispondeus obtinet, excedat tamen numerum quatuor syllabarum ? *D.* Quare, quæso ? *M.* Imo tu, quare me potius quam teipsum rogas ? An tibi non videtur sine ulla fraude vel offensione aurium, sive quod [3] ad plausum ac divisionem pedum, sive quod ad spatium temporis pertinet, pro una longa syllaba duas posse poni breves ? *D.* Quis hoc negaverit ? *M.* Hinc ergo est, quod pro iambo vel chorio tribrachum ponimus, et pro spondeo dactylum vel anapæstum vel proceleumaticum, cum vel pro secunda ejus, vel pro prima duas breves ponimus, vel quatuor pro utraque. *D.* Assentior. *M.* Fac igitur hoc idem in ionico quolibet, vel alio quopiam quadrisyllabo sex temporum pede, et pro una ejus quacumque longa duas breves constitue [4]. Num quidquam mensuræ deperit, aut plausui resistit ? *D.* Nihil omnino. *M.* Considera ergo quot syllabæ fiunt. *D.* Quinque fieri video. *M.* Vides certe posse quatuor syllabarum numerum excedi. *D.* Video sane. *M.* Quid, si pro duabus, quæ ibi sunt longæ, quatuor breves posueris ? nonne in uno pede sex syllabas necesse est meditiri ? *D.* Ita est. *M.* Quid, si cujuslibet epitriti omnes longas solvas in breves ? num etiam de septem syllabis dubitandum est ? *D.* Nullo modo. *M.* Quid ipse dispondeus ? nonne octo efficit, cum pro omnibus longis binas breves locamus ? *D.* Verissimum est.

12. *M.* Quæ igitur ratio est, qua cogimur et tam multarum syllabarum metiri pedes, et pedem qui adhibetur ad numeros, non excedere quatuor syllabas, ante tractatis rationibus confitemur ? nonne tibi videntur inter se ista pugnare ? *D.* Imo maxime, et quomodo istud pacari possit, ignoro. *M.* Etiam hoc facile est, si te ipsum rursum interroges, utrum rationabiliter inter nos paulo ante constiterit, ideo pyrrhichium, et proceleumaticum plausu debere dijudicari atque discerni, ne sit ullus pes legitimæ divisionis, qui rhythmum non faciat, id est, ut ex eo rhythmus nominetur. *D.* Hoc vero memini, et non invenio cur mihi placuisse pœniteat : sed quorsum ista ? *M.* Quia scilicet hi omnes pedes quaternarum syllabarum, excepto amphibracho, rhythmum faciunt, id est, principatum in rhythmo tenent, eumque usu et nomine efficiunt : illi vero qui plures quam quatuor syllabas habent, multi quidem pro his poni possunt [1] ; sed ipsi per se rhythmum facere, ac rhythmi nomen obtinere non possunt : et ideo ne pedes quidem istos appellandos putaverim. Quamobrem repugnantia illa quæ nos movebat, jam, ut opinor, composita est et sopita, quandoquidem licet et plures syllabas quam quatuor pro aliquo pede ponere, et pedem tamen non appellare, nisi eum quo rhythmus efficiatur. Oportebat enim pedi constitui aliquem modum progressionis in syllabis. Is autem modus constitui optime potuit, qui de ipsa numerorum ratione translatus in quaternario constitit. Itaque longarum syllabarum quatuor pes esse potuit. Cum autem pro eo breves octo constituimus, quoniam tantum spatii habent in tempore, pro altero poni possunt. Quia vero legitimam progressionem, id est quaternarium numerum excedunt, pro se ipsi poni, ac rhythmum gignere non sensu aurium, sed disciplinæ lege prohibentur. Nisi contradicere aliquid paras.

13. *D.* Paro sane, et jam faciam. Nam quid impediebat usque ad octonarium numerum syllabarum progredi pedem, cum eumdem numerum ad rhythmum admitti posse videamus ? Neque enim me movet, quod pro alio dicis admitti : imo hoc me magis admonet quærere, vel potius queri, quod non etiam suo nomine admittitur qui pro alio potest. *M.* Non mirum est, quod hic falleris ; sed facilis explicatio veri est. Nam ut omittam tanta quæ pro quaternario numero jam ante disputata sunt, cur usque ad illum fieri debeat progressio syllabarum ; fac me jam cessisse tibi et consensisse usque in octo syllabas pedis debere longitudinem porrigi : num resistere poteris esse jam posse octo longarum syllabarum pedem ? Certe enim ad quem numerum syllabarum pervenit pes, non solus ad eum pervenit qui brevibus, sed

[1] In B. Am. Er. et Lov. : *Itaque omnium pedum novem sunt, qui nullo alio mixto rhythmum faciunt : pyrrhichius, tribrachus, proceleumaticus, pæon secundus, pæon quartus,* etc. Hæc addit nota edit. Bened.: *Mss. omnes quos per nos inspicere licuit, habent,* octo sunt, *et mox in horum pedum recensione omittunt,* pæon secundus ; *qui tamen pes videtur haud posse ex lege hic præscripta rhythmum alio admixto pede facere : quippe cum posteriores totidem temporum pedes misceri illi prohibeat plausus disparitas ; priores vero si illi miscentur, rhythmum sibi vindicent, suumque ipsi nomen imponant. Quapropter lectionem retinuimus editionum Am. Er. et Lov.* Falsa suppositione nititur illud argumentum, scilicet pæonem secundum cum nullo alio pede posse misceri. Nam pæon quartus, ut testatur libr. 2, n. 10, dividi potest *aut in duo et tria, aut in tria et duo tempora :* quæ divisio eum pæoni secundo maritat sine plausus disparitate. M.

[2] *Imo meum etiam tu,* juxta Er. Lugd. Ven. *Imo meum, ac etiam tuum,* juxta Ms. A. *Imo meum est quam tuum,* juxta Ms. B. M.

[3] Hic et paulo post, *quod,* juxta Vatic. M.

[4] Er. Lugd. Ven. et Lov., *et pro una ejus... constituas.* Mss. A et B., *ut pro una ejus quacumque longa duas breves constituas.* M.

[1] Vatic. : *Illi vero qui plures quam quatuor syllabas habent, pro aliis poni possunt, sed ipsi.* M.

etiam qui longis syllabis constat. Quo fit ut adhibita rursus ea lege, quæ abrogari non potest, qua duas breves pro una longa poni licet, ad sexdecim syllabas pertendamus. Ubi si rursus pedis incrementum statuere volueris, in triginta duas breves proficiscimur : huc quoque ratio tua pedem te compellit adducere, et rursus lex illa duplum numerum brevium pro longis locare : atque ita nullus constituetur modus. *D*. Jam cedo rationi, qua usque ad quaternarium syllabarum numerum promovemus pedem. Pro his autem legitimis pedibus poni oportere pedes plurium syllabarum, dum breves duæ unius longæ locum occupant non recuso.

CAPUT VI. — *Pedes quatuor syllabis longiores rhythmum suo nomine facere nequeunt.*

14. *M*. Facile est ergo te etiam illud videre atque concedere, alios pedes esse pro his, penes quos rhythmi est principatus, alios qui cum his collocantur. Nam ubi pro longis singulis geminantur breves, pro eo qui rhythmum obtinet, alium locamus; velut pro iambo vel trochæo tribrachum, aut pro spondeo dactylum aut anapæstum aut proceleumaticum. Ubi vero non idem fit, non pro eo, sed cum eo ponitur quisquis miscetur inferiorum; ut cum dactylo anapæstus, cum ionico vero utrolibet diiambus vel dichorius; et reliqui similiter suo jure cum cæteris. An parum tibi dilucidum, vel falsum videtur? *D*. Jam intelligo. *M*. Responde ergo utrum illi qui pro aliis ponuntur, possint etiam ipsi per se facere rhythmum. *D*. Possunt. *M*. Omnesne? *D*. Omnes. *M*. Ergo et quinque syllabarum pes potest suo nomine rhythmum facere, quia pro bacchio vel cretico vel quolibet pæone poni potest. *D*. Non potest quidem; sed jam istum non vocamus pedem, si progressionis illius usque ad quaternarium numerum satis memini [1]. Ego autem cum omnes posse respondi, pedes utique posse respondi. *M*. Laudo etiam in nomine retinendo diligentiam et vigilantiam tuam. Sed scias multis visum esse etiam senarum syllabarum pedes nuncupandos; sed amplius, quod sciam, nemini placuit. Et illi quibus hoc placuit, negaverunt ad rhythmum, aut ad metrum per se gignendum tam longos pedes adhiberi oportere. Itaque ne nomina quidem his indiderunt. Quocirca verissimus est ille progressionis modus, qui usque ad quatuor syllabas pervenit; quandoquidem hi omnes pedes, quibus divisis duo fieri non possunt, conjuncti pedem facere potuerunt : et ita qui in sextam syllabam usque progressi sunt, nomen tantum pedis in eos, qui quartam excesserunt, transferre ausi sunt; ad principatum vero, qui est in rhythmis et metris, nullo modo eos aspirare siverunt. Sed cum pro longis breves duplicantur, etiam ad septimam atque octavam, ut jam ostendit ratio, syllabam pervenitur : ad quem numerum nemo tetendit pedem. Sed quoniam video constare inter nos quemlibet plurium quam quatuor syllabarum, cum pro longa duas breves ponimus, non cum his legitimis pedibus, sed pro his posse poni, neque per seipsos rhythmum creare, ne in infinitum eat quod ratione finiendum est, satisque jam inter nos de rhythmo existimo disputatum; transeamus ad metra, si placet. *D*. Placet vero.

[1] Sic Mss. A et B; at in B. legitur, *sed jam istum non vocari pedem, si progressio illius ultra quaternarium numerum transeat, satis memini.* Er. Lugd. Ven., *si progressione*, etc. M.

CAPUT VII. — *De metro quibus et quot minimum constituatur pedibus.*

15. *M*. Dic igitur, metrumne arbitreris pedibus fieri, an pedes metro. *D*. Non intelligo. *M*. Pedesne conjuncti metrum creant, an metris conjunctis pedes creantur? *D*. Scio jam quid dicas, et conjunctis pedibus metrum fieri puto. *M*. Cur tandem id putas? *D*. Quia inter rhythmum et metrum hoc interesse dixisti, quod in rhythmo contextio pedum nullum certum habet finem, in metro vero habet : ita ista pedum contextio et rhythmi et metri esse intelligitur; sed ibi infinita, hic autem finita constat. *M*. Ergo unus pes metrum non est. *D*. Non utique. *M*. Quid unus pes et semipes? *D*. Ne hoc quidem. *M*. Quare? an quia metrum pedibus confit, nec utique possunt dici pedes, ubi minus quam duo sunt? *D*. Ita est. *M*. Inspiciamus igitur metra illa quæ a me paulo ante commemorata sunt, et videamus quibus pedibus constent : non enim te in hoc genere animadvertendo rudem esse adhuc decet. Ea sunt autem :

Ite igitur, Camœnæ
Fonticolæ puellæ,
Quæ canitis sub antris
Mellifluos sonores.

Satis hæc esse ad id quod intendimus puto : tu jam metire ista, et quos habeant pedes renuntia. *D*. Omnino non possum : eos enim metiendos puto, qui sibi legitime copulari queunt; nec valeo me hinc expedire. Si enim primum chorium fecero, sequitur iambus, qui temporibus par est, sed non similiter plauditur : si dactylum, non sequitur alius qui ei saltem temporibus coæquetur : si choriambum, eadem difficultas est; quod enim restat, nec temporibus cum eo, nec plausu convenit. Quare aut hoc metrum non est, aut falsum est quod inter nos de pedum copulatione dissertum est : nam quid aliud dicam non invenio.

16. *M*. Metrum quidem esse et eo quod plus est quam pes, certumque finem habet, et ipsarum aurium judicio convincitur [1] Non enim tam suavi sonaret æqualitate, aut motu tam concinno plauderetur, si non inesset in illo numerositas, quæ profecto esse nisi in hac parte musicæ non potest. Falsa vero esse, quæ inter nos constiterunt, miror quod existimes : non enim aut numeris quidquam est certius, aut illa pedum commemoratione et collocatione ordinatius. Nam ex ipsa numerorum ratione, quæ nullo modo fallit, expressum est quidquid in eis et ad mulcendas aures, et ad obtinendum in rhythmo principatum, valere perspeximus : sed vide potius cum sæpe repeto, *Quæ canitis sub antris*, demulceoque ista numerositate sensum tuum; quid distat inter hoc, et si adderem ad finem hujus brevem aliquam syllabam, et item istud eodem modo repeterem, *Quæ canitis sub antrisve*? *D*.

[1] *Convenimur*, juxta Er. et Mss. A et B. M.

Utrumque mihi jucunde illabitur auribus : hoc tamen posterius, cui syllabam addidisti brevem, plus tenere spatii ac temporis, siquidem longius factum est, cogor fateri. *M.* Quid cum illud superius, *Quæ canitis sub antris*, ita repeto, ut post finem nihil sileam ? eademne ad te jucunditas pervenit ? *D.* Imo nescio quid claudum me offendit, nisi forte illam ultimam plus quam cæteras longas produxeris. *M.* Ergo sive idipsum amplius quod producitur, sive quod siletur, censesne in tempore habere aliquid spatii ? *D.* Qui aliter potest ?

CAPUT VIII — *Silentia in metris quanta adhiberi oportet. Metrum quod dicatur.*

17. *M.* Recte censes. Sed dic mihi etiam quantum spatium putas esse ? *D.* Metiri hoc omnino difficile est. *M.* Verum dicis : sed nonne tibi videtur brevis illa syllaba id metiri, quam cum addidimus, neque longæ ultimæ ultra solitum productionem, neque ullum silentium in ejus metri repetitione sensus desideravit ? *D.* Omnino assentior : nam et te illud superius pronuntiante atque repetente, hoc posterius ego apud me ipse repetebam pariter tecum : ita sensi idem spatium temporis ambobus occurrere, cum silentio tuo brevis mea ultima conveniret. *M.* Teneas igitur oportet hæc silentiorum spatia certa in metris esse. Quare cum inveneris aliquid deesse pedi legitimo, considerare te oportebit, utrum dimenso [1] atque annumerato silentio compensetur. *D.* Teneo jam istud, persequere cætera.

18. *M.* Video jam nos quærere debere ipsius silentii modum : namque in hoc metro, ubi post choriambum bacchium comperimus, quia unum tempus deest ut sex temporum esset sicut choriambus, facillime id aures senserunt, et in repetitione tanti spatii silentium interponere coegerunt, quantum syllaba occuparet brevis : at si post choriambum locetur spondeus, duo nobis tempora cum [2] silentio peragenda sunt ad caput redeuntibus, veluti hoc est, *Quæ canitis fontem.* Nam te sentire jam credo silendum esse, ut cum redimus ad caput, plausus non claudicet. Sed ut experiri queas quanta silentii hujus mensura sit, adde unam syllabam longam, ut fiat, *Quæ canitis fontem vos ;* atque hoc cum plausu repete : videbis tantum occupare temporis plausum, quantum in superiore occupabat, cum ibi duæ longæ post choriambum, hic tres sint locatæ. Unde apparet duum ibi temporum interponi silentium. At si post choriambum iambus locetur, sicut hoc est, *Quæ canitis locos*, tria tempora silere cogimur : quod ut exploretur, adduntur sive per alterum iambum, sive per chorium, sive per tribrachum ut sit ita : *Quæ canitis locos bonos :* aut, *Quæ canitis locos monte :* aut, *Quæ canitis locos nemore.* His enim additis, cum sine silentio jucunda et æquabilis repetitio movet, et plausu adhibito tantum spatii hæc tria singula tenere inveniuntur, quantum illud in quo silebamus, manifestum fit trium temporum ibi esse silentium. Potest post choriambum una syllaba longa constitui, ut quatuor tempora sileantur. Nam etiam sic choriambus dividi potest, ut simplo et duplo levatio sibi positioque conveniant. Hujus metri exemplum est, *Quæ canitis res.* Cui si addas vel duas longas, vel longam et duas breves, vel brevem et longam et brevem, vel duas breves et longam, vel quatuor breves, implebis sex temporum pedem, ut nullo desiderato silentio repetatur. Talia sunt, *Quæ canitis res pulchras Quæ canitis res in bona, Quæ canitis res bonumve, Quæ canitis res teneras, Quæ canitis res modo bene.* Quibus cognitis atque concessis, credo tibi jam satis apparere, nec minus uno tempore sileri posse, nec plus quatuor temporibus sileri oportere. Nam et ipsa est illa, de qua jam multa dicta sunt, moderata progressio ; et in omnibus pedibus nulla levatio aut positio amplius quam quatuor occupat tempora.

19. Itaque cum aliquid canitur sive pronuntiatur quod habeat certum finem, et plus habeat quam unum pedem, et naturali motu ante considerationem numerorum sensum quadam æquabilitate demulceat [1], jam metrum est. Quanquam enim minus habeat quam duos pedes, tamen quia excedit unum et silere cogit, non sine mensura, sed [2] quantum implendis temporibus satis est quæ alteri debentur pedi ; pro duobus pedibus auditus accipit [3], quod duorum pedum occupat tempora donec ad caput redeatur, dum annumeratur sono etiam certum atque dimensum intervalli silentium. Sed jam mihi dicas velim, utrum his quæ dicta sunt cognitis assentiaris. *D.* Cognovi et assentior. *M.* Mihine credens, an per te ipse vera esse perspiciens ? *D.* Per me ipse sane, quamvis dicente te vera hæc esse cognosco.

CAPUT IX — *Quot ad summum temporibus ac pedibus metrum constare possit.*

20. *M.* Age ergo nunc quoniam invenimus unde metrum esse incipiat, inveniamus etiam quousque procedat. Nam metrum incipit a duobus pedibus, sive ipso sono plenis, sive ad implendum quod deest annumerato silentio. Quare oportet te jam respicere ad illam quaternariam progressionem, mihique renuntiare usque ad quot pedes metrum tendere debeamus. *D.* Facile istud quidem est. Nam octo pedes esse ratio satis docet. *M.* Quid ? illud recordarisne, dixisse nos eum versum a doctis appellatum, qui duobus membris certa ratione dimensis copulatisque constaret ? *D.* Bene memini. *M.* Cum ergo non sit dictum duobus pedibus, sed duobus membris constare versum, cumque manifestum sit versum non unum pedem habere, sed plures; nonne ipsa res indicat longius membrum esse quam pedem ? *D.* Ita vero. *M.* At si membra æqualia sint in versu, nonne præposterari poterit, ut prima pars sine discrimine ultima, et ultima prima fiat ? *D.* Intelligo. *M.* Ergo ut hoc non accidat [4], satisque appareat discernaturque in versu aliud esse membrum quo incipit, aliud quo desinit ; non possumus recusare inæqualia

[1] juxta Vatic., *in menso atque annumerato silentio compensetur*. M.
[2] *Tempora silentio*, juxta Vatic., omissa præpositione, *cum*. M.

[1] *Æqualitate*, juxta Vatic. et Ms. A. M.
[2] *Et*, juxta Vatic. M.
[3] *Accepit*, juxta eumdem. M.
[4] Er., *ne accidat*. Ven. Lov. Ms. A, *hoc ne accidat*. Sic etiam Lugd., uncinis septa tamen voce, *hoc*. M.

membra esse oportere. *D.* Nullo modo. *M.* Id ergo prius in pyrrhichio consideremus, si placet, in quo jam credo videri tibi minus tribus temporibus membrum esse non posse, quoniam id primum est plus quam pes. *D.* Assentior. *M.* Ergo minimus versus quot tempora possidebit? *D.* Dicerem sex, nisi me illa præposteratio revocaret. Septem ergo habebit : quia minus quam tria membrum habere non potest ; plus autem habere, nondum prohibitum est. *M.* Recte intelligis. Sed dic quot pedes pyrrhichios habeant septem tempora. *D.* Tres et semis. *M.* Debetur ergo unius temporis silentium, dum ad principium reditur, ut spatium pedis possit impleri. *D.* Debetur sane. *M.* Hoc annumerato quot tempora erunt? *D.* Octo. *M.* Ut ergo minimus, qui etiam primus est pes, minus quam duo ; ita minimus qui primus est versus, minus habere quam octo tempora non potest. *D.* Ita est. *M.* Quid maximus versus, quo ampliorem esse non oporteat? quot tandem temporum esse debet ? Nonne statim videbis, si ad illam progressionem retulerimus animum, de qua toties tam multa dicta sunt ? *D.* Jam intelligo ampliorem quam triginta duum temporum versum esse non posse.

21. *M.* Quid de metri longitudine ? censesne ampliorem esse debere quam versus [1], cum metrum id quod est minimum, tam minus sit quam minimus versus? *D.* Non censeo. *M.* Cum ergo metrum incipiat a duobus pedibus, versus a quatuor ; aut illud ab spatio duorum pedum, hoc a quatuor annumerato silentio ; metrum autem octo pedes non excedat : nonne cum et versus metrum sit, necesse est eum pedes totidem non excedere? *D.* Ita est. *M.* Rursus cum versus non sit longior quam triginta duum temporum, et metrum sit etiam longitudo versus, si conjunctionem duorum membrorum talem non habeat qualis in versu præcipitur, sed tantum [1] certo fine claudatur, neque debeat longius esse quam versus : nonne manifestum est ut versum pedes octo, ita metrum triginta duo tempora excedere non oportere? *D.* Assentior. *M.* Erit ergo idem spatium temporis, et idem numerus pedum et metro et versui, communisque quidam terminus [2], ultra quem progredi utrumque non debeat : quamvis metrum quadruplicatis pedibus, a quibus esse incipit ; versus autem quadruplicatis temporibus, a quibus et ipse esse incipit, finiatur : ut crescendi scilicet modum quaternaria illa ratione servata metrum cum versu communicaverit in pedibus, versus cum metro in temporibus. *D.* Intelligo, et probo ; atque ita se habere istam concordiam consensionemque delector.

[1] In B., *versum.* Melius cum Ms. A, *versus.* M.

[1] *Tamen,* juxta Vatic. M.

[2] Ita legit Vatic. : *Et idem numerus pedum ; et quidam terminus metro et versui communi, ultra quem.* M.

# *LIBER QUARTUS.*

Continuatur tractatio de metro.

## CAPUT PRIMUM. — *Ultima syllaba quare indifferens in metro.*

1. *M.* Redeamus ergo ad metri considerationem, propter cujus progressum ac longitudinem de versu tecum aliquid agere coactus sum, cujus tractandi postea nobis est constitutus locus. Sed primo illud quæro, utrum non repudies, quod ultimam syllabam, quæ metrum terminat, seu longa seu brevis sit, poetæ atque horum judices grammatici nihil ad rem pertinere arbitrati sunt. *D.* Omnino repudio : non enim mihi videtur esse rationis. *M.* Dic mihi, obsecro, quod metrum sit in pyrrhichio minimum. *D.* Tres breves. *M.* Quantum ergo silendum est, dum repetitur? *D.* Unum tempus, quod est unius brevis syllabæ spatium. *M.* Age, jam percute hoc metrum, non voce, sed plausu. *D.* Feci. *M.* Percute etiam hoc modo anapæstum. *D.* Et hoc feci. *M.* Quid tibi visum est interesse? *D.* Prorsus nihil. *M.* Quid? causam, cur ita sit, potesne dicere? *D.* Videtur mihi satis apparere : nam quod in illo ad silentium, hoc in isto ad productionem ultimæ syllabæ refertur; nam eodem modo ibi brevis ultima, ut hic longa, percutitur; et post tantumdem intervallum reditur ad caput. Sed ibi quiescitur donec spatium pyrrhichii pedis, hic donec longæ syllabæ impleatur. Ita in utroque par mora est, qua interposita remeamus. *M.* Non igitur absurde illi ultimam syllabam metri, seu longa seu brevis sit, nihil ad rem pertinere voluerunt : ubi enim finis est, silentium sequitur, quantum ad ipsum metrum attinet quod finitur. An eos in hac causa repetitionem ullam vel reditum ad caput considerare debuisse existimas, ac non tantummodo quia finitur, quasi deinceps nihil dicendum sit? *D.* Jam assentior, ultimam syllabam indifferenter esse accipiendam. *M.* Recte. Sed si hoc propter silentium fit, quoniam ita consideratus est finis, quasi deinceps nihil soniturus [1] sit qui finierit, et ob hoc spatium temporis in ipsa quiete largissimum nihil distat quæ ibi syllaba locetur; nonne illud est consequens, ut ipsa ultimæ syllabæ indifferentia, quæ propter largum spatium conceditur, ad id proficiat, ut sive ibi brevis syllaba sive longa sit, eam sibi aures pro longa vindicent? *D.* Video plane esse consequens.

## CAPUT II. — *Quot syllabis minimum constituatur pyrrhichium metrum : quamdiu quoque silendum.*

2. *M.* Videsne etiam illud, cum dicimus minimum metrum esse pyrrhichium tres breves syllabas, ut unius brevis spatio sileatur, dum ad initium revertimur; nihil interesse, utrum hoc metrum, an pedes anapæstos repetamus? *D.* Jam hoc quidem paulo ante illa percussione percepi. *M.* Nonne ergo quidquid hic est confusum, distinguendum aliqua ratione arbitraris? *D.* Omnino arbitror. *M.* Dic utrum aliam videas

[1] *Sonaturus,* juxta Vatic. et Ms. A. M.

esse rationem, quæ ista distinguat, nisi ut metrum pyrrhichium non illud sit minimum, quod tibi videbatur in tribus brevibus, sed in quinque. Post unum enim pedem ac semipedem silere mora semipedis ejus qui debetur implendo pedi, atque ita redire ad initium, et hoc minimum metrum in pyrrhichio constituere non nos sinit anapæsti parilitas, ut jam demonstratum est : quare post duos pedes et semipedem silendum est illud unum tempus, si confusione carere volumus. *D.* Cur enim non duo pyrrhichii sunt minimum metrum in pyrrhichio, et quatuor syllabæ breves potius, post quas silere opus non sit, quam quinque post quas opus sit? *M.* Vigilanter quidem, sed non caves ne ab hoc te ita proceleumaticus, ut ab illo anapæstus excludat. *D.* Verum dicis. *M.* Placet ergo hic modus in quinque brevibus, et silentio unius temporis? *D.* Placet vero. *M.* Videtur mihi oblitum esse te, quemadmodum in rhythmo dixerimus posse discerni utrum pyrrhichio an proceleumatico curreretur. *D.* Bene admones : nam plausu istos numeros ab invicem distinguendos comperimus : quare jam neque hic istum proceleumaticum metuo, quem plausu adhibito a pyrrhichio discernere potero. *M.* Cur igitur non eumdem plausum adhibendum vidisti, ut ab illis tribus brevibus, id est pyrrhichio et semipede, post quem oporteret unum tempus silere, discerneretur anapæstus? *D.* Jam intelligo, et in viam redeo, metrumque in pyrrhichio minimum tres syllabas breves, quæ, annumerato silentio, duorum pyrrhichiorum tempus occupant, esse confirmo. *M.* Probant ergo aures tuæ hoc genus numeri : *Si aliqua, Bene vis, Bene dic, Bene fac, Animus, Si aliquid, Male vis, Male dic, Male fac, Animus, Medium est.* *D.* Satis probant, præsertim cum jam recordatus sim quemadmodum eos plaudi oporteat, ne cum metro pyrrhichio anapæsti confundantur pedes.

3. *M.* Vide et ista : *Si aliquid es, Age bene, Male qui agit, Nihil agit, Et ideo, Miser erit.* *D.* Suaviter etiam ista se insinuant, nisi uno loco, ubi finis tertii cum initio quarti copulatur. *M.* Idipsum omnino est, quod a tuis auribus desideravi. Non enim frustra sensus offenditur, cum omnium syllabarum nullo interposito silentio tempora singula exspectat : quam exspectationem profecto fraudat concursus duarum consonantium, *t* et *n*, quæ præcedentem vocalem longam esse cogunt, et in duo tempora extendunt; quod genus grammatici positione longam syllabam vocant. Sed propter illam ultimæ syllabæ indifferentiam, nemo criminatur hoc metrum, cum id sinceræ atque severæ aures etiam sine accusatore condemnent. Nam vide, quæso, quantum interest, si pro eo quod est,

Male qui agit, Nihil agit :
Male qui agit, Homo perit. dicatur,

*D.* Hoc sane liquidum atque integrum est. *M.* Hoc ergo nos observemus propter musicæ sinceritatem, quod poetæ non observant propter facilitatem canendi : ut quoties, exempli causa, nobis necesse est aliqua metra interponere, in quibus nihil debetur pedi quod silentio compensetur, eas ponamus ultimas syllabas quas lex ejusdem numeri flagitat; ne cum aliqua offensione aurium et falsitate mensuræ, a fine ad initium redeamus; concedentes tamen illis ut ita metra talia finiant, quasi deinceps nihil dicturi, et ideo extremam syllabam seu longam seu brevem impune constituant : nam in continuatione metrorum apertissime convincuntur aurium judicio, non se debere ponere ultimam, nisi quæ ipsius metri jure atque ratione ponenda est. Hæc autem continuatio fit, cum pedi nihil debetur propter quod silere cogamur. *D.* Intelligo, et gratum habeo quod talia polliceris exempla, quibus nullam patiatur sensus injuriam.

## CAPUT III. — *Pyrrhichiorum metrorum ordo et numerus.*

4. *M.* Age, nunc ordine de his quoque renuntia pyrrhichiis :

Quid erit homo
Qui amat hominem,
Si amet in eo
Fragile quod est?
Amet igitur
Animum hominis,
Et erit homo
Aliquid amans.

Quid hæc videntur? *D.* Quid nisi suavissime atque integerrime currere? *M.* Quid ista?

Bonus erit amor,
Anima bona sit:
Amor inhabitat,
Et anima domus.
Ita bene habitat,
Ubi bona domus;
Ubi mala, male.

*D.* Etiam ista continuata suavissime accipio. *M.* Nunc tres semis pedes, vide :

Animus hominis est
Mala bonave agitans.
Bona voluit, habet;
Mala voluit, habet.

*D.* Hæc quoque interposito unius temporis silentio, jucunda sunt. *M.* Sequuntur quatuor pleni pyrrhichii; hos accipe, et judica :

Animus hominis agit
Ut habeat ea bona,
Quibus inhabitet homo,
Nihil ibi metuitur.

*D.* In his quoque certa et jucunda mensura est. *M.* Audi jam nunc novem syllabas breves; audi et judica :

Homo malus amat et eget;
Malus etenim ea bona amat,
Nihil ubi satiat eum.

*D.* Prome nunc quinque pyrrhichios. *M.*

Levicula fragilia bona,
Qui amat homo, similiter habet.

*D.* Jam hoc sat est, et probo; nunc adde semipedem. *M.* Faciam :

Vaga levia fragilia bona,
Qui amat homo, similis erit eis.

*D.* Bene prorsus; et sex jam exspecto pyrrhichios. *M.* Et hos audi :

Vaga levicula fragilia bona,
Qui adamat homo, similis erit eis.

*D.* Satis est; adde semipedem. *M.*

Fluida levicula fragilia bona
Quæ adamat anima, similis erit eis.

*D.* Sat est, et bene est; da jam septem pyrrhichios. *M.*

Levicula fragilia gracilia bona,
Quæ adamat animula, similis erit eis.

*D.* Accedat his semipes; nam hoc eleganter se habet. *M.*

Vaga fluida levicula fragilia bona,
Quæ adamat animula, fit ea similis eis.

*D.* Octo pedes jam restare video, ut jam istas minutias evadamus. Quanquam enim approbent aures naturali quadam dimensione quod sonas, nolim te tamen tot breves syllabas quærere; quas, ni fallor, contextas invenire in conjunctione verborum difficilius est, quam si eis miscere longas liceret. *M.* Nihil te fallit, et ut tibi probem gratulationem meam, quod hinc aliquando transire permittimur, metrum quod restat hujus generis sententia feliciore componam [1]:

Solida bona bonus amat, et ea qui amat habet.
Itaque nec eget amor, et ea bona Deus est.

*D.* Habeo cumulatissime perfecta metra pyrrhichii. Sequuntur iambica, de quibus mihi singulis bina exempla sufficiunt, quæ nulla interpellatione audire delectat.

## CAPUT IV. — *De metro iambico.*

5. *M.* Geram tibi morem. Sed ista quæ jam peregimus quot sunt? *D.* Quatuordecim. *M.* Quot etiam iambica fore credis? *D.* Æque quatuordecim. *M.* Quid, si in eis velim pro iambo tribrachum ponere, nonne multiformior varietas erit? *D.* Manifestum est quidem : sed ego exempla ista in solis iambis audire cupio, ne longum faciamus : pro quavis enim longa syllaba duas breves posse poni, facilis disciplina est. *M.* Faciam quod vis, gratumque habeo quod intelligentia sequaci minuis laborem meum : sed aurem ad iambicum præbe. *D.* Istic sum, incipe. *M.*

Bonus vir, Beatus.
Malus miser, Sibi est malum.
Bonus beatus, Deus bonum ejus.
Bonus beatus est, Deus bonum ejus est.
Bonus vir est beatus, Videt Deum beate.
Bonus vir et sapit bonum, Videns Deum beatus est.
Deum videre qui cupiscit, Bonusque vivit, hic videbit.
Bonum videre qui cupit diem,
Bonus sit hic, videbit et Deum.
Bonum videre qui cupit diem illum,
Bonus sit hic, videbit et Deum illic.
Beatus est bonus, fruens enim est Deo;
Malus miser, sed ipse pœna fit sua.
Beatus est videns Deum, nihil cupit plus;
Malus bonum foris requirit, hinc egestas.
Beatus est videns Deum, nihil boni amplius;
Malus bonum foris requirit, hinc eget miser.
Beatus est videns Deum, nihil boni amplius vult;
Malus foris bonum requirit, hinc egenus errat.
Beatus est videns Deum, nihil boni amplius volet;
Malus foris bonum requirit, hinc eget miser bono.

## CAPUT V. — *De metro trochaico.*

6. *D.* Trochæus sequitur, prome trochaica : nam ista se habent optime. *M.* Faciam, et eodem modo quo iambica :

Optimi Non egent.
Veritate, Non egetur.
Veritas sat est, Semper hæc manet.
Veritas vocatur Ars Dei supremi.
Veritate factus est mundus iste quem vides.
Veritate facta cuncta Quæque gignier videmus.
Veritate facta cuncta sunt, Omniumque forma veritas.
Veritate cuncta facta cerno.
Veritas manet, moventur ista.
Veritate facta cernis omnia,
Veritas manet, moventur omnia.
Veritate facta cernis ista cuncta,
Veritas tamen manet, moventur ista.
Veritate facta cuncta cernis optime,
Veritas manet, moventur hæc, sed ordine.
Veritate facta cuncta cernis ordinata,
Veritas manet, novans movet quod innovatur.
Veritate facta cuncta sunt, et ordinata sunt,
Veritas novat manens, moventur ut noventur hæc.
Veritate facta cuncta sunt, et ordinata cuncta,
Veritas manens novat, moventur ut noventur ista.

## CAPUT VI. — *De metro spondiaco.*

7. *D.* Spondeum sequi video : nam et trochæus satis auribus fecit. *M.* Hæc sunt metra spondei :

Magnorum est, Libertas.
Magnum est munus Libertatis.
Solus liber fit, Qui errorem vincit.
Solus liber vivit, Qui errorem jam vicit.
Solus liber vere fit, Qui erroris vinclum vicit.
Solus liber vere vivit, Qui erroris vinclum jam vicit.
Solus liber non falso vivit,
Qui erroris vinclum jam devicit.
Solus liber jure ac vere vivit,
Qui erroris vinclum magnus devicit.
Solus liber jure ac non falso vivit,
Qui erroris vinclum funestum devicit.
Solus liber jure ac vere magnus vivit,
Qui erroris vinclum funestum jam devicit.
Solus liber jure ac non falso magnus vivit,
Qui erroris vinclum funestum prudens devicit.
Solus liber jure ac non falso securus vivit,
Qui erroris vinclum funestum prudens jam devicit.
Solus liber jure ac non falso securus jam vivit,
Qui erroris vinclum tetrum ac funestum prudens devicit
Solus liber jure ac non falso securam vitam vivit,
Qui erroris vinclum tetrum ac funestum prudens jam devicit.

## CAPUT VII. — *Tribrachi metra quot sint.*

8. *D.* Nec de spondeo habeo quod requiram, veniamus ad tribrachum. *M.* Ita vero. Sed cum omnes quatuor superiores pedes, de quibus dictum est, quatuordena metra pepererint, quæ fiunt simul sex et quinquaginta, plura sunt exspectanda de tribracho. In illis enim cum spatium semipedis in silentio est, plus una syllaba non siletur : in hoc autem cum silemus, num censes unius brevis syllabæ spatio tantummodo sileri oportere, an et duarum brevium mora silentio contineri potest? quandoquidem nemo dubitaverit duplicem hujus esse divisionem : namque aut ab una incipit, et finitur ad duas; aut contra incipiens a duabus, una terminatur. Quare hunc necesse est viginti et unum metra procreare. *D.* Verissimum est. Nam incipiunt a quatuor brevibus, ut duo tempora sileamus : deinde quinque sunt, ubi unum silemus : tertio sex, ubi nihil silendum est : quarto septem, ubi rursus duo tempora silenda sunt : inde octo, ubi unum : sexto novem, ubi nullum. Atque ita cum singulæ adduntur, donec ad viginti quatuor syllabas veniatur, qui octo sunt tribrachi, viginti unum omnino metra complentur. *M.* Expeditissime rationem secutus es : sed censesne ubique a nobis exempla esse promenda; an ea quæ illis quatuor primis pedibus subjecimus, satis putandum est luminis cæteris esse præbitura? *D.* Meo quidem judicio satis. *M.* Nec ego nunc aliud requiro quam tuum. Verumtamen quoniam jam optime scis in pyrrhichiis metris mutato plausu posse tribrachos percuti; quæro,

[1] In B., *faciliore*. Melius cum Mss. A et B, *feliciore*. M.

utrum pyrrhichii primum metrum possit etiam tribrachi metrum habere. *D.* Non potest : majus enim metrum oportet esse quam pedem. *M.* Quid, secundum? *D.* Potest : nam breves quatuor pyrrhichii duo sunt, tribrachus unus et semipes, ita ut ibi nullum, hic duo tempora sileamus. *M.* Mutato igitur plausu habes in pyrrhichiis etiam tribrachi exempla usque ad sexdecim syllabas, id est usque ad quinque tribrachos et semipedem, quibus debes esse contentus : cætera enim potes vel voce vel aliquo plausu per te ipse contexere. Si tamen adhuc aurium sensu explorandos hujuscemodi numeros arbitraris. *D.* Faciam equidem quod videbitur : videamus quæ restant.

CAPUT VIII. — *De dactylo.*

9. *M.* Dactylus sequitur, qui semel dividi potest. An aliter putas? *D.* Imo ita est. *M.* Quota ergo ejus pars potest esse in silentio? *D.* Dimidia scilicet. *M.* Quid, si post dactylum trochæo constituto, velit quispiam silere unum tempus, quod in brevi syllaba dactylo debetur implendo? quid respondebimus? Non enim possumus dicere minus quam spatium semipedis sileri non oportere. Ratio enim superius tractata non minus, sed amplius quam semipedis tempus silendum non esse persuaserat. Nam utique minus quam semipes siletur in choriambo, ubi post ipsum choriambum bacchius collocatur, cujus exemplum est, *Fonticolæ puellæ.* Unius enim brevis syllabæ spatio hic nos silere cognoscis, quod sex temporibus debetur implendis. *D.* Verum dicis. *M.* Constituto ergo trochæo post dactylum, licebitne etiam unum tempus silere? *D.* Ita cogor fateri. *M.* Quis te tandem cogeret, si meminisses superiorum? Hoc enim tibi accidit, quod de indifferentia ultimæ syllabæ, et quomodo sibi ultimam longam vindicent aures, ubi restat spatium quo porrigatur, etiamsi brevis sit, quid demonstratum fuerit oblitus es. *D.* Jam intelligo : nam utique si ultimam syllabam brevem, quando restat silentium, longam aures accipiunt, sicut superiore ratione exemplisque cognovimus; nihil intererit utrum post dactylum trochæus, an spondeus locetur. Quamobrem cum repetitio distinguenda silentio est, unam longam syllabam oportet post dactylum ponere, ut duorum temporum spatio sileamus. *M.* Quid si pyrrhichius ponatur post dactylum, rectene fieri putas? *D.* Non recte : nam utrum idem sit, an iambus, nihil interest : siquidem pro iambo eum necesse est accipi propter ultimam, quam longam exigunt aures, quia restat silentium. Iambum autem non oportere poni post dactylum, propter diversitatem levationis et positionis, quarum neutram oportet in dactylo habere tria tempora, quis non intelligat?

CAPUT IX. — *De bacchio.*

10. *M.* Optime omnino atque sequaciter. Sed quid tibi tandem videtur de anapæsto? an eadem ratio est? *D.* Prorsus eadem. *M.* Jam ergo bacchium consideremus, si placet, et dic mihi quod primum ejus metrum est. *D.* Quatuor syllabas puto esse, unam brevem, et tres longas, quarum duæ ad bacchium pertinent, una vero ultima ad inchoationem ejus pedis qui cum bacchio poni potest; ut id quod ei debetur, sit in silentio : in aliquo tamen exemplo vellem hoc auribus explorare. *M.* Facile quidem est exempla subjicere, quibus tamen non te arbitror ita ut superioribus posse delectari : nam isti quinum temporum pedes, ut etiam septenum, non tam suaviter currunt, quam ii qui aut in æquas partes dividuntur, aut in simplam et duplam, vel in duplam et simplam; tantum interest inter sesquatos motus et æquales aut complicatos, de quibus satis in primo illo nostro sermone tractavimus. Itaque hos pedes, quinque ac septem scilicet temporum, uti aspernantius poetæ, ita soluta libentius assumit oratio : quod videri facilius in exemplis quæ postulasti, potest : nam ista sunt, *Laborat magister docens tardos.* Hoc revolve interposito trium temporum silentio, quod ut sentires facilius, ideo post tres pedes longam syllabam posui, quod est initium cretici, qui cum bacchio poni potest. Nec ad primum metrum exemplum dedi [1] quod est quatuor syllabarum, ne unus pes non esset satis ad commonendum sensum tuum, quantum post illum atque unam longam silere deberes. Quod ecce nunc edam, atque ipse repetam, ut in meo silentio tria tempora sentias : *Labor nullus, Amor magnus. D.* Satis apparet solutæ orationi hos esse congruentiores pedes, et nihil opus est exemplis cætera excurrere. *M.* Verum dicis : sed num tibi cum silendum est, una tantum longa videtur poni posse post bacchium? *D.* Non sane; sed etiam brevis et longa, qui ejusdem bacchii semipes primus est : nam si nobis inchoare creticum licuit, quia cum eodem bacchio poni potest; quanto magis id de ipso bacchio facere licebit, cum præsertim non totum de cretico posuerimus quod primæ parti bacchii sit æquale temporibus?

CAPUT X. — *Pleno pedi quid addatur ante silentium.*

11. *M.* Jam ergo, si placet, me audiente atque judicante, tu ipse per cætera excurre, et quid ponatur post plenum pedem, quando silentio reliquum impletur in omnibus pedibus qui restant, exsequere. *D.* Brevissimum jam, opinor, atque facillimum est quod requiris : nam quod de bacchio dictum est, id etiam de secundo pæone dici potest. Post creticum autem et unam longam syllabam licet ponere, et iambum, et spondeum; ita ut aut tria tempora, aut duo, aut unum sileatur. Quod autem de hoc dictum est, id et in primum et in ultimum pæonem cadit [2]. Jam post palimbacchium vel unam longam vel spondeum collocari decet, quocirca et in hoc metro aut tria tempora, aut unum silebitur. Eadem conditio est pæonis tertii. Sane ubicumque spondeus, ibi et anapæstus jure ponitur. Post molossum vero, quod ad ejus attinet divisionem, aut unam longam ut quatuor, aut duas ponimus ut duo tempora sileamus. Sed quoniam et censu et ratione exploratum est, ordinari

[1] Er. Lugd. habent : *Nec ad primi metri exemplum dedi;* et in margine *adeo*, pro *ad;* Lov., *nec adeo primi metri.* Ms. A, *nec primi metri;* at Ms. B legit ut Benedictini. Ven. textum Er. et Lugd. sequitur. M.

[2] Adjiciuntur a Ms. A hæc verba : *Propter duas divisiones.* M.

cum eo posse omnes senum temporum pedes, erit post cum locus et iambo, et tria tempora silenda remanebunt; erit et cretico, et unum tacebitur; hac conditione erit et bacchio. At si in duas breves primam cretici, et secundam bacchii solverimus, erit et pæoni quarto. Quod autem de molosso, id etiam de cæteris sex temporum pedibus dixerim. Jam proceleumaticum arbitror ad cæteros qui quatuor temporibus constant, esse referendum, nisi cum tres breves post eum locamus. Quod ita est ac si anapæstum locemus, propter ultimam syllabam quæ cum silentio longa accipi solet. Primo vero epitrito iambus recte subjungitur, et bacchius et creticus et pæon quartus. Hoc dictum sit et de secundo, ut tempora sileantur aut quatuor, aut duo. Duos autem reliquos epitritos recte possunt consequi spondeus et molossus : ita ut primam spondei, et primam vel secundam molossi in duas breves solvere liceat. Ergo in his metris aut tria tempora, aut unum tacebitur. Dispondeus restat, post quem si posuerimus spondeum, quatuor tempora silenda erunt; si molossum, duo, manente licentia solvendi longam in duas breves, vel in spondeo, vel in molosso, excepta ultima. Habes quod me excurrere voluisti. Nisi aliquid forte emendabis.

CAPUT XI. — *Iambus post dichorium male ponitur.*

12. *M.* Imo non ego, sed tu, cum aurem ad judicandum adhibueris : nam quæro a te, utrum cum dico et plaudo istud metrum, *Verus optimus;* et hoc, *Verus optimorum;* et hoc, *Veritatis inops :* tam jucunde hoc tertium quam illa superiora tuus sensus accipiat; quod ea repetendo, et cum debitis silentiis plaudendo facile judicabit. *D.* Manifestum est quod jucunde illa, hoc injucunde accipiat[1]. *M.* Non ergo recte post dichorium iambus ponitur. *D.* Ita est. *M.* Recte autem poni posse post cæteros assentitur quisquis hæc metra cum disciplina interponendorum silentiorum repetierit.

Fallacem cave.
Male castum cave.
Mutiloquum cave.
Fallaciam cave.
Et invidum cave.
Et infirmum cave.

*D.* Sentio quod dicis, et approbo. *M.* Vide etiam utrum te nihil offendat, cum interposito duorum temporum silentio, hoc metrum repetitum inæquale pergit [2]. Num enim ita sonet ut ista ?

Veraces regnant.
Sapientes regnant.
Veriloqui regnant.
Prudentia regnat.
Boni in bonis regnant.
Pura cuncta regnant.

*D.* Imo hæc æqualiter et suaviter, illud autem absurde. *M.* Hoc ergo tenebimus in metris sex temporum pedum, dichorium iambo, antispastum spondeo male claudi. *D.* Tenebimus sane.

13. *M.* Quid ? causam cur ita sit nonne approbabis, si animadverteris levatione ac positione in duas partes dividi pedem, ita ut si qua in eo syllaba media est, vel una vel duæ, aut uni parti attribuantur priori vel posteriori, aut in utramque partiantur? *D.* Novi quidem istuc, et verum est : sed quid ad rem? *M.* Hoc quoque attende quod dicam, tum videbis facilius quod requiris. Nam manifestum tibi esse arbitror, alios esse sine mediis syllabis pedes, ut pyrrhichius, et cæteri binarum syllabarum; alios in quibus medium aut primæ parti, aut extremæ, aut utrique, aut neutri, spatio conveniat : primæ, ut in anapæsto, vel in palimbacchio, vel in pæone primo : extremæ, ut in dactylo vel in bacchio, vel in pæone quarto : utrique, ut in tribracho, sive in molosso, sive in choriambo, sive in quolibet ionico : neutri, ut in cretico, sive in pæonibus secundo et tertio, sive in diiambo, dichorio, antispasto. Nam qui pedes in tres æquales partes dividi possunt, media pars in his convenit cum prima et extrema; qui autem non possunt, aut cum prima tantum, aut cum extrema, aut cum neutra. *D.* Et hoc æque scio, et quo tendat exspecto. *M.* Quo tandem putas, nisi ut videas iambum post dichorium ideo male poni cum silentio, quia medium ejus est, nec primæ parti æquale nec extremæ, et idcirco a levatione ac positione discordat? Hoc etiam de spondeo intelligitur, qui similiter post antispastum cum silentio non amat poni. An quidquam tibi adversum ista dicendum est? *D.* Mihi vero nihil? nisi quod ista offensio quæ fit auribus, cum ita hi pedes collocantur, in comparatione fit ejus suavitatis, quæ oblectat auditum, cum post cæteros senum temporum hi cum silentio ponuntur pedes. Nam si aliis tacitis me consuleres quemadmodum sonarent, exemplis subjectis, aut post dichorium iambus, aut post antispastum spondeus, cum silentio positi; dicam quod sentio, fortasse approbarem et laudarem. *M.* Non equidem resisto tibi. Satis est mihi tamen, quod hæc collocatio in comparatione talium numerorum, sed melius sonantium, sicut dicis, offendit : eo enim est improbanda, quod cum ejusdem generis etiam illi sint pedes, quos his semipedibus clausos labi jucundius confitemur, ab iis discrepare non debuit. Sed nonne tibi videtur secundum istam rationem, nec post epitritum secundum iambum cum silentio poni oportere? Nam et in hoc pede iambus ita medium locum tenet, ut nec prioris nec posterioris partis temporibus æquetur. *D.* Cogit me superior ratio concedere.

CAPUT XII. — *Summa omnium metrorum.*

14. *M.* Age nunc, redde mihi omnium metrorum numerum, si placet, quæ jam tractavimus; id est eorum quæ a suis plenis pedibus incipiunt, clauduntur autem aut suis pedibus plenis, ita ut silentium, cum ad caput reditur, non interponamus; aut non plenis pedibus cum silentio, quos tamen eis congruere ratio docuit; incipiente numero a duobus non plenis usque ad octo plenos, ita tamen ut triginta duo tempora non excedantur. *D.* Operosum quidem est quod imponis, est tamen operæ pretium. Sed memini nos paulo ante jam pervenisse ad septuaginta septem metra a

[1] Mss. A et B ferunt : *Manifestum est jucunde illa, hoc injucunde accipi.* M.

[2] *Inæqualiter*, juxta Ms. A et omnes editos. Ms. B legit uti Benedictini, *inæquale.* M.

pyrrhichio usque ad tribrachum, cum illi binarum syllabarum pedes quatuordecim singuli crearent, quæ fiunt simul quinquaginta et sex. Tribrachus autem viginti et unum, propter geminam divisionem. His igitur septuaginta et septem addimus quatuordecim dactyli, et anapæsti totidem : pleni enim si locentur nullo silentio, incipiente metro a duobus usque ad octo pedes, septena pariunt ; additis vero semipedibus cum silentio, incipiente metro ab uno pede, et semipede perveniente ad septem et semis, alia septena. Et fiunt jam omnia centum et quinque. Bacchius vero non potest metrum suum ad octo pedes perducere, ne triginta duo tempora transeat, neque quisquam quinum temporum pes ; sed possunt isti usque ad sex pervenire. Bacchius ergo et qui ei par est, non modo temporibus, sed etiam divisione pæon secundus, a duobus pedibus usque ad sex procedentes cum integri ordinantur sine silentio, quina metra pariunt ; cum silentio autem incipientes ab uno semipede, et ad quinque semipedes pervenientes, alia quina cum una longa post eos ponitur, et item quina cum brevis et longa : quindena igitur creant, quæ in summam redacta triginta sunt. Et fiunt jam metra omnia centum et triginta quinque. Creticus vero, et qui pariter dividuntur, pæones primus et quartus, quoniam post illos et unam longam, et iambum, et spondeum, et anapæstum licet ponere, ad septuaginta quinque perveniunt : cum enim tres sint pedes, quina creant sine silentio, cum silentio autem viginti, quæ simul, ut dictum est, fiunt quinque et septuaginta, quibus additis superiori summæ, decem et ducenta complentur. Palimbacchius et qui ei divisione concordat tertius pæon, quina pariunt integri sine silentio : cum silentio autem quina cum una longa, quina cum spondeo, quina cum anapæsto. Hæc addimus ad majorem summam, et habemus metra omnia ducenta quinquaginta.

15. Molossus et cæteri sex temporum pedes, qui cum illo simul septem fiunt, quaterna creant integri : cum silentio autem quoniam et una longa post unumquemque eorum locari potest, et iambus, et spondeus, et anapæstus, et bacchius, et creticus, et pæon quartus ; vicena et octona complent, quæ simul fiunt centum nonaginta sex, quæ ducta cum illis quaternis ducenta viginti quatuor complentur : sed hinc octo deducendi sunt, quia post dichorium iambus, et post antispastum spondeus male ordinantur. Reliqua sunt ducenta sexdecim, quæ addita majori summæ, faciunt metra omnia quadringenta sexaginta sex. Proceleumatici ratio haberi non potuit cum his pedibus quibus congruit, propter semipedes qui post hunc plures ponuntur. Nam et una syllaba longa post eum poni potest cum silentio, sicut post dactylum et ejus consortes ut duo, et tres breves ut unum tempus sileatur ; quo efficitur ut ultima brevis pro longa accipiatur. Epitriti metra gignunt terna integri, incipiente metro a duobus pedibus, perveniente ad quatuor : si enim addas quintum, triginta duo tempora, quod non oportet, excedes. Cum silentio vero primus et secundus epitritus terna post locato iambo, terna bacchio, terna cretico, terna pæone quarto ; quæ fiunt cum illis ternis quæ sunt sine silentio, triginta. Tertius vero et quartus epitriti tres ante silentium gignunt, cum spondeo terna, et terna cum anapæsto, terna cum molosso, terna cum ionico minore, terna cum choriambo ; quæ fiunt simul cum illis ternis, quæ sine silentio genuerunt, triginta et sex. Ergo epitriti omnes sexaginta et sex metra pariunt : quæ cum viginti et uno proceleumatici, superiori summæ addita, faciunt quingenta quinquaginta tria. Dispondeus restat gignens et ipse tria integer ; adhibito autem silentio cum spondeo tria, et tria cum anapæsto, tria cum molosso, tria cum ionico a minore, tria cum choriambo : quæ in summam ducta cum illis tribus quæ creat integer, fiunt decem et octo. Ita erunt metra omnia quingenta septuaginta et unum.

CAPUT XIII. — *Ratio metiendi metra et silentia interponendi.*

16. *M.* Essent quidem, nisi tria detrahenda essent, quia post secundum epitritum dictum est iambum male poni. Sed hoc quidem bene se habet : quare jam dic mihi, quomodo tibi aurem tangat metrum hoc, *Triplici vides, ut ortu Triviæ rotetur ignis.* *D.* Persuaviter. *M.* Potesne dicere quibus pedibus constet? *D.* Non possum : neque enim invenio quomodo sibi congruant quos metior : sive enim pyrrhichium a capite constituam, sive anapæstum, sive pæonem tertium, non his conveniunt qui sequuntur : et invenio hic quidem creticum post tertium pæonem, ut reliqua sit longa syllaba, quam creticus post se non respuit collocari ; sed his pedibus hoc metrum constare recte non posset, nisi interposito silentio trium temporum : nunc vero nihil siletur, cum hoc repetendo permulcet auditum. *M.* Vide igitur, utrum incipere debeat a pyrrhichio, deinde metiamur dichorium, tum spondeum, qui complet tempora, quorum duo sunt in principio : potest item caput tenere anapæstus, deinde diiambus metiri, ut extrema longa collocata cum [1] quatuor temporibus anapæsti perficiat sex tempora, quæ cum diiambo conveniunt, ex quo intelligas licet, partes pedum non solum in fine poni, sed etiam in capite metrorum. *D.* Jam intelligo.

17. *M.* Quid, si demam unam ultimam longam, ut tale sit metrum, *Segetes meus labor* : nonne animadvertis cum silentio duorum temporum repeti ? Ex quo manifestum est, et aliquam partem pedis posse in principio metri poni, et aliquam in fine, et aliquam in silentio. *D.* Et hoc manifestum est. *M.* Sed hoc fieri si dichorium metiaris integrum in hoc metro ; nam si diiambum, et a capite anapæstus ponatur, cernis partem pedis in principio positam, quæ habet jam quatuor tempora : duo autem quæ debentur, silentur in fine. Ex quo discimus, posse metrum incipere a parte pedis, et desinere ad plenum pedem, sed nunquam sine silentio. *D.* Et hoc perspicuum est.

[1] In B, *collocata quatuor*, omissa præpositione *cum*, quam in Ms. A reperimus.

18. *M.* Quid ? hoc metrum potesne metiri et dicere quibus pedibus constet ?

Jam satis terris nivis, atque diræ
Grandinis misit Pater, et rubente
Dextera sacras jaculatus arces.
(*Horat. lib.* 1 *Carminum, ode* 2.)

*D.* Possum constituere in capite creticum, et duos metiri reliquos senum temporum pedes, unum ionicum a majori, alterum dichorium, et silere unum tempus quod adjungitur cretico ut sex tempora compleantur. *M.* Nonnihil defuit considerationi tuæ : nam cum dichorius est in fine, restante silentio, ultima ejus quæ brevis est, pro longa accipitur. An hoc negabis ? *D.* Imo fateor. *M.* Non ergo constitui decet in fine dichorium, nisi nullo in repetitione consequente silentio, ne non jam dichorius, sed epitritus secundus sentiatur. *D.* Manifestum est. Quomodo ergo metiemur hoc metrum ? *D.* Nescio.

CAPUT XIV. — *Persequitur rationem adhibendi silentia in metiendis metris.*

*M.* Attende ergo utrum bene sonet, cum ita pronuntio, ut post tres primas syllabas unum tempus sileam : ita enim in fine nihil debebitur, ut decenter ibi possit esse dichorius. *D.* Jucundissime sonat.

19. *M.* Hoc quoque igitur adjungamus arti, ut non solum in fine, sed et ante finem cum oportet sileamus. Tunc autem oportet, cum id quod debetur implendis temporibus pedum, aut indecenter siletur in fine propter ultimam brevem, ut in hoc quod dictum est ; aut cum duo constituuntur non pleni pedes, unus in capite, alter in fine, qualis iste est,

Gentiles nostros inter oberrat equos.

Sensisti enim, ut opinor, me post quinque syllabas longas, moram duorum temporum siluisse, et tantumdem in fine silendum est, dum reditur ad caput. Si enim hoc metrum ad legem sex temporum metiaris ; erit tibi primus spondeus, secundus molossus, tertius choriambus, quartus anapæstus. Spondeo igitur debentur duo tempora ut sex temporum pedem impleat, et anapæsto : itaque duo silentur post molossum ante finem, et duo post anapæstum in fine. Si autem ad legem temporum quatuor ; una longa erit in capite, deinde duos metimur spondeos, deinde duos dactylos, et post una longa concludet [1]. Silemus itaque duo tempora post geminum spondeum ante finem, et duo in fine, ut ambo pedes impleantur, quorum dimidias partes in capite atque in extremo posuimus.

20. Nonnunquam tamen quod duobus non plenis pedibus debetur in principio ac fine collocatis, finali tantum silentio redditur [2] ; si tantum sit ut dimidii spatium pedis non excedat, qualia hæc duo sunt :

Silvæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.

Horum enim prius incipit a palimbacchio, inde excurrit in molossum, et bacchio terminatur : silentur ergo duo tempora ; quorum unum bacchio, alterum palimbacchio cum reddideris, sena ubique tempora implebuntur. Hoc autem posterius dactylo inchoatur, inde pergit in choriambum, clauditur bacchio : tria igitur tempora silere oportebit ; hinc unum bacchio, duo dactylo redhibebimus, ut in omnibus sint sena tempora.

21. Prius autem redditur quod debetur implendo extremo pedi, quam in principio constituto. Nec aliter omnino fieri aures sinunt. Nec mirum : id enim cum repetimus, adjungitur capiti quod prorsus extremum est. Itaque in hoc metro quod dictum est, *Flumina constiterint acuto :* cum tria tempora senis utique implendis debeantur, si ea non silentio velis, sed voce reddere, possintque reddi et per iambum, et per chorium, et per tribrachum, quia omnes terna tempora possident ; nullo modo ea per chorium reddi sensus ipse permittit, in quo prior est longa syllaba, brevis posterior : id enim prius sonare debet, quod bacchio debetur extremo, id est brevis syllaba ; non longa, quæ dactylo primo. Licet hoc explorare his exemplis :

Flumina constiterint acuto gelu.
Flumina constiterint acute gelida.
Flumina constiterint in alta nocte.

Cui dubium est, duo illa suaviter repeti, hoc autem tertium nullo modo ?

22. Item cum singula tempora singulis debentur pedibus minus plenis, si ea voce reddere velis, non sinit sensus in unam syllabam coarctari ; mira omnino justitia. Non enim convenit, quod separatim reddendum est, non etiam constitui separatim. Quocirca in illo metro, *Silvæ laborantes, geluque,* si unam longam pro silentio fini addas, sicuti est, *Silvæ laborantes gelu duro,* non probant aures ; sicut probant cum dicimus, *Silvæ laborantes gelu et frigore.* Quod satiatissime sentis, cum singula repetis.

23. Item non oportet cum duo minus pleni pedes ponuntur, majorem in principio quam in fine poni ; nam et hoc condemnat auditus, tanquam si dicas, *Optimum tempus adest tandem,* ut primus pes sit creticus, secundus choriambus, tertius spondeus ; ut tria tempora sileamus, quorum duo debentur ultimo spondeo ad sena implenda, et unum primo cretico. At si ita dicatur, *Tandem tempus adest optimum,* eadem interposita trium temporum mora in silentio, quis non sentiat jucundissime repeti ? Quare aut tanti spatii decet esse in fine minus plenum pedem, quanti est in principio, ut illud, *Silvæ laborantes, geluque :* aut minorem in principio, et in fine majorem, veluti est, *Flumina constiterint acuto.* Neque injuria, quia ubi est æqualitas, nulla discordia : ubi autem dispar est numerus, si a minore ad majorem veniamus, ut in numerando solet, facit rursus ipse ordo concordiam.

24. Ex quo illud est etiam consequens, ut cum ii de quibus agitur, minus pleni ponuntur pedes, si duobus locis interponitur silentium, id est ante finem et in fine ; tantum ante finem sileatur quantum debetur extremo, tantum autem in fine quantum scilicet primo [1] : quia medium tendit ad finem ; a fine vero ad princi-

[1] In B., *concludetur. Concludet,* juxta Mss. A et B. M.
[2] In prius excusis, *finali tamen silentio redditur.* At in Mss., *finali tantum.*

[1] Am. Er. Lov. sic habent : *Quantum scilicet principio ;*

pium redeundum est. Si autem utrique tantumdem debetur, nulla controversia est quin tantum ante finem quantum in fine silendum sit. Sileri autem oportet non nisi ubi terminatur pars orationis. In iis autem numeris qui non verbis fiunt [1], sed aliquo pulsu vel flatu, vel ipsa etiam lingua, nullum in hac re discrimen est, post quam vocem percussionemve sileatur; modo ut legitimum secundum supradictas rationes intercedat silentium. Quamobrem et a duobus potest minus plenis pedibus metrum incipere, si tamen utriusque conjunctum spatium minus non sit, quam posset esse unius et dimidii pedis; nam supra diximus, tum recte poni duos minus plenos pedes, cum id quod debetur ambobus, non transit spatio pedem dimidium : exemplum est, *Montes acuti;* ut aut in fine tria tempora sileamus, aut unum tempus post spondeum, et duo in fine. Aliter enim hoc metrum convenienter metiri non potest.

### CAPUT XV. — *Item de silentio in metris interponendo.*

25. Sit hoc etiam in disciplina, ut cum ante finem silemus, non ibi pars orationis brevi syllaba terminetur, ne secundum illam sæpe commemoratam regulam, pro longa eam sensus accipiat, sequente silentio. Itaque in hoc metro, *Montibus acutis*, non possumus silere post dactylum tempus unum, quod post spondeum in superiore poteramus; ne non jam dactylus, sed creticus sentiatur : atque ita non duobus minus plenis pedibus, quod nunc demonstramus, sed pleno dichorio et ultimo spondeo metrum constare videatur, duum temporum silentio in fine reddendo.

26. Sed illud notandum est, in principio posito minus pleno pedi, aut ibidem reddi debitum per silentium, sicuti est, *Jam satis terris nivis atque diræ :* aut in fine, velut, *Segetes meus labor.* Minus autem pleno pedi qui in fine ponitur, aut ibidem restitui silentiō, quod debetur, ut in illo, *Ite igitur Camœnæ :* aut in aliquo de mediis loco, veluti in hoc, *Ver blandum viget arvis, adest hospes hirundo.* Unum enim tempus quod debetur ultimo bacchio, vel post totum numerum sileri potest, vel post primum ejus numeri pedem molossum, vel secundum ionicum a minore. Quod vero mediis forte minus plenis pedibus debiti est, non nisi ibidem reddi potest : ut est,

Tuba terribilem sonitum dedit ære curvo.

Si enim sic metiamur hoc metrum, ut primum faciamus anapæstum, secundum ionicum quemlibet in syllabis quinque, soluta scilicet longa vel prima vel ultima in duas breves, tertium choriambum, ultimum bacchium : tria erunt tempora in debito, unum extremo bacchio reddendum, et duo anapæsto primo, ut sena compleantur. Sed hoc totum spatium trium temporum in fine sileri potest. At si ab integro pede incipias, quinque syllabas primas pro quolibet ionico metitus, sequitur choriambus : inde jam pedem integrum non invenies : quocirca unius longæ spatio silere oportebit : quo annumerato, choriambus alter implebitur; bacchio reliquo metrum clausuro, cui tempus unum debitum silebis in fine.

27. Unde jam esse opinor perspicuum, cum in mediis siletur locis, aut ea restitui tempora quæ in fine debentur, aut ea quæ ibi debentur ubi siletur. Sed aliquando non est necesse ut sileatur in mediis, cum potest aliter metrum metiri, ut in eo quod paulo ante posuimus. Aliquando autem necesse est, ut in hoc, *Vernat temperies, auræ tepent, sunt deliciæ :* nam manifestum est istum numerum, aut quaternorum temporum, aut senorum pedibus currere. Si quaternorum, silendum est unum tempus post syllabam octavam, et in fine duo; metiatur primo spondeus, secundo dactylus, tertio spondeus, quarto dactylus annumerato post longam silentio, quia post brevem non oportet, quinto spondeus, sexto dactylus, ultima longa qua numerus clauditur, cui duo tempora debita silentur in fine. Si autem senorum temporum hic metimur pedes, primus erit molossus, secundus ionicus a minore, tertius creticus qui fit dichorius adjuncto silentio unius temporis, quartus ionicus a majore et longa ultima, post quam quatuor tempora silebuntur. Posset aliter, ut una longa in principio locaretur, quam sequeretur ionicus a majore, deinde molossus, deinde bacchius, qui fieret antispastus adjuncto silentio unius temporis; ultimus choriambus metrum clauderet, ita ut quatuor temporum in fine silentium redderetur uni longæ in principio constitutæ. Sed aures istam dimensionem repudiant; quia pars pedis in principio collocata, nisi major quam dimidia fuerit, non recte illi post plenum pedem finali silentio redditur ubi debetur : sed aliis interpositis pedibus, scimus quidem quantum debeatur; sed non comprehenditur sensu, ut tanto spatio sileatur, nisi minus debeatur in silentio quam positum est in sono : quia cum majorem partem pedis vox peregerit, minor quæ reliqua est, ubicumque facile occurrit.

28. Quamobrem metri quod sub hoc exemplo posuimus, *Vernat temperies, auræ tepent, sunt deliciæ :* cum sit una necessaria, quam diximus, dimensio, si post decimam ejus syllabam tempus unum sileatur, et quatuor in fine; est alia voluntaria, si quis post sextam syllabam velit silere duo tempora, et unum post undecimam, et duo in fine : ut sit in principio spondeus, sequatur hunc choriambus, tertio spondeo silentium duum temporum annumeretur, ut vel molossus vel a minore ionicus fiat, quartus bacchius adjuncto itidem silentio unius temporis fiat antispastus, quinto choriambo numerus terminetur in voce, duobus temporibus in fine per silentium redditis in principio locato spondeo. Est item alia. Si enim velis, post sextam syllabam unum tempus silebis, et post decimam unum, post undecimam tantumdem, et duo in fine : ut sit primus spondeus, secundus choriambus, tertius palimbacchius fiat antispastus uno silentii tempore annumerato, quartus spondeus fiat dichorius

*quia medium tendit ad finem, si unam longam pro silentio fini addas, sicuti.* Silvæ laborantes gelu duro. *A fine vero,* etc. Plerique autem MSS., *quantum scilicet primo :* supple, minus pleno pedi debetur. Postea carent hisce verbis, *si unam longam;* Quæ exigente sensu removimus.

[1] Ita Mss. At editi habent, *finiuntur.*

unius temporis interjecto, et unius temporis consequente silentio, choriambus ultimus numerum claudat, ita ut sileamus duo tempora in fine, quæ primo debentur spondeo. Est et tertia dimensio, si post primum spondeum tempus unum sileatur, et reliqua quæ in proximo superiore serventur; nisi quod in hujus fine unum tempus silebitur, quia spondeus ille qui solet in principio locari, consequente unius temporis silentio factus est palimbacchius, ut plus uno tempore nihil ei debeatur, quod in fine silendum est. Unde jam perspicis metris interponi silentia, quædam necessaria, quædam voluntaria : et necessaria quidem, cum aliquid pedibus debetur implendis; voluntaria vero, cum pleni sunt pedes atque integri.

29. Quod autem superius dictum est, amplius quatuor temporibus silendum non esse, de necessariis silentiis dictum est, ubi debita tempora explentur. Nam in iis quæ voluntaria silentia nominavimus, licet etiam pedem sonare, et pedem silere : quod si paribus intervallis fecerimus, non erit metrum, sed rhythmus, nullo certo fine apparente unde redeatur ad caput. Quamobrem si exempli gratia silentiis velis distinguere, ut post primum pedem alterius pedis tempora sileas, non hoc perpetuo servandum est. Licet autem varietate qualibet connumeratis silentiis usque ad legitima tempora metrum producere, velut in hoc, *Nobis verum in promptu est, tu si verum dicis.* Licet hic post primum spondeum quatuor tempora silere, et alia quatuor post sequentes duos : post tres autem finales nihil silebitur; jam enim triginta duo tempora terminata sunt. Sed multo est aptius, et quodammodo justius, ut vel in fine tantum, vel etiam in medio et fine sileatur [1], quod subtracto uno pede fieri potest, ut ita sit : *Nobis verum in promptu est, tu dic verum.* Hoc et in metris cæterorum pedum tenendum est, scilicet necessariis silentiis, sive finalibus sive mediis reddi debita, ut pedes impleantur : non autem sileri [2] oportere amplius quam pedis partem, quam levatio positiove occupant. Voluntariis autem silentiis et partes pedum et integros pedes silere conceditur, sicut exemplis supra editis [3] monstravimus. Sed hactenus interponendorum silentiorum ratio tractata sit.

CAPUT XVI. — *De pedum commixtione, et de metrorum copulatione.*

30. Nunc de pedum commixtione, et de ipsorum metrorum copulatione pauca dicamus : quoniam jam multa dicta sunt cum quæreremus, quos sibimet oporteat misceri pedes; et quod ad metrorum attinet copulationem, nonnulla dicenda sunt cum de versibus disserere cœperimus : junguntur enim sibi pedes atque miscentur secundum regulas, quas in secundo sermone aperuimus. In hoc autem illud sciendum est, metri quæque genera quæ a poetis jam celebrata sunt, habuisse auctores et inventores suos, a quibus quasdam certas leges positas convellere prohibemur; non enim oportet, cum illi eas ratione fixerint aliquid ibi mutare quamvis secundum rationem sine aurium offensione possimus [1]. Cujus rei cognitio non arte, sed historia traditur; unde creditur potius quam cognoscitur. Neque enim si Phaliscus, nescio qui, metra [2] ita composuit, ut hæc sonant,

Quando flagella ligas, ita liga,
Vitis et ulmus uti simul eant;

scire hoc possumus; sed tantummodo credere audiendo et legendo. Illud est disciplinæ, quod ad nos pertinet; videre utrum hoc tribus dactylis constet et pyrrhichio ultimo, ut plerique musicæ imperiti autumant; non enim sentiunt pyrrhichium poni non posse post dactylum : an ut ratio docet, primus pes sit in hoc metro choriambus, secundus ionicus longa syllaba in duas soluta breves, ultimus iambus, post quem tria tempora silebuntur : quod semidocti homines sentire possent, si a docto secundum utramque legem pronuntiaretur et plauderetur. Ita enim naturali et communi sensu judicarent, quid disciplinæ norma præscriberet.

31. Verumtamen quod poeta ille hos numeros immobiles esse voluit, cum hoc metro utimur, custodiendum est : non enim fraudat auditum; quanquam æque nihil fraudaret, si vel pro choriambo diiambum, vel ipsum ionicum nulla in breves facta solutione poneremus, et quidquid aliud congruisset. In hoc igitur metro nihil mutabitur; non ea ratione qua inæqualitatem vitamus, sed ea qua observamus auctoritatem. Docet sane ratio, alia institui metra immobilia, id est in quibus mutari nihil oportet, ut hoc ipsum est de quo satis locuti sumus; alia mobilia, in quibus locare pedes alios pro aliis licet, sicuti est : *Trojæ qui primus ab oris, arma virumque cano.* Nam hic pro spondeo anapæstum quolibet loco licet ponere. Alia nec tota immobilia, nec tota mobilia, ut est :

Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Assonet omne virens late nemus,
Et tortis errans qui flexibus.
(*Terentianus ex Pomponio.*)

Vides hic enim ubique et spondeos et dactylos poni posse, præter ultimum pedem, quem metri auctor semper esse dactylum voluit. Et in iis quidem generibus tribus nonnihil valere auctoritatem vides.

32. Quod autem in pedum commixtione ad rationem solam pertinet de iis rebus quæ sentiuntur judicantem; sciendum est eas partes pedum, quæ post certos pedes silentio restante suaviter locantur, ut iambus post dichorium atque secundum epitritum, et spondeus post antispastum, etiam post alios pedes male locari, quibus isti permixti fuerint : nam manifestum est iambum post molossum bene poni, sicut hoc exemplum indicat sæpe repetitum cum silentio in fine temporum trium, *Ver blandum viret floribus* : at si pro molosso primum dichorium constituas, ut est, *Vere terra viret floribus*, respuit hoc auditus atque con-

[1] Apud Lov. omittitur, *in medio et*, quod restituimus ex Mss. At apud Er. legitur, *vel etiam ante finem sileatur.*
[2] Mss. cum Am. habent, *deberi.*
[3] In B., *supradictis.* Mss. A et B, *supra editis*, correctius. M.

[1] Mss. A et B concordant in lectionem hanc : *Non enim oportet, cum illi eas ratione fixerint : quamvis ibi aliquid secundum rationem mutare sine aurium offensione possimus.* Er. Lugd. Ven. legunt, *finxerint.* M.
[2] *Metrum*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. et Ms. A. M.

demnat. Id etiam in cæteris sensu explorante facile est experiri. Ratio namque certissima est, cum sibi copulantur qui inter se sunt copulabiles pedes, eas partes debere in fine subjungi quæ omnibus conveniunt in illa serie collocatis, ne inter socios quodammodo discordiæ aliquid oriatur.

33. Illud magis mirandum est, quod cum spondeus et diiambum et dichorium suaviter claudat, tamen cum hi duo pedes sive soli, sive cum aliis copulabilibus quoquo modo mixtis in una serie fuerint, spondeus in fine, approbante sensu, poni non potest. Quis enim dubitet aures libenter accipere ista singula repetita, *Timenda res non est :* et item separatim, *Jam timere noli?* At si ita jungas, *Timenda res, jam timere noli;* nisi in soluta oratione audire nolim. Nec absurdum minus est, si quolibet loco alium connectas, veluti molossum hoc modo : *Vir fortis, timenda res, jam timere noli.* Vel ita : *Timenda res, vir fortis, jam timere noli.* Vel etiam ita : *Timenda res, jam timere vir fortis noli.* Cujus absurditatis causa est, quod pes diiambus etiam ad duplum et simplum plaudi potest, ut ad simplum et duplum dichorius : spondeus autem duplæ parti eorum æqualis est ; sed cum eum ille trahit ad primam, hic ad extremam, existit nonnulla discordia ; et ita ratio tollit admirationem.

34. Nec minus miraculum edit antispastus, cui si nullus alius pedum, aut certe solus diiambus misceatur, patitur iambo metrum claudi, cum aliis autem positus nullo modo ; et cum dichorio quidem propter ipsum dichorium ; itaque hoc minime miror. Cum cæteris vero senum temporum pedibus, cur memoratum trium temporum pedem in fine repudiet, nescio quæ est causa secretior fortasse quam ut a nobis erui atque ostendi queat : sed hoc ita esse his exemplis probo. Nam ista duo metra, *Potestate placet, potestate potentium placet*, nemo ambigit suaviter singula repeti cum silentio trium temporum in fine. At ista insuaviter cum eodem silentio : *Potestate præclara placet. Potestate tibi multum placet. Potestate jam tibi sic placet. Potestate multum tibi placet. Potestatis magnitudo placet.* Quod ad sensum attinet, peregit officium suum in hac quæstione, et quid acceperit, et quid exploserit indicavit : sed de causa cur ita sit, ratio consulenda est. Ac mea [1] quidem in tanta obscuritate nihil aliud videt, nisi cum diiambo antispastum dimidiam partem priorem habere communem : nam uterque a brevi et longa incipit ; posteriorem autem cum dichorio : longa enim et brevi ambo finiuntur. Itaque antispastus vel solus tanquam suam priorem dimidiam, vel cum diiambo cum quo eam communiter habet, collocatus, patitur in fine metri esse iambum ; et cum dichorio pateretur, si eidem dichorio talis terminus conveniret : cum cæteris autem non patitur, quibus tali societate non [2] jungitur.

### CAPUT XVII. — *De metrorum copulatione.*

35. Quod vero ad metrorum copulationem attinet, satis est in præsentia videre, posse sibi diversa metra copulari, quæ tamen plausu, id est levatione ac positione conveniant. Diversa sunt autem vel quantitate, ut cum majora copulantur minoribus, qualia ista sunt, videlicet :

> Jam satis terris nivis atque diræ
> Grandinis misit Pater, et rubente
> Dextera sacras jaculatus arces,
> Terruit urbem.
> (*Horat. lib. 1 Carminum, ode* 2.)

Nam hoc quartum, quod uno choriambo et una in fine longa terminatur, quam parvum sit tribus superioribus inter se æqualibus subjectum vides. Vel pedibus sicuti hæc :

> Grato Pyrrha sub antro,
> Cui flavam religas comam.
> (*Horat. lib. 1 Carminum, ode* 5.)

Cernis quippe horum duorum superius constare spondeo et choriambo, et longa ultima, quæ ad sex tempora implenda spondeo debebatur : hoc autem posterius spondeo et choriambo, et duabus ultimis brevibus, quæ item cum primo spondeo implent sex tempora. Paria sunt ergo ista temporibus, sed in pedibus nonnihil diversitatis tenent.

36. Est et alia differentia istarum copulationum, quod alia ita copulentur, ut nulla sibi silentia interponi velint, sicut hæc duo recentissima ; alia inter se sileri aliquid postulent, sicut hæc :

> Vides ut alta stet nive candidum
> Soracte, nec jam sustineant onus
> Silvæ laborantes, geluque
> Flumina constiterint acuto.
> (*Horat. lib. 1 Carminum, ode* 9.)

Nam si hæc singula repetantur, priora duo unum tempus in fine sileri flagitant, tertium duo, quartum tria. Copulata vero a primo ad secundum transeuntem, unum tempus silere cogunt ; a secundo ad tertium duo, a tertio ad quartum tria. A quarto autem si ad primum redeas, tempus unum silebis. Sed quæ est ratio est redeundi ad primum, eadem est ad aliam talem copulationem transeundi. Hoc genus copulationum recte nos appellamus circuitum, qui περιόδος græce dicitur. Circuitus ergo minor esse non potest, quam qui duobus membris constat, id est duobus metris : nec esse majorem voluerunt eo qui usque ad quatuor membra procedit. Licet igitur minimum bimembrem, medium trimembrem, et ultimum quadrimembrem vocare ; hos enim Græci δίκωλον, τρίκωλον, τετράκωλον vocant. De quo toto genere quoniam diligentius tractaturi sumus, ut dixi, in eo sermone qui nobis de versibus erit, nunc interim hoc satis sit.

37. Sane arbitror jam te intelligere, innumerabilia genera esse metrorum, quæ quingenta sexaginta octo inveneramus [1], cum et de silentiis non nisi finalibus exempla essent data, et nulla pedum commixtio facta esset, et nulla solutio longarum in duas breves, quæ pedem ultra syllabas quatuor porrigeret. At si adhibita omni silentiorum interpositione, et omni pedum commixtione, et omni solutione longarum colligere numerum metrorum velis ; tantus existit, ut nomen ejus fortasse non suppetat. Sed hæc exempla quæ a

[1] Ms. A addit, *ratio*. M.

[2] Er. et Lov. omittunt hic negationem, quam tamen exhibent Mss. et Am.

[1] In prius vulgatis et pluribus Mss. habetur, *quadraginta septem inveneramus*. Sed legendum cum Albinensi codice, *sexaginta octo*. Confer locum lib. 4, nn. 15 et 16, ubi metrorum isthæc summa censetur.

nobis sunt posita, et quæcumque alia poni possunt, quanquam ea et poeta in efficiendo approbet, et in audiendo [1] natura communis; tamen nisi ea docti et exercitati hominis pronuntiatio commendet auribus, sensusque audientium non sit tardior quam humanitas postulat, non possunt ea quæ tractavimus vera judicari. Sed quiescamus aliquantulum, et de versu deinceps disseramus. *D.* Ita fiat.

[1] Ita Mss. At Am. Er. et Lov.: *Quanquam ea et appetat in efficiendo, et approbet in audiendo.*

# LIBER QUINTUS.

In quo de versu disseritur.

CAPUT PRIMUM. — *Quomodo differant rhythmus, metrum et versus.*

1. *M.* Quid sit versus, inter doctos veteres non parva luctatione quæsitum est, nec fructus defuit. Nam inventa res est, et ad notitiam posterorum mandata litteris, gravi atque certa non tantum auctoritate, verum etiam ratione firmata est. Interesse igitur animadverterunt inter rhythmum et metrum aliquid, ut omne metrum rhythmus, non etiam omnis rhythmus metrum sit. Omnis enim legitima pedum connexio numerosa est [1]; quam quoniam metrum habet, non esse numerus nullo modo potest, id est non esse rhythmus. Sed quoniam non est idem, quamvis legitimis pedibus, nullo tamen certo fine provolvi, et item legitimis progredi pedibus, sed certo fine coerceri; hæc duo genera etiam vocabulis discernenda erant, ut illud superius rhythmus tantum proprio jam nomine, hoc autem alterum ita rhythmus ut metrum etiam vocaretur. Rursus, quoniam eorum numerorum qui certo fine clauduntur, id est metrorum, alia sunt in quibus non habetur ratio cujusdam divisionis circa medium, alia in quibus sedulo habetur; erat etiam hæc differentia notanda vocabulis. Quapropter illud, ubi non habetur hæc ratio, rhythmi genus proprie metrum vocatum est: hoc autem ubi habetur, versum nominaverunt. Cujus appellationis originem fortasse progredientibus nobis ratio ipsa monstrabit. Neque hoc ita præscriptum putes, ut illa etiam metra versus vocare non liceat. Sed aliud est cum abutimur nomine, licentia cujusdam vicinitatis; aliud, cum rem vocabulo suo enuntiamus. Sed nominum commemoratio hactenus facta sit; in quibus, ut jam didicimus, concessio interloquentium [2] et vetustatis auctoritas totum valet. Cætera, si placet, more nostro investigemus sensu nuntio, indice ratione; ut illos etiam veteres auctores non instituisse ista quasi quæ in natura rerum integra et perfecta non fuerint, sed ratiocinando invenisse, et appellando notasse cognoscas.

CAPUT II. — *Metra in duas partes divisibilia cæteris præstant.*

2. Quare primum a te quæro, utrum ob aliud pes aurem mulceat, nisi quod in eo duæ illæ partes, quarum una in levatione, altera in positione est, numerosa sibi concinnitate respondent? *D.* Jam hoc quidem mihi ante persuasum est atque compertum. *M.* Quid? metrum, quod manifestum est pedum collatione confici, num ex eo rerum genere esse arbitrandum est quod dividi non potest; cum omnino et nihil individuum per tempus tendi queat, et quod ex dividuis pedibus constat, absurdissime individuum putetur? *D.* Nullo modo hoc genus divisionem recipere abnuerim. *M.* At omnia quæ recipiunt divisionem, nonne pulchriora sunt si eorum partes aliqua parilitate concordent, quam si discordes et dissonæ sint? *D.* Nulli dubium est. *M.* Quid? ipsius parilis divisionis qui tandem numerus auctor est? an dualis? *D.* Ita est. *M.* Ut ergo in duas partes concinentes dividi pedem et eo ipso aurem delectare comperimus; si etiam metrum tale inveniamus, nonne cæteris non talibus jure anteponetur? *D.* Assentior.

CAPUT III. — *Versus unde dictus.*

3. *M.* Recte sane. Quare jam illud responde, cum in omnibus quæ aliqua temporis parte metimur, aliud præcedat, aliud subsequatur, aliud incipiat, aliud terminet; nihilne tibi videatur inter partem præcedentem atque incipientem, et illam quæ subsequatur ac terminet [1], interesse oportere. *D.* Interesse arbitror. *M.* Dic ergo quid intersit inter has duas partes versus, quarum una est, *Cornua velatarum;* altera vero est, *vertimus antennarum* (*Æneid. lib.* 3, *v.* 549). Non enim ut idem poeta, *obvertimus*, sed si ita versus enuntietur, *Cornua velatarum vertimus antennarum;* nonne sæpius repetendo efficitur incertum, quæ pars prior sit, quæ posterior? Neque enim minus idem stat versus, cum ita profertur: *Vertimus antennarum cornua velatarum. D.* Plane incertum fieri video. *M.* Censesne vitandum? *D.* Censeo. *M.* Vide igitur utrum hic satis vitatum sit. Una pars versus est et ea præcedens, *Arma virumque cano;* altera subsequens, *Trojæ qui primus ab oris;* quæ usque adeo inter se differunt, ut si ordinem vertas, et hoc modo pronunties, *Trojæ qui primus ab oris, arma virumque cano*, alios pedes metiri [2] necesse sit. *D.* Intelligo. *M.* At vide, utrum ista ratio in aliis servata sit. Nam cujus dimensionis est pars incipiens, *Arma virumque cano*, ejusdem esse agnoscis, *Italiam fato. Littora multum ille et. Vi superum sævæ. Multa quoque et bello. Inferretque deos. Albanique patres.* Ne multa, persequere cæteros quantum voles, has priores partes versuum ejusdem dimensionis invenies, id est quinto semipede articulatas [3]. Rarissime omnino si non hoc ita est; ita ut posteriores sint istæ non minus inter se pariles: *Trojæ qui primus ab oris. Profugus Lavinaque venit. Terris jactatus et alto. Memorem Junonis ob iram. Pas-*

[1] Am. Er. et Lov., *numerus est.* Sed melius Mss., *numerosa est.*
[2] *Inter se loquentium*, juxta Vatic. M.

[1] *Subsequitur ac terminat*, juxta Vatic. et Ms. A. M.
[2] *Metri*, juxta Vatic. M.
[3] Adjicit Vatican., *et septem terminatas.* M.

*sus dum conderet urbem. Latio genus unde Latinum. Atque altæ mœnia Romæ. D.* Manifestissimum est.

4. *M.* Quinque igitur et septem semipedes versum heroicum in duo membra partiuntur, quem sex pedibus quaternorum temporum constare notissimum est [1]: et sine concinnitate quidem duorum membrorum, sive ista, sive aliqua alia, versus nullus est. In quibus omnibus hoc ratio demonstravit esse servandum, ut non possit pars prior in posteriore, et posterior in priore loco poni. Quod si aliter fuerit, non jam versus, nisi nominis abusione, dicetur : erit autem rhythmus et metrum, qualia rarissime longis carminibus interponere quæ versibus contexuntur, non indecorum est : quale idem ipsum est quod paulo ante commemoravi : *Cornua velatarum vertimus antennarum.* Quamobrem non mihi versus ex eo appellatus videtur, ut nonnulli putant, quod a certo fine ad ejusdem numeri caput reditur, ut nomen ductum sit ab iis qui se vertunt dum via redeunt; nam hoc illi cum his etiam metris, quæ versus non sunt, apparet esse commune : sed magis fortasse a contrario nomen invenit, ut quemadmodum grammatici deponens verbum quod *r* litteram non deponit, sicuti est, *lucror*, et, *conqueror*, appellaverunt; ita quod duobus membris confit, quorum neutrum in alterius loco salva lege numerorum constituitur, quia verti non potest, versus vocetur. Sed utramlibet harum originem vocabuli tu licet probes, vel utramque improbes, et aliam quæras, aut contemnas mecum totum hoc quæstionis genus; nihil ad hoc tempus pertinet. Cum enim satis res ipsa quæ hoc nomine significatur, appareat, non est de verbi stirpe laborandum. Nisi quid habes ad hæc. *D.* Ego vero nihil, sed perge ad cætera.

CAPUT IV. — *Terminus versuum varius.*

5. *M.* Sequitur ut de versus termino requiramus. Nam et hunc aliqua differentia notatum atque insignitum esse voluerunt, vel potius ipsa ratio. An tu non arbitraris melius esse ut finis, quo provolutio numeri coercetur, non perturbata temporum æqualitate, tamen [2] emineat; quam si cum cæteris partibus quæ finem non faciunt, confundatur? *D.* Quis dubitat hoc esse melius, quod est evidentius? *M.* Considera ergo, utrum recte insignem finem versus heroici spondeum pedem quidam esse voluerint. Nam in quinque aliis locis vel hunc vel dactylum licet ponere; in fine autem non nisi spondeum; nam quod trochæum putant, propter indifferentiam fit ultimæ syllabæ, de qua in metris satis locuti sumus. Sed secundum hos iambicus senarius aut non erit versus, aut erit sine ista finis eminentia; utrumque autem absurdum est. Nam neque quisquam unquam, sive doctissimorum hominum, sive mediocriter, vel etiam tenuiter eruditorum versum esse dubitavit, *Phaselus ille quem videtis hospites* (*Catullus*); et quidquid in verbis est tali numerositate formatum : et gravissimi auctores eo quo peritissimi, nullum sine insigni fine versum putandum esse censuerunt.

6. *D.* Verum dicis. Quare aliam termini hujus notam quærendam esse autumo, non hanc quæ in spondeo ponitur approbandam. *M.* Quid hoc? num dubitas, quæcumque ista sit, aut in pedis esse, aut in temporis differentia, aut in utroque? *D.* Qui aliter potest? *M.* Quid tandem horum trium probas? Ego enim, quoniam idipsum finire versum ne longius quam oportet excurrat, non pertinet nisi ad temporis modum; non arbitror aliunde istam notam debere sumi quam ex tempore. An tibi aliud placet? *D.* Imo assentior. *M.* Videsne etiam illud, cum tempus hic differentiam habere non possit, nisi quod aliud est longius, aliud brevius; quia cum versus finitur, id agitur ne pergat longius, in breviore tempore notam finis esse oportere? *D.* Video quidem : sed quo pertinet quod additum est, Hic? *M.* Eo scilicet quod non ubique temporis differentiam in sola brevitate ac longitudine accipimus. An tu æstatis ac hiemis differentiam, aut esse temporis negas, aut in spatio potius breviore vel longiore, ac non in vi frigoris calorisque constituis, vel humoris et siccitatis [1], et si quid tale aliud? *D.* Jam intelligo, et hanc quam quærimus termini notam, a temporis brevitate ducendam esse consentio.

7. *M.* Attende igitur hunc versum, *Roma, Roma, cerne quanta sit deum benignitas*, qui trochaicus dicitur, et metire illum, atque responde quod inveneris de membris ejus et numero pedum. *D.* De pedibus quidem facile responderim : liquet enim eos septem et semis esse. De membris autem non satis aperta res est; multis enim locis partem orationis finiri video : verumtamen opinor esse istam partitionem in octavo semipede, ut præcedens membrum sit, *Roma, Roma, cerne quanta*; subsequens autem, *sit deum benignitas*. *M.* Quot semipedes habet? *D.* Septem. *M.* Ipsa ratio te duxit omnino. Cum enim nihil sit æqualitate melius, eamque in dividendo appetere oporteat; si minus potuerit obtineri, vicinitas ejus quærenda est, ne ab ea longius aberremus. Itaque cum hic versus omnes quindecim semipedes habeat, non potuit æquius quam in octo et septem dividi : nam eadem est in septem et octo vicinitas. Sed ita non servaretur nota finis in tempore breviore, ut eam servandam ratio ipsa præcipit : nam si talis versus esset, *Roma cerne quanta sit tibi deum benignitas*, ut inciperet membrum in his semipedibus septem, *Roma cerne quanta sit*, et in his octo alterum terminaretur, *tibi deum benignitas*; non posset versum semipes claudere : octo enim semipedes quatuor integros pedes faciunt. Simul incideret alia deformitas, ut non eosdem pedes in membro extremo quos in primo metiremur, et prius membrum potius finiretur nota brevioris temporis, id est semipede, quam posterius, cui hoc finis jure debetur. Nam in illo tres trochæi semis, *Roma cerne quanta sit :* in hoc quatuor iambi scanderentur, *tibi deum benignitas.* Nunc vero et trochæos in utroque membro scandimus, et semipede versus clauditur, ut spatii brevioris notam terminus teneat. Nam sunt in

[1] *Æquissimum est,* juxta Vatic. M.
[2] *Tunc,* juxta Vatic. M.

[1] In B., *vel siccitatis.* Rectius ex Ms. A, *et siccitatis.* M.

priore quatuor, *Roma, Roma cerne quanta;* in posteriore autem tres semis, *sit deum benignitas*. An contradicere aliquid paras? *D.* Nihil omnino, et libenter assentior.

8. *M.* Teneamus igitur has leges inconcussas, si placet, ut neque membrorum duorum tendens ad æqualitatem partitio versui desit, sicuti huic deest, *Cornua velatarum obvertimus antennarum*. Neque ipsa æqualitas membrorum conversibilem, ut ita dicam, faciat partitionem, ut in hoc facit, *Cornua velatarum vertimus antennarum*. Neque cum ista vitatur conversio, nimis a se membra discedant, sed quantum possunt proximis numeris prope æquentur, ne dicamus hæc ita posse dividi, ut octo semipedes præcedant, *Cornua velatarum vertimus;* et quatuor subsequantur, id est, *antennarum*. Nec membrum posterius paris numeri semipedes habeat, sicuti est, *tibi deum benignitas*, ne pleno pede versus finitus non habeat terminum breviore tempore notatum. *D.* Habeo jam ista, et mando memoriæ quantum valeo.

CAPUT V. — *Heroici finis.*

9. *M.* Quoniam igitur jam tenemus, non debere versum finiri pleno pede, quomodo nobis heroicum versum metiendum putas, ut et membrorum lex illa servetur, et hæc termini nota? *D.* Video duodecim esse semipedes; et quia propter illam conversionem vitandam senos semipedes habere membra non possunt; neque a se longe oportet discedere ut sint tres et novem, aut novem et tres; neque paris numeri semipedes posteriori membro dandi sunt ut sint octo et quatuor, aut quatuor et octo, ne pleno pede versus finiatur: in quinque et septem, aut septem et quinque divisio facienda est. Nam et hi numeri sunt ambo impares proximi, et certe propinquius sibi accedunt membra quam in quaternario et octonario numeris accederent. Quod ut firmissimum teneam, video partem orationis in quinto semipede semper aut pene semper terminari, ut est in primo Virgilii versu, *Arma virumque cano:* et in secundo, *Italiam fato:* et in tertio, *Littora multum ille et:* in quarto item, *Vi superum sævæ:* atque ita deinceps in toto pene carmine. *M.* Verum dicis: sed videndum tibi est, quos [1] pedes metiaris, ut nihil superiorum legum jam inconcusse constitutarum violare audeas. *D.* Quanquam mihi satis ratio appareat, tamen novitate conturbor. Non enim solemus in hoc genere nisi spondeum pedem et dactylum scandere, quod nemo fere est tam indoctus quin [2] audierit, etiamsi minus id facere possit. Hanc ergo pervulgatissimam consuetudinem, nunc si sequi voluero, lex illa termini est abroganda [3]; præcedens enim membrum semipede clauderetur, posterius autem pleno pede; quod contra esse debuit. Sed quia illam legem iniquissimum est tollere, et in numeris jam didici posse fieri, ut a non pleno pede ordiamur [4]; restat ut non hic dactylum cum spondeo, sed anapæstum locari judicemus; ut incipiat versus a longa una syllaba, deinde duo pedes vel spondei vel anapæsti vel alterni [1] membrum superius terminent; tum [2] tres rursus alterum vel anapæsti vel quolibet loco spondeus, sive omnibus, et in fine una syllaba, qua versus legitime terminatur. Probasne et id?

10. *M.* Ego quoque rectissimum esse judico, sed non facile ista populo persuadentur. Tanta enim est vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicius veritati. Namque ad faciendum versum nihil interesse intelligis, utrum in hoc genere anapæstus cum spondeo, an dactylus collocetur: ad metiendum tamen rationabiliter [3], quod non aurium sed mentis est proprium, vera et certa ratione hoc, non irrationabili opinione discernitur [4]: neque nunc a nobis primum inventa est, sed multo est hac inveterata consuetudine antiquius animadversa [5]. Quare si eos legant qui vel in græca vel in latina lingua disciplinæ hujus doctissimi fuerunt, non mirabuntur nimis qui forte hoc audierint: quanquam pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum auctoritas quæritur, cum ipsius rationis ac veritatis auctoritate, quæ profecto est omni homine melior, nihil deberet esse præstantius. Non enim ut in producenda corripiendave syllaba non nisi auctoritatem veterum hominum quærimus, ut quemadmodum sunt usi verbis quibus nos quoque loquimur, ita et nos utamur; quia in hujuscemodi re et nullam observationem sequi desidiæ est, et novam instituere licentiæ: ita in metiendo versu inveterata voluntas hominum, ac non æterna rerum ratio cogitanda est, cum et moderatam ejus longitudinem prius naturaliter aure sentiamus, deinde approbemus rationabili consideratione numerorum, et eum insigni fine claudendum esse judicet quisquis judicat certius eum quam cætera metra esse finiendum, eumque finem in breviore tempore notandum esse manifestum sit; siquidem [6] temporis longitudinem coercet et frenat quodammodo.

CAPUT VI. — *Rursus de fine versus.*

11. Quæ cum ita sint, qui potest posterius ejus membrum nisi non pleno terminari pede? Prioris autem membri exordium aut plenum pedem esse, ut in illo trochaico, *Roma, Roma, cerne quanta sit deum benignitas;* aut partem pedis oportet, ut in heroico, *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris*. Quapropter, omni jam dubitatione sublata, etiam istum versum metire, si placet, et mihi de membris ejus pedibusque responde, *Phaselus ille quem videtis, hospites*. *D.* Membra quidem hujus in quinque et septem semipedes video distributa, ut prius sit, *Phaselus ille;* posterius autem, *quem videtis, hospites:* pedes vero iambos cerno.

[1] *Quos*, juxta Vatic. M.
[2] *Qui non*, juxta Vatic. M.
[3] Sic Vatic.: *Lex illa terminata est abroganda*. M.
[4] Sic ex Vatic. In B., *non a pleno pede ordiamur*. M.

[1] Sic ex Vatic. et Ms. A. In B., *vel anapæsti alterum membrum*. M.
[2] In B., *cum*. Vatic., *dum*. Ms. A, *tum*. M.
[3] *Rationaliter*, juxta Vatic. M.
[4] Mss. veteres sic habent: *Proprium, nimium, quantum hæc ratio ab illa opinione discernitur*. — Juxta Vatic.: *Nimium hæc ratio ab illa opinione discernitur*. M.
[5] Sic Vatic.: *Sed multo hæc est inveterata consuetudine antiquis animadversa*. M.
[6] Lov.: *Quisquis judicat certius: eumque quam cætera metra esse insigniter finiendum, qui finem habet in breviore temporum notarum manifestum: siquidem*, etc. Ita quoque editiones aliæ, nisi quod habet Am., *notatum manifestum sit;* Er., *notarum manifestum sit*. Sed præstat Mss. lectio quam huc revocavimus.

*M*. Quæro, nihilne caves pede pleno versum terminare? *D*. Verum dicis, et ubi fuerim nescio. Quis enim non videret sicut in heroico exordiendum esse a semipede? quod cum in hoc genere fit, non jam iambis, sed trochæis versum metimur, ut eum legitime semipes claudat.

12. *M*. Ita est ut dicis : sed vide quid tibi de hoc respondendum putes, quem asclepiadæum vocant, *Mæcenas atavis edite regibus* (*Horat. lib.* 1 *Carminum, od.* 1). Nam pars orationis in sexta syllaba terminatur, neque inconstanter, sed in omnibus fere hujus generis versibus. Itaque ejus primum est membrum, *Mæcenas atavis* : secundum, *edite regibus*, quod quanam ratione fiat dubitari potest. Si enim metiaris in hoc pedes quaternorum temporum, erunt quinque in priore, in posteriore autem membro quatuor semipedes : lex autem vetat membrum posterius pari numero constare semipedum, ne pleno pede versus terminetur. Restat ut pedes consideremus senorum temporum, ex quo fit ut membrum utrumque ternis semipedibus constet. Nam ut integro pede præcedens membrum finiatur, a duabus longis incipiendum est : deinde totus choriambus versum dividit, ut sequente etiam alio choriambo membrum posterius inchoetur, claudente versum semipede in duabus brevibus syllabis : tot enim tempora cum spondeo in capite locato, implent sex temporum pedem. Nisi quid habes ad hæc. *D*. Nihil prorsus. *M*. Placet ergo, totidem semipedibus constare utrumque membrum. *D*. Cur non placeat? Neque enim metuenda est hic illa conversio, quia posito posteriore membro in præcedentis loco, ita ut quod est primum, secundum fiat, non eadem lex manebit pedum. Quapropter nulla causa est, cur idem semipedum numerus in hoc genere membris negetur; cum sine ullo conversionis vitio parilitas ista possit teneri, finis etiam insignioris lege servata, cum versus non pleno pede terminatur, quod constantissime servandum est [1].

CAPUT VII.— *Quomodo semipedum imparilitas in versuum membris ad parilitatem referatur. Conciliantur membra semipedum quatuor et trium. Membra semipedum quinque et trium.*

13. *M*. Rem ipsam omnino vidisti : quare jam quoniam comperit ratio versuum esse duo genera, unum in quo idem numerus semipedum, aliud in quo dispar in membris sit; diligenter consideremus, si placet, quonam modo ista imparilitas semipedum ad quamdam parilitatem referatur, obscuriore aliquantum, sed sane [2] subtilissima ratione numerorum. Nam quæro ex te, cum duo et tria dicam, quot numeros dicam. *D*. Duos scilicet. *M*. Ergo et duo unus, et tria unus est numerus; et quemlibet alium dixerimus. *D*. Ita est. *M*. Nonne tibi ex hoc videtur unum cum quolibet numero non absurde posse conferri? Siquidem unum duo esse non possemus dicere; duo autem unum esse quodammodo : et item tria et quatuor unum esse, non falso dici potest. *D*. Assentior. *M*. Attende aliud : dic mihi, duo ter ducta, quid faciunt in summa? *D*. Sex. *M*. Num sex et tria totidem sunt? *D*. Nullo modo. *M*. Nunc tria quater ducas velim, summamque respondeas. *D*. Duodecim. *M*. Vides item duodecim plures esse quam quatuor. *D*. Et longe sane. *M*. Jam ne immorer [1], figenda regula est : A duobus, et deinceps quoslibet numeros duos constitueris, minor per majorem multiplicatus, eum excedat necesse est. *D*. Quis hoc dubitaverit? Quid enim tam parvum in plurali numero quam duo? quem tamen numerum si millies duxero, ita excedet mille, ut duplum fiat. *M*. Verum dicis : sed constitue unum, et quemlibet deinde majorem numerum, et quemadmodum in illis faciebamus, minorem per majorem multiplica, num eodem modo major superabitur? *D*. Non plane, sed majori minor æquabitur. Nam unum bis, duo; et unum decies, decem; et unum millies, mille; et per quemlibet alium numerum multiplicavero, unum necesse est æquetur. *M*. Habet ergo unum cum cæteris numeris jus quoddam æqualitatis; non modo quod quicumque [2] numerus est, sed etiam quod toties ductus tantumdem facit. *D*. Manifestissimum est.

14. *M*. Age nunc, refer animum ad semipedum numeros, quibus in versu fiunt membra inæqualia, et miram quamdam æqualitatem ista quam tractavimus ratione reperies. Nam, ut opinor, versus minimus inæquali semipedum numero in membris est duobus, habens semipedes quatuor et tres, ut in hoc, *Hospes ille quem vides ;* cujus primum membrum quod est, *Hospes ille*, secari æqualiter potest in duas partes binorum semipedum : secundum autem quod est, *quem vides*, ita dividitur, ut una pars duos semipedes habeat, altera unum; quod ita est, quasi duo et duo sint, jure illo æqualitatis, de quo satis egimus, quod habet unum cum omnibus numeris. Ex quo fit ut ista divisione tantum sit quodammodo superius membrum quantum posterius. Itaque ubi fuerint quatuor et quinque semipedes, sicut hoc est, *Roma, Roma, cerne quanta sit;* non ita probatur, et propterea metrum erit potius quam versus, quia ita sunt membra inæqualia ut ad nullam æqualitatis legem sectione aliqua possint referri. Cernis quippe, ut opinor, superioris membri quatuor semipedes, *Roma, Roma*, in binos posse discedere [3] : quinque autem posteriores, *cerne quanta sit*, in duos et tres semipedes dividi; ubi nullo jure apparet æqualitas. Neque enim possunt aliquo modo tantum valere quinque semipedes propter duos et tres, quantum quatuor valent; quomodo invenimus superius in breviore versu tantum valere tres semipedes propter unum et duo, quantum quatuor valent. An aliquid non es assecutus, aut non placet? *D*. Imo vero et manifesta omnia et rata sunt.

15. *M*. Age, nunc quinque et tres semipedes consideremus, qualis est ille versiculus, *Phaselus ille quem vides :* et videamus quomodo ista inæqualitas aliquo æqualitatis jure teneatur : nam hoc genus non solum metrum, sed etiam versum esse, omnes con-

[1] *servandum esse perplacet*, juxta omnes Edd. et Ms. A. M.
[2] *Tamen*, juxta Vatic. M.

[1] Locum hunc restituimus ex Ms. A. Sic in B. : *Et longe. M. Sane, ne jam immorer.* M.
[2] *Cujuscumque*, juxta Vatic. M.
[3] *Discindere*, juxta Vatic. M.

sentiunt. Itaque cum primum membrum in semipedes duos et tres secueris, et secundum in duos et unum; conjungas particulas quas in utroque pares inveneris[1], quia et in primo membro habemus duo, et in secundo restant duæ particulæ, una in tribus semipedibus de priore membro, altera in uno de posteriore. Has ergo et sociabiliter jungimus, quia unum cum omnibus habet societatem [2]; et in summa unum et tria, quatuor fiunt, quod est tantumdem quantum duo et duo. Per hanc igitur sectionem etiam quinque et tres semipedes ad concordiam rediguntur. Sed responde, utrum intellexeris. *D.* Ita vero, et admodum probo.

CAPUT VIII.— *Membra semipedum quinque et septem.*

16. *M.* Sequitur ut de quinque et septem semipedibus disseramus, quales sunt versus duo illi nobilissimi, heroicus et quem iambicum vulgo vocant, etiam ipse senarius. Nam, *Arma virumque cano*, *Trojæ qui primus ab oris*, ita dividitur ut primum ejus membrum sit, *Arma virumque cano*, qui sunt quinque; et secundum, *Trojæ qui primus ab oris*, qui sunt septem semipedes. Et, *Phaselus ille quem videtis*, *hospites*, primum membrum habet, *Phaselus ille*, in semipedibus quinque; secundum in septem, *quem videtis*, *hospites*. Sed tanta illa nobilitas in lege ista æqualitatis laborat. Cum enim superiores quinque semipedes in duos et tres diviserimus, posteriores autem septem in tres et quatuor; congruent sibi quidem particulæ ternorum semipedum : sed si duæ reliquæ ita convenirent, ut una earum constaret uno semipede, alia quinque; conjungerentur lege illa qua unum cum omnibus numeris conjungi potest, et in summa sex fierent, quod sunt etiam tres et tres : nunc vero quia duo et quatuor inveniuntur, summam quidem reddent senariam; sed nullo æqualitatis jure tantum valent duo quantum quatuor, ut in hujuscemodi quasi necessitudine copulentur. Nisi forte quis dixerit satis esse ad aliquam regulam parilitatis, quod ut tres et tres, ita duo et quatuor sex fiunt. Cui rationi repugnandum non arbitror : est enim et hæc aliqua æqualitas. Sed illud nollem ut majore congruentia quinque et tres quam quinque et septem semipedes convenirent. Non enim tantum nomen est illius versus quantum istorum; et vides in illo non modo tantam summam inventam collatis uno et tribus, quanta est in duobus et duobus; sed etiam multo concordiores partes esse, cum junguntur unum et tria, propter illam unius cum cæteris omnibus numeris amicitiam, quam cum duo et quatuor copulantur, sicut in istis est. An tibi aliquid obscurum est? *D.* Nihil prorsus. Sed nescio quomodo me offendit, quod isti senarii cum sint celebratiores cæteris generibus, et principatum quemdam in versibus habere dicantur, aliquid in membrorum concordia minus habent, quam illi famæ obscurioris versus. *M.* Bono animo esto : nam ego tibi tantam in illis ostendam concordiam, quantam soli ex omnibus habere meruerunt, ut videas, non injuria eos esse prælatos. Sed quia ipsa tractatio aliquanto est longior, quamvis omnino jucundior, restare nobis debet extrema, ut cum de cæteris, quantum satis videbitur, disputaverimus, jam omni cura liberati, ad horum scrutanda penetralia veniamus. *D.* Mihi vero placet : sed jam vellem ut ista quæ priora suscepimus, explicata essent, ut jam illud audirem commodius. *M.* Istorum comparatione quæ ante disseruimus, fiunt illa dulciora quæ exspectas.

CAPUT IX. — *Membra semipedum sex et septem. Membra semipedum octo et septem. Membra semipedum novem et septem.*

17. Nunc itaque considera, utrum in duobus membris quorum primum exhibeat semipedes sex, alterum septem, reperiatur ea æqualitas ut rite esse versus queat. Nam post quinque et septem semipedes hunc esse discutiendum vides. Hujus autem exemplum est : *Roma*, *cerne quanta sit deum benignitas* [1]. *D.* Video primum membrum posse in partes distribui, quæ habeant ternos semipedes, secundum in tres et quatuor. Quare junctis æqualibus fiunt sex semipedes, tres vero et quatuor septem sunt, et non æquantur illi numero. Sed si duo et duo in ea parte ubi quatuor sunt, et duo et unum in ea parte ubi tres sunt, consideremus, junctis partibus quæ binos habent, fit summa quaternaria : junctis autem illis quarum in una duo sunt, in alia unum, si etiam ista tanquam sint quatuor accipiamus, propter unius cum cæteris numeris concordiam, octo simul fiunt, magisque excedunt summam senariam, quam cum septem fuissent.

18. *M.* Ita est, ut dicis : et ideo isto genere copulationis a lege versuum separato, attende ut ordo postulat, in ea nunc membra, quorum primum habet octo semipedes, septem secundum. Ista vero copulatio habet quod quærimus. Nam præcedentis membri partem dimidiam cum parte subsequentis majore, quæ dimidiæ proxima est, jungens, quoniam quaterni semipedes sunt, octonarii numeri summam facio. Restant ergo quatuor semipedes de priore, tres de posteriore membro. Duo inde, et duo hinc copulati, fiunt quatuor. Duo rursus inde residui, et unus hinc, ad legem illius convenientiæ copulati, qua [2] unum reliquis par est, quodammodo sumuntur pro quatuor. Ita jam octonarius superiori octonario congruit. *D.* Sed cur hujus exemplum non audio? *M.* Quia sæpe commoratum est : tamen ne suo loco prætermissum putes, ipsum est, *Roma*, *Roma*, *cerne quanta sit deum benignitas;* vel hoc etiam, *Optimus beatus ille qui procul negotio.*

19. Quare jam inspice novem et septem semipedum connexionem, cujus exemplum est : *Vir optimus beatus ille qui procul negotio.* *D.* Facilis est cognitu ista congruentia : superius enim membrum in quatuor et quinque, posterius in tres et quatuor semipedes dividitur.

[1] Sic Vatic. : *Conjungens particulas, quas ab utraque parte inveneris.* M.

[2] *Consocietatem*, juxta Vatic. M.

[1] In B., *Roma, Roma, cerne quanta sit deum benignitas :* mala repetitione vocis, *Roma*, nam priori membro octo semipedes concedit, septem vero posteriori : quod repugnat explicationi ab Augustino paulo post subjectæ. M.

[2] *Quia*, juxta Vatic. M.

Pars ergosuperioris minor cum parte posterioris majore conjuncta, octonarium numerum facit : et major superioris cum minore posterioris, item octonarium : nam illa conjunctio est quatuor et quatuor, ista quinque et tres semipedes. Huc accedit, quod quinque in duo et tres semipedes, tres autem in duo et unum si diviseris, apparet alia convenientia duorum cum duobus, et unius cum tribus, quia unum cum omnibus numeris superius commemorata lege confertur. Sed nisi me ratio fallit, nihil restat ulterius quod de membrorum copulatione requiramus : jam enim ad octo perventum est pedes, quem numerum versui, sicut satis cognovimus, non fas est excedere. Quare jam age, illa senariorum versuum heroici et iambici vel trochaici, quo intentionem meam et excitasti et distulisti, pande secreta.

CAPUT X. — *De senariorum versuum excellentia : eos decentissimos non esse, nisi vel heroici sint vel iambici.*

20. *M.* Faciam, imo faciet ipsa ratio, quæ mihi tibique communis est. Sed meministine, quæso, cum ageremus de metris, dixisse nos et ipso sensu admodum probasse, illos pedes quorum partes ad sesqua conveniunt, sive in duobus et tribus, ut est creticus vel pæones, sive in tribus et quatuor, ut epitriti, exclusos a poëtis propter minoris venustatis sonum, solutæ orationis severitatem decorare congruentius, cum his clausulæ colligantur? *D.* Memini : sed quorsum hæc spectant? *M.* Quoniam illud volo prius intelligamus, hujuscemodi pedibus a poetarum tractatione sejunctis, non remanere, nisi eos quibus ad tantumdem, ut spondeus est; aut eos quibus ad duplum, ut iambus; aut eos quibus ad utrumque partes conveniunt, ut choriambus. *D* Ita est. *M.* At si hæc est poetarum materies, et soluta oratio versibus inimica est, non versus ullus nisi ex hoc genere pedum faciendus est. *D.* Assentior. Video enim poemata versibus quam aliis lyricorum poetarum metris fieri grandiora, sed adhuc quo ratio ista tendat, ignoro.

21. *M.* Ne propera : disputamus enim jam de senariorum versuum excellentia, et prius tibi cupio demonstrare, si potero, decentissimos senarios, nisi duorum istorum generum esse non posse, quæ omnium etiam sunt celeberrima, quorum unum est heroicum, ut, *Arma virumque cano*, *Trojæ qui primus ab oris*, quod usus metitur spondeo et dactylo, subtilior ratio spondeo et anapæsto : alterum quod iambicum dicitur, et eadem ratione invenitur trochaicum. Nam credo tibi manifestum esse longis syllabis, nisi breves interponantur, obtundi quodam modo spatia sonorum; item nisi brevibus longæ, nimis concisa et quasi tremula fieri; neutra esse temperata, quamvis temporum æqualitate aures impleant [1]. Quamobrem nec illi versus qui sex pyrrhichios, et sex proceleumaticos habent, aspirant ad heroici dignitatem, nec illi ad trochaici qui sex tribrachos habent. Huc accedit, quia in istis quos cæteris ipsa ratio præponit, si membra præposteres, totum ita commutabitur, ut alios etiam pedes necessario metiamur. Itaque inconversibiliores, ut ita dicam, sunt quam illi qui aut omnibus brevibus, aut longis omnibus constant. Et ideo sive quinque et septem, sive septem et quinque semipedibus membra in his temperatioribus ordinentur [1], nihil interest : neutro enim horum ordine converti versus potest sine tanta commutatione, ut aliis pedibus currere videatur. In illis autem si carmen cœptum erit talibus versibus, quorum priora membra quinos semipedes habeant, non oporteat eos miscere in quibus septeni priores sunt, ne jam liceat omnes convertere : non enim a conversione revocat ulla pedum commutatio. Sed tamen heroicis conceditur spondeos omnes rarissime interponere, quod quidem posterior ætas hæc nostra minime probavit. Trochaicis autem sive iambicis, cum pedem tribrachum quolibet loco interponere liceat, habere tamen in hujuscemodi carminibus versum solutum in omnes breves, turpissimum judicatum est.

22. Remotis igitur epitritis pedibus a lege versuum senaria, non solum quod solutæ orationi sunt aptiores, verum etiam quod si sex fuerint, triginta et duo tempora excedunt, sicut dispondei; remotis etiam quinum temporum pedibus, quod sibi eos libentius ad clausulas vindicavit oratio; molossis item et aliis temporum senum, quamvis in poematis venustissime vigeant, ab hoc de quo nunc agimus numero temporum exclusis; restant versus omnium brevium syllabarum, qui vel pyrrhichios vel proceleumaticos vel tribrachos habent, et omnium longarum qui spondeos. Qui quanquam admittantur ad senarium modum, dignitati tamen et temperationi horum qui brevibus longisque variantur; et ob hoc multo minus converti possunt, cedant necesse est.

CAPUT XI. — *Senarii quomodo commodius metiendi.*

23. Sed quæri potest cur meliores versus judicati sint senarii, in quibus anapæstum subtilis illa ratio metitur, et ii in quibus trochæum; quam si dactylum ibi, et hic iambum metiretur. Sine præjudicio enim sententiæ, quoniam nunc de numeris agimus, si versus ita esset : *Trojæ qui primus ab oris arma virumque cano*, vel de illo genere : *Qui procul malo pius beatus ille;* uterque horum nec minus senarius esset, nec minus brevium longarumque syllabarum temperatione moderatus, nec magis converti poterat; et in utroque membra ita ordinata sunt, ut et in quinto et in septimo semipede pars orationis terminetur : cur ergo meliores istis putentur, si potius ita sint, *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris. Beatus ille qui procul pius malo?* In qua quæstione facilius et proclivius dixerim forte evenisse, ut isti prius animadverterentur et frequentarentur [2]; aut si id non est fortuitum, melius credo visum fuisse, ut heroicus duabus longis, quam duabus brevibus et longa clauderetur, quod in longis aures commodius acquiescunt : ille autem alter in finali semipede longam syllabam potius haberet quam brevem. Res quidem sic se habet, ut

[1] *Impleantur*, juxta Vatic. M.

[1] *Temperationibus ordinentur*, juxta Vatic. M.

[2] In B., *aut frequentarentur*. Vatic. et Ms. A, *et frequentarentur*. M.

quicumque horum priores eligerentur, necessario aliis auferrent locum, qui membris iisdem præposteratis fieri possent. Quocirca si melior judicatus est, cujus exemplum est, *Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris;* inepte jam fieret isto converso aliud genus, sicuti est, *Trojæ qui primus ab oris, arma virumque cano.* Quod etiam de trochaico genere intelligendum est. Nam si est honestior, *Beatus ille qui procul negotio :* quod genus isto præposterato fieret, ut est, *Qui procul negotio beatus ille,* fieri profecto non oportet [1] : tamen si quis audeat et faciat tales versus, manifestum est eum alia genera senariorum esse facturum, quibus sint ista meliora.

24. Hi ergo senariorum omnium pulcherrimi, non potuerunt ambo obtinere sinceritatem suam adversus hominum licentiam. Nam in trochaico genere, non senario solo, sed unde minus incipit usque ad magnitudinem extremam quæ octo pedes habet, miscendos poetæ putaverunt quatuor temporum pedes omnes, qui adhibentur ad numeros : et Græci quidem alternis locis primo et tertio, et ita deinceps, si a semipede versus incipit : sin ab integro trochæo, secundo et quarto loco, atque ita deinceps servatis intervallis, memorati longiores collocantur pedes. Quæ corruptio ut tolerabilis fieret, non singulos pedes in duas partes, quarum una levationis, altera positionis est, plaudendo diviserunt; sed unum pedem levantes, alterum ponentes, unde ipsum senarium trimetrum vocant, ad epitritorum divisionem plausum retulerunt. Sed si hoc saltem constanter teneretur, quamvis pedes epitriti magis orationis sint quam poematis, nec jam senarius, sed ternarius versus inveniretur; non tamen omnimodo illa numerorum labefactaretur æqualitas. Nunc vero quatuor temporum pedes, dummodo in locis memoratis ponantur, licet non solum in omnibus ponere, sed ubi libet eorum, et quoties libet. Nostri vero veteres, nec ipsa locorum intervalla intermiscendis hujuscemodi pedibus, servare potuerunt. Quare in hoc genere poetæ ista corruptione atque licentia plane assecuti sunt, quod eos voluisse arbitrandum est, ut essent in fabulis poemata solutæ orationi simillima. Sed quoniam satis dictum est cur inter senarios isti versus magis nobilitati sint, nunc videamus cur ipsi senarii meliores sint versus quam cæteri in quolibet alio pedum numero constituti. Nisi quid habes adversus ista quæ disseras. *D.* Prorsus assentior : et jam illam membrorum æqualitatem, cui me attentissimum paulo ante reddidisti, si vel nunc fas est, cognoscere vehementer exspecto.

CAPUT XII. — *Senarii versus cur aliis præstantiores.*

25. *M.* Totus ergo adesto, atque responde, utrum tibi videatur quælibet longitudo posse in quotlibet partes secari. *D.* Satis mihi ista persuasa sunt : nec dubitari posse arbitror, quin omnis longitudo quæ linea dicitur, habeat dimidiam sui partem [2], ac per hoc in duas lineas decussatim secari queat : et quia ipsæ duæ lineæ quæ ista sectione fiunt [1], procul dubio lineæ sunt, etiam in ipsis hoc fieri posse manifestum est. Itaque et quantulacumque longitudo in quotlibet partes secari potest. *M.* Expeditissime atque verissime. Quare nunc illud vide, utrum recte asseveretur, omnem longitudinem ad latitudinem porrigendam, quæ ab ipsa oritur, tantum valere quantum latitudinis quadratum occupat. Si enim minus aut amplius in latum spatium proceditur quam longa est linea unde proceditur, quadratum non fit; sin tantum, nihil aliud quam quadratum fit. *D.* Intelligo et assentior : quid enim verius? *M.* Illud ergo jam sequi, ut opinor, vides, ut si pro linea in longum ordinati calculi pares ponantur, non perveniat illa longitudo ad quadratam formam, nisi per eumdem numerum multiplicati calculi fuerint : ut si verbi gratia duos calculos ponas, quadratum non facias, nisi aliis duobus ad latitudinem adjunctis : sin tres, sex adjungendi sunt, sed terni distributi ad duos ordines similiter in latitudinem [2] : si enim ad longitudinem additi fuerint, nulla figura fit. Longitudo enim sine latitudine figura non est [3]. Atque ita proportione licet considerare alios numeros : ut enim bis bina, et ter terna quadratas figuras in numeris faciunt, ita quater quaterna, quinquies quina, sexies sena, atque ita per infinitum in cæteris. *D.* Etiam ista rata et manifesta sunt. *M.* Attende nunc utrum sit aliqua temporis longitudo. *D.* Quis dubitaverit nullum esse tempus sine aliqua longitudine? *M.* Quid? versus potestne non obtinere aliquam temporis longitudinem? *D.* Imo necesse est obtineat. *M.* Quid in ea longitudine pro calculis melius collocamus? pedesne, qui duas in partes, id est levationem et positionem necessario distribuuntur [4]; an ipsos semipedes potius, qui singulas levationes positionesque obtinent? *D.* Semipedes congruentius judico pro illis calculis poni.

26. *M.* Age, nunc commemora membrum versus heroici brevius, quot semipedes habeat. *D.* Quinque. *M.* Dic exemplum. *D. Arma virumque cano. M.* Num igitur aliud desideras, nisi ut alii septem semipedes cum istis quinque aliqua æqualitate conveniant? *D.* Nihil prorsus aliud. *M.* Quid? septem semipedes possuntne aliquem versum complere per se? *D.* Possunt vero : nam tot semipedes habet primus ac minimus versus, annumerato in fine silentio. *M.* Recte dicis : sed ut versus esse possit, quomodo in duo membra dividitur? *D.* In quatuor scilicet, et tres semipedes. *M.* Duc ergo in legem quadrati has partes singulas, et vide quid faciant quatuor quater. *D.* Sexdecim. *M.* Quid tria ter? *D.* Novem. *M.* Quid totum simul? *D.* Viginti quinque. *M.* Septem ergo semipedes quoniam possunt habere duo membra, singulis membris suis ad quadratorum rationem relatis, vigesimum quintum numerum in summa faciunt; et est una pars versus heroici. *D.* Ita est. *M.* Altera igitur pars quæ habet quinque semipedes, quoniam non potest in duo mem-

[1] In B., *oporteret.* Vatic., *oportet.* M.
[2] *Habeat dimensam partem,* juxta Vatic. M.

[1] *Secatione fiunt,* juxta Vatic. M.
[2] *Ad latitudinem,* juxta Vatic. M.
[3] *Figuratio est,* juxta Vatic. M.
[4] *Tribuuntur,* juxta Ms. A. M.

bra dividi, et debet aliqua æqualitate concinere, nonne tota in quadratum ducenda est? *D.* Nihil aliud omnino censeo, et jam tandem agnosco æqualitatem mirabilem. Quinque enim quinquies ducta eadem viginti quinque consummant. Nec ergo immerito senarii versus cæteris celebratiores nobilioresque facti sunt: dici enim vix potest quantum inter illorum æqualitatem in membris imparibus, et aliorum omnium intersit.

### CAPUT XIII. — *Epilogus.*

27. *M.* Non te ergo fefellit pollicitatio mea, vel potius ipsa nos, quam uterque nostrum sequitur, ratio. Quare ut istum jam sermonem concludamus aliquando, cernis certe cum sint metra pene innumerabilia, versum tamen esse non posse, nisi duobus membris sibimet concinnatis, aut totidem semipedibus, sed non conversibilibus terminatis, ut est, *Mæcenas atavis edite regibus;* aut dispari numero etiam semipedum, sed tamen aliqua æqualitate conjunctis, ut sunt quatuor et tres, aut quinque et tres, vel quinque et septem, aut sex et septem, aut octo et septem, vel septem et novem. A pleno enim pede trochaicus, ut est, *Optimus beatus ille qui procul negotio;* et a non pleno potest versus exordiri, ut est, *Vir optimus beatus ille qui procul negotio :* terminari autem nisi non pleno prorsus non potest. Sed isti non pleni pedes, sive integros semipedes habeant, sicuti est iste quem nunc posui; sive minus quam dimidium pedem, sicut in illo choriambico duæ ultimæ breves, *Mæcenas atavis edite regibus;* sive plus quam dimidium, ut in ejus capite duæ primæ longæ, aut in fine alterius choriambici bacchius, cujus exemplum est, *Te domus Evandri*[1], *te sedes celsa Latini* (*a*). Omnes ergo isti non pleni pedes semipedes nuncupantur.

[1] *Te domus Evandrea,* juxta Er. *Evandria,* juxta Lov.

(*a*) Hunc versum Terentianus refert inter phalecios.

28. Jamvero non solum talia poemata versibus fiunt, ut in his unum genus teneatur, qualia Epicorum poetarum sunt, vel etiam Comicorum; sed illos quoque ambitus quos περιόδους Græci vocant, non tantum illis metris quæ lege versuum non tenentur, Lyrici poetæ faciunt, sed etiam versibus. Nam ille Flacci,

> Nox erat, et cœlo fulgebat luna sereno
> Inter minora sidera.
>
> (*Horat. Epod. odc* 15 )

bimembris ambitus est, et versibus constans. Qui duo versus sibimet convenire non possunt, nisi uterque ad senorum temporum referatur pedes. Nam modus heroicus cum modo iambico vel trochaico non concinit, quia illi pedes ad tantumdem, hi ad duplum partiuntur. Fiunt ergo ambitus aut omnibus metris non cum versibus, ut illi sunt de quibus in superiori sermone disputatum est, cum de ipsis metris ageremus; aut tantum versibus, ut ii de quibus nunc dictum est; aut ut et versibus, et aliis metris temperentur[1], quale illud est:

> Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
> Arboribusque comæ.
>
> (*Id. lib. 4 Carminum, ode* 7.)

Quo autem ordine locentur vel versus cum aliis metris, vel majora membra cum minoribus, nihil interest ad aurium voluptatem, dummodo non brevior quam bimembris, non amplior quam quadrimembris sit ambitus. Sed jam si nihil habes quod contradicas, finis sit hujus disputationis, ut deinceps quod ad hanc partem musicæ attinet quæ in numeris temporum est, ab his vestigiis ejus sensibilibus, ad ipsa cubilia, ubi ab omni corpore aliena est, quanta valemus sagacitate veniamus.

[1] Sic Ms. A: *Aut et versibus et aliis metris temperantur.* M.

# *LIBER SEXTUS.*

In quo ex mutabilium numerorum in inferioribus rebus consideratione evehitur animus ad immutabiles numeros, qui in ipsa sunt immutabili veritate.

### CAPUT PRIMUM. — *Superiores libri quibus scripti sint, quove consilio.*

1. *M.* Satis diu pene[1] atque adeo plane pueriliter per quinque libros in vestigiis numerorum ad moras temporum pertinentium morati sumus: quam nostram nugacitatem apud benevolos homines facile fortassis excuset officiosus labor; quem non ob aliud suscipiendum putavimus, nisi ut adolescentes, vel cujuslibet ætatis homines, quos bono ingenio donavit Deus, non præpropere, sed quibusdam gradibus a sensibus carnis atque a carnalibus litteris, quibus eos non hærere difficile est, duce ratione avellerentur, atque uni Deo et Domino rerum omnium, qui humanis mentibus nulla natura interposita præsidet, incommutabilis veritatis amore adhærescerent. Illos igitur libros qui leget, inveniet nos cum grammaticis et poeticis animis, non habitandi electione, sed itinerandi necessitate versatos. Ad hunc autem librum cum venerit, si, ut spero et supplex deprecor, Deus et Dominus noster propositum meum voluntatemque gubernaverit, et eo quo est intenta perduxerit, intelliget non vilis possessionis esse vilem viam, per quam nunc cum imbecillioribus, nec nos ipsi admodum fortes ambulare maluimus, quam minus pennatos per liberiores auras præcipitare. Ita nos, quantum arbitror, aut nihil aut non multum peccasse judicabit, si tamen de numero spiritualium virorum iste fuerit. Nam turba cætera de scholis linguarum tumultuantium, et ad plaudentium strepitum vulgari levitate lætantium, si forte irruerit in has litteras, aut contemnet omnes, aut illos quinque libros sufficere sibi arbitrabitur: istum vero in

[1] *Satis diu penes te,* juxta Er. Ven. et Ms. A. M.

quo fructus illorum est, vel abjiciet quasi non necessarium, vel differet quasi post necessarium. Reliquos vero qui ad ista intelligenda eruditi non sunt, si sacramentis Christianæ puritatis imbuti [1], in unum et verum Deum summa charitate nitentes, cuncta puerilia transvolaverunt, fraterne admoneo ne ad ista descendant, et cum hic laborare cœperint, de tarditate sua conquerantur, ignorantes itinera difficilia et molesta pedibus suis, volando se posse etiam ignorata transire. Si autem ii legunt qui et infirmis aut inexercitatis gressibus hac ambulare non possunt, et nullas pietatis alas habent, quibus ista neglecta prætervolent, non se inserant inconvenienti negotio; sed præceptis saluberrimæ religionis, et nido fidei Christianæ pennas nutriant, quibus subvecti laborem ac pulverem hujus itineris evadant, magis ipsius patriæ quam viarum flexuosarum amore flagrantes. His enim hæc scripta sunt, qui litteris sæcularibus dediti, magnis implicantur erroribus, et bona ingenia in nugis conterunt, nescientes quid ibi delectet. Quod si animadverterent, viderent qua effugerent illa retia, et quisnam esset beatissimæ securitatis locus.

CAPUT II. — *Sonorum numeri quotuplicis generis, et an quodque eorum genus sine alio esse possit. Primum genus numerorum in ipso sono. Secundum genus in ipso sensu audientis.*

2. *M.* Quamobrem tu cum quo mihi nunc ratio est, familiaris meus, ut a corporeis ad incorporea transeamus, responde, si videtur, cum istum versum pronuntiamus, *Deus creator omnium*, istos quatuor iambos quibus constat, et tempora duodecim ubinam esse arbitreris, id est, in sono tantum qui auditur, an etiam in sensu audientis qui ad aures pertinet, an in actu etiam pronuntiantis, an quia notus versus est, in memoria quoque nostra hos numeros esse fatendum est? *D.* In his omnibus puto. *M.* Nusquamne amplius? *D.* Quid aliud restet non video, nisi forte interior et superior aliqua vis sit [2] unde ista procedunt. *M.* Non ego quæro quid suspicandum sit: quare si hæc quatuor genera ita tibi apparent, ut nullum aliud videas quod æque manifestum sit, discernamus ea, si placet, ab invicem, et videamus utrum singula esse sine invicem possint. Nam credo non te esse negaturum fieri posse, ut in aliquo loco aliquis sonus existat hujuscemodi morulis et dimensionibus verberans aerem vel stillicidio vel aliquo alio pulsu corporum, ubi nullus adsit auditor. Quod cum fit, num præter illud primum genus, cum ipse sonus hos numeros habet, ullum horum quatuor reperitur? *D.* Nullum aliud video.

3. *M.* Quid iste alter, qui est in sensu audientis? potestne esse si nihil sonet? Non enim quæro utrum habeant illæ aures vim percipiendi si quidquam sonuerit, qua utique non carent si desit sonus: non enim et cum silentium est, nihil a surdis differunt; sed quæro utrum ipsos numeros habeant, etiamsi nihil sonet. Siquidem aliud est habere numeros, aliud posse sentire numerosum sonum. Nam et si sentientem corporis locum digito tangas, quotieslibet tangitur, toties sentitur tactu ille numerus: et cum sentitur, non eo caret sentiens: sed utrum insit etiam tangente nullo, non sensus ille, sed numerus, similiter quæritur. *D.* Non facile dixerim, carere sensum numeris talibus in se constitutis, etiam antequam aliquid sonet: non enim aliter aut eorum mulceretur concinnitate, aut absurditate offenderetur. Idipsum ergo quidquid est, quo aut annuimus aut abhorremus, non ratione sed natura, cum aliquid sonat, ipsius sensus numerum voco. Non enim tunc fit in auribus meis, cum sonum audio, hæc vis approbandi et improbandi. Aures quippe non aliter bonis sonis quam malis patent. *M.* Vide potius ne ista duo sint minime confundenda. Nam si versus quilibet modo correptius, modo productius pronuntietur, spatium temporis non idem teneat necesse est, quamvis eadem pedum ratione servata. Ut ergo ipso suo genere aures mulceat, illa vis facit qua concinna adsciscimus, et absurda respuimus. Ut autem breviore tempore sentiatur cum celerius, quam cum tardius promitur, non interest aliquid nisi quamdiu aures tangantur sono. Affectio ergo hæc aurium cum tanguntur sono, nullo modo talis est ac si non tangantur. Ut enim differt audire ab eo quod est non audire, ita differt hanc vocem audire ab eo quod est alteram audire. Hæc igitur affectio nec ultra porrigitur, nec infra cohibetur; quoniam est mensura ejus soni qui facit eam. Altera est ergo in iambo, altera in tribracho; productior in productiore iambo, correptior in correptiore; nulla in silentio. Quæ si numerosa voce fit, etiam ipsa numerosa sit necesse est. Neque esse potest, nisi cum adest effector ejus sonus: similis est enim vestigio in aqua impresso, quod neque ante formatur quam corpus impresseris, neque remanet cum detraxeris. Naturalis vero illa vis quasi judiciaria, quæ auribus adest, non desinit esse in silentio, nec nobis eam sonus infert, sed ab ea potius, sive probandus, sive improbandus excipitur. Quare ista duo, nisi fallor, distinguenda sunt; et fatendum numeros, qui sunt in ipsa passione aurium, cum aliquid auditur, sono inferri, auferri silentio. Ex quo colligitur numeros qui sunt in ipso sono, posse esse sine istis qui sunt in eo quod est audire, cum hi sine illis esse non possint.

CAPUT III. — *Tertium genus numerorum in ipso actu pronuntiantis. Quartum genus numerorum in ipsa memoria.*

4. *D.* Assentior. *M.* Attende igitur hoc tertium genus, quod est in ipso usu [1] et operatione pronuntiantis; et vide utrum possint esse hi numeri sine illis qui sunt in memoria. Nam et taciti apud nosmetipsos possumus aliquos numeros cogitando peragere ea mora temporis, qua etiam voce peragerentur. Hos in quadam operatione animi esse manifestum est, quæ quoniam nullum edit sonum, nihilque passionis infert auribus, ostendit hoc genus sine illis duobus

[1] Er. et Lov., *veritatis imbuti;* at Mss. habent cum Am., *puritatis.*

[2] *Est,* juxta Ms. A. M.

[1] *Nisu,* juxta Ms. A. M.

esse posse, quorum unum in sono est, alterum in audiente, quando audit. Sed utrum existeret, nisi adjuvante memoria, quærimus. Quanquam si anima hos numeros agit, quos in venarum pulsu invenimus, soluta quæstio est : nam et in operatione hos esse manifestum est, et nihil ad eos adjuvamur memoria. Quod si de his incertum est, utrum operantis animæ sint ; de istis certe quos reciproco spiritu agimus, nulli dubium est, quin et temporum intervallis numeri sint, et eos sic anima operetur, ut etiam voluntate adhibita multis modis variari queant : nec tamen ut agantur, ulla opus est memoria. *D.* Videtur mihi hoc genus sine tribus cæteris esse posse. Quamvis enim pro temperatione corporum varios venarum pulsus, et respirationis intervalla fieri non ambigam ; tamen operante anima fieri, negare quis audeat ? Qui cursus et si pro diversitate corporum aliis celerior est, aliis tardior ; nisi tamen adsit anima quæ id agat, nullus est. *M.* Considera igitur et quartum genus, eorum scilicet numerorum qui sunt in memoria : nam si eos recordatione depromimus, et cum in alias cogitationes deferimur, hos rursum relinquimus velut in suis secretis reconditos, non, opinor, occultum est eos esse posse sine cæteris. *D.* Non dubito eos esse sine cæteris ; sed tamen nisi auditi, vel cogitati, non mandarentur memoriæ : et ideo quanquam illis desinentibus maneant, iisdem tamen præcedentibus imprimuntur.

CAPUT IV. — *Quintum genus numerorum in ipso naturali judicio sentiendi. Ex quinque recensitis numerorum generibus quodnam antecellat.*

5. *M.* Non resisto tibi, et vellem jam quærere, quod tandem horum quatuor generum præstantissimum judices : nisi arbitrarer dum illa tractamus, nescio unde apparuisse nobis quintum genus, quod est in ipso naturali judicio sentiendi, cum delectamur parilitate numerorum, vel cum in eis peccatur, offendimur. Non enim contemno quod tibi visum est, sine quibusdam numeris in eo latentibus, hoc sensum nostrum nullo modo agere potuisse. An forte ad istorum quatuor aliquod genus hanc tantam vim pertinere arbitraris ? *D.* Ego vero ab illis omnibus hoc genus distinguendum puto. Siquidem aliud est sonare, quod corpori tribuitur, aliud audire, quod in corpore anima de sonis patitur, aliud operari numeros vel productius vel correptius, aliud ista meminisse, aliud de his omnibus vel annuendo vel abhorrendo quasi quodam naturali jure ferre sententiam.

6. *M.* Age, nunc dic mihi quinque horum quod maxime excellat. *D.* Hoc quintum puto. *M.* Recte putas : non enim de illis posset, nisi excelleret, judicare. Sed rursus quæro, cæterorum quatuor quod maxime probes. *D.* Illud profecto quod est in memoria ; quia video ibi diuturniores esse numeros, quam cum sonant, vel cum audiuntur, vel cum aguntur. *M.* Præponis ergo factos facientibus : nam istos qu sunt in memoria, ab illis aliis imprimi paulo ante dixisti. *D.* Nollem præponere : sed rursus quomodo non præponam diuturniora minus diuturnis, non video. *M.* Non te istuc moveat. Non enim sicut æterna temporalibus, ita ea quæ diutius abolentur, iis quæ breviore tempore transeunt, præferenda sunt. Quia et sanitas unius diei profecto est melior, quam multorum dierum imbecillitas. Et si optanda optandis comparemus, melior est unius diei lectio, quam plurium scriptio, si eadem res uno die legatur, quæ pluribus scribitur. Ita numeri qui sunt in memoria, etsi diutius manent quam illi a quibus imprimuntur, non eos tamen anteponere oportet eis quos agimus, non in corpore, sed in anima : utrique enim prætereunt, alii cessatione, alii oblivione. Sed illi quos operamur, etiam nondum cessantibus nobis succession sequentium videntur auferri, dum primi secundis, et secundi tertiis, atque ita deinceps priores posterioribus prætereundo concedunt locum, donec ultimos perimat ipsa cessatio. Oblivione vero plures simul numeri, quamvis paulatim, absterguntur : nam nec ipsi aliquandiu manent integri. Quod enim post annum, verbi gratia, in memoria non invenitur, etiam post unum diem jam minus est : sed non sentitur ista diminutio : non tamen falso ex eo conjicitur, quia non utique pridie quam compleatur annus repente totum evolat : unde intelligi datur, ab illo tempore quo inhæret memoriæ, incipere labi. Hinc est illud quod plerumque dicimus, Tenuiter memini, cum aliquid post tempus recordando repetimus, antequam plane totum excidat. Quapropter utrumque hoc numerorum genus mortale est. Verumtamen facientes factis jure anteponuntur. *D.* Accipio, et probo.

7. *M.* Jam ergo tria reliqua intuere, et eorum quoque quod sit optimum et cæteris præferendum, edissere. *D.* Non est hoc facile. Nam ex illa regula qua factis facientes oportet anteferre, cogor sonantibus numeris palmam dare : hos enim sentimus audientes, et cum hos sentimus, hos patimur. Hi ergo faciunt eos qui sunt in aurium passione cum audimus : hi autem rursus quos sentiendo habemus, faciunt alios in memoria, quibus a se factis recte præferuntur. Sed hic quia et sentire et meminisse animæ est, non moveor, si aliquid quod in anima fit, alicui quod item in ea fit anteponam. Illud me conturbat, quomodo sonantes numeri, qui certe corporei sunt, vel quoquo modo in corpore, magis laudandi sint quam illi, qui, cum sentimus, in anima esse reperiuntur. Sed rursus conturbat quomodo non magis laudandi sint, cum hi faciant, illi ab his fiant. *M.* Mirare potius quod facere aliquid in anima corpus potest. Hoc enim fortasse non posset, si non peccato primo corpus illud quod nulla molestia et summa facilitate animabat et gubernabat, in deterius commutatum, et corruptioni subjaceret et morti : quod tamen habet sui generis pulchritudinem, et eo ipso dignitatem animæ satis commendat, cujus nec plaga, nec morbus sine honore alicujus decoris meruit esse. Quam plagam summa Dei Sapientia, mirabili et ineffabili sacramento dignata est assumere, cum hominem sine peccato, non sine peccatoris conditione suscepit. Nam et nasci humanitus, et pati et mori voluit. Nihil horum merito, sed excellentissi-

ma bonitate; ut nos caveremus magis superbiam, qua dignissime in ista cecidimus, quam contumelias quas indignus excepit; et animo æquo mortem debitam solveremus, si propter nos potuit etiam indebitam sustinere; et quidquid secretius atque purgatius in tali sacramento a sanctis et melioribus intelligi potest. Ergo animam in carne mortali operantem, passionem corporum sentire non mirum est. Nec quia ipsa est corpore melior, melius putandum est omne quod in ea fit, quam omne quod fit in corpore. Credo enim tibi videri verum falso esse præponendum. *D.* Quis dubitaverit? *M.* Num vero est arbor, quam videmus in somnis? *D.* Nullo modo. *M.* At ejus forma in anima fit, hujus autem, quam nunc videmus, in corpore facta est. Quare cum et verum falso, et anima corpore melior sit, verum in corpore melius est quam falsum in anima. Sed ut hoc in quantum verum, non in quantum in corpore fit, melius est; ita illud in quantum falsum, non in quantum in anima fit, fortasse est deterius. Nisi quid habes ad hæc. *D.* Nihil equidem. *M.* Audi aliud quod sit, ut puto, vicinius quam melius [1]. Neque enim negabis, quod decet esse melius, quam id quod non decet. *D.* Imo fateor. *M.* At in qua veste decens est mulier, in eadem virum indecentem esse posse, quis ambigat? *D.* Et hoc manifestum est. *M.* Quid si ergo forma ista numerorum decet in sonis, qui allabuntur auribus, et dedecet in anima, cum eos sentiendo ac patiendo habet, num magnopere mirandum est? *D.* Non opinor. *M.* Quid ergo dubitamus sonantes numeros atque corporeos præponere iis qui ab ipsis fiunt, quamvis in anima fiant, quæ corpore est melior? quia numeros numeris, efficientes factis [2], non corpus animæ præponimus. Corpora enim tanto meliora sunt, quanto numerosiora talibus numeris. Anima vero istis quæ per corpus accipit, carendo fit melior, cum sese avertit a carnalibus sensibus, et divinis sapientiæ numeris reformatur (*a*). Ita quippe in Scripturis sanctis dicitur : *Circumivi ego, ut scirem et considerarem et quærerem sapientiam et numerum* (*Eccle.* VII, 26). Quod nullo modo arbitrandum est de his numeris dictum, quibus etiam flagitiosa theatra personant : sed de illis, credo, quos non a corpore accipit anima, sed acceptos a summo Deo ipsa potius imprimit corpori. Quod quale sit, non hoc loco est considerandum.

CAPUT V. — *Anima an a corpore patiatur, et quomodo sentiat.*

8. Verumtamen ne illud occurrat, arboris vitam meliorem esse quam nostram, quoniam non accipit sentiendo a corpore numeros (nullus enim ei sensus est); diligenter considerandum est utrum revera nihil sit aliud quod dicitur audire, nisi aliquid a corpore in anima fieri. Sed perabsurdum est fabricatori corpori materiam quoquo modo animam subdere. Nunquam enim anima est corpore deterior; et omnis materia fabricatore deterior. Nullo modo igitur anima fabricatori corpori est subjecta materies. Esset autem, si aliquos in ea numeros corpus operaretur. Non ergo, cum audimus, fiunt in anima numeri ab iis quos in sonis cognoscimus. An aliquid renuis? *D.* Quid est ergo quod in audiente contingit? *M.* Quidquid illud sit quod fortasse invenire aut explicare non possumus, num ad hoc valebit, ut animam corpore meliorem esse dubitemus? Aut cum hoc fatemur, poterimusne operanti corpori et numeros imponenti eam subdere; ut illud sit fabricans, hæc autem materies de qua et in qua numerosum aliquid fabricetur? Quod si credimus, deteriorem illam credamus necesse est. Quo quid miserius, quid detestabilius credi potest? Quæ cum ita sint, conabor equidem [1], quantum Deus adjuvare dignabitur, quidnam ibi lateat conjectare atque disserere. Sed si hoc propter utriusque aut alterius nostrum infirmitatem minus pro voluntate successerit, vel nos ipsi alias sereniores id investigabimus, vel intelligentioribus investiganda deferemus, vel æquo animo latere patiemur : non tamen ideo ista certiora de manibus debemus amittere. *D.* Tenebo istud inconcussum si potero, et tamen latebram istam non esse impenetrabilem nobis velim.

9. *M.* Cito dicam quid sentio : tu vero aut sequere, aut etiam præcede, si valebis, ubi me cunctari et hæsitare animadverteris. Ego enim ab anima hoc corpus animari non puto, nisi intentione facientis. Nec ab isto quidquam illam pati arbitror, sed facere de illo et in illo tanquam subjecto divinitus dominationi suæ : aliquando tamen cum facilitate, aliquando cum difficultate operari, quanto pro ejus meritis magis minusve illi cedit natura corporea. Corporalia ergo quæcumque huic corpori ingeruntur aut objiciuntur extrinsecus, non in anima, sed in ipso corpore aliquid faciunt, quod operi ejus aut adversetur, aut congruat. Ideoque cum renititur adversanti, et materiam sibi subjectam in operis sui vias difficulter impingit, fit attentior ex difficultate in actionem; quæ difficultas propter attentionem, cum eam non latet, sentire dicitur, et hoc vocatur dolor aut labor. Cum autem congruit quod infertur, aut adjacet, facile totum id vel ex eo quantum opus est, in sui operis itinera traducit. Et ista ejus actio qua suum corpus convenienti extrinsecus corpori adjungit, quoniam propter quiddam adventitium attentius agitur, non latet; sed propter convenientiam, cum voluptate sentitur. At cum desunt ea quibus corporis detrimenta reficiat, egestas consequitur; et hac actionis difficultate cum fit attentior, et talis ejus operatio non eam latet, fames aut sitis, aut tale aliquid appellatur. Cum autem supersunt ingesta, et ex eorum onere nascitur difficultas operandi, neque hoc sine attentione fit; et cum talis actio non latet, cruditas sentitur : attente etiam operatur cum ejicit superfluum, si leniter, cum voluptate; si aspere, cum dolore. Morbidam quoque perturbationem corporis attente agit, succurrere appetens labenti atque diffluenti; et hac actione non latente morbos et ægrotationes sentire dicitur.

[1] Editi : *Et puto vicinius. Neque enim negabis*; omisso *quam melius*, quod ex Mss. restituimus.

[2] Juxta Ms. A : *Et facientes factis.* M.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 11, n. 2.

[1] Juxta Ms. A, *conabor etiam.* M.

10. Et ne longum faciam, videtur mihi anima cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentius agere, et has actiones sive faciles propter convenientiam, sive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere : et hoc totum est quod sentire dicitur. Sed iste sensus, qui etiam dum nihil sentimus, inest tamen, instrumentum est corporis, quod ea temperatione agitur ab anima, ut in eo sit ad passiones corporis cum attentione agendas paratior, similia similibus ut adjungat, repellatque quod noxium est. Agit porro, ut opinor, luminosum aliquid in oculis, aerium serenissimum et mobilissimum in auribus, caliginosum in naribus, in ore humidum, in tactu terrenum et quasi lutulentum. Sed sive hac sive alia distributione ista conjiciantur; agit hæc anima cum quiete, si ea quæ insunt in unitate valetudinis, quasi familiari quadam consensione cesserunt [1]. Cum autem adhibentur ea quæ nonnulla, ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt; exserit attentiores actiones, suis quibusque locis atque instrumentis accommodatas : tunc videre, vel audire, vel olfacere, vel gustare, vel tangendo sentire dicitur; quibus actionibus congrua libenter associat, et moleste obsistit incongruis. Has operationes passionibus corporis puto animam exhibere cum sentit, non easdem passiones recipere.

11. Quapropter cum de sonorum numeris in præsentia quæratur, et sensus aurium vocetur in dubium, non oportet per cætera diutius evagari. Referamus itaque nos ad id de quo agitur, et videamus utrum sonus in auribus aliquid faciat. An tu id negabis? *D*. Nihil minus. *M*. Quid? easdem aures animatum membrum esse nonne concedis? *D*. Concedo. *M*. Cum ergo id quod in eo membro simile est aeri, moveatur aere percusso; animam illam quæ ante istum sonum vitali motu in silentio corpus aurium vegetabat, num putamus aut cessare posse ab opere movendi quod animat, aut eodem modo movere commotum extrinsecus aerem auris suæ, quo movebat antequam ille illaberetur sonus? *D*. Non videtur nisi aliter. *M*. Hoc ergo aliter movere [2], nonne fatendum est facere esse, non pati? *D*. Ita est. *M*. Non igitur absurde credimus motus suos animam, vel actiones, vel operationes, vel si quo alio nomine commodius significari possunt, non latere cum sentit.

12. Hæ autem operationes, vel præcedentibus corporum passionibus adhibentur; ut sunt cum illæ oculorum nostrorum lucem formæ interpellant, aut in aures influit sonus, aut naribus exhalationes, palato sapores, cætero corpori quælibet solida et corpulenta admoventur extrinsecus, vel in ipso corpore de loco in locum migrat aliquid sive transit, vel totum ipsum corpus suo alienove pondere movetur : hæ sunt operationes quas adhibet anima præcedentibus passionibus corporis; quæ delectant eam associantem, offendunt resistentem. Cum autem ab eisdem suis operationibus aliquid patitur, a seipsa patitur, non a corpore; sed plane cum se accommodat corpori : et ideo apud seipsam minus est, quia corpus semper minus quam ipsa est.

13. Conversa ergo a Domino suo ad servum suum, necessario deficit · conversa item a servo suo ad Dominum suum, necessario proficit, et præbet eidem servo facillimam vitam, et propterea minime operosam et negotiosam, ad quam propter summam quietem nulla detorqueatur attentio; sicut est affectio corporis quæ sanitas dicitur : nulla quippe attentione nostra opus habet, non quia nihil tunc agit anima in corpore, sed quia nihil facilius agit. Nam in omnibus operibus nostris tanto quidquam attentius, quanto difficilius operamur. Hæc autem sanitas tunc firmissima erit atque certissima, cum pristinæ stabilitati, certo suo tempore atque ordine, hoc corpus fuerit restitutum (*a*), quæ resurrectio ejus antequam plenissime intelligatur, salubriter creditur. Oportet enim animam et regi a superiore, et regere inferiorem. Superior illa solus Deus est, inferius illa solum corpus, si ad omnem et totam animam intendas. Ut ergo tota esse sine Domino, sic excellere sine servo non potest. Ut autem Dominus ejus magis est quam ipsa, ita servus minus. Quare intenta in Dominum intelligit æterna ejus, et magis est, magisque est etiam ipse servus in suo genere per illam. Neglecto autem Domino intenta in servum carnali qua ducitur concupiscentia [1], sentit motus suos quos illi exhibet, et minus est : nec tamen tantum minus, quantum ipse servus, etiam cum maxime est in natura propria. Hoc autem delicto dominæ multo minus est quam erat, cum illa ante delictum magis esset [2].

14. Quocirca mortali jam et fragili, cum magna difficultate atque attentione dominatur. Hinc illi error incurrit, ut voluptatem corporis, quia ejus attentioni cedit materies, pluris æstimet quam ipsam sanitatem, cui attentione nulla opus est. Nec mirum, si ærumnis implicatur, præponens curam securitati. Convertenti se autem ad Dominum, major cura oritur, ne avertatur; donec carnalium negotiorum requiescat impetus, effrenatus consuetudine diuturna, et tumultuosis recordationibus conversioni ejus sese inserens : ita sedatis motibus suis quibus in exteriora provehebatur, agit otium intrinsecus liberum, quod significatur sabbato; sic cognoscit solum Deum esse Dominum suum, cui uni summa libertate servitur. Non autem illos carnales motus, ut cum libet exserit, ita etiam cum libet exstinguit. Non enim sicut peccatum in ejus potestate est, ita etiam pœna peccati. Magna quippe res est ipsa anima, nec ad opprimendos lascivos motus suos idonea sibi remanet. Valentior enim peccat, et post peccatum divina lege facta imbecillior, minus potens est auferre quod fecit. *Infelix ego homo, quis*

[1] Sic Mss. omnes præter Vaticanum, qui cum Am. et Er. habet, *cohæserint*. At Lov., *concesserint*.

[2] In editis : *Non videtur mihi aliter. M. Hoc ergo genus taliter movere*. At in melioribus Mss. lectio nostra exhibetur.

[1] Er. habet, *carnalem*; Lov., *carnalis*; Am., *carnali*, quomodo etiam octo Mss. supra Vaticanum, qui unus sic prosequitur : *Carnali qua ducitur concupiscentia*. [*carnali quæ dicitur concupiscentia*.]

[2] Sic legendum videtur juxta Mss. At Am. Er. et Lov. habent : *Cum ille ante delictum magis esset*.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 11, n. 3.

*me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25). Motus igitur animæ servans impetum suum, et nondum exstinctus, in memoria esse dicitur : et cum in aliud intenditur animus, quasi non inest animo pristinus motus, et revera minor fit, nisi antequam intercidat, quadam similium vicinitate renovetur.

15. Sed velim scire, utrum te adversus ista nihil moveat. *D.* Probabiliter mihi dicere videris, nec ausim resistere. *M.* Cum igitur ipsum sentire movere sit corpus adversus illum motum qui in eo factus est, nonne existimas ideo nos non sentire cum ossa et ungues et capilli secantur, non quia ista in nobis omnino non vivunt, non enim aliter aut continerentur aut nutrirentur aut crescerent, aut etiam vim suam in serenda prole monstrarent; sed quia minus libero acre penetrantur, mobili scilicet elemento, quam ut motus ibi possit ab anima fieri tam celer, quam est ille adversus quem fit cum sentire dicitur. Talis quædam vita cum in arboribus atque stirpibus cæteris esse intelligatur, nullo modo eam non solum nostræ quæ ratione etiam præpollet, sed ne ipsi quidem belluinæ decet præponere. Aliud est enim summa stoliditate, aliud summa sanitate corporis nihil sentire. Nam in altero instrumenta desunt, quæ adversus passiones corporis moveantur, in altero ipsæ passiones. *D.* Probo et assentior.

CAPUT VI. — *Inter genera numerorum ordo, et eorum nomina.*

16. *M.* Redi ergo mecum ad propositum, atque responde de tribus illis generibus numerorum, quorum alterum in memoria est, alterum in sentiendo, alterum in sono, quodnam tibi videatur excellere. *D.* Sonum duobus illis postpono quæ in anima sunt et vivunt quodammodo : sed horum duorum quod præstantius judicem, incertus sum, nisi forte quoniam illos qui sunt in actione, non ob aliud præponendos iis qui sunt in memoria dixeramus, nisi quod illi facientes sunt, isti ab his facti ; eadem ratione istos etiam qui dum audimus insunt in anima, oportet iis anteponere qui ab iisdem in memoria fiunt, sicuti et dudum mihi videbatur. *M.* Non puto absurdam responsionem tuam : sed quoniam disputatum est, hos etiam qui sunt in sentiendo numeros operationes esse animæ ; quomodo eos ab illis discernis, quos in actu esse animadvertimus, etiam cum in silentio non recordans agit aliquid anima per temporalia spatia numerosum [1] ? an quod illi sunt moventis sese animæ ad corpus suum, hi vero in audiendo moventis sese animæ adversus passiones corporis sui? *D.* Accipio istam differentiam. *M.* Quid? in sententia manendumne arbitraris, ut præstantiores illi judicentur qui sunt ad corpus, quam illi qui sunt adversus passiones corporis? *D.* Liberiores mihi videntur illi qui sunt in silentio, quam ii qui non solum ad corpus, sed ad passiones etiam corporis exseruntur. *M.* Distincta a nobis, et quibusdam meritorum gradibus ordinata video quinque genera numerorum, quibus, si placet, imponamus congrua vocabula, ne in reliquo sermone pluribus verbis quam rebus uti necesse sit. *D.* Placet vero. *M.* Vocentur ergo primi judiciales, secundi progressores, tertii occursores, quarti recordabiles, quinti sonantes. *D.* Teneo, et his nominibus utar libentius.

[1] Editi : *Per temporalia spatia numerorum.* Reposuimus *merosum*, ex auctoritate sex manuscriptorum.

CAPUT VII. — *Numeri judiciales an sint immortales.*

17. *M.* Attende igitur deinceps, et dic mihi, quinam istorum immortales tibi videantur, an omnes suis temporibus labi atque occidere existimes. *D.* Judiciales solos immortales puto ; cæteros video vel transire cum fiunt, vel de memoria oblivione deleri. *M.* Tam certus es de istorum immortalitate, quam de interitu cæterorum ; an diligentius, utrum vere hi immortales sint, oportet quærere? *D.* Quæramus sane. *M.* Dic ergo, cum aliquanto correptius sive productius, dum serviam temporum legi qua simplo ad duplum pedes conveniunt, versum pronuntio, num offendo ulla fraude judicium sensus tui? *D.* Non omnino. *M.* Quid? sonus ille qui correptioribus et quasi fugacioribus syllabis editur, num potest plus temporis occupare quam sonat? *D.* Qui potest? *M.* Judiciales ergo illi numeri si vinculo temporis in tanto spatio tenerentur, quanto isti sonantes digesti sunt; possentne ad eorum sonantium qui paulo productius eadem iambica lege funduntur, aspirare judicium? *D.* Nullo modo. *M.* Igitur apparet hos mora temporum, qui judicando præsident, non teneri. *D.* Prorsus apparet.

18. *M.* Recte annuis. Sed si nulla tenerentur, quantolibet productius, legitimis intervallis iambicos proferrem sonos, nihilominus ad judicandum adhiberentur : nunc vero si ederem unam syllabam quanta mora peraguntur (ne multum dicam) tres passus incedentis, et aliam duplo, atque ita deinceps tam longos iambos ordinarem ; simpli et dupli lex illa nihilosecius servaretur : nec tamen naturale illud judicium his dimensionibus approbandis adhibere possemus. An tibi non videtur? *D.* Negare non possum ita videri : nam mea quidem sententia res in aperto est. *M.* Tenentur ergo et hi judiciales nonnullis finibus temporalium spatiorum, quos in judicando excedere nequeunt, et quidquid excedit hæc spatia, non assequuntur ut judicent : atque ita si tenentur, quomodo sint immortales non video. *D.* Nec ego video quid respondeam. Sed quanquam de immortalitate horum jam minus præsumam, non tamen quo pacto hinc mortales convincantur intelligo. Fieri enim potest, ut quantacumque spatia judicare possunt, semper id possint, quoniam non sicut cæteros, aut oblivione aboleri possum dicere, aut tamdiu esse vel in tantum extendi, quamdiu sonus appellitur et in quantum extenduntur occursores illi, aut quamdiu aguntur vel quantum producuntur quos progressores vocavimus; nam utrique cum ipso tempore operationis suæ transeunt : hi autem judiciales, utrum et in anima nescio, in ipsa certe hominis natura manent, judicaturi de oblatis, quanquam a certa brevitate usque ad certam longitudinem varientur, approbando in his numerosa, et perturbata damnando.

19. *M.* Saltem illud concedis, alios homines citius offendi claudicantibus numeris, alios tardius, et plerosque nonnisi ex comparatione integrorum judicare vitiosos, cum et illos congruos et illos incongruos audierint. *D.* Concedo. *M.* Unde tandem hanc differentiam putas existere, nisi aut natura, aut exercitatione, aut utroque? *D.* Sic arbitror. *M.* Quæro igitur utrum possit aliquis aliquando productiora intervalla judicare et approbare, quæ alius non possit. *D.* Credo esse posse. *M.* Quid? ille qui non potest, si se exerceat congruenter, nec adeo tardus sit, nonne poterit? *D.* Poterit vero. *M.* Num in tantum possunt isti proficere ad productiora judicanda, ut horarum, vel dierum, vel etiam mensium annorumve dupla et simpla spatia, cum saltem somno interpediantur [1], sensu illo judiciario possint comprehendere, et tanquam illos iambos motionis nutibus approbare? *D.* Non possunt. *M.* Quid ita non possunt, nisi quia unicuique animanti in genere proprio, proportione universitatis, sensus locorum temporumque tributus est; ut quomodo corpus ejus proportione universi corporis tantum est, cujus pars est, et ætas ejus proportione universi sæculi tanta est, cujus pars est; ita sensus ejus actioni ejus congruat, quam proportione agit universi motus, cujus hæc pars est? Sic habendo omnia magnus est hic mundus, qui sæpe in Scripturis divinis cœli et terræ nomine nuncupatur, cujus omnes partes si proportione minuantur, tantus est; et si proportione augeantur, nihilominus tantus est: quia nihil in spatiis locorum et temporum per seipsum magnum est, sed ad aliquid brevius; et nihil rursus in his per seipsum breve est, sed ad aliquid majus. Quapropter si humanæ naturæ ad carnalis vitæ actiones talis sensus tributus est, quo majora temporum spatia judicare non possit, quam intervalla postulant ad talis vitæ usum pertinentia; quoniam talis hominis natura mortalis est, etiam talem sensum mortalem puto. Non enim frustra consuetudo quasi secunda, et quasi affabricata natura dicitur. Videmus autem velut quosdam sensus novos in judicandis cujuscemodi rebus corporeis consuetudine affectos, alia consuetudine deperire.

CAPUT VIII. — *Numeri cæteri judicialium examini subjiciuntur.*

20. Sed quoquo modo se habeant hi numeri judiciales, eo certe præstant quōd dubitamus, vel difficile pervestigamus utrum mortales sint. De cæteris autem quatuor generibus nec quæstio est quin mortales sint; quorum etsi quosdam non comprehendunt, quia ultra ipsorum jura porrecti sunt, genera tamen ipsa suo examini vindicant. Nam et illi progressores cum aliquam in corpore numerosam operationem appetunt, latente istorum judicialium nutu modificantur. Quod enim nos vel ambulantes ab imparibus passibus, vel percutientes ab imparibus intervallis plagarum, vel edentes vel bibentes ab imparibus malarum motibus, scalpentes denique ab imparibus unguium ductibus; et ne per multas alias operationes percurram, quod nos in qualibet attentione agendi aliquid per corporis membra ab imparibus motibus refrenat et cohibet, et quamdam parilitatem tacite imperat; idipsum est judiciale nescio quid, quod conditorem animalis insinuat Deum: quem certe decet credere auctorem omnis convenientiæ atque concordiæ.

21. Et illi occursores numeri, qui certe non pro suo nutu, sed pro passionibus corporis aguntur, in quantum eorum intervalla potest memoria custodire, in tantum his judicialibus judicandi offeruntur atque judicantur. Numerus namque iste qui intervallis temporum constat, nisi adjuvemur in eo memoria, judicari a nobis nullo pacto potest. Quamlibet enim brevis syllaba, cum et incipiat, et desinat, alio tempore initium ejus, et alio finis sonat. Tenditur ergo et ipsa quantulōcumque temporis intervallo, et ab initio suo per medium suum tendit ad finem. Ita ratio invenit tam localia quam temporalia spatia infinitam divisionem recipere; et idcirco nullius syllabæ cum initio finis auditur. In audienda itaque vel brevissima syllaba, nisi memoria nos adjuvet, ut eo momento temporis quo jam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneat ille motus in animo, qui factus est cum initium ipsum sonuit; nihil nos audisse possumus dicere. Hinc est illud quod plerumque alia cogitatione occupati, coram loquentes non nobis videmur audisse: non quia occursores illos numeros non agit tunc anima, cum sine dubio sonus ad aures perveniat, et illa in passione corporis sui cessare non possit, nec possit nisi aliter moveri quam si illa non fieret; sed quia intentione in aliud subinde exstinguitur motionis impetus, qui si maneret, in memoria utique maneret, ut nos et inveniremus et sentiremus audisse. Quod si de una syllaba brevi minus sequitur mens tardior quod invenit ratio, de duabus certe nemo dubitat, quin eas simul nulla anima possit audire. Non enim sonat secunda, nisi prima destiterit: quod autem simul sonare non potest, simul audiri qui potest? Ut igitur nos ad capienda spatia locorum diffusio radiorum juvat, qui e brevibus pupulis in aperta emicant, et adeo sunt nostri corporis, ut quanquam in procul positis rebus quas videmus, a nostra anima vegetentur; ut ergo eorum effusione adjuvamur [1] ad capienda spatia locorum: ita memoria, quod quasi lumen est temporalium spatiorum, quantum in suo genere quodammodo extrudi potest, tantum eorumdem spatiorum capit. Cum autem diutius aures pulsat sonus nullis distinctus articulis, et ab aliquo tandem fine conjunctus alter duplo, aut etiam tanto editur spatio; attentione in succedentem perpetuo sonum motus ille animi, qui attentione ad præteritum et elapsum sonum cum transibat est factus, reprimitur, id est non ita remanet in memoria. Quapropter judiciales illi numeri, qui numeros in intervallis temporum sitos, exceptis progressoribus quibus etiam ipsum progressum modificant, judicare non possunt nisi quos eis tanquam ministra memoria

[1] Editi: *Somno non impediantur*. At Mss. absque negatione, *somno interpediantur*.

[1] Sic in Mss. At in editis legitur: *Ut ergo effusione lucis adjuvamur*.

obtulerit; nonne ipsi existimandi sunt per certum spatium temporis tendi? Sed interest quibus temporum spatiis vel excidat nobis, vel meminerimus quod judicant. Siquidem nec in ipsis corporum formis quæ ad oculos pertinent, possumus rotunda vel quadra, vel quæcumque alia solida et determinata judicare, et omnino sentire, nisi ea ob oculos versemus[1]: cum autem alia pars aspicitur, si exciderit quod est aspectum in alia, frustratur omnino judicantis intentio, quia et hoc aliqua mora temporis fit; cui variatæ rei prius est invigilare memoriam.

22. Recordabiles vero numeros multo evidentius est, quod eadem ipsa offerente memoria, judicamus his judicialibus. Nam si occursores, quantum ab ea offeruntur, tantum judicantur; multo magis ii, ad quos tanquam repositos post alias intentiones revocamur recordatione, in ipsa memoria vivere inveniuntur. Quid enim aliud agimus cum revocamus nos in memoriam, nisi quodammodo quod reposuimus quærimus? Recurrit autem in cogitationem occasione similium motus animi non exstinctus, et hæc est quæ dicitur recordatio. Sic agimus numeros, vel in sola cogitatione, vel etiam in membrorum motu, quos jam egimus aliquando. Inde autem scimus non venisse, sed redisse illos in cogitationem, quia cum memoriæ mandarentur, cum difficultate repetebantur, et indigebamus aliqua præmonstratione ut sequeremur: qua difficultate dempta, cum sese ipsi accommodate voluntati offerunt, consequenter temporibus atque ordine suo, tam facile ut qui vehementius inhæserunt, etiam aliunde cogitantibus nobis, jam quasi proprio nutu peragantur, non eos utique novos esse sentimus. Est etiam aliud unde nos sentire arbitror præsentem motum animi aliquando jam fuisse, quod est recognoscere, dum recentes motus ejus actionis in qua sumus cum recordamur, qui certe vivaciores sunt, cum recordabilibus jam sedatioribus quodam interiore lumine comparamus: et talis agnitio, recognitio est et recordatio. Judicantur ergo et recordabiles numeri ab his judicialibus, nunquam soli, sed adjunctis activis, aut occursoribus, aut utrisque, qui eos tanquam e latebris suis in manifestum producant, et quasi redintegratos qui jam abolebantur, rursum recordantur. Ita cum occursores in tantum judicentur, in quantum eos memoria judicantibus admoverit, possunt vicissim et recordabiles qui sunt in memoria occursoribus eos exhibentibus judicari: ut hoc intersit, quod occursores ut judicentur, quasi recentia eorum fugientium vestigia offert memoria; recordabiles autem quando eos audiendo judicamus, quasi eadem vestigia occursoribus transeuntibus revirescunt. Jam porro de sonantibus numeris quid opus est dicere, cum in occursoribus judicentur, si audiantur? Si vero ibi sonant ubi non audiuntur, quis dubitet eos a nobis non posse judicari? Sane ut in sonis per instrumentum aurium, ita in saltationibus cæterisque visibilibus motibus, quod ad temporales numeros attinet, eadem adjuvante memoria iisdem numeris judicialibus dijudicamus.

[1] Am. Er. et Lov.: *Possemus.., nisi ex obliquo oculos versaremus.* Sed concinnior est Mss. lectio quam amplectimur.

CAPUT IX. — *Numeri alii in anima illis judicialibus præcellentes.*

23. Hæc cum ita sint, conemur, si possumus, istos numeros judiciales transcendere, et quæramus utrum sint superiores. In his enim quanquam spatia temporum jam minime videamus, non tamen adhibentur, nisi ad ea judicanda quæ in spatio temporis fiunt; nec ipsa quidem omnia, sed quæ possunt articulari memoriter. Nisi quid habes forte quod contra hæc velis dicere. *D.* Movet me plurimum istorum judicialium vis atque potentia: ipsi enim mihi videntur esse ad quos omnium sensuum ministeria referuntur. Itaque his excellentius utrum quidquam in numeris inveniri possit, ignoro. *M.* Nihil deperit quod diligentius quærimus. Aut enim inveniemus superiores in anima humana, aut hos in ea summos esse firmabimus, si tamen illud claruerit, nullos in ea esse præstantiores. Aliud est enim non esse, aliud non posse inveniri, sive ab ullo homine, sive a nobis. Sed ego puto cum ille a nobis propositus versus canitur, *Deus creator omnium;* nos eum et occursoribus illis numeris audire, et recordabilibus recognoscere, et progressoribus pronuntiare, et his judicialibus delectari, et nescio quibus aliis æstimare, et de ista delectatione quæ quasi sententia est judicialium istorum, aliam secundum hos latentiores certiorem ferre sententiam[1]. An tibi unum atque idem videtur delectari sensu, et æstimare ratione? *D.* Diversa esse fateor. Sed primo ipso moveor vocabulo, cur non potius isti vocentur judiciales quibus inest ratio, quam isti quibus inest delectatio. Deinde vereor ne nihil sit aliud æstimatio ista rationis, quam eorum de seipsis quædam diligentior judicatio: ut non alii sint numeri in delectatione, alii in ratione; sed uni atque iidem alias judicent de iis quæ aguntur in corpore, cum eos, ut supra demonstratum est, offert memoria; alias de seipsis remotius a corpore atque sincerius.

24. *M.* De vocabulis quidem nihil satagas; res in potestate est: placito enim, non natura imponuntur. Quod autem eosdem esse arbitraris, nec duo genera numerorum hæc vis accipere; illud, ni fallor, te rapit, quod eadem anima utrumque agit. Sed animadvertere te opus est, et in progressoribus eamdem animam corpus movere vel ad corpus moveri; et in occursoribus hanc eamdem passionibus ejus ire obviam; et in recordabilibus istam ipsam, donec quodammodo detumescant, ipsis quasi fluctuare motionibus. Nos ergo in istis generibus numerandis et distinguendis unius naturæ, id est, animæ motus affectionesque dispicimus. Quare si ut aliud est ad ea quæ corpus patitur moveri, quod fit in sentiendo; aliud movere se ad corpus, quod fit in operando; aliud quod ex his motibus in anima factum est continere, quod est meminisse; ita est aliud annuere, vel renuere his moti-

[1] Editi: *Aliam secundum hos latentiorem, sed certiorem ferre sententiam.* Mss.: *Secundum hos latentiores.* Supple, *numeros.*

bus, aut cum primitus exseruntur, aut cum recordatione resuscitantur, quod fit in delectatione convenientiæ, et offensione absurditatis taliuin motionum sive affectionum; et aliud est æstimare utrum recte an secus ista delectent, quod fit ratiocinando : necesse est fateamur ita hæc esse duo genera, ut illa sunt tria. Et si recte nobis visum est, nisi quibusdam numeris esset ipse delectationis sensus imbutus, nullo modo eum potuisse annuere paribus intervallis, et perturbata respuere : recte etiam videri potest ratio, quæ huic delectationi superimponitur, nullo modo sine quibusdam numeris vivacioribus, de numeris quos infra se habet posse judicare. Quæ si vera sunt, apparet inventa esse in anima quinque genera numerorum, quibus cum addideris corporales illos quos sonantes vocavimus, sex genera numerorum disposita et ordinata cognosces. Jam nunc, si placet, illi qui nobis subrepserant ad principatum obtinendum, sensuales nominentur, et judicialium nomen, quoniam est honoratius, hi accipiant qui excellentiores comperti sunt : quanquam et sonantium nomen mutandum putem, quoniam si corporales vocentur, manifestius significabunt etiam illos qui sunt in saltatione, et in cætero motu visibili. Si tamen ea quæ dicta sunt probas. *D.* Probo sane : nam et vera et manifesta mihi videntur. Horum etiam emendationem vocabulorum libenter accipio.

CAPUT X. — *Rationis vis in perspiciendis quæ ad Musicam pertinent, ubi nihil aliud quam æqualitas delectat.*

25. *M.* Age, nunc aspice in vim potentiamque rationis, quantum ex operibus ejus aspicere possumus. Ipsa enim, ut id potissimum dicam quod ad hujus operis susceptionem attinet, primo quid sit ipsa bona modulatio consideravit, et eam in quodam motu libero, et ad suæ pulchritudinis finem converso esse perspexit. Deinde vidit in motibus corporum aliud esse quod brevitate et productione temporis variaretur, in quantum magis esset minusve diuturnum, aliud localium spatiorum percussione [1] in quibusdam gradibus celeritatis et tarditatis : qua divisione facta, illud quod in temporis mora esset, modestis intervallis, et humano sensui accommodatis articulatim varios efficeret numeros, eorumque genera et ordinem usque ad modulos versuum persecuta est. Postremo attendit quid in his moderandis, operandis, sentiendis, retinendis ageret anima [2], cujus caput ipsa esset : hosque omnes animales numeros a corporalibus separavit : seque ipsam hæc omnia neque animadvertere, neque distinguere, neque recte numerare sine quibusdam suis numeris potuisse cognovit, eosque cæteris inferioris ordinis judiciaria quadam æstimatione præposuit.

26. Et nunc cum ipsa sua delectatione, quæ [3] in temporum momenta perpendit, et talibus numeris modificandis nutus suos exhibet, sic agit; quid est quod in sensibili numerositate diligimus? Num aliud præter parilitatem quamdam et æqualiter dimensa intervalla? An ille pyrrhichius pes, sive spondeus, sive anapæstus, sive dactylus, sive proceleumaticus, sive dispondeus nos aliter delectaret; nisi partem suam parti alteri æquali divisione conferret? Quid vero iambus, trochæus, tribrachus pulchritudinis habent, nisi quod minore sua parte majorem suam partem in tantas duas æqualiter dividunt? Jam porro sex temporum pedes, num [1] aliunde blandius sonant atque festivius, nisi quod utraque lege partiuntur; scilicet aut in duas æquales partes terna tempora possidentes, aut in unam simplam ex æqualibus partem [2], et alteram duplam, id est, ut major habeat bis minorem, et eo modo ab illa dividatur æqualiter, duobus temporibus quatuor tempora in bina demetiente ac secante? Quid illi quinum septenumque temporum pedes? unde solutæ orationi, quam versibus videntur aptiores, nisi quod eorum pars minor in partes æquales majorem non dividit? Et hi tamen ipsi unde admittuntur in sui generis ordine ad temporum numerositatem, nisi quia et in quinque temporibus tantas duas particulas habet pars minor, quantas major tres; et in septem tantas tres minor, quantas major quatuor? Ita in omnibus pedibus nulla pars minima est alicujus dimensionis articulo notata, cui non cæteræ quanta possunt æqualitate consentiant.

27. Age, in conjunctis pedibus sive libera perpetuitate porrigatur ista conjunctio, sicut in rhythmis; sive ab aliquo certo fine revocetur, sicut in metris; sive etiam in duo membra quadam lege sibimet congruentia tribuatur, sicut in versibus; qua tandem alia re, nisi æqualitate pes pedi amicus est? Unde molossi, et ionicorum syllaba media quæ longa est, non sectione, sed nutu [3] ipso pronuntiantis atque plaudentis in duo paria momenta distribui potest; ut etiam ad terna tempora pes totus conveniat, quando cæteris qui eodem modo dividuntur, adjungitur; cur nisi æqualitatis jure dominante, quod scilicet æqualis est lateribus [4] suis, quæ binorum temporum sunt, cum et ipsa sit duum temporum? Cur idem fieri in amphibracho non potest, quando cæteris quatuor temporum adjungitur, nisi quia tanta ibi non invenitur æqualitas duplo medio, lateribus simplis? Cur in silentiorum intervallis nulla fraude sensus offenditur, nisi quia eidem juri æqualitatis, etiamsi non sono, spatio tamen temporis quod debetur, exsolvitur? Cur sequente silentio etiam brevis syllaba pro longa accipitur, non instituto, sed ipso naturali examine quod auribus præsidet; nisi quia in spatio temporis longiore sonum coarctare in angustias eadem illa æqualitatis lege prohibemur? Itaque syllabam ultra duo tempora producere, ut etiam sono impleatur quod silentio impleri potest, admittit natura audiendi et tacendi [5]: ut autem

[1] Septem Mss., *percussionem.*
[2] Ita plerique Mss., cum Am. At Lov. habet : *In his moderandis, sentiendis, retinendis, delectandis ageret anima.*
[3] Duo Mss., *quam.* Alii tres, *qua.* Paulo post, alter e Victorinis codicibus : *Propendet, talibus numeris.*

[1] Ms. A sic : *Non aliunde blandius sonant atque festivius.* M.
[2] Duodecim Mss., *ex qualibet parte.*
[3] Ita in Mss. At in prius editis, *motu.* — Sic etiam Ms. A. M.
[4] Am. Er. et Lov., *æqualibus lateribus.* Seq clarius aliquot Mss., *æqualis est;* scilicet, pes tum molossus, tum ionicus.
[5] In plerisque Mss., *audiendi et canendi.* Et mox in editis

minus quam duo tempora occupet syllaba, dum restat spatium tacitis nutibus, quædam fraus æqualitatis est, quia minus quam in duobus esse æqualitas non potest. Jam vero in ipsa æqualitate membrorum qua variantur illi ambitus, quos Græci περιόδους vocant, versusque figurantur, quomodo ad eamdem æqualitatem secretius reditur; nisi ut in ambitu brevius membrum majori æqualibus pedibus ad plausum conveniat, et in versu occultiore consideratione numerorum, ea quæ inæqualia membra junguntur, vim æqualitatis habere inveniantur?

28. Quærit ergo ratio, et carnalem animæ delectationem, quæ judiciales partes sibi vindicabat, interrogat, cum eam in spatiorum temporalium numeri æqualitas mulceat, utrum duæ syllabæ breves quascumque audierit vere sint æquales; an fieri possit, ut una earum edatur productius, non usque ad longæ syllabæ modum, sed infra quantumlibet, quo tamen excedat sociam suam. Num negari potest, fieri posse, cum hæc delectatio ista non sentiat, et inæqualibus velut æqualibus gaudeat? quo errore et inæqualitate quid turpius? Ex quo admonemur ab his avertere gaudium, quæ imitantur æqualitatem, et utrum impleant, comprehendere non possumus: imo quod non impleant fortasse comprehendimus; et tamen in quantum imitantur, pulchra esse in suo genere et ordine suo, negare non possumus.

CAPUT XI. — *Inferioribus non offendi, solis superioribus numeris delectari convenit. Differentia phantasiæ et phantasmatis.*

29. Non ergo invideamus inferioribus quam nos sumus, nosque ipsos inter illa quæ infra nos sunt, et illa quæ supra nos sunt, ita Deo et Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Delectatio quippe quasi pondus est animæ. Delectatio ergo ordinat animam. *Ubi enim erit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI, 21): ubi delectatio, ibi thesaurus: ubi autem cor, ibi beatitudo aut miseria. Quæ vero superiora sunt, nisi illa in quibus summa, inconcussa, incommutabilis, æterna manet æqualitas? Ubi nullum est tempus, quia nulla mutabilitas est; et unde tempora fabricantur et ordinantur et modificantur æternitatem imitantia, dum cœli conversio ad idem redit [1], et cœlestia corpora ad idem revocat, diebusque et mensibus et annis et lustris, cæterisque siderum orbibus, legibus æqualitatis et unitatis et ordinationis obtemperat. Ita cœlestibus terrena subjecta, orbes temporum suorum numerosa successione quasi carmini universitatis associant.

30. In quibus multa nobis videntur inordinata et perturbata, quia eorum ordini pro nostris meritis assuti sumus [2], nescientes quid de nobis divina providentia pulchrum gerat. Quoniam si quis, verbi gratia, in amplissimarum pulcherrimarumque ædium uno aliquo angulo tanquam statua collocetur, pulchritudinem illius fabricæ sentire non poterit, cujus et ipse pars erit. Nec universi exercitus ordinem miles in acie valet intueri. Et in quolibet poemate si quanto spatio syllabæ sonant, tanto viverent atque sentirent, nullo modo illa numerositas et contexti operis pulchritudo eis placeret, quam totam perspicere atque approbare non possent, cum de ipsis singulis prætereuntibus fabricata esset atque perfecta. Ita peccantem hominem ordinavit Deus turpem, non turpiter. Turpis enim factus est voluntate, universum amittendo quod Dei præceptis obtemperans possidebat, et ordinatus in parte est, ut qui legem agere noluit, a lege agatur. Quidquid autem legitime, utique juste; et quidquid juste, non utique turpiter agitur: quia et in malis operibus nostris Dei opera bona sunt. Homo namque in quantum homo est, aliquod bonum est; adulterium autem in quantum adulterium est, malum opus est: plerumque autem de adulterio nascitur homo, de malo scilicet hominis opere bonum opus Dei.

31. Quamobrem ut nos ad propositum, propter quod hæc sunt dicta, referamus, hi numeri rationis pulchritudine præminent, a quibus si prorsus abscinderemur, cum inclinamur ad corpus, progressores numeros sensuales non modificarent: qui rursus movendis corporibus agunt sensibiles temporum pulchritudines: atque ita sonantibus obvii etiam occursores numeri fabricantur; quos omnes impetus suos eadem anima excipiens, quasi multiplicat in seipsa, et recordabiles facit: quæ vis ejus memoria dicitur, magnum quoddam adjutorium in hujus vitæ negotiosissimis actibus.

32. Hæc igitur memoria quæcumque de motibus animi tenet, qui adversus passiones corporis acti sunt, φαντασίαι græce vocantur; nec invenio quid eas latine malim vocare: quas pro cognitis habere atque pro perceptis opinabilis vita est [1], constituta in ipso erroris introitu. Sed cum sibi isti motus occursant, et tanquam diversis et repugnantibus intentionis flatibus æstuant, alios ex aliis motus pariunt; non jam eos qui tenentur ex occursionibus passionum corporis impressi de sensibus, similes tamen tanquam imaginum imagines, quæ phantasmata dici placuit. Aliter enim cogito patrem meum quem sæpe vidi, aliter avum quem nunquam vidi. Horum primum phantasia est, alterum phantasma. Illud in memoria invenio, hoc in eo motu animi, qui ex iis ortus est quos habet memoria. Quomodo autem oriantur hæc, et invenire et explicare difficile est. Arbitror tamen, quod si nunquam humana corpora vidissem, nullo modo ea possem visibili specie cogitando figurare. Quod autem ex

legitur, *spatium taciturnitatis;* ubi substituimus ex Mss., *tacitis nutibus.*

[1] Am. Er. et plures Mss., *ad diem redit.* Et infra iidem habent Mss., *ad diem revocat.* Paulo post in editis legitur, *siderum ordinibus legibusque.* At in Mss., *siderum orbibus, legibusque.*

[2] Libri scripti et excusi ferunt, *assueti sumus.* Sed incunctanter legendum, *assuti sumus,* ut in Corbeiensi codice legebatur antequam passus esset secundam manum, quæ inserta vocali *e,* fecit *assueti.* Vide librum de Vera Religione, cap. 22, n. 43, ubi rem eamdem inculcans Augustinus, « Sæculorum, ait, partes damnatione facti sumus. »

[1] Plurimum hic variant libri. Et quidem editio Lov. habet, *pro certis opinatis visa est.* At Am. Er. et aliquot Mss., *opinabilis vita est.* Alii Mss., *opinabilis via est.* Quidam demum, *opinans,* vel *opinatius.*

eo quod vidi facio, memoria facio : et tamen aliud est in memoria invenire phantasiam, aliud de memoria facere phantasma. Quæ omnia vis animæ potest. Sed vera etiam phantasmata habere pro cognitis, summus error est. Quanquam sit in utroque genere quod nos non absurde scire dicamus, id est, sensisse nos talia, vel imaginari nos talia. Patrem denique me habuisse et avum, non temere possum dicere : ipsos autem esse quos animus meus in phantasia vel in phantasmate tenet, dementissime dixerim. Sequuntur autem nonnulli phantasmata sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum, quam habere phantasias vel phantasmata pro cognitis, quæ cognoscuntur per sensum [1]. Quare his potissimum resistamus, nec eis ita mentem accommodemus, ut dum in his est cogitatio, intelligentia ea cerni arbitremur.

33. Cur autem si hujusmodi numeri qui fiunt in anima rebus temporalibus dedita, habent sui generis pulchritudinem, quamvis eam transeundo actitent, invideat huic pulchritudini divina providentia, quæ de nostra pœnali mortalitate formatur, quam justissima Dei lege meruimus : in qua tamen nos non ita deseruit, ut non valeamus recurrere, et a carnalium sensuum delectatione, misericordia ejus manum porrigente, revocari. Talis enim delectatio vehementer infigit memoriæ quod trahit a lubricis sensibus. Hæc autem animæ consuetudo facta cum carne; propter carnalem affectionem, in Scripturis divinis caro nominatur. Hæc menti obluctatur, cum jam dici potest apostolicum illud : *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Sed in spiritualia mente suspensa atque ibi fixa et manente, etiam hujus consuetudinis impetus frangitur, et paulatim repressus exstinguitur. Major enim erat cum sequeremur ; non tamen omnino nullus, sed certe minor est cum eum refrenamus, atque ita certis regressibus ab omni lasciviente motu, in quo defectus essentiæ est animæ, delectatione in rationis numeros restituta ad Deum tota vita nostra convertitur, dans corpori numeros sanitatis, non accipiens inde lætitiam; quod corrupto exteriore homine, et ejus in melius commutatione continget.

## CAPUT XII. — *De numeris spiritualibus et æternis.*

34. Excipit autem memoria non solum carnales motus animi, de quibus numeris supra jam diximus; sed etiam spirituales, de quibus breviter dicam. Quo enim simpliciores sunt, eo verborum minus, sed plurimum serenæ mentis desiderant. Æqualitatem illam quam in sensibilibus numeris non reperiebamus certam et manentem, sed tamen adumbratam et prætereuntem agnoscebamus, nusquam profecto appeteret animus nisi alicubi nota esset : hoc autem alicubi non in spatiis locorum et temporum ; nam illa tument, et ista prætereunt. Ubi ergo censes, responde, quæso, si potes. Non enim in corporum formis putas, quas liquido examine æquales nunquam dicere audebis : aut in temporum intervallis, in quibus similiter utrum sit aliquid aliquanto quam oportet productius vel correptius quod sensum fugiat, ignoramus. Illam quippe æqualitatem quæro ubi esse arbitreris, quam intuentes cupimus æqualia esse quædam corpora vel corporum motus, et diligentius considerantes eis fidere non audemus. *D.* Ibi puto quod est coporibus excellentius; sed utrum in ipsa anima, an etiam supra animam nescio.

35. *M.* Si ergo quæramus artem istam rhythmicam vel metricam, qua utuntur qui versus faciunt, putasne habere aliquos numeros, secundum quos fabricant versus? *D.* Nihil aliud possum existimare. *M.* Quicumque isti sunt numeri, præterire tibi videntur cum versibus, an manere? *D.* Manere sane. *M.* Consentiendum est ergo, ab aliquibus manentibus numeris prætereuntes aliquos fabricari? *D.* Cogit me ratio consentire. *M.* Quid? hanc artem num aliud putas quam affectionem quamdam esse animi artificis? *D.* Ita credo. *M.* Credisne hanc affectionem etiam esse in eo, qui hujus artis imperitus est? *D.* Nullo modo. *M.* Quid? in illo qui oblitus est eam? *D.* Nec in illo quidem, quia et ipse imperitus est, etiamsi fuit peritus aliquando. *M.* Quid? si eum quisquam interrogando commemoret? remigrare ad eum putas illos numeros ab eo ipso qui interrogat; an illum intrinsecus apud mentem suam movere se ad aliquid, unde sibi quod amiserat redhibeatur? *D.* Apud semetipsum puto id agere. *M.* Num etiam quæ corripiatur syllaba, quæve producatur si penitus excidit, commoneri eum interrogando arbitraris; cum hominum prisco placito et consuetudine, aliis minor, aliis major mora syllabis data sit? Nam profecto si natura vel disciplina id fixum esset ac stabile, non recentioris temporis docti homines nonnullas produxissent quas corripuerunt antiqui, vel corripuissent quas produxerunt. *D.* Puto et hoc posse, quoniam quantumvis quidque excidat, potest interrogatione commemorante redire in memoriam. *M.* Mirum si opinaris, quovis interrogante posse te recordari quid ante annum cœnaveris. *D.* Fateor me non posse, nec illum jam existimo de syllabis posse, quarum spatia penitus oblitus est, interrogando admoneri. *M.* Cur ita, nisi quia in hoc nomine quod *Italia* dicitur, prima syllaba pro voluntate quorumdam hominum corripiebatur, et nunc pro aliorum voluntate producitur? Ut autem unum et duo non sint tria, et ut duo uni non duplo respondeant, nullus mortuorum potuit, nullus vivorum potest, nullus posterorum poterit facere. *D.* Nihil manifestius. *M.* Quid si ergo isto modo quo de uno et de duobus apertissime quæsivimus, cætera omnia, quæ ad illos numeros pertinent et ille interrogetur, qui non oblivisceudo, sed quia nunquam didicit, imperitus est? nonne eum censes similiter hanc artem exceptis syllabis posse cognoscere? *D.* Quis dubitaverit? *M.* Quo igitur se etiam istum moturum putas, ut menti ejus imprimantur hi numeri, et illam faciant affectio-

[1] A plerisque Mss. absunt isthæc verba : *Quam habere phantasias vel phantasmata pro cognitis, quæ cognoscuntur per sensum.*

nem quæ ars dicitur? an huic saltem ille interrogator eos dabit? *D.* Eo modo etiam istum arbitror apud semetipsum agere, ut ea quæ interrogantur, vera esse intelligat atque respondeat.

36. *M.* Age, nunc dic mihi utrum hi numeri de quibus sic quæritur, commutabiles esse tibi videantur. *D.* Nullo modo. *M.* Ergo æternos esse non negas. *D.* Imo fateor. *M.* Quid? metus ille non sub erit, ne aliqua nos in eis inæqualitas fallat[1]? *D.* Nihil me omnino est de istorum æqualitate securius. *M.* Unde ergo credendum est animæ tribui quod æternum est et incommutabile, nisi ab uno æterno et incommutabili Deo? *D.* Non video quid aliud credi oporteat. *M.* Quid tandem? illud nonne manifestum est, eum qui alio interrogante sese intus ad Deum movet, ut verum incommutabile intelligat; nisi eumdem motum suum memoria teneat, non posse ad intuendum illud verum, nullo extrinsecus admonente revocari? *D.* Manifestum est.

## CAPUT XIII. — *Animus unde fit ut a veritate incommutabili avertatur.*

37. *M.* Quæro ergo quonam iste ab hujuscemodi rerum contemplatione discedat, ut illum ad eam necesse sit memoria revocari. An forte in aliud intentus animus tali reditu indigere putandus est? *D.* Sic existimo. *M.* Videamus, si placet, quid tantum illud sit quo possit intendi, ut ab incommutabilis et summæ æqualitatis contemplatione avertatur. Nam tribus generibus amplius nihil video. Aut enim ad aliquid par atque ad ejusmodi aliud se intendit animus, cum hinc avertitur, aut ad superius, aut ad inferius. *D.* De cæteris duobus quærendum est: nam quid sit superius æterna æqualitate non video. *M.* Videsne illud, obsecro, quidnam ei par esse possit, quod tamen aliud sit? *D.* Ne id quidem video. *M.* Restat ergo ut quæramus, quid sit inferius. Sed nonne tibi prius ipsa anima occurrit, quæ certe æqualitatem illam incommutabilem esse confitetur, se autem agnoscit mutari eo ipso quod alias hanc, alias aliud intuetur; et hoc modo aliud atque aliud sequens varietatem temporis operatur, quæ in æternis et incommutabilibus nulla est? *D.* Assentior. *M.* Hæc igitur affectio animæ vel motus, quo intelligit æterna, et his inferiora esse temporalia, etiam in seipsa; et hæc appetenda potius quæ superiora sunt, quam illa quæ inferiora sunt novit: nonne tibi prudentia videtur? *D.* Nihil aliud videtur.

38. *M.* Quid illud? num minus considerandum putas quod nondum in ea simul est æternis inhærere, cum jam in ea sit nosse his esse inhærendum? *D.* Imo maxime ut id consideremus peto, et unde accidat scire cupio. *M.* Facile id videbis, si animadverteris quibus rebus maxime animum soleamus intendere, et magnam curam exhibere: nam eas opinor esse quas multum amamus: an tu alias opinaris? *D.* Nullas equidem alias. *M.* Dic, oro te, num possumus amare nisi pulchra? Nam etsi quidam videntur amare deformia, quos vulgo Græci σαπροφίλους vocant, interest tamen quanto minus pulchra sint quam illa quæ pluribus placent. Nam ea neminem amare manifestum est, quorum fœditate sensus offenditur. *D.* Ita est, ut dicis. *M.* Hæc igitur pulchra numero placent, in quo jam ostendimus æqualitatem appeti. Non enim hoc tantum in ea pulchritudine quæ ad aures pertinet, atque in motu corporum est, invenitur, sed in ipsis etiam visibilibus formis, in quibus jam usitatius dicitur pulchritudo. An aliud quam æqualitatem numerosam esse arbitraris, cum paria paribus bina membra respondent: quæ autem singula sunt, medium locum tenent, ut ad ea de utraque parte paria intervalla serventur? *D.* Non aliter puto. *M.* Quid in ipsa luce visibili quæ omnium colorum habet principatum, nam et color nos delectat in corporum formis; quid ergo aliud in luce et coloribus, nisi quod nostris oculis congruit, appetimus? Etenim a nimio fulgore aversamur, et nimis obscura nolumus cernere, sicut etiam in sonis et a nimium sonantibus abhorremus, et quasi susurrantia non amamus. Quod non in temporum intervallis est, sed in ipso sono, qui quasi lux est talium numerorum, cui sic est contrarium silentium, ut coloribus tenebræ. In his ergo cum appetimus convenientia pro naturæ nostræ modo, et inconvenientia respuimus, quæ aliis tamen animalibus convenire sentimus, nonne hic etiam quodam æqualitatis jure lætamur, cum occultioribus modis paria paribus tributa esse cognoscimus? Hoc in odoribus et in saporibus, et in tangendi sensu animadvertere licet, quæ longum est enucleatius persequi, sed explorare facillimum: nihil enim est horum sensibilium, quod nobis non æqualitate aut similitudine placeat. Ubi autem æqualitas aut similitudo, ibi numerositas; nihil est quippe tam æquale aut simile quam unum et unum: nisi quid habes ad hæc. *D.* Omnino assentior.

39. *M.* Quid? superior illa tractatio nonne persuasit nobis agere hæc animam in corporibus, non a corporibus pati? *D.* Persuasit sane. *M.* Amor igitur agendi adversus succedentes passiones corporis sui, avertit animam a contemplatione æternorum, sensibilis voluptatis cura ejus avocans intentionem: hoc autem agit occursoribus numeris. Avertit etiam amor de corporibus operandi, et inquietam facit: hoc autem agit progressoribus numeris. Avertunt phantasiæ atque phantasmata: et hæc agit recordabilibus numeris. Avertit denique amor vanissimæ cognitionis talium rerum: et hoc agit sensualibus numeris, quibus insunt quasi regulæ quædam artis imitatione gaudentes: et ex his curiositas nascitur ipso curæ nomine inimica securitati, et vanitate impos veritatis[1].

40. Generalis vero amor actionis, quæ avertit a vero, a superbia proficiscitur, quo vitio Deum imitari, quam Deo servire anima maluit. Recte itaque scriptum est in sanctis Libris: *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo;* et, *Initium omnis peccati superbia.* Non potuit autem melius demonstrari quid sit superbia, quam in eo quod ibi dictum est: *Quid superbit*

[1] Lov.: *Nos in eis æqualitas fallat.* Sex Mss., *inæqualitas.*

[1] Sic meliores Mss. At Am. et Er. habent: *Et sanitatis inops veritatisque.* Lov.: *Et vanitas opposita veritati.*

*terra et cinis, quoniam in vita sua projecit intima sua?* (*Eccli.* x, 14, 15, 9, 10.) Cum enim anima per seipsam nihil sit; non enim aliter esset commutabilis, et pateretur defectum ab essentia : cum ergo ipsa per se nihil sit, quidquid autem illi esse est, a Deo sit; in ordine suo manens, ipsius Dei præsentia vegetatur in mente atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quare superbia intumescere, hoc illi est in extima progredi, et ut ita dicam, inanescere, quod est minus minusque esse. Progredi autem in extima, quid est aliud quam intima projicere; id est, longe a se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu?

41. Iste autem animæ appetitus est sub se habere alias animas; non pecorum, quas divino jure concessum est, sed rationales, id est, proximas suas, et sub eadem lege socias atque consortes. De his autem appetit operari anima superba, et tanto excellentior videtur hæc actio quam illa de corporibus, quanto anima omnis omni corpore est melior. Sed operari de animis rationalibus, non per corpus, sed per seipsum, solus Deus potest. Peccatorum tamen conditione fit, ut permittantur animæ de animis aliquid agere, significando eas moventes per alterutra corpora, vel naturalibus signis, sicut est vultus vel nutus, vel placitis, sicut sunt verba. Nam et jubentes et suadentes signis agunt, et si quid est aliud præter jussionem et suasionem, quo animæ de animis vel cum animis aliquid agunt. Jure autem secutum est, ut quæ superbia cæteris excellere cupierunt, nec suis partibus atque corporibus sine difficultate et doloribus imperent, partim stultæ in se, partim mortalibus membris aggravatæ. Et his igitur numeris et motibus quibus animæ ad animas agunt, honores laudesque appetendo avertuntur a perspectione puræ illius et sinceræ veritatis. Solus enim honorat Deus animam beatam faciens in occulto coram se juste et pie viventem.

42. Motus igitur quos exserit anima de inhærentibus sibi, et subditis animis, progressoribus illis sunt similes; agit enim tanquam de corpore suo. Illi autem motus quos exserit, aggregare sibi aliquas vel subdere cupiens, in occursorum numero deputantur. Agit enim tanquam in sensibus id moliens, ut unum secum fiat, quod velut extrinsecus admovetur, et quod non potest repellatur. Et hos utrosque motus excipit memoria, et recordabiles facit, simili modo in phantasiis et phantasmatibus actionum talium tumultuosissime exæstuans. Nec illi tanquam examinatores numeri desunt, qui sentiant quid in his actibus commode sive incommode moveatur, quos item sensuales appellare non pigeat, quia sensibilia signa sunt quibus hoc modo animæ ad animas agunt. His tot et tantis intentionibus anima implicata, quid mirum, si a contemplatione veritatis avertitur? Et quantum quidem ab his respirat videt illam; sed quia nondum eas evicit, in illa manere non sinitur. Ex quo fit ut non simul habeat anima nosse in quibus consistendum sit, et posse consistere : sed numquid tu forte adversus hæc? *D.* Nihil est quod contradicere audeam.

CAPUT XIV. — *Ad Dei amorem provocatur anima ex numerorum et ordinis ratione quam in rebus diligit.*

43. *M.* Quid ergo restat? An ut, quoniam sicut potuimus inquinationem et aggravationem animæ consideravimus, videamus quænam illi actio divinitus imperetur, qua purgata atque exonerata revolet ad quietem, et intret in gaudium Domini sui? *D.* Ita fiat. *M.* Quid me putas hinc diutius debere dicere, cum divinæ Scripturæ tot voluminibus et tanta auctoritate et sanctitate præditis, nihil nobiscum aliud agant, nisi ut diligamus Deum et Dominum nostrum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente; et diligamus proximum nostrum tanquam nosmetipsos? Ad hunc igitur finem si omnes illos humanæ actionis motus, numerosque referamus, sine dubitatione mundabimur. An aliud existimas? *D.* Nihil equidem aliud. Sed quam hoc auditu breve est, tam factu difficile atque arduum.

44. *M.* Quid ergo facile est? an amare colores, et voces, et placentas, et rosas, et corpora leniter mollia? hæccine amare facile est animæ, in quibus nihil nisi æqualitatem ac similitudinem appetit, et paulo diligentius considerans, vix ejus extremam umbram vestigiumque cognoscit; et Deum amare difficile est, quem in quantum potest, adhuc saucia et sordida cogitans, nihil in eo inæquale, nihil sui dissimile, nihil disclusum locis, nihil variatum tempore suspicatur? An exstruere moles ædificiorum, et hujuscemodi operibus delectat extendi, in quibus si numeri placent (non enim aliud invenio) quid in his æquale ac simile dicitur [1], quod non derideat ratio disciplinæ? Quod si ita est, cur ab illa verissima æqualitatis arce ad ista delabitur, et ruinis suis terrenas machinas erigit? Non hoc promissum est ab illo qui fallere ignorat. *Jugum enim meum*, inquit, *leve est* (*Matth.* xi, 30). Laboriosior est hujus mundi amor. Quod enim in illo anima quærit, constantiam scilicet æternitatemque, non invenit : quoniam rerum transitu completur infima pulchritudo, et quod in illa imitatur constantiam, a summo Deo per animam trajicitur : quoniam prior est species tantummodo tempore commutabilis, quam ea quæ et tempore et locis (*a*). Sicut itaque præceptum est animis a Domino quid diligant, ita per Joannem apostolum quid non diligant. *Nolite*, inquit, *diligere mundum : quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* ii, 15, 16).

45. Sed qualis tibi homo videtur, qui omnes illos numeros qui sunt de corpore, et adversus passiones corporis, et qui ex his memoria continentur, non ad carnalem voluptatem, sed ad salutem tantum corporis refert : omnesque illos qui de adjunctis animis operantur, vel qui ad adjungendas exseruntur, et qui ex his inhærent memoriæ, non ad superbam excellentiam suam, sed ad ipsarum animarum utilitatem re-

[1] Er. et Lov.: *In quibus quid nisi numeri placent? Non enim aliud invenio quod in his æquale ac simile dicatur.* Elegimus lectionem manuscriptorum.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 11, n. 4.

digit : illis etiam qui in utroque genere quasi moderatores exploratoresque cæterorum transeuntium in sensu præsident, non ad superfluam vel perniciosam curiositatem, sed ad necessariam probationem vel improbationem utitur : nonne et istos omnes numeros agit, et nullis eorum laqueis implicatur ? Quandoquidem et salutem corporis ut non impediatur eligit, et omnes eas actiones ad utilitatem proximi revocat, quem propter communis juris naturale vinculum tanquam seipsum diligere jussus est. *D.* Magnum quemdam virum et vere humanissimum prædicas.

46. *M.* Non igitur numeri qui sunt infra rationem et in suo genere pulchri sunt, sed amor inferioris pulchritudinis animam polluit : quæ cum in illa non modo æqualitatem, de qua pro suscepto opere satis dictum est, sed etiam ordinem diligat, amisit ipsa ordinem suum ; nec tamen excessit ordinem rerum, quandoquidem ibi est, et ita est, ubi esse, et quomodo esse tales, ordinatissimum est. Aliud enim est tenere ordinem, aliud ordine teneri. Tenet ordinem, seipsa tota diligens quod supra se est, id est Deum, socias autem animas tanquam seipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur [1]. Quod autem illam sordidat, non est malum, quia etiam corpus creatura Dei est, et specie sua quamvis infima decoratur, sed præ animæ dignitate contemnitur ; sicuti auri dignitas, etiam purgatissimi argenti commixtione sordescit. Quapropter quicumque de nostra quoque pœnali [2] mortalitate numeri facti sunt, non eos abdicemus a fabricatione divinæ providentiæ, cum sint in genere suo pulchri. Neque amemus eos, ut quasi perfruendo talibus beati efficiamur. His etenim, quoniam temporales sunt, tanquam tabula in fluctibus, neque abjiciendo quasi onerosos, neque amplectendo quasi fundatos, sed bene utendo carebimus. A dilectione autem proximi tanta quanta præcipitur, certissimus gradus fit nobis, ut inhæreamus Deo, et non teneamur tantum ordinatione illius, sed nostrum etiam ordinem inconcussum certumque teneamus.

47. An fortasse ordinem non diligit anima illis etiam numeris sensualibus attestantibus? Unde ergo primus pes est pyrrhichius, secundus iambus, tertius trochæus, et deinceps cæteri ? Sed jure hoc dixeris rationem potius secutam esse, non sensum. Quid itaque, illud nonne sensualibus numeris dandum est, quod cum tantum temporis occupent, verbi gratia, octo longæ syllabæ, quantum sexdecim breves, in eodem tamen spatio breves longis potius misceri exspectant ? De quo sensu cum ratio judicat, et ei proceleumatici pedes esse æquales spondeis pedibus renuntiantur, nihil aliud hic valere invenit, quam ordinationis potentiam, quia nec longæ syllabæ nisi brevium comparatione longæ sunt, nec breves rursum breves sunt nisi comparatione longarum : ideoque iambicus versus quamlibet productius pronuntiatus, non amissa regula simpli et dupli, nec nomen amittit : at ille versus qui pyrrhichiis pedibus constat, paulatim addita pronuntiandi mora, fit repente spondiacus, si non grammaticam, sed musicam consulas. At vero si dactylicus aut anapæsticus sit, quoniam longæ mixtarum brevium comparatione sentiuntur, qualibet mora pronuntietur, servat nomen suum. Quid additamenta semipedum non eadem lege in capite qua in fine servanda, nec omnia quamvis ad eumdem plausum coaptentur, adhibenda? quid duarum aliquando brevium potius, quam unius longæ in fine positio ? nonne ipso sensu modificantur ? Nec in his æqualitatis numerus, cui nihil deperit, sive illud sive aliud sit, sed ordinis vinculum reperitur. Longum est percurrere cætera ad eamdem vim pertinentia in numeris temporum. Sed nempe etiam formas visibiles sensus ipse aspernatur, aut pronas contra quam decet, aut capite deorsum, et similia, in quibus non inæqualitas, manente partium parilitate, sed perversitas improbatur. Postremo in omnibus sensibus et operibus nostris, cum insolita pleraque, et ob hoc injucunda quibusdam gradibus appetitui nostro conciliamus, et ea primo tolerabiliter, deinde libenter accipimus ; nonne ordine conteximus voluptatem, et nisi priora mediis, et media postremis concorditer nexa sint, abhorremus ?

48. Quamobrem neque in voluptate carnali, neque in honoribus et laudibus hominum, neque in eorum exploratione quæ forinsecus corpus attingunt, nostra gaudia collocemus, habentes in intimo Deum, ubi certum est et incommutabile omne quod amamus. Ita fit, ut et cum adsunt hæc temporalia, non tamen eis implicemur, et sine sensu doloris quæ extra corpus sunt, absint : ipsum autem corpus, aut nullo, aut non gravi sensu doloris adimatur, et reformandum naturæ suæ morte reddatur. Attentio namque animæ ad corporis [1] partem inquieta negotia contrahit, et universali lege neglecta privati cujusdam operis amor, quod ipsum tamen ab universitate quam Deus regit non potest alienari. Itaque subditur legibus qui non amat leges.

CAPUT XV. — *Corporales numeros post resurrectionem aget anima quiete. Virtutes quatuor quibus hic anima perficitur.*

49. Sed si de rebus incorporeis et eodem modo se semper habentibus, plerumque attentissime cogitantes, si quos forte illo tempore agimus numeros temporales in quolibet corporis motu, facili sane atque usitatissimo, sive deambulantes, sive psallentes, prorsus nobis ignorantibus transeunt, quamvis nobis non agentibus nulli essent : si denique in ipsis nostris inanibus phantasmatibus cum occupati sumus, similiter ista prætereunt agentibus nec sentientibus nobis : quanto magis quantoque constantius, *cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53), id est, ut hoc idem planius eloquar, cum Deus vivificaverit mortalia corpora nostra, sicut Apostolus dicit, *propter spiritum manentem in nobis* (*Rom.* VIII, 11) : quanto ergo tunc

[1] Ita Mss. undecim. At Am. Er. et Lov. habent, *ordinatur*.
[2] Lov., *parili mortalitate*. Sed melius Am. et Er. cum Mss., *pœnali* ; uti supra, n. 33 : *Quæ de nostra pœnali mortalitate formatur*.

[1] Legitur in pluribus Mss., *in temporis partem*.

magis in unum Deum et perspicuam intenti veritatem, ut dictum est, *facie ad faciem*, numeros quibus agimus corpora, nulla inquietudine sentiemus, et gaudebimus? Nisi forte credendum est, animam cum de iis quæ per ipsam bona sunt, gaudere possit, de iis ex quibus ipsa bona est, non posse gaudere.

50. Sed hæc actio qua sese anima, opitulante Deo et Domino suo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans atque interficiens adversus se militantem consuetudinem suam, ea victoria triumphatura in semetipsa de potestatibus aeris hujus, quibus invidentibus et præpedire cupientibus, evolat ad suam stabilitatem et firmamentum Deum; nonne tibi videtur ea esse virtus quæ temperantia dicitur? *D.* Agnosco et intelligo. *M.* Quid porro? cum in hoc itinere proficit, jam æterna gaudia præsentientem ac pene prehendentem, num amissio rerum temporalium, aut mors ulla deterret jam valentem dicere inferioribus sociis : *Bonum est mihi dissolvi, et esse cum Christo : manere autem in carne, necessarium propter vos?* (*Philipp.* I, 23, 24.) *D.* Sic existimo. *M.* At ista ejus affectio qua nullas adversitates mortemve formidat, quid aliud quam fortitudo dicenda est? *D.* Et hoc agnosco. *M.* Jamvero ipsa ejus ordinatio qua nulli servit nisi uni Deo, nulli coæquari nisi purissimis animis, nulli dominari appetit nisi naturæ bestiali atque corporeæ, quæ tandem virtus tibi esse videtur? *D.* Quis non intelligat hanc esse justitiam? *M.* Recte intelligis.

CAPUT XVI. — *De quatuor virtutibus an et quomodo sint in beatis.*

51. Sed illud jam quæro, cum prudentiam superius (*a*) eam esse constiterit inter nos, qua intelligit anima ubi ei consistendum sit, quo sese attollit per temperantiam, id est, conversionem amoris in Deum, quæ charitas dicitur, et aversionem ab hoc sæculo, quam etiam fortitudo et justitia comitantur; utrum existimes cum ad suæ dilectionis et conatus fructum perfecta sanctificatione pervenerit, perfecta etiam vivificatione illa corporis sui, et deletis de memoria phantasmatum turbis, apud Deum ipsum solo Deo vivere cœperit, cum impletum fuerit, quod divinitus nobis hoc modo promittitur : *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes illi erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2) : quæro ergo, utrum existimes has ibi virtutes quas commemoravimus, etiam tunc futuras. *D.* Non video, cum adversa præterierint, quibus obluctatur, quomodo aut prudentia ibi esse possit, quæ non eligit quid sequatur nisi in adversis; aut temperantia, quæ amorem non avertit nisi ab adversis; aut fortitudo, quæ non tolerat nisi adversa; aut justitia, quæ non appetit æquari beatissimis animis, et inferiori naturæ dominari, nisi in adversis, id est, nondum assecuta idipsum quod appetit.

52. *M.* Non usquequaque absurda est responsio tua; et quibusdam doctis visum hoc esse, non nego. Sed ego consulens Libros, quos nulla antecellit auctoritas, ita invenio dictum esse : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Quod apostolus etiam Petrus sic interposuit : *Si tamen gustastis, quoniam suavis est Dominus* (I *Petr.* II, 3). Hoc esse arbitror quod agitur in his virtutibus quæ ipsa conversione animam purgant. Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliqua suavitate æternarum. Ubi autem ventum fuerit ad illud quod canitur : *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt; inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ* : non jam gustatu suavem fore Dominum dicit; sed vides quæ inundatio et affluentia prædicetur fontis æterni; quam etiam ebrietas quædam consequitur: quo nomine mihi videtur mirabiliter significari oblivio illa sæcularium vanitatum atque phantasmatum. Contexit deinde cætera, et dicit : *In lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te. In lumine*, scilicet in Christo accipiendum, qui Sapientia Dei est, et lumen toties appellatur. Ubi ergo dicitur, *Videbimus*, et, *scientibus te*, negari non potest futuram ibi esse prudentiam. An videri verum bonum animæ et sciri potest, ubi nulla prudentia est? *D.* Jam intelligo.

53. *M.* Quid? recti corde possunt esse sine justitia? *D.* Recognosco isto nomine crebrius significari justitiam. *M.* Quid ergo admonet aliud propheta idem consequenter, cum canit : *Et justitiam tuam iis qui recto sunt corde? D.* Manifestum est. *M.* Age deinceps, recordare, si placet, satis nos superius tractasse, superbia labi animam ad actiones quasdam potestatis suæ, et universali lege neglecta in agenda quædam privata cecidisse, quod dicitur apostatare a Deo. *D.* Memini vero. *M.* Cum ergo id agit ne ulterius id delectet aliquando, nonne tibi videtur amorem suum figere in Deo, et ab omni inquinamento temperatissime et castissime et securissime vivere? *D.* Videtur sane. *M.* Vide etiam quemadmodum id quoque adjungat propheta, dicens : *Non veniat mihi pes superbiæ.* Pedem enim appellans discessum ipsum lapsumve significat, a quo anima temperando, inhærens Deo vivit in æternum. *D.* Accipio et sequor.

54. *M.* Restat igitur fortitudo. Sed ut temperantia contra lapsum qui est in libera voluntate; sic fortitudo contra vim valet, qua etiam cogi quis potest, si minus fortis sit ad ea quibus evertatur, et miserrimus jaceat. Hæc autem vis decenter in Scripturis manus nomine significari solet. Qui porro hanc vim, nisi peccatores conantur inferre? Quod tunc per idipsum [1] communitur anima, et custoditur firmamento Dei, ut hoc illi nullo modo undecumque possit accidere; potentiam quamdam stabilem, et, ut ita dicam, impassibilem gerit, quæ, nisi quid tibi displicet, recte fortitudo nominatur, et eam dici arbitror cum adjungitur : *Neque manus peccatorum dimoveat me* (*Psal.*

(*a*) Cap. 13, 37.

[1] Ita editiones et melioris notæ Mss. Porro in editis nonnullis habetur : *Quod autem contra id ipsum communitur anima.*

xxxv, 8-12).

55. Sed sive hoc sive aliud in his verbis intelligendum sit, tu negabis in illa perfectione ac beatitate animam constitutam, et conspicere veritatem, et immaculatam manere, et nihil molestiæ pati posse, et uni Deo subdi, cæteris vero supereminere naturis? *D.* Imo aliter eam perfectissimam et beatissimam esse posse non video. *M.* Hæc ergo contemplatio, sanctificatio, impassibilitas, ordinatio ejus, aut illæ sunt quatuor virtutes perfectæ atque consummatæ; aut ne de nominibus cum res conveniant, frustra laboremus, pro istis virtutibus, quibus constituta in laboribus utitur anima, tales quædam potentiæ in æterna ei vita sperandæ sunt.

CAPUT XVII. — *Quod peccatrix anima numeros agat, et numeris agatur. Conclusio operis.*

56. Nos tantum meminerimus, quod ad susceptam præsentem disputationem maxime pertinet, id agi per providentiam Dei, per quam cuncta creavit et regit, ut etiam peccatrix et ærumnosa anima numeris agatur, et numeros agat usque ad infimam carnis corruptionem : qui certe numeri minus minusque pulchri esse possunt, penitus vero carere pulchritudine non possunt. Deus autem summe bonus, et summe justus, nulli invidet pulchritudini, quæ sive damnatione animæ, sive regressione, sive permansione fabricatur. Numerus autem et ab uno incipit, et æqualitate ac similitudine pulcher est, et ordine copulatur. Quamobrem quisquis fatetur nullam esse naturam, quæ non ut sit quidquid est, appetat unitatem, suique similis n quantum potest esse conetur, atque ordinem proprium vel locis vel temporibus, vel in corpore [1] quodam libramento salutem suam teneat : debet fateri ab uno principio per æqualem illi ac similem speciem divitiis bonitatis ejus, qua inter se unum et de uno unum charissima [2], ut ita dicam, charitate junguntur, omnia facta esse atque condita quæcumque sunt, in quantumcumque sunt.

57. Quare ille versus a nobis propositus, *Deus creator omnium*, non solum auribus sono numeroso, sed multo magis est animæ sententiæ sanitate et veritate gratissimus. Nisi forte movet te tarditas eorum, ut mitius loquar, qui negant de nihilo fieri posse aliquid, cum id omnipotens Deus fecisse dicatur. An vero faber potest rationabilibus numeris qui sunt in arte ejus, sensuales numeros qui sunt in consuetudine ejus operari; et sensualibus numeris progressores illos quibus membra in operando movet, ad quos jam intervalla temporum pertinent, et his rursus formas visibiles de ligno fabricari, locorum intervallis numerosas : et rerum natura Dei nutibus serviens, ipsum lignum de terra et cæteris elementis facere non potest; et ipsa extrema non poterat de nullo [1]? Imo et arboris locales numeros, temporales numeri antecedant necesse est. Nullum est enim stirpium genus quod non certis pro suo semine dimensionibus temporum et coalescat, et germinet, et in auras emicet, et folia explicet, et roboretur, et sive fructum, sive ipsius ligni occultissimis numeris vim rursus seminis referat : quanto magis animalium corpora, in quibus intervalla membrorum numerosam parilitatem multo magis aspectibus offerunt? An ista de elementis fieri possunt, et ipsa elementa non potuerunt fieri de nihilo? Quasi vero quidquam sit in eis vilius et abjectius quam terra est. Quæ primo generalem speciem coporis habet, in qua unitas quædam et numeri et ordo esse convincitur. Namque ab aliqua impertili nota [2] in longitudinem necesse est porrigatur quælibet ejus quantumvis parva particula, tertiam latitudinem sumat, et quartam altitudinem qua corpus impletur. Unde ergo iste a primo usque ad quartum progressionis modus? Unde et æqualitas quoque partium, quæ in longitudine et latitudine et altitudine reperitur? Unde corrationalitas quædam (ita enim malui analogiam vocare), ut quam rationem habet longitudo ad impertilem notam, eamdem latitudo ad longitudinem, et ad latitudinem habeat altitudo? Unde, quæso, ista, nisi ab illo summo atque æterno principatu numerorum et similitudinis et æqualitatis et ordinis veniunt? Atqui hæc si terræ ademeris, nihil erit. Quocirca omnipotens Deus terram fecit, et de nihilo terra facta est.

58. Quid porro? ipsa species qua item a cæteris elementis terra discernitur, nonne et unum aliquid quantum accepit ostentat, et nulla pars ejus a toto est dissimilis, et earumdem partium connexione atque concordia suo genere saluberrimam sedem infimam tenet? Cui superfunditur aquarum natura, nitens et ipsa ad unitatem, speciosior et perlucidior propter majorem similitudinem partium, et custodiens locum ordinis et salutis suæ. Quid de aeris natura dicam, multo faciliore complexu ad unitatem nitente, et tanto speciosiore aquis, quam illæ terris sunt, tantoque superiore ad salutem [3]? Quid de cœli supremo ambitu, quo tota universitas visibilium corporum terminatur, et summa in hoc genere species, ac saluberrima loci excellentia? Ista certe omnia quæ carnalis sensus ministerio numeramus, et quæcumque in eis sunt, locales numeros qui videntur esse in aliquo statu, nisi præcedentibus intimis et in silentio temporalibus numeris qui sunt in motu, nec accipere illos possunt, nec habere. Illos itidem temporum intervallis agiles præce-

[1] Er. et Lov., *incorporeō quodam libramento*. Aliquot Mss., *in corporeo quodam*. At Am. et codices plerique veteres præferunt, *in corpore quodam* : quod magis probamus.

[2] Insignior iste de Trinitate locus in editionibus Er. et Lov. necnon in recentioribus aliquot Mss. ita corrupte legitur : *Qua inter se unum et duo charissima, ut ita dicam.* In editione autem Am. : *Qua inter se unum et de uno unum charisma : et ut ita dicam.* Redintegravimus totum ad libros veteres optimæ notæ.

[1] Expungenda videretur particula negans, nisi exstaret in Mss. a quibus tamen cum absint sequentia verba, scilicet, *et ipsa extrema non poterat de nullo*, fatemur non tantam iis fidem esse tribuendam hoc loco, qui librariorum lapsu vitiatus sit.

[2] Lov., *imparili nota*. Et rursum inferius, *imparilem notam*. Sed melius Am. et Er. cum aliquot Mss., *impertili* et *impertilem* : nam hic nomine notæ intelligitur punctum seu signum unde linea ducitur ; quod in libro de Quantitate Animæ, cap. 11, n. 18, sic definitur : « Nota sine partibus.»

[3] Lov.: *Et tanto speciosiore, quanto speciosiores aquæ sunt terris, quantoque ad superiorem salutem altior terra nititur.*

dit et modificat vitalis motus, serviens Domino rerum omnium, non temporalia habens digesta intervalla numerorum suorum, sed tempora ministrante potentia; supra quam rationales et intellectuales numeri beatarum animarum atque sanctarum, legem ipsam Dei, sine qua folium de arbore non cadit, et cui nostri capilli numerati sunt, nulla interposita natura excipientes, usque ad terrena et inferna jura transmittunt (*a*).

CONCLUSIO OPERIS.

59. Quæ potui et sicut potui de tantis tantillus tecum contuli. Sermonem autem hunc nostrum mandatum litteris si qui legunt, sciant multo infirmioribus hæc esse scripta, quam sunt illi qui unius summi Dei consubstantialem et incommutabilem Trinitatem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia duorum Testamentorum auctoritatem secuti venerantur et colunt eam credendo, sperando et diligendo. Hi enim non scintillantibus humanis ratiocinationibus, sed validissimo et flagrantissimo charitatis igne purgantur. Nos autem dum negligendos esse non existimamus quos hæretici rationis et scientiæ fallaci pollicitatione decipiunt; tardius incedimus, consideratione ipsarum viarum, quam sancti viri qui eas volando non dignantur attendere. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesiæ catholicæ matris optimæ filios, qui puerilibus studiis loquendi ac disserendi facultatem quantum satis est consecuti essent, eadem refellendorum hæreticorum necessitate fecisse videremus.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 1, n. 4.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTE LIBRO DE MAGISTRO.

Opusculi sequentis ætatem prodit ipse ejus auctor in libro nono Confessionum, capite sexto, ubi prænotato quod « annorum ferme quindecim erat » Adeodatus quando ipsi sociisque Mediolanum Baptismi percipiendi causa pergentibus comes adjunctus est, testatur subinde hunc dialogum cum illo tum habitum fuisse, « cum esset in annis sexdecim, » id est anno secundo ab ipsorum baptismate, quo certe initiati fuere anno Christi 387. Quapropter libris de Genesi contra Manichæos, et de Musica, qui circiter annum 389 perfecti fuerant, recensitis, adjecit Augustinus in libro primo Retractationum, capite duodecimo, se librum de Magistro per idem tempus scripsisse.

S. AUGUSTINUS, LIB. IX CONFESS., CAP. VI.

« Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, et ingenio præveniebat multos graves et doctos viros.... Munera tua tibi confiteor... Est liber noster qui inscribitur de Magistro : ipse ibi mecum loquitur. Tu scis illius esse sensa omnia quæ inseruntur ibi ex persona collocutoris mei, cum esset in annis sexdecim. Multa ejus alia mirabiliora expertus sum. Horrori mihi erat illud ingenium... »

*Vide præterea librum* 1, *cap.* 12, Retractationum, *col.* 602, *a verbis,* Per idem tempus, *usque ad verba,* Velle cum loquimur? M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE MAGISTRO

## Liber unus. (*a*)

In quo de verborum vi atque officio disputatur copiose, quo demum non verbis quæ foris homo personat, sed æterna veritate intus docente scientiam rerum obtineri evincatur.

CAPUT PRIMUM. — *Locutio ad quid instituta.*

1. Augustinus : Quid tibi videmur efficere velle cum loquimur? Adeodatus : Quantum quidem mihi nunc occurrit, aut docere, aut discere. *Aug.* Unum horum video et assentior : nam loquendo nos docere velle manifestum est; discere autem quomodo? *Ad.* Quo tandem censes, nisi cum interrogamus? *Aug.* Etiam tunc nihil aliud quam docere nos velle intelligo. Nam quæro abs te, utrum ob aliam causam interroges, nisi ut cum quem interrogas doceas quid velis? *Ad.*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Collatus est (hic liber) cum Mss. Fiscannensi, Michaelino, Beccensi, Victorinis tribus, Navarricis duobus, Remensis ecclesiæ uno, Vaticanæ Bibliothecæ uno; cum lectionibus trium Belgicorum per Lovanienses vulgatis; cumque editionibus Bad. Am. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus circiter annum Christi 389.

Verum dicis. *Aug.* Vides ergo jam nihil nos locutione, nisi ut doceamus appetere. *Ad.* Non plane video : nam si nihil est aliud loqui quam verba promere, video nos id facere cum cantamus. Quod cum soli sæpe facimus, nullo præsente qui discat, non puto nos docere aliquid velle. *Aug.* At ego puto esse quoddam genus docendi per commemorationem, magnum sane, quod in nostra hac sermocinatione res ipsa indicabit. Sed si tu non arbitraris nos discere cum recordamur, nec docere illum qui commemorat, non resisto tibi : et duas jam loquendi causas constituo, aut ut doceamus, aut ut commemoremus vel alios vel nosmetipsos; quod etiam dum cantamus, efficimus : an tibi non videtur? *Ad.* Non prorsus : nam rarum admodum est, ut ego cantem commemorandi me gratia, sed tantummodo delectandi. *Aug.* Video quid sentias. Sed nonne attendis id quod te delectat in cantu modulationem quamdam esse soni; quæ quoniam verbis et addi et detrahi potest, aliud est loqui, aliud est cantare? Nam et tibiis et cithara cantatur, et aves cantant, et nos interdum sine verbis musicum aliquid sonamus, qui sonus cantus dici potest, locutio non potest : an quidquam est quod contradicas? *Ad.* Nihil sane.

2. *Aug.* Videtur ergo tibi, nisi aut docendi, aut commemorandi causa non esse institutam locutionem? *Ad.* Videretur, nisi me moveret quod dum oramus, utique loquimur; nec tamen Deum aut doceri aliquid a nobis, aut commemorari fas est credere. *Aug.* Nescire te arbitror non ob aliud nobis præceptum esse ut in clausis cubiculis oremus (*Matth.* VI, 6), quo nomine significantur mentis penetralia, nisi quod Deus, ut nobis quod cupimus præstet, commemorari aut doceri nostra locutione non quærit. Qui enim loquitur, suæ voluntatis signum foras dat per articulatum sonum : Deus autem in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior vocatur, et quærendus et deprecandus est; hæc enim sua templa esse voluit. An apud Apostolum non legisti, *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16); et, *In interiore homine habitare Christum*? (*Ephes.* III, 16, 17.) Nec in propheta animadvertisti, *Dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini : sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*? (*Psal.* IV, 5, 6.) Ubi putas sacrificium justitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, et in cubilibus cordis? Ubi autem sacrificandum est, ibi et orandum. Quare non opus est locutione cum oramus, id est sonantibus verbis, nisi forte, sicut sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, et consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum : an tu aliud existimas? *Ad.* Omnino assentior. *Aug.* Non te ergo movet quod summus Magister cum orare doceret discipulos, verba quædam docuit (*Matth.* VI, 9); in quo nihil aliud videtur fecisse, quam docuisse quomodo in orando loqui oporteret? *Ad.* Nihil me omnino istud movet : non enim verba, sed res ipsas eos verbis docuit, quibus et seipsi commonefacerent, a quo, et quid esset orandum, cum in penetralibus, ut dictum est, mentis orarent. *Aug.* Recte intelligis : simul enim te credo animadvertere, etiamsi quisquam contendat, quamvis nullum edamus sonum, tamen quia ipsa verba cogitamus, nos intus apud animum loqui, sic quoque locutione nihil aliud agere quam commonere, cum memoria cui verba inhærent, ea revolvendo facit venire in mentem res ipsas quarum signa sunt verba. *Ad.* Intelligo ac sequor.

### CAPUT II. —*Verborum significatus nonnisi verbis ab homine ostenditur.*

3. *Aug.* Constat ergo inter nos verba signa esse. *Ad.* Constat. *Aug.* Quid? signum, nisi aliquid significet, potest esse signum? *Ad.* Non potest. *Aug.* Quot verba sunt in hoc versu,

Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui?

(*Æneid. lib.* 2, *v.* 659.)

*Ad.* Octo. *Aug.* Octo ergo signa sunt. *Ad.* Ita est. *Aug.* Credo te hunc versum intelligere. *Ad.* Satis arbitror. *Aug.* Dic mihi quid singula verba significent. *Ad.* Video quidem quid significet, *si;* sed nullum aliud verbum, quo id exponi possit, invenio. *Aug.* Saltem illud invenis, quidquid significatur hoc verbo, ubinam sit? *Ad.* Videtur mihi quod, *si*, dubitationem significet : jam dubitatio, ubi nisi in animo est? *Aug.* Accipio interim; persequere cætera. *Ad. Nihil*, quid aliud significat, nisi id quod non est? *Aug.* Verum fortasse dicis : sed revocat me ab assentiendo quod superius concessisti, non esse signum nisi aliquid significet; quod autem non est, nullo modo esse aliquid potest. Quare secundum verbum in hoc versu non est signum, quia non significat aliquid; et falso inter nos constitit, quod omnia verba signa sint, aut omne signum aliquid significet. *Ad.* Nimis quidem urges; sed quando non habemus quid significemus, omnino stulte verbum aliquod promimus : tu autem nunc mecum loquendo, credo quod nullum sonum frustra emittis, sed omnibus quæ ore tuo erumpunt, signum mihi das ut intelligam aliquid; quapropter non te oportet istas duas syllabas enuntiare dum loqueris, si per eas non significas quidquam. Si autem vides necessariam per eas enuntiationem fieri, nosque doceri vel commoneri cum auribus insonant, vides etiam profecto quid velim dicere, sed explicare non possum. *Aug.* Quid igitur facimus? An affectionem animi quamdam, cum rem non videt, et tamen non esse invenit, aut invenisse se putat, hoc verbo significari dicimus potius, quam rem ipsam quæ nulla est? *Ad.* Istud ipsum est fortasse quod explicare moliebar. *Aug.* Transeamus ergo hinc, quoquo modo se habet, ne res absurdissima nobis accidat. *Ad.* Quæ tandem? *Aug.* Si nihil nos teneat, et moras patiamur. *Ad.* Ridiculum hoc quidem est, et tamen nescio quomodo video posse contingere; imo plane video contigisse.

4. *Aug.* Suo loco genus hoc repugnantiæ, si Deus siverit, planius intelligemus : nunc ad illum versum te refer, et conare, ut potes, cætera ejus verba quid significent pandere. *Ad.* Tertia præpositio est, *ex*, pro qua, *de*, possumus, ut arbitror, dicere. *Aug.* Non id quæro, ut pro una voce notissima aliam vocem æque notissimam, quæ idem significet dicas; si tamen idem significat : sed interim concedamus ita esse. Certe si poeta iste non, *ex tanta urbe*, sed, *de tanta*, dixisset, quæreremus

que abs te quid, *de*, significaret; diceres, *ex*, cum hæc duo verba essent, id est signa, unum aliquid, ut tu putas, significantia : ego autem idipsum, nescio quid unum, quod his duobus signis significatur, inquiro. *Ad.* Mihi videtur secretionem quamdam significare ab ea re in qua fuerat aliquid, quod ex illa esse dicitur, sive illa non maneat, ut in hoc versu, non manente urbe, poterant aliqui ex illa esse Trojani : sive maneat, sicut ex urbe Roma dicimus esse negotiatores in Africa. *Aug.* Ut concedam tibi hæc ita esse, nec enumerem quam multa fortasse præter hanc tuam regulam reperiantur; illud certe tibi attendere facile est, exposuisse te verbis verba, id est signis signa, eisdemque notissimis notissima : ego autem illa ipsa quorum hæc signa sunt, mihi, si posses, vellem ut ostenderes.

CAPUT III. — *An res aliqua monstrari absque signo possit.*

5. *Ad.* Miror te nescire, vel potius simulare nescientem, responsione mea fieri quod vis omnino non posse; siquidem sermocinamur, ubi non possumus respondere nisi verbis. Tu autem res quæris eas quæ, quodlibet sint, verba certe non sunt, quas tamen ex me tu quoque verbis quæris. Prior itaque tu sine verbis quære, ut ego deinde ista conditione respondeam. *Aug.* Jure agis, fateor : sed si quærerem istæ tres syllabæ quid significent, cum dicitur, Paries, nonne posses digito ostendere, ut ego prorsus rem ipsam viderem, cujus signum est hoc trisyllabum verbum, demonstrante te, nulla tamen verba referente. *Ad.* Hoc in solis nominibus quibus corpora significantur, si eadem corpora præsentia sint, fieri posse concedo. *Aug.* Num colorem corpus dicimus, an non potius quamdam corporis qualitatem? *Ad.* Ita est. *Aug.* Cur ergo et hic digito demonstrari potest? An addis corporibus etiam corporum qualitates, ut nihilominus etiam istæ cum præsentes sunt, doceri sine verbis possint? *Ad.* Ego cum corpora dicerem, omnia corporalia intelligi volebam, id est omnia quæ in corporibus sentiuntur. *Aug.* Considera tamen, utrum etiam hinc aliqua tibi excipienda sint. *Ad.* Bene admones : non enim omnia corporalia, sed omnia visibilia dicere debui. Fateor enim sonum, odorem, saporem, gravitatem, calorem, et alia quæ ad cæteros sensus pertinent, quanquam sentiri sine corporibus nequeant, et propterea sint corporalia, non tamen digito posse monstrari. *Aug.* Nunquamne vidisti ut homines cum surdis gestu quasi sermocinentur, ipsique surdi non minus gestu, vel quærant, vel respondeant, vel doceant, vel indicent aut omnia quæ volunt, aut certe plurima? Quod cum fit, non utique sola visibilia sine verbis ostenduntur, sed et soni et sapores, et cætera hujusmodi. Nam et histriones totas in theatris fabulas sine verbis saltando plerumque aperiunt et exponunt. *Ad.* Nihil habeo quod contradicam, nisi quod illud, *ex*, non modo ego, sed nec ipse quidem saltator histrio tibi sine verbis quid significet posset ostendere.

6. *Aug.* Verum fortasse dicis : sed fingamus eum posse; non, ut arbitror, dubitas, quisquis ille motus corporis fuerit, quo mihi rem quæ hoc verbo significatur, demonstrare conabitur, non ipsam rem futuram esse, sed signum. Quare hic quoque non quidem verbo verbum, sed tamen signo signum nihilominus indicabit; ut et hoc monosyllabum, *ex*, et ille gestus, unam rem quamdam significent, quam mihi ego vellem non significando monstrari. *Ad.* Qui potest quod quæris, oro te? *Aug.* Quomodo paries potuit. *Ad.* Ne ipse quidem, quantum ratio progrediens docuit, ostendi sine signo potest. Nam et intentio digiti non est utique paries, sed signum datur per quod paries possit videri. Nihil itaque video quod sine signis ostendi queat. *Aug.* Quid, si ex te quærerem quid sit ambulare, surgeresque et id ageres? nonne re ipsa potius quam verbis ad me docendum, aut ullis aliis signis utereris? *Ad.* Fateor ita esse, et pudet me rem tam in promptu positam non vidisse : ex qua etiam mihi millia rerum jam occurrunt, quæ ipsæ per se valeant, non per signa monstrari, ut edere, bibere, sedere, stare, clamare, et innumerabilia cætera. *Aug.* Age, nunc dic mihi, si omnino nesciens hujus verbi vim, abs te ambulante quærerem quid sit ambulare, quomodo me doceres? *Ad.* Idipsum agerem aliquanto celerius, ut post interrogationem tuam aliqua novitate admonereris; et tamen nihil aliud fieret, quam id quod deberet ostendi. *Aug.* Scisne aliud esse ambulare, aliud festinare? Nam et qui ambulat, non statim festinat; et qui festinat, non continuo ambulat : dicimus enim et in scribendo et in legendo, aliisque innumerabilibus rebus festinationem. Quare cum illud quod agebas, celerius ageres post interrogationem meam, putarem ambulare nihil esse aliud quam festinare : id enim novi addideras; et ob hoc fallerer. *Ad.* Fateor rem non posse nos monstrare sine signo, si cum id agimus interrogemur : si enim nihil addamus, putabit qui rogat, nolle nos ostendere, contemptoque se, in eo quod agebamus perseverare. Sed si de his roget quæ agere possumus, nec eo tamen tempore quo agimus roget, possumus post ejus interrogationem id agendo, re ipsa potius quam signo demonstrare quod rogat : nisi forte loquentem me interroget quid sit loqui; quidquid enim dixero, ut eum doceam, loquar necesse est : ex quo secutus docebo, donec ei planum faciam quod vult, non recedens a re ipsa quam sibi voluit demonstrari, nec signa quærens quibus eam ostendam præter ipsam.

CAPUT IV. — *An signa signis monstrentur.*

7. *Aug.* Acutissime omnino : quare vide utrum conveniat jam inter nos ea posse demonstrari sine signis, quæ aut non agimus cum interrogamur, et tamen statim agere possumus, aut ipsa signa forte agimus. Cum enim loquimur, signa facimus, de quo dictum est significare. *Ad.* Convenit. *Aug.* Cum ergo de quibusdam signis quæritur, possunt signis signa monstrari : cum autem de rebus quæ signa non sunt, aut eas agendo post inquisitionem si agi possunt, aut signa dando per quæ animadverti queant. *Ad.* Ita est. *Aug.* In hac igitur tripartita distributione prius illud consideremus, si placet, quod signis signa monstrantur : num enim sola verba sunt signa? *Ad.* Non. *Aug.*

Videtur ergo mihi loquendo nos aut verba ipsa signare verbis, aut alia signa, velut gestum cum dicimus aut litteram; nam his duobus verbis quæ significantur, nihilominus signa sunt : aut aliquid aliud quod signum non sit, velut cum dicimus, Lapis; hoc enim verbum signum est, nam significat aliquid, sed id quod eo significatur, non continuo signum est : quod tamen genus, id est cum verbis ea quæ signa non sunt significantur, non pertinet ad hanc partem quam discutere proposuimus. Suscepimus enim considerare illud, quod signis signa monstrantur, et partes in eo duas comperimus, cum aut eadem aut alia signa signis docemus vel commemoramus : an non tibi videtur? *Ad.* Manifestum est.

8. *Aug.* Dic ergo signa quæ verba sunt, ad quem sensum pertineant. *Ad.* Ad auditum. *Aug.* Quid gestus? *Ad.* Ad visum. *Aug.* Quid, cum verba scripta invenimus? num verba non sunt, an signa verborum verius intelliguntur? ut verbum sit quod cum aliquo significatu articulata voce profertur; vox autem nullo alio sensu quam auditu percipi potest : ita fit ut cum scribitur verbum, signum fiat oculis, quo illud quod ad aures pertinet, veniat in mentem. *Ad.* Omnino assentior. *Aug.* Id quoque te arbitror assentiri, cum dicimus, Nomen, significare nos aliquid. *Ad.* Verum est. *Aug.* Quid tandem? *Ad.* Id scilicet quod quidque appellatur, velut Romulus, Roma, virtus, fluvius, et innumerabilia cætera. *Aug.* Num ista quatuor nomina nullas res significant? *Ad.* Imo aliquas. *Aug.* Num nihil distat inter hæc nomina, et eas res quæ his significantur? *Ad.* Imo plurimum. *Aug.* Vellem abs te audire, quidnam id sit. *Ad.* Hoc vel in primis, quod hæc signa sunt, illa non sunt. *Aug.* Placetne appellemus significabilia ea quæ signis significari possunt et signa non sunt, sicut ea quæ videri possunt, visibilia nominamus, ut de his deinceps commodius disseramus? *Ad.* Placet vero. *Aug.* Quid? illa quatuor signa quæ paulo ante pronuntiasti, nullone alio signo significantur? *Ad.* Miror quod jam mihi excidisse arbitraris, quod ea quæ scribuntur, eorum quæ voce proferuntur, signorum signa esse comperimus. *Aug.* Dic inter ista quid distet? *Ad.* Quod illa visibilia sunt, hæc audibilia. Cur enim et hoc nomen non admittas, si admisimus significabilia? *Aug.* Prorsus admitto, et gratum habeo. Sed rursus quæro, quatuor hæc signa nullone alio signo audibili significari queant, ut visibilia recordatus es? *Ad.* Hoc quoque recentius dictum recordor. Nam nomen responderam significare aliquid, et huic significationi quatuor ista subjeceram; et illud autem et hæc, si quidem voce proferuntur, audibilia esse cognosco. *Aug.* Quid ergo inter audibile signum et audibilia significata, quæ rursus signa sunt, interest? *Ad.* Inter illud quidem quod dicimus, Nomen, et hæc quatuor quæ significationi ejus subjecimus, hoc distare video, quod illud audibile signum est signorum audibilium : hæc vero audibilia quidem signa sunt, non tamen signorum, sed rerum partim visibilium, sicut est Romulus, Roma, fluvius; partim intelligibilium, sicut est virtus.

9. *Aug.* Accipio et probo : sed scisne omnia quæ voce articulata cum aliquo significatu proferuntur, verba appellari? *Ad.* Scio. *Aug.* Ergo et nomen verbum est, quandoquidem id videmus cum aliquo significatu articulata voce proferri; et cum dicimus disertum hominem bonis verbis uti, etiam nominibus utique utitur; et cum seni domino apud Terentium servus retulit, *Bona verba quæso* (*In Andria, act.* 1, *scen.* 2, *v.* 33), multa ille etiam nomina dixerat. *Ad.* Assentior. *Aug.* Concedis igitur iis duabus syllabis quas edimus, cum dicimus, Verbum, nomen quoque significari, et ob hoc illud hujus signum esse. *Ad.* Concedo. *Aug.* Hoc quoque respondeas velim. Cum verbum signum sit nominis, et nomen signum sit fluminis, et flumen signum sit rei quæ jam videri potest, ut inter hanc rem et flumen, id est signum ejus, et inter hoc signum et nomen quod hujus signi signum est dixisti quid intersit; quid interesse arbitraris inter signum nominis, quod verbum esse comperimus, et ipsum nomen cujus signum est? *Ad.* Hoc distare intelligo, quod ea quæ significantur nomine, etiam verbo significantur; ut enim nomen est verbum, ita et flumen verbum est : quæ autem verbo significantur, non omnia significantur et nomine. Nam et illud, *si*, quod in capite habet abs te propositus versus, et hoc, *ex*, de quo jam diu agentes in hæc duce ratione pervenimus, verba sunt, nec tamen nomina; et talia multa inveniuntur. Quamobrem cum omnia nomina verba sint, non autem omnia verba nomina sint, planum esse arbitror quid inter verbum distet et nomen, id est inter signum signi ejus quod nulla alia signa significat, et signum signi ejus quod rursus alia significat. *Aug.* Concedisne omnem equum animal esse, nec tamen omne animal equum esse? *Ad.* Quis dubitaverit? *Aug.* Hoc ergo inter nomen et verbum, quod inter equum et animal interest. Nisi forte ab assentiendo id te revocat, quod dicimus et alio modo verbum, quo significantur ea quæ per tempora declinantur, ut scribo scripsi, lego legi, quæ manifestum est non esse nomina. *Ad.* Dixisti omnino quod me dubitare faciebat. *Aug.* Ne te istud moveat. Dicimus enim et signa universaliter omnia quæ significant aliquid, ubi etiam verba esse invenimus. Dicimus item signa militaria, quæ jam proprie signa nominantur, quo verba non pertinent. Et tamen si tibi dicerem, ut omnis equus animal, non autem omne animal equus est, ita omne verbum signum, non autem omne signum verbum est, nihil, ut opinor, dubitares. *Ad.* Jam intelligo, et prorsus assentior, hoc interesse inter universale illud verbum et nomen, quod inter animal et equum.

10. *Aug.* Scisne etiam, cum dicimus, Animal, aliud esse hoc trisyllabum nomen, quod voce prolatum est, aliud id quod significatur? *Ad.* Jam hoc supra concessi de omnibus signis et significabilibus. *Aug.* Num omnia signa tibi videntur aliud significare quam sunt, sicut hoc trisyllabum, cum dicimus, Animal, nullo modo idem significat quod est ipsum? *Ad.* Non sane : nam cum dicimus, Signum, non solum signa cætera

quæcumque sunt, sed etiam seipsum significat; est enim verbum, et utique omnia verba signa sunt. *Aug.* Quid? in hoc disyllabo cum dicimus, Verbum, nonne tale aliquid contingit? Nam si omne quod cum aliquo significatu articulata voce profertur, hoc disyllabo significatur, etiam ipsum hoc genere includitur. *Ad.* Ita est. *Aug.* Quid? nomen nonne similiter habet? Nam et omnium generum nomina significat, et ipsum nomen generis neutri nomen est. An, si ex te quærerem quæ pars orationis nomen, posses mihi respondere recte, nisi, nomen? *Ad.* Verum dicis. *Aug.* Sunt ergo signa quæ inter alia quæ significant, et seipsa significent. *Ad.* Sunt. *Aug.* Num tale tibi videtur hoc quadrisyllabum signum, cum dicimus, Conjunctio? *Ad.* Nullo modo : nam ea quæ significat, non sunt nomina; hoc autem nomen est.

CAPUT V. — *Signa mutua.*

11. *Aug.* Bene attendisti : nunc illud vide, utrum inveniantur signa quæ se invicem significent, ut quemadmodum hoc ab illo, sic illud ab hoc significetur : non enim ita sunt inter se hoc quadrisyllabum, cum dicimus, Conjunctio, et illa quæ ab hoc significantur, cum dicimus, Si, vel, nam, namque, nisi, ergo, quoniam, et similia; nam hæc illo uno significantur, nullo autem horum unum illud quadrisyllabum significatur. *Ad.* Video, et quænam signa sint se invicem significantia, cupio cognoscere. *Aug.* Tu ergo nescis, cum dicimus, Nomen et verbum, duo verba nos dicere? *Ad.* Scio. *Aug.* Quid? illud nescis, cum dicimus, Nomen et verbum, duo nomina nos dicere? *Ad.* Id quoque scio. *Aug.* Scis igitur tam nomen verbo, quam etiam verbum nomine significari. *Ad.* Assentior. *Aug.* Potesne dicere, excepto eo quod diverse scribuntur et sonant, quid inter se differant? *Ad.* Possum fortasse; nam id esse video quod paulo ante dixi. Verba enim cum dicimus, omne quod articulata voce cum aliquo significatu profertur, significamus; unde omne nomen, et ipsum cum dicimus, Nomen, verbum est : at non omne verbum nomen est, quamvis nomen sit, cum dicimus, Verbum.

12. *Aug.* Quid, si quisquam tibi affirmet et probet, ut omne nomen verbum est, ita omne verbum nomen esse? poterisne invenire quid distent, præter diversum in litteris sonum? *Ad.* Non potero, nec omnino distare aliquid puto. *Aug.* Quid, si omnia quidem quæ voce articulata cum aliquo significatu proferuntur, et verba sunt et nomina; sed tamen alia de causa verba, et alia de causa nomina sunt? nihilne distabit inter nomen et verbum? *Ad.* Quomodo istud sit non intelligo. *Aug.* Hoc saltem intelligis, omne coloratum visibile esse, et omne visibile coloratum, quamvis hæc duo verba distincte differenterque significent. *Ad.* Intelligo. *Aug.* Quid si ergo ita et omne verbum nomen, et omne nomen verbum est, quamvis hæc ipsa duo nomina, vel duo verba, id est nomen et verbum, differentem habeant significationem? *Ad.* Jam video posse id accidere : sed quomodo id accidat, exspecto ut ostendas. *Aug.* Omne quod cum aliquo significatu articulata voce prorumpit, animadvertis, ut opinor, et aurem verberare, ut sentiri; et memoriæ mandari, ut nosci possit. *Ad.* Animadverto. *Aug.* Duo ergo quædam contingunt, cum aliquid tali voce proferimus. *Ad.* Ita est. *Aug.* Quid, si horum duorum ex uno appellata sunt verba, ex altero nomina; verba scilicet a verberando, nomina vero a noscendo, ut illud primum ab auribus, hoc autem secundum ab animo vocari meruerit?

13. *Ad.* Concedam, cum ostenderis quomodo recte possimus omnia verba nomina dicere. *Aug.* Facile est : nam credo te accepisse ac tenere pronomen dictum, quod pro ipso nomine valeat, rem tamen notet minus plena significatione quam nomen. Nam, ut opinor, definivit ille ita, quem grammatico reddidisti : Pronomen est pars orationis, quæ pro ipso posita nomine, minus quidem plene, idem tamen significat. *Ad.* Recordor et probo. *Aug.* Vides igitur secundum hanc definitionem nullis nisi nominibus servire, et pro his solis poni posse pronomina, velut cum dicimus, Hic vir, ipse rex, eadem mulier, hoc aurum, illud argentum : hic, ipse, eadem, hoc, illud pronomina esse; vir, rex, mulier, aurum, argentum, nomina, quibus plenius quam illis pronominibus res significatæ sunt. *Ad.* Video et assentior. *Aug.* Tu ergo nunc mihi paucas conjunctiones quaslibet enuntia. *Ad.* Et, que, at, atque. *Aug.* Hæc omnia quæ dixisti, nonne tibi videntur esse nomina? *Ad.* Non omnino. *Aug.* Ego saltem tibi recte locutus videor, cum dicerem, Hæc omnia quæ dixisti? *Ad.* Recte prorsus; et jam intelligo quam mirabiliter ostenderis me nomina e[x]tiasse : non enim aliter de his recte dici potu[i]t Hæc omnia. Sed enim vereor adhuc, ne propterea mihi recte locutus videaris, quod has quatuor conjunctiones etiam verba esse non nego; ut ideo de his recte dici potuerit, Hæc omnia, quoniam recte dicitur, Hæc verba omnia. Si autem a me quæras quæ sit pars orationis, Verba; nihil aliud respondebo quam, Nomen. Quare huic nomini fortasse pronomen adjunctum est, ut illa recta esset locutio tua.

14. *Aug.* Acute quidem falleris, sed ut falli desinas, acutius attende quod dicam, si tamen id dicere, ut volo, valuero : nam verbis de verbis agere tam implicatum est, quam digitos digitis inserere et confricare; ubi vix dignoscitur, nisi ab eo ipso qui id agit, qui digiti pruriant, et qui auxilientur prurientibus. *Ad.* En toto animo adsum, nam ista hæc similitudo me intentissimum fecit. *Aug.* Verba certe sono, et litteris constant. *Ad.* Ita est. *Aug.* Ergo ut ea potissimum auctoritate utamur, quæ nobis charissima est, cum ait Paulus apostolus, *Non erat in Christo Est et Non*[1], *sed Est in illo erat* (II *Cor.* I, 19), non opinor, putandum est tres istas litteras, quas enuntiamus cum dicimus, *est*, fuisse in Christo, sed illud potius quod istis tribus litteris significatur. *Ad.* Verum dicis. *Aug.* Intelligis igitur eum qui ait, *Est in illo erat*, nihil aliud dixisse quam, Est appellatur quod in illo erat : tanquam si dixisset, Virtus in illo erat; non utique aliud dixisse acciperetur, nisi, virtus appellatur quod in illo erat : ne duas istas syllabas quas enuntiamus, cum dicimus,

[1] Ναὶ καὶ οὔ.

Virtus, et non illud quod his duabus syllabis significatur, in illo fuisse arbitraremur: *Ad.* Intelligo ac sequor. *Aug.* Quid? illud nonne intelligis etiam nihil interesse utrum quisque dicat, Virtus appellatur, an, Virtus nominatur? *Ad.* Manifestum est. *Aug.* Ergo ita manifestum est, nihil interesse utrum quis dicat, Est appellatur, an, Est nominatur quod in illo erat. *Ad.* Video et hic nihil distare. *Aug.* Jamne etiam vides quid velim ostendere? *Ad.* Nondum sane. *Aug.* Itane tu non vides nomen esse id quo res aliqua nominatur? *Ad.* Hoc plane nihil certius video. *Aug.* Vides ergo, Est nomen esse, siquidem illud quod erat in illo, Est nominatur. *Ad.* Negare non possum. *Aug.* At si ex te quærerem quæ sit pars orationis, Est; non opinor nomen, sed verbum esse diceres, cum id ratio etiam nomen esse docuerit. *Ad.* Ita est prorsus ut dicis. *Aug.* Num adhuc dubitas alias quoque partes orationis eodem modo, quo demonstravimus, nomina esse? *Ad.* Non dubito, quandoquidem fateor ea significare aliquid. Si autem res ipsæ quas significant, quid singulæ appellentur, id est nominentur, interroges; respondere non possum, nisi eas ipsas partes orationis, quas nomina non vocamus, sed, ut cerno, vocare convincimur.

15. *Aug.* Nihilne te movet, ne quis existat qui nostram istam rationem labefactet dicendo, Apostolo non verborum, sed rerum auctoritatem esse tribuendam; quamobrem fundamentum persuasionis hujus non tam esse firmum quam putamus : fieri enim posse ut Paulus, quanquam vixerit præceperitque rectissime [1], minus tamen recte locutus sit, cum ait, *Est in illo erat;* præsertim cum se ipse imperitum sermone fateatur? (II *Cor.* XI, 6.) quo tandem modo istum refellendum arbitraris? *Ad.* Nihil habeo quod contradicam, et te oro ut aliquem de illis reperias, quibus verborum notitia summa conceditur, cujus auctoritate potius id quod cupis efficias. *Aug.* Minus enim tibi videtur idonea, remotis auctoritatibus, ipsa ratio, qua demonstratur omnibus partibus orationis significari aliquid, et ex eo appellari; si autem appellari, et nominari; si nominari, nomine utique nominari : quod in diversis linguis facillime judicatur. Quis enim non videat, si quæras quid Græci nominent quod nos nominamus, Quis, responderi, τίς· quid Græci nominent quod nos nominamus, Volo, responderi, θέλω· quid Græci nominent quod nos nominamus, Bene, responderi, καλῶς· quid Græci nominent quod nos nominamus, Scriptum, responderi, τὸ γεγραμμένον· quid Græci nominent quod nos nominamus, Et, responderi, καὶ· quid Græci nominent quod nos nominamus, Ab, responderi, ἀπὸ· quid Græci nominent quod nos nominamus, Heu, responderi, οἴ· atque in his omnibus partibus orationis, quas nunc enumeravi, recte loqui eum qui sic interroget: quod, nisi nomina essent, fieri non posset? Hac ergo ratione Paulum apostolum recte locutum esse, cum remotis omnium eloquentium auctoritatibus obtinere possimus; quid opus est quærere cujus persona sententia nostra fulciatur?

[1] Mss. habent, *dixerit præceperitque rectissime.*

16. Sed ne quis tardior aut impudentior nondum cedat, asseratque, nisi illis auctoribus, quibus verborum leges consensu omnium tribuuntur, nullo modo esse cessurum; quid in latina lingua excellentius Cicerone inveniri potest? At hic in suis nobilissimis orationibus quas Verrinas vocant, Coram, præpositionem, sive illo loco adverbium sit, nomen appellavit. Verumtamen quia fieri potest ut ego illum locum minus bene intelligam, exponaturque alias aliter, vel a me vel ab alio; est ad quod responderi posse nihil puto. Tradunt enim nobilissimi disputationum magistri, nomine et verbo plenam constare sententiam, quæ affirmari negarique possit : quod genus idem Tullius quodam loco pronuntiatum vocat : et cum verbi tertia persona est, nominativum cum ea casum nominis aiunt esse oportere; et recte aiunt : quod mecum si consideres, velut cum dicimus, Homo sedet, Equus currit, agnoscis, ut opinor, duo esse pronuntiata. *Ad.* Agnosco. *Aug.* Cernis in singulis singula esse nomina, in uno homo, in altero equus; et verba singula, in uno sedet, in altero currit? *Ad.* Cerno. *Aug.* Ergo si dicerem, sedet tantum, aut currit tantum, recte a me quæreres, quis vel quid; ut responderem, Homo, vel equus, vel animal, vel quodlibet aliud, quo possit nomen redditum verbo implere pronuntiatum, id est illam sententiam quæ affirmari et negari potest. *Ad.* Intelligo. *Aug.* Attende cætera, et finge nos videre aliquid longius, et incertum habere utrum animal sit an saxum, vel quid aliud, meque tibi dicere, Quia homo est, animal est; nonne temere dicerem? *Ad.* Temere omnino : sed non temere plane diceres, Si homo est, animal est. *Aug.* Recte dicis. Itaque in locutione tua placet mihi, Si; placet et tibi : utrique autem nostrum in mea displicet, Quia. *Ad.* Assentior. *Aug.* Vide jam utrum istæ duæ sententiæ plena pronuntiata sint : Placet si, displicet, quia. *Ad.* Plena omnino. *Aug.* Age, nunc dic mihi quæ ibi sint verba, quæ nomina. *Ad.* Verba ibi video esse, placet, et, displicet : nomina vero quid aliud quam, si, et, quia? *Aug.* Has ergo duas conjunctiones etiam nomina esse satis probatum est. *Ad.* Prorsus satis. *Aug.* Potesne ipse per te in aliis partibus orationis hoc idem ad eamdem regulam docere? *Ad.* Possum.

### CAPUT VI. — *Signa sui significativa.*

17. *Aug.* Transeamus ergo hinc, et jam dic mihi utrum sicut omnia verba nomina, et omnia nomina verba esse comperimus, ita tibi et omnia nomina vocabula, et omnia vocabula nomina esse videantur. *Ad.* Plane inter hæc quid distet præter diversum syllabarum sonum non video. *Aug.* Nec ego interim resisto, quanquam non desint qui etiam significatione ista discernunt, quorum sententiam modo considerare non opus est. Sed certe animadvertis ad ea jam signa nos pervenisse, quæ se invicem significent, nulla præter sonum distantia, et quæ seipsa significent cum cæteris omnibus partibus orationis. *Ad.* Non intelligo. *Aug.* Non ergo intelligis et nomen vocabulo et vocabulum nomine significari; et ita ut præter sonum litterarum nihil intersit, quantum ad generale nomen

pertinet : nam et speciale nomen dicimus, quod inter octo partes orationis ita est, ut alias septem non contineat. *Ad.* Intelligo. *Aug.* At hoc est quod dixi, se invicem significare vocabulum et nomen.

18. *Ad.* Teneo, sed quæro quid dixeris, Cum etiam seipsa significant cum aliis partibus orationis. *Aug.* Nonne superior ratio docuit nos, omnes partes orationis, et nomina posse dici et vocabula, id est et nomine et vocabulo posse significari? *Ad.* Ita est. *Aug.* Quid? ipsum nomen, id est sonum istum duabus syllabis expressum, si ex te quæram quid appelles, nonne recte mihi respondebis, Nomen? *Ad.* Recte. *Aug.* Num ita se significat hoc signum quod quatuor syllabis enuntiamus cum dicimus, Conjunctio? Hoc enim nomen inter illa quæ significat, numerari non potest. *Ad.* Recte accipio. *Aug.* Id est quod dictum est nomen seipsum significare cum aliis quæ significat ; quod etiam de vocabulo licet per teipsum intelligas. *Ad.* Jam facile est : sed illud mihi nunc venit in mentem, nomen et generaliter et specialiter dici ; vocabulum autem inter octo partes orationis non accipi : quare hoc quoque inter se præter diversum sonum differre arbitror. *Aug.* Quid? nomen et ὄνομα distare inter se aliquid putas præter sonum, quo etiam linguæ discernuntur latina atque græca ? *Ad.* Hic vero nihil aliud intelligo. *Aug.* Perventum est ergo ad ea signa quæ et seipsa significent, et aliud ab alio invicem significetur, et quidquid ab uno hoc et ab alio ; et nihil præter sonum inter se differant : nam hoc quartum modo invenimus ; tria enim superiora, et de nomine et verbo intelliguntur. *Ad.* Omnino perventum.

CAPUT VII. — *Epilogus præcedentium capitum.*

19. *Aug.* Jam quæ sermocinando invenerimus, velim recenseas. *Ad.* Faciam quantum possum. Nam primo omnium recordor aliquandiu nos quæsisse quam ob causam loquamur, inventumque esse docendi commemorandive gratia nos loqui, quandoquidem nec cum interrogamus, aliud agimus quam ut ille qui interrogatur discat quid velimus audire ; et in cantando, quod delectationis causa facere videmur, non sit proprium locutionis ; in orando Deo, quem doceri aut commemorari existimare non possumus, id verba valeant, ut vel nos ipsos commonefaciamus, vel alii commoneantur doceanturve per nos. Deinde cum satis constitisset verba nihil aliud esse quam signa ; ea vero quæ non aliquid significent, signa esse non posse, proposuisti versum, cujus verba singula quid significarent, conarer ostendere : is autem erat :

Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui.

Cujus secundum verbum quamvis notissimum et manifestissimum, quid tamen significaret, non reperiebamus. Cumque mihi videretur non frustra nos id in loquendo interponere, sed quod eo aliquid doceamus audientem, ipsam mentis affectionem, cum rem quam quærit, non esse invenit, vel invenisse se putat, hoc verbo fortasse indicari ; respondisti tu quidem, sed tamen nescio quam profunditatem quæstionis joco evitans, in aliud tempus illustrandam distulisti : nec me debiti quoque tui oblitum putes. Inde tertium in versu verbum cum satagerem exponere, urgebar abs te, ut non verbum aliud quod idem valeret, sed rem ipsam potius quæ per verba significaretur ostenderem. Cumque id sermocinantibus nobis fieri non posse dixissem, ventum est ad ea quæ interrogantibus digito monstrantur. Hæc ego corporalia esse omnia arbitrabar, sed invenimus sola visibilia. Hinc nescio quomodo ad surdos et histriones devenimus, qui non quæ sola videri possunt, sed multa præterea ac prope omnia quæ loquimur, gestu sine voce significant ; eosdem tamen gestus signa esse comperimus. Tum rursus quærere cœpimus, quomodo res ipsas quæ signis significantur, sine ullis signis valeremus ostendere, cum et ille paries, et color, et omne visibile, quod intentione digiti ostenditur, signo quodam convinceretur ostendi. Hic ego errans cum inveniri tale nihil posse dixissem, tandem inter nos constitit, ea posse demonstrari sine signo, quæ cum a nobis quæruntur, non agimus, et post inquisitionem agere possumus ; locutionem tamen ex eo non esse genere : siquidem et loquentes cum interrogamur quid sit locutio, istam per seipsam demonstrare facile esse satis apparuit.

20. Ex quo admoniti sumus aut signis signa monstrari, aut signis alia quæ signa non sunt, aut etiam sine signo res quas agere post interrogationem possumus : horumque trium primum diligentius considerandum discutiendumque suscepimus. Qua disputatione declaratum est, partim esse signa, quæ ab iis signis quæ significarent, significari vicissim non possent, ut est hoc quadrisyllabum cum, Conjunctio, dicimus : partim quæ possent, ut cum dicimus, Signum, etiam verbum significamus ; et cum dicimus, Verbum, etiam signum significamus ; nam signum et verbum, et duo signa, et duo verba sunt. In hoc autem genere, quo invicem se signa significant, quædam non tantum, quædam tantum, quædam vero etiam idem valere monstratum est. Etenim hoc disyllabum, quod sonat cum dicimus, Signum, prorsus omnia quibus quidque significatur significat : non autem omnium signorum signum est cum dicimus, Verbum, sed tantum eorum quæ articulata voce proferuntur. Unde manifestum est, quamvis et verbum signo, et signum verbo, id est et duæ istæ syllabæ illis, et illæ istis significentur, plus tamen signum valere quam verbum, plura scilicet illis duabus syllabis, quam istis significantibus. Tantumdem autem valet generale verbum, et generale nomen. Docuit enim ratio omnes partes orationis etiam nomina esse, quod et pronomina his addi possunt, et de omnibus dici potest quod aliquid nominent, et nulla earum sit quæ non verbo adjuncto pronuntiatum possit implere. Sed cum tantumdem valeant nomen et verbum, eo quod omnia quæ verba sunt, sint etiam nomina ; non tamen idem valent. Alia quippe de causa verba, et alia nomina nuncupari, satis probabiliter disputatum est. Siquidem alterum horum ad auris verberationem, alterum ad animi commemorationem notandam esse compertum, vel ex hoc intelligi potest, quod in loquendo rectissime dicimus, Quod est huic rei nomen,

rem memoriæ mandare cupientes; Quod est autem huic rei verbum, dicere non solemus. Quæ vero non solum tantumdem, sed etiam idem omnino significent, et inter quæ nihil præter litterarum distet sonum, nomen et ὄνομα invenimus. Illud sane mihi elapsum erat in hoc genere, in quo invicem se significant, nullum nos signum comperisse, quod non inter cætera quæ significat, se quoque significet. Hæc quantum potui recordatus sum. Tu jam videris, quem nihil puto in hoc sermone nisi scientem certumque dixisse, utrum ista bene ordinateque digesserim.

CAPUT VIII. — *Non frustra hæc disputari. Item signis auditis animum, ut interroganti respondeatur, ad res significatas esse referendum.*

21. *Aug.* Satis tu quidem memoriter omnia quæ vellem recoluisti; et, ut tibi fatear, multo evidentius mihi nunc videntur ista distincta, quam cum ea inquirendo ac disserendo de nescio quibus latebris ambo erueremus. Sed quonam tantis ambagibus tecum pervenire moliar, difficile dictu est hoc loco. Tu enim fortasse aut ludere nos, et a seriis rebus avocare animum, quasi quibusdam puerilibus quæstiunculis, arbitraris, aut parvam vel mediocrem aliquam utilitatem requirere; aut si magnum quiddam parturire istam disputationem suspicaris, jamjamque id scire sive saltem audire desideras. Ego autem credas velim, neque me vilia ludicra hoc instituisse sermone, quamvis fortasse ludamus, idque ipsum tamen non puerili sensu æstimandum sit; neque parva bona vel mediocria cogitare. Et tamen si dicam vitam esse quamdam beatam, eamdemque sempiternam, quo nos Deo duce, id est ipsa veritate, gradibus quibusdam infirmo gressui nostro accommodatis perduci cupiam; vereor ne ridiculus videar, qui non rerum ipsarum quæ significantur, sed consideratione signorum tantam viam ingredi cœperim. Dabis igitur veniam, si præludo tecum non ludendi gratia, sed exercendi vires et mentis aciem, quibus regionis illius, ubi beata vita est, calorem ac lucem non modo sustinere, verum etiam amare possimus. *Ad.* Perge potius ut cœpisti: nam nunquam ego contemnenda putem quæ tu dicenda vel agenda putaveris.

22. *Aug.* Age, jam ergo illam partem consideremus, cum signis non alia signa significantur, sed ea quæ significabilia vocamus. Et primum dic mihi utrum homo, homo sit. *Ad.* Nunc vero an ludas nescio. *Aug.* Quid ita? *Ad.* Quia quærendum ex me censes, utrum homo aliud sit quam homo. *Aug.* Ita credo te illudi arbitrareris, si etiam quærerem utrum prima hujus nominis syllaba aliud sit quam, ho, et aliud secunda quam, mo. *Ad.* Ita omnino. *Aug.* At istæ duæ syllabæ conjunctæ, homo est: an negabis? *Ad.* Quis neget? *Aug.* Quæro ergo, num tu duæ istæ syllabæ conjunctæ sis. *Ad.* Nullo modo: sed video quo tendas. *Aug.* Dicito ergo, ne me contumeliosum putes. *Ad.* Concludi existimas quod homo non sim. *Aug.* Quid, tu non idem existimas, qui omnia superiora ex quibus hoc confectum est, vera esse concedis? *Ad.* Non tibi ego dicam quid existimem, nisi prius abs te audiero, cum quæreres utrum homo, homo sit, de duabus istis syllabis, an de re ipsa quam significant, me interrogaveris? *Aug.* Tu potius responde ex qua parte acceperis interrogationem meam: nam si est ambigua, prius hoc cavere debuisti, neque mihi respondere antequam certus fieres quonam modo rogaverim. *Ad.* Quid enim me impediret hæc ambiguitas, cum ego ad utrumque responderim; homo enim prorsus homo est: nam et istæ duæ syllabæ nihil aliud sunt quam istæ duæ syllabæ; et id quod significant, nihil aliud est, quam id quod est. *Aug.* Scite hoc quidem: sed cur hoc solum quod dictum est homo, non etiam cætera quæ locuti sumus, ad utrumque accepisti? *Ad.* Unde enim convincor quod et cætera non sic acceperim? *Aug.* Ut alia omittam, eam ipsam primam rogationem meam, si totam ex ea parte accepisses, qua syllabæ sonant, nihil mihi respondisses; possem tibi enim videri nihil etiam interrogasse: nunc vero cum tria verba sonuerim, quorum unum in medio repetivi dicens utrum homo, homo sit, primum et ultimum verbum, non secundum ipsa signa, sed secundum ea quæ his significantur te accepisse, vel hoc solo manifestum est, quod statim certus ac fidens rogationi respondendum putasti. *Ad.* Verum dicis. *Aug.* Cur ergo id tantum quod in medio positum est, et secundum id quod sonat, et secundum id quod significat, te accipere libuit? *Ad.* Ecce jam totum ex ea tantum parte qua significatur accipio: assentior enim tibi, sermocinari nos omnino non posse, nisi auditis verbis ad ea feratur animus, quorum ista sunt signa. Quare ostende nunc, quomodo ista ratiocinatione deceptus sim, qua me hominem non esse concluditur. *Aug.* Imo eadem rursus interrogabo, ut ipse invenias ubi lapsus sis. *Ad.* Bene facis.

23. *Aug.* Illud ergo quod primo quæsieram, quia jam dedisti, non quæram. Vide igitur diligentius, utrum syllaba, ho, nihil aliud sit quam, ho; et utrum, mo, nihil aliud sit quam, mo. *Ad.* Hic prorsus nihil aliud video. *Aug.* Vide etiam num istis duabus junctis, homo, fiat. *Ad.* Nequaquam hoc concesserim: placuit enim, et recte placuit, signo dato id quod significatur attendere, et ex ejus consideratione vel dare, vel negare quod dicitur. Illæ autem separatim enuntiatæ syllabæ, quia sine ulla significatione sonuerunt, hoc eas esse quod sonuere concessum est. *Aug.* Placet igitur, firmumque animo tenes non respondendum esse interrogationibus, nisi ex iis rebus quæ verbis significantur. *Ad.* Non intelligo cur displiceat, si modo verba sint. *Aug.* Vellem scire quomodo illi resisteres, de quo jocantes solemus audire, quod ex ejus ore cum quo disputabat, leonem processisse concluserit. Cum enim quæsisset, utrum ea quæ loqueremur, nostro ore procederent, atque ille non potuisset negare; quod facile fuit, egit cum homine, ut in loquendo leonem nominaret: hoc ubi factum est, ridicule insultare cœpit et premere, ut quoniam quidquid loquimur, ore nostro exire confessus erat, et leonem se locutum esse nequibat abnuere, homo non

malus tam immanem bestiam videretur vomuisse. *Ad.* Minime vero erat arduum scurræ huic resistere; non enim concederem ore nostro exire quodcumque loquimur. Nam quæ loquimur, ea significamus; non autem quæ res significatur, sed signum quo significatur loquentis ore procedit, nisi cum ipsa signa significantur : quod genus paulo ante tractavimus.

24. *Aug.* Bene tu quidem hoc modo adversus illum esses paratus : verumtamen mihi quid respondebis, utrum homo nomen sit requirenti? *Ad.* Quid, nisi esse nomen? *Aug.* Quid? cum te video, num nomen video? *Ad.* Non. *Aug.* Visne igitur dicam quod sequitur? *Ad.* Ne quæso; nam mihi ipse renuntio, me hominem non esse, qui nomen esse responderim, cum homo utrum nomen esset inquireres. Jam enim placuerat, ex ea re quæ significaretur, aut assentiri, aut negare quod dicitur. *Aug.* At mihi videtur non te frustra in hanc responsionem decidisse; nam vigilantiam tuam mentibus nostris indita ipsa lex rationis evicit : nam si quærerem quid esset homo, responderes fortasse, Animal; si autem quærerem quæ pars orationis esset homo, nullo modo posses recte respondere nisi, Nomen : quamobrem cum homo et nomen, et animal esse inveniatur, illud dicitur ex ea parte qua signum est, hoc ex parte rei quam significat. Qui ergo quærit utrum homo nomen sit, nihil ei aliud quam esse respondeam : satis enim significat ex ea parte se velle audire, qua signum est. Si autem quærit utrum animal sit, multo proclivius annuam : quoniam si tacens et nomen et animal, tantum quid esset homo requireret, placita illa loquendi regula ad id quod duabus syllabis significatur, animus curreret; neque quidquam responderetur nisi animal, vel etiam tota definitio diceretur, id est animal rationale mortale : an tibi non videtur? *Ad.* Prorsus videtur : sed cum esse nomen concesserimus, quomodo illam conclusionem nimis contumeliosam evitabimus, qua nos homines non esse conficitur? *Aug.* Quomodo putas, nisi docendo non ex ea parte illatam, qua interroganti assentiebamur? Aut si ex ea parte illam se fatetur inferre, nullo modo est formidanda : quid enim metuam hominem, id est tres istas syllabas non esse me confiteri? *Ad.* Nihil est verius. Cur ergo animum offendit, cum dicitur, Non es igitur homo; cum secundum illa concessa, nihil verius dici potuerit? *Aug.* Quia non possum non putare ad id conclusionem referri, quod his duabus syllabis significatur, simul atque ista verba sonuerint, ea scilicet regula, quæ naturaliter plurimum valet, ut auditis signis ad res significatas feratur intentio. *Ad.* Accipio quod dicis.

CAPUT IX. — *An res quæque, vel ejus cognitio pluris habenda sit quam ipsius signa.*

25. *Aug.* Jam ergo intelligas volo, res quæ significantur, pluris quam signa esse pendendas. Quidquid enim propter aliud est, vilius sit necesse est quam id propter quod est; nisi tu aliud existimas. *Ad.* Videtur mihi non temere hic esse assentiendum : nam cum dicimus, Cœnum, longe hoc nomen arbitror rei quam significat antecellere. Quod enim nos offendit audientes, non ad ipsius verbi pertinet sonum; cœnum enim nomen, mutata una littera cœlum est; inter illa vero quæ his nominibus significantur, quantum distet videmus. Quamobrem nequaquam huic signo tribuerim, quod in re quam significat odimus; et propterea hoc illi jure antepono : libentius enim hoc audimus, quam ullo sensu illud attingimus. *Aug.* Vigilantissime omnino. Itaque falsum est, omnes res pluris quam earum signa esse pendendas. *Ad.* Ita videtur. *Aug.* Dic ergo mihi quid arbitreris eos secutos esse, qui huic rei tam fœdæ atque aspernabili nomen indiderunt; vel utrum eos probes, an improbes. *Ad.* Ego vero illos nec probare, nec improbare audeo, nec quid fuerint secuti scio. *Aug.* Potesne saltem scire quid tu sequaris, cum hoc nomen enuntias? *Ad.* Hoc plane possum : nam significare volo, ut eum cum quo loquor, doceam vel admoneam de re illa, quod eum doceri vel admoneri oportere arbitror. *Aug.* Quid? ipsum docere aut admonere, sive doceri aut admoneri, quod vel tu exhibes commode per hoc nomen, vel exhibetur tibi; nonne charius quam ipsum nomen habendum est? *Ad.* Concedo ipsam scientiam, quæ per hoc signum evenit, eidem signo esse anteponendam; sed non ideo etiam rem ipsam puto.

26. *Aug.* In illa igitur sententia nostra, quanquam sit falsum, res omnes signis suis præponi oportere; non tamen falsum est, omne quod propter aliud est, vilius esse quam id propter quod est. Cognitio quippe cœni, propter quam hoc nomen est institutum, pluris habenda est ipso nomine, quod eidem cœno præponendum esse comperimus. Non enim ob aliud ista cognitio signo, de quo agimus, antelata est, nisi quia illud propter hanc, non hæc propter illud esse convincitur. Nam ita cum quidam vorator, ventrisque, ut ab Apostolo dicitur, cultor (*Rom.* XVI, 18), diceret ideo se vivere, ut vesceretur; non tulit qui audiebat frugi homo, et, *Quanto*, inquit, *melius ideo vescereris ut viveres?* quod utique ex eadem ista regula locutus est [1]. Nam neque alia de causa ille displicuit, nisi quod vitam suam tam parvipenderet, ut eam duceret gutturis voluptate viliorem, dicendo se propter epulas vivere : neque hic ob aliud jure laudatur, nisi quod in iis duobus quid propter quid fieret, hoc est quid cui subjectum esset intelligens, cibandum potius ut vivamus, quam vivendum ut cibemur, admonuit. Similiter et tu fortasse, et quilibet hominum non imperite res æstimantium, dicenti cuipiam loquaci amatorique verborum, Ideo doceo ut loquar, responderetis, Homo, cur non potius ideo loqueris ut doceas? Quod si hæc vera sunt, sicuti esse cognoscis, vides profecto quanto verba minoris habenda sint, quam id propter quod utimur verbis; cum ipse usus verborum jam sit verbis anteponendus : verba enim sunt ut his utamur; utimur autem his ad docendum. Quanto est ergo melius docere quam loqui, tanto melior est quam verba, locutio. Multo ergo melior doctrina quam

[1] Ita Mss. At in Edd., *ut viveres? uterque tamen ex eadem regula locutus est.*

verba. Sed cupio audire quid forte contradicendum putes.

27. *Ad.* Assentior quidem meliorem quam verba esse doctrinam; sed utrum adversus istam regulam qua dicitur, Omne quod propter aliud est, inferius esse quam id propter quod est, nihil sit quod objici possit, ignoro. *Aug.* Alias hoc opportunius diligentiusque tractabimus : nunc illud quod concedis, satis est ad id quod conficere studeo. Das enim cognitionem rerum quam signa rerum esse chariorem. Quamobrem cognitio rerum quæ significantur, cognitioni signorum anteferenda est : an tibi non videtur? *Ad.* Num ego cognitionem rerum cognitione signorum, ac non signis ipsis præstantiorem esse concessi? quare vereor ut hic tibi assentiar. Quid si enim ut cœnum nomen melius est ea re quam significat; ita et hujus nominis cognitio cognitioni quoque illius rei est anteponenda, quamvis ea cognitione sit ipsum nomen inferius? Quatuor quippe sunt : nomen, et res, cognitio nominis, et cognitio rei. Sicut ergo primum secundo, cur non et tertium quarto antecellat? Sed ut non antecellat, num etiam subjiciendum est?

28. *Aug.* Mire omnino te video et tenuisse quid concesseris, et explicasse quid senseris. Sed, ut opinor, intelligis, hoc trisyllabum nomen, quod sonat cum dicimus, Vitium, melius esse quam id quod significat; cum ipsius cognitio nominis multo sit inferior cognitione vitiorum. Licet itaque constituas etiam ista quatuor atque consideres, nomen et rem, cognitionem nominis et cognitionem rei; primum secundo jure præponimus. Hoc enim positum nomen in carmine, cum ait Persius, *Sed stupet hic vitio* (*Satyra* 3, *v.* 32), non modo nihil vitii fecit in versu, sed nonnihil etiam ornatus dedit : cum tamen res ipsa quæ significatur hoc nomine, in quocumque inest, cogat esse vitiosum. At non ita et tertium quarto, sed quartum tertio videmus excellere. Hujus enim cognitio nominis vilis est præ cognitione vitiorum. *Ad.* Etiamne cum ista cognitio miseriores facit, censes esse præferendam? Nam idem Persius omnibus pœnis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines qui vitia quæ vitare non possunt, coguntur agnoscere. *Aug.* Potes hoc modo cognitioni hujus nominis ipsam quoque virtutum cognitionem negare præferendam : quia virtutem videre nec tenere, supplicium est : quo idem ille satyricus tyranni ut puniantur optavit (*Ibid.*, *v.* 35-38). *Ad.* Deus hanc avertat amentiam : jam enim intelligo non ipsas cognitiones, quibus animum imbuit optima omnium disciplina, esse culpandas; sed eos omnium miserrimos judicandos, sicut et Persium judicasse arbitror, qui tali morbo affecti sunt, cui nec tanta medicina subveniat. *Aug.* Bene intelligis : sed quoquo modo se habeat Persiana sententia, quid ad nos? Non enim horum auctoritati subjecti sumus in talibus rebus. Deinde si qua cognitio cognitioni præferenda sit, non hic facile est explicare. Satis habeo quod effectum est, cognitionem rerum quæ significantur, etsi non cognitione signorum, ipsis tamen signis esse potiorem. Quare jam illud magis magisque discutiamus, quale sit genus rerum quas sine signis monstrari posse dicebamus per seipsas, ut loqui, ambulare, sedere, jacere, atque hujusmodi cætera. *Ad.* Jam recolo quid dicas.

CAPUT X. — *An quædam doceri sine signis queunt. Res non discuntur per ipsa verba.*

29. *Aug.* Omniane tibi videntur, quæ interrogati mox agere possumus, sine signo posse monstrari? an aliquid excipis? *Ad.* Ego vero etiam atque etiam genus hoc totum considerans, nihil adhuc invenio quod sine signo valeat doceri, nisi forte locutionem, et si forte idipsum quispiam quærat, quid sit docere. Video enim eum, quidquid post ejus interrogationem fecero ut discat, ab ea ipsa re non discere quam sibi demonstrari cupit : nam si me cessantem, ut dictum est, vel aliud agentem roget quispiam quid sit ambulare, et ego statim ambulando, eum quod rogavit sine signo coner docere; unde cavebo ne id tantum putet esse ambulare, quantum ego ambulavero? quod si putaverit, decipietur : quisquis enim plus minusve quam ego ambulaverit, hunc ille ambulasse non arbitrabitur. Et quod de hoc uno verbo dixi, transit in omnia quæ sine signo monstrari posse consenseram, præter duo illa quæ excepimus.

30. *Aug.* Accipio quidem istud : sed nonne tibi videtur aliud esse loqui, aliud docere? *Ad.* Videtur sane : nam si esset idem, non doceret quisquam nisi loquens; cum vero et aliis signis, præter verba, multa docemus, quis de ista differentia dubitaverit? *Aug.* Quid? docere et significare, nihilne interest? an aliquid differunt? *Ad.* Idem puto esse. *Aug.* Nonne recte dicit, qui dicit ideo nos significare ut doceamus? *Ad.* Recte prorsus. *Aug.* Quid, si dicat alius ideo nos docere ut significemus? nonne facile superiore sententia refelletur? *Ad.* Ita est. *Aug.* Si ergo significamus ut doceamus, non docemus ut significemus; aliud est docere, aliud significare. *Ad.* Verum dicis, nec recte idem esse utrumque respondi. *Aug.* Nunc illud responde, utrum qui docet quid sit docere, significando id agat, an aliter. *Ad.* Non video quomodo aliter possit. *Aug.* Falsum est igitur quod paulo ante dixisti, doceri rem posse sine signis, cum quæritur quid sit ipsum docere; quando ne hoc quidem videmus sine significatione agi posse, cum aliud esse significare, aliud docere concesseris. Si enim diversa sunt, sicut apparet, neque hoc nisi per illud ostenditur, non per se utique ostenditur, sicut tibi visum erat. Quamobrem nihil adhuc inventum est, quod monstrari per seipsum queat præter locutionem, quæ inter alia se quoque significat : quæ tamen cum etiam ipsa signum sit, nondum prorsus exstat quod sine signis doceri posse videatur. *Ad.* Nihil habeo cur non assentiar.

31. *Aug.* Confectum est igitur et nihil sine signis doceri, et cognitionem ipsam signis quibus cognoscimus, chariorem nobis esse oportere : quamvis non omnia quæ significantur possint signis suis esse potiora. *Ad.* Ita videtur. *Aug.* Quanto tandem circuitu res tantilla peracta sit, meministine, quæso? Nam ex

quo inter nos verba jaculamur, quod tam diu fecimus, hæc tria ut invenirentur laboratum est : utrum nihil sine signis possit doceri ; et utrum sint quædam signa rebus quas significant præferenda ; et utrum melior quam signa sit rerum ipsa cognitio. Sed quartum est, quod breviter abs te vellem cognoscere, utrumnam ista inventa sic putes, ut jam de his dubitare non possis. *Ad.* Vellem quidem tantis ambagibus atque anfractibus esset ad certa perventum ; sed et ista rogatio tua nescio quomodo me sollicitat, et ab assensione deterret. Videris enim mihi non hæc de me fuisse quæsiturus, nisi haberes quod contradiceres : et ipsa rerum implicatio totum me inspicere, ac securum respondere non sinit, verentem ne quid in tantis involucris lateat, quod acies mentis meæ lustrare non possit. *Aug.* Dubitationem tuam non invitus accipio ; significat enim animum minime temerarium : quæ custodia tranquillitatis est maxima. Nam difficillimum omnino est non perturbari, cum ea quæ prona et procliva approbatione tenebamus contrariis disputationibus labefactantur, et quasi extorquentur e manibus. Quare, ut æquum est bene consideratis perspectisque rationibus cedere, ita incognita pro cognitis habere periculosum. Metus est enim ne cum sæpe subruuntur quæ firmissime statura et mansura præsumimus, in tantum odium vel timorem rationis incidamus, ut ne ipsi quidem perspicuæ veritati fides habenda videatur.

32. Sed age, nunc expeditius retractemus utrum recte ista dubitanda putaveris. Nam quæro abs te, si quisquam ignarus deceptionis avium, quæ calamis et visco affectatur, obviam fieret aucupi, armis quidem suis instructo, non tamen aucupanti, sed iter agenti ; quo viso premeret gradum, secumque, ut fit, admirans cogitaret et quæreret quidnam sibi hominis ille vellet ornatus ; auceps autem cum in se videret attentum, ostentandi se studio cannas expediret, et prope animadversam aliquam aviculam fistula et accipitre figeret, subigeret [1] et caperet ; nonne illum spectatorem suum doceret nullo significatu, sed re ipsa, quod ille scire cupiebat? *Ad.* Metuo ne quid hic tale sit, quale de illo dixi, qui quærit quid sit ambulare. Neque enim video, et hic totum illud aucupium esse monstratum. *Aug.* Facile est hac cura te exuere ; addo enim, si ille ita intelligens esset, ut ex hoc quod vidit, totum illud genus artis agnosceret : satis est namque ad rem, et de quibusdam rebus tametsi non omnibus, et quosdam homines doceri posse sine signo. *Ad.* Hoc etiam ego possum illi addere ; si enim sit bene intelligens, paucis passibus ambulatione monstrata, totum quid sit ambulare cognoscet. *Aug.* Facias per me licet, nec tantum nihil resisto, verum etiam faveo : vides enim ab utroque nostrum id effici, ut quædam quidam doceri sine signis queant, falsumque illud sit quod nobis paulo ante videbatur, nihil esse omnino quod sine signis possit ostendi. Jam enim ex his non unum aliquid aut alterum, sed millia rerum animo occurrunt, quæ nullo signo dato per seipsa monstrentur. Quid enim dubitemus, oro te? Nam ut hominum omittam innumerabilia spectacula in omnibus theatris sine signo ipsis rebus exhibentium ; solem certe istum lucemque hæc omnia perfundentem atque vestientem, lunam et cætera sidera, terras et maria, quæque in his innumerabiliter gignuntur, nonne per seipsa exhibet atque ostendit Deus et natura cernentibus?

33. Quod si diligentius consideremus, fortasse nihil invenies, quod per sua signa discatur. Cum enim mihi signum datur, si nescientem me invenit cujus rei signum sit, docere me nihil potest : si vero scientem, quid disco per signum? Non enim mihi rem quam significat ostendit verbum cum lego, *Et saraballæ* [1] *eorum non sunt immutatæ* (*Dan.* III, 94). Nam si quædam capitum tegmina nuncupantur hoc nomine, num ego hoc audito, aut quid sit caput, aut quid sint tegmina didici? ante ista noveram ; neque cum appellarentur ab aliis, sed cum a me viderentur, eorum est mihi facta notitia. Etenim cum primum istæ duæ syllabæ, cum dicimus, Caput, aures meas impulerunt, tam nescivi quid significarent, quam cum primo audirem legeremve, saraballas. Sed cum sæpe diceretur, Caput, notans atque animadvertens quando diceretur, reperi vocabulum esse rei quæ mihi jam erat videndo notissima. Quod priusquam reperissem, tantum mihi sonus erat hoc verbum : signum vero esse didici, quando cujus rei signum esset inveni ; quam quidem, ut dixi, non significatu, sed aspectu didiceram. Itaque magis signum re cognita, quam signo dato ipsa res discitur.

34. Quod ut apertius intelligas, finge nos primum nunc audire quod dicitur, caput ; et nescientes utrum vox ista sit tantummodo sonans, an aliquid etiam significans, quærere quid sit caput (memento nos non rei quæ significatur, sed ipsius signi velle habere notitiam, qua caremus profecto, quamdiu cujus signum est ignoramus) : si ergo ita quærentibus res ipsa digito demonstretur, hac conspecta discimus signum quod audieramus tantum, nondum noveramus. In quo tamen signo cum duo sint, sonus et significatio, sonum certe non per signum percipimus, sed eo ipso aure pulsata ; significationem autem re, quæ significatur, aspecta. Nam illa intentio digiti significare nihil aliud potest, quam illud in quod intenditur digitus : intentus est autem non in signum, sed in membrum quod caput vocatur. Itaque per illam neque rem pos-

[1] In editione Bad. et nostris Mss. hic et infra constanter scribitur per *r sarabaræ* ; quo pacto etiam Tertullianus scripsit in libro de Pallio, et in libro de Resurrectione Carnis. Porro autem textus græcus, Dan. cap. 3, v. 94, habet in neutro genere, *ta sarabara*, quem scribendi modum non pauci sequuntur ; improbat vero Hieronymus in Dan. cap. 3, v. 21, vultque legendum *saraballa*. Ad hæc Mss. Fiscannensis et Michaelinus pro, *quædam capitum*, habent, *quædam pedum tegmina* ; et consentanee postea præferunt, *aut quid sint pedes*, etc. ; *cum dicimus pedes, aures*, etc. ; *pedes notans*, etc. ; denique omittunt, *capitum*, eo loci ubi legimus, *tegmina quidem illa capitum*. Contigit isthæc varietas ex varia vocabuli istius interpretatione, quod quibusdam significat *tegmina capitum*, ut refert Isidorus, lib. 19, cap. 23 ; aliis, *fluxa ac sinuosa vestimenta*, ut ipsi Isidoro ibidem placet : *pallia*, Vatablo aliisque scripturæ interpretibus sonat ; nonnullis etiam, *calceamenta* ; Hieronymo demum in loco citato *braccas* seu *tibialia*.

sum nosse quam noveram, neque signum in quod intentus digitus non est. Sed de intentione digiti non nimis curo; quia ipsius demonstrationis signum mihi videtur potius, quam rerum aliquarum quæ demonstrantur, sicut adverbium quod, Ecce, dicimus; nam et cum hoc adverbio digitum solemus intendere, ne unum demonstrandi signum non sit satis. Et id maxime tibi nitor persuadere, si potero, per ea signa quæ verba appellantur, nos nihil discere; potius enim, ut dixi, vim verbi, id est significationem quæ latet in sono, re ipsa quæ significatur cognita, discimus, quam illam tali significatione percipimus.

35. Et quod dixi de capite, hoc etiam de tegminibus, deque aliis rebus innumerabilibus dixerim : quas tamen cum jam noverim, saraballas illas adhuc usque non novi; quas mihi si gestu quispiam significarit aut pinxerit, aut aliquid cui similes sunt, ostenderit, non dicam non me docuerit, quod facile obtinerem, si paulo amplius loqui vellem; sed dico id quod proximum est, non verbis docuerit. Quod si eis forte conspectis cum simul adero me admonuerit, dicens, Ecce saraballas; discam rem quam nesciebam, non per verba quæ dicta sunt, sed per ejus aspectum, per quem factum est ut etiam nomen illud quid valeret, nossem ac tenerem. Non enim cum rem ipsam didici, verbis alienis credidi, sed oculis meis : illis tamen fortasse ut attenderem credidi, id est ut aspectu quærerem quid viderem.

CAPUT XI. — *Discimus non verbis foris sonantibus, sed docente intus veritate.*

36. Hactenus verba valuerunt, quibus ut plurimum tribuam, admonent tantum ut quæramus res, non exhibent ut noverimus. Is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti præbet ea quæ cognoscere volo. Verbis igitur nisi verba non discimus, imo sonitum strepitumque verborum : nam si ea quæ signa non sunt, verba esse non possunt, quamvis jam auditum verbum, nescio tamen verbum esse, donec quid significet sciam. Rebus ergo cognitis, verborum quoque cognitio perficitur; verbis vero auditis, nec verba discuntur. Non enim ea verba quæ novimus, discimus; aut quæ non novimus, didicisse nos possumus confiteri, nisi eorum significatione percepta, quæ non auditione vocum emissarum, sed rerum significatarum cognitione contingit. Verissima quippe ratio est, et verissime dicitur, cum verba proferuntur, aut scire nos quid significent, aut nescire : si scimus, commemorari potius quam discere; si autem nescimus, ne commemorari quidem, sed fortasse ad quærendum admoneri.

37. Quod si dixeris, tegmina quidem illa capitum, quorum nomen sono tantum tenemus, non nos posse nisi visa cognoscere, neque nomen ipsum plenius nisi ipsis cognitis nosse : quod tamen de ipsis pueris accepimus, ut regem ac flammas fide ac religione superaverint, quas laudes Deo cecinerint, quos honores ab ipso etiam inimico meruerint, num aliter nisi per verba didicimus? Respondebo, cuncta quæ illis verbis significata sunt, in nostra notitia jam fuisse. Nam quid sint tres pueri, quid fornax, quid ignis, quid rex, quid denique illæsi ab igne, cæteraque omnia jam tenebam quæ verba illa significant. Ananias vero, et Azarias et Misael tam mihi ignoti sunt quam illæ saraballæ; nec ad eos cognoscendos hæc me nomina quidquam adjuverunt aut adjuvare jam potuerunt. Hæc autem omnia quæ in illa leguntur historia, ita illo tempore facta esse, ut scripta sunt, credere me potius quam scire fateor : neque istam differentiam iidem ipsi quibus credimus nescierunt. Ait enim propheta, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX) : quod non dixisset profecto, si nihil distare judicasset. Quod ergo intelligo, id etiam credo : at non omne quod credo, etiam intelligo. Omne autem quod intelligo, scio : non omne quod credo, scio. Nec ideo nescio quam sit utile credere etiam multa quæ nescio; cui utilitati hanc quoque adjungo de tribus pueris historiam : quare pleraque rerum cum scire non possim, quanta tamen utilitate credantur, scio.

38. De universis autem quæ intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti præsidentem consulimus veritatem, verbis fortasse ut consulamus admoniti. Ille autem qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est Christus (*Ephes.* III, 16, 17), id est incommutabilis Dei Virtus atque sempiterna Sapientia : quam quidem omnis rationalis anima consulit; sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam sive bonam voluntatem, potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultæ veritatis, ut neque hujus, quæ foris est, lucis vitium est, quod corporei oculi sæpe falluntur : quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis quantum cernere valemus, ostendat.

CAPUT XII. — *Christus veritas intus docet.*

39. Quod si et de coloribus lucem, et de cæteris quæ per corpus sentimus, elementa hujus mundi eademque corpora quæ sentimus, sensusque ipsos quibus tanquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur; de his autem quæ intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus : quid dici potest unde clareat, verbis nos aliquid discere præter ipsum qui aures percutit sonum? Namque omnia quæ percipimus, aut sensu corporis, aut mente percipimus. Illa sensibilia, hæc intelligibilia; sive, ut more auctorum nostrorum loquar, illa carnalia, hæc spiritualia nominamus. De illis dum interrogamur, respondemus, si præsto sunt ea quæ sentimus; velut cum a nobis quæritur intuentibus lunam novam, qualis aut ubi sit. Hic ille qui interrogat, si non videt, credit verbis, et sæpe non credit : discit autem nullo modo, nisi et ipse quod dicitur videat; ubi jam non verbis quæ sonuerunt, sed rebus ipsis et sensibus discit. Nam verba eadem sonant videnti, quæ non videnti etiam sonuerunt. Cum vero non de iis quæ coram sentimus, sed de his quæ aliquando sensimus quæritur; non jam res ipsas, sed imagines ab iis impressas memoriæque mandatas loquimur : quæ omnino quomodo vera di-

camus, cum falsa intueamur, ignoro; nisi quia non nos ea videre ac sentire, sed vidisse ac sensisse narramus. Ita illas imagines in memoriæ penetralibus rerum ante sensarum quædam documenta gestamus, quæ animo contemplantes bona conscientia non mentimur cum loquimur : sed nobis sunt ista documenta; is enim qui audit, si ea sensit atque adfuit, non discit meis verbis, sed recognoscit ablatis secum et ipse imaginibus.: si autem illa non sensit [1], quis non eum credere potius verbis quam discere intelligat?

40. Cum vero de iis agitur quæ mente conspicimus, id est intellectu atque ratione, ea quidem loquimur quæ præsentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse qui dicitur homo interior, illustratur et fruitur : sed tunc quoque noster auditor, si et ipse illa secreto ac simplici oculo videt; novit quod dico sua contemplatione, non verbis meis. Ergo ne hunc quidem doceo vera dicens, vera intuentem; docetur enim non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo intus pandente, manifestis : itaque de his etiam interrogatus respondere posset. Quid autem absurdius quam eum putare locutione mea doceri, qui posset, antequam loquerer, ea ipsa interrogatus exponere? Nam quod sæpe contingit, ut interrogatus aliquid neget, atque ad id fatendum aliis interrogationibus urgeatur, fit hoc imbecillitate cernentis, qui de re tota illam lucem consulere non potest : quod ut partibus faciat, admonetur, cum de iisdem istis partibus interrogatur, quibus illa summa constat, quam totam cernere non valebat. Quo si verbis perducitur ejus qui interrogat, non tamen docentibus verbis, sed eo modo inquirentibus, quo modo est ille a quo quæritur, intus discere idoneus; velut si abs te quærerem hoc ipsum quod agitur, utrumnam verbis doceri nihil possit, et absurdum tibi primo videretur non valenti totum conspicere : sic ergo quærere oportuit, ut tuæ sese vires habent ad audiendum illum intus magistrum, ut dicerem, Ea quæ me loquente vera esse confiteris, et certus es, et te illa nosse confirmas, unde didicisti? responderes fortasse quod ego docuissem. Tum ego subnecterem : Quid si me hominem volantem vidisse dicerem, itane te certum verba mea redderent, quemadmodum si audires sapientes homines stultis esse meliores? Negares profecto et responderes, illud te non credere, aut etiamsi crederes ignorare, hoc autem certissime scire. Ex hoc jam nimirum intelligeres, neque in illo quod me affirmante ignorares, neque in hoc quod optime scires, aliquid te didicisse verbis meis; quandoquidem etiam interrogatus de singulis, et illud ignotum, et hoc tibi notum esse jurares. Tum vero totum illud quod negaveras fatereris, cum hæc ex quibus constat, clara et certa esse cognosceres; omnia scilicet quæ loquimur, aut ignorare auditorem utrum vera sint, aut falsa esse non ignorare, aut scire vera esse. Horum trium in primo aut credere, aut opinari, aut dubitare; in secundo adversari atque renuere; in tertio attestari : nusquam igitur discere. Quia et ille qui post verba nostra rem nescit, et qui se falsa novit audisse, et qui posset interrogatus eadem respondere quæ dicta sunt, nihil verbis meis didicisse convincitur.

[1] Er. Lov. *si autem ille non sensit.* M.

CAPUT XIII.—*Verborum vi ne quidem animus loquentis aperitur.*

41. Quamobrem in iis etiam quæ mente cernuntur, frustra cernentis loquelas audit quisquis ea cernere non potest, nisi quia talia quamdiu ignorantur utile est credere : quisquis autem cernere potest, intus est discipulus veritatis, foris judex loquentis, vel potius ipsius locutionis. Nam plerumque scit illa quæ dicta sunt, eo ipso nesciente quæ dixit; veluti si quisquam Epicureis credens et mortalem animam putans, eas rationes quæ de immortalitate ejus a prudentioribus tractatæ sunt, eloquatur, illo audiente qui spiritualia contueri potest; judicat iste eum vera dicere : at ille qui dicit, utrum vera dicat ignorat, imo etiam falsissima existimat : num igitur putandus est ea docere quæ nescit? Atqui iisdem verbis utitur, quibus uti etiam sciens posset.

42. Quare jam ne hoc quidem relinquitur verbis, ut his saltem loquentis animus indicetur; si quidem incertum est utrum ea quæ loquitur, sciat. Adde mentientes atque fallentes, per quos facile intelligas non modo non aperiri, verum etiam occultari animum verbis. Nam nullo modo ambigo id conari verba veracium, et quodammodo profiteri, ut animus loquentis appareat; quod obtinerent omnibus concedentibus, si loqui mentientibus non liceret. Quanquam sæpe experti fuerimus, et in nobis et in aliis, non earum rerum quæ cogitantur, verba proferri : quod duobus modis posse accidere video, cum aut sermo memoriæ mandatus et sæpe decursus, alia cogitandis ore funditur; quod nobis cum hymnum canimus sæpe contingit : aut cum alia pro aliis verba præter voluntatem nostram linguæ ipsius errore prosiliunt; nam hic quoque non earum rerum signa quas in animo habemus, audiuntur. Nam mentientes quidem cogitant etiam de iis rebus quas loquuntur, ut tametsi nesciamus an verum dicant, sciamus tamen eos in animo habere quod dicunt, si non eis aliquid duorum quæ dixi accidat : quæ si quis et interdum accidere contendit, et cum accidit apparere, quanquam sæpe occultum est, et sæpe me fefellit audientem, non resisto.

43. Sed his accidit aliud genus, sane late patens, et semen innumerabilium dissensionum atque certaminum : cum ille qui loquitur, eadem quidem significat quæ cogitat, sed plerumque tantum sibi et aliis quibusdam; ei vero cui loquitur et item aliis nonnullis, non idem significat. Dixerit enim aliquis audientibus nobis, ab aliquibus belluis hominem virtute superari; nos illico ferre non possumus, et hanc tam falsam pestiferamque sententiam magna intentione refellimus : cum ille fortasse virtutem, vires corporis vocet, et hoc nomine id quod cogitavit enuntiet, nec mentiatur, nec erret in rebus, nec aliud aliquid volvens animo, mandata memoriæ verba contexit, nec linguæ lapsu aliud quam volvebat sonet; sed tantummodo rem quam cogitat, alio quam nos nomine ap-

pellat : de qua illi statim assentiremur, si ejus cogitationem possemus inspicere, quam verbis jam prolatis explicataque sententia sua, nondum nobis pandere valuit. Huic errori definitionem mederi posse dicunt, ut in hac quæstione si definiret quid sit virtus; eluceret, aiunt, non de re, sed de verbo esse controversiam : quod ut concedam ita esse, quotusquisque bonus definitor inveniri potest? et tamen adversus disciplinam definiendi multa disputata sunt; quæ neque hoc loco tractare opportunum est, nec usquequaque a me probantur.

44. Omitto quod multa non bene audimus, et quasi de auditis diu multumque contendimus; velut tu nuper verbo quodam punico, cum ego misericordiam dixissem, pietatem significari te audisse dicebas ab eis quibus hæc lingua magis nota esset : ego autem resistens, quid acceperis tibi omnino excidisse asserebam; visus enim mihi eras non pietatem dixisse, sed fidem, cum et conjunctissimus mihi assideres, et nullo modo hæc duo nomina similitudine soni aurem decipiant. Diu te tamen arbitratus sum nescire quid tibi dictum sit, cum ego nescirem quid dixeris : nam si te bene audissem, nequaquam mihi videretur absurdum pietatem et misericordiam uno vocabulo punice vocari. Hæc plerumque accidunt; sed ea, ut dixi, omittamus, ne calumniam verbis de audientis negligentia, vel etiam de surditate hominum videar commovere : illa magis angunt quæ superius enumeravi, ubi verbis liquidissime aure perceptis et latinis non valemus, cum ejusdem linguæ simus, locutionem cogitata cognoscere.

45. Sed ecce jam remitto et concedo, cum verba ejus auditu cui nota sunt, accepta fuerint, posse illi esse notum de iis rebus quas significant, loquentem cogitavisse : num ideo etiam quod nunc quæritur, utrum vera dixerit, discit?

CAPUT XIV.—*Christus intus docet, homo verbis foris admonet.*

Num hoc magistri profitentur, ut cogitata eorum, ac non ipsæ disciplinæ quas loquendo se tradere putant, percipiantur atque teneantur? Nam quis tam stulte curiosus est, qui filium suum mittat in scholam, ut quid magister cogitet discat? At istas omnes disciplinas quas se docere profitentur, ipsiusque virtutis atque sapientiæ, cum verbis explicaverint; tum illi qui discipuli vocantur, utrum vera dicta sint, apud semetipsos considerant, interiorem scilicet illam veritatem pro viribus intuentes. Tunc ergo discunt : et cum vera dicta esse intus invenerint, laudant, nescientes non se doctores potius laudare quam doctos; si tamen et illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, ut eos qui non sunt magistros vocent, quia plerumque inter tempus locutionis et tempus cognitionis, nulla mora interponitur; et quoniam post admonitionem sermocinantis cito intus discunt, foris se ab eo qui admonuit, didicisse arbitrantur.

46. Sed de tota utilitate verborum, quæ si bene consideretur non parva est, alias, si Deus siverit, requiremus. Nunc enim ne plus eis quam oportet tribueremus, admonui te; ut jam non crederemus tantum, sed etiam intelligere inciperemus quam vere scriptum sit auctoritate divina, ne nobis quemquam magistrum dicamus in terris, quod unus omnium magister in cœlis sit (*Matth.* XXIII, 8-10). Quid sit autem in cœlis, docebit ipse a quo etiam per homines signis admonemur et foris, ut ad eum intro conversi erudiamur : quem diligere ac nosse beata vita est, quam se omnes clamant quærere, pauci autem sunt qui eam vere se invenisse lætentur. Sed jam mihi dicas velim, quid de hoc toto meo sermone sentias. Si enim vera esse quæ dicta sunt nosti, etiam de singulis sententiis interrogatus ea te scire dixisses : vides ergo a quo ista didiceris; neque enim a me, cui roganti omnia responderes. Si autem vera esse non nosti, nec ego nec ille te docuit : sed ego, quia nunquam possum docere; ille, quia tu adhuc non potes discere. *Ad.* Ego vero didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem ut discat, et perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet : utrum autem vera dicantur, eum docere solum, qui se intus habitare, cum foris loqueretur, admonuit; quem jam, favente ipso, tanto ardentius diligam, quanto ero in discendo provectior. Verumtamen huic orationi tuæ, qua perpetua usus es, ob hoc habeo maxime gratiam, quod omnia quæ contradicere paratus eram, præoccupavit atque dissolvit; nihilque omnino abs te derelictum est, quod me dubium faciebat, de quo non ita mihi responderet secretum illud oraculum, ut tuis verbis asserebatur.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTIBUS TRIBUS LIBRIS DE LIBERO ARBITRIO.

Ex Reliquis hujusce tomi libris qui ad confutandos Manichæorum errores spectant, primum hic, ut in hactenus excusis, exhibetur opus cui de Libero Arbitrio titulus est : quod quidem anno Christi trecentesimo octogesimo octavo Romæ agente Augustino inchoatum, absolutum vero arbitramur anno trecentesimo nonagesimo quinto. Non enim perfectum ab ipso fuit post elapsum hunc annum quo episcopatum adeptus est, cum illius secundum tertiumque librum presbyter, ut ait, ordinatus terminaverit (*Retract. lib.* 1, *cap.* 9, *n.* 1). Neque etiam ante annum eumdem, cum Augustinus in Epistola 27, n. 4, Paulino Nolensi episcopo scribat nescire se aliquod scriptionis genus edidisse quod Romanianus (qui videlicet in Italiam sub istius anni exordium profectus erat) penes se non haberet; postea vero, Epistola 31, n. 7, hoc opus Paulino ipsi offerat sub his verbis : « Tres libros, atque utinam tam grandis quæstionis ita explicatores ut grandes, misi Sanctitati et Charitati tuæ;

« nam quæstio eorum de Libero Arbitrio est. Hos autem non habere, aut omnes non habere fratrem Roma-« nianum scio, » etc.

In primo libro mota perdifficili quæstione illa, qua se olim vehementer agitatum atque in Manichæos impulsum fuisse confitetur Augustinus, Unde scilicet malum exortum sit, explicat primum quid sit male facere, tumque mala hominum facta nonnisi ex libero voluntatis arbitrio proficisci probat; quippe cum libidini, quæ in omnibus malefactis dominatur, servire mens a nullo cogatur.

In libro secundo, difficultate quod libertas, qua peccatur, a Deo data sit emergente, tria hæc disquiruntur : Qua ratione Deum esse manifestum sit; an ab ipso sint bona quæcumque; utrum in bonis censenda sit libera voluntas.

In tertio disputatur unde iste motus existat quo ipsa voluntas ab incommutabili bono avertitur ad commutabile bonum; an invicem adversentur Dei præscientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat; et prorsus de creaturæ, quæ peccato obnoxia sit, conditione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitium perducta disputatione, declaratur quemadmodum hoc ipsum haud injuste in Adæ posteros demanarit; et deinceps difficultates nonnullæ huc pertinentes enodantur.

S. AUGUSTINUS, EPIST. 143, MARCELLINO.

« Litteræ tuæ... habent quæstionem mihi propositam ex libris, non divinis, sed meis, quos scripsi de Libero Arbitrio. In talibus autem quæstionibus non multum laboro : quia etsi defendi sententia mea liquida ratione non potest, mea est; non ejus auctoris, cujus sensum improbare fas non est... Hoc tamen quod in tertio libro de Libero Arbitrio cum de substantia rationali agerem sic a me positum est ut dicerem : « In corporibus autem « inferioribus anima post peccatum ordinata regit corpus suum, non omnimodo pro arbitrio, sed sicut leges uni-« versitatis sinunt : » diligenter advertant, qui putant me aliquid de anima humana velut certum statuisse atque fixisse, quod vel ex parentibus per propaginem veniat, vel in actibus vitæ superioris atque cœlestis peccaverit, ut corruptibili carne mereretur includi; et videant sic a me verba fuisse perpensa, ut retento eo quod certum habeo, post peccatum primi hominis natos esse atque nasci cæteros homines in carne peccati, cui sanandæ venit in Domino similitudo carnis peccati, ita omnia sonarent, ut nulli præjudicarent opinioni quatuor illarum, quas postea digessi atque distinxi, non confirmans aliquam, sed interim quod agebam sequestrata illarum discussione determinans, ut quæcumque illarum vera esset, Deus sine dubio laudaretur. Sive enim, » etc.

*Vide præterea librum* 1, *cap.* 9, Retractationum, *col.* 595, *a verbis*, Cum adhuc Romæ, *n.* 1, *usque ad col.* 599, *n.* 6, *verbis*, non sit auctor mali. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE LIBERO ARBITRIO
## LIBRI TRES (a).

## *LIBER PRIMUS.*

In quo mota quæstione, Unde malum, explicatur quid sit male agere; tumque mala hominum facta ex libero voluntatis arbitrio proficisci ostenditur; quippe cum libidini, quæ in omni facto malo regnat, servire mens a nullo cogatur.

CAPUT PRIMUM. — *Deus an alicujus mali auctor.*

1. Evodius (*b*) : Dic mihi, quæso te, utrum Deus non sit auctor mali? Augustinus : Dicam, si planum feceris de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum : uno, cum male quemque fecisse dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpesum. *E.* De utroque scire cupio. *A.* At si Deum bonum esse nosti vel credis, neque enim aliter fas est, male non facit : rursus, si Deum justum fatemur, nam et hoc negare sacrilegum est, ut bonis præmia,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

His castigandis subsidio fuerunt Mss. Corbeiensis, Germanensis, Gemmeticensis, Pratellensis, Audoenensis, Sergiensis, Casalensis, Regio-Montensis, Regius, Arnulfensis, Thuaneus, Victorinus, Sorbonici duo, unus Augustinianorum Paris. majoris conventus, Dominicanorum via Jacobæa, Remensis ecclesiæ, Vedastinus et Vaticanus, lectiones quoque Belgicorum quatuor apud Lov., ac editiones Bad. Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

(*a*) Inchoati anno Christi 388, absoluti anno 395.

(*b*) In iis libris dialogi forma conscribendis colloquutore usus est, non Orosio uti Badiana editio præfert, sed Evodio, cui postmodum episcopo sic Augustinus in Epistola 162, n. 2 rescribit : « Quanquam et illa si relegas... quæ te « conferente mecum ac sermocinante conscripsi, sive de « Animæ Quantitate, sive de Libero arbitrio; invenies « unde disolvas, et sine opera mea, dubitationes tuas. »

ita supplicia malis tribuit; quæ utique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo injuste pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem divina providentia hoc universum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, hujus autem secundi auctor est Deus. *E.* Est ergo alius auctor illius mali, cujus Deum non esse compertum est? *A.* Est certe : non enim nullo auctore fieri posset. Si autem quæris quisnam iste sit, dici non potest : non enim unus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti auctor est. Unde si dubitas, illud attende quod supra dictum est, malefacta justitia Dei vindicari. Non enim juste vindicarentur, nisi fierent voluntate (*a*).

2. *E.* Nescio utrum quisquam peccet, qui non didicerit : quod si verum est, quisnam sit ille a quo peccare didicerimus, inquiro. *A.* Aliquid boni existimas esse disciplinam? *E.* Quis audeat dicere malum esse disciplinam? *A.* Quid, si nec bonum nec malum est? *E.* Mihi bonum videtur. *A.* Bene sane; siquidem scientia per illam datur aut excitatur, nec quisquam nisi per disciplinam aliquid discit : an tu aliter putas? *E.* Ego per disciplinam non nisi bona disci arbitror. *A.* Vide ergo ne non discantur mala : nam disciplina, nisi a discendo non dicta est. *E.* Unde ergo ab homine fiunt si non discuntur? *A.* Eo fortasse quod se a disciplina, id est a discendo avertit atque abalienat : sed sive hoc, sive aliud aliquid sit, illud certe manifestum est, quoniam disciplina bonum est, et a discendo dicta est disciplina, mala disci omnino non posse. Si enim discuntur, disciplina continentur, atque ita disciplina non erit bonum; bonum est autem, ut ipse concedis : non igitur discuntur mala, et frustra illum a quo male facere discimus, quæris; aut si discuntur mala, vitanda non facienda discuntur. Ex quo male facere nihil est, nisi a disciplina deviare.

3. *E.* Prorsus ego duas disciplinas esse puto; unam per quam bene facere, aliam per quam male facere discimus. Sed cum quæreres utrum disciplina bonum esset, ipsius boni amor intentionem meam rapuit, ut illam disciplinam intuerer, quæ bene faciendi est, ex quo bonum esse respondi : nunc autem admoneor esse aliam, quam procul dubio malum esse confirmo, et cujus auctorem requiro. *A.* Saltem intelligentiam non nisi bonum putas? *E.* Istam plane ita bonam puto, ut non videam quid in homine possit esse præstantius; nec ullo modo dixerim aliquam intelligentiam malam esse posse. *A.* Quid? cum docetur quisque, si non intelligat, poteritne tibi doctus videri? *E.* Omnino non poterit. *A.* Si ergo omnis intelligentia bona est, nec quisquam qui non intelligit, discit; omnis qui discit, bene facit : omnis enim qui discit, intelligit; et omnis qui intelligit, bene facit : quisquis igitur quærit auctorem, per quem aliquid discimus, auctorem profecto per quem bene facimus, quærit. Quapropter desine velle investigare nescio quem malum doctorem. Si enim malus est, doctor non est : si doctor est, malus non est.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

CAPUT II. — *Malum unde priusquam disquiratur, quid de Deo credendum.*

4. *E.* Age jam, quoniam satis cogis ut fatear non nos discere male facere, dic mihi unde male faciamus. *A.* Eam quæstionem moves, quæ me admodum adolescentem vehementer exercuit, et fatigatum in hæreticos impulit, atque dejecit. Quo casu ita sum afflictus, et tantis obrutus acervis inanium fabularum, ut nisi mihi amor inveniendi veri opem divinam impetravisset, emergere inde, atque in ipsam primam quærendi libertatem respirare non possem. Et quoniam mecum sedulo actum est, ut ista quæstione liberarer, eo tecum agam ordine quem secutus evasi. Aderit enim Deus, et nos intelligere quod credidimus, faciet. Præscriptum enim per prophetam gradum, qui ait, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX), tenere nos, bene nobis conscii sumus. Credimus autem ex uno Deo omnia esse quæ sunt; et tamen non esse peccatorum auctorem Deum. Movet autem animum, si peccata ex iis animabus sunt quas Deus creavit, illæ autem animæ ex Deo, quomodo non parvo intervallo peccata referantur in Deum.

5. *E.* Id nunc plane abs te dictum est, quod me cogitantem satis excruciat, et quod ad istam inquisitionem coegit et traxit. *A.* Virili animo esto, et crede quod credis : nihil enim creditur melius, etiamsi causa lateat cur ita sit. Optime namque de Deo existimare verissimum est pietatis exordium; nec quisquam de illo optime existimat, qui non eum omnipotentem, atque ex nulla particula commutabilem credit; bonorum etiam omnium creatorem, quibus est ipse præstantior; rectorem quoque justissimum eorum omnium quæ creavit; nec ulla adjutum esse natura in creando, quasi qui non sibi sufficeret. Ex quo fit ut de nihilo creaverit omnia; de se autem non creaverit, sed genuerit quod sibi par esset, quem Filium Dei unicum dicimus, quem cum planius enuntiare conamur, Dei Virtutem et Dei Sapientiam nominamus, per quam fecit omnia, quæ de nihilo facta sunt. Quibus constitutis, ad intelligentiam ejus rei quam requiris, opitulante Deo, nitamur hoc modo.

CAPUT III. — *Mali natura ex libidine.*

6. Quæris certe unde male faciamus : prius ergo discutiendum est quid sit male facere; qua de re tibi quid videatur exprome. Quod si non potes totum simul breviter verbis comprehendere, saltem particulatim malefacta ipsa commemorando, sententiam tuam notam fac mihi. *E.* Adulteria et homicidia et sacrilegia, ut omittam cætera, quibus enumerandis vel tempus vel memoria non suppetit, quis est cui non male facta videantur? *A.* Dic ergo prius, cur adulterium male fieri putes; an quia id facere lex vetat? *E.* Non sane ideo malum est, quia vetatur lege; sed ideo vetatur lege, quia malum est. *A.* Quid, si quispiam nos exagitet, exaggerans delectationes adulterii, et quærens a nobis cur hoc malum et damnatione dignum judicemus; num ad auctoritatem legis confugiendum censes hominibus, jam non tantum credere, sed intelligere cupientibus? Nam et ego

tecum credo, et inconcusse credo, omnibusque populis atque gentibus credendum esse clamo, malum esse adulterium : sed nunc molimur id quod in fidem recepimus, etiam intelligendo scire ac tenere firmissimum: Considera itaque quantum potes, et renuntia mihi, quanam ratione adulterium malum esse cognoveris. *E.* Hoc scio malum esse, quod hoc ipse in uxore mea pati nollem : quisquis autem alteri facit quod sibi fieri non vult, male utique facit. *A.* Quid, si cujuspiam libido ea sit, ut uxorem suam præbeat alteri, libenterque ab eo corrumpi patiatur, in cujus uxorem vicissim parem cupit habere licentiam? nihilne mali facere tibi videtur? *E.* Imo plurimum. *A.* At iste non illa regula peccat : non enim id facit quod pati nolit. Quamobrem aliud tibi quærendum est, unde malum esse adulterium convincas.

7. *E.* Eo mihi videtur malum, quod hujus criminis homines vidi sæpe damnari. *A.* Quid, propter recte facta nonne homines plerumque damnati sunt? Recense historiam, ne te ad alios libros mittam, eam ipsam quæ divina auctoritate præcellit; jam invenies quam male de Apostolis et de omnibus martyribus sentiamus, si placet nobis damnationem certum indicium esse malefacti, cum illi omnes damnatione digni propter confessionem suam judicati sint. Quamobrem si quidquid damnatur malum est, malum erat illo tempore credere in Christum, et ipsam confiteri fidem : si autem non omne malum est quod damnatur, quære aliud unde adulterium malum esse doceas. *E.* Quid tibi respondeam non invenio.

8. *A.* Fortassis ergo libido in adulterio malum est : sed dum tu foris in ipso facto quod jam videri potest, malum quæris, pateris angustias. Nam ut intelligas libidinem in adulterio malum esse, si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, et si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur. *E.* Nihil est omnino manifestius, et jam video non opus esse longa sermocinatione, ut mihi de homicidio et sacrilegio, ac prorsus de omnibus peccatis persuadeatur. Clarum est enim jam nihil aliud quam libidinem in toto malefaciendi genere dominari.

## CAPUT IV. — *Objectio de homicidio patrato ex metu. Cupiditas culpabilis quid sit.*

9. *A.* Scisne etiam istam libidinem alio nomine cupididatem vocari? *E.* Scio. *A.* Quid? inter hanc et metum nihilne interesse, an aliquid putas? *E.* Imo plurimum hæc ab invicem distare arbitror. *A.* Credo te ob hoc arbitrari, quia cupiditas appetit, metus fugit. *E.* Est ita ut dicis. *A.* Quid si ergo quispiam non cupiditate adipiscendæ alicujus rei, sed metuens ne quid ei mali accidat, hominem occiderit? num homicida iste non erit? *E.* Erit quidem, sed non ideo factum hoc cupiditatis dominatu caret : nam qui metuens hominem occidit, cupit utique sine metu vivere. *A.* Et parvum tibi videtur bonum sine metu vivere? *E.* Magnum bonum est, sed hoc illi homicidæ per facinus suum provenire nullo modo potest. *A.* Non quæro quid ei provenire possit, sed quid ipse cupiat : certe enim bonum cupit, qui cupit vitam metu liberam; et idcirco ista cupiditas culpanda non est; alioquin omnes culpabimus amatores boni. Proinde cogimur fateri esse homicidium, in quo nequeat malæ illius cupiditatis dominatio reperiri; falsumque erit illud, quod in omnibus peccatis ut mala sint, libido dominatur; aut erit aliquod homicidium, quod possit non esse peccatum [1]. *E.* Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato : nam et miles hostem, et judex vel minister ejus nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt. *A.* Assentior : sed homicidæ isti appellari non solent. Responde itaque, utrum illum qui dominum occidit, a quo sibi metuebat cruciatus graves, in eorum numero habendum existimes, qui sic hominem occidunt, ut ne homicidarum quidem nomine digni sint? *E.* Longe ab eis istum differre video : nam illi vel ex legibus faciunt, vel non contra leges; hujus autem facinus nulla lex approbat.

10. *A.* Rursus me ad auctoritatem revocas : sed meminisse te oportet id nunc a nobis esse susceptum, ut intelligamus quod credimus; legibus autem credimus : tentandum itaque est, si quo modo possumus id ipsum intelligere, utrum lex quæ punit hoc factum, non perperam puniat. *E.* Nullo modo perperam punit, quandoquidem punit eum qui volens et sciens dominum necat, quod nullus istorum. *A.* Ecquid, recordaris te paulo ante dixisse, in omni facto malo libidinem dominari, et eo ipso malum esse? *E.* Recordor sane. *A.* Quid? illud nonne idem tu concessisti, eum qui cupit sine metu vivere, non habere malam cupiditatem? *E.* Et hoc recordor. *A.* Cum ergo ista cupiditate a servo dominus interimitur, non illa culpabili cupiditate interimitur. Quamobrem cur sit hoc facinus malum, nondum comperimus. Convenit enim inter nos omnia malefacta non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, id est improbanda cupiditate, fiunt. *E.* Jam mihi videtur injuria iste damnari : quod quidem non auderem dicere, si aliud haberem quod dicerem. *A.* Itane prius tibi persuasisti tantum scelus impunitum esse oportere, quam considerares utrum ille servus propter satiandas libidines suas metu domini carere cupiverit? Cupere namque sine metu vivere, non tantum bonorum, sed etiam malorum omnium est; verum hoc interest, quod id boni appetunt avertendo amorem ab iis rebus, quæ sine amittendi periculo nequeunt haberi; mali autem ut his fruendis cum securitate incubent, removere impedimenta conantur, et propterea facinorosam scelera-

[1] In prius editis interlocutores persæpe interserebantur unus pro alio, et alibi quam oporteret; ut hic loci, ubi omittebatur, *E.* ac postea ponebatur, *E. Assentior..... A. Responde itaque;* quem errorem sicubi juvantibus antiquis codicibus corrigemus, haud pigebit suis, locis monere. Removimus porro particulam *tamen*, quæ illic adest apud vulgatos, *potest tamen accidere aliquando :* abest autem a Mss.

tamque vitam, quæ mors melius vocatur, gerunt. *E.* Resipisco, et admodum gaudeo jam me plane cognovisse quid sit etiam illa culpabilis cupiditas, quæ libido nominatur. Quam esse jam apparet earum rerum amorem, quas potest quisque invitus amittere.

### CAPUT V. — *Objectio altera de occisione hominis vim afferentis per humanas leges licita.*

11. Quare nunc, age, quæramus, si placet, utrum etiam in sacrilegiis libido dominetur, quæ videmus plura superstitione committi. *A.* Vide ne præpropere rum sit : prius enim mihi discutiendum videtur utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius, sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia, sine ulla interficiatur libidine. *E.* Quomodo possum arbitrari carere istos libidine, qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti : aut si non possunt, quid opus est pro his usque ad hominis necem progredi? *A* [1]. Non ergo lex justa est, quæ dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat; vel cuipiam viro aut feminæ ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat. Nam militi etiam jubetur lege, ut hostem necet : a qua cæde si temperaverit, ab imperatore pœnas luit. Num istas leges injustas, vel potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.

12. *E.* Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis ne majora committerentur, dedit licentiam. Multo est enim mitius cum qui alienæ vitæ insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. Et multo est immanius invitum hominem stuprum perpeti, quam eum a quo vis illa infertur, ab eo cui inferre conatur, interimi. Jam vero miles in hoste interficiendo minister est legis ; quare officium suum facile nulla libidine implevit. Porro ipsa lex, quæ tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest. Siquidem ille qui tulit, si Dei jussu tulit, id est quod præcepit æterna justitia, expers omnino libidinis id agere potuit : si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit; quia bona lex et a non bono ferri potest. Non enim si quis, verbi causa, tyrannicam potestatem nactus, ab aliquo cui hoc conducit, pretium accipiat, ut statuat nulli licere vel ad conjugium feminam rapere, propterea mala lex erit, quia ille injustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi quæ tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli jubet, sine libidine obtemperari : et de omnibus ministris, qui jure atque ordine potestatibus quibusque subjecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculpata, quomodo inculpati queant esse, non video : non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum eis itaque est neminem necare pro iis rebus quas inviti possunt amittere, et ob hoc amare non debent. De vita enim fortasse cuipiam sit dubium, utrum animæ nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur : sed si auferri potest, contemnenda est; si non potest, nihil metuendum. De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igitur erepturus erat ille qui occiditur, id totum in potestate nostra non est : quare quemadmodum nostrum appellandum sit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.

13. *A.* Multo minus [1] ego invenire possum, cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla lex tenet. *E.* Nulla fortasse, sed earum legum quæ apparent, et ab hominibus leguntur : nam nescio utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Videtur ergo mihi et legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, et divinam providentiam vindicare. Ea enim vindicanda sibi hæc lex populi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis, et quanta possunt per hominem regi. Illæ vero culpæ alias pœnas aptas habent, a quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. *A.* Laudo et probo istam, quamvis inchoatam minusque perfectam, tamen fidentem et sublimia quædam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur; et recte. Neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda sunt.

### CAPUT VI. — *Lex æterna moderatrix humanarum. Æternæ legis notio.*

14. Sed dispiciamus diligenter, si placet, quo usque per legem istam quæ populos in hac vita cohibet, malefacta ulciscenda sint : deinde quid restet, quod per divinam providentiam inevitabilius secretoque puniatur. *E.* Cupio, si modo perveniri possit ad tantæ rei terminos : nam hoc ego infinitum puto. *A.* Imo adesto animo, et rationis vias pietate fretus ingredere. Nihil est enim tam arduum atque difficile, quod non Deo adjuvante planissimum atque expeditissimum fiat. In ipsum itaque suspensi atque ab eo auxilium deprecantes, quod instituimus, quæramus. Et prius responde mihi, utrum ista lex quæ litteris promulgatur, hominibus hanc vitam viventibus opituletur. *E.* Manifestum est : nam ex his hominibus utique populi civitatesque consistunt. *A.* Quid? ipsi homines et populi, ejusdemne generis rerum sunt, ut interire mutarive non possint, æternique omnino sint? an vero mutabiles temporibusque subjecti sunt? *E.* Mutabile

[1] Editi hoc loco omittunt *A.* et infra reponunt, *A. Legem quidem.* Verum isthæc Evodii esse, cum orationis series, tum Mss. renuntiant.

[1] In hactenus editis habetur, *E. Multo minus* : moxque, *A. Nulla fortasse* : et infra, *E. Videtur ergo mihi.*

plane atque tempori obnoxium hoc genus esse quis dubitet? *A.* Ergo, si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo unusquisque minoris rem privatam quam publicam pendat; nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, id est publica, administretur? *E.* Recte prorsus. *A.* Porro si paulatim depravatus idem populus rem privatam rei publicæ præferat, atque habeat venale suffragium, corruptusque ab eis qui honores amant, regimen in se flagitiosis consceleratisque committat; nonne item recte, si quis tunc exstiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, et in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium? *E.* Et id recte. *A.* Cum ergo duæ istæ leges ita sibi videantur esse contrariæ, ut una earum honorum dandorum populo tribuat potestatem, auferat altera; et cum ista secunda ita lata sit, ut nullo modo ambæ in una civitate simul esse possint; num dicemus aliquam earum injustam esse, et ferri minime debuisse? *E.* Nullo modo. *A.* Appellemus ergo istam legem, si placet, temporalem, quæ quanquam justa sit, commutari tamen per tempora juste potest. *E.* Appellemus.

15. *A.* Quid? illa lex quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illa quam temporalem vocandam diximus, recte fertur, recteque mutatur, potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? An potest aliquando injustum esse ut mali miseri, boni autem beati sint; aut ut modestus et gravis populus ipse sibi magistratus creet, dissolutus vero et nequam ista licentia careat? *E.* Video hanc æternam esse atque incommutabilem legem. *A.* Simul etiam te videre arbitror in illa temporali nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivarint: nam si populus ille quodam tempore juste honores dedit, quodam rursus juste non dedit; hæc vicissitudo temporalis ut justa esset, ex illa æternitate tracta est, qua semper justum est gravem populum honores dare, levem non dare: an tibi aliter videtur? *E.* Assentior. *A.* Ut igitur breviter æternæ legis notionem, quæ impressa nobis est, quantum valeo verbis explicem, ea est qua justum est ut omnia sint ordinatissima: tu si aliter existimas, prome. *E.* Quid tibi vera dicenti contradicam non habeo. *A.* Cum ergo hæc sit una lex, ex qua illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, num ideo ipsa variari ullo modo potest? *E.* Intelligo omnino non posse: neque enim ulla vis, ullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit ut justum non sit omnia esse ordinatissima.

## CAPUT VII.

*Homo ex æterna lege quomodo ordinatissimus disquirendum, eoque fine ostenditur scire melius esse quam vivere.*

16. *A.* Age nunc, videamus, homo ipse quomodo in seipso sit ordinatissimus: nam ex hominibus una lege sociatis, populus constat; quæ lex, ut dictum est, temporalis est. Et dic mihi utrum certissimum sit tibi vivere te. *E.* Hoc vero quid certius responderim? *A.* Quid? illud potesne dignoscere, aliud esse vivere, aliud nosse se vivere? *E.* Scio quidem neminem se nosse vivere, nisi viventem; sed utrum omnis vivens noverit se vivere, ignoro. *A.* Quam vellem ut credis, ita etiam scires pecora carere ratione; cito nostra disputatio ab ista quæstione transiret: sed quoniam nescire te dicis, longam sermocinationem moves. Neque enim talis res est, qua prætermissa pergere in ea quæ intendimus, tanta connexione rationis, quanta opus esse sentio, sinamur. Dic itaque mihi, cum sæpe viderimus bestias ab hominibus domitas, id est, non corpus bestiæ tantum, sed et animam ita homini subjugatam, ut voluntati ejus sensu quodam et consuetudine serviat; utrum tibi ullo modo fieri posse videatur, ut bestia quælibet immanis vel feritate vel corpore, vel etiam sensu quolibet acerrima, pari vice sibi hominem subjugare conetur, cum corpus ejus seu vi seu clam multæ interimere valeant. *E.* Nullo modo istuc fieri posse consentio. *A.* Bene sane: sed item dic mihi, cum manifestum sit, viribus cæterisque officiis corporis a plurimis bestiis hominem facile superari, quænam res sit qua homo excellit, ut nulla ei bestiarum, ipse autem multis imperare possit? an forte ipsa est quæ ratio vel intelligentia dici solet? *E.* Non invenio aliud, quandoquidem in animo est id quo belluis antecellimus: quæ si exanimes essent, dicerem nos eo præstare, quod animum habemus. Nunc vero cum et illa sint animalia, id quod eorum animis non inest ut subdantur nobis, inest autem nostris ut eis meliores simus, quoniam neque nihil, neque parvum aliquid esse cuivis apparet; quid aliud rectius, quam rationem vocaverim? *A.* Vide quam facile fiat Deo adjuvante, quod homines difficillimum putant. Nam ego, fateor tibi, quæstionem istam, quæ, ut intelligo, terminata est, tamdiu nos retenturam putaveram, quam fortasse omnia quæ dicta sunt ab ipso nostræ disputationis exordio. Quare accipe jam, ut deinde ratio connectatur: nam credo non te ignorare, id quod scire dicimus, nihil esse aliud quam ratione habere perceptum. *E.* Ita est. *A.* Qui ergo scit se vivere, ratione non caret. *E.* Consequens est. *A.* Vivunt autem bestiæ, et sicut jam emicuit, rationis expertes sunt. *E.* Manifestum est. *A.* Ecce igitur jam nosti, quod te ignorare respondeas, non omne quod vivit scire se vivere, quanquam omne quod se vivere sciat, vivat necessario

17. *E.* Non mihi est jam dubium; perge quo intenderas: aliud enim esse vivere, aliud scire se vivere, satis didici. *A.* Quid ergo tibi horum duorum videtur esse præstantius? *E.* Quid putas, nisi scientiam vitæ? *A.* Meliorne tibi videtur vitæ scientia quam ipsa vita? an forte intelligis superiorem quamdam et sinceriorem vitam esse scientiam, quam scire nemo potest, nisi qui intelligit? Intelligere autem quid est, nisi ipsa luce mentis illustrius perfectiusque vivere? Quare tu mihi, nisi fallor, non vitæ aliud aliquid, sed cuidam vitæ meliorem vitam præposuisti. *E.* Optime

omnino et cognovisti et explicasti sententiam meam : si tamen scientia mala esse nunquam potest. *A.* Nullo modo arbitror, nisi cum translato verbo scientiam pro experientia dicimus : experiri enim non semper bonum est ; sicut experiri supplicia : illa vero quæ proprie ac pure scientia nominatur, quia ratione atque intelligentia paratur, mala esse qui potest? *E.* Teneo et istam differentiam : persequere cætera.

CAPUT VIII. — *Ratio qua præcellit homo bestiis debet in ipso dominari.*

18. *A.* Illud est quod volo dicere : hoc quidquid est, quo pecoribus homo præponitur, sive mens, sive spiritus, sive utrumque rectius appellatur (nam utrumque in divinis Libris invenimus), si dominetur atque imperet cæteris quibuscumque homo constat, tunc esse hominem ordinatissimum. Videmus enim habere nos non solum cum pecoribus, sed etiam cum arbustis et stirpibus multa communia : namque alimentum corporis sumere, crescere, gignere, vigere, arboribus quoque tributum videmus, quæ infima quadam vita continentur ; videre autem atque audire, et olfactu, gustu, tactu corporalia sentire posse bestias, et acrius plerasque quam nos, cernimus et fatemur. Adde vires et valentiam firmitatemque membrorum, et celeritates facillimosque corporis motus, quibus omnibus quasdam earum superamus, quibusdam æquamur, a nonnullis etiam vincimur. Genus tamen ipsum rerum est nobis certe commune cum belluis : jam vero appetere voluptates corporis, et vitare molestias, ferinæ vitæ omnis actio est. Sunt alia quædam, quæ jam cadere in feras non videntur, nec tamen in homine ipso summa sunt, ut jocari et ridere : quod humanum quidem, sed infimum hominis judicat, quisquis de natura humana rectissime judicat. Deinde amor laudis et gloriæ, et affectatio dominandi, quæ tametsi bestiarum non sunt, non tamen earum rerum libidine bestiis meliores nos esse arbitrandum est. Nam et iste appetitus cum rationi subditus non est, miseros facit. Nemo autem cuiquam miseria se præponendum putavit. Hisce igitur motibus animæ cum ratio dominatur, ordinatus homo dicendus est. Non enim ordo rectus, aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subjiciuntur : an tibi non videtur? *E.* Manifestum est. *A.* Ratio ista ergo, vel mens, vel spiritus cum irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea quam æternam esse comperimus. *E.* Intelligo ac sequor.

CAPUT IX. — *Stulti et sapientis discrimen ex dominatu aut servitute mentis.*

19. *A.* Cum ergo ita homo constitutus atque ordinatus est, nonne tibi sapiens videtur? *E.* Nescio alius quis mihi sapiens homo videri possit, si hic non videtur. *A.* Credo etiam te illud scire, plerosque homines stultos esse. *E.* Hoc quoque satis constat. *A.* At si stultus sapienti est contrarius, quoniam sapientem comperimus, quis etiam stultus sit, profecto jam intelligis. *E.* Cui non appareat hunc esse, in quo mens summam potestatem non habet? *A.* Quid igitur dicendum, cum homo ita est affectus? deesse illi mentem ; an, quamvis insit, eam carere dominatu? *E.* Hoc potius quod ultimum subjecisti [1]. *A.* Pervellem abs te audire, quibus documentis perceptum habeas, mentem inesse homini, quæ suum non exserat principatum. *E.* Utinam tuas istas partes facere velles : nam non mihi facile est sustinere quod ingeris. *A.* Illud saltem facile est tibi recordari, quod paulo ante diximus, quemadmodum bestiæ mansuefactæ ab hominibus ac domitæ serviant : quod ab eis vicissim homines, ut demonstravit ratio, paterentur nisi aliquo excellerent. Id autem non inveniebamus in corpore : ita cum in animo esse appareret ; quid aliud appellandum esset quam ratio, non comperimus ; quam postea et mentem et spiritum vocari recordati sumus. Sed si aliud ratio, aliud mens, constat certe nonnisi mentem uti posse ratione. Ex quo illud conficitur, eum qui rationem habet, mente carere non posse. *E.* Probe ista reminiscor ac teneo. *A.* Quid? illud credisne, domitores belluarum nisi sapientes esse non posse? Eos enim sapientes voco, quos veritas vocari jubet, id est, qui regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt. *E.* Ridiculum est tales putare istos, quos vulgo mansuetarios nuncupant, vel etiam pastores aut bubulcos, aut aurigas, quibus omnibus domitum pecus subjectum videmus, et quorum industria indomitum subjici. *A.* En igitur habes documentum certissimum, quo manifestum fiat inesse mentem homini sine dominatu. His quippe inest ; agunt enim talia, quæ agi sine mente non possent : non tamen regnat [2] ; nam stulti sunt, neque regnum mentis nisi sapientium esse, percognitum est. *E.* Mirum est hoc jam fuisse a nobis in superioribus confectum, et mihi quid responderem, non potuisse in mentem venire.

CAPUT X. — *Mens a nullo cogitur servire libidini.*

20. Sed alia contexamus. Jam enim et regnum mentis humanæ humanam esse sapientiam, et eam posse etiam non regnare, compertum est. *A.* Putasne ista mente, cui regnum in libidines æterna lege concessum esse cognoscimus, potentiorem esse libidinem? ego enim nullo pacto puto. Neque enim esset ordinatissimum ut impotentiora potentioribus imperarent. Quare necesse arbitror esse ut plus possit mens quam cupiditas, eo ipso quo cupiditati recte justeque dominatur. *E.* Ego quoque ita sentio. *A.* Quid? virtutem omnem num dubitamus omni vitio sic anteponere, ut virtus quanto melior atque sublimior, tanto firmior invictiorque sit? *E.* Quis dubitaverit? *A.* Nullus igitur vitiosus animus virtute armatum animum superat. *E.* Verissimum est. *A.* Jam corpore omni qualemlibet animum meliorem potentioremque esse, non te arbitror negaturum. *E.* Nemo id negat, qui (quod facile est) videt aut substantiam viventem non viventi, aut eam quæ vitam dat ei quæ accipit, esse præferendam. *A.* Multo minus igitur cor-

[1] In prius vulgatis deest hic, *A.*, et post vocem *principatum* sic reponitur, *A. Utinam ;* rursusque omittitur *A.* in loco proxime sequenti.

[2] Lov., *non tamen regnant.* Sed melius alii Cdd., *regnat :* scilicet mens.

pus, qualecumque id sit, animum virtute præditum vincit. *E.* Evidentissimum est. *A.* Quid? animus justus, mensque jus proprium imperiumque custodiens, num potest aliam mentem pari æquitate ac virtute regnantem, ex arce dejicere, atque libidini subjugare? *E.* Nullo modo; non solum propter eamdem in utraque excellentiam, sed etiam quod a justitia prior decidet, fietque vitiosa mens, quæ aliam facere conabitur, eoque ipso erit infirmior.

21. *A.* Bene intelligis; quare illud restat ut respondeas, si potes, utrum tibi videatur rationali et sapienti mente quidquam esse præstantius. *E.* Nihil præter Deum arbitror. *A.* Et mea ista sententia est. Sed quoniam res ardua est, neque nunc opportune quæritur, ut ad intelligentiam veniat, quanquam robustissima teneatur fide, integra nobis sit hujus quæstionis, diligens et cauta tractatio.

## CAPUT XI. — *Mens ex libera voluntate libidini serviens punitur juste.*

In præsentia enim scire possumus quæcumque illa natura sit, quam menti virtute pollenti fas est excellere, injustam esse nullo modo posse. Quare ne ista quidem, tametsi habeat potestatem, coget mentem servire libidini. *E.* Istud prorsus nemo est qui non sine ulla cunctatione fateatur. *A.* Ergo relinquitur ut quoniam regnanti menti compotique virtutis, quidquid par aut prælatum est, non eam facit servam libidinis propter justitiam; quidquid autem inferius est, non possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea quæ inter nos constiterunt docent; nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quam propria voluntas et liberum arbitrium. *E.* Nihil tam necessarium restare video.

22. *A.* Sequitur jam ut tibi videatur juste illam pro peccato tanto pœnas pendere. *E.* Negare non possum. *A.* Quid igitur? Num ista ipsa pœna parva existimanda est, quod ei libido dominatur, exspoliatamque virtutis opulentia, per diversa inopem atque indigentem trahit, nunc falsa pro veris approbantem, nunc etiam defensitantem, nunc improbantem quæ antea probavisset, et nihilominus in alia falsa irruentem; nunc assensionem suspendentem suam, et plerumque perspicuas ratiocinationes formidantem; nunc desperantem de tota inventione veritatis, et stultitiæ tenebris penitus inhærentem; nunc conantem in lucem intelligendi, rursusque fatigatione decidentem: cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice sæviat, et variis contrariisque tempestatibus totum hominis animum vitamque perturbet, hinc timore, inde desiderio; hinc anxietate, inde inani falsaque lætitia; hinc cruciatu rei amissæ quæ diligebatur, inde ardore adipiscendæ quæ non habebatur; hinc acceptæ injuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ: quaquaversum potest coarctare avaritia dissipare luxuria, addicere ambitio, inflare superbia, torquere invidia, desidia sepelire, pervicacia concitare, afflictare subjectio, et quæcumque alia innumerabilia regnum illius libidinis frequentant et exercent? possumusne tandem nullam istam pœnam putare, quam, ut cernis, omnes qui non inhærent sapientiæ, necesse est perpeti?

23. *E.* Magnam quidem istam pœnam esse judico, et omnino justam, si quis jam in sublimitate sapientiæ collocatus, inde descendere ac libidini servire delegerit: sed utrum esse quisquam possit incertum est, qui hæc aut voluerit facere, aut velit. Quanquam enim credamus hominem tam perfecte conditum a Deo, et in beata vita constitutum, ut ad ærumnas mortalis vitæ ipse inde propria voluntate delapsus sit; tamen hoc cum firmissima fide teneam, intelligentia nondum assecutus sum: cujus rei diligentem inquisitionem, si nunc differendam putas, me invito facis.

## CAPUT XII. — *Mortalis vitæ pœnas qui libidini serviunt, merito patiuntur, etiamsi sapientes nunquam fuerint.*

24. Verum illud quod me maxime movet, cur hujuscemodi acerbissimas pœnas patiamur nos, qui certe stulti sumus, nec sapientes unquam fuimus, ut merito hæc dicamur perpeti propter desertam virtutis arcem, et electam sub libidine servitutem, quin aperias disputando, si vales, nullo modo tibi differendum esse concesserim. *A.* Ita istuc dicis, quasi liquido compertum habeas nunquam nos fuisse sapientes: attendis enim tempus ex quo in hanc vitam nati sumus. Sed cum sapientia in animo sit, utrum ante consortium hujus corporis alia quadam vita vixerit animus, et an aliquando sapienter vixerit, magna quæstio est, magnum secretum, et suo considerandum loco: neque ideo tamen hoc quod nunc habemus in manibus impeditur, quominus aperiatur ut potest.

25. Nam quæro abs te, sitne aliqua nobis voluntas. *E.* Nescio. *A.* Visne hoc scire? *E.* Et hoc nescio. *A.* Nihil ergo deinceps me interroges. *E.* Quare? *A.* Quia roganti tibi respondere non debeo, nisi volenti scire quod rogas. Deinde nisi velis ad sapientiam pervenire, sermo tecum de hujusmodi rebus non est habendus. Postremo meus amicus esse non poteris, nisi velis ut bene sit mihi. Jam vero de te tu ipse videris, utrum tibi voluntas nulla sit beatæ vitæ tuæ. *E.* Fateor, negari non potest habere nos voluntatem: perge jam, videamus quid hinc conficias. *A.* Faciam: sed dic etiam prius, utrum et bonam voluntatem te habere sentias. *E.* Quid est bona voluntas? *A.* Voluntas qua appetimus recte honesteque vivere, et ad summam sapientiam pervenire. Modo tu vide utrum rectam honestamque non appetas vitam, aut esse sapiens non vehementer velis, aut certe negare audeas, cum hæc volumus, nos habere voluntatem bonam. *E.* Nihil horum nego, et propterea me non solum voluntatem, sed etiam bonam voluntatem jam habere confiteor. *A.* Quanti pendis, oro te, hanc voluntatem? Numquidnam ei ulla ex parte divitias, aut honores, aut voluptates corporis, aut hæc simul omnia conferenda arbitraris? *E.* Averterit Deus istam sceleratam dementiam. *A.* Parumne ergo gaudendum est habere nos quiddam in animo, hanc ipsam dico bonam voluntatem, in cujus comparatione abjectissima sint ea quæ commemora-

vimus, pro quibus adipiscendis multitudinem videmus-hominum nullos labores, nulla pericula recusare? *E.* Gaudendum vero, ac plurimum. *A.* Quid? hoc gaudio qui non fruuntur, parvo damno eos affectos putas tanti boni? *E.* Imo maximo.

26. *A.* Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur vel careamus tanto et tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quam ipsa voluntas sita est (*a*)? Quam quisque cum habet bonam, id certe habet quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re, quam præstantiorem omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illi voluntas per seipsam daret. Itaque cum se ipse miserrimum judicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes, et quælibet corporis bona; tu eum non miserrimum judicabis, etiamsi talibus abundet omnibus, cum iis inhæret quæ amittere facillime potest, neque dum vult habet, caret autem bona voluntate, quæ nec comparanda est cum istis, et cum sit tam magnum bonum, velle solum opus est, ut habeatur? *E.* Verissimum est. *A.* Jure igitur ac merito stulti homines, tametsi nunquam fuerunt sapientes (hoc enim dubium et occultissimum est), hujuscemodi afficiuntur miseria. *E.* Assentior.

CAPUT XIII. — *Voluntate vitam beatam, voluntate miseram degimus.*

27. *A.* Considera nunc utrum tibi videatur esse prudentia appetendarum et vitandarum rerum scientia. *E.* Videtur. *A.* Quid? fortitudo nonne illa est animæ affectio, qua omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus? *E.* Ita existimo. *A.* Porro temperantia est affectio coercens et cohibens appetitum ab iis rebus quæ turpiter appetuntur : an tu aliter putas? *E.* Imo ita ut dicis sentio. *A.* Jam justitiam quid dicamus esse, nisi virtutem qua sua cuique tribuuntur? *E.* Nulla mihi alia justitiæ notio est. *A.* Quisquis ergo bonam habens voluntatem, de cujus excellentia jam diu loquimur, hanc unam dilectione amplexetur, qua interim melius nihil habet, hac sese oblectet, hac denique perfruatur et gaudeat, considerans eam et judicans quanta sit, quamque invito illi eripi vel surripi nequeat; num dubitare poterimus istum adversari rebus omnibus, quæ huic uni bono inimicæ sunt? *E.* Necesse est omnino ut adversetur. *A.* Nullane hunc putamus præditum esse prudentia, qui hoc bonum appetendum, et vitanda ea quæ huic inimica sunt videt? *E.* Nullo modo mihi videtur hoc posse quisquam sine prudentia. *A.* Recte : sed cur non huic etiam fortitudinem tribuamus? Illa quippe omnia quæ in potestate nostra non sunt, amare iste ac plurimi æstimare non potest. Mala enim voluntate amantur, cui tanquam inimicæ charissimo suo bono resistat necesse est. Cum autem non amat hæc, non dolet amissa, et omnino contemnit; quod opus esse fortitudinis, dictum atque concessum est. *E.* Tribuamus sane : non enim intelligo quem fortem verius appellare possim, quam eum qui rebus iis quas neque ut adipiscamur, neque ut obtineamus in nobis situm est, æquo et tranquillo animo caret; quod hunc necessario facere compertum est. *A.* Vide jam nunc utrum ab eo temperantiam alienare possimus, cum ea sit virtus quæ libidines cohibet. Quid autem tam inimicum bonæ voluntati est quam libido? Ex quo profecto intelligis istum bonæ voluntatis suæ amatorem resistere omni modo, atque adversari libidinibus, et ideo jure temperantem vocari. *E.* Perge; assentior. *A.* Justitia restat, quæ quomodo desit huic homini, non sane video. Qui enim habet et diligit voluntatem bonam, et obsistit eis, ut dictum est, quæ huic inimica sunt, male cuiquam velle non potest. Sequitur ergo ut nemini faciat injuriam; quod nullo pacto potest, nisi qui sua cuique tribuerit : hoc autem ad justitiam pertinere cum dicerem, approbasse te, ut puto, meministi. *E.* Ego vero memini et fateor in hoc homine, qui suam bonam voluntatem magni pendit et diligit, omnes quatuor virtutes quæ abs te paulo ante, me assentiente, descriptæ sunt, esse compertas.

28. *A.* Quid igitur impedit cur hujus vitam non concedamus esse laudabilem? *E.* Nihil prorsus; imo hortantur vel etiam cogunt omnia. *A.* Quid? vitam miseram potesne ullo modo non judicare fugiendam? *E.* Et magnopere quidem judico, nihilque aliud agendum existimo. *A.* At laudabilem non fugiendam profecto putas. *E.* Quin etiam appetendam sedulo existimo. *A.* Non ergo misera est quæ laudabilis vita est. *E.* Hoc utique sequitur. *A.* Nihil jam, quantum opinor, difficile tibi ut assentiaris relinquitur, eam scilicet quæ misera non est, beatam esse vitam. *E.* Manifestissimum est. *A.* Placet igitur beatum esse hominem dilectorem bonæ voluntatis suæ, et præ illa contemnentem quodcumque aliud bonum dicitur, cujus amissio potest accidere etiam cum voluntas tenendi manet. *E.* Quidni placeat, quo superiora quæ concessimus, necessario trahunt? *A.* Bene intelligis : sed dic, quæso, nonne bonam voluntatem suam diligere, et tam magni æstimare quam dictum est, etiam ipsa bona voluntas est? *E.* Verum dicis. *A.* At si hunc beatum recte judicamus, nonne recte miserum, qui contrariæ voluntatis est? *E.* Rectissime. *A.* Quid ergo causæ est cur dubitandum putemus, etiamsi nunquam antea sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem et beatam vitam, voluntate turpem ac miseram mereri ac degere (*a*)? *E.* Fateor huc certis et minime negandis rebus esse perventum.

29. *A.* Vide etiam aliud : nam credo te memoria tenere quam dixerimus esse bonam voluntatem : opinor enim, ea dicta est qua recte atque honeste vivere appetimus. *E.* Ita memini. *A.* Hanc igitur voluntatem, si bona itidem voluntate diligamus atque amplectamur, rebusque omnibus quas retinere non quia volumus possumus, anteponamus; consequenter illæ virtutes, ut ratio docuit, animum nostrum incolent, quas habere idipsum est recte honesteque vivere. Ex quo

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

conficitur ut quisquis recte honesteque vult vivere, si id se velle præ fugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit (*a*). *E.* Vere tibi dico, vix me contineo quin exclamem lætitia, repente mihi oborto tam magno, et tam in facili constituto bono. *A.* Atqui hoc ipsum gaudium, quod hujus boni adeptione gignitur, cum tranquille et quiete atque constanter erigit animum, beata vita dicitur: nisi tu putas aliud esse beate vivere, quam veris bonis certisque gaudere. *E.* Ita sentio.

CAPUT XIV. — *Cur ergo pauci evadant beati, cum omnes esse velint.*

30. *A.* Recte: sed censesne quemquam hominum non omnibus modis velle atque optare vitam beatam? *E.* Quis dubitat omnem hominem velle? *A.* Cur igitur eam non adipiscuntur omnes? Dixeramus enim atque convenerat inter nos, voluntate illam mereri homines, voluntate etiam miseram, et sic mereri ut accipiant: nunc vero existit nescio quæ repugnantia, et nisi diligenter dispiciamus, perturbare nititur superiorem tam evigilatam firmamque rationem. Quomodo enim voluntate quisque miseram vitam patitur, cum omnino nemo velit misere vivere? Aut quomodo voluntate beatam vitam consequitur homo, cum tam multi miseri sint, et beati omnes esse velint? An eo evenit, quod aliud est velle bene aut male, aliud mereri aliquid per bonam vel malam voluntatem? Nam illi qui beati sunt, quos etiam bonos esse oportet, non propterea sunt beati, quia beate vivere voluerunt; nam hoc volunt etiam mali: sed quia recte, quod mali nolunt. Quamobrem nihil mirum est quod miseri homines non adipiscuntur quod volunt, id est, beatam vitam. Illud enim cui comes est, et sine quo ea nemo dignus est, nemoque assequitur, recte scilicet vivere, non itidem volunt. Hoc enim æterna lex illa, ad cujus considerationem redire jam tempus est, incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit; in beatitate autem et miseria præmium atque supplicium (*b*). Itaque cum dicimus voluntate homines esse miseros, non ideo dicimus, quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam eis invitis miseria sequatur necesse est. Quare non repugnat superiori rationi, quod volunt omnes beati esse, nec possunt; non enim volunt omnes recte vivere, cui uni voluntati vita beata debetur: nisi quid habes adversus hæc dicere. *E.* Ego vero nihil.

CAPUT XV. — *Lex æterna, lex temporalis in quos et quantum valeant.*

31. Sed videamus jam quomodo hæc ad propositam illam quæstionem de duabus legibus referantur. *A.* Fiat: sed dic mihi prius, utrum qui recte vivere diligit, eoque ita delectatur, ut non solum ei rectum sit, sed etiam dulce atque jucundum, amet hanc legem, habeatque charissimam, qua videt tributam esse bonæ voluntati beatam vitam, malæ miseram? *E.* Amat omnino ac vehementer: nam istam ipsam sequens ita vivit. *A.* Quid? cum hanc amat, mutabile aliquid amat ac temporale, an stabile ac sempiternum? *E.* Æternum sane atque incommutabile. *A.* Quid illi qui in mala voluntate perseverantes, nihilominus beati esse cupiunt? possuntne amare istam legem, qua talibus hominibus miseria merito rependitur? *E.* Nullo modo, arbitror. *A.* Nihilne amant aliud? *E.* Imo plurima; ea scilicet in quibus adipiscendis vel retinendis mala voluntas illa persistit. *A.* Opinor te dicere divitias, honores, voluptates, et pulchritudinem corporis, cæteraque omnia quæ possunt et volentes non adipisci, et amittere inviti. *E.* Ista ipsa sunt. *A.* Num hæc æterna esse censes, cum temporis volubilitati videas obnoxia? *E.* Quis hoc vel dementissimus senserit? *A.* Cum igitur manifestum sit alios esse homines amatores rerum æternarum, alios temporalium, cumque duas leges esse convenerit, unam æternam, aliam temporalem; si quid æquitatis sapis, quos istorum judicas æternæ legi, quos temporali esse subdendos?. *E.* Puto in promptu esse quod quæris: nam beatos illos ob amorem ipsorum æternorum sub æterna lege agere existimo; miseris vero temporalis imponitur. *A.* Recte judicas, dummodo illud inconcussum teneas, quod apertissime jam ratio demonstravit, eos qui temporali legi serviunt, non esse posse ab æterna liberos; unde omnia quæ justa sunt, justeque variantur, exprimi diximus: eos vero qui legi æternæ per bonam voluntatem hærent, temporalis legis non indigere, satis, ut apparet, intelligis. *E.* Teneo quod dicis.

32. *A.* Jubet igitur æterna lex avertere amorem a temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna. *E.* Jubet vero. *A.* Quid deinde censes temporalem jubere, nisi ut hæc quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo jure possideant, quo pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest? Ea sunt autem: primo, hoc corpus, et ejus quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo, et si qua sunt cætera, partim necessaria bonis artibus, et ideo pluris pensanda, partim viliora. Deinde libertas, quæ quidem nulla vera est, nisi beatorum, et legi æternæ adhærentium: sed eam nunc libertatem commemoro, qua se liberos putant qui dominos homines non habent, et quam desiderant ii qui a dominis hominibus manumitti volunt. Deinde parentes, fratres, conjux, liberi, propinqui, affines, familiares, et quicumque nobis aliqua necessitudine adjuncti sunt. Ipsa denique civitas, quæ parentis loco haberi solet; honores etiam et laudes, et ea quæ dicitur gloria popularis. Ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia quorum jure domini sumus, et quorum vendendorum aut donandorum habere potestatem videmur. Horum omnium quemadmodum lex illa sua cuique distribuat, difficile et longum est explicare, et plane ad id quod proposuimus non necessarium. Satis est enim videre non ultra porrigi hujus legis potestatem in vindicando, quam ut hæc vel aliquid horum adimat atque auferat ei quem punit. Metu coercet ergo, et ad id quod vult, torquet ac retorquet mise-

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 5.
(*b*) Vid. ibid.

rorum animos, quibus regendis accommodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis quemdam modum aptum vinculo civitatis, qualis ex hujuscemodi hominibus constitui potest. Non autem ulciscitur peccatum cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. Quamobrem vide utrum jam perventum sit ad id quod infinitum putabas. Instituramus enim quærere, quatenus habeat jus ulciscendi ea lex qua populi terreni civitatesque gubernantur. *E.* Video perventum.

33. *A.* Vides ergo etiam illud, quod pœna non esset, sive quæ per injuriam, sive quæ per talem vindictam infertur hominibus, si eas res quæ invito auferri possunt, non amarent? *E.* Id quoque video. *A.* Cum igitur eisdem rebus alius male, alius bene utatur; et is quidem qui male, amore his inhæreat atque implicetur, scilicet subditus eis rebus quas ei subditas esse oportebat, et ea bona sibi constituens, quibus ordinandis beneque tractandis ipse esse utique deberet bonum: ille autem qui recte his utitur, ostendat quidem bona esse, sed non sibi; non enim eum bonum melioremve faciunt, sed ab eo potius fiunt: et ideo non eis amore agglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, eum cruciatu ac tabe fœdent; sed eis totus superferatur, et habere illa atque regere, cum opus est, paratus, et amittere ac non habere paratior: cum ergo hæc ita sint, num aut argentum et aurum propter avaros accusandum putas, aut cibos propter voraces, aut vinum propter ebriosos, aut muliebres formas propter scortatores et adulteros, atque hoc modo cætera, cum præsertim videas et igne bene uti medicum, et pane scelerate veneficum? *E.* Verissimum est, non res ipsas, sed homines qui eis male utuntur esse culpandos.

## CAPUT XVI. — *Epilogus tractatæ quæstionis.*

34. *A.* Recte: sed quoniam et quid valeat æterna lex, ut opinor, videre jam cœpimus, et quantum lex temporalis in vindicando progredi possit, inventum est; et rerum duo genera, æternarum et temporalium, duoque rursus hominum, aliorum æternas, aliorum temporales sequentium et diligentium, satis aperteque distincta sunt: quid autem quisque sectandum et amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit (*a*); nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate: et est manifestum, non rem ullam, cum ea quisque male utitur, sed ipsum male utentem esse arguendum: referamus nos, si placet, ad quæstionem in exordio hujus sermonis propositam, et videamus utrum soluta sit; nam quærere instituramus quid sit male facere, et propter hoc omnia quæ dicta sunt, diximus. Quocirca licet nunc animadvertere et considerare, utrum sit aliud male facere, quam neglectis rebus æternis, quibus per seipsam mens fruitur, et per seipsam percipit, et quas amans amittere non potest, temporalia et quæ per corpus hominis partem vilissimam sentiuntur, et nunquam esse certa possunt, quasi magna et miranda sectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, id est peccata, mihi videntur includi. Tibi autem quid videatur, exspecto cognoscere.

35. *E.* Est ita ut dicis, et assentior, omnia peccata hoc uno genere contineri, cum quisque avertitur a divinis vereque manentibus, et ad mutabilia atque incerta convertitur. Quæ quanquam in ordine suo recte locata sint, et suam quamdam pulchritudinem peragant; perversi tamen animi est et inordinati, eis sequendis subjici, quibus ad nutum suum ducendis potius divino ordine ac jure prælatus est. Et illud simul mihi videre jam videor absolutum atque compertum, quod post illam quæstionem, quid sit male facere, deinceps quærere instituramus, unde male faciamus. Nisi enim fallor, ut ratio tractata monstravit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio. Sed quæro utrum ipsum liberum arbitrium, quo peccandi facultatem habere convincimur, oportuerit nobis dari ab eo qui nos fecit. Videmur enim non fuisse peccaturi, si isto careremus; et metuendum est ne hoc modo Deus etiam malefactorum nostrorum auctor existimetur. *A.* Nullo modo istuc timueris: sed ut diligentius requiratur, aliud tempus sumendum est. Nam hæc sermocinatio modum terminumque jam desiderat; qua velim credas magnarum abditarumque rerum inquirendarum quasi fores esse pulsatas. In quarum penetralia cum Deo duce venire cœperimus, judicabis profecto quantum inter hanc disputationem, et eas quæ sequuntur intersit, quantumque illæ præstent [1], non modo investigationis sagacitate, sed etiam majestate rerum, et clarissima luce veritatis: pietas tantum adsit, ut nos divina providentia cursum quem instituimus, tenere et perficere permittat. *E.* Cedo voluntati tuæ, et ei meam judicio et voto libentissime adjungo.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

[1] In B., *illa præstent*. Er. Lugd. Ven. Lov. lectionem secuti sumus. M.

# *LIBER SECUNDUS.*

In quo, difficultate ex eo quod libertas, qua peccatur, a Deo data sit emergente, tria hæc disquiruntur: Qua ratione Deum esse manifestum sit; an ab ipso sint bona quæcumque; utrum in bonis censenda sit libera voluntas.

## CAPUT PRIMUM.— *Libertas, qua peccatur, cur a Deo data.*

1. *E.* Jam, si fieri potest, explica mihi quare dederit Deus homini liberum voluntatis arbitrium: quod utique si non accepisset, peccare non posset. *A.* Jam enim certum tibi atque cognitum est, Deum dedisse homini hoc, quod dari debuisse non putas? *E.* Quantum in superiori libro intelligere mihi visus sum, et habemus liberum voluntatis arbitrium, et non nisi eo

peccamus. *A.* Ego quoque memini jam nobis id factum esse perspicuum. Sed nunc interrogavi utrum hoc quod nos habere, et quo nos peccare manifestum est, Deum nobis dedisse scias. *E.* Nullum alium puto. Ab ipso enim sumus; et sive peccantes, sive recte agentes, ab illo pœnam meremur aut præmium. *A.* Hoc quoque utrum liquido noveris, an auctoritate commotus libenter etiam incognitum credas, cupio scire. *E.* Auctoritati quidem me primum de hac re credidisse confirmo. Sed quid verius quam omne bonum ex Deo esse, et omne justum bonum esse, et peccantibus pœnam recteque facientibus præmium justum esse? Ex quo conficitur a Deo affici, et peccantes miseria, et recte facientes beatitate.

2. *A.* Nihil resisto: sed quæro illud alterum, quomodo noveris nos ab ipso esse. Neque enim hoc nunc, sed ab ipso nos vel pœnam, vel præmium mereri explicasti. *E.* Hoc quoque non aliunde video esse manifestum, nisi quod jam constat Deum vindicare peccata. Siquidem ab illo est omnis justitia. Non enim ut alicujus est bonitatis alienis præstare beneficia ita justitiæ vindicare in alienos. Unde manifestum est ad eum nos pertinere, quia non solum in nos benignissimus in præstando, sed etiam justissimus in vindicando est. Deinde ex eo quod ego posui, tuque concessisti, omne bonum ex Deo esse, etiam hominem ex Deo esse intelligi potest. Homo enim ipse in quantum homo est, aliquod bonum est; quia recte vivere, cum vult, potest (*a*).

3. *A.* Plane si hæc ita sunt, soluta quæstio est quam proposuisti. Si enim homo aliquod bonum est, et non posset, nisi cum vellet, recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est. Satis ergo causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa homo recte non potest vivere. Ad hoc autem datam vel hinc intelligi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod injuste fieret, si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur, libera esset voluntas data. Quomodo enim juste vindicaretur in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data est? Nunc vero Deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere nisi, Cur non ad eam rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est ad recte faciendum? Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa justitia in damnandis peccatis recteque factis honorandis, quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut recte factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc et pœna injusta esset et præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem et in supplicio, et in præmio esse justitia; quoniam hoc unum est bonorum quæ sunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberam voluntatem.

CAPUT II. — *Objectio: Liberum arbitrium, si ad bonum datum est, quomodo ad malum flexile.*

4. *E.* Jam concedo eam Deum dedisse. Sed nonne tibi videtur, quæso te, si ad recte faciendum data est, quod non debuerit ad peccandum posse converti? sic ut ipsa justitia quæ data est homini ad bene vivendum: numquid enim potest quispiam per justitiam suam male vivere? Sic nemo posset per voluntatem peccare, si voluntas data esset ad recte faciendum. *A.* Donabit quidem Deus, ut spero, ut tibi valeam respondere, vel potius ut ipse tibi eadem, quæ summa omnium magistra est, veritate intus docente respondeas. Sed paulisper mihi volo dicas, si id quod abs te quæsiveram, certum et cognitum tenes, Deum nobis dedisse liberam voluntatem, utrum oporteat dicere dari non debuisse, quod dedisse confitemur Deum. Si enim incertum est utrum dederit, recte quærimus utrum bene sit data, ut cum invenerimus bene datam esse, inveniatur etiam illum dedisse, a quo homini data sunt omnia bona [1]: si autem invenerimus non bene datam esse, non eum dedisse intelligamus, quem culpare nefas est. Si vero certum est quod ipse illam dederit, oportet fateamur, quoquo modo data est, neque non dari, neque aliter dari eam debuisse quam data est. Ille enim dedit, cujus factum recte reprehendi nullo pacto potest.

5. *E.* Quanquam hæc inconcussa fide teneam, tamen quia cognitione nondum teneo, ita quæramus quasi omnia incerta sint. Video enim ex hoc quod incertum est, utrum ad recte faciendum voluntas libera data sit, cum per illam etiam peccare possimus, fieri etiam illud incertum, utrum dari debuerit. Si enim incertum est ad recte faciendum datam esse, incertum est etiam dari debuisse: ac per hoc etiam utrum eam Deus dederit, incertum erit; quia si incertum est dari debuisse, incertum est ab eo datam esse, quem nefas est credere dedisse aliquid quod dari non debuit. *A.* Illud saltem tibi certum est, Deum esse. *E.* Etiam hoc non contemplando, sed credendo inconcussum teneo. *A.* Si quis ergo illorum insipientium, de quibus scriptum est, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* LII, 1), hoc tibi diceret, nec vellet tecum credere quod credis, sed cognoscere utrum vera credideris; relinqueresne hominem, an aliquo modo, quod inconcussum tenes, persuadendum esse arbitrareris; præsertim si ille non obluctari pervicaciter, sed studiose id vellet agnoscere? *E.* Hoc quod ultimum posuisti, satis me admonet quid ei respondere deberem. Certe enim quamvis esset absurdissimus, concederet mihi, cum doloso et pervicaci de nulla omnino et maxime de re tanta, non esse disserendum. Quo concesso, prior mecum ageret, ut sibi crederem bono animo eum istuc quærere, neque aliquid in se, quod ad rem hanc attinet, doli ac pervicaciæ latere. Tum ego demonstrarem, quod cuivis facillimum puto, quanto esset æquius, cum sibi de occultis animi sui quæ ipse nosset, vellet alterum credere qui non nosset, ut etiam ipse tantorum virorum Libris, qui se cum Filio Dei vixisse testatum Litteris reliquerunt, esse Deum crederet; quia et ea se vidisse scripserunt, quæ nullo modo fieri possent, si

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

[1] Quatuordecim Mss., *a quo animæ data sunt omnia bona.*

non esset Deus; et nimium stultus esset, si me reprehenderet quod illis crediderim, qui sibi vellet ut crederem. Jam vero quod recte reprehendere non valeret, nullo modo reperiret cur etiam nollet imitari. *A.* Si ergo utrum sit Deus, satis esse existimas, quod non temere tantis viris credendum esse judicavimus; cur non, quæso te, de iis quoque rebus, quas tanquam incertas et plane incognitas quærere instituimus, similiter putas eorumdem virorum auctoritati sic esse credendum, ut de investigatione earum nihil amplius laboremus? *E.* Sed nos id quod credimus, nosse et intelligere cupimus.

6. *A.* Recte meministi, quod etiam in exordio superioris disputationis a nobis positum esse (*Lib.* 1, *cap.* 2), negare non possumus. Nisi enim aliud esset credere, et aliud intelligere, et primo credendum esset, quod magnum et divinum intelligere cuperemus, frustra propheta dixisset, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Ipse quoque Dominus noster et dictis et factis ad credendum primo hortatus est, quos ad salutem vocavit. Sed postea cum de ipso dono loqueretur, quod erat daturus credentibus, non ait, Hæc est autem vita æterna ut credant; sed, *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Deinde jam credentibus dicit, *Quærite et invenietis* (*Matth.* VII, 7): nam neque inventum dici potest, quod incognitum creditur; neque quisquam inveniendo Deo fit idoneus, nisi antea crediderit quod est postea cogniturus. Quapropter Domini præceptis obtemperantes quæramus instanter. Quod enim hortante ipso quærimus, eodem ipso demonstrante inveniemus, quantum hæc in hac vita, et a nobis talibus inveniri queunt: nam et a melioribus etiam dum has terras incolunt, et certe a bonis et piis omnibus post hanc vitam, evidentius atque perfectius ista cerni obtinerique credendum est; et nobis ita fore sperandum est, et ista contemptis terrenis et humanis, omni modo desideranda et diligenda sunt.

CAPUT III. — *Deum esse ut manifestum evadat, disquiritur quid sit in homine præstantissimum.*

7. Quæramus autem hoc ordine, si placet: primum, quomodo manifestum est Deum esse; deinde, utrum ab illo sint quæcumque in quantumcumque sunt bona; postremo, utrum in bonis numeranda sit voluntas libera. Quibus compertis satis apparebit, ut opinor, utrum recte homini data sit. Quare prius abs te quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium; utrum tu ipse sis. An tu fortasse metuis, ne in hac interrogatione fallaris, cum utique si non esses, falli omnino non posses? *E.* Perge potius ad cætera. *A.* Ergo quoniam manifestum est esse te, nec tibi aliter manifestum esset, nisi viveres, id quoque manifestum est, vivere te: intelligisne ista duo esse verissima? *E.* Prorsus intelligo. *A.* Ergo etiam hoc tertium manifestum est, hoc est intelligere te. *E.* Manifestum. *A.* Quid in his tribus tibi videtur excellere? *E.* Intelligentia. *A.* Cur tibi hoc videtur? *E.* Quia cum tria sint hæc, esse, vivere, intelligere; et lapis est, et pecus vivit, nec tamen lapidem puto vivere, aut pecus intelligere; qui autem intelligit, eum et esse et vivere certissimum est: quare non dubito id excellentius judicare, cui omnia tria insunt, quam id cui duo vel unum desit. Nam quod vivit, utique et est, sed non sequitur ut etiam intelligat: qualem vitam esse pecoris arbitror. Quod autem est, non utique consequens est ut et vivat et intelligat: nam esse cadavera possum fateri, vivere autem nullus dixerit. Jamvero quod non vivit, multo minus intelligit. *A.* Tenemus igitur horum trium duo deesse cadaveri, unum pecori, nihil homini. *E.* Verum est. *A.* Tenemus etiam id esse in his tribus præstantius, quod homo cum duobus cæteris habet, id est intelligere, quod habentem sequitur et esse et vivere. *E.* Teñemus sane.

8. *A.* Dic mihi jam utrum illos vulgatissimos corporis sensus habere te noveris, videndi, et audiendi, et olfaciendi, et gustandi, et tangendi. *E.* Novi. *A.* Quid putas pertinere ad videndi sensum? id est, quid putas nos videndo sentire? *E.* Quæcumque corporalia. *A.* Num etiam dura et mollia videndo sentimus? *E.* Non. *A.* Quid ergo proprie ad oculos pertinet, quod per eos sentimus? *E.* Color. *A.* Quid ad aures? *E.* Sonus. *A.* Quid ad olfactum? *E.* Odor. *A.* Quid ad gustum? *E.* Sapor. *A.* Quid ad tactum? *E.* Molle vel durum, lène vel asperum, et multa talia. *A.* Quid? corporum formas, magnas, breves, quadras, rotundas, et si quid hujusmodi est, nonne et tangendo et videndo sentimus, et ideo nec visui proprie, nec tactui tribui possunt, sed utrique? *E.* Intelligo. *A.* Intelligis ergo et quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuntient, et quædam quosdam habere communia? *E.* Et hoc intelligo. *A.* Quid igitur ad quemque sensum pertineat, et quid inter se vel omnes vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo eorum sensu dijudicare? *E.* Nullo modo, sed quodam interiore ista dijudicantur. *A.* Num fortasse ipsa est ratio, qua bestiæ carent? nam, ut opinor, ratione ista comprehendimus, et ita sese habere cognoscimus. *E.* Magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quemdam sensum, ad quem ab istis quinque notissimis cuncta referantur. Namque aliud est quo videt bestia, aliud quo ea quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit: ille enim sensus in oculis est, ille autem intus in ipsa anima; quo non solum ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæque cæteris capiuntur corporis sensibus, vel appetunt animalia delectata et assumunt, vel offensa devitant et respuunt. Hic autem nec visus, nec auditus, nec olfactus, nec gustatus, nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possum; quoniam et bestiis inesse manifestum est.

9. *A.* Agnosco istud quidquid est, et eum interiorem sensum appellare non dubito. Sed nisi et istum transeat, quod ad nos refertur a sensibus corporis, pervenire ad scientiam non potest. Quidquid enim scimus, id ratione comprehensum tenemus. Scimus

autem, ut de cæteris taceam, nec colores auditu, nec voces visu posse sentiri. Et cum hoc scimus, nec oculis, nec auribus scimus, neque illo sensu interiore, quo nec bestiæ carent. Non enim credendum est eas nosse, nec auribus sentiri lucem, nec oculis vocem; quoniam ista nonnisi rationali animadversione et cogitatione discernimus. *E.* Non possum dicere hoc me habere perceptum. Quid si enim sensu illo interiore, quo eas non carere concedis, hoc quoque dijudicant, nec colores auditu nec visu voces posse sentiri? *A.* Num etiam putas eas posse discernere, ab invicem colorem qui sentitur, et sensum qui in oculo est, et interiorem illum sensum apud animam, et rationem qua ista singillatim definiuntur et dinumerantur? *E.* Nullo modo. *A.* Quid? ista ratio posset hæc quatuor discernere ab invicem et definitionibus terminare, nisi ad eam referretur et color per oculorum sensum, et ipse rursus per illum interiorem qui ei præsidet, et idem interior per seipsum, si tamen jam nihil aliud interpositum est? *E.* Non video quomodo aliter posset. *A.* Quid? hoc videsne, sensu oculorum colorem sentiri, eumdem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre. *E.* Non omnino. *A.* Enitere etiam ista dijudicare: nam credo te non negare aliud colorem esse, et aliud colorem videre, et item aliud etiam, cum color non subest, habere sensum quo videri posset, si subesset. *E.* Discerno et ista, et inter se differre concedo. *A.* Num horum trium quidquam vides oculis, nisi colorem? *E.* Nihil aliud. *A.* Dic ergo unde videas alia duo; non enim ea non visa posses discernere. *E.* Nescio quid aliud; esse scio, nihil amplius. *A.* Nescis igitur utrum jam ipsa sit ratio, an illa vita sit quam sensum interiorem vocamus præcellentem sensibus corporis, an aliquid aliud? *E.* Nescio. *A.* Illud tamen scis, ea definiri nisi ratione non posse; neque rationem id facere, nisi de iis quæ sibi examinanda offeruntur. *E.* Certum est. *A.* Quidquid igitur est aliud quo sentiri potest omne quod scimus, ministerium rationis est, cui offert et renuntiat quidquid attingit, ut ea quæ sentiuntur discerni suis finibus possint, et non sentiendo tantum, sed etiam sciendo comprehendi. *E.* Ita est. *A.* Quid? ipsa ratio quæ ministros suos, et ea quæ suggerunt, discernit ab invicem, et item quid inter hæc et seipsam distet, agnoscit, seque illis præpotentiorem esse confirmat; num alia re seipsam nisi seipsa, id est ratione comprehendit [1]? an aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes? *E.* Verissimum est. *A.* Quoniam ergo cum colorem sentimus, non itidem sensu ipso nos sentire etiam sentimus; neque cum audimus sonum, nostrum etiam audimus auditum; neque cum olfacimus rosam, olet nobis aliquid et ipse olfactus; neque quidquam gustantibus sapit in ore ipse gustus; nec tangentes aliquid, ipsum etiam tangendi sensum possumus tangere: manifestum est quinque istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis eis corporalia quæque sentiantur. *E.* Manifestum est.

[1] In B.: *Num alia re seipsam nisi se ipsa, id est rationem comprehendit.* Hunc locum restituimus ex Er. Lugd. Ven. et Lov. M.

CAPUT IV. — *Sensus interior sentit ipsum sentire: an et se discernat.*

10. *A.* Arbitror etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorem non ea tantum sentire, quæ acceperit a quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentire sentiret; non ad sciendum, nam hoc rationis est, sed tantum ad movendum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit. Quod si adhuc obscurum est, elucescet, si animadvertas quod exempli gratia sat est in uno aliquo sensu, velut in visu. Namque aperire oculum, et movere aspiciendo ad id quod videre appetit, nullo modo posset, nisi oculo clauso vel non ita moto se id non videre sentiret. Si autem sentit se non videre dum non videt, necesse est etiam sentiat se videre dum videt; quia cum eo appetitu non movet oculum videns, quo movet non videns, indicat se utrumque sentire. Sed utrum et se ipsam hæc vita sentiat, quæ se corporalia sentire sentit, non ita clarum est, nisi quod se quisque intus interrogans, invenit omnem rem viventem fugere mortem; quæ cum sit vitæ contraria, necesse est ut vita etiam seipsam sentiat, quæ contrarium suum fugit. Quod si adhuc non liquet, omittatur, ut non nitamur ad id quod volumus, nisi certis manifestisque documentis. Manifesta enim sunt, sensu corporis sentiri corporalia; eumdem autem sensum hoc eodem sensu non posse sentiri; sensu autem interiore et corporalia per sensum corporis sentiri, et ipsum corporis sensum: ratione vero et illa omnia, et eamdem ipsam notam fieri, et scientia contineri: an tibi non videtur? *E.* Videtur sane. *A.* Age, nunc responde unde sit quæstio, ad cujus solutionem pervenire cupientes, jam diu istam molimur viam.

CAPUT V. — *Sensus interior præstat externis sensibus, quorum est moderator et judex.*

11. *E.* Quantum memini, trium illarum quæstionum quas paulo ante ad contexendum ordinem hujus disputationis posuimus, nunc prima versatur, id est, quomodo manifestum fieri possit, quamvis tenacissime firmissimeque credendum sit, Deum esse. *A.* Recte hoc tenes: sed etiam illud diligenter tenere te volo, cum de teipso quærerem utrum te esse noveris, non solum hoc, sed etiam alia duo nobis apparuisse quod noveris. *E.* Id quoque teneo. A. Nunc ergo vide ad quam rem istarum trium intelligas pertinere omne quod corporis sensus attingit; id est, in quo rerum genere tibi ponendum videatur, quidquid vel oculorum, vel alio quolibet corporis instrumento noster sensus attingit: utrum in eo quod tantum est, an in eo quod etiam vivit, an in eo quod etiam intelligit. *E.* In eo quod tantum est. *A.* Quid? ipsum sensum in quo genere trium horum esse censes? *E.* In eo quod vivit. *A.* Quid igitur horum duorum melius esse judicas? sensum ipsum, an quod sensus attingit? *E.*

Sensum scilicet. *A.* Quare? *E.* Quia melius est id quod etiam vivit, quam id quod tantum est.

12. *A.* Quid? illum sensum interiorem, quem quidem infra rationem, et adhuc nobis communem cum bestiis superius indagavimus, dubitabisne huic sensui præponere quo corpus attingimus, et quem jam ipsi corpori præponendum esse dixisti? *E.* Nullo modo dubitaverim. *A.* Etiam hoc cur non dubites, volo abs te audire. Non enim poteris dicere hunc sensum interiorem jam in eo genere trium illorum esse ponendum, quod etiam intelligit, sed adhuc in eo quod et est et vivit, etiamsi intellectu caret : iste enim sensus inest et bestiis, quibus intellectus non inest. Quæ cum ita sint, quæro cur præponas sensum interiorem huic sensui quo corporalia sentiuntur, cum sit uterque in eo genere quod vivit. Sensum autem istum qui corpora attingit, ideo præposuisti corporibus, quia illa sunt in eo genere quod tantum est, iste vero in eo quod etiam vivit : in quo cum et ille interior reperiatur, cur eum meliorem putes dic mihi. Si enim dixeris, quia ille istum sentit, non te credo inventurum regulam qua figere possimus [1], omne sentiens melius esse quam id quod ab eo sentitur, ne fortassis ex hoc etiam cogamur dicere, omne intelligens melius esse quam id quod ab eo intelligitur. Hoc enim falsum est; quia homo intelligit sapientiam, et non est melior quam ipsa sapientia. Quamobrem vide qua causa tibi visum sit, sensum interiorem huic sensui quo sentimus corpora, esse præferendum. *E.* Quia moderatorem et judicem quemdam hujus illum esse cognosco. Nam et si quid huic in officio suo defuerit, ille tanquam debitum a ministro flagitat, sicut paulo ante disputatum est. Non enim se videre, aut non videre sensus oculi videt, et quia non videt, non potest quid sibi desit, aut quid satis sit judicare; sed ille interior, quo admonetur et anima bestiæ aperire oculum clausum, et quod deesse sentit implere. Nulli autem dubium est eum qui judicat, eo de quo judicat esse meliorem. *A.* Cernis ergo istum etiam corporis sensum de corporibus quodammodo judicare? Ad illum enim pertinet voluptas et dolor, cum vel leniter vel aspere corpore attingitur. Nam sicut ille interior quid desit vel satis sit oculorum sensui judicat; sic ipse sensus oculorum quid desit [2], vel satis sit coloribus judicat. Item sicut ille interior de auditu nostro judicat, utrum minus an sufficienter intentus sit; sic judicat auditus ipse de vocibus, quid earum leniter influat, aut aspere perstrepat. Non necesse est cæteros sensus corporis persequi : jam enim, ut opinor, animadvertis quid velim dicere, ita scilicet sensum illum interiorem de istis corporis sensibus judicare, cum eorum et integritatem probat, et debitum flagitat, quemadmodum et ipsi corporis sensus de corporibus judicant, assumentes in eis lenem tactum, rejicientesque contrarium. *E.* Cerno sane, et verissima esse consentio.

[1] Editi : *Regulam qua fidere possimus.* Mss., *figere.*

[2] Regius Codex aliique duo sic habent : *Nam sicut ille interior de visu nostro judicat utrum minus clare, an sufficienter vigeat; sic visus ipse quid desit.*

CAPUT VI. — *Ratio cæteris in homine præstat; qua si quid præstantius, Deus est.*

13. *A.* Attende jam utrum ratio etiam de hoc interiore sensu judicet. Jam enim non quæro utrum eam meliorem illo esse dubites, quia non dubito id te judicare : quanquam ne id quidem jam quærendum putem, utrum de isto sensu judicet ratio. Namque in iis ipsis quæ infra eam sunt, id est in corporibus et in sensibus corporis et isto interiore sensu, quomodo sit aliud alio melius, et quam sit illis præstantior ipsa, quæ tandem, nisi ipsa renuntiat? quod profecto nullo modo posset, nisi de his ipsa judicaret. *E.* Manifestum est. *A.* Cum ergo eam naturam quæ tantum est, nec vivit nec intelligit, sicuti est corpus exanime, præcedat ea natura quæ non tantum est, sed etiam vivit, nec intelligit, sicuti est anima bestiarum; et rursus hanc præcedat ea quæ simul et est et vivit et intelligit, sicut in homine mens rationalis; num arbitraris in nobis, id est in iis quibus natura nostra completur ut homines simus, aliquid inveniri posse præstantius, quam hoc quod in his tribus tertio loco posuimus? Nam et corpus nos habere manifestum est, et vitam quamdam qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quæ duo etiam in bestiis agnoscimus, et tertium quiddam quasi animæ nostræ caput aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum. Quare vide, obsecro, utrum aliquid invenire possis, quod sit in natura hominis ratione sublimius. *E.* Nihil omnino melius video.

14. *A.* Quid si aliquid invenire potuerimus, quod non solum esse non dubites, sed etiam ipsa nostra ratione præstantius? dubitabisne illud quidquid est, Deum dicere? *E.* Non continuo, si quid melius quam id quod in mea natura optimum est, invenire potuero, Deum esse dixerim. Non enim mihi placet Deum appellare, quo mea ratio est inferior, sed quo nullus est superior. *A.* Ita plane : nam ipse huic tuæ rationi dedit, tam de se pie vereque sentire. Sed, quæso te, si non inveneris esse aliquid supra nostram rationem, nisi quod æternum atque incommutabile est, dubitabisne hunc Deum dicere? Nam et corpora mutabilia esse cognoscis; et ipsam vitam qua corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est; et ipsa ratio cum modo ad verum pervenire nititur, modo non nititur, et aliquando pervenit, aliquando non pervenit, mutabilis esse profecto convincitur. Quæ si nullo adhibito corporis instrumento, neque per tactum, neque per gustatum, neque per olfactum, neque per aures, neque per oculos, neque per ullum sensum se inferiorem, sed per seipsam cernit æternum aliquid et incommutabile, simul et seipsam inferiorem, et illum oportet Deum suum esse fateatur. *E.* Hunc plane fatebor Deum, quo nihil superius esse constiterit. *A.* Bene habet : nam mihi satis erit ostendere esse aliquid hujusmodi, quod aut fateberis Deum esse, aut si aliquid supra est, eum ipsum Deum esse concedes. Quare sive supra sit aliquid, sive non sit, manifestum erit Deum esse, cum

ego, quod promisi, esse supra rationem, eodem ipso adjuvante monstravero. *E.* Demonstra ergo quod polliceris.

CAPUT VII.—*Quomodo idem sentiatur a multis quidve totum, quid non totum et simul a singulis.*

15. *A.* Faciam : sed prius quæro utrum sensus corporis meus idem sit qui tuus, an vero meus non sit nisi meus, et tuus non sit nisi tuus; quod si non ita esset, non possem per oculos meos videre aliquid, quod tu non videres. *E.* Concedo prorsus, quamvis ejusdem generis, tamen singulos nos habere sensus, videndi, vel audiendi, vel quoslibet alios cæterorum. Non enim solum videre, sed etiam audire potest aliquis hominum quod alius non audiat, et aliud aliquid quolibet alio sensu quisquam sentire quod alius non sentiat. Unde manifestum est et tuum nonnisi tuum, et meum sensum non esse nisi meum. *A.* Hoc idem respondebis de illo etiam sensu interiore? an aliquid aliud? *E.* Nihil sane aliud. Nam et ille utique sensum meum sentit meus, et tuum sentit tuus : nam ideo plerumque interrogor ab eo qui aliquid videt, utrum hoc etiam ego videam, quia ego me videre aut non videre sentio, non ille qui interrogat. *A.* Quid? ipsam rationem nonne unusquisque nostrum habet suam? quandoquidem fieri potest ut ego aliquid intelligam, cum tu id non intelligis; nec utrum intelligam tu scire possis, ego autem sciam. *E.* Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosque nostrum singulas habere.

16. *A.* Num etiam poteris dicere singulos soles nos habere quos videmus, aut lunas, aut luciferos, aut cætera hujusmodi, quamvis suo quisque ac proprio sensu ista videat? *E.* Nullo modo istuc dixerim. *A.* Possumus ergo videre unum aliquid multi simul, cum sint sensus nostri nobis singulis singuli, quibus omnibus illud unum sentimus quod simul videmus; ut quamvis alius sensus meus sit, et alius tuus, possit tamen fieri ut id quod videmus, non sit aliud meum, aliud tuum; sed illud unum præsto sit utrique nostrum et simul ab utroque videatur. *E.* Manifestissimum est. *A.* Possumus etiam unam aliquam vocem simul audire, ut quamvis alius sit auditus meus, alius tuus, non sit tamen alia mea, et alia tua vox quam simul audimus, vel alia pars ejus auditu meo capiatur, et alia tuo, sed quidquid sonuerit, et unum et totum audiendum simul adsit ambobus. *E.* Et hoc manifestum est.

17. *A.* Jam etiam de cæteris sensibus corporis licet animadvertas quod dicimus, neque omnino illos, quod ad hanc rem attinet, ita se habere ut illos duos oculorum et aurium, neque omnino non ita. Nam quia ex uno aere et ego et tu possumus implere spiramentum, et ejus aeris affectionem odore sentire : et item quia ex uno melle, vel quolibet alio cibo seu potu ambo gustare possumus, et ejus affectionem sapore sentire, quamvis ille unus sit, nostri autem sint sensus singuli, tibi tuus et mihi meus; ut unum odorem vel unum saporem cum ambo sentiamus, nec tu tamen eum meo sensu sentias, nec ego tuo, nec aliquo uno qui utriusque nostrum possit esse communiter, sed prorsus mihi meus sensus sit, et tuus tibi, etiamsi unus aut odor, aut sapor ab utroque sentiatur : hinc ergo isti sensus inveniuntur habere aliquid tale, quale illi duo in visu et auditu : sed in eo dispares sunt, quantum ad id quod nunc agimus pertinet; quod etsi unum aerem naribus ambo trahimus, aut unum cibum gustando capimus; non tamen eam partem aeris duco quam tu, nec eamdem partem cibi sumo quam tu, sed aliam ego, aliam tu : et ideo de toto aere cum spiro, duco partem quanta mihi satis est, et tu item de toto aliam quanta tibi satis est ducis : et cibus quamvis unus et totus ab utroque absumatur [1] non tamen et a me totus, et a te totus absumi potest, quomodo verbum et ego totum audio, et tu totum simul, et speciem quamlibet quantam ego video, tantam et tu simul; sed cibi vel potionis alia pars in me, alia in te transeat necesse est : an parum ista intelligis? *E.* Imo vero apertissima et certissima esse consentio.

18. *A.* Num censes tangendi sensum comparandum esse oculorum et aurium sensibus in ea re de qua nunc agitur; quia non solum corpus unum ambo possumus sentire tangendo, sed etiam eamdem partem tu quoque poteris tangere quam ego tetigero, ut non solum idem corpus, sed eamdem quoque corporis partem possimus ambo sentire tangendo? Non enim sicuti cibum aliquem appositum non possumus et ego totum et tu totum capere, cum ambo illo vescimur, sic etiam in tangendo accidit : sed et unum et totum quod ego tetigero, etiam tu potes, ut id ambo tangamus, non singulis partibus, sed totum singuli. *E.* Fateor hoc modo duobus illis superioribus sensibus, hunc tangendi sensum esse simillimum : sed in hoc video esse dissimilem, quod simul, id est uno tempore, et videre aliquid unum totum ambo possumus et audire; tangere autem possumus quidem totum aliquid ambo uno tempore, sed partibus singulis, eamdem autem partem nonnisi temporibus singulis : nam nulli parti quam tactu capis, possum meum tactum admovere, nisi tu amoveris tuum.

19. *A.* Vigilantissime respondisti : sed oportet te etiam illud videre, cum horum omnium quæ sentimus, alia sint quæ ambo, alia quæ singuli sentiamus; ipsos vero sensus nostros suos quisque singuli sentiamus ut neque ego sentiam sensum tuum, neque tu meum, quod de his rebus quæ sentiuntur a nobis per corporis sensus, id est quod de corporalibus rebus non possumus sentire ambo, sed singuli, nisi quod ita fit nostrum ut hoc in nos vertere, et commutare possimus, sicuti est cibus et potus, cujus nullam partem quam ego percepero, et tu percipere poteris : quia et si nutrices alimenta mansa infantibus reddunt, illud tamen quod inde gustatus rapuerit atque in mandentis viscera commutaverit, nullo modo revocari poterit ut in escam refundatur infantis. Gula enim cum aliquid jucunde sapit, etiamsi exiguam, tamen irrevocabilem partem sibi vindicat, et hoc cogit

[1] Tres Mss. *assumatur*. Moxque, *et a te totus absumi potest.*

fieri quod naturæ corporis convenit : quod nisi ita esset, nullus remaneret sapor in ore posteaquam fuerint mansa illa reddita atque desputa. Quod etiam de aeris partibus recte dici potest, quas naribus ducimus : nam etiamsi aliquid aeris quod ego reddidero, possis etiam tu ducere, non tamen poteris etiam illud, quod inde in alimentum meum cesserit ; quia nec reddi potest. Nam etiam naribus alimentum nos capere medici docent : quod alimentum et spirando solus sentire possum, et reflando restituere non possum, ut abs te etiam ductum naribus sentiatur. Nam cætera sensibilia quæ quamvis sentiamus, non tamen ea sentiendo in nostrum corpus corrupta mutamus, possumus ea, sive uno tempore, sive singulis vicissim temporibus ambo sentire, sicut vel totum vel pars ipsa quam sentio, abs te etiam sentiatur ; qualia sunt, sive lux, sive sonus, sive corpora quæ attingimus, non tamen lædimus. *E.* Intelligo. *A.* Manifestum est ergo ea quæ non commutamus et tamen sentimus corporis sensibus, et non pertinere ad naturam sensuum nostrorum, et propterea magis nobis esse communia, quia in nostrum proprium et quasi privatum non vertuntur atque mutantur. *E.* Prorsus assentior. *A.* Proprium ergo et quasi privatum intelligendum est, quod unicuique nostrum soli est [1], et quod in se solus sentit, quod ad suam naturam proprie pertinet : commune autem et quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus nulla sui corruptione atque commutatione sentitur. *E.* Ita est.

**CAPUT VIII.** — *Numerorum ratio nullo corporis sensu percipitur, a quovis intelligente percepta una est et incommutabilis.*

20. *A.* Age, nunc attende, et dic mihi utrum inveniatur aliquid quod omnes ratiocinantes sua quisque ratione atque mente communiter videant, cum illud quod videtur præsto sit omnibus, nec in usum eorum quibus præsto est commutetur, quasi cibus aut potio, sed incorruptum integrumque permaneat, sive illi videant, sive non videant : an forte nihil hujusmodi esse arbitraris ? *E.* Imo multa esse video ; e quibus unum commemorari satis est, quod ratio et veritas numeri omnibus ratiocinantibus præsto est, ut omnis eam computator sua quisque ratione et intelligentia conetur apprehendere ; et alius id facilius, alius difficilius possit, alius omnino non possit : cum tamen ipsa æqualiter omnibus se præbeat valentibus eam capere ; nec cum eam quisque percipit, in sui perceptoris quasi alimentum vertatur atque mutetur ; nec cum in ea quisque fallitur, ipsa deficiat, sed ea vera et integra permanente, ille in errore sit tanto amplius, quanto minus eam videt.

21. *A.* Recte sane ; sed video te tanquam non rudem harum rerum cito invenisse quod diceres : tamen, si tibi aliquis diceret numeros istos non ex aliqua sua natura, sed ex iis rebus quas sensu corporis attingimus, impressos esse animo nostro quasi quasdam imagines quorumque visibilium ; quid responderes ? an tu quoque id putas ? *E.* Nullo modo id putaverim : non enim si sensu corporis percepi numeros, idcirco etiam rationem partitionis numerorum vel copulationis sensu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quisquis vel in addendo vel in retrahendo dum computat falsam summam renuntiaverit. Et quidquid sensu corporis tango, veluti est hoc cœlum et hæc terra, et quæcumque in eis alia corpora sentio, quamdiu futura sint nescio : septem autem et tria decem sunt ; et non solum nunc, sed etiam semper ; neque ullo modo aliquando septem et tria non fuerunt decem, aut aliquando septem et tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri veritatem [1], dixi mihi et cuilibet ratiocinanti esse communem.

22. *A.* Non resisto tibi verissima et certissima respondenti. Sed ipsos quoque numeros non per corporis sensus attractos esse facile videbis, si cogitaveris quemlibet numerum tot vocari quoties unum habuerit : verbi gratia, si bis habuerit unum, duo vocantur ; si ter, tria ; et si decies unum habent, tunc vocantur decem : et quilibet omnino numerus quoties habet unum, hinc illi nomen est, et tot appellatur. Unum vero quisquis verissime cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri. Quidquid enim tali sensu attingitur, jam non unum, sed multa esse convincitur : corpus est enim, et ideo habet innumerabiles partes. Sed ut minutas quasque minusque articulatas non persequar, quantulumcumque illud corpusculum sit, habet certe aliam partem dexteram, aliam sinistram ; aliam superiorem, aliam inferiorem ; aut aliam ulteriorem, aliam citeriorem ; aut alias finales, aliam mediam : hæc enim necesse est quamlibet exiguo corporis modulo inesse fateamur ; et propterea nullum corpus vere pureque unum esse concedimus, in quo tamen non possent tam multa numerari nisi illius unius cognitione discreta. Cum enim quæro unum in corpore, et me non invenire non dubito, novi utique quid ibi quæram, et quid ibi non inveniam, et non posse inveniri, vel potius omnino ibi non esse. Ubi ergo novi quod non est corpus unum, quid sit unum novi : unum enim si non nossem, multa in corpore numerare non possem. Ubicumque autem unum noverim, non utique per corporis sensum novi ; quia per corporis sensum non novi nisi corpus, quod vere pureque unum non esse convincimus. Porro si unum non percepimus corporis sensu, nullum numerum eo sensu percepimus, eorum duntaxat numerorum quos intelligentia cernimus. Nullus enim est ex iis, qui non tot vocetur, quoties habet unum, cujus perceptio corporis sensu non fit. Cujuslibet enim corpusculi pars dimidia quantis duabus totum constat, habet et ipsa dimidiam suam. Sic ergo sunt illæ duæ partes in corpore, ut nec ipsæ simpliciter duæ sint. Numerus autem ille qui vocatur duo, quoniam bis habet illud quod simpliciter unum est, pars

[1] Bad. Er. et Mss. sexdecim, *quod unusquisque nostrum sibi est.*

[1] In antiquioribus editionibus et novem Mss., *numeri naturam.*

ejus dimidia, id est illud ipsum quod simpliciter unum est, non potest rursus habere dimidiam partem vel tertiam, vel quotamlibet, quoniam simplex et vere unum est.

23. Deinde quoniam tenentes ordinem numerorum, post unum duo videmus, qui numerus ad unum collatus, duplus invenitur : duplus duorum non consequenter adjungitur, sed interposito ternario quaternarius sequitur, qui duplus est duorum. Et hæc ratio per omnes cæteros numeros certissima et incommutabili lege pertenditur, ut post unum, id est post primum omnium numerorum, ipso excepto primus sit qui duplum ejus habet; duo enim sequuntur. Post secundum autem, id est post duo, ipso excepto secundus sit qui duplum ejus habet : post duo enim primus est ternarius, secundus quaternarius, duplus secundi. Post tertium, id est ternarium, ipso excepto tertius sit qui duplus est ejus : post tertium enim, id est post ternarium primus est quaternarius, secundus quinarius, tertius senarius, qui duplus est tertii. Atque ita post quartum, ipso excepto quartus habet duplum ejus : post quartum enim, id est quaternarium primus est quinarius, secundus senarius, tertius septenarius, quartus octonarius, qui duplex est quarti. Atque ita per omnes cæteros reperies hoc quod in prima copula numerorum, id est uno et duobus inventum est, ut quotus quisque numerus est ab ipso principio, totus post illum sit duplus ejus. Hoc ergo quod per omnes numeros esse immobile, firmum incorruptumque conspicimus, unde conspicimus? Non enim ullus ullo sensu corporis omnes numeros attingit; innumerabiles enim sunt : unde ergo novimus per omnes hoc esse, aut qua phantasia vel phantasmate tam certa veritas numeri per innumerabilia tam fidenter, nisi in luce interiore conspicitur, quam corporalis sensus ignorat?

24. His et talibus multis documentis coguntur fateri, quibus disputantibus Deus donavit ingenium, et pertinacia caliginem non obducit, rationem veritatemque numerorum, et ad sensus corporis non pertinere, et invertibilem sinceramque consistere, et omnibus ratiocinantibus ad videndum esse communem. Quapropter cum multa alia possint occurrere, quæ communiter et tanquam publice præsto sunt ratiocinantibus, et ab eis videantur mente atque ratione singulorum quorumque cernentium, eaque inviolata et incommutabilia maneant; non tamen invitus accepe-rim quod ista ratio et veritas numeri tibi potissimum occurrerit, cum ad id quod interrogaveram, respondere voluisses : non enim frustra in sanctis Libris sapientiæ conjunctus est numerus, ubi dictum est : *Circuivi ego et cor meum*[1], *ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam et numerum* (*Eccle.* VII, 26).

CAPUT IX. — *Quid sapientia, sine qua nemo beatus; an una sit in omnibus sapientibus.*

25. Verumtamen, quæso te, quid de ipsa sapientia putas existimandum? Singulas quasque suas arbitraris singulos quosque homines habere sapientias? an vero unam præsto esse communiter omnibus, cujus quanto magis quisque fit particeps, tanto est sapientior? *E.* Quam dicas sapientiam nondum scio; video quippe varie videri hominibus, quid fiat dicaturve sapienter : nam et qui militant, sapienter sibi facere videntur; et qui contempta militia colendo agro curam atque operam impendunt, hoc potius laudant, tribuuntque sapientiæ; et qui astuti sunt ad excogitandos modos conquirendæ pecuniæ, sibi videntur esse sapientes; et qui hæc omnia negligunt vel abjiciunt, et quæque sunt hujusmodi temporalia, et totum studium suum ad investigationem conferunt veritatis, ut semetipsos Deumque cognoscant, magnum hoc esse sapientiæ munus judicant; et qui huic otio quærendi et contemplandi veri nolunt se dedere, sed potius laboriosissimis curis et officiis agunt, ut hominibus consulant, et in rerum humanarum juste moderandarum et gubernandarum actione versantur, sapientes se esse arbitrantur; et qui utrumque horum agunt, et partim vivunt in contemplatione veritatis, partim in laboribus officiosis, quos humanæ societati deberi putant, sibi palmam sapientiæ tenere videntur. Omitto innumerabiles sectas, quarum nulla est quæ non sectatores suos præponens cæteris, eos solos velit esse sapientes. Quamobrem cum id nunc agatur inter nos, ut non quid credamus respondendum sit, sed quid dilucida intelligentia teneamus, nullo modo ad id tibi quod interrogasti respondere potero, nisi quod credendo teneo, contemplando etiam et ratione cernendo noverim, quæ sit ipsa sapientia.

26. *A.* Num aliam putas esse sapientiam nisi veritatem, in qua cernitur et tenetur summum bonum? Nam illi omnes quos commemorasti diversa sectantes, bonum appetunt, et malum fugiunt; sed propterea diversa sectantur, quod aliud alii videtur bonum. Quisquis ergo appetit quod appetendum non erat, tametsi id non appeteret nisi ei videretur bonum, errat tamen. Errare autem neque ille potest qui nihil appetit, neque ille qui hoc appetit quod debet appetere. In quantum igitur omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet vitæ viam quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur et profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Error est enim cum sequimur aliquid quod non ad id ducit quo volumus pervenire. Et quanto magis in via vitæ quis er[…]rat, tanto minus sapit. Tanto enim magis longe est a veritate, in qua cernitur et tenetur summum bonum. Summo autem bono assecuto et adepto, beatus quisque fit; quod omnes sine controversia volumus. Ut ergo constat nos beatos esse velle, ita nos constat velle esse sapientes; quia nemo sine sapientia beatus est. Nemo enim beatus est, nisi summo bono, quod in ea veritate, quam sapientiam vocamus, cernitur et tenetur. Sicut ergo antequam beati simus, mentibus tamen nostris impressa est notio beatitatis; per hanc enim scimus, fideuterque, et sine ulla dubitatione di-

[1] In Edd., *et inclinavi cor meum.* At abest *inclinavi* a Mss. nec non a græco Scripturæ textu, juxta quem postea legere solet Augustinus, *sapientiam et numerum*; quo modo legit etiam Ambrosius in libro de Bono Mortis, cap. 7.

cimus beatos nos esse velle : ita etiam priusquam sapientes simus, sapientiæ notionem in mente habemus impressam, per quam unusquisque nostrum si interrogetur velitne esse sapiens, sine ulla caligine dubitationis se velle respondet.

27. Quare si jam constat inter nos quæ sit sapientia, quam fortasse verbis explicare non poteras (nam si eam nullo modo animo cerneres, nullo modo scires et velle te esse sapientem et velle debere, quod te negaturum esse non arbitror), volo jam dicas mihi, utrum etiam sapientiam, sicut numeri rationem atque veritatem omnibus ratiocinantibus communem se præbere arbitreris; an quoniam tot sunt mentes hominum quot homines sunt, unde nec ego de tua mente aliquid cerno, nec tu de mea, tot etiam putes esse sapientias, quot potuerint esse sapientes. *E.* Si summum bonum omnibus unum est, oportet etiam veritatem in qua cernitur et tenetur, id est sapientiam, omnibus unam esse communem. *A.* Dubitas autem summum bonum, quidquid illud est, omnibus hominibus unum esse? *E.* Dubito sane, quia diversos diversis rebus gaudere video tanquam summis bonis suis. *A.* Vellem quidem, ut de summo bono ita nemo dubitaret, ut nemo dubitat quidquid illud est, non nisi eo adepto posse fieri hominem beatum. Sed quoniam magna quæstio est, et longum sermonem forte desiderat, putemus omnino tot summa bona esse, quot sunt ipsæ res diversæ quæ a diversis tanquam summa bona appetuntur : num ideo sequitur, ut ipsa sapientia etiam non sit una communis omnibus, quia ea bona, quæ in illa cernunt et eligunt homines, multa et diversa sunt? Si enim hoc putas, potes et de luce solis dubitare quod una sit, quia multa et diversa sunt, quæ in ea cernimus. De quibus multis elegit quisque pro voluntate quo fruatur per oculorum sensum : et alius altitudinem montis alicujus intuetur libenter, et eo gaudet aspectu ; alius campi planitiem, alius convexa vallium, alius nemorum viriditatem, alius mobilem æqualitatem maris, alius hæc omnia, vel quædam horum simul pulchra confert ad lætitiam videndi. Sicut ergo ista multa et diversa sunt, quæ in luce solis homines vident et eligunt ad fruendum, lux tamen ipsa una est, in qua videt et tenet quo fruatur uniuscujusque intuentis aspectus : ita, etiamsi multa sunt bona eaque diversa, e quibus eligat quisque quod volet, idque videndo et tenendo ad fruendum summum sibi bonum recte vereque constituat; fieri tamen potest ut lux ipsa sapientiæ, in qua hæc videri et teneri possunt, omnibus sapientibus sit una communis. *E.* Fateor fieri posse, nec impedire aliquid, ut non sit omnibus communis una sapientia, etiamsi multa et diversa sint summa bona : sed vellem scire an ita sit. Quod enim concedimus fieri posse ut ita sit, non continuo ita esse concedimus. *A.* Tenemus interim esse sapientiam : sed utrum sit communis una omnibus, an singuli sapientes suas habeant, sicuti animas vel mentes suas, hoc nondum tenemus. *E.* Ita est.

CAPUT X. — *Una est sapientiæ lux omnibus sapientibus communis.*

28. *A.* Quid? hoc quod tenemus vel esse sapientiam, vel sapientes, et beatos esse omnes homines velle, ubi videmus? Nam hoc te videre, et verum esse nullo modo utique dubitaverim. Hoc ergo verum sic vides ut cogitationem tuam, quam si mihi non enunties, ego prorsus ignoro? an ita ut intelligas et a me videri posse hoc verum, tametsi mihi abs te non dicatur? *E.* Imo ita ut abs te quoque, etiam me invito, videri posse non dubitem. *A.* Quod ergo unum verum videmus ambo singulis mentibus, nonne utrique nostrum commune est? *E.* Manifestissime. *A.* Item credo te non negare studendum esse sapientiæ, atque hoc verum esse concedere. *E.* Prorsus non dubito. *A.* Hoc item verum, et unum esse, et omnibus qui hoc sciunt, ad videndum esse commune, quamvis unusquisque id nec mea, nec tua, nec cujusquam alterius, sed sua mente conspiciat, cum id quod conspicitur, omnibus conspicientibus communiter præsto sit, numquid negare poterimus? *E.* Nullo modo. *A.* Item, juste esse videndum, deteriora melioribus esse subdenda, et paria paribus comparanda, et propria suis quibusque tribuenda, nonne fateberis esse verissimum, et tam mihi quam tibi atque omnibus id videntibus præsto esse communiter? *E.* Assentior. *A.* Quid incorruptum melius esse corrupto, æternum temporali, inviolabile violabili, poteris negare? *E.* Quis potest? *A.* Hoc ergo verum potest quisque suum proprium dicere, cum incommutabiliter contemplandum adsit omnibus qui hoc contemplari valent? *E.* Nullus hoc vere dixerit suum esse proprium, cum tam sit unum atque omnibus commune quam verum est. *A.* Item a corruptione avertendum animum, atque ad incorruptionem convertendum esse, id est non corruptionem, sed incorruptionem diligendam esse quis negat? Aut quis cum verum esse fateatur, non etiam incommutabile intelligat, atque omnibus mentibus id valentibus intueri, communiter præsto esse videat? *E.* Verissimum est. *A.* Quid? eam vitam quæ nullis adversitatibus de certa et honesta sententia demovetur, dubitabit aliquis esse meliorem, quam eam quæ facile incommodis temporalibus frangitur atque subvertitur? *E.* Quis dubitaverit?

29. *A.* Jam hujusmodi plura non quæram : satis enim est quod istas tanquam regulas, et quædam lumina virtutum, et vera et incommutabilia, et sive singula sive omnia communiter adesse ad contemplandum eis qui hæc valent sua quisque ratione ac mente conspicere, pariter mecum vides certissimumque esse concedis. Sed sane quæro utrum hæc tibi videantur ad sapientiam pertinere. Nam credo videri tibi eum qui sapientiam assecutus est, esse sapientem. *E.* Videtur omnino. *A.* Quid? ille qui juste vivit, possetne ita vivere, nisi videret quæ inferiora quibus potioribus subdat, et quæ paria sibimet copulet, et quæ propria suis quibusque distribuat? *E.* Non posset. *A.* Qui ergo hæc videt, num eum negabis sapienter videre? *E.* Non nego. *A.* Quid? ille qui prudenter vi-

vit, nonne eligit incorruptionem, et eam corruptioni præponendam esse decernit? *E.* Manifestissime. *A.* Cum ergo id eligit quo convertat animum, quod eligendum esse nemo ambigit, num negari potest sapienter eligere? *E.* Nullo modo negaverim. *A.* Cum ergo ad id quod sapienter eligit convertit animum, sapienter utique convertit. *E.* Certissimum est. *A.* Et qui ab eo quod sapienter eligit, et quo se sapienter convertit, nullis terroribus pœnisque depellitur, sapienter sine dubio facit. *E.* Prorsus sine dubio. *A.* Manifestissimum est igitur omnes has, quas regulas diximus et lumina virtutum, ad sapientiam pertinere : quandoquidem quanto magis quisque ad agendam vitam eis utitur, et secundum hæc agit vitam, tanto magis vivit facitque sapienter; omne autem quod sapienter fit, non potest recte dici a sapientia esse separatum. *E.* Omnino ita est. *A.* Quam ergo veræ atque incommutabiles sunt regulæ numerorum, quorum rationem atque veritatem incommutabiliter atque communiter omnibus eam cernentibus, præsto esse dixisti; tam sunt veræ atque incommutabiles regulæ sapientiæ, de quibus paucis nunc singillatim interrogatus respondisti esse veras atque manifestas, easque omnibus qui hæc intueri valent, communes ad contemplandum adesse concedis.

## CAPUT XI. — *Sapientia et numerus an idem, an alterum ab altero vel in altero existat.*

30. *E.* Dubitare non possum. Sed pervellem scire utrum uno aliquo genere contineantur hæc duo, sapientia scilicet et numerus, quia conjuncta etiam in Scripturis sanctis hæc posita esse commemorasti; an alterum existat ab altero, aut alterum in altero consistat, veluti numerus a sapientia, vel in sapientia. Nam sapientiam existere a numero, aut consistere in numero, non ausim dicere : nescio enim quomodo, quia multos novi numerarios aut numeratores, vel si quo alio nomine vocandi sunt, qui summe atque mirabiliter computant, sapientes autem perpaucos, aut forsitan neminem, longe venerabilior mihi occurrit sapientia quam numerus. *A.* Rem dicis quam ego quoque mirari soleo. Nam cum incommutabilem veritatem numerorum mecum ipse considero, et ejus quasi cubile ac penetrale vel regionem quamdam, vel si quod aliud nomen aptum inveniri potest, quo nominemus quasi habitaculum quoddam sedemque numerorum; longe removeor a corpore : et inveniens fortasse aliquid quod cogitare possim, non tamen aliquid inveniens quod verbis proferre sufficiam, redeo tanquam lassatus in hæc nostra, ut loqui possim, et ea quæ ante oculos sita sunt dico, sicut dici solent. Hoc mihi accidit etiam cum de sapientia quantum valeo, vigilantissime atque intentissime cogito. Et propterea multum miror, cum hæc duo sint in secretissima certissimaque veritate, accedente etiam testimonio Scripturarum, quo commemoravi conjuncte illa posita; plurimum miror, ut dixi, quare numerus vilis sit multitudini hominum, et chara sapientia. Sed nimirum illud est, quod una quædam eademque res est; verumtamen quoniam nihilominus in divinis Libris de sapientia dicitur, quod *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1), ea potentia qua *fortiter a fine usque ad finem attingit*, numerus fortasse dicitur : ea vero qua *disponit omnia suaviter*, sapientia proprie jam vocatur; cum sit utrumque unius ejusdemque sapientiæ.

31. Sed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis, et in fine rerum locatis; et corpora enim omnia quamvis in rebus extrema sint, habent numeros suos; sapere autem non dedit corporibus, neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locaverit, de qua disponat omnia illa etiam infima quibus numeros dedit : itaque quoniam de corporibus facile judicamus, tanquam de rebus quæ infra nos ordinatæ sunt, quibus impressos numeros infra nos esse cernimus; et eos propterea vilius habemus. Sed cum cœperimus tanquam sursum versus recurrere, invenimus eos etiam nostras mentes transcendere, atque incommutabiles in ipsa manere veritate. Et quia sapere pauci possunt, numerare autem etiam stultis concessum est, mirantur homines sapientiam, numerosque contemnunt. Docti autem et studiosi, quanto remotiores sunt a labe terrena, tanto magis et numerum et sapientiam in ipsa veritate contuentur, et utrumque charum habent : et in ejus veritatis comparatione non eis aurum et argentum, et cætera de quibus homines dimicant, sed ipsi etiam vilescunt sibi.

32. Nec mireris numeros ideo viluisse hominibus, et charam esse sapientiam, quia facilius possunt numerare quam sapere, cum videas charius illos habere aurum quam lumen lucernæ, cui comparatum aurum ridetur. Sed honoratur amplius res longe inferior, quia lucernam sibi et mendicus accendit, aurum vero pauci habent : quanquam sapientia absit ut in comparatione numeri inveniatur inferior, cum eadem sit; sed oculum quo cerni possit, inquirit [1]. Sed quemadmodum in uno igne consubstantialis, ut ita dicam, sentitur fulgor et calor, nec separari ab invicem possunt; tamen ad ea calor pervenit, quæ prope admoventur, fulgor vero etiam longius latiusque diffunditur : sic intelligentiæ potentia, quæ inest sapientiæ, propinquiora fervescunt [2], sicuti sunt animæ rationales; ea vero quæ remotiora sunt, sicuti corpora, non attingit calore sapiendi, sed perfundit lumine numerorum : quod tibi fortassis obscurum est. Non enim ulla visibilis similitudo invisibili rei potest ad omnem convenientiam coaptari. Tantum illud attende, quod et quæstioni quam suscepimus satis est, et humilioribus etiam mentibus, quales nos sumus, sese manifestat, quia etsi clarum nobis esse non potest utrum in sapientia, vel ex sapientia numerus, an ipsa sapientia ex numero, an in numero sit, an utrumque nomen unius rei possit ostendi; illud certe manifestum est utrumque verum esse, et incommutabiliter verum.

[1] Editi : *Si oculus, quo cerni possit, inquirat.* At Mss., *sed oculum.... inquirit.*

[2] Quatuor Mss., *quæ sunt sapientiæ propinquiora ferve-*

CAPUT XII. — *Una et incommutabilis in omnibus intelligentibus veritas, eaque nostra mente superior.*

33. Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia quæ incommutabiliter vera sunt continentem; quam non possis dicere tuam vel meam, vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquam miris modis secretum et publicum lumen, præsto esse ac se præbere communiter : omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intelligentibus præsto est, ad ullius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit? Meministi enim, ut opinor, quid de sensibus corporis paulo ante tractatum sit; ea scilicet quæ oculorum vel aurium sensu communiter tangimus, sicuti sunt colores et soni, quos ego et tu simul videmus, vel simul audimus, non pertinere ad oculorum nostrorum auriumve naturam, sed ad sentiendum nobis esse communia. Sic ergo etiam illa quæ ego et tu communiter propria quisque mente conspicimus, nequaquam dixeris ad mentis alicujus nostrum pertinere naturam. Duorum enim oculi quod simul vident, nec hujus nec illius oculos esse poteris dicere, sed aliquid tertium in quod utriusque conferatur aspectus. *E.* Apertissimum atque verissimum est.

34. *A.* Hanc ergo veritatem, de qua jam diu loquimur, et in qua una tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse quam mens nostra est, an æqualem mentibus nostris, an etiam inferiorem? Sed si esset inferior, non secundum illam, sed de illa judicaremus, sicut judicamus de corporibus, quia infra sunt, et dicimus ea plerumque non tantum ita esse vel non ita, sed ita vel non ita esse debere : sic et de animis nostris non solum ita esse animum novimus, sed plerumque etiam ita esse debere. Et de corporibus quidem sic judicamus, cum dicimus, Minus candidum est quam debuit; aut, minus quadrum, et multa similiter : de animis vero, Minus aptus est quam debet; aut, minus lenis; aut minus vehemens, sicut nostrorum morum se ratio tulerit. Et judicamus hæc secundum illas interiores regulas veritatis, quas communiter cernimus : de ipsis vero nullo modo quis judicat. Cum enim quis dixerit æterna temporalibus esse potiora, aut septem et tria decem esse, nemo dicit ita esse debuisse, sed tantum ita esse cognoscens, non examinator corrigit, sed tantum lætatur inventor. Si autem esset æqualis mentibus nostris hæc veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostræ aliquando eam plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur se esse mutabiles : cum illa in se manens nec proficiat cum plus a nobis videtur, nec deficiat cum minus, sed integra et incorrupta, et conversos lætificet lumine, et aversos puniat cæcitate. Quid, quod etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam judicamus, cum de illa nullo modo judicare possimus? Dicimus enim, Minus intelligit quam debet, aut tantum quantum debet intelligit. Tantum autem mens debet intelligere, quantum propius admoveri atque inhærere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior, nec æqualis est, restat ut sit superior atque excellentior.

CAPUT XIII. — *Exhortatio ad amplexum veritatis, quæ una beatos facit.*

35. Promiseram autem, si meministi, me tibi demonstraturum esse aliquid quod sit mente nostra atque ratione sublimius. Ecce tibi est ipsa veritas : amplectere illam si potes, et fruere illa, et delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI, 4). Quid enim petis amplius quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate? An vero clamant homines beatos se esse, cum pulchra corpora magno desiderio concupita, sive conjugum, sive etiam meretricum amplexantur; et nos in amplexu veritatis beatos esse dubitamus? Clamant homines se beatos esse, cum æstu aridis faucibus ad fontem abundantem salubremque perveniunt, aut esurientes prandium cœnamve ornatam copiosamque reperiunt; et nos negabimus beatos esse, cum irrigamur pascimurque veritate? Solemus audire voces clamantium se beatos, si jaceant in rosis et aliis floribus [1], vel etiam unguentis odoratissimis perfruantur : quid fragrantius, quid jucundius inspiratione veritatis? et dubitamus nos cum ab illa inspiramur, dicere beatos? Multi beatam vitam in cantu vocum et nervorum et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt, se miseros judicant; cum autem adsunt, efferuntur lætitia : et nos cum mentibus nostris sine ullo strepitu, ut ita dicam, canorum et facundum quoddam silentium veritatis illabitur, aliam beatam vitam quærimus, et tam certa et præsente non fruimur? Luce auri et argenti, luce gemmarum et aliorum colorum, sive ipsius lucis quæ ad hos oculos pertinet, sive in ignibus terrenis, sive in stellis vel luna vel sole, claritate et jucunditate delectati homines, cum ab ista lætitia nullis molestiis, nulla indigentia revocantur, beati sibi videntur, et propter hæc semper volunt vivere : et nos in luce veritatis beatam vitam collocare metuimus?

36. Imo vero quoniam in veritate cognoscitur et tenetur summum bonum, eaque veritas sapientia est, cernamus in ea, teneamusque summum bonum, eoque perfruamur. Beatus est quippe qui fruitur summo bono. Hæc enim veritas ostendit omnia bona, quæ vera sunt, quæ sibi pro suo captu intelligentes homines, vel singula, vel plura eligunt, quibus fruantur. Sed quemadmodum illi qui in luce solis eligunt quod libenter aspiciant, et eo aspectu lætificantur; in quibus si qui forte fuerint vegetioribus sanisque et fortissimis oculis præditi, nihil libentius quam ipsum solem contuentur, qui etiam cætera quibus infirmiores oculi delectantur, illustrat : sic fortis acies mentis et vegeta cum multa vera et incommutabilia certa ratione conspexerit, dirigit se in ipsam veritatem, qua cuncta monstrantur, eique inhærens tanquam obliviscitur cætera, et in illa simul omnibus fruitur. Quidquid

[1] In B., *si jaceant in rosa, et aliis floribus.* Er. Lugd. Ven. Lov., *rosis.* M.

enim jucundum est in cæteris veris, ipsa utique veritate jucundum est.

37. Hæc est libertas nostra, cum isti subdimur veritati : et ipse est Deus noster qui nos liberat a morte, id est a conditione peccati. Ipsa enim Veritas etiam homo cum hominibus loquens, ait credentibus sibi : *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Nulla enim re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate.

CAPUT XIV. — *Veritas possidetur cum securitate.*

Nemo autem securus est in iis bonis quæ potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus : non enim locis separari ab ea quisquam potest; sed ea quæ dicitur a veritate atque sapientia separatio, perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Nemo autem vult aliquid nolens. Habemus igitur qua fruamur omnes æqualiter atque communiter : nullæ sunt angustiæ, nullus in ea defectus. Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit, et omnibus communis est, et singulis casta est. Nemo alicui dicit : Recede, ut etiam ego accedam; remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, idipsum omnes tangunt [1]. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur; nihil de ipsa bibis quod ego non possim. Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid ; sed quod tu de illa capis, et mihi manet integrum. Quod te inspirat non exspecto ut reddatur abs te, et sic ego inspirer ex eo : non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius aut quorumdam proprium, sed simul omnibus tota est communis.

38. Minus ergo ea quæ tangimus, vel quæ gustamus, vel quæ olfacimus, huic sunt veritati similia, sed magis ea quæ audimus et cernimus : quia et omne verbum a quibus auditur, totum auditur ab omnibus, et simul a singulis totum; et species omnis quæ oculis adjacet, quanta videtur ab uno, tanta et ab alio simul. Sed multum longo intervallo sunt ista similia : nec tota enim simul sonat quælibet vox, quia per tempora tenditur et producitur, et aliud ejus prius sonat, aliud posterius ; et species omnis visibilis tanquam intumescit per locos, nec ubique tota est. Et certe omnia hæc auferuntur invito, et quominus eis frui possimus, quibusdam impedimur angustiis. Nam et si posset esse cujusquam suavis cantus sempiternus, et studiosi ejus certatim ad eum audiendum venirent, coarctarent sese, atque pugnarent de locis, quanto plures essent, ut cantanti esset quisque propinquior, et in audiendo nihil tenerent manere secum, sed omnibus vocibus fugientibus tangerentur. Solem autem istum si vellem intueri, atque id pertinaciter possem; et in occasu me desereret, et subvelaretur nubilo, et multis aliis obstaculis voluptatem videndi eum invitus amitterem. Postremo etiam si adesset semper suavitas, et lucis videnti, et vocis audienti, quid magnum ad me perveniret, cum mihi esset commune cum belluis? At illa veritatis et sapientiæ pulchritudo, tantum adsit perseverans voluntas fruendi, nec multitudine audientium constipata secludit venientes, nec peragitur tempore, nec migrat locis, nec nocte intercipitur, nec umbra intercluditur, nec sensibus corporis subjacet. De toto mundo ad se conversis qui diligunt eam, omnibus proxima est, omnibus sempiterna; nullo loco est, nusquam deest; foris admonet, intus docet; cernentes se commutat omnes in melius, a nullo in deterius commutatur; nullus de illa judicat, nullus sine illa judicat bene. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quæ ab ipsa una fiunt singulæ sapientes, et non de ipsa, sed per ipsam de cæteris judices, sine dubitatione esse potiorem.

CAPUT XV. — *Deum esse ex ratione fuse explicata jam certo cognoscitur.*

39. Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, Deum te esse confessurum, si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens dixeram satis esse, ut hoc demonstrarem. Si enim aliquid est excellentius, ille potius Deus est : si autem non est, jam ipsa veritas Deus est. Sive ergo illud sit, sive non sit, Deum tamen esse, negare non poteris : quæ nobis erat ad disserendum et tractandum quæstio constituta. Nam si te hoc movet quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse Patrem Sapientiæ; memento nos etiam hoc in fidem accepisse, quod æterno Patri sit æqualis quæ ab ipso genita est Sapientia. Unde nunc nihil quærendum est, sed inconcussa fide retinendum. Est enim Deus, et vere summeque est. Quod jam non solum indubitatum, quantum arbitror, fide retinemus, sed etiam certa, quamvis adhuc tenuissima, forma cognitionis attingimus; quod quæstioni susceptæ sufficit, ut cætera quæ ad rem pertinent, explicare possimus : nisi quid habes adversus ista quod opponas. *E.* Ego vero incredibili omnino, et quam tibi verbis explicare non possum, lætitia perfusus accipio ista, et clamo esse certissima. Clamo autem voce interiore, qua exaudiri cupio ab ipsa veritate, et illi inhærere : quod non solum bonum, sed etiam summum bonum, et beatificum esse concedo.

40. *A.* Recte sane; etiam ego plurimum gaudeo. Sed, quæso te, numquid jam sapientes et beati sumus? an adhuc tendimus eo, ut id nobis esse proveniat? *E.* Eo nos potius tendere existimo. *A.* Unde ergo ista comprehendis, quibus veris certisque gaudere te clamas, et hoc ad sapientiam pertinere concedis? an quisquam insipiens potest nosse sapientiam? *E.* Quamdiu insipiens est, non potest. *A.* Tu ergo jam sapiens es, aut nondum nosti sapientiam. *E.* Non sum quidem adhuc sapiens, sed nec insipientem me dixerim, in quantum novi sapientiam; quoniam et certa sunt ista quæ novi, et ad sapientiam pertinere, negare non possum. *A.* Dic, quæso te, nonne fateberis eum qui non est justus, injustum esse; et qui non est prudens, imprudentem esse; et qui non est temperans, intemperantem? an dubitari de his aliquid potest? *E.* Fateor hominem, quando

[1] Editi, *ipsam omnes tangunt*. At Mss., *idipsum*.

justus non est, injustum esse; hoc etiam de prudente et temperante responderim. *A.* Cur ergo et quando sapiens non est, non sit insipiens? *E.* Hoc quoque fateor, quando quisque sapiens non est, eum esse insipientem. *A.* Nunc ergo tu quid horum es? *E.* Quodlibet horum me appelles, nondum audeo me dicere sapientem; et ex iis quæ concessi, video esse consequens ut me insipientem non dubitem dicere. *A.* Novit ergo insipiens sapientiam. Non enim, sicut jam dictum est, certus esset velle se esse sapientem, idque oportere, nisi notio sapientiæ menti ejus inhæreret, sicut earum rerum de quibus singillatim interrogatus respondisti, quæ ad ipsam sapientiam pertinent, quarum cognitione lætatus es. *E.* Ita est ut dicis.

CAPUT XVI. — *Sapientia studiosis sui inquisitoribus sese in via ostendit, numeris videlicet cuique rei impressis.*

41. *A.* Quid igitur aliud agimus cum studemus esse sapientes, nisi ut quanta possumus alacritate, ad id quod mente contingimus, totam animam nostram quodammodo colligamus, et ponamus ibi, atque stabiliter infigamus; ut non jam privato suo gaudeat quod implicavit rebus transeuntibus, sed exuta omnibus temporum et locorum affectionibus apprehendat id quod unum atque idem semper est? Sicut enim tota vita corporis est anima, sic beata vita animæ Deus est. Quod dum agimus, donec peragamus, in via sumus. Et quod istis veris et certis bonis, quamvis adhuc in hoc tenebroso itinere coruscantibus, gaudere concessum est, vide utrum hoc sit quod scriptum est de sapientia, quid agat cum amatoribus suis cum ad eam veniunt, et eam quærunt: dictum est enim, *In viis ostendet se illis hilariter, et omni providentia occurret illis* (*Sap.* VI, 17). Quoquo enim te verteris, vestigiis quibusdam, quæ operibus suis impressit, loquitur tibi, et te in exteriora relabentem, ipsis exteriorum formis intro revocat; ut quidquid te delectat in corpore, et per corporeos illicit sensus, videas esse numerosum, et quæras unde sit, et in teipsum redeas, atque intelligas te id quod attingis sensibus corporis, probare aut improbare non posse, nisi apud te habeas quasdam pulchritudinis leges, ad quas referas quæque pulchra sentis exterius.

42. Intuere cœlum et terram et mare, et quæcumque in eis vel desuper fulgent, vel deorsum repunt vel volant vel natant; formas habent, quia numeros habent: adime illis hæc, nihil erunt. A quo ergo sunt, nisi a quo numerus; quandoquidem in tantum illis est esse, in quantum numerosa esse? Et omnium quidem formarum corporearum artifices homines in arte habent numeros, quibus coaptant opera sua: et tamdiu manus atque instrumenta in fabricando movent, donec illud quod formatur foris, ad eam quæ intus est lucem numerorum relatum, quantum potest impetret absolutionem, placeatque per interpretem sensum interno judici supernos numeros intuenti. Quære deinde artificis ipsius membra quis moveat; numerus erit: nam moventur etiam illa numerose. Et si detrahas de manibus opus, et de animo intentionem fabricandi, motusque ille membrorum ad delectationem referatur, saltatio vocabitur. Quære ergo quid in saltatione delectet; respondebit tibi numerus: Ecce sum. Inspice jam pulchritudinem formati corporis; numeri tenentur in loco. Inspice pulchritudinem mobilitatis in corpore; numeri versantur in tempore. Intra ad artem unde isti procedunt, quære in ea tempus et locum; nunquam erit, nusquam erit; vivit in ea tamen numerus: nec ejus regio spatiorum est, nec ætas dierum; et discendæ arti tamen cum se accommodant, qui se artifices fieri volunt, corpus suum per loca et tempora movent, animum vero per tempora: accessu quippe temporis peritiores fiunt. Transcende ergo et animum artificis, ut numerum sempiternum videas; jam tibi sapientia de ipsa interiore sede fulgebit, et de ipso secretario veritatis: quæ si adhuc languidiorem aspectum tuum reverberat, refer oculum mentis in illam viam, ubi se ostendebat hilariter. Memento sane distulisse te visionem quam fortior saniorque repetas.

43. Væ qui derelinquunt te ducem, et oberrant in vestigiis tuis, qui nutus tuos pro te amant, et obliviscuntur quid innuas, o suavissima lux purgatæ mentis sapientia! non enim cessas innuere nobis quæ et quanta sis; et nutus tui sunt omne creaturarum decus. Et artifex enim quodammodo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulchritudine, ne ibi totus hæreat, sed speciem corporis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum qui fabricaverit recurrat affectu. Similes autem sunt hominibus, qui ea quæ facis pro te amant, qui cum audiunt aliquem facundum sapientem, dum nimis suavitatem vocis ejus, et structuras syllabarum apte locatarum avide audiunt, amittunt sententiarum principatum, cujus illa verba tanquam signa sonuerunt. Væ qui se avertunt a lumine tuo, et obscuritati suæ dulciter inhærent! Tanquam enim dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur, et tamen etiam ibi quod eos delectat, adhuc habent de circumfulgentia lucis tuæ [1]. Sed umbra dum amatur, languidiorem facit oculum animi, et invalidiorem ad perferendum conspectum tuum. Propterea magis magisque homo tenebratur, dum sectatur libentius quidquid infirmiorem tolerabilius excipit. Ex quo incipit non posse videre quod summe est, et malum putare quidquid fallit improvidum, aut illicit indigum [2], aut captum excruciat, cum ea pro merito patiatur aversionis suæ, et quidquid justum est, malum esse non possit.

44. Si ergo quidquid mutabile aspexeris, vel sensu corporis, vel animi consideratione capere non potes, nisi aliqua numerorum forma teneatur, qua detracta in nihil recidat; noli dubitare, ut ista mutabilia non intercipiantur, sed dimensis motibus, et distincta varietate formarum, quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam æternam et incommutabilem; quæ neque contineatur et quasi diffundatur

[1] Mss. plures, *adhuc habet de circumfulgentia lucis tuæ.*
[2] Mss. non pauci cum antiquioribus editionibus, *aut illicit indignum.*

locis, neque potendatur atque varietur temporibus, per quam cuncta ista formari valeant, et pro suo genere implere atque agere locorum ac temporum numeros.

CAPUT XVII. — *Bonum et perfectio quæcumque ex Deo est.*

45. Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est. Sicut autem mutabile dicimus quod mutari potest, ita formabile quod formari potest appellaverim. Nulla autem res formare seipsam potest: quia nulla res potest dare sibi quod non habet; et utique ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter quælibet res si quam habet formam, non ei opus est accipere quod habet; si qua vero non habet formam, non potest a se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest. Quid autem amplius de mutabilitate corporis et animi dicamus? superius enim satis dictum est. Conficitur itaque, ut et corpus et animus forma quadam incommutabili et semper manente formentur. Cui formæ dictum est: *Mutabis ea et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 27, 28). Annos sine defectu, pro æternitate posuit prophetica locutio. De hac item forma dictum est, quod in seipsa manens innovet omnia (*Sap.* VII, 27). Hinc etiam comprehenditur omnia providentia gubernari. Si enim omnia quæ sunt, forma penitus subtracta nulla erunt, forma ipsa incommutabilis, per quam mutabilia cuncta subsistunt, ut formarum suarum numeris impleantur et agantur, ipsa est eorum providentia: non enim ista essent, si illa non esset. Intuens ergo et considerans universam creaturam, quicumque iter agit ad sapientiam, sentit sapientiam in via se sibi ostendere hilariter, et in omni providentia occurrere sibi: et tanto alacrius ardescit viam istam peragere, quanto et ipsa via per illam pulchra est, ad quam exæstuat pervenire.

46. Tu autem si præter id quod est et non vivit, et id quod est et vivit neque intelligit, et id quod est et vivit et intelligit, inveneris aliquod aliud creaturarum genus; tunc aude dicere aliquod bonum esse, quod non sit ex Deo. Tria enim hæc duobus etiam nominibus enuntiari possunt, si appellentur corpus et vita: quia et illa quæ tantum vivit, neque intelligit, qualis est pecorum, et hæc quæ intelligit, sicuti est hominum, rectissime vita dicitur. Hæc autem duo, id est, corpus et vita, quæ quidem creaturæ deputantur (nam et Creatoris ipsius vita dicitur, et ea summa vita est): istæ igitur duæ creaturæ corpus et vita quoniam formabilia sunt, sicuti superius dicta docuerunt, amissaque omnino forma in nihilum recidunt, satis ostendunt se ex illa forma subsistere, quæ semper ejusmodi est. Quamobrem quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo esse non possunt. Quid enim majus in creaturis quam vita intelligens, aut quid minus potest esse quam corpus? Quæ quantumlibet deficiant, et eo tendant ut non sint, tamen aliquid formæ illis remanet, ut quoquo modo sint. Quidquid autem formæ cuipiam rei deficienti remanet; ex illa forma est quæ nescit deficere, motusque ipsos rerum deficientium vel proficientium excedere numerorum suorum leges non sinit. Quidquid igitur laudabile advertitur in rerum natura, sive exigua sive ampla laude dignum judicetur, ad excellentissimam et ineffabilem laudem referendum est Conditoris: nisi quid habes ad hæc.

CAPUT XVIII. — *Libera voluntas tametsi ad malum usum converti possit, in bonis numeranda est.*

47. *E.* Satis mihi persuasum esse fateor, et quemadmodum manifestum fiat, quantum in hac vita atque inter tales, quales nos sumus, potest, Deum esse, et ex Deo esse omnia bona: quandoquidem omnia quæ sunt, sive quæ intelligunt et vivunt et sunt, sive quæ tantum vivunt et sunt, sive quæ tantum sunt, ex Deo sunt. Nunc jam tertiam quæstionem videamus, utrum expediri possit, inter bona esse numerandam liberam voluntatem. Quo demonstrato, sine dubitatione concedam Deum dedisse nobis eam, darique oportuisse.

*A.* Bene meministi proposita, et secundam quæstionem jam explicatam vigilanter animadvertisti: sed videre debuisti etiam istam tertiam jam solutam. Propterea quippe tibi videri dixeras, dari non debuisse liberum voluntatis arbitrium, quod eo quisque peccat. Cui sententiæ tuæ cum ego intulissem, recte fieri non posse, nisi eodem libero voluntatis arbitrio (*a*), atque ad id potius hoc Deum dedisse asseverarem; respondisti liberam voluntatem ita nobis dari debuisse, ut justitia data est, qua nemo nisi recte potest uti. Quæ responsio tua in tantos circuitus disputationis nos ire compulit, quibus tibi probaremus et majora et minora bona non esse nisi ex Deo. Quod non tam dilucide ostendi posset, nisi prius adversus opiniones impiæ stultitiæ, qua dicit insipiens in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1), qualiscumque de re tanta pro modulo nostro inita ratio, eodem ipso Deo in tam periculoso itinere nobis opitulante, in aliquid manifestum intenderetur. Quæ duo tamen, id est, Deum esse, et omnia bona ex ipso esse, quanquam inconcussa fide etiam antea tenerentur, sic tamen tractata sunt, ut hoc quoque tertium, inter bona esse numerandam liberam voluntatem, manifestissime appareat.

48. Jam enim superiore disputatione patefactum est, constititque inter nos, naturam corporis inferiore gradu esse quam animi naturam, ac per hoc animum majus bonum esse quam corpus. Si ergo in corporis bonis invenimus aliqua quibus non recte uti homo possit, nec tamen propterea dicimus non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona; quid mirum si et in animo sunt quædam bona, quibus etiam non recte uti possimus, sed quia bona sunt, non potuerunt dari nisi ab illo a quo sunt omnia bona? Vides enim quantum boni desit corpori cui desunt manus, et tamen manibus male utitur qui eis operatur vel sæva vel turpia. Sine pedibus aliquem si aspiceres, fatereris deesse integritati corporis plurimum bonum; et tamen eum qui ad nocendum cuipiam, vel seipsum dehonestandum pedibus uteretur, male uti pedibus

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

non negares. Oculis hanc lucem videmus, formasque internoscimus corporum; idque et speciosissimum est in nostro corpore, unde in fastigio quodam dignitatis hæc membra locata sunt; et ad salutem tuendam, multaque alia vitæ commoda refert usus oculorum : oculis tamen plerique pleraque agunt turpiter, et eos militare cogunt libidini. Et vides quantum bonum desit in facie, si oculi desint : cum autem adsunt, quis hos dedit, nisi bonorum omnium largitor Deus? Quemadmodum ergo ista probas in corpore, et non intuens eos qui male his utuntur, laudas illum qui hæc dedit bona : sic liberam voluntatem sine qua nemo potest recte vivere, oportet et bonum, et divinitus datum, et potius eos damnandos qui hoc bono male utuntur, quam eum qui dederit dare non debuisse fatearis.

49. *E.* Prius ergo vellem ut mihi probares aliquod bonum esse liberam voluntatem, et ego concederem Deum illam dedisse nobis, quia fateor ex Deo omnia bona esse. *A.* Itane tandem non probavi tibi tanto molimine superioris disputationis, cum omnem speciem formamque corporis a summa omnium rerum forma, id est a veritate, subsistere fatereris, et bonum esse concederes? Nam et capillos nostros numeratos esse, ipsa in Evangelio loquitur Veritas (*Matth.* x, 30). De numeri autem summitate, et a fine usque ad finem pertendente potentia, quæ locuti fuerimus, excidit tibi? Quæ igitur ista est tanta perversitas, capillos nostros quamvis inter exigua et omnino abjectissima, tamen inter bona numerare, nec invenire cui auctori tribuantur nisi bonorum omnium conditori Deo, quia et maxima et minima bona ab illo sunt, a quo est omne bonum; et dubitare de libera voluntate, sine qua recte vivi non posse concedunt, etiam qui pessime vivunt? Et certe nunc responde, quæso, quid tibi melius esse videatur in nobis, sine quo recte vivi potest, an sine quo recte vivi non potest. *E.* Jamjam parce, quæso; pudet cæcitatis. Quis enim ambigat id longe esse præstantius, sine quo recta vita nulla est? *A.* Jam ergo tu negabis luscum hominem recte posse vivere? *E.* Absit tam immanis amentia. *A.* Cum ergo in corpore oculum concedas esse aliquod bonum, quo amisso tamen ad recte vivendum non impeditur; voluntas libera tibi videbitur nullum bonum, sine qua recte nemo vivit?

50. Intueris enim justitiam, qua nemo male utitur. Hæc inter summa bona quæ in ipso sunt homine numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa recta vita et honesta constat. Nam neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia male quis utitur : in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest.

CAPUT XIX. — *Bona magna, minima, et media. In mediis censetur libertas.*

Ista ergo magna bona sunt : sed meminisse te oportet, non solum magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo a quo sunt omnia bona, hoc est Deo. Id enim superior disputatio persuasit, cui toties tamque lætus assensus es. Virtutes igitur quibus recte vivitur, magna bona sunt : species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt : potentiæ vero animi sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur : cæteris autem bonis, id est, mediis et minimis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia et magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media et minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis quam in mediis, et magis in mediis quam in minimis bonis : sed magis in omnibus quam si non omnia tribuisset.

51. *E.* Assentior. Sed illud me movet, quoniam de libera voluntate quæstio est, et videmus ipsam bene uti cæteris vel non bene, quomodo et ipsa inter illa quibus utimur numeranda sit. *A.* Quomodo omnia quæ ad scientiam cognoscimus, ratione cognoscimus, et tamen etiam ipsa ratio inter illa numeratur quæ ratione cognoscimus. An oblitus es, cum quæreremus quæ ratione cognoscantur, confessum te fuisse etiam rationem ratione cognosci? Noli ergo mirari si cæteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam uti nos posse; ut quodammodo se ipsa utatur voluntas quæ utitur cæteris, sicut seipsam cognoscit ratio, quæ cognoscit et cætera. Nam et memoria non solum cætera omnia, quæ meminimus comprehendit; sed etiam quod non obliviscimur nos habere memoriam, ipsa se memoria quodammodo tenet in nobis, quæ non solum aliorum, sed etiam sui meminit, vel potius nos et cætera et ipsam per ipsam meminimus.

52. Voluntas ergo quæ medium bonum est, cum inhæret incommutabili bono, eique communi non proprio, sicuti est illa de qua multum locuti sumus, et nihil digne diximus, veritas; tenet homo beatam vitam : eaque ipsa vita beata, id est animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium et primum est hominis bonum. In eo sunt etiam virtutes omnes, quibus male uti nemo potest. Nam hæc quamvis magna in homine et prima sint, propria tamen esse uniuscujusque hominis, non communia, satis intelligitur. Veritate enim atque sapientia, quæ communis est omnibus, omnes sapientes et beati fiunt, inhærendo illi. Beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus; quia et cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate. Neque prudentia cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut justus justitia hominis alterius quisquam efficitur; sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vivunt in ipsa veritate sapientiaque communi, quibus et ille coaptavit et fixit animum, quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.

53. Voluntas ergo adhærens communi atque incommutabili bono, impetrat prima et magna hominis bona, cum ipsa sit medium quoddam bonum. Voluntas autem aversa ab incommutabili et communi bono, et conversa ad proprium bonum, aut ad extèrius, aut ad inferius, peccat. Ad proprium convertitur, cum suæ potestatis vult esse; ad exterius, cum aliorum propria, vel quæcumque ad se non pertinent, cognoscere studet; ad inferius, cum voluptatem corporis diligit: atque ita homo superbus, et curiosus, et lascivus effectus, excipitur ab alia vita, quæ in comparatione superioris vitæ mors est; quæ tamen regitur administratione divinæ providentiæ, quæ congruis sedibus ordinat omnia, et pro meritis sua cuique distribuit. Ita fit ut neque illa bona quæ a peccantibus appetuntur, ullo modo mala sint, neque ipsa voluntas libera, quam in bonis quibusdam mediis numerandam esse comperimus; sed malum sit aversio ejus ab incommutabili bono, et conversio ad mutabilia bona: quæ tamen aversio atque conversio, quoniam non cogitur, sed est voluntaria, digna et justa eam miseriæ pœna subsequitur.

CAPUT XX. — *Ex Deo non est motus ille, quo voluntas ab incommutabili bono avertitur.*

54. Sed tu fortasse quæsiturus es, quoniam movetur voluntas cum se avertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, unde ei iste motus existat; qui profecto malus est, tametsi voluntas libera, quia sine illa nec recte vivi potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste, id est aversio voluntatis a Domino Deo, sine dubitatione peccatum est, num possumus auctorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo. Unde igitur erit? Ita quærenti tibi, si respondeam nescire me, fortasse eris tristior: sed tamen vera responderim. Sciri enim non potest quod nihil est. Tu tantum pietatem inconcussam tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitanti occurrat quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit quæ non sit ex Deo. Omnem quippe rem ubi mensuram et numerum et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris. Unde autem ista penitus detraxeris, nihil omnino remanebit: quia etsi remanserit aliqua formæ alicujus inchoatio, ubi neque mensuram neque numerum neque ordinem invenias, quia ubicumque ista sunt, forma perfecta est; oportet auferas etiam ipsam inchoationem formæ, quæ tanquam materies ad perficiendum subjacere videtur artifici. Si enim formæ perfectio bonum est, nonnullum jam bonum est et formæ inchoatio. Ita, detracto penitus omni bono, non quidem nonnihil, sed omnino nihil remanebit [1]. Omne autem bonum ex Deo: nulla ergo natura est quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, et ad Deum non pertinere ne dubites [2]. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius, in nostra est positus potestate. Si enim times illum, oportet ut nolis; si autem nolis, non erit. Quid ergo securius quam esse in ea vita, ubi non possit tibi evenire quod non vis? Sed quoniam non sicut homo sponte cecidit, ita etiam sponte surgere potest; porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est Dominum nostrum Jesum Christum, fide firma teneamus (*a*), et exspectemus certa spe, et charitate ardenti desideremus. Si quid autem de origine peccati diligentius quærendum adhuc putas (nam omnino ego jam opus esse non arbitror): si quid tamen putas, in aliam disputationem differendum est. *E.* Sequor sane voluntatem tuam, ut in tempus aliud, quod hinc moverit, differamus. Nam illud tibi non concesserim, ut satis jam inde quæsitum putes.

[1] Mss. plerique et antiquiores editiones carent his verbis, *non quidem nonnihil, sed*, quæ hic servamus ex Lov.

[2] Bad. et Er. omissa negatione habent, *ad Deum pertinere non dubites*. Pinguis error, qui ex Mss. et ipso ex contextu sermonis refellitur.

(*a*) vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 4.

# *LIBER TERTIUS.*

In quo quæritur unde ille motus existat quo voluntas ab incommutabili bono deflectit; an secum invicem pugnent Dei præscientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat; et prorsus de creaturæ, quæ peccato obnoxia sit, productione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitia perducta disputatione declaratur quemadmodum ea haud injuste in Adæ posteros demanent; utque propter hæc ipsa immerito peccantes excusationem obtendant: deinceps vero difficultates nonnullæ huc pertinentes enodantur.

CAPUT PRIMUM. — *Unde sit motus ille quo voluntas deflectit ab incommutabili bono.*

1. *E.* Quoniam satis mihi manifestum est, inter bona, et ea quidem non minima, numerandam esse liberam voluntatem, ex quo etiam fateri cogimur eam divinitus datam esse, darique oportuisse: jam si opportunum existimas, cupio per te cognoscere unde ille motus existat, quo ipsa voluntas avertitur a communi atque incommutabili bono, et ad propria vel aliena vel infima, atque omnia commutabilia convertitur bona [1]. *A.* Quid enim opus est hoc scire? *E.* Quia si ita data est, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur; neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. *A.* Placetne tibi iste motus, an displicet? *E.* Displicet. *A.* Reprehendis ergo eum. *E.* Utique reprehendo.

[1] Tres Mss., *atque omnino commutabilia convertitur bona*. Recte.

*A.* Reprehendis igitur animi motum inculpabilem. *E.* Inculpabilem animi motum non reprehendo, sed nescio an ulla culpa sit, relicto incommutabili bono ad commutabilia converti. *A.* Reprehendis ergo quod nescis. *E.* Noli verbo premere : ita enim dixi, Nescio an ulla culpa sit, ut intelligi voluerim sine dubio culpam esse. Nam hoc verbo quod dixi, Nescio, satis profecto irrisi dubitationem de re manifesta. *A.* Vide quid sit certissima veritas, quæ te coegit tam cito oblivisci quod paulo ante dixisti. Si enim natura vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest : tu vero esse culpabilem ita firmissime tenes, ut dubitationem de hac re tam certa etiam irridendam putaveris. Cur ergo tibi vel affirmandum, vel certe cum aliqua dubitatione dicendum visum est, quod perspicue falsum esse ipse convincis? Dixisti enim : Si ita data est voluntas libera, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur ; neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. Nullo modo autem dubitare debuisti non esse ita datam, quando istum motum culpabilem esse non dubitas. *E.* Ego ipsum motum culpabilem dixi, et ideo mihi displicere, et reprehendendum esse dubitare non possum : animam vero quæ isto motu ab incommutabili bono ad commutabilia detrahitur, nego esse culpandam, si ejus natura talis est, ut eo necessario moveatur.

2. *A.* Cujus est iste motus, quem profecto culpandum esse concedis? *E.* In animo eum video, sed cujus sit nescio. *A.* Numquid negas eo motu animum moveri? *E.* Non nego. *A.* Negas ergo motum quo movetur lapis, motum esse lapidis? Neque enim illum dico motum quo eum nos movemus, vel aliqua vi aliena movetur, veluti cum in cœlum jacitur, sed eum quo ad terram nutu suo vergit et cadit. *E.* Non equidem nego motum quo ita ut dicis inclinatur, et ima petit, motum esse lapidis, sed naturalem. Si autem hoc modo etiam illum motum habet anima, profecto etiam ipse naturalis est ; nec ex eo quod naturaliter movetur, recte vituperari potest : quia etiamsi ad perniciem movetur, naturæ tamen suæ necessitate compellitur. Porro quia istum motum non dubitamus esse culpabilem, omnimodo negandum est esse naturalem ; et ideo non est similis illi motui quo naturaliter movetur lapis. *A.* Egimusne aliquid superioribus duabus disputationibus? *E.* Egimus sane. *A.* Credo ergo meminisse te, in prima disputatione satis esse compertum, nulla re fieri mentem servam libidinis, nisi propria voluntate (*supra*, *lib.* 1, *cap.* 11, *n.* 21) : nam neque a superiore, neque ab æquali eam posse ad hoc dedecus cogi, quia injustum est ; neque ab inferiore, quia non potest. Restat igitur ut ejus sit proprius iste motus, quo fruendi voluntatem ad creaturam a Creatore convertit : qui motus si culpæ deputatur (unde qui dubitat, irrisione dignus tibi visus est), non est utique naturalis, sed voluntarius ; in eoque similis est illi motui quo deorsum versus lapis fertur, quod sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi : verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate non habet lapis cohibere motum quo fertur inferius ; animus vero dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora deligat [1] ; et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius. Hinc est quod lapidem si quis dicat peccare, quod pondere suo tendit in infima, non dicam ipso lapide stolidior, sed profecto demens judicatur : animum vero peccati arguimus, cum eum convincimus superioribus desertis ad fruendum inferiora præponere. Propterea, quid opus est quærere unde iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cum eum nonnisi animi, et voluntarium, et ob hoc culpabilem esse fateamur ; omnisque de hac re disciplina utilis ad id valeat, ut eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono, a lapsu temporalium convertamus (*a*)?

3. *E.* Video, et quodammodo tango, et teneo vera esse quæ dicis : non enim quidquam tam firme atque intime sentio, quam me habere voluntatem, eaque me moveri ad aliquid fruendum ; quid autem meum dicam, prorsus non invenio, si voluntas qua volo et nolo non est mea : quapropter cui tribuendum est, si quid per illam male facio, nisi mihi? Cum enim bonus Deus me fecerit, nec bene aliquid faciam nisi per voluntatem, ad hoc potius datam esse a bono Deo, satis apparet. Motus autem quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis ; neque omnino monendus esset ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem, quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est.

CAPUT II. — *Dei præscientia quomodo liberam voluntatem peccantibus non auferat, quæstio plurimos torquens.*

4. Quæ cum ita sint, ineffabiliter me movet, quomodo fieri possit ut et Deus præscius sit omnium futurorum, et nos nulla necessitate peccemus. Quisquis enim dixerit aliter evenire posse aliquid quam Deus ante præscivit, præscientiam Dei destruere insanissima impietate molitur. Quapropter, si præscivit Deus peccaturum esse primum hominem, quod necesse est concedat mihi quisquis mecum omnium futurorum præscium fatetur Deum ; si ergo ita est, non dico non eum faceret, bonum enim fecit, nec obesse quidquam Deo posset peccatum ejus quem bonum ipse fecit : imo in quo faciendo bonitatem suam ostenderat, ostendit etiam in puniendo justitiam, et in liberando misericordiam : non itaque dico, non eum faceret ; sed hoc dico, quoniam peccaturum esse præsciverat, necesse erat id fieri, quod futurum esse præsciebat Deus. Quomodo est igitur voluntas libera ubi tam inevitabilis apparet necessitas?

5. *A.* Pulsasti vehementer : misericordia Dei adsit,

[1] In octo Mss., *inferiora diligat*. Ita etiam Bad.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

aperiatque pulsantibus [1]. Verumtamen maximam partem hominum ista quæstione torqueri non ob aliud crediderim, nisi quia non pie quærunt, velocioresque sunt ad excusationem, quam ad confessionem peccatorum suorum. Alii enim nullam divinam providentiam præesse rebus humanis libenter opinantur, dumque fortuitis committunt casibus et animos et corpora sua, tradunt se feriendos et dilaniandos libidinibus, divina judicia negantes, humana fallentes, eos a quibus accusantur, fortunæ patrocinio propulsare se putant; quam tamen cæcam effingere ac pingere consueverunt, ut aut meliores ea sint a qua se regi arbitrantur, aut se quoque cum eadem cæcitate et sentire ista fateantur et dicere. Nec enim talibus absurde etiam conceditur casibus eos agere omnia, quando agendo cadunt. Sed adversus hanc opinionem plenam stultissimi ac dementissimi erroris, satis, ut arbitror, secunda nostra sermocinatione dissertum est. Alii vero quanquam negare non audeant præsidere humanæ vitæ providentiam Dei, malunt tamen eam vel infirmam, vel injustam, vel malam nefario errore credere, quam sua peccata pietate supplici confiteri. Qui omnes si persuaderi sibi paterentur, ut cum de optimo et justissimo et potentissimo cogitant, bonitatem et justitiam et potentiam Dei longe majorem superioremque esse crederent, quam quidquid cogitatione concipiunt; considerantesque semetipsos, gratias Deo se debere intelligerent, etiamsi aliquid inferius eos voluisset esse quam sunt, omnibusque ossibus et medullis conscientiæ suæ clamarent: *Ego dixi, Domine, miserere mei, cura animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5): ita certis itineribus divinæ misericordiæ in sapientiam ducerentur, ut neque inventis rebus inflati, neque non inventis turbulenti, et cognoscendo instructiores fierent ad videndum [2], et ad quærendum ignorando mitiores. Tibi vero cui jam hoc persuasum esse non dubito, vide quam facile de tam magna quæstione respondeam, cum mihi prior interroganti pauca responderis.

CAPUT III. — *Dei præscientia non efficit ut non libera voluntate peccemus.*

6. Certe enim hoc te movet, et hoc miraris, quomodo non sint contraria et repugnantia, ut et Deus præscius sit omnium futurorum, et nos non necessitate, sed voluntate peccemus. Si enim præscius est Deus, inquis, peccaturum esse hominem, necesse est ut peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis et fixa necessitas. Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur times, ut aut Deus futurorum omnium præscius impie negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate, sed necessitate peccari: an aliquid aliud te movet? *E.* Nihil interim aliud. *A.* Res ergo universas quarum Deus est præscius, non voluntate sed necessitate fieri putas. *E.* Omnino ita puto. *A.* Expergiscere tandem, teque ipsum paululum intuere, et dic mihi, si potes, qualem sis habiturus cras voluntatem, utrum peccandi, an recte faciendi. *E.* Nescio. *A.* Quid? Deum itidem nescire hoc putas? *E.* Nullo modo id putaverim. *A.* Si ergo voluntatem tuam crastinam novit, et omnium hominum, sive qui sunt, sive qui futuri sunt, futuras prævidet voluntates, multo magis prævidet quid de justis impiisque facturus sit. *E.* Prorsus si meorum operum præscium Deum dico, multo fidentius eum dixerim præscire opera sua, et quid sit facturus certissime prævidere. *A.* Nonne igitur caves ne tibi dicatur, etiam ipsum quæcumque facturus est, non voluntate sed necessitate facturum, si omnia quorum Deus præscius est, necessitate fiunt, non voluntate? *E.* Ego cum dicerem necessitate universa fieri quæ Deus futura præscivit, ea sola intuebar quæ in creatura ejus fiunt, non autem quæ in ipso: non enim ea fiunt, sed sunt sempiterna. *A.* Nihil ergo in sua creatura operatur Deus. *E.* Jam semel statuit quemadmodum feratur ordo ejus universitatis quam condidit; neque enim aliquid nova voluntate administrat. *A.* Numquid neminem beatum facit? *E.* Facit vero. *A.* Tunc utique facit, quando ille fit. *E.* Ita est. *A.* Si igitur, verbi gratia, post annum beatus futurus es, post annum te beatum facturus est. *E.* Etiam. *A.* Jam ergo præscit hodie quod post annum facturus est. *E.* Semper hoc præscivit: nunc quoque hoc eum præscire consentio, si est ita futurum.

7. *A.* Dic, quæso, num tu creatura ejus non es, aut tua beatitudo non in te fiet? *E.* Imo et creatura ejus sum, et in me fiet quod beatus ero. *A.* Non ergo voluntate sed necessitate in te fiet beatitudo tua Deo faciente. *E.* Voluntas illius mihi est necessitas. *A.* Tu itaque invitus beatus eris. *E.* Mihi si esset potestas ut essem beatus [1], jam profecto essem: volo enim etiam nunc, et non sum, quia non ego, sed ille me beatum facit. *A.* Optime de te veritas clamat. Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus præsto est (*a*). Et ideo recte possumus dicere, Non voluntate senescimus [2], sed necessitate; aut, non voluntate morimur, sed necessitate; et si quid aliud hujusmodi: non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere? Quamobrem, quamvis præsciat Deus nostras voluntates futuras, non ex eo tamen conficitur ut non voluntate aliquid velimus. Nam et de beatitudine quod dixisti, non abs teipso beatum fieri, ita dixisti, quasi hoc ego negaverim: sed dico, cum futurus es beatus, non te invitum, sed volentem futurum. Cum igitur præscius Deus sit futuræ beatitudinis tuæ, nec aliter aliquid fieri possit quam ille præscivit, alioquin nulla præscientia est; non tamen ex eo cogimur sentire,

[1] In Mss. septemdecim, *Pulsasti vehementer misericordiam Dei. Adsit*, etc.

[2] Sic in Mss. novem. Porro in aliquot aliis, et apud Bad. Er. et Lov. habetur, *ad vivendum*.

[1] Locus in editione Lovaniensi interturbatus hunc in modum: *In te fiet beatitudo tua Deo faciente. E. Tu ergo invitus beatus es? Voluntas illius mihi est necessitas. Si enim mihi esset potestas*, etc.

[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *non voluntate vivimus*. M.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

quod absurdissimum est et longe a veritate seclusum, non te volentem beatum futurum. Sicut autem voluntatem beatitudinis, cum esse cœperis beatus, non tibi aufert præscientia Dei, quæ hodieque de tua futura beatitudine certa est : sic etiam voluntas culpabilis, si qua in te futura est, non propterea voluntas non erit, quoniam Deus eam futuram esse præscivit.

8. Attende enim, quæso, quanta cæcitate dicatur, Si præscivit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter potest fieri quam præscivit, necesse est ut velim quod ille præscivit : si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate id me velle fatendum est. O stultitiam singularem ! Quomodo ergo non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præsciverit? Omitto illud æque monstruosum, quod paulo ante dixi eumdem hominem dicere, Necesse est ut ita velim, qui necessitate supposita auferre nititur voluntatem [1]. Si enim necesse est ut velit, unde volet cum voluntas non erit? Quod si non hoc modo dixerit, sed dixerit se, quia necesse est ut velit, ipsam voluntatem in potestate non habere ; occurretur ex eo quod ipse dixisti, cum quærerem utrum invitus beatus futurus sis : respondisti enim quod jam esses beatus, si potestas esset in te ; velle enim te, sed nondum posse dixisti. Ubi ego subjeci de te clamasse veritatem : non enim negare possumus habere nos potestatem, nisi dum nobis non adest quod volumus ; dum autem volumus, si voluntas ipsa deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest ut dum volumus non velimus, adest utique voluntas volentibus ; nec aliud quidquam est in potestate, nisi quod volentibus adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus. Ita fit ut et Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, et nos tamen velimus quod volumus. Cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo et potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit. *E.* Ecce jam non nego ita necesse esse fieri quæcumque præscivit Deus, et ita eum peccata nostra præscire, ut maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate.

CAPUT IV. — *Deus prænoscens non cogit ad peccandum, atque adeo peccata juste punit.*

9. *A.* Quid ergo te movet? an forte oblitus quid prima nostra disputatio peregerit, negabis nullo cogente, aut superiore, aut inferiore, aut æquali, sed ea nos voluntate peccare? *E.* Nihil horum prorsus audeo negare : sed tamen, fateor, nondum video quomodo sibi non adversentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, et nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam et justum Deum necesse est fateamur, et præscium. Sed scire vellem qua justitia puniat peccata quæ necesse est fieri ; aut quomodo non sit necesse fieri quæ futura esse præscivit ; aut quomodo non Creatori deputandum est, quidquid in ejus creatura fieri necesse est.

10. *A.* Unde tibi videtur adversum esse liberum arbitrium nostrum præscientiæ Dei? quia præscientia est, an quia Dei præscientia est? *E.* Quia Dei potius. *A.* Quid ergo ? si tu præscires peccaturum esse aliquem, non esset necesse ut peccaret? *E.* Imo necesse esset ut peccaret : non enim aliter esset præscientia mea, nisi certa præscirem. *A.* Non igitur quia Dei præscientia est, necesse est fieri quæ præscierit, sed tantummodo quia præscientia est ; quæ si non certa prænoscit, utique nulla est. *E.* Consentio : sed quorsum ista? *A.* Quia, nisi fallor, non continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires ; neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset : non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris quod alius sua voluntate facturus est ; ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt.

11. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius ? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt ; sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti meministi, nec tamen quæ meministi omnia fecisti ; ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor [1], justus est ultor. Hinc ergo jam intellige qua justitia Deus peccata puniat, quia quæ novit futura, non facit : nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia prævidet peccaturos, nec recte facientibus debet præmia retribuere, quia et recte facturos nihilominus prævidet. Imo vero fateamur et ad præscientiam ejus pertinere ne quid eum lateat futurorum, et ad justitiam, ut peccatum, quia voluntate committitur, ita judicio ejus impune non fiat, sicut præscientia non cogitur fieri.

CAPUT V. — *Deus de creaturæ etiam quæ peccat miseriæque obnoxia est productione laudandus.*

12. Jam illud quod tertio loco posuisti, quomodo non Creatori deputandum sit quidquid in ejus creatura fieri necesse est ; regula illa pietatis facile commonebit [2], quam meminisse nos convenit, gratiarum actionem nos debere Creatori nostro. Cujus profecto largissima bonitas justissime laudaretur, etiamsi aliquo inferiore creaturæ gradu nos condidisset. Quamvis enim anima nostra peccatis tabefacta sit, sublimior est tamen et melior, quam si in hanc lucem vi-

[1] Editi : *Qui necessitate superposita auferre nititur voluntatem.* Octo Mss., *qui necessitate supposita.*

[1] Deest *malus* in editione Lov.; sed adest in antiquioribus editionibus Bad. et Er., necnon in Mss. septemdecim.

[2] Sic Er. et Lov. At Bad. sic habet : *Regula est pietatis, facile nobis monebit.* Mss. quinque : *Regula illa pietatis facile non removebitur* ; alii tres, *non movebitur* ; septem alii, *regula illa pietatis facile non movebit* ; Corbeiensis demum codex, *regulam illam pietatis facile non movebit.*

sibilem verterctur. Et vides profecto de hujus lucis eminentia, quantum laudent animæ Deum etiam corporis sensibus deditæ. Quapropter non te jam moveat, quod vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuisse si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus præclarissime pro humana facultate laudandus est, non solum quoniam peccantes eas juste ordinat, sed etiam quia tales instituit, ut etiam peccatis sordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen jure laudatur.

13. Illud quoque moneo caveas, ne forte non dicas quidem melius fuisse ut non essent, sed dicas aliter fieri eas debuisse. Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invida infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri, tanquam si perspecto cœlo, nolles terram factam esse; inique omnino. Recte enim reprehenderes, si prætermisso cœlo terram factam videres, quoniam diceres ita eam fieri debuisse, sicuti posses cogitare cœlum. Cum ergo etiam illud ad cujus speciem volebas terram perducere, factum esse perspiceres, non autem hoc terram, sed cœlum vocari; credo quod re meliore non fraudatus, ut inferior quoque aliqua fieret et terra esset, nequaquam invidere deberes. In qua terra rursus secundum partes ejus tanta est varietas, ut nihil quod ad terræ pertinet speciem cogitanti occurrat, quod non in tota ejus mole Deus omnium conditor fecerit. Namque a terra feracissima et amœnissima usque ad salsissimam et infecundissimam, ita gradatim per medias pervenitur, ut nullam reprehendere audeas, nisi in comparatione melioris; atque ita per omnes gradus laudis ascendas, ut quod summum genus terræ inveneris, solum tamen esse nolis [1]. Jam vero inter totam terram et cœlum quanta distantia est? Interponuntur enim humida flabilisque natura : atque ex his quatuor elementis aliæ innumerabiles nobis, numeratæ autem Deo rerum species formæque variantur. Potest ergo esse aliquid in rerum natura, quod tua ratione non cogitas. Non esse autem quod vera ratione cogitas, non potest. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit. Humana quippe anima naturaliter divinis ex quibus pendet connexa rationibus, cum dicit, Melius hoc fieret quam illud; si verum dicit, et videt quod dicit, in illis quibus connexa est rationibus videt. Credat ergo Deum fecisse quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis non videt. Quia etiamsi cœlum oculis videre non posset, et tamen ratione verâ tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse, quamvis id oculis non videret. Non enim cogitatione videret fuisse faciendum, nisi in iis rationibus quibus facta sunt omnia. Quod autem ibi non est, tam nemo potest veraci cogitatione videre, quam non est verum.

[1] Bad. et Er., *cœlum esse nolis*.

14. In eo plerique homines errant, quia meliora cum mente conspexerint, non in sedibus congruis ea oculis quærunt. Velut si quisquam perfectam rotunditatem ratione comprehendens, stomachetur quod talem in nuce non invenit, si nullum unquam corpus rotundum præter hujuscemodi poma conspexit. Nam ita quidam cum ratione verissima videant meliorem esse creaturam, quæ quamvis habeat liberam voluntatem, Deo tamen semper infixa, nunquam peccaverit; intuentes peccata hominum, non ut peccare desinant, sed quia facti sunt dolent, dicentes : Tales nos faceret, ut semper incommutabili ejus veritate perfrui, nunquam autem peccare vellemus. Non clament, non succenseant : quia neque ipsos ideo coegit peccare, quia fecit, quibus potestatem utrum vellent dedit; et sunt tales quidam Angeli, qui neque peccaverunt unquam, neque peccaturi sunt. Quamobrem si te delectat creatura quæ perseverantissima voluntate non peccat, non est dubitandum quod eam peccanti recta ratione præponas : sed sicut eam tu cogitatione præponis; sic eam creator Deus ordinatione præposuit. Crede esse talem in superioribus sedibus, et in sublimitate cœlorum : quia si bonitatem Conditor præbuit ad eam condendam cujus prævidit futura peccata, nullo modo non præberet eam bonitatem, ut creaturam conderet quam peccaturam non esse præscivit.

15. Habet enim illa sublimis perpetuam beatitudinem suam, in perpetuum fruens Creatore suo, quam perpetua tenendæ justitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix, amissa in peccatis beatitudine, sed non dimissa recuperandæ beatitudinis facultate. Quæ profecto superat eam quam peccandi perpetua voluntas tenet [1] : inter quam et illam priorem permanentem in voluntate justitiæ, hæc medietatem quamdam demonstrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem suam recipit. Nam neque ab illa creatura, quam præscivit Deus non solum peccaturam, sed etiam in peccandi voluntate mansuram, abstinuit largitatem bonitatis suæ, ut eam non conderet. Sicut enim melior est vel aberrans equus, quam lapis propterea non aberrans, quia proprio motu et sensu caret; ita est excellentior creatura quæ libera voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem. Et sicut laudarem vinum in suo genere bonum, de quo vino inebriatum hominem vituperarem, et tamen eumdem hominem jam vituperatum et adhuc ebrium, laudato illi vino, de quo ebrius factus est, anteponerem : ita corporalis creatura in suo gradu jure laudanda est; cum illi vituperandi sint, qui ejus immoderato usu a veritatis perceptione avertuntur; quamvis iidem rursus jam perversi, et quodammodo temulenti, eidem creaturæ in ordine suo laudabili, cujus aviditate evanuerunt, non jam merito vitiorum, sed adhuc naturæ dignitate præferuntur.

16. Quia igitur omnis anima omni corpore est melior, omnisque peccatrix anima quocumque ceciderit,

[1] Lov., *perpetua voluptas tenet*. Sed antiquiores editiones et Mss. constanter habent, *voluntas*.

nulla commutatione corpus efficitur, nec omnino illi aufertur quod anima est, et ideo nullo pacto amittit quod corpore est melior, in corporibus autem lux tenet primum locum; consequens est ut primo corpori anima extrema præponatur, fierique possit ut corpori alicujus animæ aliquod aliud corpus anteferatur, ut autem ipsi animæ nullo modo. Cur ergo non laudetur Deus, et ineffabili prædicatione laudetur, qui cum fecerit eas quæ in legibus essent justitiæ permansuræ, fecit etiam alias animas, quas vel peccaturas, vel in peccatis etiam perseveraturas esse prævidebat; cum et tales adhuc meliores sint eis, quæ quoniam nullum habent rationale ac liberum voluntatis arbitrium, peccare non possunt? Quæ tamen adhuc etiam ipsæ meliores sunt, quam corporum quorumlibet quamlibet splendidissimus fulgor, quem pro ipsius summi Dei substantia quidam, quamvis cum magno errore, venerantur. Quod si in ordine corporearum creaturarum ab ipsis siderum choris usque ad numerum capillorum nostrorum, ita gradatim bonarum rerum pulchritudo contexitur, ut imperitissime dicatur, Quid est hoc? utquid hoc? omnia enim ordine suo creata sunt[1]: quanto imperitius de quacumque anima dicitur, quæ ad quantamlibet sui decoris diminutionem defectumque pervenerit, omnium corporum dignitatem sine ulla dubitatione semper superabit[2]?

17. Aliter enim æstimat ratio, aliter usus. Ratio æstimat luce veritatis, ut recto judicio subdat minora majoribus : usus autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur, ut ea pluris æstimet quæ veritas minora esse convincit. Cum enim corpora cœlestia corporibus terrestribus magna differentia ratio præponat, quis tamen carnalium hominum non mallet, vel plura deesse in cœlo sidera, quam unam arbusculam in agro suo, aut vaccam in armento? Sed sicut ætate majores homines vel omnino contemnunt, vel certe patienter corrigenda exspectant judicia parvulorum, qui exceptis quibusdam quorum amore lætantur, quemlibet hominum cæterorum mori malunt, quam passerem suum; et multo magis si homo sit ille terribilis, passer autem canorus et pulcher : ita ii qui provectu animi ad sapientiam profecerunt, imperitos rerum æstimatores cum invenerint Deum laudantes in creaturis minoribus, qui eas carnalibus suis sensibus accommodatius adhibent, in superioribus vero atque melioribus partim eum non laudantes, minusve laudantes, partim etiam vituperare aut emendare conantes, partim non credentes quod earum ille sit conditor; talium judicia vel omnino contemnere, si corrigere nequeunt, vel donec corrigant, æquo animo tolerare ac sustinere consuescant.

CAPUT VI. — *Nemo vere dixerit se malle non esse quam miserum esse.*

18. Quæ cum ita se habeant, tantum abest a vero, quod Creatori deputanda existimantur peccata creaturæ, quamvis necesse est fiant quæ ipse futura præscivit, ut cum tu dixeris non te invenire quomodo non ei deputetur quidquid in ejus creatura fieri necesse est; ego contra non inveniam modum, neque inveniri posse atque omnino non esse confirmem, quo ei deputetur quidquid in ejus creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat. Si enim quis dixerit, Non esse, quam miserum me esse mallem : respondebo, Mentiris. Nam et nunc miser es, nec ob aliud mori non vis, nisi ut sis : ita cum miser nolis esse, esse vis tamen. Age igitur gratias ex eo quod es volens, ut quod invitus es auferatur. Volens enim es, et miser invitus es. Quod si ingratus es in eo quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. Ex illo igitur quod etiam ingratus habes quod vis, Creatoris laudo bonitatem : ex illo autem quod pateris ingratus quod non vis, ordinatoris laudo justitiam.

19. Si dixerit, Non ideo mori nolo, quod malim miser esse quam omnino non esse, sed ne post mortem miserior sim : respondebo, Si hoc injustum est, non sic eris; si autem hoc justum est, laudemus eum cujus legibus sic eris. Si dixerit, Unde præsumam quod si hoc injustum est, non sic ero? respondebo, Quia si eris in tua potestate, aut miser non eris, aut tu ipse te injuste regendo, juste eris miser; aut volendo et non valendo te juste regere, non eris in tua potestate, et aut in nullius eris, aut in alterius : si in nullius, aut invitus, aut volens : sed invitus esse nihil potes, nisi te vis aliqua superaverit; porro nulla vi superari potest, qui est in nullius potestate : si autem volens in nullius eris potestate, ad hoc ratio recurrit, ut sis in tua; et aut te injuste regendo juste miser sis; aut quoniam quodlibet volens eris, habes adhuc unde gratias agas bonitati Conditoris tui. Quod si in tua potestate non eris, aut potentior profecto, aut infirmior te habebit in potestate. Quod si infirmior, tua culpa, et justa miseria : poteris enim infirmiorem superare si voles. Si autem potentior te infirmiorem habebit in potestate, nullo modo tam rectam ordinationem recte injustam putabis. Verissime igitur dictum est : Si hoc injustum est, non sic eris; si autem justum, laudemus eum cujus legibus sic eris.

CAPUT VII.— *Esse diligitur et a miseris, quia ab illo sunt qui summe est.*

20. Si dixerit : Ideo magis volo vel miser esse, quam omnino non esse, quia jam sum; si autem priusquam essem possem consuli, eligerem non esse potius quam ut essem miser. Nunc enim quod timeo non esse cum miser sim, ad ipsam miseriam pertinet, qua non id volo, quod velle deberem; magis enim non esse, quam miser esse velle deberem. Nunc vero fateor me quidem malle vel miserum esse quam nihil; sed tanto stultius id volo, quanto miserius : tanto autem miserius, quanto verius video non hoc me velle debuisse. Respondebo : Cave potius ne hic erres, ubi te videre verum putas. Nam si beatus esses, utique esse quam non esse malles; et nunc miser cum sis, mavis tamen esse vel miser quam omnino non esse, cum esse nolis miser. Considera igitur, quantum potes, quam magnum

[1] Legendum est juxta Mss., *omnia enim in ordine suo creata sunt.*

[2] Editi, *sine ulla dubitatione superavit.* At Mss., *semper superabit.*

bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt. Nam si hoc bene consideraveris, videbis te in tantum esse miserum, in quantum non propinquas ei quod summe est; in tantum autem putare melius esse, ut quisque non sit quam ut miser sit, in quantum non vides quod summe est: et ideo tamen te esse velle, quoniam ab illo es qui summe est.

21. Si vis itaque miseriam fugere, ama in te hoc ipsum, quia esse vis. Si enim magis magisque esse volueris, ei quod summe est propinquabis : et gratias age nunc quia es. Quamvis enim beatis sis inferior, superior tamen es quam ea quæ non habent vel beatitudinis voluntatem; quorum tamen multa etiam a miseris laudantur. Omnia tamen eo ipso quo sunt, jure laudanda sunt; quia eo ipso quo sunt, bona sunt. Quanto enim amplius esse amaveris, tanto amplius vitam æternam desiderabis, teque ita formari exoptabis, ut affectiones tuæ non sint temporales, de temporalium rerum amoribus inustæ et impressæ : quæ temporalia et antequam sint non sunt, et cum sunt fugiunt, et cum fugerint non erunt. Itaque cum futura sunt, nondum sunt; cum autem præterita sunt, jam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere ut sint, quod est pergere ut non sint? Qui autem amat esse, probat ista in quantum sunt, et amat quod semper est. Et si variabatur in amore istorum, munietur in illius [1]; et si diffluebat in amore transeuntium, in permanentis amore solidabitur, et stabit, et obtinebit ipsum esse, quod volebat cum timebat non esse, et stare non poterat irretitus amore fugientium. Non igitur tibi displiccat, imo maxime placeat, quod mavis esse vel miser, quam propterea miser non esse, quia nihil eris. Huic enim exordio quo esse vis, si adjicias magis magisque esse, consurgis atque exstrueris in id quod summe est; atque ita te ab omni labe cohibebis, qua transit ut non sit quod infime est, et secum amantis vires subruit. Hinc fiet ut qui mavult non esse, ne miser sit, quia non esse non potest, restet ut miser sit. Qui autem plus amat esse quam odit miser esse, adjiciendo ad id quod amat, quod odit excludat: cum enim in suo genere perfecte esse cœperit, miser non erit.

CAPUT VIII.— *Non esse a nemine eligitur, ne quidem ab illis qui sibi necem consciscunt.*

22. Nam illud vide quam absurde et inconvenienter dicatur : Mallem non esse quam miser esse. Qui enim dicit, Mallem hoc quam illud, eligit aliquid. Non esse autem non est aliquid, sed nihil; et ideo nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est. Dicis velle te quidem esse, cum sis miser, sed non hoc velle debuisse. Quid igitur velle debuisti? Non esse, inquis, potius. Si hoc velle debuisti, hoc est melius; quod autem non est, melius esse non potest : non ergo id velle debuisti; veraciorque sensus est quo id non vis, quam opinatio per quam te id velle debuisse arbitraris. Deinde quod quisque recte eligit appetendum, cum ad id pervenerit, necesse est melior fiat; melior autem esse non poterit, qui non erit : nemo igitur recte potest eligere ut non sit. Neque enim moveri nos oportet eorum judicio, qui urgente miseria sese interemerunt. Aut enim eo confugerunt, ubi melius fore sibi putarunt; et non est contrarium rationi nostræ, quoquo modo putaverint: aut si nullos se futuros omnino crediderunt, multo minus falsa electio nihil eligentium commovebit. Quomodo enim sequar eligentem, a quo si quæram quid eligat, respondebit, Nihil? Nam qui eligit non esse, profecto se nihil eligere, etiamsi hoc nolit respondere, convincitur.

23. Verumtamen ut de hac tota re, si potero, dicam quod sentio : nemo mihi videtur cum seipsum necat, aut quolibet modo emori cupit, habere in sensu quod post mortem non sit futurus; tametsi aliquantum hoc in opinione habeat. Nam opinio aut in errore, aut in veritate ratiocinantis est, vel credentis : sensus autem aut consuetudine, aut natura valet. Posse autem fieri ut aliud sit in opinione, aliud in sensu, vel ex hoc cognoscere facile est, quod plerumque aliud faciendum esse credimus, et aliud facere delectat. Et aliquando veracior est sensus quam opinio, si illa de errore, ille de natura est : velut cum æger plerumque aqua frigida conducibiliter delectatur [1], quam tamen credit, si biberit, esse nocituram. Aliquando veracior opinio quam sensus, si credit arti medicinæ, obesse frigidam, cum revera oberit, et tamen bibere delectet : aliquando utrumque in veritate est, cum id quod prodest, non solum ita creditur, sed etiam libet; aliquando utrumque in errore, cum id quod nocet, et prodesse creditur, et libere non desinit. Solet autem et recta opinio pravam corrigere consuetudinem, et prava opinio rectam depravare naturam : tanta vis est in dominatu et principatu rationis. Cum ergo quisque credens quod post mortem non erit, intolerabilibus tamen molestiis ad totam cupiditatem mortis impellitur, et decernit atque arripit mortem; in opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. Quod autem quietum est, non est nihil; imo etiam magis est quam id quod inquietum est. Inquietudo enim variat affectiones, ut altera alteram perimat : quies autem habet constantiam, in qua maxime intelligitur quod dicitur, est [2]. Omnis itaque ille appetitus in voluntate mortis, non ut qui moritur non sit, sed ut requiescat intenditur. Ita cum errore credat non se futurum, natura tamen quietus esse, hoc est magis esse desiderat. Quapropter, sicut nullo pacto fieri potest ut non esse aliquem libeat; ita nullo pacto fieri oportet ut ex eo quod est quisque, bonitati Creatoris ingratus sit.

CAPUT IX.—*Peccantium animarum miseria confert ad perfectionem universi.*

24. Si dixerit : Non erat tamen difficile aut laboriosum omnipotenti Deo, ut omnia quæcumque fecit sic

[1] Gemmeticensis Codex, *Et si variatur in amore istorum;* moxque cum aliis undecim Mss: habet, *munitur in illius.*

[1] Er., *velut cum æger plerumque aqua frigida cum non obest, dulciter delectatur.* M.

[2] Er. et Lov., *intelligitur esse quod dictum est.* At abest *esse* ab editione Bad. et a Mss., e quibus tamen pauci pro *quod dictum est,* habent, *quod dicitur, est;* quæ vera lectio videtur.

haberent ordinem suum, ut nulla creatura usque ad miseriam perveniret; non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus invidit. Respondebo, ordinem creaturarum a summa usque ad infimam gradibus justis ita decurrere, ut ille invideat qui dixerit, Ista non esset; invideat etiam ille qui dixerit, Ista talis esset. Si enim talem vult esse qualis est superior, jam illa est, et tanta est ut adjici ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit, Etiam ista talis esset, aut perfectæ superiori vult addere, et erit immoderatus et injustus; aut istam vult interimere, et erit malus atque invidus. Qui autem dixerit, Ista non esset, nihilominus erit malus atque invidus, cum eam non vult esse, qua inferiorem laudare adhuc cogitur. Velut si dicat, Non esset luna, cum etiam lucernæ claritatem longe inferiorem, in suo tamen genere pulchram, et terrenis tenebris esse decoram [1] atque aptam nocturnis usibus, atque in his omnibus pro suo modulo utique laudabilem aut fateatur, aut stultissime vel contentiose neget. Quomodo ergo recte dicere audebit, Luna non esset in rebus, qui si diceret, Lucerna non esset, deridendum se esse sentiret? Quod si non dicit, Luna non esset, sed qualem solem videt, talem dicit lunam esse debuisse, non intelligit nihil aliud se dicere quam, Non esset luna, sed essent soles duo. In quo dupliciter errat, quod rerum perfectioni et addere aliquid cupit, cum desiderat alterum solem; et minuere, cum lunam vult detrahi.

25. Hic fortasse dicat, ideo nihil se de luna conqueri, quia splendor ejus ita minor est, ut miser non sit; de animarum autem non obscuritate, sed miseria se dolere. Sedulo cogitet, ita lunæ splendorem non esse miserum, ut nec splendor solis sit beatus. Quamvis enim corpora cœlestia sint, corpora sunt tamen quantum ad lucem istam pertinet, quæ per corporeos oculos sentiri potest. Nulla autem corpora, quantum ad sese attinet, vel beata possunt esse, vel misera; quanquam beatorum aut miserorum corpora possint esse. Sed de illis luminibus similitudo adhibita id docet, ut quemadmodum corporum differentias contemplando, videns alia clariora, injuste petis auferri quæ obscuriora conspexeris, aut clarioribus adæquari; sed ad perfectionem universitatis referens omnia, quanto magis minusve inter se clara sunt, tanto magis cernis esse omnia; nec tibi occurrit perfecta universitas, nisi ubi majora sic præsto sunt, ut minora non desint: sic etiam differentias animarum cogites, in quibus hoc quoque invenies, ut miseriam quam doles, ad id quoque valere cognoscas, ut universitatis perfectioni nec illæ desint animæ, quæ miseræ fieri debuerunt, quia peccatrices esse voluerunt. Tantumque abest ut Deus tales facere non debuerit, ut etiam cæteras creaturas laudabiliter fecerit longe inferiores animis miseris.

26. Sed adhuc videtur minus intelligens quod dictum est, habere quod contradicat. Dicit enim: Si universitatis perfectionem complet etiam nostra miseria, defuisset aliquid huic perfectioni, si beati semper essemus. Quapropter si ad miseriam nisi peccando non pervenit anima, etiam peccata nostra necessaria sunt perfectioni universitatis quam condidit Deus. Quomodo ergo juste peccata punit, quæ si defuissent, creatura ejus plena et perfecta non esset? Hic respondetur, non ipsa peccata vel ipsam miseriam perfectioni universitatis esse necessaria, sec animas in quantum animæ sunt; quæ si velint, peccant; si peccaverint, miseræ fiunt. Si enim peccatis earum detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus, si peccata fiant, et desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cum autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas. Cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas. Quod autem ipsæ non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel recte facientes beatitudo, semper naturis omnibus universitas plena atque perfecta est. Non enim peccatum et supplicium peccati naturæ sunt quædam, sed affectiones naturarum, illa voluntaria, ista pœnalis. Sed voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est. Cui propterea pœnalis adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit, et decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet pœna peccati.

27. Hinc fit ut peccans creatura superior, a creaturis inferioribus puniatur, quia illæ tam sunt infimæ, ut ornari etiam a turpibus animis possint, atque ita decori universitatis congruere. Quid enim tam magnum in domo est quam homo? et quid tam abjectum et infimum quam cloaca domus? Servus tamen in tali peccato detectus, ut mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat eam etiam turpitudine sua; et utrumque horum, id est turpitudo servi, et mundatio cloacæ, jam conjunctum et redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositæ domui coaptatur atque subtexitur, ut ejus universitati ordinatissimo decore conveniat. Qui tamen servus si peccare noluisset, non defuisset domesticæ disciplinæ alia provisio, qua necessaria mundarentur. Quid itaque tam infimum in rebus quam corpus omne terrenum? Hanc tamen corruptibilem carnem etiam peccatrix anima sic ornat, ut ei speciem decentissimam præbeat, motumque vitalem. Habitationi ergo cœlesti talis anima non congruit per peccatum, terrestri autem congruit per supplicium; ut quodlibet elegerit, semper sit pulchra universitas decentissimis partibus ordinata, cujus est conditor et administrator Deus. Namque optimæ animæ cum in infimis creaturis habitant, non eas ornant miseria sua, quam non habent, sed usu earum bono. Si autem peccatrices animæ permittantur habitare in sublimibus locis, inhonestum est; quia non conveniunt illis, quibus nec bene uti possunt, nec ornamenti aliquid conferunt.

28. Ideo quanquam orbis iste terrenus rebus corruptibilibus deputatus sit, tamen servans quantum potest imaginem superiorum, exempla nobis et indicia quædam demonstrare non cessat. Si enim bonum et magnum aliquem virum, hortante honestatis *officio*,

[1] Quinque Mss., *accommodam*.

videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari; non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis et patientiæ documentum, eumque magis diligimus, cum fœdissima corruptio corporea membra ejus absumat, quam si nihil hujusmodi pateretur; miramur quippe animi naturam mutabilitate corporis non mutari. At vero crudelissimi latronis membra cum tali supplicio confici aspicimus, approbamus ordinem legum. Ornant ergo ambo illa tormenta; sed ille merito virtutis, iste peccati. At si post illos ignes, vel etiam ante illos, optimum virum illum commutatum ad congruentiam cœlestis habitationis ad sidera videremus attolli, utique lætaremur. Si autem sceleratum latronem, sive ante supplicium, sive post supplicium, cum eadem malitia voluntatis ad sedem honoris sempiternam levari videremus in cœlum, quis non offenderetur? Ita fit ut inferiores creaturas ambo ornare potuerint, superiores autem unus illorum. Ex quo admonemur advertere, mortalitatem carnis hujus et primum hominem ornasse, ut peccato pœna congrueret, et Dominum nostrum, ut a peccato misericordia liberaret. Non autem sicut justus potuit in ipsa justitia permanens corpus habere mortale; ita iniquus potest, dum iniquus est, ad immortalitatem pervenire sanctorum, scilicet sublimem et angelicam; non eorum angelorum, de quibus Apostolus ait, *Nescitis quia angelos sumus judicaturi* (I *Cor.* VI, 3); sed eorum de quibus Dominus ait, *Et erunt æquales Angelis Dei* (*Luc.* XX, 36). Qui enim æqualitatem Angelorum desiderant propter inanem gloriam suam, non ideo volunt æquales esse Angelis, sed Angelos sibi. Itaque in tali voluntate perseverantes, æquabuntur supplicio prævaricatoribus angelis, potestatem suam potius quam Dei omnipotentis diligentibus. Talibus enim ad sinistram constitutis, quia non quæsierunt Deum per humilitatis januam, quam in seipso Dominus Jesus Christus ostendit, et immisericorditer superbeque vixerunt, dicetur, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41).

CAPUT X. — *Quo jure diabolus possederit hominem, et quo jure Deus hunc liberarit.*

9. Cum enim duæ sint origines peccatorum, una spontanea cogitatione, alia persuasione alterius, quo pertinere arbitror quod Propheta dicit: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13, 14): utrumque voluntarium est quidem. Nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit: sed tamen gravius est, non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccandum alteri per invidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Servata est ergo in utroque peccato justitia Domini punientis. Nam et illud appensum est æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi male suadendo subjecerat. Iniquum enim erat ut ei quem ceperat, non dominaretur. Nec fieri ullo modo potest ut Dei summi et veri perfecta justitia, quæ usquequaque pertenditur, deserat etiam ordinandas ruinas peccantium. Et tamen quia minus peccaverat homo quam diabolus, idipsum ei valuit ad reparandam salutem, quod principi hujus mundi, partis rerum scilicet hujus mortalis atque infimæ, hoc est principi omnium peccatorum [1], et præposito mortis, usque ad mortalitatem carnis addictus est. Ita enim conscientia mortalitatis timidus, et a vilissimis et abjectissimis bestiis vel etiam minutissimis, molestias atque interitum reformidans, incertusque futurorum, et illicitas cohibere lætitias [2], et maxime superbiam, cujus persuasione dejectus est, et quo uno vitio misericordiæ medicina respuitur, frangere consuevit. Quid enim tam opus habens misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser?

30. Ex quo factum est ut illud Dei Verbum per quod facta sunt omnia, et quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret, et Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 3, 14). Sic enim posset panem Angelorum homo manducare, nondum Angelis adæquatus, si panis ipse Angelorum hominibus dignaretur æquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret; sed simul integer illis, inte er nobis, illos intrinsecus pascens per id quod Deus est, nos forinsecus admonens per id quod nos sumus, idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter. Quia enim rationalis creatura Verbo illo tanquam optimo cibo suo pascitur; humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, ut per conjecturas rerum visibilium ad intelligenda invisibilia niteretur: cibus rationalis creaturæ factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu nostræ, ut visibilia sectantes, ad se invisibilem revocaret. Sic eum anima, quem superbiens intus reliquerat, foris humilem invenit, imitatura ejus humilitatem visibilem, et ad invisibilem altitudinem reditura.

31. Atque Verbum Dei unicus Dei Filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit et habebit, homine indutus etiam homini subjugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ; ut quoniam, femina decepta, et dejecto per feminam viro, omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen jure æquissimo vindicabat, tamdiu potestas ejus valeret, donec interficeret justum, in quo nihil dignum morte posset ostendere, non solum quia sine crimine occisus est, sed etiam quia sine libidine natus: cui subjugaverat ille quos ceperat, ut quidquid inde nasceretur, tanquam suæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, sed tamen non iniquo possidendi jure retineret. Justissime itaque dimittere cogitur credentes in eum quem injustissime occidit, ut et quod temporaliter moriuntur, debitum exsolvant, et quod semper vivunt, in illo vivant, qui pro eis quod non debebat exsolvit. Quibus autem

[1] In prius Edd., *principio omnium peccatorum*. At in Mss. novemdecim habetur hic, *principi*.

[2] Ita Bad. et Mss. plerique. At Er. et Lov. habent, *colubere delicias*

infidelitatis perseverantiam persuasisset, juste secum haberet in perpetua damnatione consortes. Ita factum est ut neque diabolo per vim eriperetur homo, quem nec ipse vi, sed persuasione ceperat : et qui juste plus [1] humiliatus est, ut serviret cui ad malum consenserat, juste per eum cui ad bonum consensit liberaretur; quia minus iste in consentiendo, quam ille in male suadendo peccaverat.

CAPUT XI. — *Creatura sive in justitia permansura, sive lapsura, ad ornamentum universi confert.*

32. Naturas igitur omnes Deus fecit, non solum in virtute atque justitia permansuras, sed etiam peccaturas; non ut peccarent, sed ut essent ornaturæ universum [2], sive peccare, sive non peccare voluissent. Si enim rebus deessent animæ quæ ipsum fastigium ordinis in universa creatura sic obtinerent, ut si peccare voluissent, infirmaretur et labefactaretur universitas, magnum quiddam deesset creaturæ : illud enim deesset, quo remoto stabilitas rerum atque connexio turbaretur. Tales sunt optimæ, et sanctæ, et sublimes creaturæ cœlestium vel supercœlestium potestatum, quibus solus Deus imperat; universus autem mundus subjectus est. Sine istarum officiis justis atque perfectis esse universitas non potest. Item, si deessent quæ sive peccarent, sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam sic plurimum deesset. Animæ sunt enim rationales, et illis superioribus officio quidem impares, sed natura pares : quibus adhuc inferiores sunt multi, et tamen laudabiles a summo Deo constitutarum rerum gradus.

33. Illa ergo natura sublimioris officii est, quæ non solum si non esset, sed etiamsi peccaret, minueret ordinem universitatis. Inferioris officii est ista, quæ tantummodo si non esset, non autem si peccaret, aliquid minus haberet universitas. Illi data est potentia omnia continendi officio proprio, quod rerum ordini deesse non possit : nec ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium; sed ideo accepit, quoniam ab illo qui dedit permansura prævisa est. Nec tamen sua majestate continet omnia, sed inhærendo illius majestati, et ejus imperiis devotissime obtemperando, a quo et per quem et in quo facta sunt omnia. Huic autem datum est quidem non peccanti potentissimum officium continendi omnia; non tamen proprium, sed cum illa, tanquam ei quæ peccatura prænognita est. Habent sane spiritualia quæque inter se et conjunctionem sine cumulo, et sejunctionem sine diminutione : ut neque adjuvaretur illa in actionis suæ facilitate, cum hæc sibi conjungeretur; neque difficilior illi actio fieret, si hæc officium suum peccando desereret. Non enim locis et mole corporum, sed parilitate affectuum jungi, et disparilitate sejungi possunt spirituales creaturæ, quamvis corpora sua quæque possideant.

34. In corporibus autem inferioribus atque mortalibus post peccatum anima ordinata, regit corpus suum, non omnimodo pro arbitrio, sed sicut leges universitatis sinunt. Nec ideo tamen talis anima inferior est corpore cœlesti, cui corpori etiam corpora terrena subjecta sunt. Pannosa quippe vestis damnati servi multo est inferior veste bene meriti, et in honore magno apud dominum constituti; sed ipse servus melior est qualibet veste pretiosa, quia homo est. Illa ergo inhæret Deo, et in cœlesti corpore, angelica potestate, etiam terrestre corpus ornat et regit, sicut jubet ille cujus nutum intuetur ineffabiliter. Ista vero mortalibus membris onerata, vix hoc ipsum quo premitur, administrat intrinsecus, et tamen ornat quantum potest : cætera vero extrinsecus adjacentia, longe infirmiore operatione extrinsecus afficit sicut potest.

CAPUT XII. — *Gubernatio universi non turbaretur etiamsi angelica omnis creatura peccaret.*

35. Unde colligitur non defuturum fuisse ornatum congruentissimum infimæ corporeæ creaturæ, etiamsi ista peccare noluisset. Quoniam quæ totum potest regere, etiam partem regit; quæ autem minus potest, non continuo potest ampliora. Perfectus enim medicus etiam scabiem sanat efficaciter; at non continuo qui scabioso utiliter consulit, universæ humanæ valetudini mederi potest. Et ratio quidem si certa conspicitur, qua manifestum fiat esse oportuisse creaturam quæ nunquam peccaverit, nunquam peccatura sit, etiam illud eadem ratio renuntiat a peccato illam libera voluntate abstinere, neque coactam non peccare, sed sponte. Verumtamen etiamsi peccaret (quanquam non peccavit, sicut eam non peccaturam præscivit Deus) : tamen si etiam ipsa peccaret, sufficeret Dei potestas ineffabilis potentiæ ad regendam istam universitatem, ut omnibus congrua et condigna retribuens, nihil in toto imperio suo turpe atque indecorum esse permitteret. Quia sive per nullas ad hoc ipsum conditas potestates, si omnis angelica natura ab ejus præceptis peccando defecisset, majestate sua [1] decentissime atque optime regeret omnia : nec sic invidens creaturæ spirituali ut esset; qui etiam corporalem peccantibus quoque spiritualibus longe inferiorem, tanta largitate bonitatis instituit, ut nullus sit cœlum terramque rationabiliter intuens, omnesque naturas visibiles in suis generibus moderatas, formatas, ordinatas, qui vel alium credat artificem omnium esse quam Deum, vel non eum ineffabiliter laudandum esse fateatur. Sive nulla est [2] melior rerum ordinatio, nisi potestas angelica naturæ excellentia et bonitate voluntatis in dispositione universitatis superemineat, etiamsi omnes peccassent Angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Creatori Angelorum. Non enim vel bonitas ejus quasi aliquo tædio, vel omnipotentia difficultate deficeret ad creandos alios, quos in eis sedibus collocaret, quas peccando alii deseruissent; aut creatura spiritualis

[1] Editi, *justo plus*, quibus rari Mss. suffragantur; nam duodecim melioris notæ habent, *juste plus*.
[2] Aliquot Mss. e potioribus, *ornaturæ universitatis*.

[1] Quatuor Mss. *defecisset, sed majestate sua*. Non male.
[2] Lov. in textu, *Sive ulla est*. At Bad. Er. et Mss. *Sive*

quantilibet numeri [1], si pro suis meritis damnaretur, angustare posset ordinem, qui convenienter et decenter excipit quoscumque damnandos [2]. Quacumque se igitur consideratio nostra converterit, ineffabiliter laudandum invenit Deum naturarum omnium conditorem optimum, et administratorem justissimum.

36. Postremo, ut relinquamus contemplationem pulchritudinis rerum iis qui eam divino munere videre possunt, nec eos qui non possunt [3] ad ineffabilia contuenda verbis conemur adducere, et tamen propter loquaces aut infirmos aut insidiosos homines tantam quæstionem brevissima complexione peragamus.

CAPUT XIII. — *Ex creaturæ corruptione et ex vitii ejus vituperatione bonitas ipsius ostenditur.*

Omnis natura quæ minus bona fieri potest, bona est; et omnis natura dum corrumpitur, minus bona fit. Aut enim non ei nocet corruptio, et non corrumpitur; aut si corrumpitur, nocet ei corruptio : et si nocet, minuit aliquid de bono ejus, et eam minus bonam facit. Nam si penitus eam privat omni bono, quidquid ejus remanebit, jam corrumpi non poterit; quia nullum erit bonum cujus ademptione possit nocere corruptio : cui autem non potest nocere corruptio, non corrumpitur. Porro natura quæ non corrumpitur, incorruptibilis est : erit ergo natura, quod absurdissimum est dicere, corruptione facta incorruptibilis. Quapropter quod verissime dicitur, omnis natura in quantum natura est, bona est : quia si incorruptibilis est, melior est quam corruptibilis; si autem corruptibilis est, quoniam dum corrumpitur minus bona fit, sine dubitatione bona est. Omnis autem natura aut corruptibilis est, aut incorruptibilis. Omnis ergo natura bona est : naturam voco quæ et substantia dici solet. Omnis igitur substantia aut Deus, aut ex Deo; quia omne bonum aut Deus, aut ex Deo.

37. Quibus constitutis atque firmatis tanquam in capite ratiocinationis nostræ, attende quid dicam. Omnis natura rationalis, cum libero voluntatis arbitrio condita, si manet in fruendo summo atque incommutabili bono, procul dubio laudanda est; et omnis quæ tendit ut maneat, etiam ipsa laudanda est : omnis autem quæ non in eo manet, et non vult agere ut maneat, in quantum ibi non est, et in quantum non id agit ut ibi sit, vituperanda est. Si ergo laudatur rationalis natura quæ est facta, nemo dubitat laudandum esse qui fecit; et si vituperatur, nemo dubitat ejus Conditorem in ipsa ejus vituperatione laudari. Cum enim propterea vituperamus hanc, quoniam summo et incommutabili bono, id est Creatore suo frui non vult, illum sine ulla dubitatione laudamus. Quantum ergo bonum, et quam vel ineffabiliter linguis omnibus, vel ineffabiliter cogitationibus omnibus prædicandus et honorandus est creator omnium Deus, sine cujus laude nec laudari possumus, nec vituperari! Non enim vituperari possumus quia in eo non manemus, nisi quia magnum et summum et primum nostrum bonum est manere in illo : unde autem hoc, nisi quia ille ineffabile bonum est? Quid ergo inveniri potest in nostris peccatis unde ille vituperetur, quando vituperatio peccatorum nostrorum nulla est, nisi ille laudetur?

38. Quid, quod etiam in ipsis rebus quæ vituperantur, nullius vituperatur nisi vitium? Nullius autem vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Aut enim secundum naturam est quod vituperas; et non est vitium, tuque magis emendandus es, ut recte vituperare noveris, quam illud quod non recte vituperas; aut si vitium est, ut recte vituperari possit, etiam contra naturam sit necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est; si autem quia nocet ideo vitium est, ideo vitium est quia contra naturam est. Quod si non suo, sed alieno vitio aliqua natura corrumpitur, injuste vituperatur, et quærendum est utrum illa natura non corrumpatur vitio suo, cujus vitio potuit aliena natura corrumpi. Sed quid est aliud vitiari, nisi vitio corrumpi? Porro natura quæ non vitiatur, caret vitio : cujus autem vitio aliena natura corrumpitur, habet utique vitium. Prior ergo vitiosa est, et prior corrumpitur vitio suo, cujus vitio alia quoque corrumpi potest. Ex quo colligitur, contra naturam esse omne vitium, etiam ejus rei cujus est vitium. Quapropter, quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia contra naturam ejus rei est cujus est vitium, nullius rei recte vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Non enim tibi recte in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet.

CAPUT XIV. — *Non omnis corruptio vituperatione digna est.*

39. Videndum est etiam illud, utrum vere dicatur aliquam naturam naturæ alterius vitio corrumpi, nullo adjuncto vitio suo. Si enim natura quæ accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam, non in ea corruptibile aliquid invenit, non eam corrumpit. Si autem invenit, adjuncto ejus vitio corruptionem ejus operatur. Potentior enim ab infirmiore si corrumpi nolit, non corrumpitur : si autem velit, prius incipit suo vitio corrumpi quam alieno. Æqualis autem ab æquali nihilominus si corrumpi nolit, non potest. Nam quæcumque natura cum vitio ad eam quæ sine vitio est, ut corrumpat accedit, eo ipso non accedit æqualis, sed infirmior vitio suo. Si vero potentior invalidiorem corrumpit, aut utriusque vitio fit, si utriusque prava cupiditate fit; aut vitio potentioris, si naturæ tanta præstantia est, ut inferiorem quam corrumpit, etiam vitiosa præcedat. Quis enim recte vituperaverit fructus terræ, quod homines eis non utantur bene, corruptique vitio suo, corrumpant eos abutendo ad luxuriam;

*nulla est;* quæ lectio in editione Lov. ad marginem haud recte rejecta est, cum disjunctiva particula *sive*, indicet hoc esse membrum alterum oppositum superiori, *sive per nullas ad hoc ipsum.*

[1] In codicibus quinque vetustis nec deterioris notæ habetur, *quantilibet muneris.*

[2] Er. et Lov., *quoscumque damnandos multos.* Expunximus *multos*, quia redundat, abestque a Bad. et a Mss. quindecim.

[3] Editi et Mss. plerique carent istis verbis, *qui non possunt*, quæ huc revocanda putavimus e codice altero Sorbonico et ex aliis duobus.



ARCHI INSULENSIS

cum tamen dubitare dementis sit præstantiorem potentioremque esse hominis naturam etiam vitiosam, quam non vitiosas quasque fruges?

40. Potest etiam fieri ut aliquam inferiorem potentior natura corrumpat, et hoc nullius earum vitio fiat: siquidem vitium dicimus, quod vituperatione dignum est. Quis autem vel frugalem hominem nihil aliud de frugibus, quam supplementa naturæ [1] quæritantem vituperare audeat, aut easdem fruges quod usu ciborum ejus corrumpantur? Talis enim nec usitate corruptio dicitur, quia maxime vitii nomen solet esse corruptio. Nam et illud in rebus facile animadverti potest, quod plerumque in nullos usus [2] explendæ indigentiæ suæ natura potentior inferiorem corrumpit, vel justitiæ ordine dum vindicat culpam; ex qua regula illud dictum est ab Apostolo, *Si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus* (1 *Cor.* III, 17): vel ordine mutabilium rerum sibi cedentium secundum leges congruentissimas pro valentia cujusque partis universitati datas. Neque enim si cujusquam oculos pro naturæ suæ modulo ferendæ lucis invalidos sol fulgore corrumpat, aut ad explendam indigentiam sui luminis eos commutare putandus est, aut id facere ullo vitio suo; aut saltem ipsi oculi vituperandi sunt, quia et domino suo cesserunt ut contra lucem aperirentur, et ipsi luci ut corrumperentur. Omnium igitur corruptionum sola quæ vitiosa est corruptio recte vituperatur: cæteræ autem, aut ne corruptiones quidem dicendæ sunt, aut certe quia vitiosæ non sunt, dignæ vituperatione esse non possunt. Nam et ipsa vituperatio, quod soli vitio parata, id est apta et debita sit, inde traxisse vocabulum creditur, ut vituperatio diceretur.

41. Vitium autem, dicere cœperam, non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ejus ipsius rei cujus est vitium. Unde manifestum est hanc eamdem rem cujus vitium vituperatur, naturam esse laudabilem; ita ut omnino hanc ipsam vituperationem vitiorum, naturarum laudem esse fateamur, earum scilicet quarum vitia vituperantur. Quia enim vitium naturæ adversatur, tantum additur malitiæ vitiorum, quantum naturarum integritati minuitur. Cum ergo vituperas vitium, id profecto laudas cujus integritatem desideras: cujus autem, nisi naturæ integritatem? Natura enim perfecta, non solum nulla vituperatione, sed etiam laude in suo genere digna est. Quod ergo perfectioni naturæ deesse perspexeris, id vocas vitium, satis tibi eam placere contestans, quam vituperatione imperfectionis ejus velles esse perfectam.

CAPUT XV. — *Defectus creaturæ haud semper est culpabilis.*

42. Si igitur vituperatio vitiorum ipsarum etiam, quarum sunt vitia, naturarum decus dignitatemque commendat, quanto magis Deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est; cum et hoc ab illo habeant quod naturæ sunt, et in tantum vitiosæ sint, in quantum ab ejus qua factæ sunt [3] arte discedunt, et in tantum recte vituperentur, in quantum earum vituperator artem qua factæ sunt videt, ut hoc in eis vituperet, quod ibi non videt! Et si ars ipsa per quam facta sunt omnia, hoc est summa et incommutabilis Sapientia Dei, vere summeque est, sicuti est, respice quo tendat quidquid ab illa discedit. Qui tamen defectus non esset vituperatione dignus, nisi esset voluntarius. Attende enim, quæso, utrum recte vituperes quod ita est sicuti esse debuit: non opinor; sed utique quod non ita est ut debuit. Nemo autem debet, quod non accepit: et quisquis debet, cui debet, nisi a quo accepit ut debeat? Nam et quæ redduntur translegando, ei redduntur qui translegaverat. Et quod creditorum justis successoribus redditur, ipsis utique redditur quibus isti jure succedunt. Aliter non redditio, sed cessio vel admissio, vel si quid aliud hujusmodi nominanda est. Quapropter omnia temporalia, quæ in hoc rerum ordine ita locata sunt, ut nisi deficiant, non possint præteritis futura succedere, ut tota temporum in suo genere pulchritudo peragatur, absurdissime dicimus non debere deficere. Quantum enim acceperunt, tantum agunt, et tantum reddunt ei cui debent quod sunt in quantumcumque sunt. Qui enim dolet ea deficere, sermonem suum oportet attendat, eum certe ipsum quod ista conqueritur, si justum et a prudentia profectum esse arbitratur; cujus sermonis quod ad sonum ejus attinet, si quis unam particulam diligat, nec eam velit cæteris deficiendo locum dare, quibus decedentibus et succedentibus totus ille sermo contexitur, mirabilis dementiæ judicabitur.

43. In iis igitur rebus quæ ideo deficiunt, quia non ultra esse acceperunt, ut suis temporibus omnia peragantur, nemo defectum recte vituperat; quia nemo potest dicere, Debuit permanere, cum acceptas metas transire non posset. In creaturis autem rationabilibus, quibus sive peccantibus sive non peccantibus, universalis pulchritudo modis congruentissimis terminatur, aut nulla peccata sunt, quod absurdissimum est dicere peccat enim saltem, qui vel damnat quasi peccata quæ nulla sunt: aut non sunt vituperanda peccata, quod nihilominus absurdum est; incipient quippe nec recte facta laudari, et tota turbabitur humanæ mentis intentio, vitamque subvertet: aut vituperabitur factum quod ita factum est ut debuit, et exsecrabilis insania, vel, ut mitius loquar, error miserrimus orietur: aut si cogit verissima ratio, sicuti cogit, ut et vituperentur peccata, et quidquid recte vituperatur ideo vituperetur, quia non est ita ut esse debuit; quære quid debeat natura peccatrix, et invenies recte factum; quære cui debeat, et invenies Deum. A quo enim accepit posse recte facere cum velit, ab eo accepit ut sit etiam misera si non fecerit, et beata si fecerit.

44. Quia enim nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam; quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim etiam

[1] Bad. Er. et Mss. duo, *sublevamenta naturæ*.
[2] Vulgati habent, *in nonnullos usus*. At Mss., *in nullos usus*: amplectimur.
[3] Editi, *ab ejus a quo factæ sunt*. At Mss., *ab ejus qua*.

modo dici potuit quod dictum est, Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, et alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futurum judicium servatur ad manifestationem atque ad acerrimum sensum miseriæ, quidquid nunc occultissime vindicatur. Sicut enim qui non vigilat, dormit; sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet, quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. In omnibus ergo defectibus, aut non acceperunt ultra esse quæ deficiunt, et nulla culpa est; sicut etiam cum sunt, quia non acceperunt amplius esse quam sunt, nihilominus nulla culpa est; aut nolunt esse, quod si vellent, esse acceperunt [1]; et quia bonum est, reatus est si nolint.

CAPUT XVI. — *Peccata nostra in Deum refundi nequeunt.*

45. Deus autem nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat. Et si quisquam dicet ab illo aliquid deberi meritis suis, certe ut esset, non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur. Et tamen, quod meritum est converti ad eum ex quo es [2], ut ex ipso etiam melior sis, ex quo habes ut sis? Quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum poscas; quando si nolles ad eum converti, nihil ei deesset, tibi autem ipse, sine quo nihil esses, et ex quo ita es aliquid, ut nisi convertendo te ad illum, reddideris ei quod ab ipso es, non quidem nihil, sed miser tamen eris? Omnia ergo illi debent, primo quidquid sunt, in quantum naturæ sunt: deinde quidquid melius possunt esse si velint, quæcumque acceperunt ut velint; et quidquid oportet eas esse. Ex eo igitur quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam, et sufficientissimam facultatem.

46. Usque adeo autem dum non facit quisque quod debet, nulla culpa est Conditoris, ut et laus sit, quoniam quod debet patitur, et in eo ipso quod vituperatur non faciendo quod debet, non nisi laudatur ille cui debet. Si enim tu laudaris videndo quid facere debeas, cum id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis Veritas; quanto magis ille qui et velle præcepit, et posse præbuit, et non impune nolle permisit? Si enim hoc debet quisque quod accepit, et sic homo factus est, ut necessario peccet, hoc debet ut peccet. Cum ergo peccat, quod debet facit. Quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet (*a*). Sed nec aliena. Non enim quisquis dum id quod non vult patitur, peccat. Nam si juste patitur, non in eo peccat quod patitur invitus, sed in eo peccavit quod ita fecit volens, ut quod nollet jure pateretur. Si autem injuste patitur, quomodo peccat? Non enim injuste aliquid pati, sed injuste aliquid facere, peccatum est. Quod si neque sua neque aliena natura quis peccare cogitur, restat ut propria voluntate peccetur. Quod si tribuere volueris Conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter sui Conditoris instituta commisit, qui si recte defenditur, non peccavit: non est ergo quod tribuas Conditori. Laudemus ergo Conditorem, si potest defendi peccator; laudemus, si non potest. Si enim juste defenditur, non est peccator: lauda ergo Creatorem. Si autem defendi non potest, in tantum peccator est in quantum se a Creatore avertit: lauda ergo Creatorem. Omnino igitur non invenio, nec inveniri posse, et prorsus non esse confirmo, quomodo tribuantur peccata nostra creatori nostro Deo; quando et in ipsis eum laudabilem invenio, non solum quod ea punit, sed etiam quod tunc fiunt, cum ab ejus veritate receditur. *E.* Accipio ista libentissime ac probo; et omnino verum esse consentio, nullo modo fieri posse ut Creatori nostro recte peccata nostra tribuantur.

CAPUT XVII. — *Voluntas est prima causa peccandi.*

47. Sed tamen scire vellem, si fieri posset, quare illa natura non peccet, quam non peccaturam præscivit Deus, et quare ista peccet, quæ ab illo peccatura prævisa est. Non enim jam puto, ipsa Dei præscientia vel istam peccare, vel illam non peccare cogi. Sed tamen si nulla causa esset, non ita dispertiretur creatura rationalis, ut alia nunquam peccet, alia in peccando perseveret, alia quasi media inter utramque aliquando peccet, aliquando ad recte faciendum convertatur. Quæ causa in has tres partes eam distribuit? Sed nolo mihi respondeatur, Voluntas: ego enim causam quæro ipsius voluntatis. Non enim sine causa nunquam vult illa peccare, nunquam ista non vult, quædam vero aliquando vult, aliquando non vult, cum ejusdem generis omnes sint. Hoc solum enim mihi videre videor, non sine causa esse istam tripartitam voluntatem rationalis creaturæ; sed quæ causa sit, nescio.

48. *A.* Quoniam voluntas est causa peccati, tu autem causam ipsius voluntatis inquiris, si hanc invenire potuero, nonne causam etiam ejus causæ quæ inventa fuerit quæsiturus es? Et quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac disserendi, cum te ultra radicem quærere nihil oporteat? Cave enim putes quidquam potuisse dici verius quam id quod dictum est, radicem omnium malorum esse avaritiam (I *Tim.* VI, 10), hoc est, plus velle quam sat est. Tantum autem sat est, quantum sibi exigit naturæ in suo genere conservandæ modus. Avaritia enim, quæ græce φιλαργυρία dicitur, non in solo argento vel in nummis, unde magis nomen duxisse resonat; argento enim nummi vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant: sed in omnibus rebus quæ immoderate cupiuntur intelligenda est, ubicumque omnino plus vult quisque quam sat est. Hæc autem avaritia cupi-

[1] Er. et Lov., *esse acciperent*. At Mss. magno consensu, *esse acceperunt*, et melius; hoc enim istis superioris argumenti, quod hic in angustum contrahitur, respondet verbis: *A quo enim accepit posse recte facere cum velit*. Favet editio Bad., quæ præfert, *esse ceperunt*.

[2] Er. et Lov., *convertere ad eum ex quo es*. Mss. sex, *converte*; sed concinnius undecim alii ferunt *converti*.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.

ditas est; cupiditas porro improba voluntas est. Ergo improba voluntas, malorum omnium causa est. Quæ si secundum naturam esset, conservaret utique naturam, nec ei perniciosa esset, et ideo non esset improba. Unde colligitur radicem omnium malorum non esse secundum naturam; quod sufficit adversus omnes qui volunt accusare naturas. Tu autem si hujus radicis causam requiris, quomodo erit ista radix omnium malorum? Illa enim erit quæ causa hujus est, quam cum inveneris, ut dixi, etiam ipsius causam quæsiturus es, et quærendi nullum habebis modum.

49. Sed quæ tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim et ipsa voluntas est; et a radice ista voluntatis non receditur : aut non est voluntas; et peccatum nullum habet. Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui recte imputetur peccatum nisi peccanti. Non est ergo cui recte imputetur nisi volenti (*a*) : sed nescio cur aliud te quærere libeat. Deinde quæcumque illa causa est voluntatis, aut justa profecto est, aut injusta. Si justa, quisquis ei obtemperaverit non peccabit : si injusta, non ei obtemperet, et non peccabit.

CAPUT XVIII. — *An aliquis peccet in eo quod caveri non potest.*

50. An forte violenta est et cogit invitum? Num eadem toties replicaturi sumus? Reminiscere superiorum, quæ a nobis tam multa de peccato et voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur : si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest (*b*)? Peccatur autem : caveri igitur potest (*c*).

51. Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, et corrigenda judicantur, sicut in divinis auctoritatibus legimus : ait enim Apostolus, *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (I *Tim.* I, 13); ait et propheta, *Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo recte facere, et non potest : nam unde sunt illæ voces, *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago;* et illud, *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII, 19); et illud, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim invicem adversantur; ut non ea quæ vultis faciatis* (*Galat.* V, 17)? Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium : nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, si aliter esset [1]; nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate ut bonus sit, sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo et non valendo esse, qualem debere esse se videt : pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si justa est, peccati pœna est, et supplicium nominatur : si autem injusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, et pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam injustus dominator aut surripere hominem potuit, velut ignoranti Deo; aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc justa pœna de damnatione hominis veniat (*a*).

52. Nec mirandum est quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat : vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum sit, et velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit; et qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia et difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate recte faciendi loquimur, de illa scilicet in qua homo factus est loquimur (*b*).

CAPUT XIX. — *Peccantes ignorantiam et difficultatem transfusa in se ex Adæ peccato vitia ne excusent.*

53. Hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando quam se accusare parati sunt. Dicunt enim : Si Adam et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, et difficultatis cruciatibus nasceremur, et primo erraremus nescientes quid nobis esset faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, et renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate non valeremus? Quibus breviter respondetur ut quiescant, et adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur, si erroris

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 3.
(*b*) Vid. ibid.
(*c*) Hoc loco perperam utens Pelagius sic revincitur ab Augustino in libro de Natura et Gratia, cap. 67, n. 80 : « Potest ergo ei causæ, quæcumque illa est, resisti; potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus dicentes : « *Ne nos inferas in tentationem;* quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest « peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest « falli. »

[1] Editi : *Si autem bonus homo esset, aliter esset;* omissa particula *si*, quam ex Mss. reposuimus.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 9, n. 5.
(*b*) Vid. ibid.

et libidinis nullus hominum victor existeret : cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis : ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur [1], et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.

54. Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt : illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum quod movemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina : sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, libera enim voluntate et ab sciente committitur; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. Sic etiam ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est : aliter istam, in qua ex illius damnati pœna, et mortales et ignari et carni subditi nascimur; juxta quem modum dicit Apostolus, *Fuimus enim et nos naturaliter filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3).

CAPUT XX. — *Pœnales defectus in Adæ posteros haud injuste demanasse, quæcumque demum vera sit de animarum origine sententia.*

55. Ut autem de illo primo conjugio, et cum ignorantia, et cum difficultate, et cum mortalitate nascamur, quoniam illi cum peccavissent, et in errorem, et in ærumnam, et in mortem præcipitati sunt, rerum moderatori summo Deo justissime placuit; ut et in ortu hominis originaliter appareret justitia punientis, et in provectu misericordia liberantis. Non enim damnato primo homini sic adempta est beatitudo, ut etiam fecunditas adimeretur. Poterat enim et de prole ejus, quamvis carnali et mortali, aliquod in suo genere fieri decus ornamentumque terrarum. Jamvero ut meliores gigneret quam ipse esset, non erat æquitatis : sed ex conversione ad Deum, ut vinceret quisque supplicium quod origo ejus ex aversione meruerat, non solum volentem non prohiberi, sed etiam adjuvari oportebat; etiam sic enim rerum Creator ostendit quanta facilitate potuisset homo, si voluisset, retinere quod factus est, cum proles ejus potuit etiam superare quod nata est.

56. Deinde, si una anima facta est, ex qua omnium hominum animæ trahuntur nascentium, quis potest dicere non se peccasse, cum primus ille peccavit? Si autem singillatim fiunt in unoquoque nascentium, non est perversum, imo convenientissimum et ordinatissimum apparet, ut malum meritum prioris, natura sequentis sit; et bonum meritum sequentis, natura prioris sit. Quid enim indignum, si etiam sic voluit Creator ostendere, usque adeo excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus? Nam cum ad ignorantiam difficultatemque pervenerit illa peccatrix, ideo pœna recte dicitur, quia melior ante hanc pœnam fuit. Si ergo altera talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat. Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur, tanquam quæ non bene usa sit ea facultate quam accepit. Quanquam enim in ignorantia et difficultate nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur : neque omnino potuit nisi Deus omnipotens esse [1] etiam talium creator animarum, quas et non dilectus ipse faciat, et diligens eas reficiat, et dilectus ipse perficiat; qui et non existentibus præstat ut sint, et amantibus eum a quo sunt præstat ut beatæ sint.

57. Si vero in Dei aliquo secreto jam existentes animæ mittuntur ad inspiranda et regenda corpora singulorum quorumque nascentium, ad hoc utique mittuntur officium, ut corpus quod de pœna peccati, hoc est mortalitate primi hominis, nascitur, bene administrando, id est castigando per virtutes, et ordinatissimæ atque legitimæ servituti subjiciendo, etiam ipsi comparent ordine atque tempore opportuno cœlestis incorruptionis locum. Quæ cum introeunt in hanc vitam, subeuntque gestanda membra mortalia, subeant etiam necesse est et oblivionem vitæ prioris, et præsentis laborem : unde illa ignorantia et difficultas consequitur, quod in primo homine supplicium mortalitatis fuit, ad animi expendendam miseriam [2];

[1] Lov., *scire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* Antiquiores Edd. Bad. Er. et Mss. quatuor, *scire utiliter, quod inutiliter ignoratur*. Alii Mss. undecim e quorum numero sunt Regius Codex, Victorinus, Sorbonici duo, Germanensis, Gemmeticensis, etc., habent, *scire utiliter quæri quod inutiliter ignoratur :* quam lectionem eligimus.

[1] Editio Lov., *omnipotens esset*. At Bad. et Er., *omnipotens esse;* quibus Mss. consentiunt. Paulo post quæ in Edd. omnibus reperiuntur verba, scilicet, *et diligens eas reficiat*, absunt a Mss.

[2] Mss. quatuor, *ad animi explendam miseriam.*

in istis autem janua ministerii ad reparandam corporis incorruptionem. Nam hoc quoque modo non dicuntur ista peccata, nisi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis hanc ignorantiam et difficultatem facit; quæ neque his, neque Creatori tanquam culpanda tribuatur. Dedit enim ille et facultatem bene operandi in laboriosis officiis, et viam fidei in oblivionis cæcitate; judicium illud vel maxime, quod anima omnis [1] et quærendum esse concedit quod inutiliter nescit, et perseveranter in officiosis laboribus enitendum ad evincendam recte faciendi difficultatem, et opem a Creatore implorandam, ut conantem adjuvet; qui vel extrinsecus lege, vel in intimis cordis allocutione conandum esse præcepit, et præparat civitatis beatissimæ gloriam triumphantibus de illo qui primum hominem ad istam miseriam perduxit victum pessima suasione; quam miseriam isti suscipiunt ad eum vincendum optima fide. Non enim parvæ gloriæ militia est diabolum vincere eodem susceptο supplicio, quo se ille hominem victum perduxisse gloriatur. Quisquis autem hoc istius vitæ captus amore neglexerit, nullo pacto juste flagitium desertionis suæ regis imperio deputabit: sed erit potius sub omnium Domino in ejus partibus ordinatus, cujus turpe stipendium ut castra sua desereret, adamavit.

58. Si autem alibi animæ constitutæ non mittuntur a Domino Deo, sed sua sponte ad inhabitanda corpora veniunt; facile est jam hoc videre, quidquid ignorantiæ difficultatisque secutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo Creatorem hinc esse culpandum: quandoquidem etiamsi eas ipse misisset, quibus etiam in ipsa ignorantia et difficultate liberam voluntatem petendi et quærendi et conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quærentibus, pulsantibus aperturus, omnino extra culpam esset. Hanc enim ignorantiam et difficultatem studiosis et benevolis evincendam, ad coronam gloriæ valere præstaret; negligentibus autem et peccata sua de infirmitate defendere volentibus, non ipsam ignorantiam difficultatemque pro crimine objiceret; sed quia in eis potius permanere, quam studio quærendi atque discendi, et humilitate confitendi atque orandi, ad veritatem ac facilitatem pervenire voluerunt, justo supplicio vindicaret.

### CAPUT XXI. — *Error qua in re perniciosus.*

59. Harum autem quatuor de anima sententiarum, utrum de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus novæ fiant, an in corpora nascentium jam alicubi existentes vel mittantur divinitus, vel sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit (*a*). Aut enim nondum ista quæstio a divinorum Librorum catholicis tractatoribus pro merito suæ obscuritatis et perplexitatis evoluta atque illustrata est; aut si jam factum est, nondum in manus nostras hujuscemodi litteræ pervenerunt. Tantum adsit fides nihil de substantia Creatoris falsum indignumque sentiendi. Ad illum enim tendimus itinere pietatis. Si ergo aliud de illo senserimus quam est, intentio nostra non in beatitatem, sed in vanitatem nos ire compellet. De creatura vero si quid aliter quam sese habet senserimus, dummodo non id pro cognito perceptoque teneamus, nullum periculum est. Non enim ad creaturam jubemur tendere ut efficiamur beati, sed ad ipsum Creatorem: de quo si aliud quam oportet ac sese res habet, nobis persuadetur, perniciosissimo errore decipimur. Ad hoc enim pergendo, quod aut non est, aut, si est, non facit beatos, ad beatam vitam nullus pervenire potest.

60. Sed ad contemplandam veritatis æternitatem, ut ea perfrui eique inhærere valeamus, infirmitati nostræ via de temporalibus procurata est, ut quantum itineri sufficit ad æterna tendentium, præterita et futura credamus. Quæ fidei disciplina, ut auctoritate præpolleat, divina misericordia gubernatur. Præsentia vero, quantum ad creaturam pertinet, in corporis et animi mobilitate et mutabilitate, quasi transeuntia sentiuntur. In quibus quidquid non experimur, cognitione qualicumque tenere non possumus. Quæcumque ergo nobis de quibuscumque creaturis vel præterita vel futura divina auctoritate credenda narrantur, quamvis partim priusquam ea sentire potuerimus præterierint, partim nondum in nostros sensus pervenerint; tamen quia plurimum valent ad roborandam spem nostram, et exhortandam dilectionem, dum nobis commendant per ordinatissimam seriem temporum quam non negligat liberationem nostram Deus, sine ulla dubitatione credenda sunt. Sed quisquis error personam sibi divinæ auctoritatis assumit, ea maxime ratione refellitur, si aut aliquam vel mutabilem speciem præter creaturam Dei, aut aliquam mutabilem speciem in substantia Dei credere aut affirmare convincitur, eamque substantiam Dei vel plus vel minus quam Trinitatem esse contendit: cui Trinitati pie sobrieque intelligendæ omnis excubat vigilantia christiana, et omnis ejus provectus intenditur. De cujus Trinitatis unitate et æqualitate, et singularum in ea personarum quadam proprietate, non hic locus est disserendi. Nam commemorare quædam de Domino Deo auctore et formatore et ordinatore rerum omnium, quæ ad saluberrimam fidem pertineant, et quibus lactens atque a terrenis in cœlestia sese attollere incipiens, utiliter adminiculetur intentio, et factu facillimum et a plerisque jam factitatum est: pertractare autem istam totam, atque ita versare

[1] Bad., *indicium illud vel maxime, quia anima omnis*: quæ etiam erat lectio Lov. mutato *quia* in *quod*. At Er. et Mss. habent, *judicium illud.... quod unima*, etc.; ubi forte librarii scripserunt *quod* pro *quo*, sicuti eos passim fecisse observamus.

(*a*) Eum locum Augustinus in Epistola 166, n. 7, ad Hieronymum, recenset his verbis: « Ego quidem ante aliquot « annos cum libros quosdam scriberem de Libero Arbitrio, « qui in multorum manus exierunt, et nunc habentur a « plurimis, quatuor opiniones de animæ incarnatione... ita « putavi esse tractandas, ut quælibet earum vera esset, non « impediret intentionem meam qua tunc adversus eos quan- « tis poteram viribus agebam, qui naturam mali suo prin- « cipio præditam adversus Deum conantur inducere, id est « contra Manichæos. Nam de Priscillianistis adhuc nihil « audieram... Ideo quintam opinionem non addidi, quam in « tua epistola inter cæteras commemorasti. »

quæstionem, ut perspicuæ rationi, quantum in hac vita datur, omnis humana intelligentia subjugetur, non modo eloquio, sed ne cogitatione quidem vel cuiquam hominum, vel certe nobis satis expeditum et facile aggrediendum videri potest. Nunc ergo ut quod instituimus, quantum adjuvamur, et quantum sinimur peragamus : quæcumque nobis, quantum ad creaturam pertinet, vel narrantur præterita, vel prænuntiantur futura, quæ ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei et proximi, sine dubitatione credenda sunt : adversus incredulos autem hactenus defendenda, ut vel mole auctoritatis infidelitas eorum obteratur, vel eis ostendatur, quantum potest, primo quam non sit stultum talia credere, deinde quam sit stultum talia non credere. Verumtamen falsam doctrinam non tam de præteritis et futuris, quam de præsentibus et maxime de incommutabilibus oportet refellere, et quantum datur, perspicua ratione convincere.

61. Sane in serie temporalium [1] inquisitioni præteritorum futurorum exspectatio præferenda est : quandoquidem etiam in divinis Libris ea quæ præterita narrantur, vel præfigurationem futurorum, vel pollicitationem, vel testificationem præ se gerunt. Et revera in iis etiam, quæ ad hanc vitam pertinent, prosperis adversisque rebus, quid quisque fuerit non satis curat : in id vero quod futurum speratur, sese omnis curarum æstus agglomerat. Nescio quo quippe intimo naturalique sensu, ea quæ nobis acciderunt, quoniam transacta sunt, sic habentur ad momentum felicitatis et miseriæ, quasi nunquam accidissent. Quid igitur mihi obest, si esse quando cœperim nescio, cum esse me noverim, nec futurum esse desperem? Non enim in præterita me attendo, ut tanquam errorem perniciosissimum verear, si aliter de iis sensero quam fuerunt : sed in id quod futurus sum, cursum dirigo duce misericordia Conditoris mei. De hoc igitur quod futurus sum, et de illo apud quem futurus sum, si aliter quam veritas sese habet credidero aut sensero, vehementer cavendus est error; ne mihi aut necessaria non præparem, aut ad eum ipsum finem propositi mei, dum aliud pro alio mihi videtur, pervenire non possim. Quamobrem, sicut ad comparandam vestem nihil mihi obesset, si præteritæ hiemis oblitus essem, obesset autem si futurum frigus imminere non crederem : ita nihil oberit animæ meæ, si oblita est quid forte pertulerit, si modo diligenter advertat et teneat quo se deinceps parare moneatur. Et sicut, verbi gratia, Romam naviganti nihil noceret si excidisset animo, a quo littore navem solverit, dum tamen ab eo loco ubi esset non ignoraret quo proram dirigeret; nihil autem prodesset meminisse littoris unde iter exorsus sit, si de Romano portu falsum aliquid existimans, in saxa incidisset : ita neque si non tenuero initium temporis vitæ meæ, quidquam mihi oberit scienti quo fine requiescam; nec prodesset aliquid illa sive memoria sive conjectura inchoatæ vitæ, si de ipso Deo, qui unus laborum animæ finis est, aliter quam dignum est opinatus, in scopulos erroris irruerem.

62. Nec iste sermo ad id valuerit, ut quisquam nos prohibere arbitretur ut quærant qui potuerint secundum Scripturas divinitus inspiratas, utrum anima de anima propagetur, an suo cuique animanti singulæ in ipso fiant, an ad regendum animandumque corpus divino nutu alicunde mittantur, vel propria voluntate se insinuent; si vel alicujus expediendæ necessariæ quæstionis ratio flagitat ista considerare atque discutere, vel a rebus magis necessariis otium ad hæc quærenda et disserenda conceditur. Verum ad id potius ista dixerim, ne quis in re tali vel temere succenseat ei qui suæ opinioni humaniore fortasse dubitatione non cedit : aut etiam si quid hinc certi quisquam et liquidi comprehenderit, ideo putet alium spem perdidisse futurorum, quia præterita exorsa non recolit.

CAPUT XXII. — *Ignorantia et difficultas si naturalis est homini, non propterea deest unde laudetur Creator.*

63. Quoquo modo autem se istud habeat, sive omnino omittendum, sive nunc differendum et alias considerandum sit, præsens tamen quæstio non impeditur, quominus appareat integerrima et justissima et inconcussa atque incommutabili majestate et substantia Creatoris, supplicia peccatorum suorum animas luere : quæ peccata, ut jam diu disseruimus, nonnisi propriæ voluntati earum tribuenda sunt, nec ulla ulterior [1] peccatorum causa quærenda.

64. Ignorantia vero et difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promoveri. Quem profectum in studiis optimis atque pietate, quorum facultas ei non negata est, si propria voluntate neglexerit, juste in graviorem, quæ jam pœnalis est, ignorantiam difficultatemque præcipitatur, decentissimo et convenientissimo rerum moderamine in inferioribus ordinata [2]. Non enim quod naturaliter nescit et naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, et quod dignam facilitati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse atque non posse, infanti naturale est : quæ ignorantia difficultasque sermonis non modo inculpabilis sub grammaticorum legibus, sed etiam humanis affectibus blanda et grata est; non enim ullo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut ullo vitio quam compararat amisit. Itaque, si nobis in eloquentia esset beatitudo constituta, atque ita crimini duceretur cum peccatur in linguæ sonis, quemadmodum cum peccatur in actibus vitæ; nullus utique argueretur infantiæ, quod ab ea esset exorsus ad consequendam eloquentiam : sed plane merito damnaretur, si suæ voluntatis

[1] Bad. Er. et Mss. septem : *Sane in miseria temporalium.*

[1] Ita Mss. et antiquiores Edd. At Lov. habet, *nec ulla interior.*

[2] Editi, *in inferioribus ordinante.* At Mss. quindecim, *ordinata.*

tis perversitate vel ad eam recidisset, vel in ea remansisset. Sic etiam nunc, si ignorantia veri et difficultas recti naturalis est homini, unde incipiat in sapientiæ quietisque beatitudinem surgere, nullus hanc ex initio naturali recte arguit : sed si proficere noluerit, aut a profectu retrorsum relabi voluerit, jure meritoque pœnas luet.

65. Creator vero ejus ubique laudatur, vel quod eam ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit, vel quod ejus profectum adjuvet, vel quod impleat proficientem atque perficiat, vel quod peccantem, id est aut ab initiis suis sese ad perfectionem attollere recusantem, aut jam ex profectu aliquo relabentem, justissima damnatione pro meritis ordinat. Non enim propterea malam creavit, quia nondum tanta est, quanta ut proficiendo esse posset accepit; cum ejus exordio perfectiones omnes corporum longe inferiores sint, quas tamen in suo genere laudabiles esse judicat, quisquis de rebus sanissime judicat. Quod ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit : sed hoc quoque accipiet, si hoc quod accepit, bene usa fuerit. Accepit autem ut pie et diligenter quærat, si volet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit, non continuo valet implere, hoc quoque nondum accepit : præcessit enim quædam pars ejus sublimior ad sentiendum quod recte faciat bonum : sed quædam tardior atque carnalis non consequenter in sententiam ducitur; ut ex ipsa difficultate admoneatur eumdem implorare adjutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sentit auctorem; ut ex hoc ei fiat charior, dum non suis viribus, sed cujus bonitate habet ut sit, ejus misericordia sublevatur ut beata sit. Quanto autem charior illi est a quo est, tanto in eo firmius acquiescit, et tanto uberius æternitate ejus perfruitur. Si enim arboris novellum et rude virgultum nullo modo recte sterile dicimus, quamvis aliquot æstates sine fructibus trajiciat, donec opportuno tempore expromat feracitatem suam; cur non auctor animæ debita pietate laudetur, si ei tale tribuit exordium, ut studendo ac proficiendo ad frugem sapientiæ justitiæque perveniat, tantumque illi præstitit dignitatis, ut in ejus etiam potestate poneret, si vellet ad beatitudinem tendere?

CAPUT XXIII. — *De parvulorum morte et cruciatibus corporis quibus affliguntur iniqua est imperitorum querela. Dolor quid sit.*

66. Huic autem disputationi objici ab imperitis solet quædam calumnia de mortibus parvulorum, et de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos sæpe videmus affligi. Dicunt enim : Quid opus erat ut nasceretur, qui antequam iniret ullum vitæ meritum, excessit e vita? aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur : ad universitatis complexum, et totius creaturæ vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem, non posse superfluo creari qualemcumque hominem, ubi folium arboris nullum superfluo creatur; sed sane superfluo quæri de meritis ejus qui nihil meruerit. Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium.

67. Quo loco etiam illud perscrutari homines solent, sacramentum baptismi Christi quid parvulis prosit, cum eo accepto plerumque moriuntur, priusquam ex eo quidquam cognoscere potuerint. Qua in re satis pie recteque creditur, prodesse parvulo eorum fidem a quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas, ut ex eo quisque sentiat quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quam utique mortuus non habebat; cui tamen profuit matris ut resurgeret? (*Luc.* VII, 12-15.) Quanto ergo potius fides aliena potest consulere parvulo, cui sua perfidia non potest imputari?

68. De cruciatibus autem corporis, quibus affliguntur parvuli, quorum per ætatem nulla peccata sunt, si animæ quibus animantur, non prius quam ipsi homines esse cœperunt, major querela et quasi misericors deponi solet, cum dicitur : Quid mali fecerunt ut ista paterentur? Quasi possit esse innocentiæ meritum, antequam quisque aliquid nocere possit. Cum autem boni aliquid operatur Deus in emendatione majorum, cum parvulorum suorum qui eis chari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur; cur ista non fiant, quando cum transierint, pro non factis erunt, in quibus facta sunt : propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati, rectius elegerint vivere; aut excusationem in futuri judicii supplicio non habebunt, si vitæ hujus angoribus ad æternam vitam desiderium convertere noluerint? Quis autem novit quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur; quis ergo novit quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus, qui quanquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt? Non enim frustra etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt (*Matth.* II, 16), in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia (*a*).

69. Quanquam isti calumniosi, et talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores, etiam de pecorum doloribus et laboribus solent minus eruditorum sollicitare fidem, cum dicunt : Quid etiam pecora vel meruerunt mali, ut tanta patiantur incommoda, vel sperant boni, quia tantis exercentur incommodis? Sed hæc dicunt vel sentiunt, quia iniquissime de rebus existimant, qui cum summum bonum quod et quantum sit aspicere nequeant, talia volunt esse omnia, quale putant esse summum bonum : præter enim summa corpora quæ cœlestia sunt, minusque corruptioni subjacent, summum bonum cogitare non possunt; ideoque inordi-

(*a*) Vid. Epist. 166, ad Hieron., n. 18.

natissime flagitant, ut nec mortem nec ullam corruptionem patiantur corpora bestiarum, quasi non sint mortalia, cum sint infima; aut ideo mala sint, quia sunt cœlestia meliora. Dolor autem quem bestiæ sentiunt, animarum etiam bestialium vim quamdam in suo genere mirabilem laudabilemque commendat. Hoc ipso enim satis apparet in regendis animandisque suis corporibus, quam sint appetentes unitatis. Quid est enim aliud dolor, nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens? Unde luce clarius appareret quam sit illa anima in sui corporis universitate avida unitatis et tenax, quæ nec libenter, nec indifferenter, sed potius renitenter et reluctanter intenditur in eam passionem corporis sui, qua ejus unitatem atque integritatem labefactari moleste accipit. Non ergo appareret quantus inferioribus creaturis animalibus esset appetitus unitatis, nisi dolore bestiarum. Quod si non appareret, minus quam opus esset admoneremur ab illa summa et sublimi et ineffabili unitate Creatoris esse omnia ista constituta.

70. Et revera si pie ac diligenter attendas, omnis creaturæ species et motus qui in animi humani considerationem cadit, eruditionem nostram loquitur, diversis motibus et affectionibus, quasi quadam varietate linguarum, undique clamans atque increpans cognoscendum esse Creatorem. Nulla enim res est earum quæ nec dolorem nec voluptatem sentiunt, quæ non aliqua unitate decus proprii generis assequatur, vel omnino naturæ suæ qualemcumque stabilitatem. Nulla item res est earum quæ vel doloris molestias, vel blanditias sentiunt voluptatis, quæ non eo ipso quo dolorem fugit, voluptatemque appetit, diremptionem se fugere, unitatemque appetere, fateatur. Inque ipsis rationalibus animis omnis appetitus cognitionis qua illa natura lætatur, et ad unitatem refert omne quod percipit, et in errore nihil fugit aliud quam incomprehensibili ambiguitate confundi. Omne autem ambiguum unde molestum est, nisi quia certam non habet unitatem? Ex quo apparet omnia, sive cum offendunt vel offenduntur, sive cum delectant vel delectantur, unitatem insinuare atque prædicare Creatoris. Si autem ignorantia et difficultas, a quibus istam vitam necesse est incipere, non sunt animis naturales; restat ut aut officio susceptæ sint, aut irrogatæ supplicio. De quibus jam satis esse arbitror disputatum.

CAPUT XXIV. — *Primus homo non insipiens creatus est, sed sapientiæ capax. Stultitia quid.*

71. Quapropter ipse primus homo qualis factus sit, magis quærendum est, quam quomodo ejus posteritas propagata sit. Multum enim sibi videntur acute proponere quæstionem qui dicunt : Si sapiens factus est primus homo, cur seductus est? si autem stultus factus est, quomodo non est Deus auctor vitiorum, cum sit stultitia maximum vitium? Quasi vero natura humana præter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem, quæ nec stultitia, nec sapientia dici possit. Tunc enim homo incipit aut stultus esse aut sapiens, ut alterum horum necessario appelletur, cum jam posset, nisi negligeret, habere sapientiam, ut vitiosæ stultitiæ sit voluntas rea. Non enim quisquam ita desipit, ut stultum appellet infantem, quamvis sit absurdior si velit appellare sapientem. Ut ergo infans nec stultus nec sapiens dici potest, quamvis jam homo sit; ex quo apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque stultitiam, neque sapientiam recte vocaveris : ita etiam si quisquam tali affectione animatus esset, qualem habent illi qui per negligentiam sapientia carent, nemo eum stultum recte diceret quem non vitio, sed natura talem videret. Est enim stultitia, rerum appetendarum et vitandarum non quælibet, sed vitiosa ignorantia. Unde neque animal irrationale stultum dicimus, quia non accepit ut sapiens esse posset. Appellamus tamen plerumque ex similitudine aliquid non proprie. Nam et cæcitas cum maximum vitium sit oculorum, non tamen in catulis nascentibus vitium est, nec proprie cæcitas dici potest.

72. Si ergo ita factus est homo, ut quamvis sapiens nondum esset, præceptum tamen posset accipere, cui utique obtemperare deberet; nec illud jam mirum est, quod seduci potuit ; nec illud injustum, quod præcepto non obtemperans pœnas luit; nec Creator ejus auctor vitiorum est, quia non habere sapientiam, nondum erat vitium hominis, si nondum ut habere posset, acceperat. Sed tamen habebat aliquid quo si bene uti vellet, ad id quod non habebat ascenderet. Aliud est enim esse rationalem, aliud esse sapientem. Ratione fit quisque præcepti capax, cui fidem debet, ut quod præcipitur, faciat. Sicut autem natura rationis præceptum capit, sic præcepti observatio sapientiam. Quod est autem natura ad capiendum præceptum, hoc est voluntas ad observandum. Et sicut rationalis natura tanquam meritum est præcepti accipiendi, sic præcepti observatio meritum est accipiendæ sapientiæ. Ex quo autem incipit homo præcepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus autem modis peccat antequam fiat sapiens; si aut se non accommodet ad accipiendum præceptum, aut cum acceperit non observet. Sapiens autem peccat, si se averterit a sapientia. Sicut enim præceptum non est ab illo cui præcipitur, sed ab illo qui præcipit; sic et sapientia non est ab illo qui illuminatur, sed ab illo qui illuminat. Quid ergo est unde non laudandus sit hominis Creator? Bonum est enim aliquod homo, et melius quam pecus, ex eo quod præcepti capax. Et hoc melius, cum præceptum jam cepit. Rursus, hoc melius, cum præcepto paruit. Et his omnibus melius, cum æterno lumine sapientiæ beatus est. Peccatum autem malum est in negligentia vel ad capiendum præceptum, vel ad observandum, vel ad custodiendam contemplationem sapientiæ. Ex quo intelligitur, etiamsi sapiens primus homo factus est [1], potuisse tamen seduci. Quod peccatum cum esset in libero arbitrio, justa, divina lege, pœna consecuta est [2]. Ita dicit etiam apostolus Paulus : *Dicen-*

[1] Lov., *factus esset*. Sed melius Bad. Er. et plerique Mss., *factus est* : ex iis Regius Codex post *seduci*, addit, *et peccare*. — Er., *factus est, potuit tamen*. Er. Guill. in margine fert, *factus esset*, ut Lov., et, *peccare*, pro, *seduci*. M.

[2] Plures Mss., *justam divina lege pœnam consecutum est*,

*tes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Superbia enim avertit a sapientia : aversionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe cæcitas quædam est, sicut idem dicit : *Et obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I, 22, 21). Unde autem hæc obscuratio, nisi ex aversione a lumine sapientiæ ? unde autem hæc aversio, nisi dum ille cui bonum est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus ? Itaque, *Ad meipsum*, inquit, *conturbata est anima mea* (*Psal.* XLI, 7) : et, *Gustate, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5).

73. Turbat autem considerantes, quod ita quærunt : Stultitiane primus homo recessit a Deo ? an recedendo stultus factus est ? Quia si responderis cum stultitia recessisse a sapientia, videbitur stultus fuisse antequam recederet a sapientia, ut stultitia illi causa esset recedendi. Item si responderis eum recedendo stultum esse factum, quærunt utrum stulte, an sapienter fecerit quod recessit. Si enim sapienter fecit, recte fecit, nihilque peccavit : si stulte, jam erat, inquiunt, in eo stultitia, qua factum est ut recederet. Non enim stulte aliquid sine stultitia facere poterat. Ex quo apparet esse quiddam medium, quo ad stultitiam a sapientia transitur, quod neque stulte, neque sapienter factum dici potest, quod ab hominibus in hac vita constitutis non nisi ex contrario datur intelligi. Sicut enim nullus mortalium fit sapiens, nisi ab stultitia in sapientiam transeat ; ipse autem transitus si stulte fit, non utique bene fit, quod dementissimum est dicere ; si autem sapienter fit, jam erat sapientia in homine antequam transisset ad sapientiam, quod nihilominus absurdum est ; ex quo intelligitur esse medium, quod neutrum dici possit : ita et ex arce sapientiæ, ut ad stultitiam primus homo transiret, nec stultus, nec sapiens transitus ille fuit. Velut in somno et vigiliis, neque id est dormire quod obdormiscere, neque id est vigilare quod expergisci, sed transitus quidam ex altero in alterum. Verum hoc interest, quod sine voluntate plerumque ista fiunt ; illa autem nunquam nisi per voluntatem ; unde justissimæ retributiones consequuntur.

CAPUT XXV. — *Quibus visis tangitur rationalis natura cum intentionem ad malum convertit.*

74. Sed quia voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum ; quid autem quisque vel sumat vel respuat, est in potestate, sed quo viso tangatur, nulla potestas est : fatendum est et ex superioribus et ex inferioribus visis animum tangi ut rationalis substantia ex utroque sumat quod voluerit, et ex merito sumendi vel miseria vel beatitas subsequatur. Velut in paradiso visum ex superioribus, præceptum Dei ; visum ex inferioribus, suggestio serpentis. Nam neque quid sibi præciperetur a Domino, neque quid a serpente suggereretur, fuit in hominis potestate. Quam sit autem liberum et ab omnibus difficultatis vinculis expeditum, in ipsa sapientiæ sanitate constituto, non cedere visis inferioris illecebræ, vel hinc intelligi potest, quod etiam stulti ea superant ad sapientiam transituri, etiam cum molestia carendi perniciosarum consuetudinum pestilentiosa dulcedine.

75. Quæri autem hoc loco potest, si homini præsto fuerunt ex utraque parte visa, unum ex præcepto Dei, alterum ex suggestione serpentis ; unde ipsi diabolo suggestum sit appetendæ impietatis consilium, quo de sublimibus sedibus laberetur. Si enim nullo viso tangeretur, non eligeret facere quod fecit : nam si non ei aliquid venisset in mentem, nullo modo intentionem convertisset in nefas. Unde igitur venit in mentem, quidquid illud est quod venit in mentem, ut ea moliretur quibus ex bono angelo diabolus fieret ? Qui enim vult, profecto aliquid vult : quod nisi aut extrinsecus per sensum corporis admoneatur, aut occultis modis in mentem veniat, velle non potest. Discernenda igitur sunt genera visorum, quorum unum est quod proficiscitur a voluntate suadentis, quale illud est diaboli, cui homo consentiendo peccavit ; alterum a subjacentibus rebus vel intentioni animi, vel sensibus corporis. Intentioni animi subjacet, excepta incommutabilitate Trinitatis, quæ quidem non subjacet, sed eminet potius ; subjacet ergo intentioni animi prius ipse animus, unde nos etiam vivere sentimus : deinde corpus quod administrat ; unde ad quodlibet operandum, membrum quod opus est, cum opus est movet. Subjacent autem sensibus corporis quæcumque corporea.

76. Ut autem in contemplatione summæ sapientiæ (quæ utique animus non est ; nam incommutabilis est), etiam seipsum, qui est commutabilis, animus intueatur, et sibi ipse quodammodo veniat in mentem, non fit nisi differentia qua non est quod Deus, et tamen aliquid est quod possit placere post Deum. Melior est autem cum obliviscitur sui præ charitate incommutabilis Dei, vel seipsum penitus in illius comparatione contemnit. Si autem tanquam obvius placet sibi ad perverse imitandum Deum, ut potestate sua frui velit, tanto fit minor, quanto se cupit esse majorem. Et hoc est, *Initium omnis peccati superbia ;* et, *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo* (*Eccli.* x, 15, 14). Superbiæ autem diaboli accessit malevolentissima invidia, ut hanc superbiam homini persuaderet, per quam sentiebat se esse damnatum. Unde factum est ut pœna hominem susciperet emendatoria potius quam interfectoria, ut cui se diabolus ad imitationem superbiæ præbuerat, ei se Dominus ad imitationem humilitatis præberet, per quem nobis æterna vita promittitur : ut prærogato nobis Christi sanguine, post labores miseriasque ineffabiles tanta charitate liberatori nostro adhæreamus, et tanta ejus in eum claritate rapiamur, ut nulla nos visa ex inferioribus a conspectu superiore detorqueant ; quanquam et si aliquid huic intentioni nostræ suggereretur ab appetitu inferiorum, sempiterna nos diaboli damnatio cruciatusque revocarent.

77. Tanta est autem pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atque sapientiæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte merito-

que contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est : *Quoniam melior est dies unus in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII, 11). Quanquam et alio sensu possit intelligi, ut millia dierum in temporis mutabilitate intelligantur; unius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocetur. Nescio me aliquid prætermisisse quod ex nostra responsione, quantum Dominus præbere dignatus est, tuis interrogationibus desit : quanquam et si tibi aliquid occurrit, modus libri nos jam finem facere, et ab hac disputatione requiescere aliquando compellit.

# ADMONITIO

## DE DUOBUS SEQUENTIBUS LIBRIS (1).

Subsequuntur de Moribus Catholicæ Ecclesiæ et de Moribus Manichæorum libri duo, quos tametsi Augustinus in libro primo Retractationum, cæteris Romæ a se paulo post baptismum suum elaboratis præmittat, hoc tamen ordine editos fuisse nonnemo fortasse refragetur : primum quia in libri primi exordio commemorat se in aliis libris satis egisse quemadmodum impiis imperitisque Manichæorum adversus Vetus Testamentum invectionibus occurrere liceret. Huc vero spectat præmissum opus de Genesi contra Manichæos, quod videlicet opus apertissime contra eosdem hæreticos ab ipso primum editum fuit post ejus reditum in Africam, uti in libro primo Retractationum, capite decimo significat : deinde sub finem libri secundi sic ipse loquitur, videri ut possit ab Romana urbe jam tum abfuisse; denique in ejusdem libri capite duodecimo quidpiam a se nuper apud Carthaginem auditum refert. Verum hæc non efficient ut dubia sit fides Augustini dicentis se jam baptizatum, cum Romæ esset, sequentes libros scripsisse, adeoque sub finem anni Christi 387, quo ad illam urbem se recepit, aut certe initio anni insequentis, cujus magnam partem ibi est commoratus. Ista vero hoc pacto conciliari possunt, ut eorum librorum scriptio Romæ facta dicatur, publicatio vel perfectio in aliquod tempus dilata. Quidquid ea de re sit, ad horum librorum intelligentiam juvabit Manichæorum errores ex præmissis didicisse.

In libro primo de Moribus Catholicæ Ecclesiæ dicturus Augustinus, statuit summum bonum, quo mores nostros referri oportet, non aliud esse præter Deum. Ad ipsum porro summo amore contendendum esse, uti in catholica Ecclesia Testamenti Veteris æque ac Novi auctoritate docetur. Perstringit deinde officia charitatis in proximum : ac postremo refert exempla continentiæ et morum vere christianorum, quæ in catholicæ Ecclesiæ alumnis eluxerunt.

In secundo quem de Manichæorum Moribus inscripsit, refellit in primis horum hæreticorum errorem de mali origine et natura. Tum excutit tria illa oris, manuum, et sinus, ut appellabant signacula, quibus impios mores suos obvelabant. Superstitiosam eorumdem abstinentiam redarguit. Tandemque deprehensa quædam in iis flagitia commemorat.

*Vide librum* 1, *cap.* 7, Retractationum, *col.* 591, *a verbis*, Jam baptizatus, *n.* 1, *usque ad col.* 594, *n.* 6, *verbis*, Opinor egisse nos. M.

(1) Ante hosce duos libros veniunt in editione Benedictina libri duo de Genesi contra Manichæos, quos in tomum 3, ubi de Scriptura agitur, transferendos duximus. M.

# S. AURELII AUGUSTINI
## HIPPONENSIS EPISCOPI
# DE MORIBUS ECCLESIÆ
## CATHOLICÆ
## ET DE MORIBUS MANICHÆORUM
## LIBRI DUO (a).

## *LIBER PRIMUS.*
### DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ.

Principio constituit Augustinus mores illos quibus in Ecclesia sancte vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est Deum, referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis charitatis erga proximum; ac refert demum exempla continentiæ et morum vere christianorum, quæ in Ecclesiæ catholicæ alumnis eluxerunt.

CAPUT PRIMUM. — *Quomodo detecturus sit fucos Manichæorum. Duo quibus fallunt Manichæi.*

1. In aliis libris satis opinor egisse nos quemadmodum Manichæorum invectionibus, quibus in Legem, quod Vetus Testamentum vocatur, imperite atque impie feruntur, seseque inter imperitorum plausus, inani jactatione ventilant, possimus occurrere : quod breviter etiam hic commemorari a me potest. Quis

(a) Scripti versus initium anni Christi 388, vulgati forte anno 389.

enim mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur; fierique posse, imo id semper accidere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ cum a doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, et eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur? Hoc fere in sanctis Veteris Testamenti libris evenit, si modo ille qui eis offenditur, doctorem potius eorum pium, quam impium laceratorem requirat, priusque studio quærentis, quam temeritate reprehendentis imbuatur. Nec, si ea discere cupiens, in aliquos forte inciderit vel episcopos vel presbyteros, vel cujuscemodi Ecclesiæ catholicæ antistites et ministros, qui aut passim caveant nudare mysteria, aut contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint, desperet ibi scientiam esse veritatis, ubi neque omnes a quibus quæritur docere possunt, neque omnes qui quærunt discere digni sunt. Et diligentia igitur et pietas adhibenda est: altero fiet ut scientes inveniamus; altero, ut scire mereamur.

2. Sed quoniam duæ maxime sunt illecebræ Manichæorum, quibus decipiuntur incauti, ut eos velint habere doctores; una, cum Scripturas reprehendunt, vel quas male intelligunt vel quas male intelligi volunt; altera, cum vitæ castæ et memorabilis continentiæ imaginem præferunt: hic liber congruentem catholicæ disciplinæ sententiam nostram de vita et moribus continebit, in quo fortasse intelligetur et quam sit facile simulare, et quam difficile habere virtutem. Eum sane modum tenebo, si potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quam illi in ea quæ ignorant; sanari enim eos potius, si fieri potest, quam oppugnari volo. Et ea de Scripturis assumam testimonia, quibus eos necesse sit credere, de Novo scilicet Testamento, de quo tamen nihil proferam eorum quæ solent immissa esse dicere, cum magnis angustiis coarctantur; sed ea dicam, quæ et approbare et laudare coguntur. Nec omnino ullam relinquam testem sententiam productam de apostolica disciplina, cui non de Veteri Testamento similem comparem; ut si evigilare tandem, deposita pertinacia somniorum suorum, et in christianæ fidei lucem aspirare voluerint, animadvertant et quam non sit christiana vita quam ostentant, et quam sit Christi Scriptura quam lacerant.

## CAPUT II. — *Rationibus prius agit, obsequens vitiosæ Manichæorum consuetudini.*

3. Unde igitur exordiar? ab auctoritate, an a ratione? Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas. Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis aspectum idoneum intendere nequeunt; saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt, et loquuntur, et gerunt, nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam, morem illis geram; quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam. Delectat enim me imitari, quantum valeo, mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est.

CAPUT III. — *Beatus qui eo fruitur quod hominis optimum est. Hominis optimum quid. Duæ conditiones summi boni: 1ª ut nihil eo melius sit; 2ª ut tale sit, quod non amittat invitus.*

4. Ratione igitur quæramus quemadmodum sit homini vivendum. Beate certe omnes vivere volumus; neque quisquam est in hominum genere, qui non huic sententiæ, antequam plene sit emissa, consentiat. Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiamsi optimum sit. Nam et qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur; et qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur; et qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria; nec miseria et beatitudo in homine uno simul habitare consueverunt: nullus igitur illorum beatus est. Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat; cum id quod est hominis optimum, et amatur, et habetur. Quid enim est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? Neque quisquam beatus est, qui non fruitur eo quod est hominis optimum; nec quisquam, qui eo fruitur, non est beatus. Præsto ergo esse nobis debet optimum nostrum, si beate vivere cogitamus.

5. Sequitur ut quæramus quid sit hominis optimum, quod profecto deterius esse quam ipse homo non potest. Quisquis enim quod seipso est deterius, sequitur, fit et ipse deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum est sequi. Non est igitur homine deterius hominis optimum. Fortasse tale aliquid erit, quale ipse homo est? Ita sit sane, si nihil est homine melius, quo perfrui possit. Si autem invenimus aliquid quod et homine sit excellentius, et præsto esse amanti sese homini possit; quis dubitaverit homini ad id nitendum esse ut beatus sit, quod eo ipso qui nititur, manifestum est esse præstantius? Nam si id est beatum esse, ad tale bonum pervenisse quo amplius non potest, id est autem quod dicimus optimum; quo tandem pacto potest in ea definitione includi, qui ad summum bonum suum nondum pervenerit? aut quomodo summum est, si est aliquid melius quo pervenire possimus? Hoc igitur si est, tale esse debet quod non amittat invitus. Quippe nemo potest confidere de tali bono, quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere id amplectique voluerit. Quisquis autem de bono quo fruitur non confidit, in tanto timore amittendi beatus esse qui potest?

CAPUT IV. — *Homo quid.*

6. Quæramus igitur quid sit homine melius. Quod profecto invenire difficile est, nisi prius considerato atque discusso quid sit ipse homo. Nec nunc definitionem hominis a me postulandam puto. Illud est magis quod mihi hoc loco quærendum videtur, cum inter omnes pene constet, aut certe, id quod satis est, inter me atque illos cum quibus nunc agitur hoc conveniat, ex anima et corpore nos esse compositos, quid est ipse homo, utrumque horum quæ nominavi, an corpus tantummodo, an tantummodo anima. Quanquam enim duo sint, anima et corpus, et neutrum vocaretur homo, si non esset alterum (nam neque corpus homo esset, si anima non esset; nec rursus anima homo, si ea corpus non animaretur); fieri tamen potest ut unum horum et habeatur homo et vocetur. Quid ergo hominem dicimus? animam et corpus, tanquam bigas vel centaurum? an corpus tantum, quod sit in usu animæ se regentis; tanquam lucernam, non ignem simul et testam, sed testam solam, tamen propter ignem appellamus? an nihil aliud hominem quam animam dicimus, sed propter corpus quod regit, veluti equitem non simul equum et hominem, sed hominem solum, ex eo tamen quod regendo equo sit accommodatus, vocamus? Difficile est istam controversiam dijudicare; aut si ratione facile, oratione longum est: quem laborem ac moram suscipere ac subire non opus est. Sive enim utrumque, sive anima sola nomen hominis teneat, non est hominis optimum quod optimum est corporis; sed quod aut corpori simul et animæ, aut soli animæ optimum est, id est optimum hominis.

CAPUT V. — *Hominis optimum non quod solius corporis, sed quod animæ optimum est.*

7. Corporis autem si quærimus quid optimum sit, id certa ratio cogit fateri, per quod fit ut sese corpus quam optime habeat. Nihil est autem omnium quæ vegetant corpus, anima melius atque præstantius. Est ergo summum corporis bonum, non voluptas ejus, non indoloria, non vires, non pulchritudo, non velocitas, et si quid aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam et ista quæ commemorata sunt, præsentia sui exhibet corpori, et quod antecellit omnibus, vitam. Quamobrem non videtur mihi anima esse summum hominis bonum, sive animam simul et corpus, sive animam solam hominem dicimus. Ut enim corporis summum bonum id invenit ratio, quod est corpore melius, et quo ei vigor et vita præbetur: ita sive corpus et anima, sive anima ipsa per se homo sit, inveniendum est, si quid animam præcedit ipsam, quod cum anima sequitur, fit in suo genere quam potest optima. Quod si reperire potuerimus, id erit profecto quod ambagibus remotis omnibus, summum hominis bonum jure meritoque nominandum est.

8. Aut si corpus est homo, quin hominis optimum anima ipsa sit, recusare non possum. Sed certe cum de moribus agitur, cum quærimus quinam vitæ modus tenendus sit ut beatitudinem possimus adipisci, non corpori præcepta dantur, non corporis investiganda est disciplina. Postremo bonos mores ea nostra pars actura est, quæ inquirit, et discit; et hæc animæ sunt propria: non igitur de corpore, cum de virtute obtinenda satagimus, quæstio est. Quod si est consequens, sicuti est, ut ipsum corpus cum ab anima regitur, quæ virtutis compos est, multo et melius regatur et honestius, eoque optime sese habeat, quo est optima illa, quæ sibi justa lege dominatur: id erit hominis optimum quod animam optimam facit, etiamsi hominem corpus vocemus. An vero, si mihi auriga obtemperans, equos, quibus præest, alit [1] ac regit commodissime, atque ipse quo mihi est obedientior, mea liberalitate perfruitur, negare quisquam potest non solum quod auriga, verum etiam quod equi sese optime habent, mihi deberi? Itaque sive tantum corpus, sive tantum anima, sive utrumque homo sit, non mihi maxime quærendum videtur, nisi quid animam faciat optimam: nam eo percepto, non potest homo non aut optime, aut certe multo melius sese habere, quam si hoc unum defuisset.

CAPUT VI. — *Virtus animam optimam efficit; virtutem anima comparat sequendo Deum; Dei autem consecutio vita beata.*

9. Nemo autem dubitaverit quin virtus animam faciat optimam. Sed rectissime quæri potest utrum ista virtus etiam per sese, an nisi in anima esse non possit. Oboritur iterum altissima et longissimi sermonis indigens quæstio: sed hoc bene utar fortasse compendio; spero Deum adfuturum, ut quantum imbecillitas nostra patitur, de tantis rebus non modo dilucide, sed etiam breviter doceamus. Quodlibet enim eorum sit, sive etiam per sese esse possit virtus sine anima, sive nisi animæ inesse non possit, procul dubio aliquid anima sequitur ut virtutem assequatur: id erit aut ipsa anima, aut virtus, aut aliquid tertium. At si seipsam sequitur ut virtutem adipiscatur, stultum nescio quid sequitur: stulta est enim ante adeptam virtutem. Summa sunt autem vota sequentium, ut id quod quisque sequitur, assequatur. Aut igitur optabit non assequi quod sequitur anima, quo nihil absurdius et perversius dici potest: aut cum se sequitur stulta, eamdem stultitiam quam vitat assequitur. Si autem virtutem sequitur, hanc assequi cupiens, quomodo sequitur id quod non est? aut quomodo assequi cupit quod habet? Aut igitur virtus est præter animam; aut si non placet vocare virtutem, nisi habitum ipsum et quasi sapientis animæ qualitatem, quæ nisi in anima esse non potest, oportet ut aliquid aliud se-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Recognitus est (liber de Moribus Ecclesiæ Catholicæ) ad Mss. Vaticanum, Regium, Sorbonicos tres, Navarricos duos, Victorinos totidem, e majori conventu Augustinianorum Paris. unum, ad Theodericensem optimæ notæ, ad Gemmeticensem, Arnulfensem, Cisterciensem, Regio-Montensem, Vedastinum; ad lectiones Belgicorum quinque a Lov. vulgatas; ad editiones Bad. Er. Lov. et ad recentiorem Arnaldi.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] Editi: *Equos, quibus præest, agit ac regit.* Duodecim Mss., *alit.*

quatur anima, ut ei virtus possit innasci : quia neque nihil sequendo, neque stultitiam sequendo potest, quantum ratio mea fert, ad sapientiam pervenire.

10. Hoc igitur aliud, quod sequendo anima virtutis atque sapientiæ compos fit, aut homo sapiens est, aut Deus. Sed supra dictum est, tale quiddam esse debere quod inviti amittere nequeamus. Quis vero cunctandum putet, hominem sapientem, si eum sequi satis putaverimus, auferri nobis non modo recusantibus, sed etiam repugnantibus posse? Deus igitur restat quem si sequimur, bene ; si assequimur, non tantum bene, sed etiam beate vivimus. Quem si qui esse negant, quid ego cogitem quo illis sermone suadendum sit, cum quibus utrum omnino sermocinandum sit, nescio? Quod tamen si videbitur, longe aliud principium, alia ratio, alius ingressus ineundus est, quam impræsentiarum suscepimus. Nunc itaque cum illis mihi res est, qui Deum esse non negant : neque id tantum, sed etiam non ab eo negligi res humanas fatentur. Nullum enim arbitror aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris divina providentia consuli existimet.

CAPUT VII. — *Deus auctoritate Scripturarum vestigandus. Œconomiæ divinæ erga nostram salutem ratio et præcipua mysteria. Summa fidei.*

11. Sed quo pacto sequimur quem non videmus ; aut quomodo videmus, qui non solum homines, sed etiam insipientes homines sumus? Quanquam enim non oculis, sed mente cernatur, quæ tandem mens idonea reperiri potest, quæ cum stultitiæ nube obtegatur, valeat illam lucem vel etiam conetur haurire? Confugiendum est igitur ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est. Hactenus potuit ratio perduci. Versabatur namque, non veritate certior, sed consuetudine securior, in rebus humanis. At ubi ad divina perventum est, avertit sese : intueri non potest, palpitat, æstuat, inhiat amore, reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem, ubi quietem fessa conquirit. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis Sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum, vocibusque librorum veluti signis temperatioribus veritatis, umbrisque blandiatur.

12. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? Quid beneficentius, quid liberalius divina providentia dici potest, quæ a legibus suis hominem lapsum, et propter cupiditatem rerum mortalium jure ac merito mortalem sobolem propagantem, non omnino deseruit? Habet enim potestas illa justissima, miris et incomprehensibilibus modis, per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium quas creavit, et severitatem vindicandi, et clementiam liberandi. Quod quidem quam sit pulchrum, quam magnum, quam Deo dignum, quam postremo id quod quæritur verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis et proximis incipientes, veræ religionis fide, præceptisque servatis, non deseruerimus viam quam nobi Deus, et Patriarcharum segregatione, et Legis vinculo, et Prophetarum præsagio, et suscepti Hominis sacramento, et Apostolorum testimonio, et Martyrum sanguine, et Gentium occupatione munivit. Quare deinceps nemo ex me quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas divinis submittamus affatibus.

CAPUT VIII. — *Deus summum bonum, quo summo amore tendere jubemur.*

13. Videamus quemadmodum ipse Dominus in Evangelio nobis præceperit esse vivendum ; quomodo etiam Paulus apostolus : has enim Scripturas illi condemnare non audent. Audiamus ergo quem finem bonorum nobis, Christe, præscribas; nec dubium est quin is erit finis, quo nos summo amore tendere jubes : *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Dic mihi etiam, quæso te, qui sit diligendi modus : vereor enim ne plus minusve quam oportet, inflammer desiderio et amore Domini mei. *Ex toto*, inquit, *corde tuo*. Non est satis. *Ex tota anima tua*. Ne id quidem satis est. *Ex tota mente tua* (*Matth.* XXII, 37). Quid vis amplius? Vellem fortasse, si viderem quid posset esse amplius Quid ad hæc Paulus? *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia procedunt* (*a*) *in bonum*. Dicat etiam ipse dilectionis modum. *Quis ergo*, inquit, *nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* (*Rom.* VIII, 28). Audivimus quid diligere, et quantum diligere debeamus : eo est omnino tendendum, ad id omnia consilia nostra referenda. Bonorum summa, Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum. Neque infra remanendum nobis est, neque ultra quærendum : alterum enim periculosum, alterum nullum est.

CAPUT IX. — *Concentus Veteris et Novi Testamenti de præceptis charitatis.*

14. Age, nunc investigemus, vel potius attendamus, præsto enim est et facillime videtur, utrum his sententiis ex Evangelio atque Apostolo prolatis, etiam Testamenti Veteris auctoritas congruat. Quid dicam de superiore sententia, cum manifestum sit omnibus, eam de lege quæ per Moysen data est, esse depromptam? Ibi enim scriptum est, *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Deut.* VI, 5). Quid autem illi quod ab Apostolo dictum est, comparare de Veteri Testamento possim, ne diutius quærerem ipse subjecit. Cum enim dixisset nulla tribulatione, nulla angustia, nulla persecutione, nulla necessitate inopiæ corporalis, nullo periculo, nullo gladio nos a charitate Christi separari ; statim subjunxit : *Sicut scriptum est, Quia propter te afficimur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Rom.* VIII, 38 ; *Psal.* XLIII, 22). Hæc illisolent a corruptoribus Scripturarum immissa esse dicere, usque adeo nihil habent quod contradicant, ut hæc miseri respondere cogantur. Sed quis non intelligat convictorum hominum aliam non esse potuisse ultimam vocem?

(*a*) Pro *sunergei*, legisse videtur *sunchorei*.

15. A quibus tamen quæro, utrum istam sententiam in Veteri Testamento esse negent, an non congruere sententiæ apostolicæ affirment? At illud primum libris docebo : in hoc autem altero tergiversantes homines, et per abrupta fugientes, aut in pacem revocabo, si voluerint respicere aliquantum, et considerare quid dictum sit; aut eos intelligentia cæterorum, qui sine cupiditate judicant, insectabor. Quid enim potest amicius quam istæ sibi consonare sententiæ? Nam tribulatio, angustia, persecutio, fames, nuditas, periculum, hominem in hac vita constitutum graviter afficiunt. Hæc itaque omnia verba illo uno concludentur testimonio veteris Legis, quo dictum est, *Propter te afficimur*. Gladius restabat, qui non ærumnosam vitam affert, sed quam invenerit adimit. Huic ergo respondet, *Æstimati sumus ut oves occisionis*. Charitas vero ipsa non potuit significari expressius, quam quo dictum est, *Propter te*. Fac ergo non in Paulo apostolo compertum istud testimonium, sed a me esse prolatum. Numquidnam tibi demonstrandum est, hæretice, nisi aut scriptum in vetere Lege non esse, aut Apostolo non convenire? Quorum si nihil dicere audes (urgeris enim cum et codex legitur, quo planum sit scriptum esse, et homines intelligunt ad id quod Apostolus dixit, nihil posse aptius convenire), cur ergo valere aliquid putas, quod Scripturas corruptas esse insimulare audes? Postremo quid responsurus es ei qui tibi dicat : Ego sic intelligo, Ego sic accipio, sic credo; nec ob aliud lego illos Libros, nisi quod ibi omnia christianæ fidei concinere video. Illud potius dic, si audes et adversus me dicere cogitas, non esse credendum quod Apostoli et martyres propter Christum affecti gravibus ærumnis dicuntur, quod a persecutoribus ut oves occisionis æstimati sunt. Quod si non potes dicere, quid calumniaris in quo libro inveniam [1], quod me oportere credere confiteris (*a*)?

CAPUT X. — *De Deo quid doceat Ecclesia. Duo dii Manichæorum.*

16. An illud dicis, concedere te quidem Deum esse diligendum, sed non illum Deum quem colunt ii qui Testamenti Veteris auctoritatem recipiunt? Non ergo illum Deum colendum esse dicitis, qui fecit cœlum et terram. Iste namque per omnes partes illorum voluminum prædicatur : vos autem fatemini universum istum mundum, qui nomine cœli et terræ significatur, habere auctorem et fabricatorem Deum, et Deum bonum. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis. Quod si dicitis colere vos et colendum arbitrari Deum a quo factus est mundus, non tamen eum esse quem Veteris Testamenti commendat auctoritas; impudenter facitis, qui alienum animum atque sententiam quam bene atque utiliter acceperimus, male interpretari conamini, frustra omnino. Neque enim vestræ stultæ atque impiæ disputationes ullo modo cum piorum doctissimorumque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia catholica Scripturæ illæ volentibus dignisque aperiuntur, comparari queunt. Longe prorsus aliter quam putatis Lex et Prophetæ intelliguntur a nobis. Desinite errare; non colimus pœnitentem Deum, non invidum, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia et scelera placeant, non possessionem suam terræ quadam particula terminantem. In has enim atque hujusmodi nugas graviter copioseque invehi soletis. Quare nos invectio vestra non tangit; sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione pervellitis. Qua quisquis movetur et ad vos transit, non Ecclesiæ nostræ damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat.

17. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potius diligenter et pie quomodo illa dicantur. Quærite, miseri : nam talem fidem, qua Deo inconveniens aliquid creditur, nos vehementius et uberius accusamus; nam et in illis quæ dicta sunt, cum sic intelliguntur ut littera sonat, et simplicitatem corrigimus, et pertinaciam deridemus. Et alia multa, quæ vos intelligere non potestis, vetat eos credere catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quamdam mentis pueritiam, in canos sapientiæ promoventur. Nam et credere Deum loco aliquo quamvis infinito, per quantitatis quæcumque spatia contineri, quam sit stultum docetur : et de loco in locum, vel ipsum, vel aliquam ejus partem moveri atque transire, arbitrari nefas habetur. Jam vero aliquid ejus substantiæ atque naturæ commutationem vel conversionem quolibet modo pati posse si quis opinetur, miræ dementiæ impietatisque damnabitur : ita fit ut apud nos inveniantur pueri quidam, qui humana forma Deum cogitent, atque ita se habere suspicentur; qua opinione nihil est abjectius : sed inveniantur item multi senes, qui ejus majestatem, non solum super humanum corpus, sed etiam super ipsam mentem manere inviolabilem atque incommutabilem, eadem ipsa mente conspiciant. Quas ætates, non tempore, sed virtute atque prudentia discernendas esse jam dictum est. Apud vos autem nemo quidem reperitur qui Dei substantiam humani corporis figuratione describat : sed rursus, nemo qui ab humani erroris labe sejungat [1]. Itaque illi quos quasi vagientes Ecclesiæ catholicæ ubera sustentant, si ab hæreticis non fuerint deprædati [2], pro suo quisque captu viribusque nutriuntur, perducunturque alius sic, alius autem sic, primum in virum perfectum; deinde ad maturitatem canitiemque sapientiæ perveniunt, ut eis quantum volunt, vivere ac beatissime vivere liceat.

[1] Mss. plures, *in quo libro credam;* et nonnulli, *in quo libro scriptum credam.*

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 2.

[1] Lov., *qui se ab humani erroris labe sejungat.* At abest *se* a Mss. et a cæteris editionibus debetque abesse; quia ibi Manichæis exprobrat Augustinus quod Deum ab humani quidem corporis configuratione liberum esse velint, non tamen ab humani erroris labe : quippe cum animam humanam, quæ utique errori obnoxia est, partem ipsius Dei esse dogmatizent. Quod argumentum urget in libro secundo de Genesi contra Manichæos, cap. 8, n. 11.

[2] Vaticanus codex habet, *depravati.*

CAPUT XI.—*Deus unice diligendus; ideoque summum hominis bonum. Deo nil melius; Deum nemo amittit invitus : quæ sunt duæ conditiones summi boni, supradictæ, cap.* 3.

18. Secutio igitur Dei, beatitatis appetitus est : consecutio autem, ipsa beatitas. At eum sequimur diligendo, consequimur vero, non cum hoc omnino efficimur quod est ipse, sed ei proximi, eumque mirifico et intelligibili modo contingentes, ejusque veritate et sanctitate penitus illustrati atque comprehensi. Ille namque ipsum lumen est; nobis autem ab eodem illuminari licet. *Maximum* ergo quod ad beatam vitam ducit, *primumque mandatum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et anima et mente. Diligentibus* enim *Deum omnia procedunt in bonum.* Quamobrem paulo post idem Paulus : *Certus sum*, inquit, *quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtus, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 28, 38, 39). Si igitur diligentibus Deum omnia procedunt in bonum; et summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius diligere debeamus; idque significatur et exprimitur quod dictum est, *Ex tota anima, et ex toto corde, et ex tota mente :* quis, quæso, dubitaverit, his omnibus constitutis, et firmissime creditis, nihil nobis aliud esse optimum, ad quod adipiscendum postpositis cæteris festinare oporteat, quam Deum? Item si nulla res ab ejus charitate nos separat, quid esse non solum melius, sed etiam certius hoc bono potest?

19. Sed singula breviter attendamus. Nemo nos inde separat, minando mortem. Id ipsum enim quo diligimus Deum [1], mori non potest, nisi dum non diligit Deum; cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud quam ei quidquam in diligendo atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam : nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat angelus : non enim est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus : nam si virtus hic illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo. Sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est : si in alio est, favet ut conjungamur Deo; si in nobis est, ipsa conjungit. Non separant instantes molestiæ : hoc enim leviores eas sentimus, quo ei unde nos separare moliuntur, arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum : nam et quidquid boni futurum est, certius promittit Deus; et nihil est ipso Deo melius, qui jam profecto bene sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo neque profundum : etenim si hæc verba scientiæ forte altitudinem vel profundum significant, non ero curiosus, ne sejungar a Deo; nec cujusquam doctrina me ab eo separat, ut quasi depellat errorem, a quo nemo prorsus nisi separatus erraret. Si vero altitudine et profundo superna et inferna hujus mundi significantur, quis mihi cœlum polliceatur, ut a cœli fabricatore sejungar? Aut quis terreat infernus, ut Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremo, quis me locus ab ejus charitate divellet, qui non ubique totus esset, si ullo contineretur loco?

CAPUT XII. — *Charitate Deo connectimur, dum illi subjicimur.*

20. *Non*, inquit, separat *alia creatura*. O altissimorum mysteriorum virum! Non fuit contentus dicere, *creatura;* sed, *alia*, inquit, *creatura*, admonens etiam idipsum quo diligimus Deum, et quo inhæremus Deo, id est animum atque mentem creaturam esse. Alia ergo creatura corpus est : et si animus res quædam est intelligibilis, id est quæ tantum intelligendo innotescit, alia creatura est omne sensibile, id est quod per oculos, vel aures, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, quasi quamdam notitiam sui præbet; atque id deterius sit necesse est, quam quod intelligentia sola capitur. Ergo cum etiam Deus dignis animis notus non nisi per intelligentiam possit esse, cum tamen sit ipsa qua intelligitur mente præstantior; quippe qui creator ejus atque auctor est; verendum erat ne animus humanus, eo quod inter invisibilia et intelligibilia numeratur, ejusdem se naturæ arbitraretur esse, cujus est ipse qui creavit; et sic ab eo superbia decideret, cui charitate jungendus est. Fit enim Deo similis quantum datum est, dum illustrandum illi atque illuminandum se subjicit. Et si maxime ei propinquat subjectione ista qua similis fit, longe ab eo fiat necesse est audacia qua vult esse similior. Ipsa est qua [1] legibus Dei obtemperare detrectat, dum suæ potestatis esse cupit ut Deus est.

21. Quanto ergo magis longe discedit a Deo, non loco, sed affectione atque cupiditate ad inferiora quam est ipse, tanto magis stultitia miseriaque completur. Dilectione igitur redit in Deum, qua se illi non componere, sed supponere affectat. Quod quanto fecerit instantius ac studiosius, tanto erit beatior atque sublimior, et illo solo dominante liberrimus. Quamobrem nosse debet se esse creaturam. Debet enim creatorem suum credere sicuti est, inviolabili et incommutabili semper manere natura veritatis atque sapientiæ : in se autem cadere posse stultitiam atque fallaciam, vel propter errores quibus exui desiderat, confiteri. Sed rursus cavere debet, ne ab ipsius Dei charitate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est hujus sensibilis mundi amore separetur. Non igitur separat nos alia creatura, siquidem et nos ipsi creatura sumus, a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT XIII. — *Per Christum et ejus Spiritum jungimur inseparabiliter Deo.*

22. Dicat nobis idem Paulus, quis iste sit Christus Jesus Dominus noster : *Vocatis*, inquit, *prædicamus*

[1] Bad. Er. Lov. et aliquot Mss., *idipsum enim quod diligimus*, etc. Sed verius editio Arn. et Mss. quatuor, *idipsum enim quo*, scilicet animus, ut liquet ex hujus locutionis interpretatione in capite sequenti.

[1] Er. Lov. et Arn.: *Ipsa est quæ*. At Mss. et Bad. habent *qua*, et melius : explicatur nimirum quæ illa sit audacia, qua vult animus esse Dei similior.

*Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 23, 24). Quid? ipse Christus nonne inquit, *Ego sum Veritas?* Si ergo quærimus quid sit bene vivere, id est ad beatitudinem bene vivendo tendere, id erit profecto amare Virtutem, amare Sapientiam, amare Veritatem, et amare ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; Virtutem quæ inviolabilis et invicta est, Sapientiam cui stultitia non succedit, Veritatem quæ converti atque aliter quam semper est sese habere non novit. Per hanc ipse cernitur Pater; dictum est enim : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Huic hæremus per sanctificationem. Sanctificati enim plena et integra charitate flagramus, qua sola efficitur ut a Deo non avertamur, eique potius quam huic mundo conformemur : *Prædestinavit enim*, ut ait idem Apostolus, *conformes nos fieri imaginis Filii ejus* (*Rom.* VIII, 29).

23. Fit ergo per charitatem ut conformemur Deo, et ex eo conformati atque configurati, et circumcisi ab hoc mundo, non confundamur cum iis quæ nobis debent esse subjecta. Fit autem hoc per Spiritum sanctum. *Spes enim*, inquit, *non confundit; quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Nullo modo autem redintegrari possemus per Spiritum sanctum, nisi et ipse semper et integer et incommutabilis permaneret. Quod profecto non posset, nisi Dei naturæ esset ac ipsius substantiæ, cui soli incommutabilitas atque ut ita dicam, invertibilitas semper est [1]. *Creatura enim* neque hoc ego, sed idem Paulus clamat, *vanitati subjecta est* (*Id.* VIII, 20). Neque nos potest a vanitate separare, veritatique connectere, quod subjectum est vanitati. Et hoc nobis Spiritus sanctus præstat : creatura igitur non est. Quia omne quod est, aut Deus, aut creatura est.

CAPUT XIV. — *Trinitati summo bono dilectione hæremus.*

24. Deum ergo [2] diligere debemus trinam quamdam unitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quod nihil aliud dicam esse, nisi idipsum esse. Est enim vere summeque Deus, *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia :* hæc verba Pauli sunt. Quid deinde subjicit? *Ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36). Sincerissime omnino. Neque enim ait, ipsis : nam unus est Deus. Quid est autem, *ipsi gloria*, nisi ipsi optima et summa et late patens fama? Quanto enim melius atque diffusius diffamatur, tanto diligitur et amatur ardentius. Quod cum fit, nihil aliud ab humano genere quam certo et constanti gradu in optimam vitam et beatissimam pergitur. Non arbitror cum de moribus et vita fit quæstio, amplius esse requirendum, quod sit hominis summum bonum, quo referenda sunt omnia. Id enim esse patuit, et ratione quantum valuimus, et ea quæ nostræ rationi antecellit auctoritate divina, nihil aliud quam ipsum Deum. Nam quid erit aliud optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui hærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, charitate.

CAPUT XV. — *Quatuor virtutes definit christiane.*

25. Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis [1], ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur; justitia, amor soli amato serviens, et propterea recte dominans; prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Quare definire etiam sic licet, ut temperantiam dicamus esse amorem Deo sese integrum incorruptumque servantem; fortitudinem, amorem omnia propter Deum facile perferentem; justitiam, amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt; prudentiam, amorem bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum, ab iis quibus impediri potest.

CAPUT XVI. — *Testamenti Veteris et Novi concentus.*

26. His de singulis virtutibus quinam vivendi modus ducatur, paucis explicabo, si prius testimoniis Novi Testamenti, quibus utor jam diu, de Veteri etiam paria, ut pollicitus sum, comparavero (*a*). Num enim Paulus tantum dicit, Deo nos esse debere subjunctos [2], ita ut in medio quod separet nihil sit? Nonne et propheta commodissime hoc et brevissime significat, cum dicit : *Mihi autem adhærere Deo bonum est?* (*Psal.* LXXII, 28.) Nonne quod ibi latissime de charitate dictum est, hic uno verbo continetur quod ait, *inhærere?* item quod addidit, *bonum est*, nonne ad illud respicit, quod ibi positum est, *Diligentibus Deum omnia procedunt in bonum* (*Rom.* VIII, 35, 28)? ita ut una sententiola duobusque verbis propheta et vim et fructum charitatis ostendat.

27. Cumque ibi dictum sit, Dei Filium, Dei Virtutem esse atque Sapientiam (I *Cor.* I, 24); cumque virtus ad operationem, sapientia vero ad disciplinam pertinere intelligatur (unde in Evangelio duo ipsa signantur, cum dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt;* nam hoc operationis atque virtutis est : deinde quod ad disciplinam verique cognitionem attinet, *Et vita*, inquit, *erat lux hominum* [*Joan.* I, 3, 4]) : potuitne quidquam magis concinere his testimoniis Novi Testamenti, quam illud quod in Vetere dictum est de sapientia, *Attingit autem a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter?* Namque attingere fortiter magis virtutem significat : disponere autem suaviter, quasi artem ipsam atque rationem. Sed si hoc videtur

[1] Quinque Mss., *inconvertibilitas semper est.* Alii duo, *inconversibilitas.*

[2] Lov. et Arn., *dum ergo.* Restituimus, *Deum ergo*, ex Mss. et aliis editionibus.

[1] Theodoricensis codex : *Ita sit affectus in mentibus vestris.* Arnulfensis : *Ita sit notitia in mentibus vestris.* Cisterciensis demum habet : *Ita essent effectus in mentibus vestris.*

[2] In excusis, *subjectos.* At in potioribus Mss., *subjunctos.*

(*a*) Vide Retract. lib. 1, cap. 7, n. 2.

obscurum, vide quæ sequuntur : *Et omnium*, inquit, *Dominus dilexit illam : doctrix est enim disciplinæ Dei, et electrix operum illius.* Videtur hic nihil aliud de operatione dictum ; non enim hoc est eligere opera, quod operari : ergo hæc ad disciplinam pertinent ; opus virtuti debetur, ut sit plena, quam volumus demonstrare, sententia. Lege igitur deinceps quod annexum est. *Quod si honesta est*, inquit, *possessio quæ concupiscitur in vita, quid sapientia est honestius, quæ omnia operatur?* Potestne quidquam præclarius aut manifestius, aut vero etiam uberius proferri? Audi aliud, si parum putas, quod idem sonet : *Sobrietatem enim sapientia docet*, inquit, *et justitiam et virtutem.* Sobrietas mihi ad ipsam cognitionem veri videtur pertinere, id est ad disciplinam : justitia vero et virtus ad actionem atque ad operationem. Quibus duobus, id est agendi efficacia, et sobrietate contemplandi, quæ Dei Virtus et Dei Sapientia, id est Dei Filius, dilectoribus suis donat, quid comparandum sit nescio, cum idem propheta statim dicat quanti sint ista pendenda : nam ita positum est, *Sobrietatem enim sapientia docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus* (*a*).

28. Hæc fortasse quispiam non de Filio Dei dicta esse arbitretur. Quid ergo aliud ostendit quod dictum est, *Generositatem magnificat, contubernium habens Dei?* (*Sap.* VIII, 3). An vero generositas solet significare aliud quam parentes? Contubernium vero nonne cum ipso patre æqualitatem clamat atque asserit? Deinde, cum Paulus dicat Filium Dei esse Dei Sapientiam (I *Cor.* 1, 24) ; et ipse Dominus, *Nemo novit Patrem, nisi unigenitus Filius* (*Matth.* XI, 27) ; quid potuit a propheta congruentius dici, quam illud quod dictum est, *Et tecum Sapientia quæ novit opera tua, quæ adfuit tunc cum orbem terrarum faceres, et sciebat quid placiturum esset oculis tuis?* (*Sap.* IX, 9.) Quod autem Christus est veritas, quod idem ostenditur cum splendor Patris nuncupatur (*Hebr.* I, 3) ; non est enim quidquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit [1] : quid ergo potuit apertius et clarius ex Vetere Testamento huic sententiæ consonare, quam illud quod dictum est, *Veritas tua in circuitu tuo?* (*Psal.* LXXXVIII, 9.) Postremo dicit ipsa Sapientia in Evangelio, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV, 6) : dicit propheta, *Sensum tuum ergo quis scit, nisi tu dederis sapientiam?* et paulo post, *Et quæ tibi placent, didicerunt homines, et per sapientiam sanati sunt* (*Sap.* IX, 17-19).

29. Dicit Paulus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5) : dicit propheta, *Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet dolum* (*Sap.* I, 5). Ubi enim dolus, charitas nulla est. Dicit Paulus, *Conformes fieri nos imaginis Filii Dei* (*Rom.* VIII, 29) : dicit propheta, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). Ostendit Paulus Deum esse Spiritum sanctum, et ideo non esse creaturam : dicit propheta, *Et miseris Spiritum sanctum de altissimis* (*Sap.* IX, 17). Solus enim Deus altissimus, quo nihil est altius. Ostendit Paulus Trinitatem istam unum Deum esse, cum dicit, *Ipsi gloria* (*Rom.* XI, 36) : dicitur in Veteri Testamento, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4).

[1] Er. Ven. Lov. sic : *Num est quidquam in circuitu solis, nisi splendor ipse quem gignit ?* M.

(*a*) Vide Retract. lib. 1, cap 7, n. 3.

CAPUT XVII. — *Apostrophe ad Manichæos, ut resipiscant.*

30. Quid vultis amplius? quid imperite atque impie sævitis? quid indoctas animas noxia suasione pervertitis? Utriusque Testamenti Deus unus est. Nam ut ista sibi congruunt, quæ de utroque posuimus ; ita etiam cætera, si diligenter et æquo judicio velitis attendere. Sed quia multa dicuntur submissius, et humi repentibus animis accommodatius, ut per humana in divina consurgant [1] ; multa etiam figurate ut studiosa mens, et quæsitis exerceatur utilius, et uberius lætetur inventis ; vos mirifica dispositione Spiritus sancti, ad decipiendos vestros auditores et illaqueandos abutimini. Quod ipsum cur divina providentia vos facere sinat, quamque verissime Apostolus dixerit, *Oportet multas hæreses esse* [2], *ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19) ; et longum est disputare, et, quod dicendum est vobis, non est vestrum ista intelligere. Non parum mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes et corporeorum simulacrorum pestifero pastu morbidas ad divina judicanda defertis, quæ multo altiora sunt quam putatis.

31. Quare vobiscum modo sic agendum est, non ut ea jam intelligatis, quod fieri non potest ; sed ut intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex et pura charitas Dei, quæ maxime spectatur in moribus, de qua multa jam diximus : quæ inspirata Spiritu sancto perducit ad Filium, id est, ad Sapientiam Dei, per quam Pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia et veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest. At si ita quæratur, ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere a suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait : *Petite, et accipietis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). *Nil est occultum, quod non revelabitur* (*Id.* X, 26). Amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur. Ab hoc amore sapientiæ diligentiaque quærendi, non deterremur Veteri Testamento, quod semper mendacissime dicitis, sed ad hæc vehementissime concitamur.

32. Audite itaque aliquando, et advertite, quæso, sine pertinacia quid per prophetam dicatur : *Clara est*, inquit, *et quæ nunquam marcescat sapientia, et facile videtur ab iis qui diligunt illam, et invenitur ab iis qui quærunt illam : præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se ostendat. Qui vigilaverit ad illam, non laborabit : assidentem enim illam inveniet foribus suis. Co-*

[1] Sic Mss., præstantiores. At Edd. habent : *Submissis et humi repentibus animis, ut accommodatius per humana in divina consurgant.*

[2] Codex Vaticanus et Cisterciensis omittunt, *multas*, quam vocem habent alii plerique tum scripti tum excusi ; jamque observavimus reperiri apud Mss. in eadem Apostoli sententia relata libro primo de Genesi contra Manichæos, cap. 1.

*gitare enim de illa, sensus est consummatus; et qui vigilaverit propter illam, cito erit securus : quia dignos seipsa circuit quærens, et in viis ostendit se illis hilariter, et omni providentia occurrit illis. Initium enim illius verissimum disciplinæ concupiscentia est. Cura ergo disciplinæ dilectio est; et dilectio custoditio legum illius est : custoditio autem legum, confirmatio incorruptionis est; incorruptio autem facit proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum* (*Sap.* VI, 13-21). Itane tandem adhuc adversum ista latrabitis? Nonne ita posita et nondum intellecta, cuivis significant altum se quiddam et ineffabile continere? O utinam possetis intelligere quæ dicta sunt! Confestim abjiceretis omnes ineptias fabellarum, et vanissimas imaginationes corporum, totosque vos magna alacritate, sincero amore, firmissima fide, sanctissimo Ecclesiæ catholicæ gremio conderetis.

CAPUT XVIII. — *In Catholica sola perfecta veritas ex utriusque Testamenti consensu.*

33. Poteram pro mea mediocritate discutere singula, et eruere ac demonstrare quæ accepi, in quorum excellentia et altitudine plerumque verba deficiunt : sed quamdiu latratis, non est faciendum. Non enim frustra dictum est, *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII, 6). Ne succenseatis. Et ego latravi et canis fui, quando mecum jure non docendi cibo, sed refellendi fustibus [1] agebatur. Si autem in vobis esset charitas, de qua nunc agitur, vel etiam si fuerit aliquando, quantam cognoscendæ veritatis magnitudo desiderat, aderit Deus qui ostendat vobis neque apud Manichæos esse christianam fidem, quæ ad summum apicem sapientiæ veritatisque perducit, qua perfrui, nihil est aliud nisi beate vivere; neque esse uspiam, nisi in catholica disciplina. Quid enim aliud videtur apostolus Paulus optare, cum dicit : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ fortitudinem, corroborari per spiritum in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris : ut in charitate radicati et fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, et longitudo, et latitudo, et profundum; cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* [2], *ut impleamini in omnem plenitudinem Dei?* (*Ephes.* III, 14-19.) Potestne quidquam dici manifestius?

34. Obsecro, vigilate paululum, videte Testamenti utriusque concordiam, qui sit in moribus vitæ modus, et quo sint referenda omnia, satis aperientem et docentem. Amorem Dei [3] concitant Evangelia, cum dicitur, *Petite, quærite, pulsate* (*Matth.* VII, 7) : concitat Paulus, dicendo, *Ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere* (*Ephes.* III, 17) : concitat etiam propheta, cum dicit, facile sapientiam ab iis qui eam diligunt, quærunt, concupiscunt, vigilant, cogitant, curant, posse cognosci. Salus animi et via beatitudinis utrarumque Scripturarum pace monstratur, et vos latrare potius adversus hæc, quam his obtemperare diligitis. Brevi dicam quod sentio : audite doctos Ecclesiæ catholicæ viros tanta pace animi, et eo voto quo vos ego audivi; nihil opus erit novem annis quibus meludificastis (*a*). Longe omnino, longe breviore tempore, quid intersit inter veritatem vanitatemque cernetis.

CAPUT XIX. — *Temperantiæ officia ex sacris Litteris describit.*

35. Sed tempus est ad illas virtutes quatuor reverti, et ex his singulis eruere ac ducere vivendi modum. Itaque prius temperantiam videamus, quæ nobis amoris illius quo innectimur Deo, integritatem quamdam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea quæ nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis ejus : quod est, ut brevi explicem, beata vita. Ibi enim est sedes veritatis [1], cujus contemplatione perfruentes, eique penitus adhærentes, procul dubio beati sumus : inde autem decidentes, magnis erroribus doloribusque implicantur. Namque, ut ait Apostolus, *radix omnium malorum cupiditas, quam quidam sequentes, naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (I *Tim.* VI, 10). Quod peccatum animæ in Veteri Testamento satis aperte, bene intelligentibus, in ipsius hominis qui erat in paradiso, prævaricatione signatur. *In Adam* quippe *omnes morimur*, ut ait idem, *et in Christo omnes resurgemus* (I *Cor.* XV, 22). O alta mysteria! Sed reprimam me : non enim modo suscepi docere vos recta, sed dedocere prava, si potero, id est, si Deus annuerit proposito in vos meo.

36. Dicit ergo Paulus radicem omnium malorum esse cupiditatem, per quam etiam Lex vetus primum hominem lapsum esse significat. Monet Paulus ut exuamus nos veterem hominem, et induamus novum (*Coloss.* III, 9, 10). Vult autem intelligi, Adam qui peccavit, veterem hominem; illum autem quem suscepit in sacramento Dei Filius ad nos liberandos, novum. Dicit namque alio loco, *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (I *Cor.* XV, 47-49) : hoc est, exuite veterem, et induite novum. Omne igitur officium temperantiæ, est exuere veterem hominem, et in Deo renovari; id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudemque popularem, totumque amorem ad invisibilia et divina conferre. Unde illud sequitur quod mirifice dictum est, *Si et exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem*

[1] Mss. quinque, *repellendi fustibus*.

[2] Sic plerique Mss. At Edd. habent: *Supereminentem scientiam charitatis Christi*. Paulo post, Mss. duo: *In omnem plenitudinem Dei*.

[3] Editi : *Satis aperiente et docente amore Dei. Concitant*, etc. At Mss. tredecim præferunt nostram lectionem, quamvis ex iis plerique sub alia vocum interpunctione.

[1] Bad. Am. Er. et Lov., necnon plerique Mss., habent, *fides veri*. At Antonio Arn. magis probatur, quod in margine quarumdam editionum habetur, *sedes veri*; cui astipulantur Mss. quinque, in quibus legitur, *sedes veritatis*.

(*a*) Augustinus novem annis Manichæus, ab anno ætatis 19 ad annum 28 : vide infra lib. 2, cap. 19, n. 68; et lib. 4 Confess., cap. 2.

(II *Cor.* IV, 16). Audi et prophetam canentem, *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (*Psal.* L, 12). Quid contra istam convenientiam dici, nisi a cæcis latratoribus potest?

CAPUT XX. — *Sensibilia omnia contemnere, et solum Deum amare jubemur.*

37. Illecebræ autem corporis sitæ sunt in his omnibus quæ corporeus sensus attingit, quæ a nonnullis etiam sensibilia nominantur : in quibus maxime lux ista vulgaris excellit, quia et in ipsis sensibus nostris, quibus anima per corpus utitur, nihil est oculis præferendum ; et ideo in Scripturis sanctis, visibilium nomine sensibilia cuncta significantur [1]. Itaque in Novo Testamento sic ab istorum amore prohibemur : *Non respicientes*, inquit, *quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* IV, 18). Ex quo intelligi potest, quam christiani non sint qui solem et lunam non modo diligendos, sed etiam colendos putant. Quid enim videmus, si solem et lunam non videmus? Vetiti autem sumus converti ad ea quæ videntur. Non sunt igitur etiam ista diligenda ei qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere. Sed erit mihi alius locus quo de istis diligentius requiretur. Non enim nunc de fide, sed de vita dicere instituí, per quam meremur scire quod credimus. Amandus igitur solus Deus est : omnis vero iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda ; utendum autem his ad hujus vitæ necessitatem.

CAPUT XXI. — *Gloria popularis et curiositas sacris Litteris damnata.*

38. Gloria vero popularis sic in Novo Testamento abjicitur atque contemnitur : *Si hominibus*, inquit, *placere vellem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10). Est item aliud quod de corporibus per imaginationes [2] quasdam concipit anima, et eam vocat rerum scientiam. Quamobrem recte etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est. Hinc illud est : *Cavete ne quis vos seducat per philosophiam.* Et quia ipsum nomen philosophiæ si consideretur, rem magnam totoque [3] animo appetendam significat, siquidem philosophia est amor studiumque sapientiæ, cautissime Apostolus, ne ab amore sapientiæ deterrere videretur, subjecit, *et elementa hujus mundi* (*Coloss.* II, 8). Sunt enim qui desertis virtutibus, et nescientes quid sit Deus, et quanta majestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si universam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissime intentissimeque perquirant. Unde tanta etiam superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur. Reprimat igitur se anima ab hujusmodi vanæ cognitionis cupiditate [4], si se castam Deo servare disposuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet esse, nisi corpus ; aut etiamsi auctoritate commota, fateatur aliquid esse incorporeum, de illo tamen nisi per imagines corporeas cogitare non possit, et tale aliquid esse credere, quale fallax corporis sensus infligit. Ad hoc etiam valet quod præcipitur cavendum esse a simulacris.

39. Huic ergo auctoritati Novi Testamenti, qua jubemur nihil mundi hujus diligere (I *Joan.* II, 15), illa maxime sententia qua dictum est, *Nolite conformari huic mundo* (*Rom.* XII, 2) : simul enim demonstrandum est ei rei quemque conformari quam diligit : huic ergo auctoritati, si de Veteri Testamento quæram quid comparem, plura quidem invenio ; sed unus Salomonis liber, Ecclesiastes qui dicitur, copiosissime in summum contemptum omnia ista perducit. Incipit enim sic : *Vanitas vanitantium* (*a*), *dixit Ecclesiastes, vanitas vanitantium, et omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole?* (*Eccle.* I, 2, 3.) Hæc verba omnia si attendantur, si perpendantur, si discutiantur, multa inveniuntur pernecessaria iis qui hunc mundum fugere, et refugere in Deum desiderant : sed longum est, et alio festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exsequitur omnia, vanitantes esse eos qui rebus hujusmodi falluntur ; idipsum autem quo falluntur vanitatem vocans, non quod Deus ista non creaverit, sed quia subjicere se homines volunt iis rebus per peccata, quæ illis per recte facta divina lege subjectæ sunt. Quid est enim aliud, falsis bonis illudi atque decipi, quam teipso inferiora, miranda et appetenda arbitrari? Habet igitur vir temperans in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ regulam utroque Testamento firmatam ; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum sat est, usurpet, utentis modestia, non amantis affectu. Hæc dicta sint de temperantia, pro rerum magnitudine breviter ; pro instituto tamen opere fortasse copiosius quam oportebat.

CAPUT XXII. — *Fortitudinem præstat amor Dei.*

40. De fortitudine vero non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vinculum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris et doloris ; ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo bene atque scienter utatur, resurrectionem reformationemque ejus ope ac lege divina sine ulla molestia juri suo subditam fore : sed cum se hoc amore tota in Deum converterit [1], his cognitis mortem non modo conte-

In Mss. octo, *deputantur* ; in aliis tribus, *damnantur*.
[2] Editi, *per imagines*. Plerique Mss., *per imaginationes*.
[3] Mss. melioris notæ, *totamque*. Porro in aliis habetur ut in Edd., *totoque animo*.
[4] Aliquot Mss., *ab hujusmodi vagæ cogitationis cupiditate*.

[1] Mss. tres. : *Sed cum hunc amorem totum in Deum converterit*.
(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 3.

mnet, verum etiam desiderabit.

41. Sed restat cum dolore magna conflictio. Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera, et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur. Nisi vero amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinet esse fortiores; cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur indefesso cursu [1] per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant, perferunt.

CAPUT XXIII. — *Fortitudinis monita et exempla ex Scripturis.*

42. Quid ergo hic Novi Testamenti auctoritates colligam, ubi dictum est, *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (*Rom.* v, 3, 4); et non solum dictum, sed etiam exemplis eorum qui dixerunt, probatum atque firmatum, de Veteri potius Testamento, in quod illi rabide sæviunt, excitabo exemplum patientiæ. Neque illum memorabo virum, a quo in magnis cruciatibus corporis et horribili tabe membrorum, non modo sustinentur humana, sed divina etiam disputantur. In cujus singulis vocibus satis elucet, si quis æquo animo attendat, quanti pendenda sint ista, quæ cum volunt homines per dominationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, et rerum mortalium servi fiunt, dum imperite domini esse desiderant. Amisit namque ille omnes divitias, et factus repente pauperrimus, tam inconcussum animum tenuit et infixum Deo, ut satis demonstraret, non illas sibi fuisse magnas, sed se illis, sibi autem Deum (*Job* I, II). Quo animo si esse possent nostri temporis homines, non magnopere in Novo Testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. Multo enim mirabilius est non inhærere istis, quamvis possideas, quam omnino ea non possidere.

43. Sed quoniam de dolore atque cruciatibus corporis tolerandis nunc agitur, relinquo istum virum, licet magnum, licet invictum, virum tamen. Offerunt enim mihi Scripturæ illæ stupendæ fortitudinis feminam, et ad eam jam me transire compellunt. Quæ cum septem liberis tyranno atque carnifici prius viscera omnia, quam unum verbum sacrilegum impendit: cum ejus hortatione filii roborarentur, in quorum membris ipsa torquebatur, latura tamen etiam proprio munere, quod eos ferre præceperat (II *Machab.* VII). Quid ad tantam patientiam, quæso, addi potest? Quid tamen mirum si omnibus medullis conceptus Dei amor, et tyranno, et carnifici, et dolori, et corpori, et sexui, et affectui resistebat? An non audierat: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV, 15)? non audierat: *Melior vir patiens fortissimo* (*Prov.* XVI, 32)? non audierat: *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine; et in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne probatur aurum et argentum* (*Eccli.* II, 4, 5)? non audierat: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis?* (*Id.* XXVII, 6.) Imo vero et hæc, et alia plura perceperat, quæ uno sancto Dei Spiritu, ut in istis Novi Testamenti, sic in illis, qui soli adhuc erant, Libris divina præcepta fortitudinis conscripta sunt.

CAPUT XXIV. — *De justitia et prudentia.*

44. Quid de justitia quæ ad Deum pertinet? Nonne, cum et Dominus dicat, *Non potestis duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24), et Apostolus redarguat eos qui creaturæ potius quam Creatori serviunt (*Rom.* I, 25); in Veteri Testamento prius dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies?* (*Deut.* VI, 13.) Sed quid opus est hinc plura dicere, cum sententiis talibus ibi plena sint omnia? Hanc ergo justitia vitæ regulam dabit huic amatori de quo sermo est, ut Deo quem diligit, id est summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci [1], libentissime serviat; cæteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subjicienda præsumat. Quæ norma vivendi, ut docuimus, utriusque Testamenti auctoritate roboratur.

45. Nec de prudentia diutius disserendum est, ad quam dignoscentia pertinet appetendorum et vitandorum. Quæ si desit, nihil eorum de quibus jam dictum est, effici potest. Hujus autem sunt excubiæ atque diligentissima vigilantia, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur: unde sæpe Dominus, *Vigilate* (*Matth.* XXIV, 42), clamat; et, *Ambulate*, inquit, *dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant* (*Joan.* XII, 35). Itemque dicitur: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* (I *Cor.* V, 6.) Quid autem proferri manifestius de Veteri Testamento contra istam dormitationem animi potest, per quam fit ut non sentiamus quasi minutatim serpentem perniciem, quam illud quod a propheta dictum est: *Qui spernit modica, paulatim decidet?* (*Eccli.* XIX, 1.) De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissime disputarem [2]; atque id si a nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus quam sint alta mysteria, quæ imperitissimi et sacrilegi homines deridendo, non illi quidem paulatim jam decidunt, sed magno lapsu præcipites eunt.

CAPUT XXV. — *Officia quatuor virtutum circa Dei amorem, cujus amoris præmium est æterna vita et cognitio veritatis.*

46. Quid amplius de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere, est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: a quo existit, ut incorruptus in eo amor

[1] Mss. quindecim, *deflexo cursu*.

[1] Mss. quatuor, *summæ potentiæ*. At alii Cdd. habent, *paci*. Qua voce Spiritum sanctum identidem designat Augustinus, ut rursum infra cap. 30.

[2] In Mss. aliquot habetur, *disputare*.

atque integer custodiatur, quod est temperantiæ ; et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis ; nulli alii serviat, quod est justitiæ ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio, qua sola impetrat ut veritatis sinceritate perfruatur : hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur. Quid adhuc Scripturis, quas ignoratis, calumniamini ? Nescitis quanta imperitia lacessatis Libros, quos et soli reprehendunt qui non intelligunt, et soli intelligere nequeunt qui reprehendunt ? Non enim eos aut ullus inimicus cognoscere sinitur, aut esse nisi amicus cognitis potest.

47. Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, quicumque ad vitam æternam pervenire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus : nec præmium potest præcedere merita, priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius, et quid justius Deo ? Non ergo debemus poscere præmium antequam mereamur accipere. Hic fortasse non incongrue quæritur, æterna ipsa vita quid sit. Sed ejus largitorem potius audiamus : *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Æterna igitur vita est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quam sint perversi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, ut perfecti simus, cum perfectorum ipsa sit præmium. Quid ergo agendum est, quid quæso, nisi ut eum ipsum quem cognoscere volumus, prius plena charitate diligamus (*a*) ? Unde illud exoritur, quod ab initio satagimus, nihil in Ecclesia catholica salubrius fieri, quam ut rationem præcedat auctoritas.

CAPUT XXVI. — *Dilectio sui et proximi.*

48. Sed cætera videamus : videtur enim de homine ipso, id est, de amatore ipso nihil actum ; sed parum dilucide qui hoc arbitratur intelligit. Non enim fieri potest ut seipsum, qui Deum diligit, non diligat : imo vero solus se novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo et vero perfruatur bono : quod si nihil est aliud quam Deus, sicut ea quæ dicta sunt docuerunt, quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei ? Quid ? inter ipsos homines nullumne esse amoris vinculum debet ? Imo vero ita debet, ut nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quam hominis erga hominem charitas.

49. Promat nobis ergo alterum præceptum ipse Dominus, de vitæ præceptis interrogatus : non enim contentus fuit uno, qui sciret aliud Deum esse, aliud hominem ; atque interesse tantum, quantum inter eum qui creavit, et id quod ad Creatoris similitudinem creatum est. Dicit ergo secundum præceptum esse : *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Matth.* XXII, 39). Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est ; hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis [1]. Illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem in primis est, ut benevoli simus, id est, ut nulla malitia, nullo dolo malo adversus hominem utamur. Quid enim homini homine propinquius ?

50. Accipe etiam quid Paulus dicat : *Dilectio*, inquit, *proximi, malum non operatur* (*Rom.* XIII, 10). Brevissimis utor testimoniis, sed, nisi fallor, idoneis, et quibus susceptæ rei satis fiat : nam quis ignorat quam multa, et quanti ponderis, verba in illis Libris de charitate proximi usquequaque diffusa sint ? Sed cum duobus modis peccetur in homine, uno si lædatur, alio si cum potest non adjuvetur ; eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit, facit : satis, opinor, quod volumus demonstrat ista sententia, *Dilectio proximi malum non operatur*. Et si ad bona pervenire non possumus, nisi mala operari destiterimus, ista sunt quasi cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum ; ut quoniam *dilectio proximi malum non operatur*, hinc ad illud ascendamus quod dictum est, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum* (*Ibid.* VIII, 28).

51. Sed nescio quomodo aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur prius Dei amor, et prius perficitur proximi. Ad incipiendum enim citius nos fortasse in se divina charitas rapit, sed facilius minora perficimus. Quoquo modo autem res se habeat, illud maxime tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem et ad Deum quem diligit esse venturum. Atque utinam, ut facile est bene instituto et benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magna quadam ratione atque prudentia, qua nemo uti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit. De qua re, quantum arbitror, difficillima, tentabimus dicere pro suscepto opere pauca quædam, spem totam constituentes in eo cujus solius ista dona sunt.

CAPUT XXVII. — *Beneficentia in corpus proximi.*

52. Homo igitur, ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim vero animæ hominis benefacit qui proximum diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est ; ad animam autem, disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantum quæ ars eorum exhibet, qui proprie medici nominantur ; sed etiam cibus et potus, tegmen et tectum, defensio denique omnis atque munitio, qua nostrum corpus adversus etiam externos ictus casusque servatur : nam et fames, et sitis, et frigus, et æstus, et quidquid extrinsecus graviter

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 4.

[1] Mss. quamplures, *ad quod ipse tendis, adducis.*

infligitur, salutem, de qua nunc agitur, manere non sinunt.

53. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiose atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes usque adeo sint, ut jam nullo animi dolore turbentur (*a*). Nam quis ignoret ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? et quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subvenit inopi, cum esurienti cibum præstat potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum? Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen, cum absit miseria.

54. Stulti vero cum misericordiam quasi vitium devitant, quia officio satis moveri nequeunt, si nec perturbatione commoventur, congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaque multo prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur : qui quemadmodum dicatur, restat intelligere iis qui sese idoneos religione studioque præstiterint; ne cum verbis doctorum inepte utimur, indoctorum animas prius durescere vitando misericordiam, quam benignitatem appetendo mitescere faciamus. Atque ut misericordia jubet, ista nos ab homine pellere incommoda, sic innocentia prohibet inferre.

CAPUT XXVIII. — *Beneficentia in animam proximi. Disciplinæ partes duæ; coercitio, et instructio. Per bonos mores nobis provenit agnitio veritatis.*

55. Quod autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus illa corporis valet, difficillima omnino res est. Atque ut in corpore dicebamus aliud esse morbos et vulnera curare, quod pauci homines bene facere possunt; aliud autem famem sitimque sopire, et cætera in quibus subvenire hominem homini vulgo passimque conceditur : sic in animo sunt quædam, in quibus excellentia illa et rara magisteria non admodum desiderantur; ut cum hortamur et monemus, ut hæc ipsa indigentibus exhibeantur quæ corpori exhibenda esse diximus. Cum enim hæc facimus, ope corpori; cum autem docemus ut fiant, disciplina animo subvenimus. Sunt vero alia, quibus multimodi variique morbi animorum, magna quadam et prorsus ineffabili ratione sanantur : quæ medicina nisi divinitus populis mitteretur, nulla spes salutis esset, tam immoderata progressione peccantibus; quanquam et illa corporis, si altius rerum originem repetas, non invenitur unde ad homines manare potuerit, nisi a Deo, cui rerum omnium status salusque tribuenda est.

56. Hæc tamen disciplina de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantum Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur; coercitionem, et instructionem. Coercitio timore, instructio vero amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur : nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia fit omnino ut aliquid simus, duobus Testamentis, Vetere et Novo, disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in Vetere timor, amor in Novo : quæ ibi servitus [1], hic libertas ab Apostolis prædicatur. De quorum Testamentorum admirabili quodam ordine divinoque concentu, longissimum est dicere, et multi religiosi doctique dixerunt. Multos libros res ista flagitat, ut pro merito, quantum ab homine potest, explicari et prædicari queat. Qui ergo diligit proximum, agit quantum potest ut salvus corpore salvusque animo sit : sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primo timeat, deinde diligat Deum. Hi mores sunt optimi, per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

57. Atque in his duobus convenit mihi cum Manichæis, id est, ut Deum et proximum diligamus : sed hoc Veteri Testamento negant contineri; in quo quantum errent, satis, ut opinor, apparet ex iis, quas superius protulimus, de utroque sententiis. Verumtamen ut breve aliquid dicam, sed tale cui resistere sit meræ dementiæ, nonne animadvertunt hæc ipsa duo, quæ laudare coguntur, quam [2] importunissime a Domino in Evangelio de Vetere Testamento esse prolata negent, ubi scriptum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua;* vel illud alterum, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum?* (*Deut.* VI, 5; *Levit.* XIX, 18; *Matth.* XXII, 37, 39.) Aut si hæc negare non audent; premuntur enim luce veritatis; illud negare audeant, salubria esse ista præcepta, his mores optimos contineri negent si possunt, et dicant non oportere Deum diligi, non oportere proximum diligi; neque diligentibus Deum omnia procedere in bonum (*Rom.* VIII, 28), neque dilectionem proximi malum non operari (*Ibid.* XIII, 10); quibus duobus saluberrime atque optime humana vita disponitur. Quæ si dicunt, non solum illis cum Christianis, sed nec cum hominibus quidem ratio est. Sin hæc dicere non audent, cogunturque confiteri esse divina; quid eos Libros unde ista prolata sunt impietate nefaria lacessere atque improbare non desinunt?

58. An illud dicturi sunt, non esse consequens ut omnia ibi bona sint, ubi hæc invenire potuimus? nam hoc solent dicere. Cui ego tergiversationi quid respondeam, et quemadmodum occurram, non facile video. Discutiamne verba singula Veteris Testamenti, ut in his summam cum Evangelio esse concordiam pervicacibus indoctisque demonstrem? Sed quando istud erit? quando aut ego sufficiam, aut ipsi patientur? Quid ergo faciam? Deseramne causam, et eos in sententia quamvis improba et falsa, tamen difficili ad

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 4.

[1] Ita Mss. At excusi habent, *quia ibi servitus*, etc.

[2] Mss. plerique, *quanquam*. Tum aliqui subjiciunt, *opportunissime*. Ac paulo post alii, *ibi esse scriptum*; alii vero habent, *ubi esse scriptum*

dissolvendum delitescere sinam? Non faciam : aderit de proximo Deus ipse, cujus illa præcepta sunt; nec mé in tantis angustiis inopem ac desertum esse patietur.

CAPUT XXIX. — *De Scripturarum auctoritate.*

59. Quamobrem adestote animis, Manichæi, si qui forte illa superstitione ita tenemini, ut evadere aliquando possitis. Adestote, inquam, sine pertinacia, sine studio resistendi : nam aliter vobis perniciosissimum est judicare. Certe enim nemini dubium est, nec aversi vos ita estis a vero, ut non intelligatis, si diligere Deum et proximum, bonum est, quod negare nemo potest; quidquid in his duobus præceptis pendeat, vituperari jure non posse. Quid ergo in iis pendeat, ridiculum est si a me quærendum esse putas; ipsum Christum audi, audi, inquam, Christum, audi Dei Sapientiam : *In his*, inquit, *duobus præceptis tota Lex pendet, et omnes Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40).

60. Quid hoc loco potest dicere impudentissima pertinacia? Non hoc Christum dixisse? At in Evangelio verba ejus ista conscripta sunt. Falsum esse scriptum? Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, et omnium qui memoriæ mandati sunt librorum abolitio, si quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiæ quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, si contra meam ratiocinationem intentionemque proferatur?

61. Illud vero quis ferre possit, quod nos notissimis ac jam in manibus omnium Libris constitutis credere vetant, et iis quæ ipsi proferunt, imperant ut credamus? Si de scriptura dubitandum est, de qua magis quam quæ diffamari non meruit, quæve potuit sub nomine alio tota mentiri? Si istam obdis invito, et auctoritatis exaggeratione cogis in fidem [1]; egone de illa, quam constanter latissime divulgatam video, et Ecclesiarum per totum orbem dispersarum contestatione munitam, dubitabo miser, et, quod est miseriùs, te auctore dubitabo? Cum si exemplaria proferres altera, tenere non deberem, nisi ea quæ plurium consensione commendarentur; nunc nihil te proferente quod conferas, præter inanissimam vocem temeritatisque plenissimam, putabis usque adeo genus humanum esse perversum, et divinæ providentiæ ope desertum, ut illis Scripturis, non a te prolatas alias quibus redarguantur, sed tua tantum verba præponat? Proferendus est namque tibi alius codex eadem continens, sed tamen incorruptus et verior, ubi sola desint ea quæ hic immissa esse criminaris. Ut si, verbi causa, Pauli Epistolam, quæ ad Romanos scripta est, corruptam esse contendis, aliam proferas incorruptam, vel alium codicem potius, in quo ejusdem Apostoli eadem Epistola sincera et incorrupta conscripta sit. Non faciam, inquis, ne ipse corrupisse credar : hoc enim soletis dicere; et verum dicitis : nihil prorsus aliud suspicabuntur vel mediocriter cordati homines, si hoc feceris. Vide ergo tu ipse quid de auctoritate tua judicaveris; et intellige utrum tuis verbis contra illas Scripturas credere debeant, si codici, ob hoc solum quod abs te profertur, magnæ temeritatis est credere.

CAPUT XXX. — *Apostrophe ad Ecclesiam totius sapientiæ magistram. Doctrina catholicæ Ecclesiæ.*

62. Sed quid hinc plura? Quis enim non videat eos qui contra Scripturas christianas hæc audent dicere, ut illud non sint quod homines suspicantur, certe tamen non esse christianos? Nam Christianis hæc data est forma vivendi, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, deinde proximum nostrum tanquam nosmetipsos : *in his* enim *duobus præceptis tota Lex pendet, et omnes Prophetæ* (*Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37). Merito, Ecclesia catholica mater Christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum prædicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire jubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili æternitate, cui soli homo subjiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans quod majestas una conjungit : sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnis apud te medicina præpolleat.

63. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi ætas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus præficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione præponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis; mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, qui-

[1] Theodericensis codex : *Et auctoritatis ratione cogis exigere in fidem.* Alii sex : *Et auctoritatis exaggerare rationem cogis in finem.*

bus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio [1], quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria.

64. Jam vero cum hæc humana dilectio inhærentem uberibus tuis nutriverit, et roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum; ubi ejus majestas ex tanta parte quanta homini, dum terræ hujus inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit; tantus charitatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut exustis omnibus vitiis, et homine purgato atque sanctificato, satis appareat quam divine dictum sit: *Ego sum ignis consumens* (*Deut.* IV, 24) (*a*); et, *Ignem veni mittere in mundum* (*Luc.* XII, 49). Quæ duæ voces unius Dei in duobus Testamentis signatæ, sanctificationem animæ concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud quod item in Novam Scripturam de Veteri assumptum est, *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua* (I *Cor.* XV, 54, 55)? Quod unum isti hæretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te atque in tuo gremio, minime superbi et bene pacati venerarentur. Merito apud te divina præcepta late diffuseque servantur. Merito apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita, quam incognita lege peccare. *Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex* (*Ibid.* 56), qua gravius feriat [2] et interimat contempti præcepti conscientia. Merito apud te visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, et cohibetur pœnæ metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi hujus incredibili contemptu etiam solitudo delectet.

CAPUT XXXI. — *Manichæorum continentiæ opponit anachoretarum et cœnobitarum vitam.*

65. Quid est, quæso, quod vident qui non possunt hominem non diligere, et tamen possunt hominem non videre? Profecto illud, quidquid est, præstantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. Jam enim accipite, Manichæi, perfectorum Christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tantum, sed etiam capessenda visa est, mores et continentiam singularem; ne vos impudenter jactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, et in Oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullo modo potest latere?

66. Nihil de iis dicam quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, et aqua contenti, desertissimas terras incolunt; perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hinc disputare longum et supervacaneum puto: nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest? Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter jactant, in tantum processisse temperantiam et continentiam sanctissimorum catholicæ fidei christianorum, ut restringenda nonnullis, et quasi ad humanos fines revocanda videatur: usque adeo supra homines illorum animos evasisse, ab iis etiam quibus id displicet, judicatur.

67. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt? Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt [1] eis quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut assolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, et præsto facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, rationem [2] tamen etiam ipsi reddunt uni, quem patrem appellant. Hi vero patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum patrem, et conveniunt ad singulos patres terna, ut minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio; affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto et omni clamore vacuo gaudio significantes [3]. Corpus deinde reficitur, quantum

[1] Codices aliquot habent, *coertio*, sive, *coercitio*.
[2] Mss. quatuor, *quod gravius feriat*. Sorbonici tres, aliique duo, *quam grave feriat*.
(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 5.

[1] Lov. et Arn.: *Opus autem simul tradunt*. Tredecim Mss. Bad. et Er.: *Opus autem suum*.
[2] Plerique Cdd. habent, *traditionem*; pro quo Latinus Latinius et Antonius Arn. legendum putarunt, *rationem*. Sic porro legitur in Ms. Vaticano et in editione Bad.
[3] Editi: *Sed modesto et clamore vacuo gaudium significantes*. Sed concinnior Mss. lectio hic restituta.

saluti et salubritati satis est, coercente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat vel in ea ipsa quæ præsto sunt parca et vilissima. Ita non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur : quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod a carnibus alienum est, ridicule turpiterque defendi. Sane quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum, et epularum restrictione), tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt ut non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere.

68. Hæc est etiam vita feminarum Deo sollicite casteque servientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ a viris quam longissime decet, pia tantum illis charitate junguntur et imitatione virtutis : ad quas juvenum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis gravissimorum et probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestesque ipsas fratribus tradunt, ab iis invicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo, et vereor ne judicare videar per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Hæc, Manichæi, reprehendite, si potestis. Nolite cæcis hominibus et discernere invalidis ostentare nostra zizania.

CAPUT XXXII. — *Clericorum laus.*

69. Neque tamen ita sese anguste habent Ecclesiæ catholicæ mores optimi, ut eorum tantum vita, quos commemoravi, arbitrer esse laudandos. Quam enim multos episcopos optimos viros, sanctissimosque cognovi, quam multos presbyteros, quam multos diaconos, et cujuscemodi ministros divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior et majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in multiplici hominum genere, et in ista vita turbulentiore servare! Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur, et prius toleranda quam sedanda est pestilentia. Difficillimum est hic tenere optimum vitæ modum, et animum pacatum atque tranquillum. Quippe, ut breviter explicem, hi agunt ubi vivere discitur, illi ubi vivitur.

CAPUT XXXIII. — *Aliud genus in civitate simul viventium. Jejunia triduana.*

70. Nec ideo tamen laudabile christianorum genus contempserim, eorum scilicet qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat vir optimus et doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia et divina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, christiana charitate, sanctitate et libertate viventibus : ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, et Pauli apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis ; quibus item multis viduis et virginibus simul habitantibus, et lana ac tela victum quæritantibus, præsunt singulæ gravissimæ probatissimæque non tantum in instituendis componendisque moribus [1], sed etiam instruendis mentibus peritæ ac paratæ.

71. Atque inter hæc nemo urgetur in aspera quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur a cæteris, quod in eis se imitandis fatetur invalidum : meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas ; meminerunt, *Omnia munda mundis* ( *Tit.* I, 15 ); et, *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV, 11). Itaque non rejiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, et dilectioni fratrum retinendæ invigilat omnis industria. Meminerunt : *Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et illas destruet* (1 *Cor.* VI, 13) ; et alibi, *Neque si manducaverimus, abundabimus ; neque si non manducaverimus, egebimus* (*Id.* VIII, 8) ; et illud præ cæteris, *Bonum est, fratres, non manducare carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur.* Hic enim ostendit quam sint ad finem charitatis hæc omnia dirigenda. *Alius enim credit manducare omnia ; qui autem infirmus est, olus,* inquit, *manducet. Qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet ; Deus enim illum assumit. Tu quis es, qui judices alienum servum? Suo Domino stat aut cadit : stabit autem ; potens est enim Deus statuere eum.* Et paulo post : *Qui manducat, Domino manducat, et gratias agit Deo : et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo.* Et item in consequentibus : *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet. Non ergo amplius judicemus invicem ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Potuitne magis ostendere, non in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quamdam, quæ ad eum valeat maculandum ; et propterea iis etiam qui ad hæc contemnenda sunt idonei, certoque sciunt non se pollui, si quid ciborum sine turpi cupiditate altitudine mentis assumpserint, charitatem tamen esse intuendam? Vide quid sequatur : *Nam si propter escam frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas* (*Rom.* XIV, 2-21).

[1] In Mss. plerisque hæc desunt : *In instituendis componendisque moribus.*

72. Lege cætera ; nam longum est omnia interponere; et invenies præceptum iis qui possunt ista contemnere, id est firmioribus et securioribus, ideo tamen esse temperandum, ne offendantur illi quibus adhuc pro sua imbecillitate hujuscemodi opus est temperantia. Hæc illi de quibus agebam norunt et tenent : christiani sunt enim, non hæretici ; intelligunt Scripturas secundum apostolicam disciplinam, non secundum superbum et commentitium nomen Apostoli [1]. Non manducantem nemo spernit, manducantem nemo judicat : qui infirmus est, olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt : multis non est causa ista faciendi, sed quod viliore victu vivere placet, minimeque sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillissimam ducere. *Omnia enim mihi licita sunt*, inquit, *sed ego non redigar sub potestate ullius* (I *Cor.* VI, 12). Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiose putant. Itaque iidem ipsi qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur [2] : nam et quibusdam languidioribus, et prorsus omnibus qui sine illo nequeunt salutem corporis obtinere, humanissime ac modestissime præberi faciunt. Et stulte nonnullos recusantes, fraterne admonent, ne vana superstitione debiliores citius quam sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum discipulo præcipientem, ut aliquantum vini sumat propter frequentes infirmitates suas [3] ( I *Tim.* V, 23 ). Ita pietatem sedulo exercent : corporis vero exercitationem, ut ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere noverunt (*Id.* IV, 8).

73. Continent se igitur ii qui possunt, qui tamen sunt innumerabiles, et a carnibus et a vino duas ob causas : vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem. Charitas præcipue custoditur ; charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque charitatem : hanc violare tanquam Deum nefas ducitur; huic si quid resistit [4], expugnatur atque ejicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si hæc una desit, inania ; si hæc adsit, plena sint omnia.

CAPUT XXXIV. — *Ex malorum christianorum moribus non vituperandam Ecclesiam. Sepulcrorum et picturarum adoratores.*

74. Istis, Manichæi, si potestis, obsistite; istos intuemini, istos sine mendacio, si audetis, et cum contumelia nominate : istorum jejuniis vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, et, quod res maxime postulat, præceptis præcepta conferte. Jam videbitis quid inter ostentationem et sinceritatem, inter viam rectam et errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur et tumorem, inter beatitudinem et miseriam, inter unitatem et conscissionem, postremo quid inter superstitionis sirenas et portum religionis intersit.

75. Nolite mihi colligere professores nominis christiani, nec professionis suæ vim aut scientes aut exhibentes. Nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti sint quid promiserint Deo. Novi multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores : novi multos esse qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates ebrietatesque suas deputent religioni. Novi multos esse qui renuntiaverunt verbis huic sæculo, et se omnibus hujus sæculi molibus opprimi velint, oppressique lætentur. Nec mirum est in tanta copia populorum, quod non vobis desint, quorum vita vituperata decipiatis incautos, et a catholica salute avertatis, cum in vestra paucitate [1] magnas patiamini angustias, dum a vobis exigitur, vel unus ex iis quos electos vocatis, qui præcepta illa ipsa custodiat, quæ irrationabili superstitione defenditis. Sed et illa quam vana sint, quam noxia, quam sacrilega, et quemadmodum a magna parte vestrum, atque adeo pene ab omnibus vobis non observentur, alio volumine ostendere institui.

76. Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Sed quicumque illorum bona voluntate Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseverant, aut etiam addunt graviora prioribus, in agro quidem Domini sinuntur esse, et cum bonis seminibus crescere, sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si jam propter ipsum christianum nomen magis in palea quam in spinis esse arbitrandi sunt, veniet etiam qui aream purget, et a frumentis paleam separet, et singulis partibus pro suo cujusque merito, quod oportet, summa æquitate distribuat (*Matth.* III, 13, *et* XIII, 24-43).

CAPUT XXXV. — *Conjugium et possessiones baptizatis etiam concessa per Apostolum.*

77. Vos interea quid sævitis, quid excæcamini studio partium ? Quid tanti erroris longa defensione implicamini ? Fruges in agro, frumenta in area quærite : apparebunt facile, seseque offerent ipsa quærentibus. Quid nimis in purgamenta oculos intenditis ? quid ab opimi horti ubertate imperitos homines sepium asperitate terretis? Est certus aditus, quamvis paucioribus notus, qua possit intrari, quem vos aut esse non creditis, aut invenire non vultis Sunt in Ecclesia ca-

[1] Editi, *Apostolatus*. Mss. nonnulli, *Apostolus*. Gemmeticensis codex, *Apostoli*. Scilicet alludit Augustinus ad epistolas Manichæi quarum omnium exordium istud erat : *Manichæus apostolus Jesu Christi*, etc., ut dicitur in lib. 15 contra Faustum, cap. 4.

[2] Mss. octo : *Nec tamen eos qui bibunt coinquinari arbitrantur*.

[3] Undecim Mss. : *Propter varias infirmitates suas*.

[4] Ita in Mss. At in Edd. habetur, *si quis resistit ;* et mox, *si quis offendit*.

[1] Editi præferunt, *paupertate*, excepto Bad., qui cum Mss. habet, *paucitate*.

tholica innumerabiles fideles qui hoc mundo non utantur, sunt qui utantur tanquam non utentes (I *Cor.* VII, 31), ut ab Apostolo dicitur; quod illis temporibus jam probatum est, quibus ad idolorum cultum Christiani cogebantur. Quot enim tunc pecuniosi [1] homines, quot patresfamilias rusticani, quot negotiatores, quot militares, quot primates urbium suarum, quot denique senatores, utriusque sexus, hæc omnia vana et temporalia relinquentes, quibus utique quamvis uterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subierunt, demonstraveruntque infidelibus a se potius illa omnia, quam se ab eis esse possessos.

78. Quid calumniamini, quod fideles jam Baptismate renovati, procreare filios, et agros ac domos pecuniamque ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari non potest, fidelibus scripsit, post multorum quippe vitiosorum enumerationem, qui regnum Dei non possidebunt, *Et hæc quidem fuistis*, inquit, *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Ablutos procul dubio, et sanctificatos nemo nisi fideles, et eos qui huic mundo renuntiaverint, intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, videamus utrum his illa permittat. Ita enim sequitur: *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, et venter escis; Deus autem et has et hunc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero suscitavit Dominum, et nos quoque suscitabit per virtutem suam. An nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, efficiam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro* (I *Cor.* VI, 11-20). *De quibus autem scripsistis mihi, Bonum est homini mulierem non tangere: propter incontinentiam autem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: et iterum revertimini in idipsum, ne vos tentet satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (*Ibid.* VII, 1-7).

79. Satisne vobis videtur Apostolus, et fortibus demonstrasse quid summum sit, et imbecillioribus permisisse quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait, *Vellem omnes homines esse sicut meipsum.* Huic autem summo conjugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Numquid propterea istos dixit adhuc fideles non esse, quia conjugibus utuntur? Quandoquidem hac castitate conjugii, et ex se invicem ipsos qui conjuncti sunt, si alter eorum fuerit infidelis, et eam quæ inde nascitur prolem sanctificari dixit: *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in muliere fideli, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt* (*Ibid.* 14). Quid obstrepitis pertinacia tantæ veritati? quid lucem Scripturarum vanis umbris obnubilare conamini?

80. Nolite jam dicere, catechumenis licere uti conjugibus, fidelibus autem non licere; catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam et multi sunt qui utuntur tanquam non utentes. Et illo sacrosancto lavacro inchoatur innovatio novi hominis, ut proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius: a multis tamen proceditur in novam vitam, si quisquam non inimice, sed diligenter intendat. Ipse quippe, sicut ait Apostolus, *etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16). Apostolus de die in diem interiorem hominem renovari dicit ut perficiatur, et vos a perfectione vultis incipiat. Quod utinam velitis: sed quæritis potius, non unde erigatis invalidos, sed unde fallatis incautos. Hoc enim non debuistis tanta dicere audacia, nec si vos in eis ipsis nugatoriis mandatis vestris perfectos esse constaret. Cum vero noverit vestra conscientia eos quos in sectam vestram introducitis, cum vobis familiarius jungi cœperint, multa inventuros quæ in vobis esse, cum alios accusaretis, nemo suspicabatur; quæ tanta impudentia est, perfectionem in catholicis imbecillioribus quærere, ut inde imperitos avertas, et eam nullo modo apud te iis quos averteris exhibere? Sed ne quid in vos temere jam videamur effundere, iste sit hujus voluminis modus, ut ad demonstranda præcepta vitæ vestræ, moresque memorabiles aliquando veniamus.

[1] Sic Bad. et plerique Mss. At Er. Lov. et Arn., *perniciosi.*

# LIBER SECUNDUS.

## DE MORIBUS MANICHÆORUM.

In quo refutata diligenter horum hæreticorum doctrina de origine et natura mali, excutiuntur tria illa oris, manuum et sinus, quæ ipsi in impiis suis moribus prædicabant signacula, et superstitiosa eorum abstinentia mysteriaque nefanda suggillantur. Postmodum nonnulla in iis deprehensa flagitia referuntur.

CAPUT PRIMUM. — *Summum bonum est id cui competit summe esse.*

1. Nulli esse dubium arbitror, cum de bonis et malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem pertinere disciplinam, in qua isto sermone versamur. Quamobrem vellem quidem, ut tam serenam mentis aciem homines ad hæc investiganda deferrent, ut possent videre illud summum bonum, quo non est quidquam melius aut superius, cui rationalis anima pura et perfecta subjungitur. Hoc enim intellecto atque perfecto, simul viderent id esse quod summe ac primitus esse rectissime dicitur. Hoc enim maxime esse dicendum est, quod semper eodem modo sese habet, quod omnimodo sui simile est, quod nulla ex parte corrumpi ac mutari potest, quod non subjacet tempori, quod aliter nunc se habere quam habebat antea, non potest. Id enim est quod esse verissime dicitur. Subest enim huic verbo manentis in se atque incommutabiliter sese habentis naturæ significatio. Hanc nihil aliud quam Deum possumus dicere, cui si contrarium recte quæras, nihil omnino est. Esse enim contrarium non habet, nisi non esse. Nulla est ergo Deo natura contraria. Sed quoniam ad hæc contemplanda sauciam et hebetem nugatoriis opinionibus et pravitate voluntatis aciem mentis afferimus; conemur, quantum possumus, ad qualemcumque tantæ rei notitiam pervenire pedetentim atque caute, non ut videntes, sed ut palpantes solent quærere.

CAPUT II. — *Malum quid sit. Malum esse id quod est contra naturam dicunt verissime Manichæi, sed hinc subvertitur eorum hæresis.*

2. Sæpe atque adeo pene semper, Manichæi, ab iis quibus hæresim vestram persuadere molimini, requiritis unde sit malum. Putate me nunc primitus in vos incidisse; impetrem aliquid a vobis, si placet, ut etiam vos deposita paulisper opinione, qua vos ista scire opinamini, rem tantam mecum tanquam rudes indagare tentetis. Percunctamini me unde sit malum; at ego vicissim percunctor vos quid sit malum. Cujus est justior inquisitio? eorumne qui quærunt unde sit, quod quid sit ignorant; an ejus qui prius putat esse quærendum quid sit, ut non ignotæ rei (quod absurdissimum est) origo quæratur? Verissime dicitis [1]. Quis enim ita est mente cæcus, qui non videat id cuique generi malum esse, quod contra ejus naturam est? Sed hoc constituto, evertitur hæresis vestra: nulla enim natura malum, si quod contra naturam est, id erit malum. Vos autem asseritis quamdam naturam atque substantiam malum esse. Accedit etiam illud, quod contra naturam quidquid est, utique naturæ adversatur, et eam perimere nititur. Tendit ergo id quod est, facere ut non sit. Nam et ipsa natura nihil est aliud, quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. Itaque ut nos jam novo nomine ab eo quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus: ita veteres qui hæc nomina non habebant, pro essentia et substantia naturam vocabant. Idipsum ergo malum est, si præter pertinaciam velitis attendere, deficere ab essentia et ad id tendere ut non sit.

3. Quocirca cum in Catholica dicitur, omnium naturarum atque substantiarum esse auctorem Deum, simul intelligitur ab eis qui hoc possunt intelligere, non esse Deum auctorem mali. Quomodo enim potest ille, qui omnium quæ sunt, causa est ut sint, causa esse rursus ut non sint, id est, ut ab essentia deficiant et ad non esse tendant? quod malum generale esse clamat verissima ratio. At vero illa vestra gens mali, quam vultis esse summum malum, quomodo erit contra naturam, id est contra substantiam, cum eam naturam atque substantiam esse dicatis? Si enim contra se facit, ipsum esse sibi adimit: quod si perfecerit, tunc demum perveniet ad summum malum. Non autem perficiet, quia eam non modo esse, verum etiam sempiternam esse vultis. Non potest igitur esse summum malum, quod perhibetur esse substantia.

4. Sed quid faciam? Scio plures esse in vobis, qu hæc intelligere omnino nequeant. Scio rursus esse quosdam, qui quanquam bono ingenio utcumque ista videant, mala tamen voluntate, qua ipsum quoque ingenium sunt amissuri, pertinaciter agant, et quærant potius quid adversus ista dicant, quod tardis et imbecillis facile persuadeatur, quam vera esse consentiant. Non me tamen scripsisse pœnitebit quod aut quis quam in vobis tandem non iniquo judicio consideret, vestrumque relinquat errorem; aut quod ingeniosi et Deo subditi, atque adhuc ab studio vestro integri cum legerint, non possint vestris sermonibus decipi.

CAPUT III. — *Malum si definitur id esse quod nocet, ex hoc rursus Manichæi revincuntur.*

5. Quæramus ergo ista diligentius, et quantum fieri potest, planius. Percunctor vos iterum quid sit malum? Si dixeritis, Id quod nocet; neque hic mentiemini. Sed, quæso, animadvertite; quæso, vigilate; quæso, deponite studia partium, et verum, non vin-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Collatus est (liber de Moribus Manichæorum) cum Mss. Sorbonicis tribus, Victorinis totidem, cum Navarrico, Christinæano, Cisterciensi, Regio-Montensi, Gemmeticensi, et uno e majori conventu RR. PP. Franciscanorum Paris. cum lectionibus Belgicorum quinque apud Lov., postremo cum editionibus Er. et Lov.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] Ita in hactenus editis. At in Mss. septem omittitur: *Verissime dicitis;* in aliis quatuor habetur: *Si dicitis, quod est contra naturam, verissime dicitis.*

cendi, sed inveniendi gratia quærite. Quidquid enim nocet, bono aliquo privat eam rem cui nocet : nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet. Quid hoc apertius, obsecro vos? quid planius? quid tam expositum cuivis mediocri intellectori, modo non pertinaci? Hoc autem posito, videtur jam, ut opinor, quid sequatur. In illa quippe gente quam summum malum esse suspicamini, noceri cuiquam rei non potest, ubi nihil est boni. Quod si duæ naturæ sunt, ut affirmatis, regnum lucis, et regnum tenebrarum ; quoniam regnum lucis, Deum esse fatemini, cui simplicem quamdam naturam conceditis, ita ut ibi non sit aliud alio deterius : confiteamini necesse est, quod vehementer quidem est adversum vos, sed tamen necesse est confiteamini, istam naturam, quam summum bonum non modo non negatis, sed etiam vehementer persuadere conamini, esse incommutabilem, et impenetrabilem, et incorruptibilem, et inviolabilem : non enim erit aliter summum bonum ; id est enim quo nihil est melius : tali autem naturæ noceri nullo pacto potest. At si nocere, bono privare est, sicut ostendi ; noceri non potest regno tenebrarum, quia nihil ibi boni est ; noceri non potest regno lucis, quia inviolabile est : cui igitur nocebit quod dicitis malum ?

CAPUT IV. — *Boni per se et participatione differentia.*

6. Quamobrem, cum vos expedire nequeatis, videte quam expedita sit sententia catholicæ disciplinæ, quæ aliud dicit bonum quod summe ac per se bonum est, et non participatione alicujus boni, sed propria natura [1] et essentia ; aliud quod participando bonum et habendo ; habet autem de illo summo bono ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente. Hoc autem bonum quod postea diximus, creaturam vocat, cui noceri per defectum potest : cujus defectus Deus auctor non est, quia existendi, et ut ita dicam essendi, auctor est. Ita et malum ostenditur quomodo dicatur ; non enim secundum essentiam, sed secundum privationem verissime dicitur : et natura cui noceri possit apparet. Non enim ipsa est summum malum, cui bonum adimitur cum nocetur ; neque summum bonum, quæ propterea deficere a bono potest, quia non existendo bonum, sed bonum habendo dicitur bona. Neque naturaliter bona res est, quæ cum facta dicitur, utique ut bona esset accepit. Ita et Deus summum bonum est, et ea quæ fecit, bona sunt omnia, quamvis non sint tam bona, quam est ille ipse qui fecit. Quis enim hoc tam insanus audet exigere, ut æqualia sint artifici opera, et condita conditori ? Quid amplius desideratis? An etiam vultis aliquid planius ?

CAPUT V. — *Malum si definitur esse corruptio, inde etiam funditus evertitur illorum hæresis.*

7. Quæram ergo tertio quid sit malum. Respondebitis fortasse, Corruptio. Quis et hoc negaverit, generale malum esse? Nam hoc est contra naturam, hoc est quod nocet. Sed corruptio non est in seipsa, sed in aliqua substantia quam corrumpit : non enim substantia est ipsa corruptio. Ea igitur res quam corrumpit, corruptio non est, malum non est [1]. Quod enim corrumpitur, integritate et sinceritate privatur. Quod ergo non habet ullam sinceritatem qua privetur, corrumpi non potest ; quod autem habet, profecto bonum est participatione sinceritatis. Item quod corrumpitur, profecto pervertitur ; quod autem pervertitur, ordine privatur : ordo autem bonum est. Non igitur quod corrumpitur, bono caret : eo namque ipso quo non caret, viduari dum corrumpitur potest. Gens ergo illa tenebrarum, si omni bono carebat, ut dicitis, corrumpi non poterat : non enim habebat quod ei posset auferre corruptio, quæ si nihil auferat, non corrumpit. Audete jam dicere, si potestis, Deum et Dei regnum potuisse corrumpi, si diaboli regnum quale describitis, quomodo corrumpi posset non invenitis.

CAPUT VI. — *Corruptio quam rem afficiat, et quid sit.*

8. Quid ergo hinc lux catholica [2] dicit ? Quid putatis, nisi id quod habet veritas, corrumpi posse factam substantiam : nam et illam non factam, quæ summum bonum est, esse incorruptibilem, et ipsam corruptionem, quæ summum malum est, non posse corrumpi, sed hanc non esse substantiam? Si autem quæritis quid sit, videte quo conetur perducere quæ corrumpit? ex seipsa enim afficit ea quæ corrumpuntur. Deficiunt autem omnia per corruptionem ab eo quod erant, et non permanere coguntur, non esse coguntur. Esse enim ad manendum refertur. Itaque quod summe et maxime esse dicitur, permanendo in se dicitur. Nam quod mutatur in melius, non quia manebat mutatur, sed quia pervertebatur in pejus, id est ab essentia deficiebat : cujus defectionis auctor non est qui est auctor essentiæ. Mutantur ergo quædam in meliora, et propterea tendunt esse : nec dicuntur ista mutatione perverti, sed reverti atque converti. Perversio enim contraria est ordinationi. Hæc vero quæ tendunt esse, ad ordinem tendunt : quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest. Ordo enim ad convenientiam quamdam quod ordinat redigit. Nihil est autem esse, quam unum esse. Itaque in quantum quidque unitatem adipiscitur, in tantum est. Unitatis est enim operatio, convenientia et concordia, qua sunt in quantum sunt, ea quæ composita sunt : nam simplicia per se sunt, quia una sunt ; quæ autem non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, et in tantum sunt in quantum assequuntur. Quare ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse ; quæ perversio etiam nominatur atque corruptio. Quidquid igitur corrumpitur, eo tendit ut non sit. Jam vestrum est considerare quo cogat corruptio, ut possitis invenire summum malum : nam id est quo corruptio perducere nititur.

[1] Plures Mss. isthæc omittunt : *Et non participatione alicujus boni, sed propria natura.*

[2] Hic ex Mss. restituimus, *hoc est* : necnon infra, post *non est malum*, ex iis adjecimus, *non est*, quæ in Edd. desiderantur.

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov. omissis verbis, *non est*, ita legitur : *Ea igitur res quam corrumpit corruptio, non est malum. Quod enim.* M.

[2] Editi : *Quid ergo lux catholica ?* Mss. sex : *Quid ergo hinc Catholica.* Alii quinque nostram lectionem exhibent.

CAPUT VII. — *Dei bonitas non sinit rem ullam corruptione eo perduci ut non sit. Creare et condere quo differant.*

9. Sed Dei bonitas eo rem perduci non sinit, et omnia deficientia sic ordinat, ut ibi sint ubi congruentissime possint esse, donec ordinatis motibus ad id recurrant unde defecerunt (*a*). Itaque etiam animas rationales, in quibus est potentissimum liberum arbitrium[1], deficientes a se, in inferioribus creaturæ gradibus ordinat, ubi tales esse decet. Fiunt ergo miseræ divino judicio, dum convenienter pro meritis ordinantur. Ex quo illud optime dictum est, quod insectari maxime soletis : *Ego facio bona, et creo mala* (*Isai.* XLV, 7). Creare namque dicitur condere et ordinare. Itaque in plerisque exemplaribus sic scriptum est, *Ego facio bona et condo mala*. Facere enim est, quod omnino non erat; condere autem, ordinare quod utcumque jam erat, ut melius magisque sit. Ea namque condit Deus, id est ordinat, cum dicit, *Condo mala*, quæ deficiunt, id est non esse tendunt; non ea quæ ad id quo tendunt, pervenerunt. Dictum est enim : Nihil per divinam providentiam, ad id ut non sit pervenire permittitur.

10. Tractantur[2] hæc latius et uberius, sed dum vobiscum agitur, satis est. Ostendenda enim vobis janua fuit, quam desperatis, et desperandam facitis imperitis. Nam vos introducit nemo nisi voluntas bona; quam pacatam efficit divina clementia, sicut in Evangelio canitur : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Satis est, inquam, ut videatis nullum esse de bono et malo religiosæ disputationis exitum, nisi quidquid est, in quantum est, ex Deo sit : in quantum autem ab essentia deficit, non sit ex Deo, sed tamen divina providentia semper, sicut universitati congruit, ordinetur. Quod si nondum videtis, quid amplius nunc faciam nescio, nisi ut minutius etiam tractem ista quæ dicta sunt. Non enim ad majora mentem nisi pietas puritasque perducit.

CAPUT VIII. — *Malum est, non substantia ulla, sed substantiæ inimica inconvenientia.*

11. Quid enim aliud, cum quæro quid sit malum, responsuri estis, nisi aut quod contra naturam est, aut quod noceat, aut corruptionem, aut aliquid hujusmodi? At in his ostendi vestra naufragia, nisi forte, ut soletis cum pueris pueriliter agere[3], respondebitis malum esse ignem, venenum, feram, et cætera hujusmodi. Nam etiam de quodam dicente, nullam substantiam malum esse, unus de primatibus hujus hæresis, quem familiarius crebriusque audiebamus, dicebat : Vellem scorpionem in manu hominis ponere, ac videre utrum non subtraheret manum; quod si faceret, non verbis, sed re ipsa convinceretur aliquam substantiam malum esse, quandoquidem illud animal esse substantiam non negaret. Et dicebat hoc non coram illo, sed cum ad eum nos commoti referremus quod ille dixisset : respondebat ergo, ut dixi, pueriliter pueris. Quis enim meliuscule imbutus et eruditus, non videat per inconvenientiam corporalis temperationis hæc lædere, ac rursus per convenientiam non lædere, sæpe etiam commodanon parva conferre? Nam si illud venenum per seipsum malum esset, eumdem scorpionem magis priusque perimeret. At contra, si ei penitus aliquo pacto detrahatur, sine dubitatione interiret. Ergo illius corpori malum est amittere quod nostro recipere : item illi bonum est habere id quo nobis bonum est carere. Erit ergo eadem res et bonum et malum? Nullo modo; sed malum est quod contra naturam est : hoc enim et bestiæ illi et nobis malum est, id est ipsa inconvenientia, quæ sine dubio non est substantia, imo est inimica substantiæ. Unde est igitur? Attende quo cogat, et disces; si tamen in te aliquid interioris luminis vivit. Non esse enim cogit omne quod perimit. Deus vero auctor essentiæ est : nec aliqua essentia potest videri esse, quod in qua fuerit cogit non esse. Dicitur ergo aliquid unde non sit inconvenientia; nam unde sit nihil dici potest.

12. Quædam facinorosa mulier Atheniensis, ut prodit historia, venenum quod certo modulo damnati ut morerentur hauriebant, paulatim bibendo sine ullo vel levi incommodo valetudinis effecit ut biberet. Itaque, cum esset aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quam consuetudine vicerat, accepit ut cæteri, nec ut cæteri exstincta est. Quod cum esset magno miraculo, missa est in exsilium. Quid putamus, si venenum malum est, istam fecisse ut sibi malum non esset? Quid hoc absurdius? Sed quia inconvenientia malum est, fecit potius ut per moderatam consuetudinem illud corpus suo corpori conveniret. Nam quando illa qualibet calliditate posset efficere, ut sibi inconvenientia non noceret? Quid ita? Quia quod vere et generaliter malum est, et semper et omnibus nocet. Oleum nostris corporibus commodum est, animalium autem multis, quæ sex pedes habent, vehementer adversum. Elleborum, nonne alio modo cibus est, alio medicamentum, alio venenum? Salem immoderatius acceptum, quis non venenum esse clamaverit? quot autem et quantæ corporis commoditates ex eo sint, quis potest numerare? Aqua maris terrenis animalibus cum bibitur, noxia est : multorum autem corporibus, dum illa humectantur, accommodatissima et utilis : in utroque autem piscibus saluti et voluptati est. Panis hominem alit, accipitrem necat. Cœnum ipsum, quod et haustum et olfactum graviter offendit et lædit, nonne et æstate tactum refrigerat, et vulneribus quæ ab igne acciderunt, medicamentum est? Quid stercore aspernabilius? quid cinere abjectius? At hæc tantas agris utilitates afferunt, ut eorum inventori, a quo etiam stercus nomen accepit, Stercutio divinos honores Romani deferendos putarent.

13. Sed quid parva colligam, quæ sunt innumerabilia? Quatuor ipsa quæ in promptu sunt elementa, quis dubitet prodesse per convenientiam, inconvenienter autem adhibita, vehementer adversa esse naturæ?

[1] Editi, *potissimum*, pro quo Mss. undecim habent, *potentissimum*.

[2] Ita in Mss. At in excusis : *Tractarentur*.

[3] Mss. septem et Chevalloniana editio sic habent : *Soletis cum angustiati fueritis, pueriliter agere*. Paulo post in excusis legitur, *nullam substantiam malam esse*; ubi ad Mss. castigavimus, *malum esse*.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 6.

Nos qui aere vivimus, et terra et aqua obrutos necant: innumerabilia vero animantia per arenam laxioremque terram repunt vitaliter : pisces autem in hoc aere moriuntur. Ignis corpora nostra corrumpit, sed convenienter adhibitus, et resumit a frigore, et morbos innumerabiles pellit. Sol iste cui genu flectitis, quo vere nihil inter visibilia pulchrius invenitur, aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus et tenebrat: sed fit per consuetudinem ut nos quoque in eo sine incommodo aciem figamus. Num ergo sinitis ut illi veneno eum comparemus, quod mulieri Atheniensi consuetudo fecit innoxium? Respicite ergo aliquando et advertite, si substantia ulla malum est, ideo quod lædit aliquem, lucem quam colitis ab hoc crimine non posse defendi. Considerate potius hanc inconvenientiam universale malum esse, per quam solis radius tenebrascere oculos facit, cum eis nihil sit luce jucundius.

CAPUT IX. — *Ne consistere quidem Manichæorum fabulas de bonis et malis.*

14. Hæc dixi, ut, si fieri potest, tandem dicere desinatis malum esse terram per immensum profundam et longam; malum esse mentem per terram vagantem; malum esse quinque antra elementorum, aliud tenebris, aliud aquis, aliud ventis, aliud igni, aliud fumo plenum; malum esse animalia in illis singulis nata elementis, serpentia in tenebris, natantia in aquis, volatilia in ventis, quadrupedia in igne, bipedia in fumo. Hæc enim sicut a vobis describuntur, nullo modo esse poterunt; quoniam quidquid tale est, in quantum est, a summo Deo sit necesse est, quoniam in quantum est, utique bonum est. Si enim dolor et imbecillitas malum est, erant ibi animalia in tanta corporis firmitate, ut eorum abortivos fetus, postquam de his secundum vestram sectam fabricatus est mundus, de cœlo in terram cecidisse et mori non potuisse dicatis. Si cæcitas malum est, videbant: si surditas, audiebant. Si obmutescere aut mutum esse malum est, usque adeo signatæ atque distinctæ ibi voces erant, ut adversus Deum bellum gerere, sicut asseritis, eis in concione uno persuadente placuerit. Si sterilitas malum est, erat ibi filios procreandi magna fecunditas. Si exsilium malum est, in sua terra erant, suasque regiones incolebant. Si servitus malum est, erant ibi etiam qui regnabant. Si mors malum est, vivebant, et ita vivebant, ut mentem ipsam prorsus, nec post victoriam Dei, ullo modo unquam mori posse prædicetis.

15. Cur, quæso, in summo malo invenio tanta bona iis malis, quæ commemoravi, contraria? Aut si hæc non sunt mala, ullane tandem substantia, in quantum substantia est, malum erit? Si malum imbecillitas non est, malumne erit corpus infirmum? Si malum cæcitas non est, malumne erunt tenebræ? Si malum surditas non est, malumne erit surdus? Si malum non est mutum esse, malumne erit piscis? Si sterilitas malum non est, quomodo malum est animal sterile? Si exsilium malum non est, quomodo malum est animal exsulans, vel animal in exsilium aliquem mittens? Si servitus malum non est, quomodo malum est animal serviens, vel servire quempiam cogens [1]? Si mors malum non est, quomodo malum est animal mortale, vel inferens mortem? Si vero hæc mala sunt, quomodo non erunt bona firmitas corporis, visus, auditus, locutio persuadens, fecunditas, solum genitale, libertas, vita, quæ omnia in illo mali regno fuisse perhibetis, et summum malum audetis asserere?

16. Postremo si (quod omnino nemo unquam negavit) inconvenientia malum est, quid convenientius quam illa suis quibusque animalibus elementa; tenebræ serpentibus, aquæ natantibus, venti volantibus, ignis edacioribus, fumus elatioribus? Tanta enim a vobis in discordiæ gente concordia, et tantus in perversitatis sede ordo describitur. Si quod nocet, malum est, omitto illud valentissimum quod supra dictum est, noceri non potuisse, ubi nullum erat bonum : sed si hoc obscurum est, illud certe omnibus eminet et apparet, quia, sicut dixi, et ut omnes consentiunt, quod nocet est malum : fumus in illa gente bipedibus animalibus non nocebat; genuit ea, et aluit atque sustinuit sine labe nascentia, crescentia, regnantia. Nunc vero postquam mixtum est malo bonum, nocentior fumus effectus est; ita ut a nobis qui certe bipedes sumus, sustineri non possit, excæcat, opprimit, necat. Tantane malis elementis commixtione boni accessit immanitas? tanta Deo regnante perversitas?

17. Certe cur in cæteris videmus istam congruentiam, quæ auctorem vestrum decepit atque illexit ad componenda mendacia? Cur, inquam, tenebræ serpentibus, aquæ natantibus, venti volantibus congruunt; quadrupedem vero ignis incendit, et nos fumus offocat? Quid quod etiam serpentes acutissime vident, et præsentia solis exsultant, ibique sunt abundantiores, ubi aer serenior difficilius et rarius nubem contrahit? Quid absurdius, quam ibi esse accommodatius et aptius incolas amatoresque tenebrarum, ubi lucis perspicuitate gaudetur? Quod si eos dicitis delectari potius calore quam lumine, multo congruentius in igne serpentes alacres natos, quam tardum asinum diceretis : et tamen luci huic amicam aspidem quis neget, cum ejus oculi aquilæ oculis comparentur? Sed de bestiis videro. Nos ipsos, obsecro, consideremus sine pertinacia, et tandem fabulis vanis et perniciosis animum exuamus. Quis enim tantam perversitatem ferat, qua dicitur in tenebrarum gente, cui nihil admixtum erat luminis, animalia bipedia tam firmam, tam vegetam, tam denique incredibilem vim habuisse in oculorum acie, ut et in tenebris suis viderent purissimam, quæ a vobis commendatur, regnorum Dei lucem (siquidem illam etiam talibus visibilem fuisse vultis), et aspicerent, et considerarent, et delectarentur, et appeterent : nostros autem oculos commixtione lucis, commixtione summi

[1] Editi et plerique Mss. non habent, *vel servire quempiam cogens*; quæ verba ex codice Regio-Montensi et tribus Sorbonicis adjecimus.

boni, commixtione denique Dei tam infirmos, tam imbecillos esse redditos, ut neque quidquam videamus in tenebris, et solis aspectum nullo modo ferre possimus, atque inde conversi, etiam quæ a nobis videbantur, quæramus?

18. Hæc dici possunt, etiam si corruptio malum est, quod æque nemo ambigit: non enim tunc fumus corrumpebat genus animalium, quod modo corrumpit. Et ne pergam per singula, quod longum est et non necessarium, usque adeo minus erant corruptioni obnoxia, quæ ibi animantia fuisse confingitis, ut abortivi eorum fetus nondum ad nascendum idonei, de cœlo in terram præcipitati, et vivere, et gignere, et rursus conjurare potuerint, habentes utique pristinam firmitatem, quia jam erant concepti [1] ante commixtionem boni et mali: nam post istam concretionem quæ de iis nata sunt, ea dicitis esse animalia, quæ nunc infirmissima et facile corruptioni cedentia videmus: quis hunc diutius tolerare possit errorem, nisi qui aut ista non videt, aut nescio qua incredibili consuetudine ac familiaritate vobiscum contra omnes moles rationis obduruit?

CAPUT X. — *Tria signacula morum a Manichæis perperam excogitata.*

19. Sed quoniam ostendi, ut arbitror, de bonis et malis generalibus, in quantis tenebris et in quanta falsitate versemini; nunc videamus tria illa signacula, quæ in vestris moribus magna laude ac prædicatione jactatis. Quæ sunt tandem ista signacula? Oris certe, et manuum, et sinus. Quid est hoc? Ut ore, inquit, et manibus, et sinu castus et innocens sit homo. Quid, si oculis, auribus, naribus peccet? quid, si calcibus hominem affligat, vel etiam necet? Quomodo istum tenebimus reum, qui nec ore, nec manibus, nec sinu peccavit? Sed cum os, inquit, nomino, omnes sensus qui sunt in capite, intelligi volo; cum autem manum, omnem operationem; cum sinum, omnem libidinem seminalem. Quo ergo vultis pertinere blasphemias? ad os, an ad manum? Est enim operatio ista per linguam. Itaque si uno genere operationem omnem concluditis, cur operationem pedum conjungitis manibus, linguæ separatis? An, quia lingua verbis significat aliquid, eam vultis sejungere ab ea operatione quæ non significandi gratia fit; ita ut definiatur signaculum manuum, ab operatione mala, quæ non significandi causa est, continentia? Sed quid facturi estis, si quis peccet significando aliquid manibus, ut fit cum scribimus, vel gestu aliquid quod intelligatur ostendimus? hoc enim ori atque linguæ tribuere non potestis, quia manibus fit. Quid enim absurdius, quam ut cum tria dicantur signacula, oris, manuum, et sinus, quædam peccata deprehensa in manibus tribuantur ori? Si autem operatio generalis manibus datur, quæ tandem ratio est pedum operationem huic addere, linguæ non addere? Videtisne quomodo novitatis appetitio comite errore in magnas deducatur angustias? Tribus namque istis signaculis, quæ nova quadam divisione prædicatis, quomodo includatis omnium peccatorum purgationem non invenitis.

CAPUT XI. — *Signaculum oris quale apud Manichæos, qui blasphemiæ in Deum rei esse convincuntur.*

20. Sed dividite ut vultis, prætermittite quidquid vultis: ea quæ maxime soletis commendare, tractemus. Ad oris enim signaculum dicitis pertinere, ab omni continere blasphemia. Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest; Deus vero sine controversia bonus est. Si ergo ratio convincerit, neminem de Deo pejora quam vos dicere, ubi erit memorabile oris signaculum? Docet enim ratio, nec sane recondita, sed in promptu sita et exposita omnium intellectui, sed invicta et eo invictior quod eam nemo ignorare permittitur, Deum esse incorruptibilem, incommutabilem, inviolabilem, in quem nulla indigentia, nulla imbecillitas, nulla miseria cadere possit. Usque adeo autem ista omnis anima rationalis communiter sentit, ut etiam vos cum dicuntur, annuatis.

21. Sed cum fabulas vestras narrare cœperitis, et corruptibilem, et commutabilem, et violabilem, et indigentiæ obnoxium, et imbecillitatem admittentem, et a miseria non tutum Deum mira cæcitate possessi suadetis, et mira cæcitate possessis etiam persuadetis. Atque hoc parum est: non enim corruptibilem tantum Deum dicitis, sed corruptum; nec et commutabilem, sed commutatum; nec violabilem, sed violatum; nec qui possit indigentiam pati, sed indigentem; nec in quem casura sit, sed in quem ceciderit imbecillitas; nec qui miser esse possit, sed miserum. Animam quippe Deum esse dicitis vel partem Dei. Nec video quomodo Deus non sit, quæ pars Dei dicitur: nam et auri pars aurum, et argenti argentum, et lapidis lapis; et, ut ad hæc majora veniamus, pars terræ terra est, et aquæ pars aqua, et aeris aer, et si quid de igne detraxeris, ignem esse non negabis, et quælibet pars lucis nihil potest esse aliud quam lux. Cur ergo pars Dei non erit Deus? An articulata Dei forma est [1], sicut hominis, reliquorumque animantium? nam pars hominis non est homo.

22. Sed ad quamlibet istarum opinionum descendo, et singillatim utramque considero. Nam si Deum ita esse vultis ut lucem, recusare non potestis Deum esse aliquam partem Dei. Quamobrem, cum partem Dei esse animam dicitis, quam non negatis et corruptam esse, quæ stulta est; et commutatam, quæ sapiens fuit; et violatam, quæ propriam perfectionem non habet; et indigentem, quæ poscit auxilium; et imbecillam, quæ medicina eget; et miseram, quæ beata esse desiderat: hæc omnia in Deum sacrilega opinione confertis. Aut si non conceditis hæc de anima, nec Spiritus est necessarius [2], qui animam in veritatem inducat, quia stulta

[1] Editi, *qua jam erant concepti*. Undecim Mss., *quia*. Fortean pro, *in qua*.

[1] Ms. Regius sic habet, *an particula Dei anima est sicut*.

[2] Mss. septem, *nec apostolus est necessarius*. Alii Cdd., *nec Spiritus est necessarius*. Forte utrumque ad textum pertinet. Notatur enim Manichæus, qui apostoli sibi titulum vindicabat, ex libro de Moribus Eccl. cap. 33, n. 72; quique Spiri-

non est; nec renovatur anima per veram religionem, quia inveterata non est; nec signaculis vestris perficitur, quia perfecta est; nec ei Deus opem fert, quia non indiget; nec medicus est Christus, quia sana est; nec beata ei vita recte promittitur. Quid quod liberator dicitur Jesus, quod et ipse in Evangelio clamat: *Si vos Filius liberaverit*, tunc *vere liberi eritis*? (*Joan.* VIII, 36.) Et apostolus Paulus ait: *Vos in libertatem vocati estis* (*Galat.* v, 13). Servit ergo anima quæ istam libertatem nondum est assecuta. Deus igitur vobis auctoribus, siquidem pars Dei est Deus, et stultitia corrumpitur, et cadendo mutatus est, et amissa perfectione violatus, et opis indiget, et debilis morbo, et oppressus miseria, et servitute turpatus est.

23. Quod si Dei pars Deus non est; nec incorruptus potest esse, in cujus parte corruptio est; nec incommutatus, qui ex aliqua parte mutatus est; nec inviolatus, qui non ex omni parte perfectus; neque non indigens, qui sedulo agit ut sibi restituat partem suam; nec omnino sanus, qui aliqua parte imbecillus est; nec beatissimus, qui habet aliquam partem subjectam miseriæ; nec omnino liber, cujus pars aliqua premitur servitute. Hæc omnia cogimini dicere, cum animam, quam tantis obrutam calamitatibus cernitis, partem Dei esse perhibetis. Hæc et multa hujuscemodi de secta vestra si potestis auferre, tunc demum dicite os vestrum carere blasphemiis. Imo sectam illam deserite: nam si hoc quod ille scripsit destiteritis credere ac dicere, manichæi utique non eritis.

24. Summum bonum omnino, et quo esse aut cogitari melius nihil possit, aut intelligendus, aut credendus Deus est, si blasphemiis carere cogitamus. Ratio aliqua numerorum violari et commutari nullo pacto potest, nec ulla natura qualibet violentia effecerit ut post unum qui sequitur numerus, non duplo ei concinat. Hoc commutari nullo pacto potest, et Deus a vobis commutabilis dicitur! Tenet ista ratio inviolabilem integritatem suam, et ei saltem parem Deum esse non vultis! Faciat quælibet gens tenebrarum, ut ternarius intelligibilis numerus, in quo ita unum est, quod unum est, ut partibus careat; faciat ergo gens ista tenebrarum, ut numerus iste ternarius in duas partes æquales dividatur. Videt certe mens vestra nullius id malevolentia posse contingere. Quæ ergo rationem numeri violare non poterat, poterat Deum? Si autem non poterat, quæ, obsecro, necessitas fuit ut pars ejus misceretur malo, et in tantas miserias truderetur?

CAPUT XII. — *Excludit Manichæorum suffugia.*

25. Hinc enim illud exortum est, quod etiam cum studiose vos audiremus, nos magnis premebat angustiis; nec ullum exitum reperiebamus, quærentes quid factura erat Deo gens tenebrarum, si cum ea nollet cum tanta partis suæ calamitate pugnare. Si enim non erat nocitura quiescenti, crudeliter nobiscum actum querebamur, qui ad istas ærumnas missi sumus: si autem nocitura erat, non esse illam naturam incorruptibilem, qualis natura Dei esse debebat. In hac quæstione non defuit qui diceret, non Deum malo carere voluisse, aut ne sibi noceretur cavisse, sed propter naturalem bonitatem suam inquietæ perversæque naturæ, ut ordinata esset prodesse voluisse. Non hoc sonant libri manichæi; cavisse Deum ne invaderetur ab hostibus, sæpissime ibi significatur, sæpissime dicitur. Sed concedamus ista Manichæum sensisse, ut ille dicebat, qui non inveniebat aliud quod diceret; num ista ratione Deus a crudelitate aut infirmitate defenditur? Hæc enim ejus in adversam gentem bonitas, in suos exstitit magna pernicies. Huc accedit, quia si natura illius corrumpi commutarique non posset, nec nos ulla pestis commutaret atque corrumperet; et ille ordo qui naturæ alienæ præstandus fuit, posset sine nostra perversitate præstari.

26. Illud vero nondum dictum erat, quod nuper apud Carthaginem audivi (*a*). Cum enim quidam, quem maxime illo errore cupio liberari, hac quæstione in easdem compingeretur angustias, ausus est dicere, scilicet regnum habuisse quosdam fines suos, qui possent invadi a gente contraria; nam ipsum Deum nullo modo potuisse violari. Sed dixit quod neque auctor ille vester ullo modo dicere cogeretur: videret enim fortasse consequentes ruinas suæ sectæ multo per hanc sententiam, quam per aliam faciliores. Et revera ita se hoc habet, ut si quisquam mediocris cordis audierit in natura illa fuisse aliud violabile, aliud inviolabile, facile intelligat non jam duas, sed tres esse naturas, unam inviolabilem, alteram violabilem, tertiam violatricem.

CAPUT XIII. — *Non ex rebus sed ex intentione facta æstimantur: hinc de Manichæorum abstinentia ferendum judicium.*

27. Hæ igitur blasphemiæ, cum a corde profectæ, quotidie in ore vestro habitent, desinite aliquando signaculum oris vestri, ad imperitorum illecebram, quasi magnum aliquid prædicare. Nisi forte quod non vescimini carnibus, et vinum non bibitis, signaculum oris mirandum et laudandum putatis. Quod quæro a vobis quo fine faciatis. Finis enim quo referuntur ea quæ facimus, id est propter quem facimus quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt: sin ille jure meritoque culpatur, quem spectamus et intuemur, cum in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit.

28. De Catilina memoriæ proditum est quod frigus

tum sanctum personaliter in se esse mentiebatur, ex libro 5 Confessionum, cap. 5, n. 8. Hic autem paulo post legendum videtur, *nec renovatur anima per vestram religionem*: et paulo inferius habent plerique Mss., *quia mutata non est*; ubi excusi *inveterata*.

(*a*) Etsi vox, *nuper*, ad aliquot annos porrigatur nonnunquam; hoc tamen loco nescimus an proximum tempus denotet. Nam subindicare videtur quæstioni illi (quæ quidem apud Italiam «ab usque Carthagine a Nebridio proponi solebat,» uti legimus in lib. 7 Confess. cap. 2, n. 3) responsum istud alterum pro Manichæis redditum esse, non primo tempore propositæ a Nebridio quæstionis, aut eo quo studiose Manichæos audiebat Augustinus, sed aliquanto recentiore, ac forte nonnisi post ipsius regressum ex Italia. Quod si ita est, libro huic Romæ a se scripto locum hunc secunda manu, dum ejus publicationem differt, adjecerit.

sitim, famem ferre poterat (*Sallustius, in prolog. Catilin. cap.* 3). Hæc erant illi spurco sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia. Unde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo quem diversissimum sequebatur? Namque ille ista tolerabat, ut immoderatissimas et immanissimas expleret cupiditates : illi e contra, ut eas premerent, et dominanti rationi servire cogerent. Soletis et vos, cum catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere : Etiam mula virgo est. Temere id quidem, propter imperitiam catholicæ disciplinæ; sed tamen significantes vanam esse continentiam istam, nisi ad aliquem rectissimum finem certa ratione referatur. Possunt et Catholici christiani vestram a vino et carnibus abstinentiam, jumentis et multis passeribus, postremo etiam innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed ne in vestram incidam temeritatem, non id præpropere faciam, sed discutiam primo quo ista fine faciatis. Jam enim constat inter nos, ut opinor, hujuscemodi moribus nihil aliud esse quærendum. Si ergo parcimoniæ gratia et coercendæ libidinis, qua escis talibus et potu delectamur et capimur, audio et probo : sed non ita est.

29. Nam quæro a vobis, si quis existat, quod fieri potest, ita homo parcus et frugi, ut appetitum ventris et gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem; et huic cœnanti oluscula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami sat est; sitimque irriget propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus [1], isque illi victus sit quotidianus : alius vero ex alia parte nihil gustans carnium, nihil vini, exquisitas et peregrinas fruges multis ferculis variatas et largo pipere aspersas nona hora libenter assumat, noctis etiam principio talia cœnaturus; bibat autem mulsum, carœnum passum, et nonnullorum pomorum expressos succos, vini speciem satis imitantes, atque id etiam suavitate vincentes; et bibat non quantum sitit, sed quantum libet; idque sibi exhibendum curet quotidie, talique victu deliciisque perfruatur, nulla necessitate, magna voluptate : quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potandumque attinet, abstinentius vitam ducere judicatis? Non opinor usque adeo vos esse cæcos, quin illum de parco lardo et vino, huic gurgiti præferatis.

30. Ita quidem veritas cogit; sed vester error longe aliter canit. Electus enim vester tribus signaculis prædicatus, si quotidie ita vivat, ut hic quem posterius descripsimus, ab uno, et fortasse duobus gravioribus reprehendi potest, damnari autem tanquam signaculi dissignator [2] omnino non potest. Si autem semel cum illo priore cœnaverit, frustoque pernæ vel rancido labra unxerit, et vappa udaverit, solutor signaculi et gehennæ illico destinatus, vestri auctoris sententia, mirantibus vobis, sed tamen consentientibus, judicabitur. Quæso, relinquite errorem; quæso, advertite rationem; quæso, aliquantulum consuetudini obsistite. Quid enim est ista pravitate perversius? quid magis delirum? Quid porro insanius dici aut cogitari potest, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carœnum, piper, laser, distento ventre cum gratulatione ructantem, et quotidie talia requirentem, non inveniri quemadmodum a tribus signaculis, id est a regula sanctitatis excidisse videatur; alium vero fruges vilissimas fumoso obsonio condientem, tantumque hinc assumentem, quantum refectioni corporis sufficit, et tres cyathos vini sustentandæ valetudinis gratia sorbentem, et ab illo victu ad istum transeuntem, certo supplicio præparari?

CAPUT XIV. — *Tribus causis abstinetur laudabiliter a certis ciborum generibus.*

31. At enim ait Apostolus, *Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum* (*Rom.* XIV, 21). Quasi veroquisquam nostrum id bonum neget : sed aut eo fine quem superius commemoravi, secundum quem dicitur, *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Ib.*, XIII, 14) : aut eis quos rursus idem Paulus ostendit; id est, aut refrenandæ gulæ causa, quæ his rebus solet rabidius immoderatiusque raptari; aut ne frater offendatur, aut ab infirmis idolio communicetur. Eo enim tempore, quo hæc scribebat Apostolus, multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia vino etiam libabatur diis Gentium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his venalibus utebantur, penitus a carnibus se et vino cohibere maluerunt, quam vel nescientes incidere in eam quam putabant cum idolis communicationem. Propter hos autem etiam ii qui firmiores erant, et hæc majori fide contemnenda judicarant, scientes nihil immundum esse nisi per malam conscientiam, tenentesque illam Dominisententiam, *Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV, 11); tamen propter hos infirmiores, ne offenderentur, ab his rebus abstinere debebant. Neque hoc suspicione colligitur, sed in ipsis Apostoli Epistolis manifeste invenitur. Vos enim hoc solum nobis dicere soletis, *Bonum est, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum;* non autem subjungere illud quod sequitur, *neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur*. Hinc enim elucet quo fine Apostolus hæc præcipiebat.

32. Planius hoc indicant superiora et sequentia, quæ commemorare longum est quidem, sed propter eos, qui ad divinas Scripturas legendas et pertractandas pigri sunt, totum istum locum retexere coginur. *Infirmum autem in fide assumite*, inquit, *non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia : qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo Domino stat, aut cadit : stabit autem; potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit : et qui manducat,*

[1] Mss. sex probæ notæ, *aut tribus minime meracis potionibus*. Alii tres, *aut tribus vini potionibus*.

[2] Er., *dissipator*. Lov., *dissignitor*. At Mss. septem, *dissignator*. Alii quatuor habent, *designator*.

*Domino manducat; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus et vixit* [1], *et mortuus est, et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei. Scriptum est enim* (*Isa.* XLV, 23, 24) : *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et confitebitur omnis lingua Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem dijudicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, non jam secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo perdere illum, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offensionem manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes penes temetipsum, habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem* [2]. *Etenim Christus non sibi placuit* (*Rom.* XIV, *et* XV, 1-3).

33. Satisne apparet Apostolum eis præcepisse ut carnes non manducarent, neque vinum biberent quicumque firmiores essent, quia infirmos offendebant non eis congruendo, et faciebant ut putarent eos qui fide omnia munda judicabant, in obsequium idolorum a talibus epulis et potu nolle abstinere? Hoc significat et ad Corinthios hoc modo scribens : *De escis autem sacrificiorum quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra; nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem in conscientia sua usque adhuc in idolio quasi idolothytum manducant, et conscientia eorum cum sit infirma, inquinatur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum ne fratrem scandalizem* (I *Cor.* VIII, 4 etc.).

34. Item alio loco : *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod* [1] *idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid illo fortiores sumus? Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt : omnia mihi licita sunt, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis; nolite manducare, propter illum qui indicat, et propter conscientiam : conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. Utquid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro quo gratias ago? Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis et Græcis et Ecclesiæ Dei, sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* X, 19-33, *et* XI, 1).

35. Apparet igitur, ut opinor, quo fine a carnibus et a vino sit abstinendum. Is finis est triplex. Ad comprimendam delectationem, quæ in his maxime cibis haberi solet, atque in tali potu usque ad ebrietatem pervenire. Ad tuendam infirmitatem, propter illa quæ sacrificantur atque libantur. Et quod maxime commendandum est, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas. Vos autem immunda esse obsonia dicitis, cum dicat Apostolus omnia munda esse, sed ei malum esse qui per offensionem manducat. Et prorsus credo vos istis epulis inquinari, eo ipso quo immunda esse arbitramini. Ait enim : *Credo et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum; sed ei qui existimat aliquid commune esse, illi commune est.* Cui autem dubium est, commune illum immundum et inquinatum vocasse? Sed stultum est vobiscum agere de Scripturis, cum et rationem pollicendo decipiatis, et eos Libros, in quibus magna est religionis auctoritas, falsis capitibus immissis corruptos esse dicatis. Ratione igitur mihi persuadete quomodo vescentem carnes coinquinent, si sine ulla offensione, sine ulla infirma opinione, sine ulla libidine sumuntur?

### CAPUT XV. — *Esum carnium cur interdicant Manichæi.*

36. Operæ pretium est totam superstitiosæ hujus

[1] Editi, *et vivit.* Mss., *et vixit* : porro neutrum hic loci in sacris Codicibus reperitur.

[2] Mss. novem, *placeat ad bonam ædificationem.*

[1] Mss. novem, *non quod.*

abstinentiæ rationem cognoscere, quæ ita redditur : Quoniam, inquit, membrum Dei malorum substantiæ commixtum est, ut eam refrenaret, atque a summo furore comprimeret (sic enim dicitis), de commixta utraque natura, id est boni et mali, mundus est fabricatus. Pars autem illa divina ex omni parte mundi quotidie purgatur, et in sua regna resumitur : sed hæc per terram exhalans, et ad cœlum tendens, incurrit in stirpes, quoniam radicibus terræ affiguntur, atque ita omnes herbas, et arbusta omnia fecundat et vegetat. Hinc animalia cibum capiunt, quæ si concumbunt, ligant in carne divinum illud membrum, et a certo suo itinere aversum atque impeditum, erroribus ærumnisque implicant. Itaque cibi qui de frugibus et pomis parantur, si ad sanctos, id est ad Manichæos veniant, per eorum castitatem, et orationes, et psalmos, quidquid in eis est luculentum et divinum purgatur [1], id est ex omni parte perficitur, ut ad regna propria sine ulla sordium difficultate referatur. Hinc est quod mendicanti homini, qui manichæus non sit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipsam, quæ omnibus vilis est, dari prohibetis; ne membrum Dei, quod his rebus admixtum est, suis peccatis sordidatum a reditu impediat.

37. Carnes autem jam de ipsis sordibus dicitis esse concretas. Fugit enim aliquid partis illius divinæ, ut perhibetis, dum fruges et poma carpuntur; fugit cum affliguntur vel terendo vel molendo vel coquendo, vel etiam mordendo atque mandendo. Fugit etiam in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel cum exercentur, vel cum laborant, vel cum omnino aliquid operantur. Fugit etiam in ipsa quiete nostra, dum in corpore, illa quæ appellatur digestio, interiore calore conficitur. Atque ita tot occasionibus divina fugiente natura, quiddam sordidissimum remanet, unde per concubitum caro formetur; cum anima tamen boni generis [2], quoniam quamvis plurimum, non tamen totum bonum, memoratis illis motibus evolat. Quocirca, cum anima etiam carnem deseruerit, nimias sordes reliquas fieri, et ideo eorum qui vescuntur carnibus, animam coinquinari.

CAPUT XVI. — *Aperit portentosa Manichæorum mysteria.*

38. O rerum naturæ obscuritas, quantum tegmen est falsitatis? Quis non, hæc audiens, qui rerum causas non didicit, qui nondum veritatis quantulocumque lumine aspersus corporeis imaginibus fallitur, eo ipso quo hæc minime apparent, et per quædam simulacra rerum visibilium cogitantur, et diserte dici possunt, vera esse arbitretur? Talium autem hominum magnæ turbæ atque greges vocantur, quos religiosus timor ab his fallaciis potius quam ratio tutos facit. Quamobrem ita ego ista conabor refellere, quantum me Deus adjuvare dignabitur, ut non solum prudentium judicio, quo simul ac dicta fuerint improbentur, sed ipsi etiam vulgari intelligentiæ, quam sint falsa et absurda satis eluceat.

39. Primo enim quæro, unde doceatis in frumentis, ac legumine, et oleribus, et floribus, et pomis inesse istam nescio quam partem Dei. Ex ipso coloris nitore, inquiunt, et odoris jucunditate, et saporis suavitate manifestum est : quæ dum non habent putria, eodem bono sese deserta esse significant. Non pudet Deum naso et palato inventum putare? sed hæc omitto. Latine enim vobis dicam, et, ut dici assolet, multum est ad vos. Illud potius qualicumque mente intelligendum fuit, si colore apparet in corporibus boni præsentia, fimum animalium, quod ipsarum etiam carnium purgamentum est, diversis nitere coloribus, alias candido, plerumque aureolo, et aliis hujusmodi, quos in pomis et floribus velut testes Dei præsentis atque inhærentis accipitis. Quid tandem causæ est, quod ruborem in rosa indicem abundantis boni esse perhibetis, et eumdem damnatis in sanguine? Cur in viola eumdem colorem amplectimini, quem in choleribus [1], in morbo ictericorum, in infantis denique fimo aspernamini? Cur nitorem atque fulgorem olei, clamare copiam coadmixti boni arbitramini, et ad id purgandum fauces et ventrem paratis; de pingui autem carne simillimi fulgoris destillantibus guttis labra contingere formidatis? Cur de thesauris Dei melonem putatis aureum esse; et pernæ adipem rancidam, vel ovi medium non putatis? Cur vobis candor in lactucis prædicat Deum, in lacte non prædicat? De coloribus enim adhuc loquor, in quibus (ut omittam cætera), unius pavonis pennis et plumis, quæ certe de concubitu et carne nascuntur, nulla potestis vestita floribus prata conferre.

40. Nam si et odore invenitur hoc bonum, nonnullorum animalium carnibus miri odoris conficiuntur unguenta. Cibi denique ipsi, qui cum carnibus meliusculis concoqui solent, multo jucundius olent quam si eis caro defuisset. Postremo si suavius olentia mundiora judicatis, quodam luto vesci avidius, quam cisterninam aquam bibere debuistis; quia perfusa imbri terra siccior, nares miro odore permulcet, meliusque olet tale lutum, quam si exciperetur pluvia purior. Quod si saporem opus est attestari, ut cognoscamus habitare in corpore aliquid Dei, magis habitat in dactylis et melle quam in carne porcina, sed magis in carne porcina quam in faba; magis in fico quam in ficato, ecce concedo; sed et vos concedite, magis in ficato quam in beta. Quid quod ista ratione cogimini confiteri, quasdam stirpes, quas certe omnes mundiores vultis quam carnem, ex ipsa carne accipere Deum, si sapore Deus immixtus agnoscitur? Nam et olera sapidiora fiunt cocta cum carnibus : et herbas quibus pecora pascuntur, gustare non possumus; conversas autem in succum lactis, et colore præstan-

[1] Editi, *lutulentum purgatur*. At Mss. octo, *luculentum et divinum*; uti legi postulant sequentia verba, *perficitur ut ad regna*, etc.

[2] Er. et Lov. omissa præpositione, *cum*, sic textum interpungunt : *caro formetur. Anima tamen boni*, etc. Sed aliquanto concinnior Mss. lectio quam hic reddimus.

[1] In excusis habetur, *coloribus* : manifesto errore. Quapropter ex Mss. substituimus, *choleribus*; vocem Latinis quidem barbaram, sed Afris forte receptam ad significandum choleram aut cholera affectos.

tiores, et sapore commodissimas judicamus.

41. An bona tria simul ubi fuerint, id est color bonus et odor et sapor, ibi esse majorem boni partem putatis? Nolite ergo flores tantopere mirari atque laudare, quos judicandos ad tribunal palati non potestis admittere. Nolite portulacam saltem carnibus anteponere, quæ ab his coctis et colore et sapore et odore superatur. Porcellus assus (hoc enim cogitis, ut de bono et de malo, non scriptoribus et librariis, sed coquis et dulciariis ministris vobiscum potius disseramus): porcellus ergo assus et colore nitidus, et odore blandus, et sapore jucundus est: habetis perfectum divinæ substantiæ inhabitantis indicium; trino testimonio vos invitat, et purgari vestra sanctitate desiderat. Invadite, quid cunctamini? quid contradicere paratis? Colore solo lenticulam fimus vincit infantis, odore solo assa offella superat mitem ac viridem ficum, sapore solo hædus occisus herbam, quam vivus pascitur, vincit: inventa est etiam caro, cujus causa his simul tribus testibus adjuvetur. Quid quæritis amplius? aut quid dicturi estis? Cur vos epulantes immundos faciant pulpamenta, et disputantes hæc portenta non faciant: præsertim cum solis istius radius, quem vos certe et carnibus omnibus et frugibus anteponitis, nec oleat, nec sapiat, sed tantummodo inter cætera corpora, præstantia fulgentissimi coloris, emineat; qui vos magnopere hortatur, atque adeo cogit invitos, ut inter documenta commixti boni, nihil coloris nitori præferatis?

42. Ad illas ergo reducimini angustias, ut magis in sanguine, et in iis quæ animalium carnibus fœtidissima, sed nitide colorata in vicis egeruntur, quam in olivæ foliis pallentibus partem Dei habitare fateamini. Quod si dicitis, nam etiam hoc dicitis, olivæ folia, cum incenduntur, ignem emittere, in quo præsentia lucis apparet; carnes autem, cum incenduntur, non idem facere: quid de adipe respondebitis, qui prope omnes Italas lucernas illuminat? Quid de fimo bubulo, qui est certe bovis carne sordidior, quo siccato rustici sic utuntur ad focum, ut ejus igne facilius nihil sit fumoque purgatius? Quid quod, si nitor et fulgor majorem præsentiam divinæ partis ostendit, eam vos non purgatis, non consignatis, non liberatis? Siquidem est maxime in floribus, ut omittam sanguinem, et innumerabilia in carne, vel ex carne simillima, quos certe flores habere in epulis non potestis: qui si etiam carnibus vesceremini, squamas certe piscium, et quosdam vermiculos atque muscas, quæ omnia etiam in tenebris luce propria coruscant, pulmentis vestris non adhiberetis.

43. Quid igitur restat, nisi ut dicere desinatis, habere vos idoneos judices oculos, nares, palatum, quibus divinæ partis præsentiam in corporibus approbetis? His autem remotis, unde docebitis non modo majorem partem Dei in stirpibus esse quam in carnibus, sed omnino esse aliquid ejus in stirpibus? An pulchritudo vos movet, non quæ in suavitate coloris est, sed quæ in partium congruentia? Utinam hoc esset! Quando enim corporibus animantium, in quorum forma paribus paria membra respondeant, auderetis distorta ligna conferre? Sed si corporalium sensuum testimoniis delectamini, quod necesse est iis qui vim essentiæ mente videre non possunt, quomodo probatis per moram temporis, et per obtritiones quasdam, fugere de corporibus substantiam boni, nisi quia inde discedit Deus, ut asseritis, et de loco in locum migrat? Plenum est dementiæ. Verumtamen signa vos ad istam sententiam et indicia, quantum existimare possum, nulla duxerunt. Multa enim carpta de arboribus vel evulsa de terra, antequam ad cibum nostrum veniant, interpositione aliqua temporis meliora redduntur; ut porri et intiba, lactucæ, uvæ, mala, ficus, et quædam pira: et multa præterea quæ et colorantur melius, dum non statim ut decerpta fuerint, absumuntur, et corpore capiuntur salubrius, et sapiunt in ore conditius: quæ tanta commoditas et suavitas inesse his rebus minime deberet, si secundum vestram sententiam, tanto desertiora bono fierent, quanto diuturnius reponuntur, postquam a terra quasi a matre separata sunt. Caro ipsa pridie occisorum animalium profecto est jucundior atque commodior: non autem ita esse oportebat, si, ut asseritis, plus haberet boni, eo die recens animante interempto, quam postridie cum divinæ substantiæ major fuga facta esset.

44. Vinum vero vetustate purius meliusque fieri quis ignoret? nec ad pervertendos sensus redolentius [1], ut putatis, sed ad vegetandum corpus utilius: tantum adsit modus, quem in omni re dominari decet. Nam musto recentiore perversitas sensuum citius solet accidere: ita ut si aliquando in lacu remanserit, aliquantumque ferbuerit, intuentes desuper percusso cerebro præcipites agat, et nisi aliquo modo subveniatur, exstinguat. Jam quod ad valetudinem attinet, inflari eo corpora pernicioseque distendi, quis abnuat? Num ideo tanta incommoda insunt, quia plus habet boni; propterea ista in vini vetustate non sunt, quia divinæ substantiæ pars magna discessit? Absurdum est dicere; vobis præsertim qui præsentiam partis Dei, oculis, naribus, palato, cum hi sensus bene afficiuntur, judicatis. Jam vero quæ tanta perversio est, vinum putare fel principum tenebrarum, et uvis comedendis non parcere? Magisne inerit illud fel cum in cupa, quam cum in acinis fuerit? Quod si bono discedente quasi meracius remanet malum, et id temporis mora contingit; non oportebat easdem uvas suspensas atque servatas fieri mitiores, dulciores, salubriores: neque ipsum vinum quod supra dictum est, et amissa luce liquidius atque luculentius, et salutifera substantia discedente salubrius.

45. Quid dicam de lignis et frondibus, quæ tempore arescunt, nec ex eo a vobis dici possunt deteriora fieri? Id enim amittunt quo fumus gignitur, id autem retinent unde lucida flamma consurgit, et ea claritate quam multum diligitis, purius bonum in aridioribus, quam in viridioribus esse testatur. Ex quo

[1] Mss. plures, *dolentius*.

fit ut aut negetis Dei partem in luce pura quam in fumosa esse majorem, et ita omnia documenta vestra turbetis; aut fateamini fieri posse ut de stirpibus amputatis vel evulsis, si diuturniore tempore reponantur, copiosius fugiat mali natura quam boni. Quo concesso, tenebimus de frugibus carptis majus malum posse abire, atque ita in carnibus majus bonum posse remanere. Et hoc quidem de tempore dictum sit.

46. Nam si commotione et subactione et attritione harum rerum, fugæ occasionem invenit divina illa natura, multa vos similia redarguunt, quæ fiunt movendo meliora. Hordei quidam succo vinum imitantur, quod movendo fit optimum. Sane, quod minime prætereundum est, hoc genus potus citissime inebriat: nec tamen unquam succum hordei, fel principum esse dixistis. Farina parciore aqua perite contrahitur paulo durius, ut subigendo fiat melior, et quo dici perversius nihil potest, luce fugiente candidior. Pastillarius mella diu subigit, ut ad illum candorem perveniant, et minus noxiam mitioremque dulcedinem: hoc quomodo eveniat bono discedente, disserite. Quod si non visu et odoratu et gustu, sed auditu etiam delectato præsentiam Dei placet probare, caro citharis nervos, et tibiis ossa largitur; quæ siccata et attrita et torta sonora redduntur. Ita dulcedo musica, quam de divinis regnis venisse contenditis, nobis mortuarum carnium sordibus exhibetur, et tempore arefactis, et attritione tenuatis, et tortione distentis: quibus afflictationibus etiam de rebus viventibus divinam substantiam fugere prædicatis; quod etiam decoctione earum accidere dicitis. Cur ergo elixati cardui minime obsunt valetudini? Utrum ab eis dum ita coquuntur, Deum an partem Dei discedere existimandum est[1]?

47. Quid cætera persequar, quæ omnia dici nec facile est, nec necessarium? Cui enim non occurrit, quam multa cocta suaviora et salubriora sint? Quod non deberent, si, ut opinamini, hujuscemodi commotionibus deseruntur bono. Nihil vos prorsus invenire arbitror, unde istis corporis sensibus approbetis, ideo carnes immundas esse, atque animas inquinare vescentium, quod carptæ fruges post multas commotiones vertantur in carnem; præsertim cum et vetustatem corruptionemque aceti, putetis vino esse mundiorem, et carœnum quod bibitis, nihil aliud quam coctum vinum esse videamus, quod vino deberet esse sordidius, si motibus et coctionibus de rebus corporeis membra divina discedunt. Si autem non ita est, non est cur arbitremini fruges, cum carpuntur, reponuntur, tractantur, coquuntur, digeruntur, fugiente bono deseri, et propterea sordidissimam creandis corporibus præbere materiam.

48. Quod si non colore et forma et odore et sapore ducimini, ut bonum his rebus inesse judicetis, quid aliud potestis afferre? An argumento vobis est firmitas quædam atque valentia, quæ istis rebus detrahi videtur, dum a terra separantur atque tractantur? Sed si hoc vos moveret (quanquam falsum id esse cito animadverti potest, propter nonnullorum auctam postquam terræ detracta sunt, firmitatem, ut jam de vino commemoratum est, quod fit robustius vetustate): tamen si hæc firmitas vos moveret, ut dixi, in nullo magis cibo quam in carnibus, copiosiorem partem Dei probaretis esse. Non enim athletæ, quibus illud robur et valentia maxime necessaria est, olere ac pomis, et non carne vescuntur.

49. An quia carnes aluntur arboribus, arbores autem carnibus non aluntur, idcirco arbitramini illarum quam nostra corpora esse meliora? Non consideratis rem tam in promptu sitam, arbusta lætiora et fecundiora, segetesque pinguiores alimento stercorum fieri, cum vos in accusatione carnis nihil gravius vobis dicere videamini, quam cum dicitis esse stercorum domum. Hinc ergo aluntur ea quæ vobis munda sunt, quod in ea re quæ vobis immunda est, multo esse immundius prædicatis. Quod si carnem ob hoc aspernamini, quod post concubitum nascitur, vermium vos caro delectet, qui in pomis, lignis, in terra ipsa denique sine ullo concubitu tam multi magnique nascuntur. Sed nescio quæ ista simulatio est. Nam si vobis propterea displiceret caro, quod patris atque matris commixtione formatur, non illos principes tenebrarum de fructibus arborum suarum natos fuisse diceretis, quos certe amplius aspernamini quam carnes, quas gustare non vultis.

50. Nam quod opinamini omnes quidem animas animalium de parentum cibis venire, a quibus carceribus vos liberare gloriamini divinam substantiam, quæ in vestris tenetur alimentis, nimium contra vos, et ad carnes edendas vos instantissime impellit. Cur enim animas, quas illigaturi sunt corpori qui carnibus epulantur, non præoccupando et vescendo liberatis? Sed, inquit, non de carnibus aliquid ab eis bonæ partis illigatur, sed de frugibus quas cum carnibus sumunt. Quid ergo de animis leonum, quorum cibus sola caro est, respondendum videtur? Bibunt, inquit, et ideo anima illa de aqua tracta carnique implicata est. Quid de innumerabilibus avibus? quid de ipsis aquilis dici potest, quæ non nisi carne pascuntur, nec ullo potu indigent? Certe hic deficitur, et quid responderi possit non invenitur. Si enim anima de cibis venit, et sunt animalia fetum gignentia, quorum et nullus potus, et cibus sola sit caro, est in carne anima, cui purgandæ more vestro subvenire deberetis vescendo carnem. Nisi forte porcum, quod et frugibus alitur, et aquam bibit, animam lucis habere arbitramini; aquilæ vero, cui sol maxime congruit, tenebrarum animam, quia sola carne vivit, inesse defenditis.

51. O rerum angustias, o incredibiles absurditates! in quas profecto non incidissetis, si a vanissimis fabulis alieni, hoc ad continentiam ciborum sequeremini quod veritas probat; ut concupiscentiæ coercendæ gratia, non vitandæ immunditiæ quæ nulla

[1] Sic Er., cui suffragantur Mss. Sorbonici tres, et Regiomontensis. At apud Lov. et alios Mss. habetur, *an pestem discedere*.

est, deliciosas escas respuendas judicaretis. Nam si quis etiam rerum naturam vimque animæ et corporis minus intuens, vobis concedat animam coinquinari de obsonio, multo magis eam tamen immundam fieri cupiditate conceditis. Quæ ergo ratio est, vel potius amentia, de numero electorum hominem pellere, qui forte carnem valetudinis causa, nulla cupiditate gustaverit : si autem piperata tubera voraciter edere concupierit, immodestiæ tantum forte possitis reprehendere, non autem ut corruptorem damnare signaculi? Ita fit ut in electis vestris esse non possit, qui proditus fuerit, non concupiscendo, sed medendo [1] partem aliquam cœnasse gallinæ : esse autem in iis possit qui vehementer cumiphas, et alia placenta carne carentia desiderasse se ipse prodiderit. Tenetis ergo eum quem cupiditas sordibus mergit, quem vero ipse cibus, ut arbitramini, maculat, non tenetis, cum inquinationem de concupiscentia quam de obsonio longe majorem fieri fateamini, complectentes tamen eum qui conditis suavissime frugibus imminet inhians, seseque non tenet : excludentes eum qui quaslibet epulas hominum comprimendæ famis causa sine ulla cupiditate paratus sumere, et paratus amittere, indifferenter capit. En miri mores, en egregia disciplina, en memorabilis temperantia!

52. Jam quod ea quæ vobis quasi purganda offeruntur ad epulas, nefas putatis si quis alius præter electos ad cibandum tetigerit, quantæ turpitudinis et aliquando sceleris plenum est? Siquidem sæpe tam multa dantur, ut consumi facile a paucis non possint. Et quoniam sacrilegium putatur, vel aliis dare quod redundat, vel certe abjicere, in magnas contrudimini cruditates, totum quod datum est quasi purgare cupientes. Jam vero distenti, et prope crepantes, eos qui sub vestra disciplina sunt, pueros ad devoranda reliqua crudeli dominatione compellitis : ita ut cuidam sit Romæ objectum, quod miseros parvulos cogendo ad vescendum tali superstitione necaverit. Quod non crederem, nisi scirem quantum nefas esse arbitremini, vel aliis hæc dare qui electi non sunt, vel certe projicienda curare. Unde illa vescendi necessitas restat, quæ ad turpissimam cruditatem [2] pene quotidie, aliquando tamen potest et usque ad homicidium pervenire.

53. Quæ cum ita sint, etiam panem mendicanti dare prohibetis : censetis tamen propter misericordiam, vel potius propter invidiam nummos dari. Quid hic prius arguam, crudelitatem, an vecordiam? Quid enim si eo loco res agatur, ubi venalis cibus inveniri non potest? Homo egens ille fame moriturus est, dum tu vir sapiens et benignus magis cucumerem quam hominem miseraris. Hæc est profecto (quid enim dicam congruentius et planius?) falsa misericordia et vera crudelitas. Nunc vecordiam videamus. Quid enim si nummis illis, quos dederis, sibi panem emat? Nonne hoc in illo pars illa vestra divina, qui hanc sumit a venditore, passura est, quod passura erat, si te dante sumpsisset? Involvit igitur sordibus peccator ille mendicus partem Dei revolare cupientem, tuis nummis ad tantum scelus adjutus : et tamen vos homines prudentissimi interesse arbitramini, si homicidium facturo non detis hominem quem occidat, sed scientes pecuniam unde occidendum comparet, detis. Quid ad hanc insaniam addi potest? Ita enim fit ut aut homo moriatur, si venalem non invenerit cibum, aut cibus ipse, si invenerit : quorum alterum est verum homicidium; alterum vestrum, vobis tamen ita tribuendum, tanquam utrumque sit verum. Nam quod auditores vestros non prohibetis carnibus vesci, sed occidere animalia prohibetis, quid stultius et perversius fieri potest? Nam si talis non contaminat cibus, vos quoque sumite : si contaminat, quæ tandem dementia est majus nefas putare, animam porcinam de corpore solvere, quam humanam porcino corpore maculare?

CAPUT XVII. — *Manuum signaculum apud Manichæos quale sit aperitur.*

54. Sed jam ad manuum signaculum considerandum tractandumque veniamus. Ac primum quidem quod ab animalium nece, et ab stirpium laceratione vos temperatis, superstitiosissimum Christus ostendit : qui nullam nobis cum belluis et arboribus societatem juris esse judicans, et in gregem porcorum dæmones misit (*Matth.* VIII, 32), et arborem in qua fructum non invenerat, maledicto aridam fecit (*Id.* XXI, 19). Nihil certe porci, nihil arbor illa peccaverat. Neque enim usque eo dementes sumus, ut arbitremur sua sponte arborem vel frugiferam esse vel sterilem. Neque illud hic vobis dicendum est, his factis Dominum nostrum alia quædam significare voluisse : quis enim nesciat? Sed certe Filio Dei non per homicidium signum dandum fuit, si arborem necare, ut vos dicitis, homicidium est, aut necare animalia. Nam et de hominibus, cum quibus utique sumus juris societate conjuncti, signa quædam dedit; sed sanando homines, non necando. Quod et de belluis et de arboribus faceret, si eadem nos cum illis societate, qua vos opinamini, conjunctos esse judicaret.

55. Quo loco mihi auctoritas interponenda visa est, propterea quia de pecorum anima, et de quadam vita qua dicuntur arbores vivere, non potest vobiscum subtiliter disputari. Sed quoniam privilegio quodam vos tuemini, ut de Scripturis opprimi nequeatis, dicendo eas esse falsatas; quanquam ea quæ commemoravi de arbore, et de grege porcorum, nunquam a corruptoribus immissa esse dixistis : tamen, ne considerantes quantum vobis adversentur, hoc idem etiam de his aliquando dicere velitis; teneam propositum meum, ut a vobis, magnis omnino pollicitatoribus rationis atque veritatis, quæram primum quid obsit arbori, non dico si pomum inde foliumve decerpas, quod quidem apud vos, si quis non imprudentia, sed sciens fecerit, signaculi corruptor sine ulla dubitatione damnabitur, sed omnino si eam

[1] Ita Mss. At editi habent, *edendo*.
[2] Excusi, *crudelitatem*; cujus loco Mss. habent, *cruditatem*.

radicitus eruas. Anima namque illa quam rationalem inesse arboribus arbitramini, arbore excisa vinculo solvitur, vos enim hoc dicitis, et eo quidem vinculo in quo magna miseria, nulla utilitate tenebatur. Nam et revolutionem hominis in arborem, notum est vos, id est auctorem ipsum vestrum, pro ingenti pœna, non tamen pro summa, solere minitari : et num potest in arbore anima fieri, ut in homine, sapientior? Non necandi hominis quippe certissima ratio est, ne aut eum neces cujus sapientia et virtus aliis plurimum prodest, aut eum qui forte poterat ad sapientiam pervenire, sive extrinsecus ab aliquo admonitus, sive interioribus cogitationibus divinitus illustratus. Animam autem hominis, quanto sapientior corpore excesserit, tanto utilius excedere veritas docet, et ratione subtilissima, et auctoritate latissime pervagata. Quamobrem qui arborem dejicit, animam nihil in sapientia proficientem de illo corpore liberat. Itaque vos homines sancti, vos, inquam, potissimum excidere arbores deberetis, et earum animas ab illo vinculo exutas orationibus et psalmis ad meliora perducere. An de his animis hoc fieri potest, non quas mente adjuveritis, sed quas ventre receperitis?

56. Quamvis idipsum animas arborum, quamdiu sunt in arboribus, ad sapientiam non proficere, summæ angustiæ, quantum arbitror, vos compellunt fateri, cum a vobis quæritur cur et arboribus non mittatur præceptor apostolus, aut cur ille qui hominibus mittitur, non et arboribus prædicet veritatem. Hic cogimini respondere, illas animas percipere in talibus corporibus præcepta divina non posse. Sed vehementius ab alio latere urgemini ; quandoquidem illas perhibetis et audire voces nostras, et verba intelligere, et corpora motusque corporum intueri, cogitationes denique ipsas perspicere. Quæ si vera sunt, cur nihil possunt a lucis apostolo discere? vel cur etiam multo facilius non possunt quam nos, cum interiora etiam mentis aspiciant? Ita enim magister ille, qui vos loquendo vix docet, ut dicitis, cogitando eas posset erudire, quæ sententias ejus ante sermonem in animo cernerent. Si vero hæc falsa sunt, videte tandem in quo errore jaceatis.

57. Jam quod poma ipsi non decerpitis, herbamque non vellitis, sed tamen ab auditoribus vestris decerpi et evelli atque afferri vobis jubetis, non ut iis qui afferunt tantum, sed ut iis etiam quæ afferuntur, prodesse possitis, quis bene considerans ullo modo toleraverit? Primo, quia nihil interest utrum ipse scelus admittas, an propter te ab alio admitti velis. Nolle te dicis. Quomodo ergo subvenitur illi divinæ parti, quæ in lactucis et in porris jacet, si nemo hæc evellat, et ad sanctos purganda deferat? Deinde, tu ipse transiens per eum agrum, in quo tibi jure amicitiæ decerpendi quod libet potestas datur, si fico videris corvum imminentem, quid facies? Nonne ex opinione tua, ficus ipsa tecum loqui et deprecari miserabiliter videtur, ut eam ipse decerpas, et sancto ventre purificandam resuscitandamque sepelias potius, quam corvus ille devoratam funesto corpori misceat, atque in alias formas illigandam cruciandamque transmittat? Quid te crudelius, si verum est? quid ineptius, si falsum est? quid magis contrarium disciplinæ vestræ, si signaculum solveris? quid te inimicius Dei membro, si custodieris?

58. Sed hoc ex vestra opinione falsa et nugatoria : nam certa et manifesta crudelitas in vobis esse convincitur, ex eodem ipso errore manans. Si quis enim per morbum corpore dissoluto, fessus ab itinere, ac peste semianimis in via jaceat, nihil valens amplius quam utcumque verba proferre, cui prosit ad stringendum corpus pirum dari, teque transeuntem ut subvenias oret, atque obsecret ut de arbore proxima, a qua nullo humano, nullo denique vero jure prohiberis, pomum afferas homini, post paululum nisi feceris morituro; tu vir christianus et sanctus transibis potius, et hominem sic affectum precantemque deseres, ne arbor ploret dum fructus demitur, et tu signaculi dissolutor ad pœnas manichæias destineris. [1] O mores et innocentiam singularem !

59. Sed jam de nece animalium requiram quod movet, et multa quidem hujusmodi etiam in hoc genere dici possunt. Nam quid oberit animæ lupi, qui lupum interfecerit : cum et lupus ille, quamdiu vivit, lupus futurus sit, nec ulli obtemperet prædicatori, ut aliquantum ab ovium sanguine temperet; et ex illo vinculo corporis, anima secundum vos rationalis, interfecta bellua liberetur? Et ab hac quidem cæde auditores etiam vestros prohibetis : major enim videtur quam in arboribus. Hic vestros sensus, corporeos videlicet, non multum improbo. Videmus enim et vocibus sentimus, cum dolore mori animantia, quod quidem homo contemnit in bestia, cum qua scilicet rationalem animam non habente, nulla legis societate copulatur. Sed eosdem vestros sensus in intuendis arboribus quæro, et vos cæcos prorsus invenio. Ut enim omittam quod nullis motibus in ligno sensus doloris appareret, quid manifestius quam tunc se optime habere arborem cum viget, cum frondet, cum floribus læta fructibus opulenta est? At hoc ei plerumque ac maxime putatione præstatur. Quod si ferrum sic sentiret, ut vultis, contabesceret potius tot tantisque affecta vulneribus, quam ex illis pullulans locis, tam certa exsultatione revirescceret.

60. Verumtamen cur majus nefas putatis animalia quam stirpes cædere, cum illæ vobis puriorem animam quam carnes habere videantur? Fit, inquit, compensatio quædam, cum eorum, quæ de agris auferuntur, pars aliqua datur electis sanctisque purganda. Jam superius ista frustrata sunt, satisque demonstratum est, quantum existimo, nulla ratione dici plus esse in frugibus partis illius bonæ quam in carnibus. Sed si vendendis carnibus victum quisque sustentet, atque omne talis negotii lucrum in emendis electorum vestrorum cibis consumat, pluresque istis afferat sanctis escas quam agricola et rusticus ; nonne eadem com-

[1] Lov., *ad pœnas Manichœis destineris.* Mss., *manichæas*; id est, quas minitabatur Manichæus : supra, n. 55. — *Manichæis*, juxta Er. et Ven. M.

pensatione sibi animantia licere perimere clamitabit? Est, inquit, alia quædam secretissima ratio. Non enim deest homini callido adversus indoctos in naturæ obscuritate perfugium. Cœlestes enim, ait, principes, qui de gente tenebrarum capti atque vincti, a Conditore mundi in illis ordinati sunt locis, sua quisque possidet in terra animalia, de suo scilicet genere ac stirpe venientia : qui peremptores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, pœnisque illos quibus possunt, et cruciatibus afferunt. Quis imperitorum hæc non formidet, et qui in tanta obscuritate nihil videt, hoc ita ut dicitur esse non arbitretur? Sed ego institutum non relinquam meum, cui Deus aderit, ut apertissima veritate obscura mendacia refellantur.

61. Quæro enim, si animalia quæ in terris sunt et in aquis, de illo genere principum per successionem prolis et operationem concubitus veniunt, cum ad illos abortivos fetus revocatur origo nascentium; quæro, inquam, si ita est, utrum apes, et ranas, et alia multa, quæ sine concubitu gignuntur, non sit nefas occidere? Nefas esse dicitis. Non ergo propter cognationem principum nescio quorum, ab animantium nece auditores vestros prohibetis. Aut si generalem cognationem omnium esse corporum dicitis, arbores quoque ad eamdem principum offensionem procul dubio pertinebunt, quibus parcere non est mandatum auditoribus [1]. Reditur ergo ad illud invalidum, ea quæ in stirpibus auditores lædunt, expiari per fructus quos ad ecclesiam vestram ferunt. Dictum est enim hoc modo, eos qui in macello laniant animalia carnesque venditant, si vestri auditores sint, suaque lucra comparatis frugibus vobis conferant, cædem illam quotidianam sibi licere contemnere, et quidquid in ea peccati est, vestris epulis aboleri.

62. Quod si dicatis, quemadmodum de pomis et de oleribus, conferendum fuisse ut illa interfectio veniam mereretur; quod quia fieri non potest (electi enim non edunt carnem), temperandum esse auditoribus a nece animalium : quid respondebitis de spinis herbisque inutilibus, quas evellendo in agris purgandis agricolæ necant, nec ex his vobis possunt cibos aliquos exhibere? Quomodo ad veniam pertinebit tanta vastatio, unde nulla est esca sanctorum? An forte quidquid peccatum fuerit ut fruges et poma proficiant, et de ipsis frugibus et pomis aliquid comedendo dissolvitis? Quid si ergo agros locustæ aut mures et sorices vastant, quod sæpe accidere manifestum est? impune ab agricola vestro auditore necabuntur, quia ideo peccat ut fructus proficiant? Hic certe coarctamini. Aut enim concedetis auditoribus interfectionem animalium, quam vester auctor concedere noluit, aut eos ab agricultura etiam prohibebitis, quam ille concessit. Quanquam sæpe etiam dicere audeatis feneratorem innocentiorem esse quam rusticum; usque adeo melonibus quam hominibus estis amiciores. Si quidem illi ne lædantur, melius judicatis hominem fenore trucidari. Hæccine est appetenda, et prædicanda justitia, an potius exsecranda et damnanda fallacia? Hæccine est misericordia memorabilis, an exsecranda potius immanitas?

63. Quid quod a nece animalium nec vos ipsi in pediculis et pulicibus et cimicibus temperatis? Magnamque hujus rei defensionem putatis, quod has esse sordes nostrorum corporum dicitis. Quod primo aperte falsum de pulice et cimice dicitur. Cui enim non manifestum est hæc animalia non de nostro corpore existere? Deinde si concubitum vehementius exsecramini, quod nimium videri vultis, cur non vobis mundiora videntur animalia, quæ sine concubitu de nostra carne nascuntur? quanquam enim postea coeundo pariant, non tamen nobis coeuntibus de nostro corpore primo nascuntur. Jam vero, si quæcumque de viventibus gignuntur corporibus, sordidissima sunt putanda, multo magis quæcumque de mortuis. Impunius ergo occiditur vel sorex, vel anguis, vel scorpio, quos de humanis cadaveribus nasci, a vobis potissimum solemus audire. Sed obscura omitto et incerta. De apibus certe fama est celebrior, quod de boum cadaveribus oriantur. Ergo occiduntur impune. At si hoc quoque dubium est, nemo fere de scarabeis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existant (*a*). Hæc igitur animantia et alia quæ persequi longum est, sordidiora certe debetis opinari, quam pediculos vestros; et tamen illa occidere nefas vobis videtur, his autem parcere stultum : nisi forte quod sunt hæc animalia parva contemnitis. Sane si ita est, ut animal quo brevius est, eo contemptius esse debeat, necesse est camelum homini præferatis.

64. Huc accedit illa gradatio, quæ cum vos audirem, nos sæpe turbavit. Nulla enim causa est cur propter parvum corporis modulum, pulex necandus sit, non etiam musca quæ in faba gignitur. Et si hæc, cur non etiam ista paulo amplior, cujus certe fetus minor est quam illa. Hoc etiam sequitur, ut apis quoque sine culpa perimatur, cujus pullus huic muscæ coæquatur. Inde ad locustæ pullum et locustam, inde ad pullum muris et murem. Et ne longum faciam, nonne videtis his gradibus ad elephantum perveniri, ut omnino recusari non possit ingentem illam belluam sine culpa se occidere, quisquis propter parvulum corpus interfectionem pulicis peccatum esse non putat? Sed jam etiam de hujusmodi nugis satis dictum arbitror.

### CAPUT XVIII. — *De signaculo sinus et nefandis mysteriis Manichæorum.*

65. Restat signaculum sinus, in quo multum incerta est castitas vestra. Non enim concubitum, sed ut longe ante ab Apostolo dictum est, vere nuptias prohibetis (1 *Tim.* IV, 3), quæ talis operis una est honesta defensio. Hic non dubito vos esse clamaturos, invidiamque facturos, dicendo, castitatem perfectam vos vehementer commendare atque laudare, non ta-

[1] Lov., *auctoribus*. Alii Cdd., *auditoribus*. Lectio verior, tametsi ad Lov. in marginem rejecta. De Manichæorum auditoribus plura hic passim.

(*a*) Vid. Retract. lib. 1, cap. 7, n. 6.

men nuptias prohibere; quandoquidem auditores vestri, quorum apud vos secundus est gradus, ducere atque habere non prohibeantur uxores. Quæ cum magna voce et magna indignatione dixeritis, ego vos lenius interrogabo ad hunc modum : nonne vos estis qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, gravius putatis esse peccatum, quam ipsum concubitum? Nonne vos estis qui nos solebatis monere, ut quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur, ut non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis. Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa, marem feminamque conjungunt : quisquis ergo procreare liberos quam concumbere gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias; et non jam uxorem, sed meretricem feminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur. Si enim uxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est ubi datur opera ne sit mater : non igitur uxor. Quocirca nuptias prohibetis, nec ab hoc crimine, quod olim a Spiritu sancto de vobis prædictum est, ulla vos ratione defenditis.

66. Jamvero, cum vehementer satagitis ne per concubitum anima ligetur in carne, et vehementer asseritis, per sanctorum cibum animam de seminibus liberari, nonne confirmatis, o miseri, quod de vobis homines suspicantur? Cur enim de tritico, et de faba, et de lenticula aliisque seminibus, cum his vescimini, liberare vos velle animam creditur, de animalium seminibus non credatur? Non enim, ut ipsam carnem mortui animantis immundam esse dicitis, quod animam non habet; hoc ita potestis et de animantis semine dicere, in quo animam, quæ apparebit in prole, colligatam esse censetis, et in quo ipsius Manichæi animam implicatam fuisse fatemini. Et quia non possunt ab auditoribus vestris purganda vobis talia semina afferri, quis non suspicetur secretam de vobis ipsis inter vos fieri talem purgationem, et ideo illis, ne vos deserant, occultari? Quæ si non facitis, quod utinam ita sit, videtis tamen quantæ suspicioni vestra superstitio pateat, et quam non sit hominibus succensendum id opinantibus, quod de vestra professione colligitur, cum vos animas per escam et potum, de corporibus et sensibus liberare prædicatis. Nolo hic diutius immorari; et videtis quantus sit invectionis locus. Sed quia et res talis est, ut eam potius reformidet quam insectetur oratio, et propositum illud meum per totum sermonem animadverti potest, quo statui nihil exaggerare, sed nudis quodammodo rebus et rationibus agere, transeamus ad aliud.

CAPUT XIX. — *Flagitia Manichæorum.*

67. Jam enim satis apparet qualia sint tria vestra signacula. Hi sunt vestri mores, hic finis admirabilium præceptorum, ubi nihil certum, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile : sed omnia dubia, imo vero sine dubitatione falsissima, omnia repugnantia, abominabilia, absurda. Denique tam multa et tam gravia peccata in his moribus deprehenduntur, ut si quis accusare velit omnia, homo alicujus facultatis, singula, ut minimum, singulis voluminibus possit. Hæc igitur si custodiretis, vestramque impleretis professionem, nihil vobis esset ineptius, nihil stultius, nihil imperitius : cum autem laudatis et docetis ista, nec facitis, quid vobis fallacius, quid insidiosius, quid malitiosius dici aut inveniri potest?

68. Novem annos totos magna cura et diligentia vos audivi [a], nullus mihi electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta non aut deprehensus in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit. Multi in vino et carnibus, multi lavantes in balneis inventi sunt. Sed hæc audiebamus. Nonnulli alienas feminas seduxisse approbati sunt, ita ut hinc plane dubitare non possim. Sed sit et hæc magis fama quam verum. Vidi ipse non solus, sed cum iis qui partim jam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto ut liberentur; vidimus ergo in quadrivio Carthaginis, in platea celeberrima, non unum, sed plures quam tres electos simul post transeuntes nescio quas feminas tam petulanti gestu adhinnire, ut omnium trivialium impudicitiam impudentiamque superarent. Quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita vivere satis eminebat, quandoquidem nullus socii præsentiam veritus, omnes, aut certe pene omnes eadem teneri peste indicabat. Non enim erant hi ex una domo, sed diverse prorsus habitantes, ex eo loco ubi conventus omnium factus erat, pariter forte descenderant. Nos autem graviter commoti, graviter etiam questi sumus. Quis tandem hoc vindicandum, non dicam separatione ab ecclesia, sed pro magnitudine flagitii vehementi saltem objurgatione arbitratus est?

69. Et hæc erat omnis excusatio impunitatis illorum quod eo tempore quo conventicula eorum lege publica prohiberentur, ne quid læsi proderent, metuebatur. Ubi est ergo quod perpetuam sibi persecutionem in hoc mundo futuram prædicant, eoque se commendatiores haberi volunt, hinc interpretantes quod hic mundus eos oderit (*Joan.* xv, 18); et propterea penes se quærendam veritatem affirmantes, quia in promissione Spiritus sancti paracleti dictum est quod eum mundus iste accipere non possit (*Id.* xiv, 17). De qua re non iste locus disserendi est. Sed certe si perpetua vobis persecutio futura est, usque in sæculi finem, perpetua erit et hæc dissolutio tantæque turpitudinis impunita contagio, dum tales lædere formidatis.

70. Id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus conquestam nobis esse mulierem quod in conclavi, ubi cum aliis feminis erat, de illorum scilicet sanctitate secura, ingressis electis pluribus, et ab uno lucerna exstincta, incertum cujus eorum in tenebris appetita esset amplexu, et coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris evasisset. Hoc nobis quoque notissimum nefas, de quanta consuetudine venisse

(*a*) Confess. lib. 4, cap. 1; et supra, de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 18, n. 34.

arbitrandum est? Et hoc factum est ea nocte qua festæ apud vos vigiliæ celebrantur. Sed revera etiamsi nullus esset proditionis metus, quis posset damnandum offerre episcopo, qui sic præcaverat ne agnosceretur? Quasi vero non omnes idem crimen involutos tenebat, qui simul ingressi erant. Nam omnibus petulanter jocantibus lucerna exstincta placuerat.

71. Suspicionibus vero januæ quantæ aperiebantur, cum eos invidos inveniebamus, cum avaros, cum epularum exquisitarum avidissimos, cum in jurgiis frequentissimos, cum de rebus exiguis mobilissimos? Non utique arbitrabamur eos temperare posse, a quibus se temperare profitebantur, quando latibula et tenebras invenirent. Duo quidam erant existimationis satis bonæ, facili ingenio, atque in illis suis disputationibus principes, nobis amplius quam cæteri familiariusque conjuncti. Quorum unus qui propter studia etiam liberalia nobis arctius adhærebat, hic nunc ibi esse presbyter dicitur. Hi sibi graviter invidebant, et objiciebat alter alteri, non accusatione manifesta, sed sermone apud quos poterat et susurris, ab eo violenter attentatam cujusdam auditoris uxorem. Ille autem se purgans, interim apud nos alium ejusdem sceleris electum criminabatur, qui apud eumdem auditorem, quasi amicus fidissimus habitabat: quem quoniam subito ingrediens cum muliere deprehenderat, dicebat mulieri et adultero ab illo inimico atque invido consilium datum, ut illa sibi conflaretur calumnia, ne si quid proderet, crederetur. Angebamur nos, et molestissime ferebamus, quod etiamsi de appetita muliere incertum erat, livor tamen in illis duobus, quibus meliores ibi non inveniebamus, apparebat acerrimus, et alia conjicere cogebat.

72. Postremo in theatris electos, et ætate, et, ut videbantur, moribus graves, cum sene presbytero sæpissime invenimus. Omitto juvenes, quos etiam rixantes pro scenicis et aurigis deprehendere solebamus, quæ res non mediocri argumento est quomodo se possint continere ab occultis, cum eam cupiditatem superare non possint, quæ illos auditorum suorum oculis ostentat, et prodit erubescentes atque fugitantes. An vero illius etiam sancti, ad cujus disputationes in ficariorum vicum ventitabamus, tantum illud flagitium proderetur, si virginem sanctimonialem mulierem tantum, non et prægnantem facere potuisset? Sed occultum et incredibile malum crescens uterus latere non passus est. Quod cum mater fratri juveni prodidisset, acerrime dolens, religionis tamen nomine ab accusatione publica revocatus est; perfecitque ut ille (non enim hoc ferre quisquam posset) de illa ecclesia pelleretur: et ne impunita res omnino esset, cepit consilium, ut adjunctis sibi amicis, hominem pugnis calcibusque concideret. At ille cum graviter cæderetur, clamabat, ut sibi ex auctoritate Manichæi parceretur, Adam primum heroem peccavisse, et post peccatum fuisse sanctiorem.

73. Talis est namque apud vos opinio de Adam et Eva: longa fabula est, sed ex ea id attingam quod in præsentia satis est. Adam dicitis sic a parentibus suis genitum, abortivis illis principibus tenebrarum, ut maximam partem lucis haberet in anima [1], et perexiguam gentis adversæ. Qui cum sancte viveret propter exsuperantem copiam boni, commotam tamen in eo fuisse adversam illam partem, ut ad concubitum declinaretur: ita eum lapsum esse atque peccasse, sed vixisse postea sanctiorem. Hic ego non tam de nequam homine conqueror, qui stupro nefario alienam familiam [2], sub habitu electi et sancti viri ad tantum dedecus infamiamque perduxit. Non hoc vobis objicio. Fuerit hoc hominis perditissimi potius quam consuetudinis vestræ. Non enim tantum flagitium in vobis, sed in illo arguo. Illud tamen in omnibus vobis quemadmodum ferri et tolerari possit ignoro, quod cum animam partem Dei esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, majorem ejus copiam ubertatemque superari. Quis enim cum hoc crediderit, et eum libido pulsaverit, non ad talem defensionem potius, quam ejus libidinis refrenationem compressionemque confugiat?

CAPUT XX. — *Flagitia eorumdem Romæ deprehensa.*

74. Quid amplius dicam de moribus vestris? Dixi quæ ipse compererim, cum in ea essem civitate ubi ista commissa sunt. Romæ autem me absente quid gestum sit, totum longum est explicare. Dicam tamen brevi. Eo enim res erupit, ut occulta esse non posset absentibus: et ego quidem postea Romæ cum essem, omnia vera me audisse firmavi; quamvis tam familiaris et mihi probatus, qui præsens erat, ad me rem pertulerat, ut omnino dubitare non possem. Nam quidam vester auditor, in illa memorabili abstinentia nihilo electis cedens, qui et liberaliter institutus esset, et vestram sectam copiose vellet et soleret defendere, molestissime ferebat quod ei vage pessimeque habitantium passimque viventium electorum mores perditissimi sæpe disputanti objiciebantur. Cupiebat itaque, si fieri posset, omnes qui secundum illa præcepta vitam degere parati essent, congregare in domum suam, et suis sumptibus sustinere. Erat enim et non mediocris pecuniæ contemptor, et non mediocriter pecuniosus. Querebatur autem impediri tantos conatus suos episcoporum dissolutione, quibus adjuvantibus implere debebat. Interea vester episcopus quidam, homo plane, ut ipse expertus sum, rusticanus atque impolitus, sed nescio quomodo ea ipsa duritia severior in custodiendis bonis moribus videbatur. Hunc diutissime desideratum et aliquando præsentem arripit iste, exponit homini voluntatem suam: laudat ille atque consentit, placet ut in domo ejus prior ipse incipiat habitare. Quod ubi factum est, eo congregati sunt electi omnes, qui Romæ esse potuerunt. Proposita est vivendi regula de Manichæi epistola: multis intolerabile visum est; abscesserunt: remanserunt tamen pudore non pauci. Cœpit ita vivi ut placuerat, et ut tanta præscribebat auctoritas: cum interim auditor ille vehementer omnes ad omnia cogeret, neminem tamen ad

[1] Mss. prope omnes habent, *in animam;* id est, *pro anima.*

[2] Sic Mss. potiores; alii ut in Edd., *famulam.*

id quod non prior ipse susciperet. Interea rixæ inter electos oriebantur creberrimæ, objiciebantur ab invicem crimina, quæ ille omnia gemens audiebat, dabatque operam ut seipsos in jurgando incautissime proderent : prodebant nefanda et immania. Ibi cognitum est quales essent, qui tamen inter cæteros vim præceptorum illorum subeundam sibi esse putaverunt. Jam de cæteris quid suspicandum erat, aut quid potius judicandum? Quid plura? Coacti aliquando murmuraverunt sustineri illa mandata non posse : inde in seditionem. Agebat auditor causam suam complexione brevissima, aut illa omnia esse servanda, aut illum qui talia sub tali conditione præcepisset, quæ nullus posset implere, stultissimum existimandum. Vicit tamen, non enim aliter poterat, unius sententiam effrenatissimus plurium strepitus. Postea etiam ipse cessit episcopus, et cum magno dedecore aufugit : cujus sane cibi præter regulam clanculo accepti, et sæpe inventi ferebantur, cum ei de proprio sacculo diligenter occultato pecunia copiosa suppeteret.

75. Hæc si falsa esse dicitis, nimis apertis et pervulgatis rebus obsistitis. Sed utinam hoc dicatis. Cum enim sint ista manifesta, et iis qui scire voluerint cognitu facillima, intelligitur quam vera dicere soleant qui hæc vera esse negaverint. Sed aliis defensionibus utimini, quas ego non improbo. Aut enim dicitis aliquos qui vestra præcepta custodiant, nec eos aliorum criminibus debere perfundi; aut non oportere omnino quæri quales sint homines, qui vestram sectam profitentur, sed qualis sit ipsa professio. Quorum ego utrumque cum admisero (quanquam nec illos fidos mandatorum observatores demonstrare, nec ipsam hæresim a tot et tantis nugis atque sceleribus purgare possitis), illud tamen a vobis magnopere requiram, cur maledictis insectemini Christianos catholici nominis, quorumdam intuentes perditam vitam; cum de vestris hominibus haberi quæstionem, aut impudenter recusetis, aut impudentius non recusetis, velitisque intelligi in tanta vestra paucitate latere nescio quos, qui sua præcepta custodiunt, et in tanta Catholicæ multitudine non velitis?

# ADMONITIO

## DE SEQUENTE REGULA SANCTI AUGUSTINI AD SERVOS DEI.

Hæc eadem regula, quæ dictione, sententiis, præceptionibus demum pia humanitate conditis auctorem refert Augustinum, exstat in Epistola ducentesima undecima, Sanctimonialibus ab ipso scripta. Inde eam depromptam, virisque aptatam fuisse observant præter alios Bernardus Vindingus et Prosper Stellartius, ambo Augustinianæ familiæ alumni, ac novissime vir eruditus Nicolaus Desnos ex ordine Canonicorum regularium S. Augustini. Quæ res ut ita habeat, certe jam diu est, cum virorum instituendis moribus adhiberi cœpit. Quippe perantiquæ Tarnatensis regulæ partem facit potissimam, laudatur in Concordia regularum a Benedicto Anianæ abbate, quodque e re nostra est hic admonere, in codice Corbeiensi mille annos præferente continetur viris accommodata et in unum regulæ corpus coacta cum ea quæ inscribitur *Regula secunda*.

# S. AURELII AUGUSTINI

## HIPPONENSIS EPISCOPI

# REGULA

## AD SERVOS DEI.

*De charitate Dei et proximi, unione cordium et communitate rerum.*

1. Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data (*a*). Hæc igitur sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti. Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo [1], et sit vobis anima una et cor unum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia : et distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro [2] victus et tegumentum; non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed

(*a*) Præmissum exordiolum Augustini non esse observant Vindingus et Stellartius : assumptum fuit ex Regula secunda, quam infra in appendice habes.

ADMONITIO PP. BENEDICTORUM.

Collata est (hæc Regula) cum antiquissimo Regularum codice Corbeiensi qui annos præfert plusquam mille, cum Mss. Sorbonico, Thuaneo, Albinensi, Michaelino, Medardensi, Victorino, Germanensibus tribus, Vaticanis duobus, lectionibus codicis Gemblacensis apud Lov. cum epistola 211; cumque editionibus Am. Er. Lov. et Desnosiana.

*Comparavimus præterea eas omnes editiones initio* Retractationum et Confessionum *memoratas.* M.

[1] Editi, *in domo Domini*. At a Mss. et ab epistola 211 abest vox, *Domini*.

[2] Mss. Alb. et Sorb. omittunt, *a præposito vestro*. Alii tres substituunt, *a seniore vestro*.

potius unicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum : *Quia erant illis omnia communia, et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat* (*Act.* IV, 32, 35). Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter illud velint inter se esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt : sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiamsi paupertas illorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Tantum [1] non ideo se putent esse felices, quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non poterant.

*De humilitate.*

2. Nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, et terrena ac vana non quærant [2], ne incipiant esse monasteria divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. Rursus, etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt : magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt; ne de suis divitiis magis superbiant, quia eas in monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant : et quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite; et honorate in vobis invicem Deum, cujus templa facti estis.

*De oratione et divino officio.*

3. Orationibus instate, horis et temporibus constitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit : ut si forte aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint. Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce : et nolite cantare, nisi quod legitis [3] esse cantandum; quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

*De jejunio et refectione.*

4. Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ et potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest jejunare, non tamen extra horam prandii [4] aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat. Cum accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite : nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed et aures esuriant Dei verbum [1].

*De indulgentia erga infirmos.*

5. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis quos fecit alia consuetudo fortiores. Nec illos feliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi : sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis qui veniunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, stramentorum [2], operimentorum datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur; cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint. Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius [3], non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere; ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati. Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne graventur : ita et post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur, etiamsi de humillima sæculi paupertate venerunt; tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent : nec ibi eos teneat voluptas jam vegetos, quo necessitas levarat infirmos [4]. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere, quam plus habere.

*De habitu et exterioris hominis compositione.*

6. Non sit notabilis habitus vester; nec affectetis vestibus placere, sed moribus (*a*). Quando proceditis, simul ambulate : cum veneritis quo itis, simul state. In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquam feminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini; sed appetere, aut ab ipsis appeti velle criminosum est. Nec solo tactu et affectu, sed aspectu quoque appetitur et appetit concupiscentia feminarum [5]. Nec

[1] Mss. tres hic, et fere omnes in epistola 211, habent, *ac nunc non ideo.*

[2] In Corb. Cd. et aliquot aliis, necnon in epist. 211, *et terrena bona non quærant.*

[3] Mss. novem, *legistis.*

[4] In codice Albinensi et Michaelino omittitur, *prandii*; quæ vox in cæteris habetur, et significat indultam imbecillibus refectionem alteram, ut in Gallicis observationibus monet R. P. Stephanus Rabache, Augustinianorum in Gallia reformator. Quippe semel tantum quotidie sub noctem corpus reficere, erat antiquis usitatissimum; ex libro de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 33.

[1] Epist. 211, *percipiant Dei verbum.*

[2] Hanc vocem in Edd. plerisque omissam restituimus ex Corb. Ms.; imo præ nobis restituit Desnosius : habetur etiam in epistola 211.

[3] Ita Mss. At epist. 211 : *Nec illæ debent conturbari, quod eas vident amplius.*

[4] Libri quamplures : *Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos.* Sed concinnior est Corbeiensis Ms. lectio hic restituta, eaque confirmatur ex epistola 211. — Notandum epistolam 211 ferre vocem, *voluntas*, loco vocis, *voluptas*. M.

[5] Ita Lov. et Ms. Corb. aliique nonnulli. At Er. et quinque Mss.: *Nec solo tacito affectu, sed affectu quoque et aspectu ap-*

(*a*) In epistola 211 quædam hic interseruntur femins, non viris convenienta, scilicet : « Nec sint vobis tam tenera « capitum tegmina, ut retiola subter appareant, » etc.

dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos : quia impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. Et cum se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo, corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore ; etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in feminam figit oculum, et illius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non videri, cum hoc fecerit ; videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, et a nemine hominum videatur ; quid faciet de illo super inspectore, quem latere nihil potest ? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius ? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere : illum cogitet omnia videre, ne velit feminam male videre. Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est : *Abominatio est Domino defigens oculum* (*a*) (*Prov.* XXVII, 20, *sec.* LXX). Quando ergo simul estis in ecclesia, et ubicumque ubi et feminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

*De fraterna correctione.*

7. Et si hanc de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterum, vel alio quocumque die idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit invenire ; prius tamen et alteri vel tertio demonstratum, ut duorum vel trium possit ore convinci, 16), et competenti severitate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari ; nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur ? Quanto ergo potius eum debes manifestare, ne deterius putrescat in corde ? Sed antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si negaverit, prius præposito [1] debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui, sed a duobus tribusve convinci. Convictus vero, secundum præpositi vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam : quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, indicandis, convincendis vindicandisque peccatis, diligenter et fideliter observetur, cum dilectione hominum, et odio vitiorum. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliqua litteras vel quælibet munuscula accipiat [1], si hoc ultro confitetur, parcatur illi, et oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi gravius emendetur.

*De vitio propriam aliquam rem sibi vindicantium.*

8. Vestes vestras in unum habeatis, sub uno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas, ne a tinea lædantur : et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat ; dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones et murmura oriuntur, cum queritur aliquis deterius se accepisse quam prius habuerat, et indignum se esse qui non ita vestiatur, sicut alius frater ejus vestiebatur ; hinc vos probate quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si sic vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod deposueratis, in uno tamen loco sub communibus custodibus habete quod ponitis. Ita sane, ut nullus sibi aliquid operetur ; sed omnia opera vestra in commune fiant [2], majori studio et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis propria. Charitas enim, de qua scriptum est, quod non quærat quæ sua sunt (I *Cor.* XIII, 5), sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto plus rem communem quam propriam vestram curaveritis, tanto vos amplius profecisse noveritis ; ut in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet charitas. Consequens ergo est ut etiam qui suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur ; sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur [3].

*petitur et appetit concupiscentia feminarum.* Desnosius : *Nec solo tacito affectu, sed aspectu quoque.* Denique epistola 211 habet : *Nec solo tactu, sed affectu quoque et aspectu appetitur et appetit femina ;* ubi Vindingus in virorum regula legi vellet, *et appetit aliquis.* Porro Tarnatensis regula huncce locum sic permutat : *Sed aspectu quoque concupiscentia incurritur feminarum.*

[1] Tres Mss., *seniori ;* ac paulo post iidem cum alio codice, *secundum fratrum vel etiam abbatis ad cujus.*

(*a*) *Bdélugma Kuriô stêridzôn ophtalmon.*

[1] Codices plerique habent : *Ab aliquo litteras vel quodlibet munus accipiat.* Quem locum ad Corbeiensis Ms. fidem correximus, secuti etiam hac in re conjecturam Stellartii et Vindingi, qui de munusculis amatoriis id præcipi arbitrantur ; adeoque ut in feminarum regula legitur, *ab aliquo,* sic legendum hic esse, *ab aliqua.* Paulo post ad hæc verba, *vel præpositi,* additur in epist. 211, *vel etiam episcopi ;* quod at omnibus exemplaribus regulæ viris aptatæ abest.

[2] Editi, *in unum fiant.* At Mss. potiores habent, *in commune.* Ita etiam epist. 211, in qua paulo ante, ad verbum *operetur,* hæc subjuncta sunt : *Sive unde induatur, sive ubi jaceat, sive unde cingatur, vel operiatur ; vel caput contegat.*

[3] Is hæc sententia, *Quod si aliquis rem,* etc. ; abest a Corbeiensi et ab aliis plerisque Mss.

*De vestium lotione, de balneis, deque aliis curandis fratrum necessitatibus.*

9. Indumenta vestra secundum arbitrium præpositi laventur, sive a vobis, sive a fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus. Lavacrum etiam corpori, cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur [1]. Fiat sine murmure de consilio medici, ita ut etiam si nolit, jubente præposito faciat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur : aliquando enim etiam si noceat, prodesse tamen creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur : sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, si non est certum, medicus consulatur. Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit, ire debebit [2]. Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat quod cuique opus esse perspexerit. Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure serviant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur : extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta vero et calceamenta quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant sub quorum custodia sunt quæ poscuntur.

*De petenda venia, et offensis condonandis ex charitate.*

10. Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15). Quicumque convicio vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læsit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit, et ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras ; quas utique quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis. Melior est enim qui quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quam qui tardius irascitur, et ad veniam petendam difficilius inclinatur [3]. Qui non vult dimittere fratri, non speret accipere orationis effectum : qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite ; quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera. Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas : sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

*De obedientia præposito exhibenda.*

11. Præposito tanquam patri obediatur [1]; multo magis presbytero qui omnium vestrum curam gerit. Ut ergo cuncta ista serventur, et si quid servatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, ad præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat quod modum vel vires ejus excedit. Ipse vero qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis ; timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum (*Tit.* II, 7). Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes (I *Thess.* V, 14) ; disciplinam libens habeat, metuens imponat [2]. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus a vobis amari appetat, quam timeri ; semper cogitans [3] Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Unde vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini ; quia inter vos quanto loco superiore, tanto in periculo majore versatur.

*De regulæ liberali observantia et frequenti lectione.*

12. Donet Dominus ut observetis hæc omnia cum dilectione [4], tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis ea quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori : ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut et debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur. Amen.

[1] In epistola 211 sic habetur : *Lavacrum etiam corporum ususque balnearum non sit assiduus ; sed eo quo solet intervallo temporis tribuatur, hoc est semel in mense. Cujus autem infirmitatis necessitas cogit lavandum corpus, non longius differatur. Fiat sine murmure.*

[2] Quatuor Mss.: *Nec qui habet alicubi eundi necessitatem, cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus senior jusserit, ire debet.*

[3] Editi, *tardius inclinatur*. At Ms. Corb. aliique, *difficilius*.

[1] Corbeiensis vetus codex : *Obediatur honore servato, ne in illo offendatur Deus* Ita etiam alii quatuor, qui prosequuntur, *multo magis Abbati*.

[2] Lov., *metuendus imponat*. Sed omnino exigunt verba subsequentia ut hic legatur, *metuens imponat*, sicuti ferunt Mss. quatuor.

[3] Quatuor Mss., *tamen plus eum a vobis amari convenit, quam timeri, semper cogitantem*. Porro verior est lectio vulgata, quam S. Benedictus in Reg. cap. 64, sic reddit : *Studeat plus amari quam timeri*.

[4] Sic Ms. Corb. aliique tres. At in editis deest, *cum dilectione*.

# Appendix

## TOMI PRIMI OPERUM SANCTI AUGUSTINI,

COMPLECTENS

QUÆDAM OLIM IPSI PERPERAM ADSCRIPTA.

*EA SUNT :*


DE GRAMMATICA LIBER.
PRINCIPIA DIALECTICÆ.
CATEGORIÆ DECEM.
PRINCIPIA RHETORICÆ.
REGULÆ CLERICIS TRADITÆ
FRAGMENTUM.
REGULA SECUNDA.
DE VITA EREMITICA
AD SOROREM.


## ADMONITIO

### DE LIBRO DE GRAMMATICA ET TRIBUS PROXIME SEQUENTIBUS OPUSCULIS.

Librum de Grammatica Augustino in prius excusis attributum inter supposititia censemus opuscula ob eam in primis causam, quia methodo æque et scopo totus discrepat ab eo, quem ipse in lib. 1 Retract., cap. 6, una cum aliis disciplinarum libris a se Mediolani jamjam Baptismum percepturo elaboratum recognoscit. Quippe hos libros conscripserat dialogi forma, eoque animo ut *per corporalia ad incorporalia, quibusdam quasi passibus certis*, uti ibidem ait, *vel perveniret, vel duceret*. Ipsi nimirum a tempore suæ conversionis religioni fuit operam dare litteris deinceps, nisi illæ Christo servirent, ex lib. 9 Confess. cap. 4, n. 7. Porro autem subjectum hic opusculum neque dialogi formam gerit, neque ad incorporalia promovet animum. Id præterea eruditi alicujus scriptoris nedum tanti viri solertiam non refert, quæ tum maxime singularis et summa apparet, cum se ipse in re exercet per se humili ac vulgari. Confer libros de Musica, necnon eum locum libri 2 de Ordine, ubi disciplinarum inter se ordinem, earumque occasionem, naturam et proprietates leviter perstringit : hinc profecto intelliges non quidpiam passim obvium, aut quod omnium pedibus tritum esset, de grammatica fuisse ab ipso litteris commendatum. Quæ sane rationes non minus valent adversus tria alia, quæ huc pariter conjecimus opuscula, quæ inscribuntur, Principia Dialecticæ, Categoriæ decem, et Principia Rhetoricæ. Scrupulum injiciebat clausula capiti 7 lib. 1 Retractationum assuta, scilicet : *Hoc opus sic incipit, Omnia nomina tredecim ;* quod initium est libri sequentis. At fraudem deteximus ex Mss. tum veteribus, tum etiam recentioribus, qui eam non habent.

## DE GRAMMATICA LIBER.

CAPUT PRIMUM. — *Terminationes nominum. Ac primo quæ vocalibus terminantur.*

Omnia nomina tredecim litteris terminantur : quinque vocalibus, a, e, i, o, u ; sex semivocalibus, l, m, n, r, s, x ; et duabus mutis, c, t. A masculino, ut Seneca, Catilina, Sulla, Uva, Cinna, Pansa ; græca, Sosia, Pareta ; afra, Jugurtha, Micipsa. A feminino, femina, musa, regula, norma, forma ; et talia. A neutro græca sunt tantum, thema, schema, et unum nomen latinum fluminis, Turia ; dicente Sallustio, *Flumen Turia*. (*In Bello Jugurth*). A communi, advena, convena, indigena, Trojugena ; et talia. Ab epicœno, vipera, aquila, musca, locusta, ulula ; et talia. Diximus de a littera, nunc de e. Ab e littera vocali nullum latinum, nisi juncta præpositione, masculinum invenitur, ut proconsule, proprætore. Ergo juncta præpositione fiunt latina, ut dixi, proprætore, proquæstore. Nam veteres nominativo casu proconsul dicebant, attendentes nullum nomen latinum exire in e litteram nominativo casu generis masculini. A feminino nullum latinum, sed græca solum : ut Andromache, Niobe, Libye, Hecate, Euterpe, quorum genitivus in es exit : ut Andromaches, Niobes, Libyes, Hecates, Euterpes. Sed hæc cum Græcis tractamus. A neutro e littera in nominativo, monile, sedile, cubile, et cætera quæ paulo post in regula generis neutri per omnia nomina ponemus. A communi nullum nomen est, similiter nullum ab epicœno. Nunc de i littera tractemus in nominativo quæ genera contineat. A masculino nullum nomen in i ; a feminino nullum ; a neutro gummi, et est ἄπτωτον (*a*) ; a communi nullum ; ab omni genere, ut frugi, nihili : declinatur sic, hic vir frugi, femina frugi, mancipium frugi : genitivo similiter frugi faciet, hujus viri frugi, hujus feminæ frugi, hujus mancipii frugi ; sic per omnes casus frugi dicimus. Sic declinatur nihili, hic nihili vir, hæc nihili mulier, hoc nihili mancipium. Hoc sono nominativi omnes casus declinantur : sic pluraliter ; viri nihili, feminæ nihili, mancipia nihili. Ab epicœno nullum similiter exit in i. Ab o littera vocali nominativus terminatus masculino appellativo, ut ligo, ligonis. A proprio nomine, ut Cato, Cicero, Maro, Nero, Tubero, et cætera talia. A feminino appellativo, ut vertigo, indago, ferrago, siligo (in Juvenali legitur ita :

(*a*) Indeclinabile diceret Augustinus, qui in latino sermone græca vocabula non usurpat sine necessitate, ex lib. 1 de Musica, cap. 12, n. 23.

Sed quæ mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit et madidæ, facies dicetur an ulcus?
(*Satira* 6, *v.* 461-473)

Sartago, virago, lanugo, aurugo, ærugo, crepido (in Juvenali,

Nulla crepido vacat, nusquam pons et tegetis pars.
(*Satira*, 5, *v.* 8.)

et talia. A feminino proprio, Carthago : peregrina vero, ut Dido, Ino, Io, Alecto, Celeno, Clio, Manto; quorum genitivus in us exit, Didus, Inus, Ius, Alectus, Celenus, Clius, Mantus : sed hoc cum Græcis tractemus. A neutro nullus nominativus in o exit. A communi, fullo, latro, caupo, etc. Ab epicœno, struthio, hirundo, hirudo, gurgulio, bufo; et talia. Ab u vocali solum neutrum, quod in singulari indeclinabile est, in plurali declinatur, ut cornu, veru, genu, tonitru : hoc sono enuntiantur omnes casus in singulari, ut diximus; in plurali declinantur, cornua, verua, genua; genitivo, horum cornuum, veruum, genuum : et cætera declinabis ad regulam versuum, fluctuum.

CAPUT II. — *De nominibus quæ terminantur in semivocales et eorum generibus.*

Diximus de vocalibus quinque, quibus terminatur nominativus, nunc de semivocalibus dicamus. L littera nominativus exiens in masculinis appellativis, hic sal; in propriis, Sol. In femininis unum nomen matronæ tantum, Tanaquil. In neutris, ut mel, fel. In communibus, vigil, pugil : unde et Terentius de virgine, *Pugilem esse aiunt* (*In Eun. act.* 2, *scen.* 3, *v.* 24). In epicœnis nullum nomen est. M, nominativus exiens, in masculinis nullum latinum est. In femininis, Glycerium, Phanium, Dorcium, Philocomasium. In neutris autem, templum, telum, tectum, et alia quorum plurales faciles sunt. In communibus nullum exit in m : sic et in epicœnis. Nunc tractemus de semivocali n. N littera terminatus nominativus a masculinis, flamen, pecten, lien, quod est splen. A femininis, siren, pluralis sirenes. A neutris carmen, germen, gramen, et cætera talia, quæ post regulas generis neutri tractabimus. A communibus nominativus exiens in n, tubicen, tibicen, fidicen, lyricen, cornicen qui in lituis canit. Ab epicœnis, oscen, id est ab his quæ tradunt augurium, attagen. Nunc de semivocali r. R littera terminatus nominativus a masculinis, ut Cæsar, Arar, Nar, victor, tutor, sopor, mœror, et alia quæ facilia sunt tam in appellativis quam in propriis : a femininis, arbor, soror : a neutris, marmor, æquor, et alia : a communibus, pauper, acer, alacer, memor, auctor : ab epicœnis, passer, accipiter, anser. Nunc de s littera semivocali tractemus. S littera terminatus nominativus a masculinis, justus, doctus, pius : a femininis, dos, sors, mors, et talia : a neutris, vulnus, pectus, pecus, et cætera quæ mox regula retractabitur : a communibus sacerdos, impos, compos, similis, nobilis, agilis : ab omni genere, ut nugas, etc. De his mox uberius tractabimus. Ab epicœnis, tigris, mus, lepus, etc. Nunc de semivocali littera x. Nominativus in x littera : a masculinis, vertex, cortex, pumex : a propriis, Pollux : a femininis, nex, prex, fex, pax, fax, et alia : a neutris nullum nomen nisi omni generi jungatur, ut felix.

CAPUT III. — *De iis quæ terminantur in mutas.*

Remanent duæ mutæ, c, t, litteræ. Nominativus exiens c littera tenet masculinum, ut alec : tenet neutrum, ut lac. T littera exiens nominativus tenet genus neutrum, ut caput, sinciput, semicaput.

CAPUT IV. — *De terminatione et declinatione nominum neutri generis.*

Nomina generis neutri in um, syllabam exeuntia, ut templum declinantur : N. singulari, hoc templum, G. hujus templi, D. huic templo, A. hoc templum, V. o templum, A. ab hoc templo : et pluraliter, N. hæc templa, G. horum templorum, D. his templis, A. hæc templa, V. o templa, A. ab his templis. Simili declinatione hæc omnia procurrunt, telum, tectum, scamnum, bellum, monstrum, portentum, oppidum, carpentum, venenum, donum, bonum : malum, magnum, pessimum, parvum : frumentum, medicamentum, membrum, forum, metrum, porrum, lignum, plaustrum, claustrum, instrumentum, olivetum, vinetum, palmetum, quercetum, esculetum, lauretum, argumentum, sacrum, testamentum, jugerum, vinum : sed nunc tantum in singulari, vina enim poetæ dixerunt : et cicera. Sic oleum, hordeum, triticum, ferrum, viscum, aurum, argentum, plumbum, stamnum, vitrum, electrum, et talia quæ ad pondus veniunt vel mensuram, ex ista sunt forma. Generis neutri quæ in ium exeunt, sed hæc in genitivo per duo ii scribuntur, ut hoc ingenium, hujus ingenii; sic imperium imperii, scrinium scrinii, capitolium capitolii, tentorium tentorii, armarium armarii, solarium solarii, tectorium tectorii, armamentarium armamentarii, spatium spatii, sacrarium sacrarii : sic horarium horarii, salarium salarii, viridarium viridarii, pomœrium pomœrii, sacrificium sacrificii, folium folii, solium solii, testimonium testimonii : sic rosarium rosarii, aviarium aviarii, augurium augurii, auspicium auspicii, exitium exitii, exsilium exsilii, prodigium prodigii, auxilium auxilii, præsidium præsidii, atrium atrii, aucupium aucupii, adjutorium adjutorii, mancipium mancipii, dolium dolii. Est alia forma generis neutri quæ per us exit, ut hoc pecus : numero singulari, N. hoc pecus, G. hujus pecoris, D. huic pecori, A. hoc pecus, V. o pecus, A. ab hoc pecore : et pluraliter, N. hæc pecora, G. horum pecorum, D. his pecoribus, A. hæc pecora, V. o pecora, A. ab his pecoribes. Ad hanc formulam declinabimus, ulcus ulcera, facinus facinora, vellus vellera, viscus viscera, rus rura, jus jura, nemus nemora, tergus tergora, pectus pectora, genus genera, pondus pondera, corpus corpora, decus decora, funus funera, fenus fenora, olus olera, littus littora, opus opera, rudus rudera, tus tura, tempus tempora, fœdus fœdera, stercus stercora, onus onera, latus latera. Est alia species generis neutri quæ continet nomina in ur exeuntia : ut hoc murmur in nominativo, G. hujus murmuris, D. huic murmuri, A. hoc murmur, V. o murmur, A. ab hoc murmure : et pluraliter, nominativo hæc murmura, G. horum murmurum, D. his murmuribus, A. hæc murmura, V. o murmura, A. ab his murmuribus. Ad hanc formulam similia declinabis, ut ebur ebora, femur femora, sulfur sulfura, fulgur fulgura. Sed ex hac formula non multa inveniuntur, quoniam pauca sunt generis neutri quæ in or exeunt : ut marmor in nominativo, G. hujus marmoris, D. huic marmori, A. hoc marmor, V. o marmor, A. ab hoc marmore : et pluraliter, N. hæc marmora, G. horum marmorum, D. his marmoribus, A. hæc marmora, V. o marmora, A. ab his marmoribus. Sic æquor æquora, cor corda. Alia species generis neutri quæ continet nomina in ar syllabam exeuntia : ut hoc far nominativo, G. hujus farris, D. huic farri, A. hoc far, V. o far, A. ab hoc farre. In plurali tres casus habet solum. N. hæc farra, accusativo hæc farra, vocativo o farra : non habet ergo genitivum, dativum et ablativum : unde τρίπτωτα dicuntur in plurali, id est trium casuum, ut sunt jura, non dicimus horum jurium, his juribus, nec ærum æribus, nec mellum mellibus, et alia pauca; nec enim multa sunt : sic nec horum farrum in genitivo possumus dicere, aut in dativo his farribus. Hanc ergo formam numero tantum singulari declinabis, hoc nectar nectaris, laser laseris, et instar, quod est similitudo, sed habet tres casus tantum, nominativum, accusativum et vocativum, et est numeri tantum singularis. Alia species generis neutri quæ continet omnia in er exeuntia, sed numeri tantum singularis, N. hoc piper, G. hujus piperis, D. huic piperi, A. hoc piper, V. o piper, A. ab hoc pipere. Ad hanc formam declinabis numero tantum singulari, ver : N. hoc ver, G. hujus veris, D. huic veri, A. hoc ver, V. o ver, A. ab hoc vere. Sic declinabis hoc siler, ut ait Virgilius,

*Molle siler* (*Georg. lib.* 2, *v.* 13). Similiter declinabis et juger, sed habet pluralem, ut juger jugera, secundum antiquos qui dixerunt jugerum ; uber ubera, tuber tubera : et in hæc, ut dixi, paucorum nomina sunt. Alia species per os, ut ipsum os ora, unde osculum, sed hoc producimus, aliud corripimus ab eo quod sunt ossa : declinatur singulariter, nominativo hoc os, G. hujus ossis, D. huic ossi, A. hoc os, V. o os, A. ab hoc osse : et pluraliter, N. hæc ossa, G. horum ossium, D. his ossibus, A. hæc ossa, V. o ossa, A. ab his ossibus. Alia species generis neutri quæ continet nomina in e exeuntia, ut monile : nominativo hoc monile, G. hujus monilis, D. huic monili, A. hoc monile, V. o monile, A. ab hoc monili : et pluraliter, nominativo hæc monilia, G. horum monilium, D. his monilibus, A. hæc monilia, V. o monilia, A. ab his monilibus. Similiter declinabis sedile sedilia, præsepe præsepia, collare collaria, ducale ducalia, molle mollia, grave gravia, vile vilia, mite mitia, suave suavia, vitale vitalia, morale moralia, lene lenia, leva levia, ancile ancilia : de quo Virgilius, *Lævaque ancile gerebat* (*Æneid. lib.* 7, *v.* 188) : facile facilia, nobile nobilia, agile agilia, mare maria ; sed pluraliter tres casus habet tantum, nominativum, accusativum et vocativum : genitivum, dativum et ablativum non habet : non enim dicimus in genitivo horum marium, aut in dativo his maribus, aut in ablativo ab his maribus. Sic et alia declinabis huic formæ similia. Huic regulæ ablativus in i exit, non in e, quia genus neutrum nunquam habet quatuor casus similes, ut faciat in nominativo hoc monile, et accusativo hoc monile, et vocativo o monile, et in ablativo ab hoc monile ; sed ab hoc monili : inde Virgilius, *Instrato saxa cubili* (*Georg. lib.* 3, *v.* 230) : ab hoc cubili : sic, et, *Sacra mari colitur* (*Æneid. lib.* 3, *v.* 73) : item, *Hortatur pater ire mari* (*Ibid.*, *v.* 144) : item, *Tenui de vimine* (*Georg. lib.* 3, *v.* 166) : item, *Crudeli vulnere* (*Eclog.* 5, *v.* 20) : item, *Lethali vulnere* (*Æneid. lib.* 9, *v.* 580) : item, *Dulci ex ore coruscent* (*Id. lib.* 12, *v.* 802) : et cum dicimus, Nobili genere natus, non nobile. Sic ergo observabis in nomine neutro quod exit in nominativo singulari in e, ut ablativum in i mittat regula perpetua. Alias species generis neutri quæ continet nomina in al exeuntia, ut animal. Nominativo hoc animal, G. hujus animalis, D. huic animali, A. hoc animal, V. o animal, A. ab hoc animali : et pluraliter, N. hæc animalia, G. horum animalium, D. his animalibus. A. hæc animalia, V. o animalia, A. ab his animalibus. Ad hanc formam declinabis tribunal tribunalia, lupercal lupercalia, quæ sunt sacra illius genii qui Pan vocatur : unde et Virgilius de ipso loco, *Et gelida monstrat sub rupe Lupercal* (*Id.*, *lib.* 8, *v.* 343). Alia species neutri quæ continet nomina in el exeuntia, ut mel : N. hoc mel, G. hujus mellis, D. huic melli, A. hoc mel, V. o mel, A. ab hoc melle. Sic declinabis, N. hoc fel, G. hujus fellis, D. huic felli, A. hoc fel, V. o fel, A. ab hoc felle. Sed plurali numero non nisi per tres casus currit, nominativum, accusativum et vocativum. Alia species generis neutri quæ continet nomina in en syllabam exeuntia : N. hoc crimen, G. hujus criminis, D. huic crimini, A. hoc crimen, V. o crimen, A. ab hoc crimine : et pluraliter, N. hæc crimina, G. horum criminum, D. his criminibus, A. hæc crimina, V. o crimina, A. ab his criminibus. Ad hanc regulam similia declinabis, carmen carminis, numen numinis, flamen flaminis, agmen agminis, acumen acuminis, gramen graminis, flumen fluminis, stramen straminis, lumen luminis, semen seminis, liquamen liquaminis, fulmen fulminis, rumen ruminis, bitumen bituminis, gluten glutinis, legumen leguminis, fundamen fundaminis, tegimen tegiminis, munimen muniminis, levamen levaminis, specimen specieminis, sed pluralem non admittit : item subtegimen subtegiminis. Alia species generis neutri ἄπτωτα, id est indeclinabilia, ut genu : N. hoc genu, G. hujus genu, D. huic genu, A. hoc genu, V. o genu, A. ab hoc genu : et pluraliter, nominativo hæc genua, G. horum genuum, D. his genibus, A. hæc genua, V. o genua, A. ab his genibus Ad hanc formam declinabis et hoc cornu, ut supra diximus, cornu cornua, veru verua, quæ sunt virgæ ferreæ laniorum ; de quibus Virgilius, *Verubusque trementia figunt* (*Id. lib.* 1, *v.* 212) : tonitru tonitrua. Sed talium nominum declinatio perrara invenitur. Alia species generis neutri de qua supra tractavimus, quæ exit in quatuor nomina duarum mutarum, c et t, ut caput et sinciput, lac et alec ; sed hæc duo pluralem numerum non admittunt. Exit item genus neutrum in a, sed in græcis nominibus, ut thema themata, toreuma toreumata, schema schemata, emblema emblemata, theorema theoremata, boethema boethemata, et alia. Item meminerimus singulas litteras tam in Græcis quam in Latinis generis esse neutri. Dicimus enim unum alpha, unum beta, unum gamma, sic et aliæ litteræ : pluraliter duo alpha, duo beta, duo gamma : sic tria alpha, tria beta, tria gamma : inde est illud τρία κάππα κάκιστα, id est tria cappa pessima : de Cornelio Sulla, de Cornelio Cinna, de Cornelio Lentulo : hi enim per tres litteras designati sunt in libris Sibyllinis. Est et unum nomen generis neutri in a, ut flumen Turia, ut supra diximus.

CAPUT V. — *De terminatione et declinatione nominum communis generis.*

Genus commune exit per a, ut advena : declinatur N. hic et hæc advena, G. hujus advenæ, D. huic advenæ, A. hunc et hanc advenam, V. o advena, A. ab hoc et ab hac advena : pluraliter N. hi et hæ advenæ, G. horum et harum advenarum, D. his advenis, A. hos et has advenas, V. o advenæ, A. ab his advenis. Ad hanc formulam declinabis Trojugena, indigena, incola, agricola, convena, cœlicola, sacricola, publicola, terricola, orbicola, plebicola, Numida, Dalmata, ruricola, lucifuga, Persa, Romulida, etc. In nominativo e et i, non habet genus commune, sed in o, ut latro : N. hic et hæc latro, G. hujus latronis, D. huic latroni, A. hunc et hanc latronem, V. o latro, A. ab hoc et ab hac latrone : et pluraliter, N. hi et hæ latrones, G. horum et harum latronum, D. his latronibus, A. hos et has latrones, V. o latrones, A. ab his latronibus. Ad hanc formam declinabis, homo, ganeo, degulo, caupo, fullo, nemo, helluo qui et gluto, et alia. Per u autem nullam habet. In nominativo ergo exit commune per es syllabam, ut comes : N. hic et hæc comes, G. hujus comitis, D. huic comiti, A. hunc et hanc comitem, V. o comes, A. ab hoc et ab hac comite : et pluraliter, N. hi et hæ comites, G. horum et harum comitum, D. his comitibus, A. hos et has comites, V. o comites, A. ab his comitibus. Ad hanc formam declinabis similia ; ut sospes, locuples, hospes, licet hospitam dixerit Virgilius, *Hospita tellus* (*Æneid. lib.* 3, *v.* 539) : miles, veles, id est, levis armaturæ miles, interpres, ales, præpes, præs, id est, fidejussor, satelles, deses, præses, dives, hæres, cœles, cœlites, qui iter sibi faciunt ad cœlum, indiges indigetis, etc. Exit in is, ut similis : N. hic et hæc similis, G. hujus similis, D. huic simili, A. hunc et hanc similem, V. o similis, A. ab hoc et ab hac simili : et pluraliter, N. hi et hæ similes, G. horum et harum similium, D. his similibus, A. hos et has similes, V. o similes, A. ab his similibus. Ad hanc formam declinantur agilis, facilis, fragilis, viridis, mobilis, humilis, mitis, lenis, mollis, civis, testis, hostis, tristis, fortis, suavis, frugalis, crudelis, inanis, gracilis, immanis, etc. Exit per os, ut sacerdos : N. hic et hæc sacerdos, G. hujus sacerdotis, D. huic sacerdoti, A. hunc et hanc sacerdotem, V. o sacerdos, A. ab hoc et ab hac sacerdote : et pluraliter, N. hi et hæ sacerdotes, G. horum et harum sacerdotum, D. his sacerdotibus, A. hos et has sacerdotes, V. o sacerdotes, A. ab his sacerdotibus. Ad hanc formam declinantur custos, impos, compos, nepos. Exit et per us, ut sus : N. hic et hæc sus, G. hujus suis, D. huic sui, A. hunc et hanc suem, V. o

sus, A. ab hoc et ab hac sue : et pluraliter, N. hi et hæ sues, G. horum et harum suum, D. his suibus, A. hos et has sues, V. o sues, A. ab his suibus. Exit et per er, ut pauper : N. hic et hæc pauper, G. hujus pauperis, D. huic pauperi, A. hunc et hanc pauperem, V. o pauper, A. ab hoc et ab hac paupere : et pluraliter, N. hi et hæ pauperes, G. horum et harum pauperum, D. his pauperibus, A. hos et has pauperes, V. o pauperes, A. ab his pauperibus. Ad hanc formam declinantur et alia, ut acer, alacer, id est lætus. Exit commune in ex, ut opifex : N. hic et hæc opifex, G. hujus opificis, D. huic opifici, A. hunc et hanc opificem, V. o opifex, A. ab hoc et ab hac opifice : et pluraliter, N. hi et hæ opifices, G. horum et harum opificum, D. his opificibus, A. hos et has opifices, V. o opifices, A. ab his opificibus. Ad hanc formam declinabis aurifex, artifex, judex, carnifex, index, vindex, auspex, aruspex, signifex, et alia. Exit genus commune in eps, ut princeps : declinatur sic : Nominativo hic et hæc princeps, G. hujus principis, D. huic principi, A. hunc et hanc principem, V. o princeps, A. ab hoc et ab hac principe : et pluraliter, N. hi et hæ principes, G. horum et harum principum, D. his principibus, A. hos et has principes, V. o principes, A. ab his principibus. Sic declinantur manceps, particeps, municeps. Anceps autem et biceps et triceps, et quadriceps, multiceps, præceps, hæc sex nomina genitivum singularem contra regulam superiorem in tis syllabam mittunt, non in pis, ut anceps ancipitis, biceps bicipitis, triceps tricipitis, quadriceps quadricipitis, multiceps multicipitis, præceps præcipitis. Sed ideo in tis syllabam exeunt, non in pis, ut principis, mancipis, quia a capitis significatione veniunt, illa autem superiora capiendi significatione. Princeps enim dictus est, quod primus capiat, et manceps quod manu capiat. Anceps autem dictus est quod dubii capitis sit, vel inclinati capitis in utramque partem. Exit genus commune in junx syllabam, ut conjunx : Nominativo hic et hæc conjunx. Exit in ux, ut hic et hæc dux, redux. Exit in eps, quod quidem in omne genus redibit. Exibit in ebs, ut cælebs. Cælebs dicitur qui non habet uxorem, vel quæ non habet maritum : qualia sunt numina in cœlo quæ absque conjuge sunt, si agapetas non attendamus (*a*). Nominativo hic et hæc cælebs, G. hujus cælibis, D. huic cælibi, A. hunc et hanc cælibem, V. o cælebs, A. ab hoc et ab hac cælibe : et pluraliter, N. hi et hæ cælibes, G. horum et harum cælibum, D. his cælibibus, A. hos et has cælibes, V. o cælibes, A. ab his cælibibus. Exit et in yx, ut Phryx : Nominativo hic et hæc phryx, G. hujus phrygis, D. huic phrygi, A. hunc et hanc phrygem, V. o phryx, A. ab hoc et ab hac phryge : et pluraliter, Nominativo hi et hæ phryges, G. horum et harum phrygum, D. his phrygibus, A. hos et has phryges, V. o phryges, A. ab his phrygibus. Et in us exit, ut Ligus. quod similiter ut Phryx, locale nomen est. Nominativo hic et hæc ligus, G. hujus liguris, D. huic liguri, A. hunc et hanc ligurem, V. o ligus, A. ab hoc et ab hac ligure : et pluraliter, N. hi et hæ ligures, G. horum et harum ligurum, D. his liguribus, A. hos et has ligures, V. o ligures, A. ab his liguribus. Exit genus commune in il, ut vigil : Nominativo hic et hæc vigil, G. hujus vigilis, D. huic vigili, A. hunc et hanc vigilem, V. o vigil, A. ab hoc et ab hac vigile : et pluraliter, N. hi et hæ vigiles, G. horum et harum vigilum, D. his vigilibus, A. hos et has vigiles, V. o vigiles, A. ab his vigilibus. Ad hanc regulam declinabis hic et hæc pugil. Exit in ul, ut exsul : N. hic et hæc exsul, G. hujus exsulis, D. huic exsuli, A. hunc et hanc exsulem, V. o exsul, A. ab hoc et ab hac exsule : et pluraliter, N. hi et hæ exsules, G. horum et harum exsulum, D. his exsulibus, A. hos et has exsules, V. o exsules, A. ab his exsulibus. Ad hanc formam declinabis præsulem, hic et hæc præsul : quoniam masculinum est, ut consul. Exit in ur, ut fur : Nominativo hic et hæc fur, G. hujus furis, D. huic furi, A. hunc et hanc furem, V. o fur, A. ab hoc et ab hac fure : et pluraliter, Nominativo hi et hæ fures, G. horum et harum furum, D. his furibus, A. hos et has fures, V. o fures, A. ab his furibus. Ad hanc formam declinabis augur, hic et hæc augur. Exit genus commune in or, ut major, memor. Sed memor, si alia regula est, non admittit genus neutrum in jus, quando major admittit in neutro majus. Nominativo hic et hæc memor, G. hujus memoris, D. huic memori, A. hunc et hanc memorem, V. o memor, A. ab hoc et ab hac memore : et pluraliter, Nominativo hi et hæ memores, G. horum et harum memorum, D. his memoribus, A. hos et has memores, V. o memores, A. ab his memoribus. Admittit et neutrum, sed non in regula generis omnis, ut hoc memor, unde et Virgilius :

Tum si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, justumque memorque precatur.
(*Æneid. lib.* 4, *vv.* 520, 521.)

Pluralem non admittit, inde non est generis omnis. Neque enim dicimus memora vel memoria numina. Similiter declinabis auctorem in nominativo singulari, hic et hæc auctor, ut ait Juno, *Auctor ego audendi* (*Id. lib.* 12, *v.* 159) : hi et hæ auctores.

CAPUT VI. — *De terminatione et declinatione nominum omnis generis.*

Exit genus omne in ax, in ex, in ix, in ox, in ux, ans, ens, ons, ar[1], ers, ors, in us, es. In ax, ut hic et hæc et hoc pertinax, G. hujus pertinacis, D. huic pertinaci, A. hunc et hanc pertinacem, et hoc pertinax, V. o pertinax, A. ab hoc et ab hac et ab hoc pertinaci : et pluraliter Nominativo hi et hæ pertinaces, et hæc pertinacia, G. horum et harum et horum pertinacium, D. his pertinacibus, A. hos et has pertinaces, et hæc pertinacia, V. o pertinaces, et o pertinacia, A. ab his pertinacibus. Ad hanc formam declinabis, efficax, tenax, pervicax, dicax, sequax, rapax, mordax, capax, furax, emax, fallax, mendax, nugax, vivax. Hæc omnia et talia ablativum singularem in i mittunt. Exit item omne genus in ex, secundum ordinem regularum supra ordinatarum, ut simplex : Nominativo hic et hæc et hoc simplex, G. hujus simplicis, D. huic simplici, A. hunc et hanc simplicem, et hoc simplex, V. o simplex, A. ab hoc et ab hac et ab hoc simplici : et pluraliter, Nominativo hi et hæ simplices, et hæc simplicia, G. horum et harum et horum simplicium, D. his simplicibus, A. hos et has simplices, et hæc simplicia, V. o simplices, et o simplicia, A. ab his simplicibus. Ad hanc formam declinantur duplex, triplex, quadruplex, quintuplex, sextuplex, septuplex, excluso m, quia et septemplex latinum est, quod declinatur ut superius. Ex regula in ix, ut felix, quod sic declinatur : Nominativo hic et hæc et hoc felix, G. hujus felicis, D. huic felici, A. hunc et hanc felicem, et hoc felix, V. o felix, A. ab hoc et ab hac et ab hoc felici, ex sono generis neutri (a propriis nominibus in e exit ab hoc felice, et est generis masculini) : et pluraliter, Nominativo hi et hæ felices, et hæc felicia, G. horum et harum et horum felicium, D. his felicibus, A. hos et has felices, et hæc felicia, V. o felices et o felicia, A. ab his felicibus. Ad hanc regulam declinatur pernix, quod significat velocem. Ex regula in ox, ut ferox, declinatur sic : Nominativo hic et hæc et hoc ferox, G. hujus ferocis, D. huic feroci, A. hunc et hanc ferocem, et hoc ferox, V. o ferox, A. ab hoc et ab hac et ab hoc feroci : et pluraliter, Nominativo hi et hæ feroces, et hæc ferocia, G. horum et harum et horum ferocium, D. his ferocibus, A. hos et has feroces, et hæc ferocia, V. o feroces, et o ferocia, A. ab his ferocibus. Ad hanc formam declinabitur atrox, velox. Ex regula in ux, unum nomen est, ut trux : Nominativo hic et hæc et hoc trux, G. hujus trucis, D. huic truci, A. hunc et hanc trucem, et hoc trux, V. o trux, A. ab hoc et ab hac et ab hoc truci, a sono generis neutri : et pluraliter, N. hi et hæ truces, et hæc trucia, G. horum et harum et horum trucium,

(*a*) Absit hoc dictum ab Augustino.

[1] Edd. omnes omittunt vocem, *ons*, quæ tamen necessaria videtur ex infra prolatis exemplis. Dein ferunt, *ars* pro *ar*, quod restituimus ut insequentibus exemplis magis accommodatum. M.

D. his trucibus, A. hos et has truces, et hæc trucia, V. o truces et o trucia, A. ab his trucibus. Ex regula ans, ut præstans : Nominativo hic et hæc et hoc præstans, G. hujus præstantis, D. huic præstanti, A. hunc et hanc præstantem, et hoc præstans, V. o præstans, A. ab hoc et ab hac et ab hoc præstanti, ex sono generis neutri : et pluraliter, N. hi et hæ præstantes, et hæc præstantia, G. horum et harum et horum præstantium, D. his præstantibus, A. hos et has præstantes, et hæc præstantia, V. o præstantes, et o præstantia, A. ab his præstantibus. Ad hanc formam declinatur amans, clamans, cantans, luctans, constans, prostans, regnans, puguans, mirans, minans, miserans, æstuans, versans, et talia. Ex regula ens, ut amens : N. hic et hæc et hoc amens, G. hujus amentis, D. huic amenti, A. hunc et hanc amentem, et hoc amens, V. o amens, A. ab hoc et ab hac et ab hoc amenti, sono generis neutri similiter : et pluraliter, N. hi et hæ amentes, et hæc amentia, G. horum et harum et horum amentium, D. his amentibus, A. hos et has amentes, et hæc amentia, V. o amentes et o amentia, A. ab his amentibus. Ad hanc formam declinatur demens, potens, impotens, præpotens, prudens, imprudens, pudens, impudens, frequens, infrequens, sedens, hærens, moriens, mœrens, tenens, egens, ferens, cedens, sæviens, serviens, sapiens, incipiens, decipiens, et talia. Ex regula ons, ut sons, quod significat nocens : N. hic et hæc et hoc sons, G. hujus sontis, D. huic sonti, A. hunc et hanc sontem, et hoc sons, V. o sons, A. ab hoc et ab hac et ab hoc sonti, a sono generis neutri : et pluraliter, N. hi et hæ sontes, et hæc sontia, G. horum et harum et horum sontium, D. his sontibus, A. hos et has sontes, et hæc sontia, V. o sontes et o sontia, A. ab his sontibus. Ad hanc regulam declinatur insons, id est, innocens. Et hæc duo sunt tantum generis omnis. Ex regula ar, ut par : N. hic et hæc et hoc par, G. hujus paris, D. huic pari, A. hunc et hanc parem, et hoc par, V. o par, A. ab hoc et ab hac et ab hoc pari, sono generis neutri : et pluraliter, N. hi et hæ pares, et hæc paria, G. horum et harum et horum parium, D. his paribus, A. hos et has pares, et hæc paria, V. o pares et o paria, A. ab his paribus. Ad hanc formam declinantur impar et suppar, quæ sola tria sunt generis omnis. Ex regula ers, ut iners : N. hic et hæc et hoc iners, G. hujus inertis, D. huic inerti, A. hunc et hanc inertem, et hoc iners, V. o iners, A. ab hoc et ab hac et ab hoc inerti : et pluraliter, N. hi et hæ inertes, et hæc inertia, G. horum et harum et horum inertium, D. his inertibus, A. hos et has inertes, et hæc inertia, V. o inertes et o inertia, A. ab his inertibus. Ex regula ors, ut vecors : N. hic et hæc et hoc vecors, G. hujus vecordis, D. huic vecordi, A. hunc et hanc vecordem, et hoc vecors, V. o vecors, A. ab hoc et ab hac et ab hoc vecordi, a genere neutro : et pluraliter, N. hi et hæ vecordes, et hæc vecordia, G. horum et harum et horum vecordium, D. his vecordibus, A. hos et has vecordes, et hæc vecordia, V. o vecordes et o vecordia, A. ab his vecordibus. Ad hanc regulam declinantur excors, concors, discors, dissors. Sed hæc duo, id est, consors, et dissors, in genitivo singulari tis habent, ut consortis, dissortis. Dissors autem dicitur dissimilis sortis. Ex regula us, ut vetus : declinatur autem sic : N. hic et hæc et hoc vetus, G. hujus veteris, D. huic veteri, A. hunc et hanc veterem, et hoc vetus, V. o vetus, A. ab hoc et ab hac et ab hoc veteri, a sono generis neutri : et pluraliter, N. hi et hæ veteres, et hæc vetera, G. horum et harum et horum veterum, D. his veteribus, A. hos et has veteres, et hæc vetera, V. o veteres et o vetera, A. ab his veteribus. Hoc solum nomen in us, est generis omnis. Es, ut teres, quod est rotundum ; declinatur, hic et hæc et hoc teres : teres autem dictum est aterendo. Ex regula autem ἀπτωτων est, nequam ; uno enim sono declinantur omnes casus per omnia genera.

CAPUT VII. — *De nominibus generis epicœni, et differentia ejusdem generis a communi.*

Est autem genus epicœnum, quod sub uno articulo intelligitur sexus, ut puta hic passer, jam sub uno articulo quo sonat hic, illic est et femina : declinatur, N. hic passer, G. hujus passeris, D. huic passeri, A. hunc passerem, V. o passer, A. ab hoc passere : et pluraliter, N. hi passeres, G. horum passerum, D. his passeribus, A. hos passeres, V. o passeres, A. ab his passeribus. Sed et hæc aquila, sub uno articulo quo sonat hæc, ibi et masculinum intelligimus : sic et hæc tigris, sub quo sono intelligitur et masculus. Sic et hæc hirundo, ibi intelligis et masculum : sic et hic struthio, ibi intelligis et feminam, sic sorex, stellio, musca. Ergo hoc interest inter genus commune et epicœnum, quia in genere communi et homines sunt et pecora, in epicœno pecora tantum : quod in genere communi ambo articuli sunt, id est hic et hæc cum nomine communicat, ut hic et hæc canis ; epicœnum autem cum articulo uno masculino communicat nomen femininum, ut cum dico hic passer, sub ipso articulo qui sonat hic, intelligitur et femina. Sic in articulo generis neutri, quod est hoc pecus : sub articulo qui sonat hoc, intelligitur et femina, ut Virgilius ait, *Lenta salix feto pecori* (*Eclog.* 3, *v.* 83). Et in pecore licet sit genus neutrum, auditur illic et genus femininum, cum dixit, feto pecori, id est gravido.

CAPUT VIII. — *De nominibus aut singularis aut pluralis numeri tantum.*

Nunc dicendum de nominibus quæ aut sunt numeri singularis tantum, aut numeri tantum pluralis, ut cancelli, manes, penates. In femininо tantum plurali, ut thermæ, exsequiæ, insidiæ, divitiæ, nundinæ : in nominibus civitatum, Amyclæ, Thenæ, Athenæ, Syracusæ, Thebæ, Tubunæ, Saldæ, Abiturnæ, Macomades, Cales, Carreasi, Relares, Furnitum, quæ loca turnos dicuntur, et alia similia : in neutro tantum singulari, ut aurum, argentum, plumbum, stannum, piper, triticum, oleum, hordeum, vinum. Quanquam Virgilius vina (*Georg. lib.* 2, *v.* 97), at Cicero rarius, poetica licentia dedit plurali, ut *Serite hordea campis* (*Id. lib.* 1, *v.* 210) : declinatur autem nominativus solus. In neutro tantum plurali, castra, mœnia, arma, exta, id est viscera : Bactra, quæ est civitas Parthiæ : ergo et hæc civitas generis neutri est numero tantum plurali. Sane sunt nomina sub duplici enuntiatione, ut tribunusmilitum, præfectusurbis, præfectusfundis, præfectusannonæ, præfectusvigilibus, plebiscitum, senatusconsultum : quorum nominum una pars declinatur, altera non declinatur : ut puta præfectusvigilibus, nominativus ipse flectitur per casus, præfectus, præfecti, præfecto, præfectum, præfecte, a præfecto : vigilibus sic manet, nec flectitur. Ut senatusconsultum, hoc consultum, hujus consulti, huic consulto, hoc consultum, o consultum, ab hoc consulto. Senatus autem genitivus est, hic non flectitur. De nomine quantum rudi conveniebat, plenius exposuimus : nunc de pronomine est dicendum, quod est secunda pars de octo partibus orationis.

CAPUT IX. — *De pronomine.*

Ideo pronomen dicitur, quia vice fungitur nominis : ut ille, iste, ipse. Nam quomodo dicendo nomen explicamus personam, ut Virgilius ; sic pronomina proprie ejusdem potestatis sunt, cum tacito nomine dicimus, Hic fecit, iste fecit. Pronomina aut finita sunt, aut infinita, aut minus quam finita. Finita sunt quæ notant certam personam, ut ego. Infinita, ut quis, quisque, quicumque, quæcumque, qui, aliqui, quæ, aliquæ. Minus quam finita sunt pronomina, quæ non sic definiunt personam, ut non egeant demonstratore, quomodo dicimus, Ego ; nam ipsum Tu, non plene finitum est, nisi in personam duxeris digitum. Sic ergo hæc minus quam finita dicenda sunt. Habent enim quamdam designationem non plenæ significationis, quomodo ego : ut puta pone esse turbam, tamen non sic, tu, significanter dicitur in turba, quomodo de turba cum unus dixerit, Ego : sed ut de multis unum significemus quem quærimus, aut nomen addimus, aut digitum intendimus, ut appareat certius quem vocamus. Ergo, tu, ille, et iste, et alia quæ

quasi possunt ex parte aliqua definire personam, minus quam finita vocanda sunt.

CAPUT X. — *De declinatione pronominum* I, II *et* III *personæ.*

Prima persona dicitur ego : tam in singulari numero quam in plurali cum dicimus, Nos, non habet vocativum casum : quia nemo vocat se, o ego, o nos. Ergo sic declinatur singulari numero : N. ego, G. mei, D. mihi, A. me, A. a me : et pluraliter, N. nos, G. nostrum, D. nobis, A. nos, A. a nobis. Vocativum enim, ut dixi, non habet, tam in singulari quam in plurali. Nominativo tu, G. tui, D. tibi, A. te, V. o tu, A. a te : et pluraliter, N. vos, G. vestrum D. vobis, A. vos, V. o vos, A. a vobis. Sane prima persona et secunda, id est, ego et tu, generis omnis est : nam et vir dicit ego, et femina ego, et mancipium ego. Sic tu : et viro dicimus tu, et feminæ, et mancipio : sic in plurali generis omnis est, ut nos, vos. Ex tertia persona hæc est declinatio masculino genere numero singulari : N. ille, G. illius. D. illi, A. illum, V. o ille, A. ab illo : et pluraliter, N. illi, G. illorum, D. illis, A. illos, V. o illi, A. ab illis. Genere feminino, N. illa, G. illius, D. illi, A. illam, V. o illa, A. ab illa : et pluraliter, N. illæ, G. illarum, D. illis, A. illas, V. o illæ, A. ab illis. Genere neutro numero singulari, N. illud, G. illius, D. illi, A. illud, V. o illud, A. ab illo : et pluraliter, N. illa, G. illorum, D. illis, A. illa, V. o illa, A. ab illis. Iste, similiter et ipse, ad formam superiorem declinabis, tam ad genera quam etiam ad numeros. Sane quæstio est in hoc pronomine ipse, quare cum istud et illud in genere neutro dicimus, dicamus ipsum, ut ait Virgilius. *Atque ipsum corpus amici* (*Æneid. lib.* 1, *v.* 490): non dixit, ipsud. Sed hæc quæstio solvitur hoc modo : Antiqui enim magis ipsus dicebant in nominativo singulari generis masculini quam ipse. Hanc antiquitatis rationem attendentes artis scriptores, pronomen hoc ad formam nominis transtulerunt : ut quomodo in nomine justus, justa, justum dicimus, et perfectus, perfecta, perfectum ; sic et hoc pronuntiabitur pronomen, ipsus, ipsa, ipsum : non ipsud, quomodo istud et illud.

CAPUT XI. — *De declinatione infinitorum.*

Nominativo quis, G. cujus, D. cui, A. quem, V. o qui, A. a quo : et pluraliter, N. qui, G. quorum, D. quîs vel quibus (ut Virgilius, *Quîs ante ora patrum* (*Ibid.* 99), A. quos, V. o qui, A. a quibus. Feminino genere, N. quæ, G. cujus, D. cui, A. quam, V. o quæ, A. a qua : et pluraliter, N. quæ, G. quarum, D. quîs, A. quas, V. o quæ, A. a quibus. Genere neutro, N. quod, G. cujus, D. cui, A. quod, V. o quod, A. a quo : et pluraliter, N. quæ, G. quorum, D. quîs (sed jam secundum usum quibus dicimus), A. quæ, V. o quæ, A. a quibus. Antiqui quis genere communi dixerunt, N. hic et hæc quis, G. hujus quis, D. huîc qui, A. hunc et hanc quem, V. o quis, A. ab hoc et ab hac qui. Inde venit ablativus exiens in bus. A quis autem ablativus pluralis ab ablativo venit qui exit in o, quomodo in regula ablativus cum exierit in o, dativum pluralem in is mittit, ut a justo justis, a docto doctis, a perfecto perfectis, a fortunato fortunatis. Ergo ut superius dixi, antiqui hic et hæc quis dixerunt, et quomodo in nominibus hic et hæc similis, hic et hæc agilis, hic et hæc facilis : sic in pronominibus, hic et hæc quis, ab hoc et ab hac qui. Inde Virgilius cum de socia Camillæ diceret, ait : *Quicum partiri curas* (*Æneid. lib.* 11, *v.* 822) : id est, cum qua partiri curas. Item sunt alia infinita quæ interrogativa, et declinantur : Nominativo, uter, G. utrius, D. utri, A. utrum, V. o uter, A. ab utro : et pluraliter, N. utri, G. utrorum, D. utris, A. utros, V. o utri, A. ab utris. Inde addita in compositione que syllaba, facit uterque, et significat ambos : et tamen singulari sono est, sed significatione duali. Nam cum dixit Virgilius,

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque ;
(*Id. lib.* 5, *v.* 426.)

duo significati sunt, cum dixerit *uterque* : cum autem *arrectus*, noluit exspectari pluralitatem, ut sit in plurali utrique. Sed hoc interest, quia uterque licet duo significet, tamen solum duo : utrique autem duo significat, sed sic ut in singulis multi sint : si dicas utrique exercitus, duo significo, sed sic in singulis turbam intelligi volo. Hæc quidem distincta sunt, sed item auctoritate confusa sunt. Nam cum ait Virgilius, *Super utraque quassat tempora* (*Ibid.*, *v.* 855), confudit : dicere enim debuit, super utrumque tempus : loquebatur enim de duobus temporibus tantum, cui utrumque tempus sufficiebat accusativus ; ut diceret, utrumque quassat tempus. Ergo ut declinavimus masculinum pronomen, sic femininum declinabimus, utra mulier, utrius mulieris, utri mulieri, utram mulierem, o utra mulier, ab hac utra muliere : et pluraliter, N. utræ mulieres, G. utrarum mulierum, D. utris mulieribus, A. utras mulieres, V. o utræ mulieres, A. ab his utris mulieribus. Sic neutro utrum mancipium, utrius mancipii, utri mancipio, utrum mancipium, o utrum mancipium, ab hoc utro mancipio : et pluraliter, N. utra mancipia, utrorum mancipiorum, utris mancipiis, utra mancipia, o utra mancipia, ab his utris mancipiis. Sic declinabimus ejus contrarium quod est neuter. Masculino neuter, feminino neutra, neutro genere hoc neutrum mancipium. Unde usus jam arripuit ut dicamus generis neutri, cum dicere debeamus neutrius, quomodo utrius. Addita conjunctione que syllaba, declinatur pronomen ipsum ad regulam supradictam. In masculinis, uterque ; in femininis, utraque ; in neutris utrumque. Sic pluraliter : in masculinis, utrique ; in femininis utræque ; in neutris, utraque mancipia. Est et aliud pronomen, ullus, ullius, ulli, ullum, o ullus, ab ullo : pluraliter ulli, ullorum, ullis, ullos, o ulli, ab ullis. Femininum ulla, ullius, ulli, ullam, o ulla, ab ulla : pluraliter ullæ, ullarum, ullis, ullas, o ullæ, ab ullis. Neutrum ullum, ullius, ulli, ullum, o ullum, ab ullo : sic pluraliter ulla, ullorum, ullis, ulla, o ulla, ab ullis. Ad hanc formam declinabis et nullus, nulla, nullum : sic alius, hujus alius, huic alii : sic alter, hujus alterius, huic alteri : sic totus, hujus totius, huic toti : sic solus, hujus solius, huic soli : sic unus, hujus unius, huic uni : unde Virgilius,

Forsitan huic uni potui succumbere culpæ.
(*Id. lib.* 4, *v.* 19.)

CAPUT XII. — *Pronomina qualitatis.*

Sunt et qualitatis pronomina, hic et hæc qualis, hujus qualis, genere communia : a genere autem neutro, hoc quale, hujus qualis : pluraliter hæc qualia, horum qualium. Sunt et quantitatis, ut quantus, tantus ; quanti, tanti : declinantur ut justus justi. A feminino, ut quanta, tanta, declinantur ut justa. A neutro, quantum, tantum, declinantur ut justum. Item pronomen a masculino, quotus, totus : a feminino quota, tota : a neutro, quotum, totum. Pluraliter a masculino, quoti, toti : a feminino, quotæ, totæ : a neutro, quota jugera, quotorum jugerum. Sunt relativa quæ ad interrogantem referuntur, ut quis est ? respondetur, is est : et declinantur a masculino, is, ejus, ei, eum, o is, ab eo : pluraliter ii, eorum, eis, eos, o ei, ab eis. A feminino, ea, ejus, ei, eam, o ea, ab ea. A neutro, id, ejus, ei, id, o id, ab eo. Ergo cum loquimur de itinere, per id iter, dicendum est ; non, per eum iter : quia eum, in accusativo casu, masculini generis est : plurali, ea itinera, ab eis itineribus. Item per id nostrum, per id tectum, per id caput : non per eum, nisi in genere masculino tantum.

CAPUT XIII. — *De verbo.*

Verba quatuor modis accipimus : primo modo, cum verba pro fallaciis accipimus, cum dicimus, verba illi dedit, fefellit eum : unde Terentius dixit, *Cui verba dare difficile est* (*And. act.* 1, *scen.* 3, *v.* 6). Secundo modo, verba pro oratione dicimus, verba fecisse Ciceronem in curia. Tertio modo, verba dicimus pro vulgaribus sententiis quæ proverbia dicuntur, ut Terentius dixit :

Verum illud verbum vulgo est quod dici solet. (*Terent., And. act.* 2, *scen.* 5; *v.* 15).

Quarto modo, verba dicimus hæc quæ decurrimus cum temporibus et personis, ut clamo, clamas, clamat. Hic et personæ sunt tres, ut clamo ego, clamas tu, clamat ille; et tempus est præsens. Deinde pluraliter, clamamus nos, clamatis vos, clamant illi. Tempore præterito imperfecto, clamabam ego, clamabas tu, clamabat ille : et pluraliter, clamabamus nos, clamabatis vos, clamabant illi. Tempore præterito perfecto, numero singulari, clamavi ego, clamavisti tu, clamavit ille. Tempore præterito plusquam perfecto, ubi significamus non solum nos aliquid fecisse, sed etiam dudum, et dicimus numero singulari, clamaveram ego, clamaveras tu, clamaverat ille : et pluraliter, clamaveramus nos, clamaveratis vos, clamaverant illi. Tempore futuro numero singulari, clamabo ego, clamabis tu, clamabit ille : clamabimus nos, clamabitis vos, clamabunt illi. Hucusque modo indicativo totum hoc quod diximus indicantis est. Ideo dicitur imperativus, quia sonum habet imperandi. Sed iste modus non habet primam personam, quia nemo sibi imperat, sed ad secundam loquitur personam et tertiam. Numero singulari, ad secundam clama, et ad tertiam clamet : et pluraliter, ad secundam clamate, ad tertiam clament. Futuro tempore, ad secundam clamato, ad tertiam similiter clamato. Sed quare similiter facit in secunda et tertia, est ratio : sed nunc prætermittenda est. Et ne ad alia transeamus, redeamus ad rem pluralem. Ad secundam personam clamatote, ad tertiam clamanto. Sic autem optativum dicimus, quia optantis modo loquitur : prima persona tempore præsenti, utinam clamarem, ad secundam utinam clamares, ad tertiam utinam clamaret : et pluraliter ad primam personam, utinam clamaremus, ad secundam utinam clamaretis, ad tertiam utinam clamarent. Præterito tempore, ad primam personam, utinam clamassem ego, ad secundam utinam clamasses tu, ad tertiam utinam clamasset ille : et pluraliter, utinam clamassemus nos, utinam clamassetis vos, utinam clamassent illi. Futuro tempore, prima persona, utinam clamem ego, utinam clames tu, utinam clamet ille : et pluraliter, utinam clamemus, clametis, clament. Ideo autem subjunctivus dicitur, quia eget aliqua re, ut impleat sententiam suam, ut puta cum clamem, clames, clamet; pendet hic sensus, indigetque aliqua re, ut sententia compleatur : ac si dicam, cum clamem, quare me tacere dicis? Ideo ergo conjunctivus modus dictus est, quia ei conjungitur aliquid, ut sententia locutionis plena sit. Ergo declinemus hunc modum ut superiores. Declinatur autem per personas tres : prima persona præsentis temporis cum clamem, secunda persona cum clames, tertia cum clamet : et pluraliter prima persona cum clamemus, secunda cum clametis, tertia cum clament. Præterito tempore imperfecto, prima persona cum clamarem, secunda cum clamares, tertia cum clamaret : et pluraliter prima persona cum clamaremus, secunda cum clamaretis, tertia cum clamarent. Tempore præterito perfecto, prima persona cum clamaverim, cum clamaveris, cum clamaverit : et pluraliter prima persona cum clamaverimus, cum clamaveritis, cum clamaverint. Tempore plusquam perfecto, prima persona cum clamavissem, cum clamavisses, cum clamavisset : et pluraliter prima persona cum clamavissemus, cum clamavissetis, cum clamavissent. Tempore futuro, prima persona cum clamavero, cum clamaveris, cum clamaverit : et pluraliter prima persona cum clamaverimus, cum clamaveritis, cum clamaverint. Infinitivus dicitur hic modus, quia superiores definiunt personos, primam secundam et tertiam; hic autem modus sine personis est, et habet solum tempus præfinitum, præsens, præteritum et futurum : ut puta clamare, præsens est : clamasses, preteritum : clamatum ire, futurum. Ecce vides designare tantum tempora, non personas. Clamare enim, et clamasse, et clamatum ire, nescitur persona, nisi velis jungere et dicere, clamare debet ille : tunc quasi fit finitum. Si autem non subjungas ille vel ipse vel iste, fit ut dicitur infinitivus modus : nam et numero singulari vel plurali infinitus est. Cum enim dico, clamare, clamasse, nec finitum est utrum de uno an de duobus dicam. Isti ergo sunt modi per quos omnia verba cursantur.

## CAPUT XIV. — *De prima conjugatione.*

Jam ad formam unius verbi quod currimus, percurramus cætera verba : similiter clamo clamas clamat, amo amas amat, canto cantas cantat, pulso pulsas pulsat, freno frenas frenat, armo armas armat, impugno impugnas impugnat, capto captas captat, paro paras parat, separo separas separat, accuso accusas accusat, mando mandas mandat, gravo gravas gravat, lavo lavas lavat, genero generas generat, creo creas creat, ligo ligas ligat, alligo alligas alligat, sanctifico sanctificas sanctificat, cito citas citat, vulnero vulneras vulnerat, macero maceras macerat, lacero laceras lacerat, aro aras arat, calco calcas calcat, lanio lanias laniat, memoro memoras memorat, calceo calceas calceat, investigo investigas investigat, vallo vallas vallat, domo domas domat, circumvallo circumvallas circumvallat, curvo curvas curvat, medico medicas medicat, consulto consultas consultat, intimo intimas intimat, insinuo insinuas insinuat, frequento frequentas frequentat, celebro celebras celebrat, ministro ministras ministrat, palpo palpas palpat, sono sonas sonat, socio socias sociat, muto mutas mutat, postulo postulas postulat, quasso quassas quassat, eviscero evisceras eviscerat, denso densas densat, enervo enervas enervat, verbero verberas verberat, macto mactas mactat, fugo fugas fugat, elimino eliminas eliminat, cælo cælas cælat, signo signas signat, ventilo ventilas ventilat, contristo contristas contristat, sereno serenas serenat, et talia. Istis omnibus adjicitur r littera, et fiunt passiva, ut clamor clamaris clamatur, amor amaris amatur, pulsor pulsaris pulsatur, secor secaris secatur, curor curaris curatur. Sic omnia percurreris per illos modos quos superius diximus, indicativum, imperativum, optativum, conjunctivum, infinitivum. Sane ex hoc sono quo verba activa ordinavimus, id est quo nos agere aliquid significavimus, sunt similes soni, sed ad verba pertinent neutralia. Sed ne te commoveat quare dicuntur neutralia, hæc ratio est, quia neque agunt aliquid neque patiuntur, ut est sto, jaceo, cubo, sedeo. Hæc in nulla actione, in nulla passione sunt. Alia neutralia abusu dicta, quæ habent actionem, sed passionem nullam : ut certo, habet actionem, sed non dicimus certor, ut curro. Ex quo sono multa sunt, quæ cum in o exeunt, or non admittunt, ut hæc verba, pugno pugnas pugnat, bello bellas bellat, cœno cœnas cœnat, nato natas natat, ambulo ambulas ambulat, navigo navigas navigat, commeo commeas commeat, æstuo æstuas æstuat, regno regnas regnat, gelo gelas gelat, dico dicas dicat, exsulo exsulas exsulat, sacrifico sacrificas sacrificat, cachinno cachinnas cachinnat. Hæc omnia primæ conjugationis sunt, quæ secundam personam horum omnium verborum in as syllabam mittunt, ut amo amas, canto cantas, pulso pulsas, freno frenas, armo armas, impugno impugnas, salto saltas, curvo curvas, pugno pugnas. Ergo audisti primam conjugationem, scire debes secundam verbi personam per as syllabam exire. Nam inde dicitur conjugatio, quod sibi ad unum sonum multa conjungat. Hæc conjugationes Græci συζυγίας dicunt. Sic et similia omnia hac inventa percurris.

## CAPUT XV. — *De secunda conjugatione.*

Secunda autem conjugatio est quæ in secunda similiter persona quæritur, et exit per es, ut teneo tenes, præbeo præbes, moneo mones, doleo doles, tergeo terges, arceo arces, egeo eges, terreo terres, mulceo mulces, impleo imples, compleo comples, repleo reples, suppleo supples, mordeo mordes, spondeo spondes, et talia. Et his adjicitur r littera, et fiunt passiva

teneor teneris, mordeor morderis, arceor arceris, mulceor mulceris, impleor impleris. Declinabis hæc passiva per modos et tempora et personas. Per modos, ut dixi, indicativum, imperativum, optativum, conjunctivum, infinitivum, hoc est quod dixi per modos. Per tempora autem, id est præterita, præsentia vel futura. Personas autem dixi, prima, secunda et tertia, ut teneor teneris tenetur; et pluraliter tenemur tenemini tenentur. Hæc sicut dixi, observabis. Sed quomodo ut superius dixi, prima conjugatio quæ exit in as, ut amo amas, capit et verba neutralia, ut certo certas, nato natas, in quibus r littera non admittitur; nec enim dicimus certor, nator: sic in hac conjugatione secunda, quæ exit in eò, es, ut moneo mones, doceo doces, sunt multa, quæ non admittunt r litteram in prima persona, ut algeo alges, scateo scates: algeor enim non est latinum: sic ferveo ferves, torpeo torpes, pendeo pendes, invideo invides: quamvis Horatius poeta *invideor* dixerit (*In Arte Poetica*, *v.* 56), sed nova usurpatione: sic emineo emines, nec dicimus emineor. Hæ duæ conjugationes prima et secunda, quas diximus exire in as et in es, ut amo amas, moneo mones, futurum semper tempus in bo syllabam mittunt, ut amabo, monebo.

CAPUT XVI. — *De tertia et quarta conjugatione.*

Sic servabis ubicumque futurum tempus in bo syllabam mittas, quia sunt aliæ duæ conjugationes, quæ futurum tempus in am syllabam mittant, non in bo, et vocantur ipsæ conjugationes tertia correpta et tertia producta. Tertia correpta est, quæ imperativum modum in e correptam mittit, ut scribe, tolle, carpe, occide, sere, lege. Ergo vidisti imperativum sic exire. Tertia itaque conjugatio est correpta, quæ semper futurum tempus in am mittit, nunquam in bo, ut scribam, legam, tollam, carpam: quia latinum non est, si dixerit quis, scribebo, legebo, tollebo, carpebo. Tertia similiter conjugatio producta ex eodem imperativo modo colligitur. Cum enim imperativus modus exit in i litteram, tertia conjugatio producta est, ut audi, nutri, sènti, muni, sarci, leni, et talia. Similiter etiam hæc futurum tempus in am mittunt, ut muniam, leniam, nutriam, audiam. Sed tertia correpta in infinito modo e correptam habet ante novissimam syllabam, ut scribere, legere, tollere, et talia: tertia autem producta habet in antenovissima syllabâ in infinito i, quæ producitur, ut munire, lenire, audire, sarcire, sentire, venire. Unde in omnibus verbis hæ conjugationes observantur, quæ exeunt in as et in es, futurum tempus in bo mittunt, ut sæpius dixi. Quæ autem in is exeunt, futurum tempus in am mittunt, nunquam in bo, nisi auctoritate præsumpta: nam ars hoc prohibet. Sed aliqua verba ponimus tertiæ conjugationis correptæ, ex quibus et alia consequaris. Sunt autem hæc: lego, tollo, erigo, carpo, cognosco, capio, fugio, mergo, sero, arguo, accipio, pono, sumo, accendo, expono, incipio. Hæc accipiunt r litteram, et faciunt passiva verba legor, carpor, capior, etc. Sub hac forma sunt neutralia, quæ non accipiunt r litteram, ut cado: non enim dicimus cador. Item ruo, neque enim dicimus ruor: facio, neque enim dicimus facior. Item fulgesco, nitesco, fervesco, algesco, torpesco, compesco, nigresco. Hæc omnia r litteram non habent, et dicuntur verba neutralia quæ exeunt in sco. Ergo neutralia memineris semper, nunquam admittere r litteram.

CAPUT XVII. — *De verbo communi unde dicatur, et de conjugatione ejusdem.*

Remanent duo alia verba quæ communia dicuntur et deponentia. Sed communia ideo dicuntur, quia communiter simul tenent sub uno sono activum et passivum. Quomodo in nominibus genus commune dicitur quod et masculinum tenet et femininum sub uno sono, ut sacerdos, homo, hic et hæc sacerdos facit, hic et hæc homo; sic et verba communia dicuntur: et nunquam deponunt r litteram, ne non sint latina. Ut osculor, si tollas r litteram et dicas osculo, non est latinum. Et dicimus cum agimus, osculor te; dum autem patimur et ab alio afficimur, dicimus osculor a te: sic criminor te, non crimino, cum actionem significamus, id est cum crimen objicimus, criminor te dicimus; cum autem crimen nobis objicitur, criminor a te dicimus, id est crimen a te audio, et est significatio passiva. Declinantur autem verba hæc ut superiora per modos, tempora et personas. Tempora præsenti singulariter criminor criminaris criminatur, et pluraliter criminamur criminamini criminantur. Præterito imperfecto singulariter criminabar criminabaris criminabatur, et pluraliter criminabamur criminabamini criminabantur. Præterito perfecto singulariter criminatus sum, criminatus es, criminatus est: et pluraliter criminati sumus, criminati estis, criminati sunt. Præterito plusquam perfecto singulariter criminatus eram, eras, erat: et pluraliter criminati eramus, eratis, erant. Futuro singulariter criminabor criminaberis criminabitur: et pluraliter criminabimur criminabimini criminabuntur. Imperativus autem modus semper in verbis in re exit, ut dicas criminare illum, id est crimen illi ingere. Optativo modo sic, utinam criminarer criminareris criminaretur: et pluraliter utinam criminaremur criminaremini criminarentur. Præterito perfecto singulariter utinam criminatus essem, criminatus esses, criminatus esset: et pluraliter criminati essemus, criminati essetis, criminati essent. Futuro singulariter utinam criminer crimineris criminetur: et pluraliter criminemur criminemini criminentur. Conjunctivo modo singulariter cum criminer crimineris criminetur. Præterito imperfecto singulariter cum criminarer criminareris criminaretur. Præterito perfecto singulariter cum criminatus sim, criminatus sis, criminatus sit: et pluraliter criminati simus, criminati sitis, criminati sint. Præterito plusquam perfecto singulariter cum criminatus essem, criminatus esses, criminatus esset: et pluraliter criminati essemus, criminati essetis, criminati essent. Tempore futuro singulariter cum criminatus ero, eris, erit: et pluraliter cum criminati erimus, eritis, erunt. Modo infinito, quem diximus nullas significare personas, facit in præsenti, criminari; in præterito, criminatum esse; in futuro, criminatum iri. Ad hanc formam communia verba declinabis sic: hortor, jaculor, osculor, nidificor, tutor, consolor, scrutor, moror, feneror, amplector, et furor, unde est furor furaris furatur, comitor, recordor, reminiscor, percunctor, minor, gestor, piscor, odoror, aucupor, venor, contemplor, speculor, sector, veneror, dignor, precor, miseror, vador, id est fidedico, calumnior, et talia quæ nunquam deponunt r litteram: nam si deponunt, latina non sunt. Quis enim dicat reminisco, aut recordo, vel digno, vel secto? Ergo memineris hæc semper cum r littera enuntiare.

CAPUT XVIII. — *De verbo deponenti.*

Restat verbum deponens, quod ideo dicitur, quia deponit aliquid de quantitate communis verbi. Nam cum participia quatuor habeat verbum commune: præsens, ut criminans; futurum, criminaturus; præteritum, criminatus; futurum, criminandus: a passiva significatione criminandus, hoc non habet verbum deponens. Et ideo dicitur deponens, quia deponit unum participium futuri temporis a verbo passivo, quod exit in dus syllabam, ut puta opinor vel minor verba sunt deponentia. Venit a participio præsentis temporis, et facit minans, futuro tempore facit minaturus, præterito facit minatus. Futuro a significatione passivi non facit minandus: sic opinans opinaturus opinatus, opinandus non facit: vel si dicas moriens moriturus mortuus, non facit moriendus, quia non est latinum. Ergo et hoc deponens verbum sic percurrit per modos et tempora et personas. Quomodo supra dictum est, commune verbum non deposita r littera latinum est, deposita autem latinum non est: sic etiam deponentia cum perdiderint r litteram, latina non sunt. Subjicio itaque nunc pauca verba deponentia, cætera usus latinus docebit. Sunt autem: opinor, minor, gratior, gratulor, arbitror, gratificor, auspicor, miscreor, lenoci-

nor, meditor, luctor, conor, suffragor, vescor, lætor, morior, stomachor, hariolor, lezor, id est colore pingor, argutor, paciscor, complector, adversor, angor, queror, a significatione querelæ, macior, ratiocinor, argumentor, blandior, fabulor, nitor, labor a significatione lapsus, vagor, rusticor, concionor, id est ad populum loquor, mercor, vociferor, nanciscor, quod est invenio, suspicor, et alia. Memineris, ut jam dixi, cum r littera enuntiare: nam nemo dicit blandio, aut pacisco. Sic hæc omnia declinantur ad formam declinationis communis verbi, quod dixi criminor.

CAPUT XIX. — *De neutro-passivis et impersonalibus.*

Tractavimus ergo verba activa, quæ ideo dicuntur ab agendo: tractavimus neutralia, quæ ideo tale nomen accipiunt, quod nec agunt aliquid, nec patiuntur; ut diximus, sto, jaceo, sedeo, cubo, et alia. Tractavimus etiam alia neutralia, quæ agunt aliquid, sed non patiuntur, et quasi semineutralia dicuntur: ut nato, curro. Alia quæ patiantur, et non agant: ut vapulo, pendeo, sudo, algeo, æstuo, ferveo, febrio, somnio, meridio, rigeo, frigeo, tumeo, langueo, oleo, rubeo, fulgeo, stupeo, et alia. Hæc omnia tam in iis, quæ nequaquam aliquid agunt, nec patiuntur, quam etiam in iis quæ agunt, nec patiuntur, quamque in iis quæ patiuntur aliquid, nec tamen agunt, nunquam adjicitur in his littera r, nam incipiunt non esse latina. Tractavimus item communia, exposuimus unde communia dicuntur, quia actionem in se tenent, et passionem. Tractavimus deponentia, et exposuimus quare dicantur deponentia, quia deponunt futuri temporis participium a significatione passiva, quod exit in dus, quia moriendus, gloriandus, blandiendus, et alia quæ veniunt a deponentibus verbis, non dicimus. Sane artium scriptores adjecerunt aliam verbi speciem, quam vocaverunt neutro-passivam, sed hoc novellum genus verbi euphonia invenit, et in paucis est verbis, ut gaudeo. Quoniam durum erat ut diceremus præterito tempore gavisi, mutaverunt illi sonum de præterito tempore passivi verbi, gaudeo gavisus sum, sic audeo ausus sum, soleo solitus sum, sic fido fisus sum. Sed hujus novi generis perpauca. Sunt et alia quædam pauca verba, quæ impersonalia dicuntur, et exeunt per syllabas, et, tur: Pudet, tædet, decet, libet, pœnitet, patet, piget, miseret, liquet: et inde dicuntur impersonalia, quia carent personis duabus, prima et secunda, et solam habent tertiam personam. Nam nec pudeo pudes dicimus, nec deceo deces, nec libeo libes, nec pigeo piges, nec misereo miseres, nec pœniteo pœnites, nec pateo pates, nec liqueo liques. Scias autem patet et liquet hoc significare, quod dicimus, manifestum est. Ut si dicas, Et si patet te hoc dixisse, injuriam fecisti: hoc significat et liquet, id est manifestum est. Tædet autem tædium esse significat, quomodo piget, quasi pigritiam significat. Nam cum dicimus, piget me fecisse; hoc est dicere, non surgit meus animus probare quod feci. Hæc autem omnia verba sic declinantur: Pudet me, piget me, miseret me, pœnitet me. Præter hæc, libet et licet, patet et liquet. His enim dativum jungimus casum, ut libet mihi (*a*), licet mihi, patet mihi, liquet mihi. Altera vero species quæ in tur exit, et ipsa impersonalium verborum est, ut itur, curritur, certatur, pugnatur: primam et secundam personam non habent: nam nec eor iris, nec curror curreris, nec pugnor pugnaris, nec certor certaris dicitur. Et declinantur hæc verba, itur a me, a te, ab illo: pugnatur a me, a te, ab illo. Sic in præterito imperfecto ibatur a me, a te, ab illo: pugnabatur a me, a te, ab illo: certabatur a me, a te, ab illo. Sic in præterito perfecto, itum est a me, a te, ab illo: cursum est a me, a te, ab illo: pugnatum est a me, a te, ab illo: certatum est a me, a te, ab illo. Sic in præterito plusquam perfecto itum erat a me, a te, ab illo: cursum erat a me, a te, ab illo: pugnatum erat a me, a te, ab illo: certatum erat a me, a te, ab illo. Sic in futuro tempore ibitur a me, a te, ab illo: curretur a me, a te, ab illo: pugnabitur a me, a te, ab illo: certabitur a me, a te, ab illo: sic plurale a nobis, a vobis, ab illis. Imperativo modo, eatur a me, a te, ab illo; a nobis, a vobis, ab illis. Modo optativo, utinam iretur a me, a te, ab illo; a nobis, a vobis, ab illis. Præterito perfecto et plusquam perfecto, utinam itum esset a me, a te, ab illo: et pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Futuro tempore, utinam eatur a me, a te, ab illo: pluraliter a nobis, a vobis ab illis. Modo conjunctivo tempore præsenti, cum curratur a me, a te, ab illo: et pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Præterito imperfecto, cum curreretur a me, a te, ab illo: pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Præterito perfecto, cum cursum sit a me, a te, ab illo: pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Præterito plusquam perfecto, cum cursum esset a me, a te, ab illo: pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Futuro, cum cursum erit a me, a te, ab illo: pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Modo infinito, curri debet a me, a te, ab illo: et pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Præterito tempore, cursum esse debuit a me, a te, ab illo: et pluraliter a nobis, a vobis, ab illis. Tempore futuro, cursum iri debet a me, a te, ab illo: et pluraliter a nobis, a vobis, ab illis.

(*a*) At Augustinus passim jungit accusativum.

CAPUT XX. — *De inchoativis, frequentativis, et desiderativis verbis.*

Sunt alia verba, quæ inchoativa dicuntur, et ex subita affectione nascuntur, et exeunt in sco syllabam, ut ardeo ardesco, caleo calesco, candeo candesco, labo labasco, tepeo tepesco, ferveo fervesco, vireo viresco, algeo algesco, dormio dormisco, et reliqua. Hæc omnia præteritum non habent: nam potest calui et fervi facere, et non calesco vel fervesco caluifecit vel fervifecit: sed a ferveo fervi, a caleo calui, nam calescui, fervescui et virescui latina non sunt. Et ideo dicuntur inchoativa præteritum tempus non habere: quia quæ inchoamus, adhuc perfecta non sunt. Et omnia hæc quæ dixi in sco exire, semper neutralia sunt, nec accipiunt r litteram, et ideo admonui esse neutralia. Nec te conturbent quædam verba in scor exeuntia, et tamen admittere præteritum tempus, ut obliviscor oblitus sum, paciscor pactus sum, adipiscor adeptus sum: etiam hæc dum neutralia sunt, in quibus diximus præterita tempora cessare. Præterea alia quæ frequentativa dicuntur, quibus aliquid frequentius factum significatur, ut a dicto dictito, a lego lectito, a scribo scriptito, a clamo clamito, a cio cito, quod significat frequenter vocito, unde nunc aliquos voce præconis citatos dicimus, id est frequenter vocatos, et alia. Sunt et alia perpauca, quæ desiderativa dicantur, ut esurio, id est edere desidero; parturio, parere desidero; et ut dictum est a Cicerone de philosophis, morituriunt, mori desiderant. Sed hæc, ut dixi, pauca sunt, quæ in sonum latinitatis introducta sunt.

CAPUT XXI. — *De adverbio.*

Adverbium ideo dictum est, quia adhæret verbo: nec potest verbi vis significantius sonare, nisi jungatur adverbium: ut puta verbum est dico, navigo, valeo, curro, et alia: hæc non plenæ significationis sunt, nisi adjiciantur adverbia, ut bene, male, docte, feliciter: ut bene dicit, imperite dicit, prospere navigat, infeliciter navigat, integre valet, debiliter valet, agiliter currit, tardius currit. Vides quia plena verborum significatio esse non potest, nisi fuerint adverbia conjuncta. Sic alia adverbia junguntur ad explendam verbi significationem, ut sunt locorum adverbia, temporum adverbia: ut hic dico, hic habito, intro eo, intus sum, foras eo, foris sum, hinc navigo Sic de tempore: cras navigo, hodie navigo: et alia, quæ aliis artibus dicta sunt, et intellectu plana sunt, ideo hic ponere nolui, quia ad dicendi fastidium, brevitas opportuna est. Sane in adverbiis hæc observare debemus, quando in e exeunt, quando in er syllabam, hoc ablativus casus docet. Nam quando ablativus exit in o, adverbium in e mittit ut a docto docte, a justo juste, a perfecto perfecte, a pio pie, a validō valide, a fortunato fortunate, a magno magne,

ab amplo ample, a minimo minime, et alia. Quando autem in ter syllabam exit adverbium, similiter, ut dixi, ablativus docet : ab agili agiliter, ab humili humiliter, ab acri acriter, a forti fortiter, a levi leviter, a gravi graviter, a jugi jugiter. Sed sunt quædam quæ cum aspere sonarent, dimissa sunt, nec ad hanc regulam tractanda sunt, ut a miti mititer non dicimus, a tristi tristiter non dicimus. Talia ne aspere sonarent, perdiderunt ultimam syllabam, ut a sapienti sapienter, non sapientiter, a prudenti prudenter, non prudentiter, a præstanti præstanter, non præstantiter. Sic ergo observemus, ut nec euphoniam applicemus ad regulam, aut euphoniam rejiciamus. Nam euphonia, id est suavitas bene sonandi admissa est ad latinum sermonem, ut aspera temperet : et ab arte ex ratione recessum est, ubi asperitas offendebat auditum. Sic Cicero ait : Impetratum est a ratione, ut peccare suavitatis causa liceret. Sed tamen in paucis admissa euphonia est. Nam ratio locuples est et viris latinissimis. Sane circa has regulas auctoritas ausa est, et in paucis præsumpsit, ut diceret Cicero, humaniter, cum humane dicere debuit : et Terentius, *Vitam parce ac duriter agebat* (*In Andria, act.* 1, *scen.* 1, v, 47), pro dure. Sed tamen ipsi auctores modestius et cum quodam pudore contra regulam pauca præsumpserunt. Nam et falso dixerunt pro false, et necessario pro necessarie, et sedulo pro sedule, et raro pro rare, et crebro pro crebre, et tuto pro tute : sic et alia, tamen pauca, non licenter, sed verecunde sunt usurpata. Sane sunt adverbia et per alias syllabas exeuntia, ut a fundo funditus, a cœlo cœlitus, a radice radicitus, a penetralibus locis penitus, a stirpe stirpitus. Item in im, ut a vico vicatim, ab ostio ostiatim, a viris viritim. Item a nimio nimis; ut, Ne quid nimis. Exeunt in ens, ut recens, id est recenti tempore. Virgilius ; *Sole recens orto* (*Georg. lib.* 3, v. 156) : id est recenti tempore. Ergo hæc omnia adverbia sunt sine differentia. Item inter intro et intus hoc interest, intro in motu est, intus in situ : ut intro eo, intus sum. Est enim motus, eo : sum, situs est. Est etiam quædam obscuritas in adverbiis, de secundo, tertio, quarto, quinto, sexto : et secundum tertium, quartum, quintum, sextum : ut puta secundo factus est consul, et secundum factus fuit consul. Secundo autem pertinet ad ordinem, secundum ad numerum : ut puta cum dico, Secundo factus est consul ; pertinet, ut dixi, ad ordinem, quod primo alter factus sit, et sic alter secundo. Cum autem dicimus secundum consul, vel tertium, vel quartum, vel quintum, vel sextum, ad numerum pertinet quod sexies fuerit consul. Inde Cicero de Mario sic ait. Sextum consul, id est qui sex consulatus meruit, et septimum consul, quod est, septimum consulatum meruit. Hoc Varro distinxit in libris Numerorum. Et cætera jam plana sunt in adverbiis, et ex quibusvis artibus intellectu facilia.

## CAPUT XXII. — *Item de adverbio.*

Adverbium est pars orationis, quæ adjecta verbo significationem ejus explanat atque implet : ut scribo bene, lego optime. Adverbio accidunt significatio, figura, gradus. Adverbia aut a se nascuntur, ut heri, nuper ; aut ab aliis transeunt, ut docte, sapienter, ab eo quod est doctus et sapiens. Adverbiorum significationes sunt multæ. Sunt enim aut temporis, ut heri, nuper ; aut personæ, ut mecum, tecum ; aut loci, ut hic, isthic. Et adverbia localia interrogativa, ut unde, ubi, qua. Responsiva, illinc, hinc, illo. Sunt duplicis formæ, ut intus intro, foris foras. Quorum observatio talis est, foris et intus in loco, ut intus est, intus fuit, futurus est ; intus erat, futurus erat ; foris erat, fuerat, futurus erat. De loco, intus venio, foris venio. Foras autem et intro ad locum significant, ut foras eo, foras venio ; intro eo, intro venio ; foras ieram, intro ieram. Hæc quatuor modis figurantur, per locum, ad locum, in loco, e loco. Per locum, ut, *Hac iter Elysium nobis* (*Æneid. lib.* 6, *v.* 542). Ad locum ut, *Huc ades, o Galatea* (*Eclog.* 9, *v.* 39). In loco, ut,

Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri.
(*Æneid. lib.* 3, *v.* 399.)

E loco, ut,

Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
(*Ibid. v.* 715.)

Sunt quæ pariter in loco significant et de loco, ut intus sum, intus venio. Sunt quæ in loco et in locum et e loco, ut penitus sum, eo, venio. Sunt adverbia significationem numeri habentia, ut semel, bis, ter. Demonstrationis, ut en, ecce. Affirmationis, ut quidem, quippe. Hortationis, ut eia. Interrogationis, ut cur, quare. Similitudinis, ut sic, quasi. Comparationis vel prælationis, ut magis, potius. Dubitandi, ut fortasse. Annuendi, ut plane, sane. Discretionis, ut seorsum, segregatim. Optandi, ut utinam. Vocandi, ut heus. Respondendi, ut he. Derogandi, ut nequaquam, frustra. Jurandi, ut Ædepol, Ædastor. Prohibendi, ut ne. Negandi, ut non, haud, minime. Congregandi, ut una, simul. Ordinandi, ut deinde, denique. Mirandi, ut papæ. Laudandi, ut euge. Exclamandi, ut proh. Dolendi, ut heu. Eligendi, ut vah. Ingemiscendi, ut hei. Sed hæc quia animi affectum significant, a multis Interjectiones dicuntur, quod interjectionem separatam ab adverbio, et partem orationis aliquam idcirco volunt, quia adverbii proprium est, quod verbo adjungi potest. Græci autem interjectionem ab adverbio non separant : propterea quia motus animi qualitati assignant, et hæc omnia sub genere qualitatis putant adverbia. Sunt adverbia quantitatis, ut longe, late. Qualitatis, ut bene, male. Adverbia non solum ab appellationibus transeunt, hoc est a nominibus appellativis, ut a pulchro, pulchre ; sed a propriis, ut Tullius Tulliane. A pronominibus etiam, a meo, tuo, meatim, tuatim : a verbis quoque, ut a curro cursim. deprehenduntur ex utroque, ut pedetentim a pede et tento, id est a nomine simul et verbo. Sunt etiam adverbia, quæ utrum a nomine transeant, an a verbo incertum est, ut furtim. Incertum est enim an a fure, quod nomen est, transeat, an a verbo furor furaris. A participiis quidam nolunt ; sed inveniuntur, ut a decente decenter.

## CAPUT XXIII. — *Adverbia a nominibus tracta sex habent terminationes. Regula communis.*

A nominibus tracta adverbia sex modis terminantur : aut in e, ut docte, pulchre, honeste ; aut in r, ut velociter ; aut in im, ut ubertim, singillatim ; aut in us, ut radicitus, mordicus ; aut in u, ut noctu, diu ; aut in i, ut domi, humi, vesperi. Adverbia qualitatis in e litteram exeuntia produci debent. Hæc tamen dissentiunt quæ aut in comparativo, aut in superlativo gradu vacillant, ut bene, male ; aut quæ ab appellatione non transeunt, ut impune, sæpe. Cæterum facile et difficile, quæ adverbia ponuntur, nomina sunt, ex quibus hæc nascuntur adverbia, faciliter, difficiliter : sed usus hæc quasi adverbia vindicavit. Quæcumque nomina qualitatis aut quantitatis, casu dativo singulari, o littera terminantur, adverbia in e productam mittunt : ut a justo, juste. Sed hæc veteres indifferenter posuerunt, ut humaniter, duriter. Quæ autem in i litteram terminantur, in ter syllabam mittunt : ut agili, nobili, audaci, difficili ; agiliter, nobiliter, audaciter, difficiliter. Sed ex iis quædam per syncopem euphoniæ causa dicimus, ut audacter, difficulter, sapienter et constanter. Sunt adverbia communia cum aliis partibus orationis. Nominibus sunt communia, ut ait Sallustius : *Falso queritur de natura sua genus humanum* (*In Bello Jugurth.*) : pro false. Virgilius, *Et pede terram crebro ferit* (*Georg. lib.* 3, *v.* 500) : et,

Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.
(*Æneid. lib.* 4, *v.* 205.)

Conjunctioni ut, quando adverbium secum est, plura significat. Similitudinem sic,

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta.
(*Id. lib.* 5, *v.* 588.)

Tempus sic, *Ut regem æquævum* (*Idem, lib.* 2, *v.* 561.), etc.

Ut vidi, ut perii ; ut me malus abstulit error.
(*Eclog.* 8, *v.* 41.)

Qualitatem : ut,

Trojanas ut opes et lamentabile regnum.
(*Æneid. lib.* 2, *v.* 4.)

Quantitatem : ut,

Quibus Hector ab oris
Exspectate venis ? ut te post multa tuorum
Funera....
(*Ibid. vv.* 282, 283.)

Conjunctionem autem significat sic,

Ut faciem mutatus et ora Cupido,
Pro dulci Ascanio.
(*Id., lib.* 1, *vv.* 662, 663.)

Præpositioni, ut pro. Sed figura in adverbiis aut simplex est, ut docte, prudenter; aut composita, ut indocte, imprudenter. Gradus adverbiis accidunt quoties appellationes unde transeunt comparantur, ut docte, doctius, doctissime. Recipiunt et diminutionem, ut meliuscule. Quanquam comparationem recipiunt et diminutionem, et quæ a se nascuntur, ut nuper, nuperrime. Adverbiis omnibus præpositio separatim adjici non debet, quanquam lectum sit, ab hinc, apud Terentium,

Interea mulier quædam ab hinc triennium
(*In Andria, act.* 1, *scen.* 1, *v.* 40.)

Et apud Virgilium, *Exinde per altum mittimur Elysium* (*Æneid. lib.* 6, *vv.* 743, 744). Et dehinc : ut, *Dehinc talia fatur* (*Id. lib.* 1, *v.* 256) : et, *Deinde feraces plantæ immittuntur* (*Georg. lib.* 2, *vv.* 79, 80) : quæ omnia, et si qua alia sunt similia, ut proinde; placuit contra regulam accentum proferri, ne separatim additæ præpositiones videantur adverbiis.

CAPUT XXIV. *De participiis. Regula communis.*

Hæc pars orationis, et a verbo accipit partem, et a nomine : namque inde participium dicitur. Exit autem hæc pars orationis in præsenti tempore in ens et in ans syllabas, ut legens et amans. Futuro tempore in rus, ut legens lecturus, amans amaturus. In præterito lectus, amatus. Futuro legendus, amandus. Vides hanc partem orationis esse per tempora : omnia hæc a verbo mutuatur. Nam verbo conveniunt tempora. Quod autem declinatur per casus, hoc a nomine mutuatur. Nam declinatio casualis ad nomen pertinet, ut hic legens, hujus legentis, huic legenti, hunc legentem, o legens, ab hoc legente. Ergo quod hæc pars orationis, vel per tempora, vel per casus currit, participium vocatur, quod partem capiat nominis partemque verbi. Non laboriosa pars est orationis, sed intellectu facilis. Nam præsentis temporis exit in ans et in ens, ut amans, legens. Futuro agendi significatione in rus, ut amaturus, lecturus. A patiendi significatione in tus et in dus, ut amatus, legendus. Sane ipsum præteritum tempus tribus syllabis terminatur. In tus, ut lectus, scriptus; in sus, ut occisus, visus; in xus, ut fixus : plus non invenies. Ergo ut diximus, præsens in ens et in ans, futurum in rus, præteritum in tus, futurum semper in dus. Sunt sane nomina, quæ sono participia putantur, sed nomina sunt. Participia enim illa sunt, quæ a verbis veniunt, ut a lego, legens lecturus lectus legendus. Tunicatus et galeatus et clypeatus et tropæatus, nomina sunt, non participia, quia non a verbo veniunt. Est unum participium præteriti temporis in uus, quod exire debuit per unum u, non per duo. Nam ubi geminata u littera nominativus est, nomen est, non participium, ut fatuus, ingenuus, arduus, carduus, exiguus, belluus, ut Cicero dixit. In us, ut talium contra regulam participiorum, mortuus putatur esse participium, sed in vim regulamque nominis conversum est.

CAPUT XXV. — *De conjunctione.*

Conjunctio est pars orationis nectens ordinansque sententiam. Conjunctioni accidunt, figura, ordo, potestas. Figura est, quæ apparet figura simplex. Sed equidem ordo quoque apparet, quæ præponi tantum possit, ut nam : quæ subjungi, ut que : quæ præponi et subjungi, ut igitur. Potestas conjunctionum in quinque species dividitur. Sunt enim copulativæ, et, que, ast, at, atque. Disjunctivæ, aut, vel, ve, nec, neque, neve, an, utrum. Expletivæ, quidem, equidem, autem, tamen, porro, videlicet, proinde, denique, utique. Causales, si, etsi, tametsi, etiamsi, siquidem, quando, equidem, quin, quinetiam, sin, sinetiam, quanquam, quamvis, sinautem, seu, sive, namque, nisi, nisi si, enim, etenim, sed, ut, præterea, interea, quamobrem, quare, præsertim, item, itemque, cæterum, alioquin. Rationales, ita, itaque, enim, enimvero, quapropter, quippe, quoniam, quoniamquidem, ergo, igitur, ideo, idcirco, scilicet, præterea. Ex his, et, copulativa multa significat. Sæpe autem transit in alterius speciem potestatis. Modo in expletivam, ut,

Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi ?
(*Eclog.* 1, *v.* 27.)

Pro qualitatis et quantitatis, ut, *Timeo Danaos et dona ferentes* (*Æneid, lib.* 2, *v.* 49). Et, modo pro disjunctiva, ut,

Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem ?
(*Id. lib.* 1, *vv.* 52, 53.)

Modo pro causali ponitur, ut,

Quorum Iphytus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyssi ;
(*Id. lib.* 2, *vv.* 435, 436.)

pro, etiam vulnere tardus. Modo pro adverbio accipitur ordinandi, ut, *Corpusque lavant frigentis et ungunt* (*Id. lib.* 6, *v.* 219) : pro, deinde ungunt. Item, aut, conjunctio multa significat. Modo enim pro adverbio discretionis accipitur, ut,

Ante urbem pueri et primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent.
(*Id. lib.* 7, *vv.* 163-165.)

Modo pro tempore significat, ut,

Aut ante ora deum pingues spatiatur ad aras,
Instaurat donis epulas :
(*Id. lib.* 4, *vv.* 62, 63.)

id est, nunc ante ora deum spatiatur ad aras. Item,

Aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
(*Id. lib.* 9, *vv.* 762, 763.)

Figuræ conjunctionum duæ sunt : simplex, ut nam; composita, ut namque. Ordo conjunctionum in hoc est, quia aut præpositivæ conjunctiones sunt, ut at, ast : aut subjunctivæ, utque : aut communes, ut et, igitur. Sunt etiam dictiones, quas incertum est utrum præpositiones an adverbia nominemus, quæ tamen omnes facile dinoscuntur. Nam et conjunctiones pro aliis conjunctionibus positæ inveniuntur, potestate mutata.

CAPUT XXVI. — *De præpositione. Præpositiones accusativæ, ablativæ, et utriusque.*

Omnes præpositiones dicuntur generaliter. Species autem hæ, aliæ accusativæ, aliæ ablativæ, aliæ utriusque. Accusativæ, per casum accusativum enuntiantur, ut ad, apud, ante, adversus, cis, citra, circum, circa, contra, erga, extra, intra, infra, juxta, ob, penes, per, prope, propter, præter, post, pone, secundum, supra, trans, ultra. In his præpositionibus servanda genera nominum, id est, masculinum, femininum, neutrum, commune. Servandi etiam numeri, ut puta masculino singulari, ad agrum : plurali, ad agros. Feminino singulari, ad villam, vel ad possessionem. Plurali, ad villas, vel ad possessiones. Sic neutrum singulare, ad templum, ad Capitolium : plurale, ad templa, ad Capitolia. Sic communi genere singulari numero, ad civem, ad hostem, ad sacerdotem : plurali, ad cives, ad hostes, ad sacerdotes. Sic ergo omnes præpositiones observabis, servatis, ut dixi, generibus, servatis numeris singulari et plurali. Servatis similiter pronominibus secundum genera : masculino, ad hunc : plurali, ad hos : feminino, ad hanc : plurali, ad has. Neutro, ad

hoc templum vado : plurali, ad hæc templa. Sic communi genere, ad hunc et ad hanc sacerdotem : plurali, ad hos et ad has sacerdotes : sic ad hos et ad has hostes. In his ablativum attendunt tam in singulari quam in plurali, servatis generibus numerisque : ut puta, a, ab, abs, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, palam, sine, absque, tenus. Masculino singulari, ut a fratre, plurali a fratribus. Feminino singulari, a sorore, vel a sororibus, vel a civitate, a civitatibus. Ab singulari masculino, ab amico, plurali ab amicis, ab agro, ab agris. Feminino singulari ab urbe, plurali ab urbibus. Neutro singulari ab templo, plurali ab templis. A communi singulari a cive, plurali a civibus, ab hoste, ab hostibus. Hanc declinationem serva in omnibus his ablativis præpositionibus secundum genera et numerum. Remanet tertia species præpositionum, quæ dicuntur utriusque, quæ et accusativum tenent casum et ablativum.

### CAPUT XXVII. — *Duplex genus præpositionum quæ dicuntur utriusque.*

Sed plerosque ratio harum præpositionum præterit, ex qua distinctione intelligatur, ut non appareat expositum ejus. Differentia hæc est in motu et in situ. Sed motum putaverunt quidam accusativum tantum tenere : tenet autem utrumque, sed certa ratione. Nam motus tunc tenet accusativum casum cum a locis in alia loca nos moveri significamus, ut curro in forum, vel in campum. Et si ex alio loco dicimus nos currere in forum vel in campum, accusativum casum tenemus. Si autem in uno eodemque loco, ablativum : ut curro in foro, curro in campo : sic ambulo in foro, et ambulo in campo. Si de alio loco ambulamus in forum, accusativum tenemus. Si in eodem loco ambulamus, ablativum tenemus, ut ambulo in foro : sic, cadit in forum, et cadit in foro. Virgilius :

> Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
> (*Æneid. lib.* 4, *v.* 177.)

Ut est, *In arvis altius ingreditur* (*Georg. lib.* 3, *vv.* 75, 76), id est ambulat : vides motum esse, et tamen ablativum sibi vindicare; sed in loco, ut dixi, non de loco in locum. Sic lapsum in piscinam, et lapsum dicimus in piscina. Si de alio loco in piscinam labatur, accusativus est : si vero in eadem labatur piscina, ablativus est. Venio autem semper accusativus est, quia de loco ad locum quis venit. In loco autem jam cum sit quisque, cessat motus. Item motus de loco in locum, volvo vel evolvo :

> Reperire viam qua evolvere posset
> In mare se Xanthus :
> (*Æneid. lib.* 5, *vv.* 807, 808.)

scilicet ab alveo in mare. In ipso autem volvi, ablativum tenet : ut, *Fundo volvuntur in imo* (*Id. lib.* 6, *v.* 581). Sic, sub, e loco in locum motus accusativum tenet. De hasta Virgilius sic ait, *Sub pectus, sub illam rem.* Item sub ablativo, *Trojæ sub mœnibus altis contigit oppetere* (*Id. lib.* 1, *vv.* 99, 100), id est cadere vel jacere. *Trojæ*, inquit, *sub mœnibus altis.* Item de loco in locum,

> Sive sub incertas zephyris mutantibus umbras.
> (*Eclog.* 5, *v.* 5.)

Et subjunxit, *succedimus*, ubi est motus de loco in locum. Super motus : *Super Garamantas et Indos proferet imperium* (*Æneid. lib.* 6, *vv.* 794, 795), motus est. In loco autem : *Geminæ super arbore sidunt* (*Ibid.*, *v.* 203). Item subter, de loco in locum : ut, *Angusti subter fastigia tecti ingentem Æneam duxit* (*Id. lib.* 8, *vv.* 366, 367). In loco autem :

> Omnes
> Ferre libet subter densa testudine casus.
> (*Id. lib.* 9, *vv.* 513, 514.)

Sic sub, si de loco ad locum fiat motus, accusativum tenet : ut, sub speluncam curro. Si autem positus sub ipsa spelunca curras, ablativum tenet : ut, sub spelunca curro. Sic super, si de loco ad locum fiat motus, accusativum tenet, super tectum curro. Si autem positus quis super tectum currat, ablativum tenet : super tecto curro. Sic, subter fluctus mergo, si ex littore motus fiat in demersione, accusativus est, ut mergo subter fluctus; si autem quis sit jam in fluctibus, subter fluctibus mergitur. Sed multum juvant hanc locutionem et observationem duo adverbia locorum, quo et ubi. Quo, in locum motus est; ubi, in loco situs est : ut, quo venit telum? in hostem : ubi hæsit? in hoste. Quo voluit Catilina telum dirigere? in consulis corpus; ubi voluit defigi? in consulis corpore. Sic enim ait de sica : Ut eam putes in consulis corpore defigere. Sic cum dicimus, quo fugimus? scilicet in locum. Ubi latet? in loco. Ergo, ut diximus, adjuvant adverbia hæc duo, ad confusionem distinguendi præpositiones utriusque casus. Sic namque de hac adverbiorum ratione purgatur et illud in Verrinis : Quod ille in caput ab hostium duce acceperat. Acceperat ergo vulnus directum in caput, acceptum in capite. Numquid, Quo accipis vulnus, dicimus? minime : sed, Ubi accipis. Et Virgilius, *Quo ire jubes?* in locum significat. In loco autem, *ubi ponere sedes* (*Æneid. lib.* 3, *v.* 88)? Situs vero ablativum tenet, quia contrarius est motui. Nam ipsum nomen, sessionem quamdam significat, ut puta, sum in foro, eram in foro, fui in foro, futurus sum in foro. Sic simpliciter sedeo, jaceo, cubo, sto, consisto, hæreo. Omnia hæc ad situm pertinent. Meditanda igitur sunt et in usum ducenda, ut jam in hac præpositionum forma, et recte et nulla hæsitatione loquentes studuisse nos diligentius indicemus.

### CAPUT XXVIII. — *De interjectione.*

Interjectio, non pars orationis est, sed signum affectionis erumpentis animi in vocem : et significat aut lætitiam, ut evax; aut amaritudinem ut heu, apud Græcos, φεῦ. Ergo quot sunt perturbati animi motus, tot voces reddunt : et vocantur interjectiones, quod interrumpant orationem, ut est illud,

> Hic inter densas corylos modo namque gemellos
> Spem gregis,

mox interjectio per litteram a,

> ah! silice in nuda connixa reliquit.
> (*Eclog.* 1, *vv.* 14, 15.)

In medium orationis interjecta est a littera.

### CAPUT XXIX. — *Epilogus. Et de nominibus numerorum.*

Omnes partes orationis decursæ a nobis sunt, quæ ad compendium sufficiant, aut occupatis, aut negligentibus. Sane quæ omisimus, in tractatu nominis reddimus. Scire enim debemus nomina numerorum a quatuor usque ad centum ἄπτωτα esse, et generis omnis : ut quatuor viri, quatuor feminæ, quatuor mancipia. Sic per omnes casus, quatuor dicimus : ut puta virorum quatuor, mulierum quatuor, mancipiorum quatuor. Sic dativo viris quatuor, feminis quatuor, mancipiis quatuor. Sic accusativo viros quatuor, feminas quatuor, mancipia quatuor. Sic vocativo o viri quatuor, o feminæ quatuor, o mancipia quatuor. Sic ablativo a viris quatuor, a feminis quatuor, a mancipiis quatuor. Sed ideo dixi, a quatuor ἄπτωτα esse usque ad centum, quia duo declinantur, duorum, duobus, duos vel duo, o duo, ab his duobus, Sic declinantur et currunt per casus : N. hi et hæ tres, G. horum et harum trium, D. his tribus, A. hos et has tres, V. o tres, A. ab his tribus. A genere neutro, hæc tria, horum trium, his tribus, hæc tria, o tria, ab his tribus. Ex hac ergo forma intelligimus quomodo declinemus : hic duumvir, quasi duorum hominum unus vir. Sic triumvir, trium hominum unus vir. Ergo hic admisit genitivum. Jam quatuor ubi indeclinabile est, quatuorviri dicimus, vel quinqueviri, vel sexviri. Unde Lucanus, *Septemvirque epulis* : pro genitivo posuit, septem. A ducentis usque ad nongentos declinantur nomina numerorum, ut hi ducenti, hæ ducentæ, neutro ducenta : mille, declinabile est.

# PRINCIPIA DIALECTICÆ (a).

CAPUT PRIMUM. — *De simplicibus verbis.*

Dialectica est bene disputandi scientia. Disputamus autem verbis. Verba igitur aut simplicia sunt, aut conjuncta. Simplicia sunt, quæ unum quiddam significant : ut cum dicimus homo, equus, disputat, currit. Nec mireris quod, disputat, quamvis ex duobus compositum sit, tamen inter simplicia numeratum est. Nam res definitione illustratur. Dictum est autem id esse simplex, quod unum quiddam significet. Itaque hoc includimus hac definitione, quod non includimus cum dicimus, loquor. Quamvis enim unum verbum sit, non habet tamen simplicem significationem, siquidem significat etiam personam quæ loquitur. Ideo jam obnoxium est veritati aut falsitati; nam et negari et affirmari potest. Omnis itaque prima et secunda persona verbi quamvis singillatim enuntietur, tamen inter conjuncta verba numerabitur, quæ simplicem non habent significationem. Siquidem quisquis dicat, ambulo; et ambulationem facit intelligi, et seipsum qui ambulat. Et quisquis dicit, ambulas; similiter et rem quæ fit, et eum qui facit, significat. At vero qui dicit, ambulat; nihil aliud quam ipsam significat ambulationem. Quamobrem tertia persona verbi semper inter simplicia numerabitur; et nondum aut affirmari aut negari potest, nisi talia verba sint, quibus necessario cohæret personæ significatio consuetudine loquendi, ut cum dicimus, pluit aut ningit, etiamsi non addatur quis pluat aut ningat, tamen quia intelligitur, non potest inter simplicia numerari.

CAPUT II. — *Verba conjuncta.*

Conjuncta verba sunt, quæ sibi connexa res plures significant, ut cum dicimus, homo ambulat, aut homo festinans in montem ambulat, et si quid tale. Sed conjunctorum verborum alia sunt, quæ sententiam comprehendunt, ut ea quæ dicta sunt; alia quæ non comprehendunt, sed exspectant aliquid; ut eadem ipsa quæ diximus, si subtrahas verbum quod positum est, ambulat : quamvis enim verba conjuncta sint, homo festinans in montem; tamen adhuc pendet oratio. Separatis igitur his verbis quæ non implent sententiam, restant ea verba conjuncta quæ sententiam comprehendunt : horum item duæ species sunt. Aut enim sic sententia comprehenditur, ut vero aut falso teneatur obnoxia, ut est, omnis homo ambulat; aut, omnis homo non ambulat; et si quid hujusmodi. Aut sic impletur sententia, ut licet perficiat propositum animi, affirmari tamen negarive non possit : ut cum imperamus, cum optamus, cum exsecramur, et his similia. Nam si quis dicat, perge ad villam, vel utinam pergat ad villam, aut, dii illum perdant; non potest argui quod mentiatur, aut credi quod verum dicat. Nihil enim affirmavit vel negavit : ergo nec tales sententiæ in quæstionem veniunt, aut disputatorem requirunt.

CAPUT III.—*Quæ simplices sententiæ, quæ conjunctæ.*

Sed illæ quæ requiruntur, aut simplices sunt, aut conjunctæ. Simplices sunt, quæ sine ulla copulatione sententiæ alterius enuntiantur : ut est illud quod dicimus, omnis homo ambulat. Conjunctæ sunt de quarum copulatione judicatur : ut est, si ambulat, movetur. Sed cum de conjunctione sententiarum judicium fit, tamdiu est donec perveniatur ad summam. Summa autem est quæ conficitur ex concessis. Quod dico tale est, Qui dicit, Si ambulat, movetur, probare vult aliquid, ut hoc concesso, verum esse restet illi dicere, quod ambulet : et summa consequatur, quæ jam negari non potest, id est quod movetur : quæ item non potest concedi, id est quod non ambulet. Rursus si hoc modo velit dicere, homo iste ambulat, simplex sententia est : quam si concessero, et aliam quæ aliquid exspectat ad completionem sententiæ adjunxerit : quisquis autem ambulat, movetur. Et hanc etiam si concessero, ex hac junctione sententiarum quamvis singillatim enuntiatarum et concessarum, illa summa sequitur, quæ jam necessario concedatur, id est, igitur homo iste movetur.

CAPUT IV. — *Conjunctas sententias subdividit.*

His igitur breviter constitutis, singulas partes consideremus. Nam sunt primæ duæ, una de iis quæ simpliciter dicuntur, ubi est quasi materia dialecticæ; altera de iis quæ conjuncta dicuntur, ubi jam quasi opus apparet. Quæ de simplicibus, vocatur de loquendo. Illa vero quæ de conjunctis est, in tres partes dividitur. Separata enim conjunctione verborum quæ non implet sententiam, illa quæ sic implet sententiam, ut nondum faciat quæstionem vel disputatorem requirat, vocatur de eloquendo. Illa vero quæ sic implet sensum, ut de sententiis simplicibus judicetur, vocatur de proloquendo. Illa quæ sic comprehendit sententiam, ut de ipsa etiam copulatione judicetur, donec perveniatur ad summam, vocatur de proloquiorum summa. Ilas ergo singulas partes diligentius explicemus.

CAPUT V. — *Quomodo de rebus, verbis, dicibilibus, dictionibus, tractetur in logica. Differunt dicibile, et dictio.*

Verbum est uniuscujusque rei signum, quod ab audiente possit intelligi, a loquente prolatum. Res est quidquid intelligitur vel sentitur vel latet. [Sciuntur enim corporalia, intelliguntur spiritualia; latet vero ipse Deus, et informis materia. Deus est quod neque corpus est, neque animal est, neque sensus est, neque intellectus est, neque aliquid quod excogitari potest. Informis materia est mutabilitas mutabilium rerum, capax omnium formarum [1].] Signum est et quod seipsum sensui, et præter se aliquid animo ostendit. Loqui est articulata voce signum dare. Articulata autem dico quod comprehendi litteris potest. Hæc autem omnia quæ definita sunt, utrum recte definita sint, et utrum hactenus verba definitionis aliis definitionibus prosequenda fuerint, ille indicabit locus in quo definiendi disciplina tractatur. Nunc quod instat, accipe intentus. Omne verbum sonat. Cum enim est in scripto, non verbum, sed verbi signum est. Quippe inspectis a legente litteris, occurrit animo, quod voce prorumpat. Quid enim aliud litteræ scriptæ, quam seipsas oculis, et præter se animo voces ostendunt? Quia et paulo ante diximus, signum esse quod seipsum sensui, et præter se animo aliquid ostendit : quæ legimus igitur, non verba sunt, sed signa verborum. Sed ut ipsa littera, cum sit pars minima vocis articulatæ, abutimur tamen hoc vocabulo ut appellemus litteram, etiam cum scriptam videmus; quamvis omnino tacita sit, neque ulla pars vocis, sed signum partis vocis appareat : ita etiam verbum appellatur cum scriptum est, quamvis verbi signum significantis vocis non eluceat. Ergo, ut cœperam dicere, omne verbum sonat. Sed quod sonat, nihil ad dialecticam. De sono enim verbi agitur, cum quæritur, vel animadvertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur, vel concursione dehiscat; item consonantium vel interpositione nodetur, vel congestione asperetur; et quot vel qualibus syllabis constet, ubi poeticus rhythmus accentusque a grammaticis solo aurium tractatur negotio. Et tamen cum de his disputatur, præter dialecticam non est : hæc enim scientia disputandi est. Sed tunc verba sunt signa rerum, quando de ipsis

(a) Opusculum istud castigatum est de novo ad Mss. quinque in quibus inscribitur Tractatus de Dialectica, et Augustino tribuitur. At Chirii Fortunatiani nomine editum est Basileæ an. 1558.

[1] Isthæc quæ uncis inclusa, absunt a Mss. Corb. et Germanensi.

obtinent vim ; verborum autem , illa de quibus hic disputatur. Nam cum de verbis loqui nisi verbis nequeamus, et cum loquimur non nisi de aliquibus rebus loquamur, occurrit animo ita esse verba signa rerum, ut res esse non desinant. Cum ergo verbum ab ore procedit, si propter se procedit, id est ut de ipso verbo aliquid quæratur aut disputetur, res est utique disputationi quæstionique subjecta. Sed ipsa res verbum vocatur. Quidquid autem ex verbo non auris, sed animus sentit, et ipso animo tenetur inclusum, dicibile vocatur : cum vero verbum procedit, non propter se, sed propter aliud aliquod significandum, dictio vocatur. Res autem ipsa, quæ jam verbum non est, neque verbi in mente conceptio, sive habeat verbum, quo jam significari possit, sive non habeat, nihil aliud quam res vocatur proprio jam nomine. Hæc ergo quatuor distincte teneantur, verbum, dicibile, dictio, res. Quod dixi verbum, et verbum est, et verbum significat. Quod dixi dicibile, verbum est; nec tamen verbum, sed quod in verbo intelligitur et in animo continetur, significat. Quod dixi dictionem, verbum est, sed tale quo jam illa duo simul, id est ipsum verbum, et quod fit in animo per verbum, significantur. Quod dixi rem, verbum est, quod præter illa tria, quæ dicta sunt, quidquid restat, significat. Sed exemplis hæc illustranda esse perspicio. Fac igitur a quodam grammatico puerum interrogatum hoc modo : Arma, quæ pars orationis est? Quod dictum est, Arma, propter se dictum est, id est verbum propter ipsum verbum : cætera vero quod ait, quæ pars orationis est, non propter se, sed propter verbum, quod arma dictum est, vel animo sensa, vel voce prolata sunt. Sed cum animo sensa sunt, ante vocem dicibilia sunt; cum autem propter id quod dixi, proruperunt in vocem, dictiones factæ sunt. Ipsum vero arma, quod hic verbum est, cum a Virgilio pronuntiatum est, dictio fuit : non enim propter se prolatum est, sed ut eo significarentur vel bella quæ gessit Æneas, vel scutum, vel cætera arma, quæ Vulcanus Æneæ fabricatus est. Ipsa vero bella vel arma, quæ gesta sunt aut ingesta ab Ænea ; ipsa, inquam, quæ cum gererentur atque essent, videbantur, quæque si nunc adessent, vel digito monstrare possemus, aut tangere, quæ etiamsi non cogitarentur, non eo tamen fit ut non fuerint : ipsa ergo per se nec verba sunt, nec dicibilia, nec dictiones ; sed sunt res, quæ jam proprio nomine res vocantur. Tractandum est igitur nobis in hac parte dialecticæ de verbis, de dictionibus, de dicibilibus, de rebus : in quibus omnibus cum partim verba significentur, partim non verba ( nihil est enim de quo non verbis disputare necesse sit ) ; itaque de his primo disputatur, per quæ de cæteris disputare conceditur. Igitur verbum quodlibet, excepto sono, de quo bene disputatur, ad facultatem dialecticæ pertinet, non ad dialecticam disciplinam. Ut defensiones Ciceronis sunt quidem rhetoricæ facultatis, sed non his docetur ipsa rhetorica.

### CAPUT VI. — *De origine verbi. Verbum unde dictum. Stoicorum de origine verbi opinio.*

Ergo omne verbum propter id quod sonat, quatuor quædam necessaria vocat in quæstionem, originem suam, vim, declinationem, ordinationem. De origine verbi quæritur, cum quæritur unde ita dicatur : res mea sententia nimis curiosa, et non nimis necessaria. Neque hoc mihi placuit dicere, quod sic Ciceroni quoque idem videtur; quamvis quis egeat auctoritate in re tam perspicua? Quod si omnino multum juvaret explicare originem verbi, ineptum esset aggredi, quod persequi profecto infinitum est. Quis enim reperire possit, quod quid dictum fuerit, unde ita dictum sit? Huc accedit, quod ut somniorum interpretatio, ita verborum origo pro cujusque ingenio prædicatur. Ecce enim verba ipsa quispiam ex eo putat dicta, quod aurem quasi verberent : Imo, inquit alius, quod aerem. Sed nostra non magna lis est. Nam uterque a verberando hujus vocabuli originem trahit. Sed e transverso tertius, vide, quam rixam inferat. Quod enim verum, ait, nos loqui oporteat, odiosumque sit, natura ipsa judicante, mendacium; verbum a vero cognominatum est. Nec ingenium quartum defuit. Nam sunt qui verbum a vero quidam dictum putent, sed prima syllaba satis animadversa, secundam negligi non oportere. Verbum enim cum dicimus, inquiunt, prima ejus syllaba verum significat, secunda sonum. Hoc autem volunt esse bombum. Unde Ennius sonum pedum, bombum pedum dixit : et βοάσαι Græci clamare; et Virgilius, « Reboant silvæ » ( *Georg. lib.* 3, v. 223 ). Ergo verbum dictum est quasi a vero boando, hoc est verum sonando. Quod si ita est, præscribit quidem hoc nomen, ne cum verbum faciamus, mentiamur : sed vereor ne ipsi qui dicunt ista, mentiantur. Ergo ad te jam pertinet judicare, utrum verbum a verberando, an a vero solo, an a vero boando dictum putemus : an potius unde sit dictum non curemus ; cum, quod significet, intelligamus. Breviter tamen hunc locum notatum esse de origine verborum, volo paulisper accipias, ne ullam partem suscepti operis prætermisisse videamur. Stoici autumant, quos Cicero in hac re irridet, nullum esse verbum, cujus non certa ratio explicari possit. Et quia hoc modo, suggerere facile fuit, si diceres hoc infinitum esse ; quibus verbis alterius verbi originem interpretaveris; eorum rursus a te originem quærendam esse donec perveniatur eo ut res cum sono verbi aliqua similitudine concinat, ut, cum dicimus, æris tinnitum, equorum hinnitum, ovium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum. Perspicis enim hæc verba ita sonare, ut res quæ his verbis significantur. Sed quia sunt res, quæ non sonant; in his similitudinem tactus valere, ut si leniter vel aspere sensum tangunt, lenitas vel asperitas litterarum ut tangit auditum, sic eis nomina pepererit. Et ipsum lene cum dicimus, leniter sonat. Quis item asperitatem non et ipso nomine asperam judicet? Lene est auribus, cum dicimus voluptas ; asperum est, cum dicimus, crux. Ita res ipsæ afficiunt, sicut verba sentiuntur. Mel, quam suaviter res ipsa gustum, tam suaviter nomen tangit auditum. Acre, in utroque asperum est : lana et vepres, ut audiuntur verba, sic illa tanguntur. Hæc quasi cunabula verborum esse crediderunt, ut sensus rerum cum sonorum sensu concordarent. Hinc ad ipsarum inter se rerum similitudinem processisse licentiam nominandi : ut cum, verbi causa, crux propterea dicta sit, quod ipsius verbi asperitas cum doloris, quem crux efficit, asperitate concordat : crura tamen non propter asperitatem doloris, sed quod longitudine atque duritia inter membra cætera sint ligno crucis similiora, sic appellata sint. Inde ad abusionem ventum est, ut usurpetur non tam rei similis, sed quasi vicinæ. Quid enim simile inter significationem parvi et minuti, cum possit parvum esse, quod non modo nihil minutum sit, sed etiam aliquid creverit? Dicimus tamen propter quamdam vicinitatem, minutum pro parvo. Sed hæc abusio vocabuli in potestate loquentis est : habet enim parvum, ut minutum non dicatur. Illud magis pertinet ad id quod volumus ostendere, quod cum piscina dicitur in balneis, in qua piscium nihil sit, nihilque piscibus simile habeat, videtur tamen a piscibus dicta propter aquam, ubi piscibus vita est. Ita vocabulum non translatum similitudine, sed quadam vicinitate usurpatum est. Quod si quis dicat homines piscibus similes natando fieri, et inde piscinæ nomen esse natum ; stultum est hoc refutare, cum ab re neutrum abhorreat, et utrumque lateat. Illud tamen bene accidit, quod uno exemplo dilucidare jam possumus, quid distet origo verbi, quæ de vicinitate arripitur, ab ea quæ similitudine ducitur. Hinc facta est progressio usque ad contrarium. Nam lucus dictus putatur, quod minime luceat; et bellum, quod res bella non sit ; et fœderis nomen, quod res fœda non sit : quod si a fœditate porci dictum est, ut nonnulli volunt, redit ergo ad illam vicinitatem, cum id quod fit, ab eo per quod fit nominatur. Nam et ista omnino vicinitas late patet, et per multas partes secatur. Aut per efficien-

tiam, ut hoc ipsum a fœditate porci, per quem fœdus efficitur; aut per effectum, ut puteus, quod ejus effectus potatio est, creditur dictus; aut per id quod continet, ut urbem, ab orbe appellatam volunt, quod auspicato loco circumduci aratro solet: cujus rei et Virgilius meminit, ubi Æneas urbem designat aratro (*Æneid. lib.* 5, *v.* 755): aut per id quod continetur, ut si quis horreum mutata d littera affirmet ab hordeo nominatum; aut per abusionem, ut cum hordeum dicimus, et ibi triticum conditur; vel a parte totum, ut mucronis nomine, quæ summa pars est gladii, totum gladium vocant; vel a toto pars, ut capillus quasi capitis pilus. Quid ultra provehar? Quidquid aliud annumerari potest, aut similitudine rerum et sonorum, aut similitudine rerum ipsarum, aut vicinitate, aut contrario, contineri videbis originem verbi, quam prosequi non quidem ultra soni similitudinem possumus; sed hoc non semper utique possumus. Innumerabilia enim sunt verba, quorum ratio reddi non possit: aut non est, ut ego arbitror; aut latet, ut Stoici contendunt. Vide tamen paululum, quomodo perveniri putant ad illa verborum cunabula, vel ad stirpem potius atque adeo sementum, ultra quod quæri originem vetant, nec si quis velit, potest quidquam invenire. Nemo ambigit syllabas, in quibus v littera locum obtinet consonantis, ut sunt in his verbis, venter, vafer, velum, vinum, vomis, vulnus, crassum et quasi validum sonum edere. Quod approbat etiam loquendi consuetudo, cum quibusdam verbis eas subtrahimus, ne onerent aurem. Nam inde est quod amasti libentius dicimus quam amavisti, et abiit; non abivit; et in hunc modum innumerabilia. Ergo cum dicimus, vim, sonus verbi, ut dictum est, quasi validus congruit rei, quæ significatur. Jam ex illa vicinitate per id quod efficiunt, hoc est quia violenta sunt, dicta vincula possunt videri, et vimen quo aliquid vinciatur. Inde vites, quod adminiculis quibus vinciantur nexibus pendent. Hinc etiam propter similitudinem, incurvum senem vietum Terentius appellavit. Hinc terra, quæ vedibus itinerantium flexuosa et trita est, via dicitur. Si autem via, quæ vi pedum trita est, creditur dicta, redit origo ad illam vicinitatem. Sed faciamus a similitudine vitis vel viminis, hoc est a flexu esse dictam: quærit ergo me quispiam, quare via dicta est: respondeo, a flexu, quia flexum velut incurvum vietum veteres dixerunt: unde vietos quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant. Persequitur quærere, unde vietum flexum dicatur: et hic respondeo, a similitudine vitis. Instat atque exigit unde istud sit vitis nomen: dico quia vincit ea quæ comprehenderit. Scrutatur ipsum vincire, unde dictum sit: dicemus, a vi. Vis quare sic appellatur, requiret: redditur ratio, quia robusto et valido sono verbum rei, quæ significatur, congruit. Ultra quod requirat non habet. Quot modis autem origo verborum corruptione vocum varietur, ineptum est prosequi: nam et longum, et minus quam illa quæ dicta sunt, necessarium est.

### CAPUT VII. — *De vi verbi.*

Nunc vim verborum, quantum res patitur, breviter consideremus. Vis verbi est, qua cognoscitur quantum valeat: valet autem tantum, quantum audientem movere potest. Porro movet audientem, aut secundum se, aut secundum id quod significat, aut ex utroque communiter. Sed cum secundum se movet, aut ad solum sensum pertinet, aut ad artem, aut ad utrumque. Sensus autem aut natura movetur, aut consuetudine. Natura movetur in eo, quod offenditur si quis nominet Artaxerxem regem, vel mulcetur cum audit Euryalum. Quis enim etiamsi nihil utique de his hominibus audierit, quorum ista sunt nomina, non tamen in illo asperitatem maximam, et in hoc judicet esse lenitatem? Consuetudine movetur sensus, cum offenditur cum audit quiddam: nam hic ad suavitatem soni vel insuavitatem nihil interest; sed tamen valent aurium penetralia movere, utrum per se transeuntes sonos quasi hospites notos, an ignotos recipiant. Arte autem movetur auditor, cum enuntiato sibi verbo, attendit quæ sit pars orationis, vel si quid aliud in his disciplinis, quæ de verbis traduntur, accepit. At vero ex utroque, id est et sensu et arte de verbo judicatur, cum id, quod aures metiuntur, ratio notat, et nomen ita ponitur; ut dicitur, optimus: mox ut aurem longa una syllaba et duæ breves hujus nominis percusserint, animus ex arte statim pedem dactylum agnoscit. Sensum vero non secundum se, sed secundum id quod significat verbum movet, quando per verbum accepto signo, animus nihil aliud quam ipsam rem intuetur, cujus illud signum est quod accepit: ut cum, Augustino nominato, nihil aliud quam ego ipse cogitor ab ipso, cui notus sum (*a*): aut quilibet hominum menti occurrit, si forte hoc nomen, vel qui me ignorat audierit, vel qui alium novit, qui Augustinus vocetur. Cum autem simul et secundum se verbum movet audientem, et secundum id quod significat; tunc et ipsa enuntiatio, et id quod ab eo enuntiatur, simul advertitur. Unde enim fit quod non offenditur aurium castitas, cum audit, Manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; offenderetur autem si obscœna pars corporis sordido ac vulgari nomine appellaretur? in hoc autem sensum animumque utriusque deformitas offenderet, nisi illa turpitudo rei quæ significata est, decore verbi significantis operiretur, cum res eadem sit, cujus utrumque vocabulum est: veluti non alia meretrix, sed aliter tamen videtur eo cultu, quo ante judicem stare assolet, aliter eo quo in luxuriosi cubiculo jaceret. Cum igitur tantam vim tamque multiplicem appareat esse verborum, quam breviter pro tempore summatimque attigimus; duplex hic ex consideratione sensus nascitur: partim propter explicandam veritatem, partim propter servandum decorem, quorum primum ad dialecticum, secundum ad oratorem maxime pertinet. Quamvis enim nec disputationem deceat ineptam, nec eloquentiam oporteat esse mendacem; tamen et in illa sæpe atque adeo pene semper audiendi delicias discendi cupido contemnit, et in hac imperitior multitudo quod ornate dicitur, etiam vere dici arbitratur. Ergo cum appareat quid sit uniuscujusque proprium, manifestum est et disputatorem, si qua ei delectandi cura est, rhetorico colore aspergendum; et oratorem, si veritatem persuadere vult, dialecticis quasi nervis atque ossibus esse roborandum, quæ ipsa natura corporibus nostris, nec firmitati virium subtrahere potuit, nec oculorum offensioni patere permisit. Itaque nunc propter veritatem dijudicandam, quod dialectica profitetur, ex hac verborum vi, cujus quædam semina sparsimus, quæ impedimenta nascantur videamus.

### CAPUT VIII. — *Obscurum et ambiguum. Differentiæ obscuri et ambigui. Tria genera obscurorum.*

Impedit auditorem ad veritatem videndam in verbis, aut obscuritas aut ambiguitas. Inter obscurum et ambiguum hoc interest, quod in ambiguo plura se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit ignoratur; in obscuro autem nihil, aut parum quod attendatur, apparet. Sed ubi parum est quod apparet, obscurum est ambiguo simile: veluti si quis ingrediens iter, excipiatur aliquo bivio, vel trivio, vel etiam, ut ita dicam, multivio loco, sed densitate nebulæ nihil viarum quod est, eluceat: ergo a pergendo prius obscuritate tenetur. At ubi aliquantum rarescere nebulæ cœperint, videtur aliquid, quod utrum via sit, an terræ proprius et nitidior color incertum est: hoc est obscurum ambiguo simile. Dilucescente cœlo quantum oculis satis sit, jam omnium viarum deductio clara est; sed qua sit pergendum, non obscuritate, sed ambiguitate dubitatur. Item sunt obscurorum genera tria: unum est quod sensui patet, animo clausum est; tanquam si quis malum punicum pictum videat, qui ne-

(*a*) Ex hoc loco diserte sequitur auctorem hujusce libelli nominari Augustinum. Quis vero sit ille Augustinus incertum est. Quibusdam in mentem venit eumdem esse cui tribuuntur libri de Mirabilibus S. Scripturæ in appendicem t. 3 rejecti. M.

que viderit aliquando, nec omnino quale esset audierit; non oculorum est, sed animi, quod cujusce rei pictura sit, nescit. Alterum genus est, ubi res animo pateret, nisi sensui clauderetur, sicut est homo pictus in tenebris : nam ubi oculis apparuerit, nihil animus hominem pictum dubitabit. Tertium genus est, in quo etiam sensui absconditur, quod tamen si nudaretur, nihilo magis animo emineret : quod genus est omnium obscurissimum, ut si imperitus malum illud punicum pictum etiam in tenebris cogeretur agnoscere. Refer nunc animum ad verba, quorum istæ sunt similitudines constitutæ. Pone quempiam grammaticum, convocatis discipulis, factoque silentio suppressa voce dixisse, Temetum : quod ab eo dictum, qui prope assidebant, satis audierunt; qui remotius, parum ; qui autem remotissime nulla omnino voce perstricti sunt. Horum autem partim sciebant, illi scilicet qui nescio quo casu remotiores erant, quid esset temetum ; reliquos prorsus latebat : omnes obscuritate impediebantur. Et hic jam perspicis omnia illa genera obscuritatum. Nam qui auditu nihil dubitabant, primum illud genus patiebantur, cui simile est, malum punicum ignorantibus, sed in luce pictum. Qui noverant verbum, sed auribus aut parum aut omnino non acceperant vocem; secundo illo genere laborabant, cui similis est hominis imago, sed non in conspicuo, sed omnino tenebroso loco. Qui autem non solum vocis, sed et significationis verbi expertes erant ; tertii generis, quod omnino deterrimum est, cæcitate involvebantur. Quod autem dictum est, quoddam obscurum ambiguo simile, in his perspici potest, quibus verbum erat quidem notum, sed vocem penitus nullam, aut non omnino certam perceperant. Omnia igitur obscura loquendi genera vitabit, qui et voce quantum satis est clara, nec ore impedito, et verbis notissimis utetur. Vide nunc in eodem grammatici exemplo, quam longe alias impediat ambiguitas quam obscuritas verbi. Fac enim eos qui aderant et satis sensu accepisse vocem magistri, et illum verbum enuntiasse, quod esset omnibus notum ; ut puta, fac eum dixisse, Magnus, et deinde siluisse : attende quid incerti, hoc audito nomine, patiantur. Quid si dicturus est, Quæ pars orationis est? Quid si de metris quæsiturus, qui sit pes? Quid si historiam interrogaturus, ut puta, magnus Pompeius quot bella gesserit? Quid si commendandorum carminum gratia dicturus est, Magnus et pene solus poeta Virgilius? Quid si objurgaturus negligentiam discipulorum, in hæc deinde verba prorumpat, Magnus vos ob studium disciplinæ torpor invasit? Videsne remota nebula obscuritatis, illud quod supra dictum est quasi eminuisse multivium? Nam hoc unum quod dictum est, magnus, et nomen est, et pes chorius est, et Pompeius est, et Virgilius est, et negligentiæ torpor. Et si qua alia vel innumerabilia non commemorata sunt, quæ tamen per hanc enuntiationem verbi possunt intelligi.

CAPUT IX. — *Ambiguitatum genera duo.*

Itaque rectissime a dialecticis dictum est, ambiguum esse omne verbum. Nec moveat quod apud Ciceronem calumniatur Hortensius, hoc modo : *Ambigua se aiunt audire acute, explicare dilucide : item omne verbum ambiguum esse dicunt, quomodo igitur ambigua ambiguis explicabunt? nam hoc est in tenebras exstinctum lumen inferre.* Facile quidem atque callide dictum. Sed hoc est quod apud eumdem Ciceronem Scævolæ dicit Antonius : *Denique ut sapientibus diserte, stultis etiam vere videaris dicere.* Quid enim aliud loco illo facit Hortensius, nisi acumine ingenii et lepore sermonis, quasi meraco et suavi poculo imperitis caliginem offundit? Quod enim dictum est, omne verbum ambiguum esse, de singulis verbis dictum est. Explicantur ambigua disputando, et nemo utique verbis singulis disputat. Nemo igitur ambigua verba verbis ambiguis explicabit. Et tamen cum omne verbum ambiguum sit, nemo verbum ambiguum nisi verbis, sed etiam conjunctis, quæ jam ambigua non sunt, explicabit. Ut enim si diceretur. Omnis miles bipes est, non ex eo sequeretur, ut cohors ex militibus bipedibus tota constaret. Ita cum dico ambiguum omne verbum, non dico sententiam, non disputationem quamvis verbis ista texantur. Omne igitur ambiguum verbum non ambigua disputatione explicabitur. Nunc ambiguitatum genera videamus. Quæ prima duo sunt : unum in iis etiam, quæ dicuntur; alterum quod in iis solis, quæ scribuntur, dubitationem facit. Nam si quis audierit, Acies, et si quis legerit, poterit incertum habere, nisi per sententiam clarescat, utrum acies militum, an ferri, an oculorum dicta vel scripta sit. At vero si quis inveniat scriptum, verbi causa leporem, nec appareat qua sententia positum sit, profecto dubitabit, utrum penultima hujus verbi syllaba producenda sit, ab eo quod est lepos ; an ab eo quod est lepus corripienda. Quam scilicet non pateretur ambagem, si accusativum hujus nominis casum voce loquentis acciperet. Quod si quis dicat, loquentem male pronuntiare potuisse; jam non ambiguitate, sed obscuritate impediretur auditor. Ex illo tamen genere quod ambiguo simile est, quia male latine pronuntiatum verbum, non in diversas rationes trahit cogitantem, sed ad id quod apparet impellit. Cum igitur ista duo genera inter se plurimum distent, primum genus rursus in duo dividitur : nam quidquid dicitur, et per plura intelligi potest, eadem scilicet plura aut uno vocabulo et una interpretatione; aut tantum uno tenentur vocabulo, sed diversis expeditionibus explicantur. Ea quæ una definitio potest includere, univoca nominantur : illis autem quæ sub uno nomine necesse est definire diverse, æquivoci nomen est. Prius ergo consideremus univoca, ut quomodo genus hoc jam patefactum est, illustretur exemplis. Hominem cum dicimus, tam puerum dicimus quam juvenem, quam senem, tam stultum quam sapientem, tam magnum quam parvum, tam civem quam peregrinum, tam urbanum quam agrestem, tam qui jam fuit quam qui nunc est, tam sedentem quam stantem, tam divitem quam pauperem, tam agentem aliquid quam cessantem, tam gaudentem quam mœrentem vel neutrum. Sed in his omnibus dictionibus nihil est, quod non ut hominis nomen accepit, ita etiam hominis definitione claudatur : nam definitio hominis est, Animal rationale, mortale : non ergo quisquam potest dicere animal rationale mortale juvenem tantum, non etiam senem et puerum, etc., aut sapientem esse tantum, non etiam stultum; imo et ista et cætera, quæ numerata sunt, sicut hominis nomine, ita etiam definitione continentur : nam sive puer, sive stultus, sive pauper, sive etiam dormiens, si animal rationale mortale non est; nec homo est. Est autem homo; illa igitur definitione contineatur necesse est. Et de cæteris quidem nihil ambigitur : de puero autem parvo aut stulto, sive prorsus fatuo, aut de dormiente, vel ebrio, vel furente dubitari potest, quomodo possunt esse animalia rationalia, etiam si possit defendi, sed ad alia properantibus longum est. Ad id quod agitur illud satis est, non esse istam definitionem hominis rectam, nisi et omnis homo eadem contineatur, et præter hominem nihil. Hæc sunt igitur univoca, quæ non solum nomine uno, sed una etiam ejusdem nominis definitione clauduntur : quamvis et inter se propriis nominibus et definitionibus distingui possunt. Diversa enim nomina, puer, adolescens, dives et pauper, liber et servus, et si quod aliud differentiarum est, et inter se ideo proprias definitiones habebunt : sed ut illis unum commune nomen est homo, sic animal rationale mortale definitio una communis est.

CAPUT X. — *Ambiguitas ex æquivocis varia.*

Nunc æquivoca videamus, in quibus ambiguitatum perplexio prope infinita silvescit : conabor tamen eas in genera certa distinguere. Utrum autem conatum meum hæc facultas sequatur, tu judicabis. Ambiguitatum igitur, quæ ab æquivocis veniunt, primo genera tria sunt : unum ab arte, alterum ab usu, tertium ab utroque. Arte nunc dico, propter nomina quæ in verborum disciplinis verbis imponuntur. Aliter enim definitur apud grammaticos quid sit æquivocum, ali-

ter apud dialecticos ; et tamen hoc unum quod dico, Tullius, et nomen est, et pes dactylus, et æquivocum. Itaque si quis ex me efflagitet, ut definiam quid sit Tullius, cujuslibet notionis explicatione respondeo. Possum enim recte dicere, Tullius nomen est, quo significatur homo summus quidam orator, qui Catilinæ conjurationem consul oppressit. Subtiliter attende me nomen ipsum definisse : nam si mihi Tullius ipse, qui si viveret, digito monstrari potuisset, definiendus foret, non dicerem, Tullius est nomen, quo significatur homo; sed dicerem, Tullius est homo, et ita cætera adjungerem. Item respondere possem, Hoc nomen Tullius est dactylus, his litteris constans : quod enim eas litteras habeat, opus est innuere. Licet enim illud dicere, Tullius est verbum, per quod æquivocantur inter se omnia cum hoc ipso, quæ supra dicta sunt, et si quid aliud inveniri potest. Sed dico, Cum ergo hoc nomen quod dixi, Tullius, secundum artium vocabula tam varie mihi licuit definire; quid dubitamus esse ambiguorum genus ex æquivocis venientium, quod merito dici possit ex arte contingere? Diximus enim æquivoca esse, quæ non ut uno nomine, ita etiam una definitione possunt teneri. Unde nunc alterum genus est, quod ex loquendi usu venire memoravimus. Usum nunc appello illud verbum, propter quod verba cognoscimus. Quis enim verba propter verba conquirat et colligat? Itaque jam constitue aliquem sic audire, ut notum ei sit, nihil de partibus orationis, aut de metris quæri, aut de verborum aliqua disciplina : tamen adhuc potest cum dicitur, Tullius, æquivocorum ambiguitate impediri. Hoc enim nomine et ipse qui fuit summus orator, et ejus picta imago vel statua, et codex quo ejus litteræ continentur, et si quid est in sepulcro ejus cadaveris, significari potest. Diversis enim rationibus dicimus, Tullius ab interitu patriam liberavit; et, Tullius inauratus in Capitolio stat ; et, Tullius, tibi totus legendus est ; et, Tullius hoc loco sepultus est : unum enim nomen est, sed diversis hæc omnia definitionibus explicanda sunt. Hoc igitur genus æquivocorum est, in quo jam nulla de disciplina verborum oritur ambiguitas, sed de ipsis rebus quæ significantur. At si utrumque confundat audientem vel legentem, sive quod ex arte, sive ex loquendi usu dicitur, nonne tertium genus recte annumerabitur? Cujus exemplum in sententia quidem apertius apparet, ut si quis dicat, Multi dactylico metro scripserunt, ut est Tullius : nam hic incertum est utrum Tullius pro exemplo dactyli pedis, an dactylico poetæ positum sit : quorum illud ex arte, hoc ex usu loquendi accipitur. Sed in simplicibus etiam verbis contingit, licet tantum vocem hujus verbi grammaticus audientibus discipulis enuntiet, ut supra ostendimus. Cum igitur hæc tria genera manifestis rationibus inter se differant, rursum primum genus in duo dividitur. Quidquid enim ex arte, verborum facit ambiguitatem, partim sibi pro exemplo esse potest, partim non potest. Cum enim definio quid significat nomen, possum hoc ipsum exempli gratia supponere, quod dico nomen, utique nomen est : hac enim lege per casus flectitur dicendo nomen, nominis, nomini, etc. Item cum definio quid significat, dactylus, hoc ipsum potest pro exemplo esse : etenim cum dicimus, dactylus, unam syllabam longam et duas deinde breves enuntiamus. At vero cum definitur adverbium quid significet, non potest hoc ipsum pro exemplo dici : etenim cum adverbium dicimus, hæc ipsa enuntiatio nomen est. Ita secundum aliam notionem, adverbium utique adverbium est, et nomen non est; secundum aliam vero adverbium non est adverbium, quia nomen est. Item pes creticus, quando quid significet definitur, non potest hoc ipsum pro exemplo esse : hæc enim ipsa enuntiatio quando dicimus, creticus, prima longa syllaba, deinde duabus brevibus constat; quod autem significat, longa syllaba et brevis et longa est : ita et hic secundum aliam notionem, creticus nihil aliud est quam creticus, et dactylus non est; secundum aliam vero creticus non est creticus, quia dactylus est. Secundum igitur genus, quod jam propter disciplinas verborum ad loquendi usum dictum est pertinere, duas habet formas. Nam æquivoca dicta sunt, aut ex eadem origine venientia, aut ex diversa. Ex eadem origine appello, quando uno nomine ac non sub una definitione teneantur, uno tamen quasi fonte dimanant, ut est istud, quia Tullius et homo et statua et codex et cadaver intelligi potest : non possunt quidem ista una definitione concludi, sed tamen unum habent fontem, ipsum scilicet verum hominem, cujus et illa statua, et ille liber, et illud cadaver est. Ex diversa origine, ut cum dicimus, nepos, longe ex diversa origine filium filii et luxuriosum significat. Hæc ergo distincta teneamus, et inde illud genus, quod ex eadem origine appello, in quæ item dividatur : nam dividitur in duo, quorum unum translatione, alterum declinatione contingit. Translationem voco, cum vel similitudine unum nomen fit multis rebus, ut Tullius, et ille in quo magna eloquentia fuit, et statua ejus dicitur. Vel ex toto, cum pars cognominatur, ut cum cadaver illius Tullius dici potest : vel ex parte totum, ut cum tecta dicimus totas domus. Aut a genere species : verba enim principaliter dicunt Romani, quibus loquimur; sed tamen verba proprie nominata sunt, quæ per modos et tempora declinamus : aut ab specie genus ; nam cum scholastici non solum proprie, sed et primitus dicantur ii qui adhuc in schola sunt ; omnes tamen qui in litteris vivunt, nomen hoc usurpant. Aut ab efficiente, effectus, ut Cicero est liber Ciceronis : aut ab effectu efficiens, ut terror, quia terrorem fecit. Aut a continente quæ continentur, ut domus etiam qui in domo sunt dicuntur : aut a conversa vice, ut castanea arbor dicitur quæ et fructus : vel si quod aliud inveniri potest, quod ex eadem origine quasi transferendo cognominetur. Vides, ut arbitror, quid faciat in verbis ambiguitatem. Quæ autem ad eamdem originem pertinentia conditione declinationis ambigua esse dicimus, talia sunt. Fac verbi causa quemque dixisse, pluit. Et hæc diverse utique definienda sunt. Item scribere cum dicit, incertum est utrum in infinitivo activi, an imperativo passivi pronuntiatum sit. Homo cum unum nomen sit, et una enuntiatio, tamen fit aliud ex nominativo, aliud ex vocativo. Quin[1] doctius et docte verbi enuntiatio quoque diversa est. Doctius aliud est cum dicimus, doctius mancipium ; aliud cum dicimus, doctius illo disputavit. Declinatione igitur ambiguitas orta est : nam declinationem nunc appello, quidquid sive per voces sive per significationes flectendo verba contingit. Hic doctus et docte, tantum per voces flexum est ; hic homo et homo, secundum solas significationes. Sed hujusmodi genus ambiguitatum minutatim concidere ac prosequi pene infinitum est. Itaque locum ipsum hactenus notasse suffecerit, ingenio præsertim tuo. Vide nunc ea, quæ ex diversa origine veniunt : nam ipsa dividuntur adhuc in duas primas formas, quarum una est, quæ contingit diversitate linguarum ; ut cum dicimus, iste, hæc una vox aliud apud Græcos, aliud apud nos significat. Quod genus tamen non omnis novit : non enim unicuique perspicuum est, nisi qui linguas nosset, aut qui linguas disputaret. Altera forma est, quæ in una quidem lingua facit ambiguitatem, diversa tamen eorum origine, quæ uno vocabulo significantur, quale est illud, quod de nepote supra posuimus. Quod rursus in duo scinditur. Aut sub eodem genere partis orationis, sicut nomen est nepos, cum filium filii, et cum luxuriosum significat ; aut sub diversis, ut dictum est a Terentio,

> Quî scias ergo istuc nisi periclum feceris ?
> (*Terent. Andr. act.* 3, *scen.* 3, *v.* 33.)

sed etiam istuc pronomen, istuc adverbium. Jam ex utroque, id est arte et usu verborum, quod in æquivocis tertium genus posueramus, tot ambiguitatum formæ possunt existere, quot in duobus superioribus posueramus. Restat ergo illud genus ambiguum,

[1] In B., *quid*. Er., *quin*. M.

quod in scriptis solis reperitur. Cujus tres sunt species : aut enim spatio syllabarum fit tale ambiguum, aut acumine, aut utroque. Spatio autem, ut cum scribitur, venit, de tempore incertum est, propter occultum primæ syllabæ spatium. Acumine autem, ut cum scribitur, pone, utrum ab eo quod est pono, an ut dictum :

Pone sequens, namque hanc dederat Proserpina legem.
(*Georg. liv. 4, v. 487.*)

incertum est propter latentem acuminis locum. At vero ex utroque fit, ut in superioribus de lepore diximus ; nam non solum producenda, sed acuenda est etiam penultima syllaba hujus verbi, si ab eo quod est lepos, non ab eo quod est lepus, deflexum est.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTI OPUSCULO.

Opusculum de decem Categoriis castigavimus denuo ad Mss. septem, e quibus Germanensis pervetustus codex hæc in illius fronte præfert : *Prologus Alchuini ad Karolum Augustum super Categorias Augustini.*

Continet iste decem naturæ verba libellus ;
Quæ jam verba tenent rerum, ratione stupenda,
Omne quod in nostrum poterit decurrere sensum.
Qui legat ingenium veterum mirabile laudet ;
Atque suum studeat tali exercere labore,
Exornans titulis vitæ data tempora honestis.
Hunc Augustino placuit transferre magistro,
De veterum gazis Græcorum clave latina.
Quem tibi, Rex magnus, sophiæ sectator, amator,
Munere qui tali gaudes, modo mitto legendum.

*Categoriæ Aristotelis ab Augustino de græco in latinum mutatæ.* Eosdem versus exhibent Ms. Michaelinus et Amerbachiana editio, sed superscriptione illa carent, *Prologus Alchuini*, etc. Istud ipsum, opinamur, opusculum in lib. 1 de Odonis Cluniacensis abbatis vita designatur hisce verbis : *Odo his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam S. Augustini Deodato filio suo* (*a*) *missam perlegit, et Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit : præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium.*

Itaque jam olim istius opusculi auctor credebatur Augustinus, cui alia complura a veteribus falso tributa fuisse nemo nescit. Et certe nusquam ipse meminit se de Categoriis tractasse : neque vero, uti supra observamus, deprehenduntur hic notæ eædem libri de Dialectica in lib. 1 Retract., cap. 6, memorati, quem videlicet dialogi forma scripserat, eoque consilio ut per corporalia ad incorporalia perveniret aut duceret. Vides præterea quanti facit istius opusculi scriptor Aristotelicas categorias, quas jugi labore, necnon Themistii philosophi magisterio se assecutum fuisse profitetur : cum e contra Augustinus in lib. 5 contra Julianum, cap. 14, illi adversario suo exprobret, quod *Aristotelis categorias insipienter sapiat*, easque in lib. 4 Confessionum, cap. 16, nullo se negotio, et absque magistri sui subsidio intellexisse testetur. Atque hic Aristoteli Platonem anteferabat, ut videre est in lib. 8 de Civitate Dei, cap. 12 ; ille haud dubie cæteris Aristotelem, qui ab ipso Philosophus vocitatur per antonomasiam. Illud demum non est prætereundum silentio, Adeodati nomen, quod in editis habetur initio post verba, *o fili*, non reperiri in Mss. nisi forte a secunda manu in marginali aut interlineari spatio superscriptum.

(*a*) Per errorem ex glossemate Mss. e quibus Michael in margine sic habet : « Has Categorias transmisit filio suo « nomine Adeodato. »

# CATEGORIÆ DECEM

## EX ARISTOTELE DECERPTÆ.

CAPUT PRIMUM. — *De oratione : et quam late pateat significatio οὐσίας.*

Cum omnis scientia disciplinaque artium diversarum non nisi oratione tractetur, nullus tamen, o fili, in quovis genere pollens inventus est, qui de ipsius orationis vellet origine principiove tractare. Idcirco miranda est Aristotelis philosophi diligentia, qui disserendi de omnibus cupidus, ab ipsius cœpit examine, quam sciret et prætermissam a cunctis, et omnibus necessariam. Is igitur nos docuit ex octo his, quas grammatici partes orationis vocant, eam solam recte appellari orationis partem, quæ indicaret aliquid, vocabuloque signaret. Itaque solas orationis partes, auctore Aristotele, nomen et verbum debemus accipere : cæteras vero ex his fieri, et compagines orationis potius, quam partes ejus debere nominari. Nomen namque personam demonstrat, verbum quid quisque faciat patiaturve. Dehinc quoque hoc docente debemus advertere, quo compendio paulatim oratio coarctata per gradus cuncta quæ sunt uno vocabulo capta concluserit. Nam cum sit diversa innumerabilisque mortalium nuncupatio, nec comprehendi possit nominum tam lata diversitas, uno tamen vocabulo cum hominem dixeris, noscis omnes. Similiter et cætera, ut equus ille ξανθὸς vel αἴθριος vel δῖος, vel ille atque ille. Et quanquam sit horum nominum quoque infinita comprehensio, equum tamen cum quis dixerit, monstrabit omnes. Et si quis leonibus, quod fieri solet, vel bobus imponat nomina, in immensum tenditur uniuscujusque cognitio, et acies mentis obtunditur : sed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui ubique sunt, sub uno nomine naturæ succidunt. Verum orationis vis, quæ infinita genera procreandi varietate singulis vocabulis colligaverat, parum fecisse visa est, nisi eadem coarctata in unum singulari nuncupatione concluderet. Ideoque et hominem et feram et equum dixit animal, dans cunctis nomen quod omnia possideret. Nec minus ea quæ sine anima sunt, brevi ex immensa demonstratione signavit : nam cum sit arbor et nucis et castaneæ et glandis et mali, cæteraque inexplicabilia genera virgultorum ; surculum vocans, singulari omnia et communi vocabulo astrinxit. Similiter ornamentorum diversos lapides compendiose vocavit gemmas. Postremo licet abunde prospexerat dispersa passim genera speciali nota concilians, tamen ingenti quodam et capaci ad infinitum nomine omne quidquid est comprehendens dixit οὐσίαν, extra quam nec inveniri aliquid, nec cogitari potest. Hæc est una de categoriis decem. Appellatas vero categorias constat, propterea quod non possint nisi ex subjectis agnosci, ὡς κατὰ τινῶν λεχθεῖσαι. Quis enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquem sibi hominem ponat ante oculos, quasi subjectum homini ? Ne autem progrediente tractatu, in quo plurimis exemplis opus est, eadem ad docendum nomina repetantur, ac sæpe accidat ut vel Hortensii vel altius hominis, vel superius animalis, vel excelsius usiæ frequentata exempla in fastidium reciderent ; alia his vocabula, quibus ad disserendum philosophi uterentur, inflexit : itaque Hortensium, et nucis arborem, et equum Xanthum, et his similia, αἰσθητά, ἄτομα, ἐνάριθμα, καθέκαστα vocavit : αἰσθητὰ, quod tactu sentiantur ; ἄτομα, quod dividi et secari

nequeant: quis enim credat Hortensium cædi posse per partes? quod si fiat, Hortensius jam non erit: ἐνάριθμα, quod sint numeri unius; καθέκαστα, quod singularia: neque enim hæc in uno quovis geminari possunt. Deinde altiora, id est, hominem, equum, leonem arborem, εἴδεα vel ἰδέας ars dicit, quasi partes generis et rerum formas. Dehinc superiora, id est animalia et virgulta et gemmas et lapides, genera nuncupavit, ex quibus partes vel formæ nascuntur. Eadem tamen genera, species vel ideæ etiam nominari possunt, quod habent excelsius aliquid, id est usiam, ex qua oriri videntur et nasci. Ipsam vero usiam, supra quam nihil est, genus appellari voluerunt.

CAPUT II. — *De æquivocis et multivocis.*

His ita compositis, ea quæ mente concepta signari et demonstrari possunt, agressurus Aristoteles, omisit illa interim quæ de verborum ratione tractantur, cum in linguæ usu provenerit, ut uno nomine res multæ, et multis nominibus res una nuncupetur. His rebus quas unum nomen complectitur, duo vocabula ars dedit, ut ex his alia homonyma, alia synonyma vocaret. Homonyma sunt, cum res quidem plures commune nomen accipiunt, interpretatione vero ejusdem rei separantur, ut homo pictus et verus. In hoc namque idem nomen est: verum si ad definitionem vel ad interpretationem hominis redeas, inveniuntur ista disparia. Cum enim dixeris, verum hominem animal esse quod risum capiat et vim rationis admittat; cum de picto idem non possis dicere, necessario inveniuntur esse disparia. Regulariter autem accipere debemus, omne nomen licet proprium, quod possit esse commune cum cæteris, homonymon vocari; ut Cicero, non unus, sed plures. Sed si omisso nomine signis potius demonstrare velis quis sit ille Cicero, quis alius, quis tertius; alia de alio signa narranda sunt, ut alium crassum dicas, alium tenuem; vel longus dicatur alius, alter brevis; candido colore quis, alter nigro. Hæc igitur quoniam inter se discrepant, solo sociata nomine, homonyma dicta sunt, vocabulo juncta, rei interpretatione discreta. Synonyma vero sunt, res quæ et nomine et sui interpretatione junguntur, ut est animal: id enim de homine, et equo, et de fera, et de avibus dici potest. Animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moveatur. Nunc ad eas res, quæ singulæ multis nominibus signari solent, veniamus. Quanquam hanc partem Aristoteles, ut superius dictum est, prætermiserit, idcirco quod de his quæ significantur, non de his quæ significant, disserendum putavit. In his autem non rerum, sed nominum vertitur quæstio. Hæc divisa sunt similiter in partes duas, et alia πολυώνυμα, alia ἑτερώνυμα sunt. Polyonyma sunt, cum multa nomina unam rem significant, neque ulla de differentia nominum redditur ratio; ut ensis, mucro, gladius: hæc enim cur unam rem tot significent, nec discerni, nec definiri potest. Dehinc heteronyma a multis æque nominibus res singulas tenent. Verum in his habet rationem diversitas nominum, velut est homo terrenus mortalis: homo ab humanitate, terrenus a terra, in qua cuncta gignuntur, mortalis a necessitate mortis. Claret igitur in his nominum originem quæri, in superioribus rerum, quamobrem his omissis, Aristoteles superiorum maluit movere tractatum. Ergo ad homonyma redeamus, quæ dividuntur in duas partes: aut enim fortuitu fiunt aut hominum voluntate nascuntur. Fortuitu fiunt enim, cum quodam casu simile quis alteri nomen accipit; voluntate, cum similitudo nominis ex industria imponentis affigitur. Horum autem quæ industria vel voluntate nascuntur, quatuor sunt genera, εἰκών, κατ'ἀναλογίαν, ἀφ'ἑνός, πρὸς ἕν: ut eadem latinus quoque sermo declaret, similitudo, proportio, ab uno, ad unum. Similitudo est, ut homo pictus et verus in sola similitudine copulantur. Proportio est quod κατ'ἀναλογίαν Græci vocant, ut quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicamus: proportio enim sui similitudo nominis videtur adjuncta. Ab uno est, cum dicimus a medicina medicinale ferramentum, medicinalis scientia, medicinalis usus, medicinale præceptum: ab uno in cuncta descendunt. Ad unum est, ut illa potio salubris est, ille medicus salubris est, ferramentum illud salubre. Hæc enim cuncta unum, id est salutem, videntur attingere.

CAPUT III. — *Quid Aristoteles agat in categoriis.*

Sed plerique movere assolent quæstionem, de quibus magis Aristoteles voluit inchoare tractatum. Primo de iis quæ sunt, secundo de iis quæ percipiuntur, tertio de iis quæ dicuntur. Primo sunt res omnes, quas natura peperit: secundo percipiuntur ea, quorum imagines animo videndo formamus et recondimus: tertio dicuntur illa, quibus ea, quæ sunt impressa animo, efferuntur. Id namque quod quis concipit animo, lingua prosequente declarat. Sed ut Themistio nostræ ætatis erudito philosopho placet, de his Aristoteles tractare incipit, quæ percipiuntur, quæque ipse vocat græco nomine σημαινόμενα sive φαντασίας, id est, imagines rerum insidentes animo: verum cum de perceptis proposuerit disputare; et de iis quæ sunt, et de iis quæ dicuntur, necessario locuturus est. Percepta enim ex his oriuntur quæ sunt, quæ videndo percipimus: perceptorum autem deerit demonstratio, nisi eorum, quæ dicuntur, auxilio fuerint demonstrata. Ergo quanquam separatim postea ea quæ sunt, definiturus sit; mixtam tamen de tribus disputationem debemus accipere. Nam de perceptis qui loquitur, et originem rerum trahit, et præsidia orationis implorat. Superfluam igitur quæstionem movet, qui dicit scrutari oportere cur Aristoteles in principio suo homonyma lege vel dixerit, vel detexerit, si de iis quæ percipiuntur fuerat tractaturus, cum liqueat non posse dici aliquid, nisi quod perceptum fuerit, nec percipi aliquid posse, nisi res fuerit de qua imago intuendo capiatur.

CAPUT IV.—*De denominativis. Differunt paronyma ab homonymis.*

His ergo cognitis, paronyma videamus, quæ sunt in homonymorum et synonymorum medio constituta, et quæ nec paronyma dici possunt, nisi in se habuerint utrorumque contractum, id est nisi et nomen homonymorum et negotium synonymorum videantur habere commune; ut a sapientia sapientem, vel medicum a medicina dicamus, eadem in medico quæ in medicina et actus similitudo videtur et hominis. Propterea recte paronymum dictum est, quod aliunde nomen acceperit. Verum ne eadem videantur paronyma et homonyma, quæ ab uno dicuntur, id est ὁμοῦ, hanc differentiam debemus agnoscere, quod ipsa paronyma inter se quidem propter similitudinem nominis homonyma sunt, illius tamen nominis paronyma dicuntur, unde nomen acceperunt, ut puta a sapientia dicamus hominem sapientem, sapiens consilium: inter se hæc homonyma sunt, ipsius vero sapientiæ paronyma. Observari tamen oportet, ut commutationem ultimæ syllabæ habeant: neque ita finiantur paronyma quemadmodum desinunt ea de quibus originem ducunt; ut medicina et medicus, medicina aliis litteris clauditur, aliis medicus. Hanc igitur differentiam nisi paronyma habuerint, et nisi cum synonymis negotio, cum homonymis nomine fuerint copulata, homonyma potius quam paronyma nominantur. Ut si a malitia vitiosum dicamus, negotio quidem cum synonymis convenit, sed ab homonymis discrepat nomine. Neque enim vitiosus et malitia similia sunt, quanquam eodem intellectu sentiantur. Quod si a malitia dicatur malus, recte utrumque convenit. In ultima vero syllaba non mutantur hoc modo, ut si dicamus a sapientia verba sapientia. Hic cum nulla commutata est syllaba, paronymi exclusa est nuncupatio. Unde constat hæc et his similia homonymis potius debere conjungi. Scire etiam debemus, verba aut simplicia esse, aut certe conjuncta. Conjuncta sunt, equus currit: simplicia, cum hæc separantur et dicuntur singula, ut equus, currit. Sed jam satis de his quæ significantur, dictum puto.

### CAPUT V.—*Substantia et accidens.*

Restat ut eorum quæ sunt, quo pacto Aristoteles tractaverit, enarremus. Sunt igitur illa quæ aut percipimus sensibus, aut mente et cogitatione colligimus. Sensibus tenemus quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut gustando, aut odorando cognoscimus. Mente, ut cum quis equum, aut hominem, aut quodlibet animal viderit, quanquam unum corpus esse respondeat, intelligit tamen multis partibus esse concretum. Siquidem alia pars sit capitis, alia pedum, cæterorumque membrorum, in ipso capite partes suas aures habeant, habeat propriam lingua. Ipsæ quoque partes singulæ multa in se habeant, quæ dividi et separari possint : ut caro sit aliud, aliud corium, aliud venæ, aliud nervi, aliud capilli. Ergo hæc mente vel intellectu colligimus, ad quæ nostri sensus penetrare non possunt. Consideramus etiam illa, et animi intentione cognoscimus vel hominem, vel aliud animal, crescere, senescere, nunc stare, nunc movere gressus; modo angi curis, modo secura mente conquiescere; sanitate alias frui, alias dolorem perpeti; ex nigro album, nigrum ex albo colore mutari; peritum ex imperito, doctum ex indocto; ex mansueto ferum, ex feroci mansuetum. Cum igitur in iis quæ sunt, alia sensibus, alia mentibus colligantur, separare hæc propriis nominibus homines eruditi maluerunt; et id quod dignoscitur sensibus, jam dici οὐσίαν, illud autem quod animi tractatu colligitur, ac sæpe mutatur, συμβεβηκὸς, id est accidens, nominare voluerunt. Et quoniam in permanente usia ea quæ accidunt, inesse noscuntur, ipsam usiam ὑποκείμενον, id est, subjacens, et non in subjecto appellari voluerunt, illa vero quæ accidunt, ἐν ὑποκειμένῳ, id est in subjacenti, dixerunt. Sine dubio tamen illud oportet a nobis agnosci, ut potiorem usian accidentibus dicimus, sic potius ἄτομον, vel καθέκαστον, id est hunc hominem vel hunc leonem, iis quæ fuerint communia, vel communi vocata animalium nomine, judicare.

### CAPUT VI. — *Quæ dicuntur de subjecto, quæ sunt in subjecto.*

Rursus ad ea quæ significantur, Aristoteles regressus est, quot modis ea quæ sunt significari assolent, monstraturus. Ex his igitur quæ sunt, alia de subjecto significantur, et in subjecto non sunt, ut homo. De subjecto quidem significatur, aliquo homine : neque enim homo dici posset, nisi esset aliquis de quo diceretur. In subjecto autem nullo est, cum ipse sit usia, quam superius diximus in nullo unquam subjacenti esse; quippe cum sit cæteris ipsa subjecta. Alia vero nec in subjecto sunt, nec de subjecto significantur, ut est Cicero; nec in subjecto est, quia usia est; nec de subjecto aliquo significatur, siquidem cum a se ortum vocabulum teneat, neque intelligi possit aliunde. Dicta sunt duo quæ ad usian pertinent, quo pacto significentur, quorum superius κοινὸν, id est commune; inferius, καθέκαστον, id est singulare dicitur. Nunc ea quæ sunt ex accidentibus, quonam modo significentur dicendum est. Sunt igitur ex iis alia quæ et in subjecto sunt, et significantur de subjecto, ut est scientia vel color. Sunt enim in subjecto aliquo, id est in animo vel corpore : neque enim scientia potest esse, nisi sit anima subjecta qua contineatur; nec significari scientia posset, nisi de subjecta grammatica : vel color quisquam posset esse, nisi in subjecto corpore; nec significari posset, nisi de subjecto aliquo colore : ita fit ut et in subjecto sint, et de subjecto significentur. Alia vero sunt ex iisdem συμβεβηκόσι, id est accidentibus, quæ in subjecto quidem sunt, sed de subjecto minime significantur, ut est, hæc grammatica, vel hic albus color. In subjecto quidem sunt, animo vel corpore, de subjecto autem non significantur. Neque enim his aliunde vocabulum pendet, sed suo et speciali nomine designantur. In iis quoque accidens superius, commune nominamus, inferius ubi jam certa res est pro parte, hoc est καθέκαστον dicitur. Verum ne aliquid non apertum præterire Aristoteles existimaretur, et oriundis quæstionibus occasionem daret, de eo quod in subjecto est, voluit tractare diligentius, ac definire quid esset, ut calumniantibus aditus clauderetur. Definit ergo in subjecto esse quod in altero est aliquo, non ut pars sit quædam, neque sine eo in quo est potest unquam esse. Hæc definitio addita propterea est, quia dici posset digitum vel pedem in subjecto esse, id est in corpore : hoc igitur exclusit cauta definitione, dicendo id esse in subjecto, quod ejus pars non sit in quo est : digitum autem vel pedem partem esse corporis constat. Dehinc a calumniantibus dici posset, aquam vel vinum in quodam cado quasi in subjecto esse : sed id oriri docta definitione non sinit, addens id esse in subjecto, quod sine subjecto esse non possit : vinum autem, vel aquam, sine cado in quo fuerit posse alibi esse, non potest dubitari. Interea hoc loco debemus advertere qua arte definitio disponatur. Primum enim hanc per immensum tendi oportet, incipientem a genere; dehinc paulatim per partes currendo pervenire debet ad id in quo solum est id quod definitur. Ut ii qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo et abscindendo superflua, ad formandos vultus et membra perveniunt. Sic definitio a genere incipiens depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere. Sed ad propositum revertamur : tractatus enim erat de iis quæ sunt quemadmodum significentur, de quibus quoniam jam multa dicta sunt, illud regulariter nobis tenendum est, omnia καθέκαστα, vel ἐνάριθμα, vel ἄτομα, vel αἰσθητὰ, id est hunc hominem, vel hunc equum, vel hanc arborem de subjecto significari non posse. Sin vero hæc eadem de accidentibus fuerint, id est hic color, hæc disciplina, in subjecto esse posse : quemadmodum enim superius demonstratum est, omne accidens sine subjecto esse non potest. Docti igitur sumus quo pacto, vel subjectum, vel in subjecto possimus agnoscere.

### CAPUT VII.—*Quid genus, quid species.*

Dehinc nos Aristoteles docet, et illa quæ de subjecto significantur, qua ratione noscamus. In his autem speciale illud est, quod eadem in ipso subjecto inveniuntur, quæ sunt in eo quod de subjecto significatur : ut enim animal de subjecto significatur, homine vel equo, sic et homo de subjecto aliquo homine significetur necesse est : Cicero autem et homo est et animal. Quæcumque igitur prædicari de animali possunt, eadem et de homine et Cicerone prædicantur. Quapropter ea quæ in eo, quod de subjecto significatur, inveniuntur, et in eo quod subjectum est, necesse est inveniri : ut si dicas, animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moveatur; animal autem de subjecto significatur homine : eadem tamen et de homine dici necesse est, quæ de animali dicta sunt. Deinde quæ de homine dicta fuerint, eadem et de Socrate. Certum autem est Socratem subjectum esse homini, hominem autem animali. Quidquid igitur in iis, quæ de subjecto significantur, dictum fuerit, idem et de iis, quæ subjecta dicimus prædicabitur. Regulariter autem illa de subjecto significantur, quæ per seipsa cognosci non possunt, ut animal intelligi non potest nisi de subjecto homine, sic homo adverti non potest nisi de subjecto aliquo homine dignoscatur. Nunc quoniam de categoriarum omnium generibus et speciebus et differentia locuturus est, inspiciendum prius videtur quid sit genus, quid species, quid differentia. Genus igitur est quod secundum multa et differentia, quid sit specie ostenditur atque significatur, ut est usia. Omnino quidem usian dicimus; sed hoc commune nomen specie separatur, cum dicimus animal vel lapidem. Ita fit ut uno quasi conjuncta vocabulo, specie separentur. Differentia vero est, quæ secundum multa et differentia, non quid sit, sed quale fit specie prædicatur, ut est animal gressutum, volatile, aquatile, bipes, quadrupes. Genus ergo et differentia specie significantur. Sed genus quid sit, differentia autem qualis sit specie possunt agnosci. Species autem est, quam quidam et formam vocant, quæ secundum multa et differentia, quid sit numero prædicatur atque co-

gnoscitur, ut est homo. Hoc nomen homines cunctos complectitur, et videtur id facere quod species, quæ de aliquo homine prædicatur, qui numerum in seipso contineat; ut est, hic primus, ille secundus, iste tertius. Ut tamen hæc tria uno exemplo monstremus; Genus est, animal : differentia, bipes, quadrupes : species, homo, equus. Sed ut genus nullum est, quod non habeat differentiam; sic nec differentiam intelligere debemus, quæ species non habebit; ut nigrum et album non habent differentiam, propterea quod ex se species non emittunt. Quæ enim alia species inveniri potest albi vel nigri? Quoniam igitur quid sit genus, quid differentia, quid species, separatum est : ad Aristotelis jam dicta veniamus. Hoc enim docente cognovimus, eorum generum quæ inter se diversa sunt, nec differentias easdem posse esse, nec species. Alia enim et species et differentia est, dum quæritur quid sit, alia dum quale sit, alia dum quantum sit : ut si velis animalis dicere differentiam, dicas volatile, bipes, gressutum; si velis speciem, dicas hominem vel avem vel equum. Numquidnam et de disciplina eadem differentia vel species dici potest, propterea quod genera diversa sunt, animal et disciplina? Animal enim categoria est usiæ, disciplina categoria qualitatis. Denique illa genera, quæ alterna sibi societate (ἐπάλληλα) conjuncta sunt, easdem differentias et easdem species habent, ut est usia, cujus species est animal. Sed idem animal genus est cæteris, ideoque et species et genus dicitur. Quoniam hæc igitur duo genera invicem se tenent, quæ Aristoteles quoque ἐπάλληλα nominavit, easdem differentias habent, ut si dicas usian esse animal mortale, bipes, risus capax; eadem et de animali potes dicere, animal est homo mortalis, bipes, risus capax, eadem et de homine potes dicere. Certum est ergo invicem sibi conjunctis generibus, easdem et differentias et species inveniri. In diversis autem generibus hoc provenire non posse.

CAPUT VIII. — *De prædicamentis in generali.*

Rursus Aristoteles ad ea, quæ dicuntur, revertitur, quanquam superius dixerimus alterum sine altero tractari non posse. Nam et qui dicit aliquid, de eo dicit quod est; et id quod est, non potest ab altero intelligi, nisi dicatur. Eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut usian significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut jacere, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando, aut habere. Hæ sunt categoriæ decem, quarum prima usia est, scilicet quæ novem cæteras sustinet. Reliquæ vero novem, συμβεβηκότα, id est accidentia sunt. Ex quibus novem, sunt alia in ipsa usia, alia extra usian, alia intra et extra. Qualitas, quantitas, et jacere in ipsa usia sunt : mox enim ut usian vel hominem vel equum dixerimus, advertamus necesse est bipedalem, quadrupedalem; aut album, aut nigrum; aut stantem, aut jacentem. Hæc in ipsa usia sunt, et sine hac ipsa esse non possunt. Alia sunt extra usian, ubi, quando, habere : et locus ad usian non pertinet, et tempus, et vestiri et armari; sed ab usia separata sunt. Alia sunt communia, id est et intra et extra usian : ad aliquid, et facere, et pati : ad aliquid, ut majus et minus; utraque enim dici non possunt, nisi conjuncto altero quo majus sit vel minus : propterea ergo unum in se habent, aliud extra se. Item facere, extra est et intra, ut cædere quisque non potest dici, nisi alterum cædat; vel legere, nisi ipse legens aliud sit, aliud quod legit : ita ergo et in usia hæc est, et extra usian. Pati similiter; cædi enim vel uri nullus potest, nisi ab altero patiatur : propterea hæc quoque et in usia est et extra usian. Hæc igitur cum singularia sunt, nihil affirmant; copulata vero faciunt ex se aliquem sermonem, vel προσταχτικὸν, vel εὐχτικὸν, vel ἐρωτηματικὸν, vel κλητικὸν : ut hæc quoque latino ore monstremus, vel imperatum, vel optatum, vel interrogatum, vel vocatum. Hæc quoque sermonis quasi quatuor genera suspensa sunt atque simplicia interim, ideoque semiplena. Neque enim jam intelligitur vel quid imperativum sit, vel quid optativum, vel quid interrogativum, vel quid vocativum, nisi accesserit genus ἀποφαντικὸν, id est pronuntiativum, quod habeat in se quamdam confirmandi sententiam, quæ aliquid aut addat aut demat : quod Aristoteles κατάφασιν et ἀπόφασιν dixit, ut est, cœlum hoc volubile est, cœlum hoc non est volubile. Ipsum denique pronuntiativum, quod diximus ἀποφαντικὸν, aut falsum est aut verum. Quamobrem omissis illis quatuor quæ magis ad grammaticos vel oratores pertinent, hujus apophantici, quod ad philosophos attingit, Aristoteles habuit mentionem.

CAPUT IX. — *De usia sive substantia. Usia proprie. Secundæ usiæ quæ dicantur.*

Expositis igitur omnibus quæ disputaturis necessaria videbantur, singulas categorias oportuit definiri. Sed usia quoniam secundum artem definiri non poterat, quæ præcipit, ut definitio quo possit tendi latius, a genere sumat exordium; ipsa autem usia genus non habet, cum omnia ipsa sustineat : per partes eam voluit definire, ut quid sit non solum ejus definitione, verum partium quoque cognitione noscatur. Est igitur usia proprie et principaliter dicta, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto significatur, ut est hic homo, vel hic equus. Secundæ dicuntur usiæ, genus et species, id est animal et homo. Has ergo secundas substantias nominari dicit, propterea quod illa sit potior, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto prædicatur. Secundæ autem substantiæ idcirco dictæ sunt genus et species, quod solæ indicent primam. Ut si quis nolit vel nesciat dicere Socratem, dicat animal vel hominem, id est genus vel speciem, his vero dictis quid sit Socrates agnoscitur; aliud autem si dicat, vel currit, vel ambulat, nihil possit agnosci. Manifestum est autem ea quæ de subjecto significantur, cum iis, quæ subjectum sunt, et nomen et rationem nominis habere communem; ut homo et de subjecto aliquo significatur homine, sed non solum nomen, verum etiam rationem eamdem in subjecto invenies, quam in eo quod de subjecto significatur poteris invenire. Ipsarum deinde secundarum usiarum potior est species genere : magis enim proxima est species primæ usiæ quam genus. Si enim quis velit ostendere quid sit prima usia, facilius monstrabit si dixerit speciem, quam si dixerit genus. Ut si quis Socratem volens dicere omisso ejus nomine, magis eum significet si hominem dixerit, quam si animal. Animal enim et equum et aquilam possumus agnoscere. Deinde ut primæ substantiæ subjectæ sunt omnibus, et his omnia sustinentur; ita etiam species generi, atque ideo magis usia ista, quam cætera. Videndum est etiam, ne quam speciem solam putamus, eadem sit et genus : ut si quis animal dixerit, dixit et genus. Deinde si dicat hominem, equum, piscem, avem, pronuntiemusne omnia solas species esse? cum enim sint homo et equus, species manifestæ sunt; piscis autem et avis, genera et species (non enim una forma est avium et piscium) : propterea ergo et species et genera nominantur. Illæ autem quæ solum species sunt, sicuti est homo, equus, aquila, taurus, æqua virtute usiæ sunt. Ut enim homo usia est, sic et equus, et aquila, et taurus in suo genere. Decursis igitur partibus per quas usia definita est, et alio modo voluit eam definire, si ostenderet ea, quæ necesse est in ea naturaliter inveniri. Ea enim quæ insunt cuique, aut in solo et in omni, aut in solo et non in omni, aut in omni et non in solo, aut nec in solo nec in omni. Hæc Græci vocant, ἐν μόνῳ καὶ ἐν παντὶ, ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντὶ, ἐν παντὶ καὶ οὐκ ἐν μόνῳ, οὐκ ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντὶ. Ut si hominem definire volens, dicat risus capacem esse; hoc et in solo est, et in omni. Solus namque homo ridet, et cunctis ridere naturale est. Secundo, in solo et non in omni, ut si hominem definiens, capacem disciplinæ dicat esse; hoc in solo quidem homine inveniri potest, non tamen in omni : neque enim omnes disciplinas aliquas didicérunt. Tertio, in omni et non in solo, ut si quis hominem definiens, dicat id hominem esse quod ambulat, et quod cibum capit; hoc in omni quidem est homine, non tamen in

solo : nam et pecudes cibum capiunt, et feræ currunt. Quarto, nec in solo, nec in omni, ut si quis in hominis definitione id esse hominem dicat, quod album est; nec in solo, nec in omni est. Neque enim aut homo solus candidus invenitur, et non bos aut equus, aut omnis homo albus est. Duo ergo sunt, quæ ad investigandum aliquam viam monstrant et duo, quæ certum aliquid significare non possunt. Id quod est nec in solo, nec in omni, nihil ex hoc possumus agnoscere; siquidem generale est. Alterum in omni, non in solo, non habet differentiam; propterea que similiter respuendum est. Duo sunt reliqua; quæ certis signis, id in quo fuerint, poterunt demonstrare, id est in solo et in omni. Dubitari enim non potest, quin cum inveneris, pronunties quid sit id, in quo inesse cognoscitur. Alterum est in solo, non in omni, non quidem virtutis ejusdem, verumtamen quod ad definiendam rem necessario quærendum sit, si primum non potuerit inveniri. Nunc igitur ut designet usian, ab in omni, non in solo argumentari incipit, cum demonstrat esse secundas usias, quas idcirco secundas dicit esse, quia id in his inveniri poterit, quod in primis. Denique dicit commune hoc esse cuilibet usiæ, ut in subjecto non sit. Cum igitur nec genus nec species in subjecto inveniantur, manifestum est hæc secundas usias debere nominari. Deinde hinc quoque ostendit genus et speciem secundas usias esse, quod omnia quæ sunt in subjecto, cum iis quæ sibi subjecta sunt, interdum solum nomen, non tamen et rationem possunt habere communem. Genus autem et species cum subjectis, id est cum aliquo homine certam et rationis habent nominis societatem. Monstratis ergo secundis usiis, id est genere et specie, differentia sola restabat, quæ consideranti diligentius, quasi accidens esse videtur. Siquidem bipes vel mortale vel rationale cum animal dicitur, non quid sit, sed quale sit potius demonstratur, ideoque videtur vim tenere qualitatis. Verum quando a genere prima oritur differentia, et sic sequitur species, in accidentibus non debet numerari. Atque ideo Aristoteles eam significatione quidem mixtam dixit, virtute autem inter usias habendam decrevit: eadem enim in hac inveniri pronuntiat, quæ et in cæteris substantiis reperiuntur; id est cum subjecto posse, et nomen et rationem habere consimilem. Cum enim gressutum hominem dicimus, in subjecto idem et vocabulum, et ejus rationem eamdem possumus invenire : Socrates enim et homo est et gressutus. Similiter prosequitur cætera argumentando variata, demonstrans quædam inesse usiæ, quæ sola et omnis habeat, quædam quæ sola et non omnis, quædam quæ omnis et non sola, quædam nec sola nec omnis. Quæ quoniam in Aristotele ipso manifesta sunt, superfluum visum est aperire : maxime cum hic sermo non transferre omnia quæ a Philosopho sunt scripta, decreverit, sed ea planius enarrare quæ rudibus videbantur obscura.

### CAPUT X. — *De quantitate. Quanto nihil est contrarium. Contraria quæ dicantur.*

Descripta igitur usia, quia definiri non potuit propter eas causas quas superius memoravi, accidentium definitionem necessarius ordo poscebat. Quorum primum est, quantum, nec sine causa : nam cum aliquid viderimus, id necesse est, quantum sit, æstimare. Quantum vero sit, inveniri non potest, nisi fuerit adhibita mensura collectum. Si ergo omissa latitudine, solam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo sine latitudine mensuræ subjecta, γραμμὴ dicitur. Non quod sit longitudo aliqua quæ careat latitudine, sed quod solam quis metiens longitudinem γραμμὴν metiri dicitur. Emensa vero cum longitudine latitudo, dicitur ἐπιφανεία. Sin autem et altitudo fuerit mensuræ sociata, corpus cuncta perficiunt. Quod tamen non ita accipimus, quemadmodum solemus accipere naturale corpus, ne ad usiam reverti videamur. Deinde metimur et locum, in quo aliquid constitutum est. Tempus quoque mensuræ subjicitur : nam cum movetur aliquid, ipso motu necesse est et tem-

poris habere mensuram, cum dicimus primo, vel secundo, vel tertio anno pervenit, vel mense, vel die, vel hora, vel momento. Hoc modo igitur quantum sit quidque colligitur. Ipsius autem quanti aliud est cohærens, aliud separatum. Cohærens est gramme, epiphania, corpus, locus et tempus. In his enim singularum partium terminos non potest habere mensura. Simul namque ut grammes medio punctum figens, quasi certum mensuræ terminum dederis, utrarumque partium, quæ divisa gramme factæ sunt, fit terminus ille communis, ut incertum sit cui parti affixus terminus videatur : adeo pars utraque sibi cohæret atque conjuncta est. Epiphania quoque, simili de causa, connexa dicitur et cohærens. Denique si quis hanc dividere voluerit, in ejus medio grammen ponat necesse est : cum gramme hæc, quæ epiphaniam dividit, ex hac duas partes fecerit; ipsarum duarum partium ipsa gramme terminus incipit esse communis : sic enim sibi connexa est, ut non appareat cui terminus videatur infixus. Similiter corpus si quis secare voluerit, dividendi corporis terminus gramme vel epiphania sit necesse est; ipsa enim præcisio, quam gramme facit cum epiphania, necesse est in corpus descendat : atque ideo incertum est, sive gramme, sive epiphania, cui parti terminum dederint, cum diviso corpore in utraque parte epiphaniam necesse est inveniri. Ideoque corpus cohærens est in quo faciendarum duarum partium communis est terminus. Temporis quoque similis ratio est, cui dividendo si velimus terminum dare, dicamus, modo. Modo autem inter præteritum et futurum tempus ita confusum est, ut incertum sit quo debeat separari. Locus autem quomodo corpus quodcumque circumdat, et corporis partibus occupatur; ita communi termino partitur, quemadmodum partitur et corpus : ac propterea eum necesse est cohærentem ut cætera nominari. Separata vero sunt, numerus et oratio. Quis enim non advertat propriis terminis unum separatum esse a duobus, duos a tribus? Et in oratione singulæ syllabæ separatæ sunt : natura enim et numero segregantur, cum alteram brevem, alteram longam, et unam vel duas dicimus. Nimirum apparet hæc, quæ diximus, et ad quantum pertinere, et separata oportere nominari. Horum quantorum est et alia differentia : nam ex his alia sunt, quorum partes positionem habent, ex qua possit agnosci quæ pars cuique jungatur : alia vero sunt quorum partes positionem habere non possunt. Positionem autem dico, cum videmus cujusque rei dexteram, lævam, superiora, inferiora, ante, post, longe, juxta. Sunt ergo quorum partes sibi manifesta positione junguntur hæc, gramme, epiphania, corpus, locus. Sive enim in gramme, sive in epiphania, sive in quolibet horum positis terminis partes feceris, quanquam sibi cohærentes videantur atque conjunctæ, tamen adverti corporaliter licet, quæ pars ubi sit, cui vicina sit, cuique jungatur. Sunt vero quorum partes positionem non habent, hæc, tempus, numerus, oratio. Unum enim cum dicimus, ipsum numerum solum dicentes, non aliquid corporaliter numerántes, non videmus vel ejus dextram vel sinistram : quippe cum in verbo sit tantum in sono, et in nullo sit corpore, positionem suarum partium non potest demonstrare, nisi forte ordinem dixerimus, quod unum sequuntur duo : positio autem in his duntaxat non potest inveniri. Similiter et in tempore atque sermone, maxime cum hæc mox videantur labi, cum dixeris, et tempus currit; et sermo cum nondum dictus fuerit, non est; et cum dictus fuerit, non apparet. Manifestum est igitur hæc tria positionem diversarum partium non habere. Proprie igitur hæc sola, quæ dicta sunt quanta nominantur : si qua vero præter hæc inveniri potuerint, debent pro accidentibus poni. Sunt enim quædam, quæ accidentibus ipsis accidunt, ut si dicamus, multum album; propterea multum album dicitur, non quod ipsum album sit immensum, sed quod epiphania in qua album est, multa cernatur. Manifestum est igitur cum

multum album dicimus, ex epiphaniæ quantitate album, quod illi accidit, æstimari. Similiter cum longos actus dicimus, non quod actus immensi sint, longi dicuntur, sed ex temporis mensura, quo continentur actus actuum, quantitas æstimatur. Illud tamen speciale debemus agnoscere, quanto contrarium nihil esse. Epiphaniæ enim, sive grammæ, sive duobus cubitis, sive tribus contrarium est nihil. Nisi forte errore quodam multum et exiguum putemus esse contraria, non advertentes hæc in eorum numerum quæ ad aliquid dicuntur debere transferri. Nihil enim multum vel exiguum dicitur, nisi alteri fuerit comparatum. Cum enim dicimus montem brevem; grandiorem esse alterum, cui comparatus est, indicamus. Vel cum dicimus grande milii granum; comparatione sui generis, in quo brevius aliquid invenitur, illud esse grandius monstramus. Ac propterea manifestum est, multum et exiguum, grande et breve, cum aliquo comparata sui vocabulum reperire. Nec in hoc solo errat, qui putat multum et exiguum quanto debere conjungi, verum etiam si existimet esse contraria; quod fieri penitus non potest. Nam si hæc quodam errore decepti contraria dicimus, fiet ut in una re uno atque eodem tempore contraria videantur incidere. Una enim res, et major a minore, et brevis a majore, uno atque eodem tempore poterit nominari : quod fieri nec rerum natura patitur, nec ratio ipsa permittit. Ac propterea eorum repellenda sententia est, qui hæc credunt esse contraria. Nec magis in quanto contrarietas, quam in circulo convideri potest. Veteres enim supra et infra propter cœli terræque distantiam contraria sibi esse dixerunt, undequaque versum asserentes terram subter esse, cœlum super. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra, quæ videtur in medio, ubique subtus est : nam et antipodes nostri, qui nobis dicuntur figere adversa vestigia, cœlum super se habent. Claret igitur semper terram in inferioribus constitutam. Deinde illa quoque a physicis jungitur ratio, quod propterea ex diversitate locorum terra cœlo contraria est, id est illud semper sursum, hæc deorsum, quod omnia, quæ pondere gravia sunt, naturaliter feruntur ad terram; ad cœlum vero levari necesse est, quæ videntur esse leviora. Hinc igitur cœlum terramque contraria sibi esse dixerunt; quod hanc deorsum, illud vero superius naturalis necessitas collocavit. Ex hac igitur ratione videtur contrariorum omnium definitio constituta. Dicuntur enim illa esse contraria, quæ cum sint ex uno eodemque genere, multo tamen a se spatio separantur. Sed hæc qui asserunt, habent advertere ad aliquid dictis potius debere conjungi. Siquidem supra dici non potest, nisi et infra fuerit designatum. Quod si calumniari quibusdamlibet, supra et infra in categoria magis, quæ ubi dicitur, videri potest : cum enim supra et infra dicimus, ubi aliquid geratur, agnoscitur. Sed hæc, ut diximus, garrientium sunt : nos vero in quanto admitti contrarium credere non debemus. Advertere interea licet hujus occasione tractatus, aliud esse super et subter naturale; aliud vero quod circa nos. Naturale enim non potest immutari, nostrum autem migratione hominum commutatur : ut si quis cum in inferioribus fuerit, ad superiora conscendat, aut e superioribus velit ad inferiora descendere; omnia illi, quæ ante fuerant, commutantur, cum descendenti, inferiora quæ fuerant, superiora cernantur. Illud quoque quanto inest, in omni quidem, non tamen in solo, ut non recipiat magis et minus, quod græce dictum est *μᾶλλον καὶ ἧττον*. Bipedale enim cum dicimus, non possumus aliud bipedale magis vel minus dicere. Simili enim modo bipedale secundum est, quemadmodum et primum. Quod si aliud alio amplius fuerit, jam non bipedalis, sed alterius mensuræ suscipit nomen. Nec numerus magis aut minus sustinet, siquidem tres magis aut minus tres nominare dementia est. Et tempus non potest esse tempore magis aut minus. Claret igitur his expositis magis et minus in quanto inveniri non posse. Proprium vero quanti, et quod in omni et in solo invenitur, illud est, ut omnia ejus paria aut imparia dicantur. Ut numerus par et impar; non æqualis numerus, si par est; aut si impar, non inæqualis dicatur. Similiterque ejus omnia non æqualia, aut inæqualia, sed paria aut imparia nuncupantur. Cætera vero quæ ad quantum non pertinent, similia sibi potius quam æqualia nominamus : ut album albo simile, aut non simile dicatur. Hoc enim verbum specialiter iis quæ in quanto sunt, videtur infixum.

CAPUT XI. — *Ad aliquid. Ad aliquid quando dicitur. Opposita.*

Categoriarum tertia est quæ latine ad aliquid, græce *πρός τι* censetur. Et quidem hanc tertiam non ordo, sed tractatus necessitas fecit : nam post quantum quale sequebatur. Verum quoniam in fine quanti, quædam ejusdem generis ad aliquid videbantur posse transferri; hanc categoriam, quæ quarta fuerat, necessario tertiam voluit ordinare, ut discussis atque monstratis omnibus, quæ cuique convenirent, frequens orta confusio solveretur. Incipit autem non a definitionibus suis Aristoteles, sed ab eorum terminis, qui ante se ad aliquid perperam definire voluerunt. Ita tamen hæc debemus audire, quasi tractatui necessaria. Astute enim et dat illis auxilium philosophus, et medelam male positis terminis quærit, postea suæ prolatione sententiæ omnia, quæ improprie definita sunt, repulsurus *περὶ τοῦ πρός τι*. Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id quod est dicitur ex altero, sine cujus societate esse non possit, et cujus vis omnis ex alterius conjunctione descendit : ut duplum simpli dicitur duplum, majus minoris dicitur majus, simile simili dicitur simile. Claret igitur ad aliquid non sua vi, sed alterius conjunctione consistere. Eodem modo accipienda sunt cætera quæ ejusdem categoriæ esse noscuntur, ut est habitus, affectio, disciplina, positio, sensus. Hæc Aristoteles, *ἕξιν, διάθεσιν, ἐπιστήμην, θέσιν, αἴσθησιν*, nominavit. Et hæc namque pendent ex altero. Siquidem habitus alicujus rei habitus dicitur, et affectio alicujus ad aliquid affectio, et scientia et positio et sensus simili ratione noscuntur. Non nos autem perturbet, quod quædam hujus categoriæ esse narrantur, quæ et qualitati videntur esse conjuncta. Habitus enim et affectio et scientia et cætera quæ cum his dicta sunt, qualitati videntur maxime convenire. Sed differentiam debemus advertere, qua hæ duæ categoriæ, id est qualitas, et ad aliquid, sive *πρός τι καὶ ποιότης*, a se invicem separantur. Quoties enim scientia cujuslibet rei quæ sit scibilis, scientia dicitur, et sensus rei ejus, quæ sit sensibilis, sensus dicitur; tunc ad aliquid debemus accipere : at cum scientia aut disciplina non rei cujuslibet, sed hominis dicitur, qualitatem debemus agnoscere. Hæc est interim differentia, licet si proprie hanc categoriam, quæ ad aliquid dicitur, volumus definire, ut a cæteris separetur (in omnes enim videtur incurrere); alio modo eam definire debemus, ne semper parum considerantibus error oriatur. Tunc ergo et vere et proprie ad aliquid dicitur, cum sub uno ortu atque occasu, et id quod jungitur, et id cui jungitur, invenitur : ut puta servus et dominus, utrumque vel simul est, vel simul non est. Etenim cum dominum dixeris, necessario existet et servus; cum vero dominum tuleris, nec servus apparet. Similiter duplum et simplum, alterutrum se vel perimunt vel ostendunt : apparente enim duplo, nascitur simplum; duplo pereunte, nec simplum poterit permanere. Similiterque si simplum non sit, nec duplum est; at si simplum fuerit, et duplum necessario apparebit. Specialiter tamen ac regulariter, ut hæc categoria manifestius dignoscatur, hæc via est, qua debemus advertere, non recte dici ad aliquid, nisi cum *καθέκαστον πρὸς καθέκαστον ἀναφέρεται*, hoc est singulare ad singulare refertur. Si quidem cum dicimus duplum, sine dubio non generaliter, sed specialiter hoc duplum dicimus, et hujus simpli duplum dicimus. Ac propterea tunc vere ad aliquid categoria est, quoties, verbi gratia,

Socratem Chrysippo dicimus esse vultu consimilem. Cæterum quo pacto vel quis, vel cui sit similis demonstrabimus, nisi et quis similis sit, et cui sit similis personaliter indicemus? Sed sunt quidam qui huic definitioni velint movere superfluam quæstionem, asserentes inveniri posse ad aliquid dictum quod ante sit, et postea nascatur quod de ipso debeat nuncupari; ut jam videantur hæc duo nec ortu nec occasu sibi esse conjuncta : ac dant exempla scibilis et scientiæ, asserentes ante scibile fuisse, et post ejus scientiam consecutam. Verbi gratia apud geometricos ante γραμμὴ, vel circulus fuit, sed eorum scientia postea a sapientibus comprehensa est : propterea que ante fuisse scibile, in quo possit scientia reperiri. Hoc argumento igitur monstrant multa esse hujus categoriæ, quibus non et ortus et occasus videatur esse communis. Et sensibilis enim sensusque exemplum simili ratione constare contendunt : siquidem sensibilia ante fuerint. Elementa enim quibus omne corpus constat, ante fuerunt, quam corpus ex his aliquod nasceretur, in quo sensus existeret. His igitur argumentis ostendunt definitionem categoriæ, quæ ad aliquid dicitur, non recte esse defixam. Hæc solent parum diligenter naturam rerum intuentes astruere. Omnia enim quæ sunt, aut naturali potentia dicuntur esse, aut operatione faciendi, quas Græci δύναμιν καὶ ἐνέργειαν vocant. Quas si quis separare voluerit, nec ulla societate confundere, intelliget ad aliquid dictum non posse esse sine altero, cujus esse dicitur. Scibili enim γραμμῇ, sive circulo, in ipso ortu naturæ, scientia sociata est. Simul namque ut scibile esse cœpit, habuit scientiam sui, sed necdum ἐνεργείᾳ, id est operatione monstrata est. Non ergo tunc cœpit esse scientia ejus, quando cœpit operari, sed cum ipso scibili orta est, operatio postea est consecuta. Discernere enim nos oportet operationis exordium : tunc enim possumus advertere scientiam cum scibili esse procreatam, operationem vero ejus apparuisse postea indagatione prudentium. Quibus depulsis, optima definitio est ad aliquid relatorum, semper ea simul vel exstingui, vel nasci. Illud sane debemus memoria continere non omnia ad aliquid dicta iisdem casibus referri ad ea quibus junguntur; sed alia genitivo casui, alia dativo, pleraque ablativo copulari. Et genitivo quidem, ut servus domini, duplum simpli. Dativo, simile simili, par pari. Ablativo vero, sensibile sensu sensibile, scibile scientia scibile, et cætera hujusmodi, quæ variis casibus alterius societate nectuntur. Inest autem huic categoriæ et soli et omni, ut inter conjuncta duo, quæ ex se pendeant, sit alterna conversio, quæ græce dicitur ἀντιστροφή. Ut duplum simpli dicitur, et simplum dupli, et servus domini, et dominus servi. Apparet ergo hæc copulata vicaria in semet replicatione converti, si tamen scienter et prudenter ista fiat conversio. Nam si imperite hæc vocabula convertantur, oritur magna confusio : ut si quis imperite dixerit, avis pennam, stulta conversio est. Non enim penna omnis avis est : si quidem sunt quædam pennæ, quæ non sunt avium, ut cicadarum, muscarum, cæterorumque animalium, quæ similiter natura formavit. Quod si quis pennam pennati pennam dixerit, quasi rata conversio est. Hoc loco libitum est, quasdam tenebras, quæ emergere ex categoriarum similitudine assolent, aperire. Siquidem cum dicimus pennam pennati, et caput capitati, videmur usiæ partes in accidentibus ponere. Penna enim sine dubio pars usiæ est, vel caput vel manus, quæ si ad aliquid referantur, inter usias et ad aliquid videbitur nulla esse discretio. Ut igitur amoveatur universa confusio, advertere nos oportet quo pacto, et vere et proprie ad aliquid definitum sit. Ita enim ejus definitio se habet, ut dicatur ad aliquid, cujus id quod est pendet ex altero, cuique necesse sit singulariter, id est καθέκαστον, vicaria in semet mutatione converti. Hoc quis considerato, reperiet, nec pennati pennam, nec capitati caput recte posse ad aliquid nominari : non enim ut pennati pennam dicimus, sic possumus dicere pennæ pennatum, vel capitis capitatum : id namque qui dixerit, irridebitur. Esse enim pennato, non ex penna descendit; neque penna ex pennato constat. Similiterque capitatum non constat ex capite, neque caput ex capitato videtur consistere. At quod vere ad aliquid dicitur, converti per vices potest, ut superius diximus, dominus servi dominus, et servus domini servus : et rursus subtracto servo dominus non est, remoto domino nec servus apparet. Pennatum vero esse poterit, etiam penna pereunte; et rursum penna, pereunte pennato, potest esse. Considerata ergo definitione hujus categoriæ, poterit etiam confusionis ex similitudine exortæ discretio reperiri. Eodem pacto possumus hanc categoriam et ab oppositorum similitudine separare. Nam et opposita ἀντικείμενα Aristoteles vocat, quamdam hujus categoriæ similitudinem reddunt : siquidem calidum et frigidum videntur sibi oppositionis societate conjuncta : sed calidum non frigidi calidum, sed frigido oppositum dicimus; et justum non injusti justum, sed injusto contrarium nominamus. Aristoteles quidem, ut in principio hujus categoriæ diximus, multa exempla proponit, quæ ad hanc non sub certa forma pertinere videantur, volens de consequentibus reprehendere vitia cæterorum, qui hanc secus definire voluerunt. Denique et virtutem malitiæ et scientiæ ignorantiam, quasi ad aliquid posuit, eaque dixit posse recipere contrarium, non quo ita res postulet, sed ut inducte disserentium vitia posset ostendere. Hæc namque, ut superius explicavimus, opposita potius quam ad aliquid dicta judicanda sunt. Mihi vero, ut et ipsi Aristoteli placet, magis et minus hæc categoria, non omnis quidem, nec sola videtur posse suscipere. Simile enim cuilibet, et magis simile, et minus simile possumus dicere. Sed hoc non in omnibus, ut dixi, quæ sunt ad aliquid poterit inveniri. Namque nec magis pater, nec minus pater potest dici; nec minus filius, aut magis filius; nec minus duplum, aut magis duplum. Non nos autem fallat, ut putemus ad aliquid esse quoties, verbi gratia, dicimus, cujus equus, vel cujus lignum, vel cujus fundus : hæc enim dominum, vel possidentis personam monstrantia, non ad aliquid dicta censenda sunt. De qua categoria quantum potuimus, explanavimus : licet tanta huic cum cæteris videatur esse permixtio, ut ipse quoque Aristoteles hujus discretionem haud facile repererit, cujus etiam longa ac diuturna non sit indecens retractatio.

CAPUT XII.— *De qualitate. Species qualitatis quatuor. Habitus. Affectio. Potentia naturalis. Passivæ qualitates.*

Nunc de qualitate tractemus, secundum quam ea quæ sunt, qualia nuncupantur. Multi autem quærunt quid sit qualitas, et quid quale, quorum facilis separatio est. Qualitatem namque dicimus dulcedinem, austeritatem, albedinem, nigredinem. Quale vero intelligitur, quoties album aliquid, vel dulce, vel austerum, vel nigrum dicimus. Licet Aristoteles indifferenter et pro qualitate quale posuerit, et qualitatem pro quali, propterea que etiam nos eumdem secuti similia senserimus Hanc autem categoriam propterea cæteris difficiliorem volunt, quia facilius quam cæteræ in omnes videtur incurrere : ut puta in usia invenitur, cum dicimus, homo grammaticus; in quanto, alba vel nigra epiphania; in ad aliquid, prudens pater, optimus filius; in facere, dure saltat; in pati, fert fortiter vulnera; in loco, obscurus locus; in tempore, calidus mensis, aut frigidus; in jacere, pronus aut supinus jacet; in habere, decenter armatus. Erit igitur non parvæ prudentiæ, qualitatem cum cæteris pene confusam, mentis vivacitate secernere. Hujus sunt species numero quatuor, quas Aristoteles pro generibus posuit, scilicet propterea quia et ipsæ singulæ habent species suas. Id vero cum acciderit, subalterna nominantur, quæ Græci ὑπάλληλα vocaverunt. Ergo primum genus est habitus et affectio : secundum, potentia naturalis : tertium, passivæ qualitates sive passiones : quartum, formæ ac figuræ. Hæc Aristoteles

ἕξιν καὶ διάθεσιν dixit, φυσικὴν δύναμιν, παθητικὰς ποιότητας καί πάθη, σχήματα καί μορφάς. Habitus affectio est animi longo tempore perseverans : ut est virtus et disciplina, quæ perseveratione sui et perpetuitate temporis æstimantur, nisi forte eas languor corporis aliquis, et casu injecta debilitas amputaverit. Affectio vero est mutabilis mentis impulsio, vel cupiditas levis, quæ brevi tempore deleatur. Habitus ergo et affectio videri potest; ab hac namque incipit, et si ipsa permanserit, habitus nascitur. Affectio autem habitus videri non potest; si enim ad habitum pervenerit, vocabulum proprium non tenebit. Hoc loco non est incongruum, quod sæpe quæsitum est, brevi tractatu dissolvere ac docere, quid virtutem disciplinamque discernat. Hoc profecto quod disciplina in ea parte animæ, quæ rationalis dicitur, tantummodo diversatur; virtus vero omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam suo imperio gubernat ac regit : ut et iracundiam domet, et cupiditates animo amoveat quod disciplina facere haudquaquam valet. Potentia naturalis est, quoties quis videtur vel posse, vel non posse aliquid per naturam facere : ut verbi gratia, plerumque visis corporibus puerorum, et contemplatis artubus pronuntiamus aliquid de futuro, eosque dicimus vel pugillatores fore, vel cursores; non quod jam hac arte vel studio teneantur, sed quod videantur positione corporis hæc facilius impleturi. Similiter salubres vel imbecilles dicimus, qui aut facile aut non facile recipiant ægritudinem. Eodem modo namque et in his potentia naturalis advertitur, quæ eos facit vel languori crebrius subjacere, vel retinere perpetuam sospitatem. Durum quoque et molle cum dicitur, ostendit potentiam naturalem. Durum siquidem est, quod firmitate naturæ corruptionem sui non facile admittat; molle vero, in quo est natura laxior, nec ad contraria repellenda sufficiens. Tertium genus qualitatis sive species, passivæ qualitates et passiones, quæ sunt hujusmodi, austeritas, calidatio et frigidatio : sic enim θερμότητα et ψυχρότητα placet dicere, et albedo et nigredo : quæ non idcirco passivæ qualitates dicuntur, quod patiantur aliquid, sed quod faciunt passionem. Mel namque ut dulce sit, non a dulcedine aliquid passum est, sed dulcem gustantibus efficit passionem. Passivæ autem qualitates rectius dicuntur, albedo et nigredo, et horum media, id est rubor et pallor : hæc enim nonnisi animæ vel corporis passione nascuntur. Ut enim nigrescat aliquis, corporis passio est; ut pallescat vel rubescat, animæ, quæ cum turpitudinis verecundiam ferre nequiverit, quasi ad obtentum sui, sanguinis copiam in exteriores corporis partes fundit, eoque fit ut pudore nimio rubescamus. Pallor quoque simili animæ passione consistit, cum perculsa metu nimio ad cordis ulteriora confugit, eamque sanguis insequitur, adeo ut desertum sanguine, quod est in conspectu, corpus albescat. Hæc animæ passio ita a philosophis vera esse firmatur, ut etiamsi pallor vel rubor in corpore jugiter perseveret, simili passione asserant evenisse. Hæ igitur qualitates si in corpore perseverent, quia secundum eas quales dicimur, ipsæ quoque qualitates passivæ censentur : sin vero ad breve tempus exstiterint, ita ut cito discedant; passiones eas potius nominamus. Non enim quis si ad tempus iratus est, aut erubuit, aut incaluit, aut refrixit [1], mox ad statum naturæ iterum rediturus, aut rubicundus vel iracundus vel calidus vel frigidus appellari potest, si ad tempus aliquid passus est. Erit ergo inter passivas qualitates et passiones ista discretio, quod passiones ad tempus exortæ facile commutantur; passivæ vero qualitates secundum quas quales dicimur, perpetuo perseverant. Quartam nunc qualitatis speciem retractemus, in qua sunt formæ et figuræ : et figuræ inanimalibus, formæ animalibus tribuuntur. Figuras enim tunc designamus, cum vel trigonum, vel tetragonum, vel conum, vel cylindrum, vel sphæram dicimus; formas autem cum formosos asserimus aliquos vel deformes. In eodem qualitatis genere sunt, curvitas et rectitudo. Audemus enim εὐθύτητα καὶ καμπυλότητα hoc pacto convertere. Ab iis namque rectum vel curvum quidpiam dicitur : lenitudo quoque et asperitas et raritas ac densitas, e quibus rarum, densum, lene et asperum designamus, qualitatum quidem numero sociantur, sed habent alteram interpretationem sui. Siquidem densum coarctationem nimiam conjunctarum partium videtur ostendere; rarum contra, in quo intervallis frequentibus laxior partium videtur esse conjunctio : quinetiam lene illud proprie videtur ostendere, in quo positio partium ita apte pariliterque digesta est, ut nulla earum mensuræ alterius emineret; contra, asperum discrepantia conjunctarum partium facit : asperitatem namque non gignit nisi inæqualitas partium, ut sit longior una, altera inferior. Ac propterea hæc quidam volunt categoriæ alteri sociare, quæ apud Græcos κεῖσθαι, apud nos jacere, sive ut Augorius [1], quem ego inter doctissimos habeo, voluit, situs dicitur. Claret enim unumquodque earum partium, quæ corpus efficiunt, positione constare : verumtamen cum lene vel asperum vel densum vel rarum dicimus, qualia demonstramus, eaque omnia, quæ de his superius explicata sunt, ad interpretationem non vocabuli, sed naturæ videntur potius pertinere : qua de causa cogit ratio, ut hæc quoque inter qualia numeremus. Ab his igitur, quas enumeravimus, qualitatibus παρωνύμως qualia nominantur, ut lene a lenitate, a densitate densum, cæteraque his similia. Sed plerumque accidit, licet raro, ut qualia non παρωνύμως a sua qualitate descendant, ut a virtute non potest dici virtuosus, sed moderatus et industrius. Nec in græco quidem ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἀρετὸς dicitur, sed σπουδαῖος. Unde apparet qualia, etiam neglecta plerumque paronymorum derivatione constare. Hæc hactenus : nunc qualitatis hujus propter quam diversas species explanavimus, consequentias, et proprium videamus. Et primum quidem contrarietatem recipere qualitates, nulla dubitatio est. Quis enim dubitat saluti contrarium esse languorem, justitiæ injustitiam, calorem frigori, malo bonum, non erudito litteris eruditum? Sed hoc non in omni qualitate reperies : nam pallido, vel fusco, vel quadrato, vel trigono, nihil potest esse contrarium. Non ergo erit incommodum regulam quamdam dare, qua quæ qualitates contrarietatem non recipiant, possit adverti. Erit igitur notum doctis, eas qualitates, quæ contrariis mediæ sunt, et eas quæ ex formis figurisque nascuntur, contrarietatem penitus excusare [2]. Contrariis autem medias dixi, ut est fuscum et pallidum : hæc enim duo de albedine nigredineque nascuntur, ac sunt his media; ipsa vero albedo et nigredo sibi sunt contraria; fusco autem pallidoque contrarium nihil est. Claret ergo contrariorum media, contrarium non habere. Quin etiam qualitas, quæ ex forma vel figura consistit, contrarietatis ignara est. Quid enim quadrato vel trigono, quid circulo vel cono vel cylindro contrarium quis opponat? Regulariter ergo teneamus contrarietatis receptricem qualitatem, nec omnem posse esse, nec solam. Nec illud est omittendum, ut sciamus in contrariis qualitatum, sub eadem categoria esse alterum, sub qua aliud invenitur : ut justitiæ injustitia contraria est; qualitas justitia; et injustitia igitur qualitas est. Item qualitas est albedo; quare nigredinem quoque esse qualitatem necesse est. Quo fit, ut regulariter contrariæ qualitates categoria semper eadem vinciantur. Quærentes interea quid sit proprium qualitatis, quoniam contrarietatem suscipere nec solius est, nec totius, aliud perscrutemur. Video enim magis et minus, hoc est μᾶλλον καὶ ἧττον, in se recipere qualitatem. Namque magis album, vel magis nigrum, vel magis musicum, vel minus musicum possumus dicere. Verum id quoque nec in omni qualitate, nec in sola

[1] Ita Mss. At editi, *refriguit*.

[1] In aliis Edd., *Augurius*. M.

[2] Ita veteres Mss. At editi, *recusare*.

poterit inveniri. Quis enim prudentiam prudentia prudentiorem possit dicere, vel albedinem clariorem albedine, vel doctrinam doctrina doctiorem, vel trigono magis trigonum, vel quadrato magis quadratum. Si enim trigonum fuerit, magis esse quam trigonum non potest; aut si magis aut minus fuerit, jam trigonum non erit. Separare tamen placet ac discernere eas qualitates, quæ magis et minus recipiunt, ab iis quæ hunc gradum comparationis excusent [1]. Sit ergo hæc regula, qualitates ipsas magis et minus non posse suscipere. Ea vero, quæ ex his fiunt, comparata, vel magis recipere posse vel minus : ut eloquentiam magis eloquentiam, seu minus nullus dicere potest; eum vero qui eloquens dicitur, magis vel minus cæteris eloquentem possumus dicere. Claret ergo magis et minus in qualibus inveniri posse, nunquam posse in qualitates incidere. Figuræ quoque, ut superius explicatum est, non admittunt magis et minus : siquidem circulo, si aliquid addas vel minuas, circuli jam vocabulum non tenebit, et in alterius figuræ nomen migrabit. Manifeste igitur designatum est, quæ qualitates hujusmodi gradus comparationis accipiunt, et quæ ab his videntur esse alienæ. Reliquum est ut qualitatis proprium, quod apud Græcos est ἴδιον, investigemus Namque usia habet hoc proprium, ut singularis atque una numero, contraria in se suscipiat : suscipiat autem dixi, non habeat contraria. Meminisse autem nos oportet, quod usiæ, cum de ea tractaremus, nihil esse diximus contrarium. Ergo ut ejus est proprium suscipere contraria, id est, sanitatem modo, modo ægritudinem; quanti vero, id est τοῦ πόσου, ut par imparve dicatur; τοῦ δὲ πρός τι, ad aliquid, ut sint ἀντιστροφά, hoc est, ut in se convertantur, ac sint sibi natura conjuncta : ita et qualitatis hoc proprium est, ut cuncta qualia similia, aut dissimilia nominentur. Et dulce enim dulci, et albo album, et stulto stultum, et leni lene, et calido calidum, similia vel dissimilia proprie nuncupantur. Aliter enim si dicta fuerint, nuncupationem propriam non habebunt. Ne autem nonnulli in legendo turbentur, quod et affectio, et habitus, et disciplina, quæ in ad aliquid dictis, id est ἐν τοῖς πρός τι positæ, eidem qualitati quoque connexæ sunt; hanc discretionem damus, ut tunc categoriæ ad aliquid socientur quando sunt genera, cum vero species, qualitati : ut puta si disciplinam dixeris, quæ est genus cæterarum; ad aliquid referenda est : disciplina enim discibilis rei disciplina dicitur. Quod si musicam dixeris, musica disciplinæ species est, non genus; qualitati nectenda est : neque enim musici musicam possumus dicere, sed musici disciplinam. Similiter et affectio et habitus secundum genera et species, nunc ad aliquid, nunc qualitati nectuntur. Siquidem si affectum vel habitum, hoc est διάθεσιν et ἕξιν, generis dixeris, id est disciplinæ; ad aliquid referuntur : sin autem affectum sive habitum speciei esse dixeris, id est musicæ vel grammaticæ; qualitates debemus agnoscere. Quamvis ipse quoque Aristoteles magnus ingenio huic pene permixtioni concesserit, ac dixerit posse contingere, ut quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliquid; nec esse importunum, si una res duarum categoriarum vocabulo concludatur.

### CAPUT XIII.— *De facere et pati.*

Dicta sunt autem omnia quæ ad quatuor categorias maximas atque difficiles pertinebant : nunc ordo commonet ut post qualitatem de facere et pati tractatus habeatur. Quæ duo videntur ex qualitatis fonte descendere : id namque quod calidum facit, calidum sit necesse est; calidum vero quale esse cognoscimus. Similiter quod calidum fit, passione sui accipit qualitatem : et qui docet, cum docet doctor est, et discipulum facit; uterque autem sive doctor, sive discipulus qualis est : et cætera his similia considerata demonstrant recte has duas categorias præposita qualitate tractari. Hæc duo autem facere et pati multi dixerunt, non posse nisi iis, quæ fuerint contraria, provenire. Id enim quod dulce est, dulce non facit, nisi id quod dulce non fuerit : nam si id quod patitur dulce fuerit per naturam sui, alterius dulcedinem quo recipiat, non habebit; necesse est ergo dulce non esse id quod patitur, ut dulcedinem recipiat alienam : ac propterea cum quod facit dulce est, et quod patitur dulce non est; necessario dicuntur videri contraria. Nonnulli diversa senserunt, asserentes non posse hæc nisi in similibus inveniri, et sub eodem genere constitutis; nec posse aliquid pati vel facere, nisi simile faciat, aut a simili patiatur. Dulce enim et amarum, vel calidum et frigidum, licet contraria videantur, tamen cum sub eodem sensu fuerint, similia esse confirmant. Denique ab alienis penitusque discretis patiendi faciendive rationem dicunt non posse consistere : ut verbi gratia, quid enim faciet numerus in amaro, vel quid albedo pati possit a numero? Sed hæc sit conflictio cæterorum : nobis autem regula illa sufficiat, ut sciamus facere et pati genere esse conjuncta, qualitate discreta. Etenim calidum, quod frigido præstat calorem sui, sub eodem genere est, quo est et frigidum; sed discrepat qualitate quod calet : et doctus cum docet indoctum, sub eodem genere est; sed qualitate discernitur. Claret ergo facere et pati genere esse similia, contraria qualitate. Sed hæc duo, ut superius diximus, adeo videntur qualitati non modo ordine, sed etiam ratione conjungi, ut eadem recipiant, quæ recipere diximus qualitatem. Namque et contrarietatem non respuunt, quam qualitas recipit; et magis et minus admittunt, quorum qualitatem quoque diximus receptricem. Harum vero categoriarum proprium, quod est græce ἴδιον, quoniam ipse quoque Aristoteles, omisit, nec a nobis lector inquirat.

### CAPUT XIV.— *De jacere, sive situ.*

Sequitur ut de jacere dicamus, sive de situ, ut quidam putant : quæ categoria in ad aliquid relatis jam videtur esse tractata. Siquidem quod jacet, positum jacet : positum vero positionis est, et positio positi. Qua de causa, ut ipse quoque Aristoteles, quem sequimur, fecit, ad alia transeamus.

### CAPUT XV. — *De ubi et quando.*

Ubi et quando videntur locus esse et tempus, cum non sint; sed sunt in loco et tempore : ut, Romæ, in senatu, ante horam tertiam, post mensem martium. Hæc, ut diximus, in loco sunt et in tempore, non locus et tempus. Denique ut claras et nullius tractatus indigas, has categorias Aristoteles quoque transgressus est; quod nos etiam faciemus. De tempore enim et loco inter summos philosophos vetus et magna quæstio est, quibusdam volentibus hæc corporata esse, aliis vero sine corporibus æstimari.

### CAPUT XVI. — *De habere.*

Non uno modo habere aliquid dicimur. Quantum enim tractando colligimus, sub hoc verbo octo sunt quasi quædam species. Prima est, quoties animo habemus aliquid, ut justitiam, castitatem, injustitiam vel libidinem. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, ut albedinem et nigredinem, varietatem, vel cætera quæ per qualitatem corpori insident. Tertia de quantitate descendit, quoties quatuor vel quinque pedum habere dicimur longitudinem. Quarta, cum non in toto corpore, sed in parte corporis aliquid habere firmamur; ut in digito annulum, in pede calceos vel cothurnos. Quinta species est, cum non in corpore, sed circa corpus habere aliquid dicimur, ut est vestimentum atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipsas partes corporis habere narramur, ut manus, pedes, caput, aut reliqua quæ sunt in compage membrorum. Septimus vero locus est, quoties far vel vinum vas aliquod habere dicitur. Octavus habendi gradus est, qui possessionem nostram vel dominium videtur ostendere, cum ædes vel rus quis habere dicitur, vel sepulcra majorum. Hi sunt habendi modi, quos designato numero comprehendimus, extra

[1] Ita veteres Mss. At editi, *recusent*.

quem si quis potuerit invenire, desidiæ nostræ culpa non erit, cum Philosophus ipse liberum dimiserit arbitrium inquirentibus. Sane illud verbum multi doctorum respuunt, atque improprie proferri confirmant, cum mulier habere maritum dicitur, vel vir uxorem, vel pater filium, vel filius genitorem; propterea quod asserunt non haberi posse, quod habeat habentem: sed rectius dici autumant esse mulieri virum, vel uxorem viro esse, patrem filio esse, famulis dominum. Siquidem hujus verbi vim in hoc esse contendunt, ut significare non possit, et habere aliquem et haberi.

## CAPUT XVII. — *De postprædicamentis.*

Tandem quasi magni æquoris freta transgressi, categoriarum numerum terminavimus, ut arbitror non insuasibiliter doctis, satis vero clare volentibus discere: sed quædam restant, quæ calcem libri hujus nos tangere contradicunt. Nam et in categoriis singulis de contrarietate tractatum est, cum quæ reciperet contrarium, et quæ respueret diceremus. Tamen quid sit ipsum contrarium, nullus adhuc tractatus ostendit: et adhuc quædam verba remanent, quorum vis ac proprietas debeat explicari. Qua de causa ad oppositorum tractatum necessarium transeamus.

## CAPUT XVIII.—*De oppositis. Tres species contrariorum.*

Oppositorum species quatuor sunt: opponitur namque aliud alteri; primo, aut figura ejus categoriæ, quæ ad aliquid dicitur; secundo, aut contrariorum modo; tertio, aut eorum, quorum circa nos esse dicitur habitus vel privatio (habitum sane hoc loco ex habendo debemus accipere, non ut in superioribus definivimus, esse habitum affectionem animi quamdam sempiternam); quarto modo, cum aut confirmamus aliquid, vel negamus: ut verbi causa, ab iis quæ ad aliquid dicuntur, ponamus exemplum. Primum oppositum videtur duplum simplo, vel pater filio. Secundum vero contrariorum exemplum sit, malum bono. Tertium eorum quoque quæ per habitum et privationem dicuntur, sicut cæcitas et visio. Quartum illorum etiam in quibus est negatio et affirmatio, sicut, currit, non currit. Discretio vero contrariorum, et eorum quæ ad aliquid dicuntur, contemplantibus manifesta est: ad aliquid enim dicta, de sibi oppositis nominantur; simplum namque oppositum dupli est, et duplum oppositum simpli: contraria vero id quod dicuntur ex se habent, neque alterius indigent. Quis enim malum boni dixerit, aut quis bonum mali? Hæc est ergo harum duarum specierum, quæ ex oppositis veniunt, dilucida et clara discretio. Ipsa vero contraria in tres species dividuntur: aut enim mediata sunt, id est, habent aliquid inter se medium; aut sine medio; aut ut in quibusdam reperit ratio, habent quidem medium, sed ejus vocabulum non apparet, nisi utriusque oppositi negatione consistat. Mediata ergo sunt hæc, album et nigrum, inter quæ quando nasci potest pallidum vel fuscum, mediata hæc opposita dicuntur. Quæ vero mediata sunt, non necesse est unum de duobus oppositis in corpore reperiri: si enim nigrum non fuerit, potest esse fuscum; aut si album defuerit, pallidum poterit inveniri. At vero ex his oppositis quæ mediata non sunt, unum necesse est accidere de duobus, ut est salus et ægritudo. Horum medium nihil est propterea quod aut salutem necesse est, aut ægritudinem humana corpora retinere. At illa quibus est quidem medium, sed caret nomine, nisi huic oppositorum negatione formetur, sunt hæc, justus et injustus: est aliquid in medio, sed non habet nomen; atque ideo utriusque oppositi negatio ei vocabulum creat, ut nec justum, nec injustum dicamus id, quod est medium. Nunc ea opposita quæ per habitum privationemque fiunt, diligentius retractemus: in his namque observari oportet, ut sint utraque in eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem negotio sunt, cæcitas et visio; in videndo enim, et in non videndo consistunt. Hæc et in eodem loco sunt; utrique namque et cæcitati et visioni in oculis locus est. Maxime tamen in his opportunitas temporis quæritur: nemo enim recte calvus dicitur, nisi in eo tempore, quo capillos habere debuerit, non habebit: nec sine dentibus, quem νωδὸν Græci vocant, infantem quisquam poterit dicere cum cui dentes adhuc ætas parva denegavit. Siquidem privatio, quæ græce στέρησις dicitur, hanc vim tenet, ut ostendat quemlibet habuisse aliquid per naturam, et non habere. Inter hæc meminisse nos convenit, aliud esse visionem et cæcitatem, aliud habere visionem et ea esse privatum; ne si hæc eadem esse judicemus, confundi ratio videatur. Quod si quis hoc dubium putat, aut parum certum, quid quamque rem sequatur advertat. Etenim si esset idem cæcus et cæcitas, de uno utraque dicerentur: dicimus autem hominem cæcum; sed homo dici cæcitas non potest: claret igitur, aliud cæcum esse, aliud cæcitatem. Nec affirmatio et negatio idem est, quod sunt sub affirmatione negationeque cadentia. Affirmatio enim sive negatio, est verbum confirmans aliquid aut negans; alia vero sunt, quæ sub his inveniuntur, ut est, Socrates disserit, Socrates non disserit. Similiter tamen omnia sibi habentur opposita. Aliquoties autem mala malis opponuntur, quoties contrariorum media bona sunt, ut est indigentia et redundantia, quæ Græci ἔνδειαν καὶ ὑπερβολὴν vocant. His enim duobus malis sibi oppositis, mediocritas media reperitur. Hanc rationem Peripatetici secuti, virtutes medias esse dixerunt, ut plus justo πλεονεξίαν, minus justo μειονεξίαν dicerent: inter quæ mala, mediam justitiam locaverunt. Similiter inter versutiam et hebetudinem, prudentiam posuerunt; inter libidinem insensibilitatemque, quam Græci ἀναισθησίαν vocant, temperantia constituta est; inter timiditatem et audaciam, fortitudo. Ita occultum quoddam genus oppositorum reperit perscrutata ratio, ut interdum mala malis inveniantur esse contraria. Sed Aristoteles harum quatuor specierum, quæ ex oppositis veniunt, proprietates et differentias latius et multis modis explicavit: nos autem et genus et species posuisse sufficiat, ne minutioribus occupati, fastidium necessariis afferamus.

## CAPUT XIX. — *De priori.*

Quinque modis aliud altero prius dicitur: quorum primus est, cum dicimus aliquem tempore seniorem. Secundus modus est, in quo aliquid nascitur ex priore; sed priore pereunte secundum perit, secundo pereunte prius incolume perseverat; ut est unum naturaliter prius duobus: ex eo enim nascuntur duo, sed sine uno duo esse non possunt, sine duobus status unius manet; et duobus exstantibus esse unum necesse est, uno vero apparente duo esse nulla necessitas cogit. Tertio modo ordo quidam prius alterum alteri facit, ut in disciplinis et artibus liberalibus invenimus: namque in grammatica prius est singularum discere formas et nomina litterarum, deinc syllabarum conjunctiones cognoscere, tum verborum sumere notionem: postremus nobis est orationis usus assumendus, propter quem cuncta ejus, quasi præcurrentia membra, cognoscimus. Et in rhetorica prioris locus similiter collocatur: nam prius proœmium dicimus, deinc narrationem, post depulsionem, tum confirmationem; postremus epilogus ponitur. His igitur exemplis tertium prioris modum sufficiat demonstrasse. Quartus vero modus est non multum probabilis; et ab ipso Aristotele improbatus exponitur, ut cum fortuna meliores vel clariores, priores vulgus assolet dicere. Sed mea sententia, vis hujus prioris explosa est. Hi sunt quatuor ejus, quod prius dicitur, modi: sed occultior quidam quintus adjungitur, quoties ex duobus, quæ in se invicem convertuntur, illud est potius quod esse alterum facit: ut exempli gratia, si est homo, recte dicimus eum animal rationale, mortale, risus capax. Et si vera est hominis ista definitio, esse hominem verum est. Ita utrumque in se convertitur, hoc est et hominis veram esse definitionem, et definitionis hominem verum Sed quoniam definitio vera esse non poterat, nisi prius natura hominis appareret; idcirco ex his duobus,

quæ in semet converti diximus, homo prioris locum tenet, cujus exstantia definitionis suæ exprimit veritatem.

CAPUT XX. — *De simul.*

Sequitur ut proprietatem verbi, quo simul esse quædam dicimus, exprimamus. Ratio enim videtur exigere, ut post prioris tractatum de his disputetur, quæ simul esse firmantur. Simul ergo dicuntur tribus modis : cum quælibet simul existunt uno tempore vel apparent, ita ut neutrum de duobus vel prius sit, vel alterum consequatur, sed utriusque ortus videatur esse communis, sicut calor et splendor in sole. Secundus locus est eorum, quæ naturaliter simul sunt, nullum tamen eorum præstat alteri : ut verbi gratia, si simplum et duplum ponamus, necesse est simul esse naturaliter, sed neque duplum facit ut simplum sit, neque simplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de ad aliquid dictis tractaremus, id esse ad aliquid diximus, quod penderet ex altero, videamur nunc contra superius definita tractare. Omnia namque ad aliquid dicta, dici ex altero, non esse ex altero disputavimus : nec ullus error est, si quis verborum nostrorum pondera diligentius perscrutetur. Tertius locus est, quoties ex eodem genere manantia simul videntur esse natura, sed specie discernuntur : neque vero sibi in eo, quod dicuntur, aliquid præstant, ut est animal; idem genus est, sed species longe discreta. Nec vero aut volatile quidquam pedestri tribuit ut sit, aut volatili pedestre, aut omnino aliud alteri, in eo quod est, ullam substantiam subministrat; nullumque alteri aliud prius est, sed simul omnia ab animali, id est ab uno genere orta nascuntur.

CAPUT XXI. — *De Motu.*

Omnis immutatio quæ μεταβολὴ græce est, fit tribus modis : aut ex non subjecto in subjectum, ut est ortus vel nativitas, quam Græci γένεσιν vocant; aut ex subjecto in non subjectum, ut est interitus vel corruptio, quam φθορὰν Græci dixerunt; aut ex subjecto in subjectum, ut est motus, qui græce κίνησις dicitur. Sed et ipse motus tres species habet, id est, incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis sive loci. Hæc a Græcis αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, sive φορὰ dicta sunt. Namque commutationem circa locum, φορὰν dici voluerunt, quam nos quoque transgressionem maluimus dicere, secuti doctores. Verum hunc ordinem, quem nos in præsenti, quasi discrepantes ab eo libro, qui categoriarum dicitur, diligenti examinatione digessimus, ipse quoque Aristoteles in naturalium libris exposuit; in categoriis autem secutus docendi compendium, speciem pro genere, id est motum pro immutatione non dubitavit assumere : ut motui diceret quasi generi sex species esse subjectas, γένεσιν, φθορὰν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν ποιότητος[1], κατὰ τὸν τόπον μεταβολήν. Hæc nos latino sermone ortum diximus, interitum, augmentum, imminutionem, commutationem qualitatis, transgressionem loci. Hæ sex species omni a se ratione discretæ sunt : nisi forte cuiquam parum docte intelligenti, qualitatis commutatio, id est ἀλλοίωσις, etiam cæteris existentibus fieri videatur, ut cum nascitur aliquid, aut interit, aut crescit, aut minuitur, tunc facta dicatur etiam commutatio. Sed id falsum ratio docet : nam quæ crescunt aut minuuntur, quantitate immutantur, non commutantur qualitate. Commutatio enim proprie est qualitatis. Meminisse autem nos oportet aliud esse immutationem, aliud commutationem. Namque immutatio genus est, commutatio species subjecta motui, quam immutationis speciem diximus. Denique ut horum sit manifesta discretio, geometricum ponamus exemplum. Si tetragonum majus, quod intra depictum est currentibus per medium lineis in brevia tetragona partiaris, eique post unum breve tetragonum detrahas; minuisti tetragonum majus : at si detracti loco addas gnomonem, qui hemicycli specie ponitur, plus tetragono majori, quam detraxeras, reddidisti : idque quantitatis est, non qualitatis, et immutationi potius quam commutationi tribuitur, eoque a se plurimum differunt. Fit autem differentia rerum omnium tribus modis : aut materia, aut opere, aut utroque. Materia, si sint annuli similes duo, unusque sit aureus, alter argenteus; opere, si ex auro dissimiles annuli fabricentur; utroque, si annulus sit aureus, et stilus argenteus. Claret igitur has immutationis species, nec materia sibi, nec opere, nec utroque conjungi : adeo autem sejunctæ sunt, ut earum nonnullæ etiam sibi contrariæ videantur. Quis enim dubitet γενέσει φθορὰν, id est ortui interitum esse contrarium, augmento imminutionem? Ipsa quoque commutatio sive qualitatis sive loci, licet non ex eodem specierum numero, tamen habent quod sibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis est, cum ex albo fit aliquid nigrum vel album de nigro, quæ sibi manifeste contraria sunt. Loci quoque commutatio, quam transgressionem diximus, superiorum et inferiorum contrarietatem patitur, et propterea eam quoque habere contraria apparet.

CAPUT XXII. — *Conclusio operis.*

Hæc sunt, fili charissime, quæ jugi labore assecuti, cum nobis Themistii nostra memoria egregii philosophi magisterium non deesset, ad utilitatem tuam de græco in latinum convertimus; scilicet ut ex iis quoque bonam frugem studii a nobis profecti suscipias, si te non dissimilem nostri, aliarum rerum quæ lubricæ atque inanes sunt, cupiditas retentaverit. Nihil namque omisimus in hoc libro quod posset aut delectare jam doctos, aut indoctos manifestius erudire.

[1] Vocem *Poiotêtos* non fert Aristoteles. M.

# PRINCIPIA RHETORICES [a].

CAPUT PRIMUM. — *Oratoris officium.*

Oratoris officium est, proposita quæstione civili duntaxat, primum ipsam intelligere, generalis sit an specialis, simplex an conjuncta ex pluribus, absoluta an comparativa. Deinde cum intellexerit, invenire in ea congruentes partitioni locos, et his morales seu naturales accommodare sententias. Exinde judicare de inventis, repudiare quæ parum commode occurrerint : tum iis quæ judicio examinarit, dare ordinem certum. Etenim quamvis multa pertinentia inventa sint, tamen nisi pro qualitate et magnitudine sua, certis et quasi legitimis sedibus collocentur, aut obcrunt, aut non magnopere proficient. Subinde ordinationi rhetor explicationem rerum commodare debebit. Quæ duabus partibus constat, structuræ qualitate et quantitate verborum. Hæc omnia memoria suscipit, quam et plerique Græcorum, et M. Tullius in primis oratori affirmat necessariam, hoc, ut opinor, modo : « Venio nunc ad thesaurum rerum omnium memo-« riam; quæ nisi custos inventis, ordinatisque rebus « adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclaris-« sima sint, in oratore peritura. » Memoriam pronuntiatio sequetur, res, ut Demostheni videtur, inter oratoria officia vel prima vel sola : quæ consistit duobus, motu corporis et sono vocis. Hæc tantum summatim tetigisse satis est, quæ sunt oratoris officia. Reliquum est videre quid sit finis.

CAPUT II. — *Quis sit finis oratoris.*

Finis est, ut opinor, in omnibus rebus, ad quem

(a) Opusculi hujus exemplar ullum Ms. non reperimus. Auctor græca vocabula citra necessitatem usurpat, contra morem Augustini.

cuncta referuntur, cujus causa fiunt reliqua omnia : a Græcis τέλος dicitur. Quod etiam in philosophorum pene omnibus disputationibus quæritur, quis sit finis bene vivendi ; virtus, an voluptas ? Finem igitur proprium oratoris officii alius alium probaverunt. Quibusdam enim visum est, summam oratoris officii in bene dicendo esse, quibusdam in recte dicendo, quibusdam in persuadendo consistere. Quinetiam illi qui bene aut vere dicere finem oratoris officii putaverunt, non abnuunt tamen horum ipsorum finem esse, persuadere : ut sit finis oratoris officii, bene dicere ; finis bene dicendi, persuadere. Ergo quasi consensu omnium finis est oratoris officii, persuadere. Hoc quia in calumniam videbatur posse recedere (non enim semper persuadet orator ; nec si aliquando persuadere non possit, facultatem et nomen oratoris amittit), addidit Hermagoras, quo calumniam effugeret, finem esse oratoris officii, persuadere, quatenus conditio rerum personarumque patitur. Alia subinde ex eodem verbo persuadendi calumnia nascitur, inventa sane a Platone, tractata multum in Gorgia ; sed post ac multo impudentius a quibusdam technicis obtrectantibus Hermagoræ frequentata [1]. Negant quippe proprium esse finem oratoris officii persuadere, sed communem pene cum universis : nam et mathematicos de iis, quæ in notitiam ipsorum ceciderunt, persuadere ; et medicos de iis, quæ in arte ipsorum contineantur, persuadere ; opifices etiam et tabernarios, fabros, et si qui hujusmodi sunt, posse de eo, quod agant, cuivis probabiliter persuadere, quasi ratione faciant : ergo non esse integrum finem, qui solam communitatem habeat, careat proprietate : esse actum persuadendi communem cum multis, et idcirco non esse persuadere proprium finem oratoris officii. Huic quoque calumniæ Hermagoras percommode obsistit. Dicit enim esse oratoris officium, persuadere, quatenus rerum et personarum conditio patitur, duntaxat in civilibus quæstionibus : nam medicorum et philosophorum et cæteræ hujusmodi quæstiones extra regulam civilem, quam πολιτικὴν Græci vocant, collocantur.

CAPUT III. — *De civilibus quæstionibus, et differentia generalium et specialium.*

Sunt autem civiles quæstiones, quarum perspectio in communem animi conceptionem potest cadere, quam Græci ἔννοιαν vocant. Verum ut facilius intelligas, quæ sit hæc ipsa conditio quam demonstratam esse volumus, omnia quæcunque hujusmodi sunt, ut ea nescire pudoris sit, et quæ vel ignorantes, quasi scianus tamen cum simulatione præ nobis ferimus, quotiescumque in dubitationem vocantur, efficiunt civilem quæstionem. Quod dico hujusmodi est, si de pondere alicujus rei quæratur, si non videaris scire quot librarum sit, non est erubescendum ; si de longitudine non videris scire quot pedum sit, non est erubescendum ; si de cæteris hujusmodi rebus quas persequi longum est : et ideo quotiescumque in dubitationem venerint, licet faciant quæstionem, tamen civilem facere non possunt. At ubi quæritur, sitne aliquid justum an injustum, honestum an inhonestum, laudandum an reprehendendum, præmio afficiendum an supplicio, utile an inutile, et si qua hujusmodi sunt ; nemo non etiam extra omnem artem et scientiam collocatus erubescat, si hæc nescire videatur. Inde est quod omnes persuasum habeant, aut certe aliis persuadere non dubitent, posse se concipere animo discrimen justi et injusti, honesti et inhonesti, cæterorumque quæ supra diximus ; et idcirco quæ dubitationes in hujusmodi rebus oriuntur, civiles vocantur quæstiones, quasi non propriæ paucorum, sed communes universorum. Quæ cum ita sint, meritoque communi conceptione animi perspici possint, quæstiones quæ διὰ τῆς ἐννοίας deprehendi possunt, civiles vocantur et sunt, in quibus versari et perstare debebit orator. Duo sunt primi et quasi generales civilium modi quæstionum, quorum alter θέσις, alter ὑπόθεσις vocatur a Græcis. Nos priori nomen nisi græcum dare non possumus, ne posteriori quidem, quam quod videamur dedisse : dedimus quippe ; controversiam dicimus (*a*), quod nomen tam in τὴν θέσιν, quam in τὴν ὑπόθεσιν potest cadere : in utroque enim quæstio, hoc est controversia est. Porro τῆς ὑποθέσεως significatio, et declaratur ex ipso composito nomine, et est aliquid quod est ὑπὸ τὴν θέσιν, id est sub illo genere quasi species. Thesis est res quæ admittit rationalem considerationem, sine definitione personæ. Hypothesis est seu controversia, ut improprio nomine utamur, res quæ admittat rationalem contentionem cum definitione personæ. Melius autem declarabuntur sub exemplo : thesis est quæstio hujusmodi, an navigandum, an philosophandum ; hypothesis est quæstio hujusmodi, an decernendum duelli prælium. Nec desunt qui hinc etiam Hermagoram criminentur ; et Apollodorus in primis, qui negat quidquam aliud esse hypothesin, quam thesin, et nullius momenti esse discrimen personarum, quanquam utrumque hoc genus quæstionis Hermagoras distinxisse videatur : non minus enim infinitam et interminatam esse hypotheseos quam theseos quæstionem. Nam cum quæratur, sit necne animadvertendum in Orestem, non personam esse, quæ faciat quæstionem, sed factum ; et nihil interesse an ita quæratur, sit necne animadvertendum in matricidam : quod si ita est, nihil inter hypothesin, thesinque distaret. Ad hæc nostri, primo omnium qualitatem personarum quæstionibus differentiam afferre, ipsisque etiam hypothesibus, id est controversiis sæpe evenire, ut punita et impunita, honorata et inhonorata, quædam relinquenda videantur, non tam ex rerum qualitate, quam qualitate personæ. Deinde etiam illo distare hæc duo genera quæstionum, quod in thesi perspectio sit alicujus rei qualis sit, in hypothesi contentio ; et quantum interest inter perspectionem et contentionem, tantum inter thesin et hypothesin esse discriminis. Deinde in thesi quæri, quid omnes oporteat facere ; in hypothesi, quid unum aut alterum aut paulo plures, certe definitum hominum modum. Et etiam illa differentia accidit, quod in thesi, quasi ignorantes quærimus quid sit optimum factu ; in hypothesi, quasi scientes defendimus. Tum quod omnis thesis de futuro est ; hypothesis raro, quin imo nunquam nisi de præterito, aut eo quod jam agatur, facit quæstionem : nemo enim neque reus fieri potest, nisi fecerit aut fecisse dicatur, neque præmium aut aliquid hujusmodi petere, nisi jam meritus sit, aut meritum esse se contendat. Huic loco opponunt tyrannidis et proditionis reos, et veneficii imperati, et si qua in eumdem modum excogitari possunt : in quo studio criminandi falluntur. Nam et in eo quod proditionis reus est, non de futura re quæritur, id est de ipsa proditione, sed de eo an susceperit consilium proditionis, quod utique præcessit ; et de tyrannide æque, an cogitarit tyrannidem ; et de parricidio, num perpetrato ; et de veneficio. Ergo semper aut de præterito, aut de præsenti in hypothesi nascitur quæstio ; in thesi contra nunquam nisi de futuro : quæ si ita sunt, satis utriusque declarata est diversitas.

CAPUT IV. — *Quæ sint circumstantiæ controversiam facientes.*

Nunc quoniam quidem de differentia generalium, et specialium quæstionum satis dictum est, separataque thesi ab hypothesi, ut perinde distaret re ac nomine ; consequens esse videtur dicere, quid sit quod hypothesin, id est controversiam efficiat. Est igitur circumstantia rerum quam περίστασιν Hermagoras vocat, sine qua ulla omnino controversia non potest esse. Quid sit autem περίστασις, facilius partitione quam definitione ejus deprehendi potest. Sunt igitur partes circumstantiæ, id est περιστάσεως, septem, quas Hermagoras μόρια περιστάσεως vocat, Theodorus στοιχεῖα πραγμάτων, id est elementa : quod ex eorum conjunctione

[1] Addunt Benedictini verbum, *sunt*, quod nullibi in Edd. reperimus. M.

(*a*) Cicero thesin propositum aut consultationem vocat ; hypothesin causam aut controversiam.

quæstiones fiant, perinde atque ex conjunctione litterarum, nomina et verba fieri videmus. Sed sive στοιχ ῖα sive μόρια rectius dicantur, nos omissa controversia nominis, quæ sint ipsa dicamus. Sunt igitur hæc, quis, quid, quando, ubi, cur, quemadmodum, quibus adminiculis : quas Græci περιστάσεως ἀφορμὰς vocant. Horum autem omnium, aut rationalis plurimorum congregatio conflat quæstionem, aut legalis. Sed nimirum singulorum proprietas exprimenda est. Quis, significantiam habet personæ, quæ spectatur duobus modis, ex nomine et qualitate. Ex nomine, hoc modo : Quis? Camillus, C. Marius, L. Sulla. Ex qualitate : Quis? dives, pauper, imperator. Est autem definita in nominibus, infinita in qualitatibus personarum perspectio, quando in appellationem nihil præter nomen cadit; in qualitatem et fortuna, et ætas, et conditio, et disciplina, et cætera quæ sunt infinita numero. Quid, significantiam habet rei, quæ facta ab aliquo, vel dicta, vel cogitata, fieri, dici, cogitari, futurum esse, dictum, cogitatum iri videatur, bona vel mala, honesta vel inhonesta, justa vel injusta, utilis vel contra, necessaria vel parva, magna vel parum usitata vel nova. Quando, temporis significationem habet; velut interdiu ac noctu, sacro an in irreligioso die : etiam ex accidentibus, quæ interdum dant tempori suam qualitatem, velut in belli an pacis tempore, in seditione an in concordia, in libertate an in dominatione; et si qua in eumdem modum cadere possunt. Ubi, loci significationem habet; veluti in civitate an extra, in sacro loco an in profano, in mari an in terra. Cur, significat causam faciendi, vel dicendi, vel cogitandi, res (ut mea fert opinio) ad constituendam quæstionem in primis necessaria. Quemadmodum significationem habet ex facti, vel quod fiat, futurumve sit demonstratione; veluti clam, palam, per vim, per dolum; et si qua sunt similia, in eumdem modum cadunt. Ἀφορμαὶ, quas nos adminicula dicimus, demonstrationem habent earum rerum per quas factum esse aliquid dicatur; ut est laqueus, gladius, venenum, litteræ, internuntius, mandata, servus, conscius, sicarius. Horum articulorum, ut supra dixi, aut omnium aut plurimorum rationales incursus facient civilem quæstionem.

CAPUT V. — *Quæstiones rationales fiunt quatuor modis.*

Rationales quæstiones quas Hermagoras λογικὰς vocat : melius enim puto sic eas cognominari quam verbales; quia λογικαὶ non ex verbi, sed rationis significatione appellatæ sunt a technicis, cum alioquin λόγος interdum verbum significet, interdum rationem : igitur rationales, sive λογικαὶ quæstiones fiunt modis quatuor. Hoc enim in illis quæritur, an sit, quid sit, quale sit, an induci in judicium debeat. Ubi quæritur an sit, genus id quæstionis Hermagoras στοχασμὸν vocat : nos conjecturam possumus dicere. Item Theodorus περὶ τῆς οὐσίας, id est de substantia. Nihil enim factum videri potest, quod non habuerit substantiam, neque futurum, quod non habiturum sit substantiam. Quidam hoc genus quæstionis ex eo, quod per id quæritur, an sit vocaverunt. Altera rationalis est quæstio, quam Hermagoras finem vocat; Theodorus περὶ τῆς ἰδιότητος, id est de proprietate; quidam, quid sit; nonnulli, de eodem et altero, περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου. Tertiam rationalem quæstionem uno nomine omnes qualitatem vocant. De quarta, magna contentio est, quam supra de inducendo judicio diximus. Plerique enim negant esse eam, quando id agant, ne res possit venire in quæstionibus. Sed inter omnes Hermagoræ præcellit auctoritas, qui et quæstionem putat, et in primis necessariam, et agitari in foro multum, et adhibendam etiam in cæteris statutis primo statim congressu, si causæ conditio patiatur. Nihil enim statuto tam interesse eorum quibus judicium intenditur, quam declinare judicium. Porro ipsam declinationem judicii habere nonnullam judicii speciem. Nam si ita res ageretur, ut quoties nollet aliquis causam judicii, esset hoc in ipsius potestate; nulla erat quæstio. Nunc autem cum semper existant, qui impediant, ipsa illa contentio, qua alter in judicium vocat, alter recusat judicium, facit quæstionem, quod controversiæ genus Hermagoras ἀσύστατον appellat, nostrorum pauci reprehensionem, plerique translationem vocaverunt, utrique sane rationem secuti. Qui reprehensionem dixerunt, eo scilicet, quod cum maxime inducatur in judicium, causa reprehenditur, et quasi retrahitur : qui translationem, quod reus non omnino excludat actionem, sed in præsentem conditionem actionis excuset, in aliud genus judicii transferat, vel habitum jam, vel futurum.

CAPUT VI. — *De quatuor quæstionibus legalibus.*

Sunt item aliæ quæstiones quatuor, quas inventores νομικὰς, nos legales appellamus. Νομικὰ sunt scriptum et voluntas, quod illi ῥητὸν καὶ διάνοιαν appellant; ἀντινομία, quam nos contentionem legum contrariarum vocamus; ambiguitas, quam illi ἀμφιβολίαν; collectio, quam illi συλλογὴν vocant. Verum hæc paulo post diligentius tractabimus, ita ut significantia cujusque evidentius exprimatur, et species generibus addatur. Interim mihi videtur esse dicendum, quibus omnis quæstio articulis, et qualibus nodis subinde adstricta, ad perfectam speciem sui veniat.

CAPUT VII. — *Quibus quæstio articulis nectatur.*

Est aliquod dictum quod Græci φάσιν nominant : id scinditur in duas partes, et est ejus alterum ἀπόφασις, et alterum κατάφασις, intentionem verbo factam possumus dicere, id est verbum quo crimen intenditur; veluti, Pulsasti, prodidisti, occidisti. Quod autem illi ἀπόφασιν, nos abnuentiam criminis ejus, quod verbum accusator intenderit; veluti, Non pulsavi, non prodidi, non occidi. Ex his duobus dicto et responso, vel intento et negato, media nascitur quæstio, hoc modo : Intentio est, Occidisti; negatio, Non occidi; quæstio, an occiderit. Sed ut jam a conjecturali modo recedamus : intentio est, Injuria occidisti; negatio, Non injuria occidi; quæstio, an injuria occiderit. Vel in aliquo legali statu : intentio est, Non licebat tibi hoc facere per legem; negatio est, Licebat mihi facere per legem; quæstio est, Licueritne hoc facere per legem. Hanc quidam, ut nos usque adhuc diximus, quæstionem vocaverunt, quidam statum nominaverunt, ab eo videlicet quod in ea, et exordium quæstionis, et summa consisteret. Primo enim quasi eminus, cum hinc dicatur factum esse, inde non esse factum; nulla pugna est, sed quasi futuræ pugnæ meditatio. Deinde cum propius accessum est, et quasi ad manus ventum; altercationi et contentioni mutuæ media quæstio intervenit, sit necne factum : in ea uterque consistit, omisso quod ante dicebat. Unde ei quæstioni status nomen impositum est. Hoc idem Theodorus κεφάλαιον appellat, translatione usus, videlicet a principali parte corporis : quod in hoc etiam complexu duorum, quæ utrinque dicta sunt, quasi caput quoddam totius controversiæ efficitur. Consequens huic locus est, aut perinde, aut magis etiam necessarius, quo demonstratur quid causa, quid continens, quid de quo contenditur. Causam Hermagoras αἴτιον vocat; συνέχον continens; de quo contenditur τὸ κρινόμενον. Est ergo causa, quæ nisi præcesserit, controversia fieri non potest. Quod dico tale est : Abdicatur a patre filius : controversia idcirco non est, quia nulla, cur abdicaretur a patre, causa præcessit. Denique addamus causam, et statim controversia effecta est. Juravit se non ducturum uxorem, et abdicatur. Quod juravit, αἴτιον factum est, id est causa cur abdicationem mereretur. Συνέχον vel continens est, quod ad refutandum αἴτιον, id est ad refellendam causam videtur afferri, ut est in hac materia : Militem qui juraverat se deserturum, imperator occidit, et reus sit cædis : hic enim αἴτιον, id est causa judicii est, quod occidit; neque enim fieret reus, nisi occidisset : συνέχον, id est continens, est id propter quod occidisse dixit, jusjurandum scilicet militis, quod se deserturum juraverat. Hoc interdum συνέχον Hermagoras, id est continens appellat, ab eo quod omnis rei defensio ab eo contineatur, interdum αἴτιον αἰτίου vocat, quasi causam causæ : nam quemadmodum reatus causa est, quod militem occidit; ita

occidendi causa, quod miles deserturum se esse juravit. Nunc quoniam scimus quid sit causa, quid continens, videamus etiam quid sit de quo contenditur, id est quid sit τὸ κρινόμενον. Est autem nihil aliud quam exploratio continentis, τοῦ συνέχοντος. Quod dico tale est (etenim in eadem controversia perseverandum puto, quo sint lucidiora quæ tradimus) : αἴτιον est quod occidit militem imperator; συνέχον est, quo reus nititur, id est ratio propter quam se occidisse dicit; est autem quod miles juravit se deserturum : κρινόμενον est, examinatio hujus ipsius, quod ad defensionem reus attulit. In quo ita quæritur, num alia causa imperatori fuerit, cur occiderit militem : et hoc prætexitur, ut videatur, non quia juraverit, occisus, sed quaque vel simultatis vel invidiæ causa. Poterit etiam hoc modo articulus iste tractari, an etiamsi juraverit, parum tamen hæc justa causa fuerit, cur debuerit occidi : et tota perfectio totius συνέχοντος, quod ad αἴτιον affertur, κρινόμενον vocatur. Evenit tamen nonnunquam, ut in una controversia non simul αἴτιον et συνέχον et κρινόμενον, sed sæpius ipsa omnia per vices revoluta tractentur; ut in hac controversia : Reus est Ulysses lege reipublicæ, quod procos occiderit. Hic enim αἴτιον est, quod occiderit; συνέχον, quod eos qui bona sua depopulabantur, et pudicitiæ uxoris insidiabantur, occidit; κρινόμενον est, numquid tametsi hæc res præcesserit, alia tamen causa, quam prætexit, occiderit? vel, numquid ne pessime quidem de se meritos, indemnatos debuerit occidere? Deinde ad hoc κρινόμενον, aliud συνέχον affert Ulysses, quo dicat se jussu Minervæ intercmisse. Deinde ad hoc ipsum συνέχον fit κρινόμενον, quo quæritur utrumnam propter jussum Minervæ occiderit, et in tali re ne Minervæ quidem obtemperare debuerit. Est autem αἴτιον proprius accusatoris locus, συνέχον defensoris, κρινόμενον utriusque commune.

CAPUT VIII. — *Modi controversiarum.*

Subinde dicendum puto, quemadmodum et quot modis controversia ἀσύστατος fiat. Tametsi ne dici quidem controversias oportet, quæ statum non habent, sed πλέγματα irrationabilia, id est ἄλογα. Fiunt autem ἀσύστατα modis quatuor : unum cum aliquid deest ex circumstantia : quæ autem vis sit circumstantiæ, ut supra diximus; id est cum quæstionibus, aut causa, aut persona, aut locus, aut aliquid eorum deest, quibus effici circumstantiam diximus. Hoc autem genus asystati in scholasticam materiam non potest cadere, idcirco quia esse non poterit ullum thema deficiente circumstantia. In veritate tamen nonnunquam evenit, ut aliquid horum desit, et per imprudentiam actoris profligata causa veniatur ad judicem. Alter est modus asystati, quem κατ' ἰσότητα appellant. Nos tamen si nomen latinum dare non possumus, tamen vim intelligere debemus : nam cum eadem utrinque dicuntur, et nulla re, ne parva quidem, discernuntur, tamen hujusmodi πλέγμα, propter æqualitatem utriusque partis, statum implicat. Ut vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, noctu alter alterum obvium habuerunt, accusant invicem adulterii : nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Veri simile est te adulterium voluisse committere, quia adolescens es. Te quoque veri simile est voluisse, quia adolescens es. Veri simile est, quia speciosam uxorem habeo. Te quoque veri simile est, quia et ego speciosam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit. Et tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidisti? Nihil est quod distinguatur; et idcirco uter eorum sive accusat alterum, se criminatur; sive se purgat, defendit eum quem criminari videtur. Tertium est asystati genus, quod Græci κατ' ἑτερομερίαν appellant, id est secundum alteram partem, cum reo nulla defensio est, et aut color in facto non invenitur, aut parum probabilis color invenitur. Unde etiam Democrates præceptor meus solitus erat dicere, eas etiam controversias, in quibus color diu quæritur, statum non habere. Verum ille constantius; nos, si afferatur aliquid ad defensionem vel mediocriter probabile, admittimus. Sed si evidenter confessa causa est, ut oportet secundum heteromeriam explodemus. Nonnunquam incidunt quæstiones, maxime in veritate, quæ summam accusatori, nullam reo largiuntur facultatem : verum eas non controversias, sed communes locos dicimus : quippe est in his non probatio criminis, sed ut in expressum atque evidens facinus expressio. Quartus est modus asystati vel caliginosissimus, adeo ut nonnunquam doctis etiam hominibus soleat obrepere. Habet enim nonnullam speciem probabilis consistentisque materiæ. Ea est hujusmodi, in qua judex ferendæ sententiæ rationem explorare non potest : hoc Græci ἄπορον vocant. Sed subjiciamus exemplum : Petebat ab alio usuram quasi pecuniæ creditæ : ille accepisse se pecuniam confitebatur, sed depositam; et idcirco velle se restituere sortem sine usura. Pendente interea judicio, lex de novis tabulis lata est : repetit ille quasi depositam, ille retinet quasi creditam. Non enim video quid sit hic, quod in sententia ferenda judex sequi possit, cum petitor idem interdum credidisse, interdum deposuisse se dicat; et ille alter interdum depositam accepisse, interdum creditam : et neuter sua priore, sed uterque alter alterius prætcrita sententia utatur.

CAPUT IX. — *De figuris controversiarum.*

Pertinere etiam nonnihil ad rem videtur scire figuras controversiarum, quibus invicem differant, quo magis in evidenti sit, quemadmodum quamque tractemus. Sunt igitur themata, id est figuræ controversiarum, quatuor : εὔδοξον, quod nos opinionis bonæ possumus dicere; ἀμφίδοξον, quod nos opinionis ex utroque, bono ac malo, confusæ possumus dicere : παράδοξον, quod nos opinionis malæ possumus dicere; tametsi quidam parum diligenter græce loquentes, paradoxon pro his quæ sunt bonæ opinionis, accipiunt. Unde vulgo etiam Olympionicas et cæteros victores sacrorum certaminum, paradoxos vocant, magis consuetudine quam ratione ducti : nam, ut opinor, παράδοξον est, quod est παρὰ τὴν δόξαν, id est contra opinionem bonam. Denique licet alias vulgares significationes probare malimus hujus nominis, tamen hoc loco, ut multa nova tam a technicis et mathematicis, quam a philosophis cognominantur, accipere debemus non tam pro solito usu consuetudinis, quam pro conditione præcepti. Quarta est species controversiæ, quæ græce ἄδοξος dicitur, quam nos non ut vulgo malæ opinionis, sed nullius opinionis dicimus, id est humilem et sordidam. Sed evidenter hæc propositis exemplis liquebunt. Εὔδοξος controversia hujusmodi est, in qua tam persona quam res est honesta; velut Scipio victis Pœnis petit in præmium ut spectet ludos laurea coronatus : et persona honesta est Scipionis, et quod petitur non improbum. Ἀμφίδοξος est, in qua vel honestatem personæ turpitudo rei maculat; velut si idem Scipio petat præmii nomine mortem Tiberii Asellii : nam petitoris persona honesta est; quod autem petitur inhonestum. Vel contra, si abdicatus fortiter fecerit, et petat præmii nomine reditum in domum patris : persona quæ petit, inhonesta abdicati; res quam petit, honesta ut in domum patris redeat. Παράδοξον est controversiæ genus, ut supra definiebam, in quo utraque sunt inhonesta, tam res quam persona, velut impudicitiæ reus fortiter fecit, petit præmii nomine accusatoris sui mortem : nam et persona petentis inhonesta est, siquidem fuit reus impudicitiæ, tametsi aliquid turpitudini derogaverit, quod fortiter fecit; et res quam petit, improba. Ἄδοξον, est controversiæ genus sine opinione utraque, humile et sordidum. Pauper vestimenta vendebat; exstitit alius pauper, qui vindicaret ea, et furto ablata sibi esse diceret : ille venditor ait, se ab adultero deprehenso illa vestimenta detraxisse : invicem accusant, ille adulterii, hic furti. Hic enim et personæ humiles pauperum, et res quæ videntur fecisse quæstionem, abjectæ, vestimentorum vindicatio et agnitio : et quanquam intervenerit crimen adulterii non abjectum, tamen quia plura sunt ante περίστασιν humilia

ot sordida, totius controversiæ speciem sibi vindicant.

CAPUT X. — *Quid utilitatis præ se ferat figurarum ejusmodi agnitio.*

Dignoscere autem has controversiarum figuras, cum ad multa alia convenit, tum vel in primis ad id, ut modum præfandi, id est principia edendi, congruentem qualitati materiam invenire possimus : non enim eadem species debet esse principii in themate εὐδόξῳ et ἀμφιδόξῳ et παραδόξῳ, sed sua cuique forma tribuenda. Jam primum in εὐδόξῳ genere materiæ Hermagoras negat esse præfandum : nam si benevolentiæ, inquit, conciliandæ gratia præfari solemus in bonæ opinionis themate, quale illud est Scipionis; benigni sunt hi, apud quos locuturi sumus : nihil autem attinet parare, quod paratum est. Sed mihi longe aliter videtur, et pace tanti viri dixerim : neque enim est semper spectanda auctoritas, utique cum ratione vincatur. Censeo igitur nihil prohibere in εὐδόξῳ genere materiæ, quominus præfemur. Nihil enim, opinor, mali est, benignos judices benigniores reddere præfando, ut cum offensos adversariis videmus, offensionem illam dicendo augere conamur. Denique aulœdos et citharœdos et cæteros hujusmodi artifices, quanquam non polliceantur orationem, videmus tamen præloqui ante actionem. Et omnino curta et sine capite oratio est, quæ sine principio ab ipsis rebus orditur. Utemur etiam principiis in bonæ opinionis controversiis; sed brevioribus et rectioribus paulo, et confidentibus et plenis dignitatibus, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam : ut est illud apud M. Tullium contra concionem Metelli, in qua exsultare videtur : *Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente.* Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius actoris esset honesta persona, et res de qua locuturus erat, non improba. Itemque alio loco, cum de conjuratorum animadversione loqueretur : *Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos* : et deinceps. Quæ omnia hujusmodi sunt, ut actor et splendori suo et rebus his de quibus locuturus est, quasi honestissimis videatur merito confidere. Pleraque hujusmodi exordia apud Q. Gracchum, quanto nobilioris fuit spiritus, quæ dicentem profecto Merucium, aut aliquem ex Cannensi caterva nemo ferret. In ἀμφιδόξῳ genere materiæ moderatione quadam utendum erit, cum principiamus, ut et turpitudinem quæ subest (*a*), et dignitatem quæ est in re aut persona vel illustrando augeamus, vel ita varie utrumque misceamus, ut alterius partis turpitudinem alterius honestas tegat. Neque tamen cum tanta jactatione, quanta in illo superiori genere materiæ, sed quasi cum quadam confidenti verecundia. Si in re turpitudo erit, quantum fieri poterit, avocabimus judicem ad personæ dignitatem. Si in persona, ad rei dignitatem quasi de periculoso in tutiorem locum refugiemus, sed summatim leviterque cedentes, ut despicere potius suspicionem metus, quam timere videamur. Laborabimus autem in eo, ut confusa utraque dignitate rei et personæ, plus fiduciæ in honestate, quam metus in turpitudine habere videamur. Sed ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum quod habuit M. Tullius, cum pro M. Scauro loqueretur. Erat enim controversia ἀμφίδοξος; quippe qui niteretur dignitate personæ M. Scauri, premeretur turpitudine criminis de pecuniis repetundis. Utrumque in principio statim ita confudit orator, ut et turpitudinem criminis dignitate personæ contegeret; neque tamen largiter nimium, neque exsultanter, sed ita ut expromat nonnullam etiam metus suspicionem. *Maxime fuit optandum M. Scauro, judices, ut nullo suscepto cujusdam odio, sine offensione ac molestia*, et cætera. In παραδόξῳ, id est in malæ opinionis themate, ubi et persona et dignitas pariter laborabit, longioribus principiis utendum erit, et purgandis suspicionibus opera tribuenda, et demisse loquendum, cum sententiis, tum verbis etiam propius blanditiam sitis, et querimonia quasi falsi illati criminis, et falsæ infamiæ compositæ adversum nos per invidiam, etiam submissiore toto corpore conformato ad verecundiam, submisso vultu, oculis terram intuentibus; neque illa acriter, sed, si possumus, etiam timore simulato. In ἀδόξῳ, id est in humili genere materiæ, proxima sermoni debent esse principia; neque sententiis alte petitis, neque verbis ultra modum ornatis, neque structura graviore, sed quasi resoluta et simplici. Vis autem omnium sententiarum, quam his principiis adhibemus ea esse debebit, ut rem a proprietate revocet ad communitatem, et dicat omnium interesse illam rem vindicari : propterea quod quanto quæque minora sunt, tanto crebrius et magis inter multos cadere possint. Nec tam oportere spectari magnitudinem rerum et personarum, quam rationem æqui et iniqui, veri et falsi : eamdem enim esse horum in minimis vim, quam in maximis. Talia principia sunt pleraque apud Demosthenem in iis libris qui inscribuntur Idiotici, et magis apud Lysiam, et apud quosdam ex nostris veteribus. Certe Marcus Tullius cum pro Archia diceret, non aliter exorsus est.

(*a*) *Obtegendo minuamus.* Tale quiddam videtur deesse.

# ADMONITIO

## DE SEQUENTI OPUSCULO

Hoc opusculum una omnium eruditorum sententia abjudicatur Augustino. Apud Lucam Holstenium in codice Regularum, parte secunda, *Consensoria Monachorum* inscribitur, aptiore titulo. Attamen receptam dudum in hac Appendice inscriptionem mutare visum non est, præsertim destitutis veterum librorum auctoritate : quippe nullum hujus opusculi Ms. exemplar reperimus.

# REGULÆ CLERICIS

## TRADITÆ FRAGMENTUM.

Communi definitione decrevimus apud nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi. Residentibus nobis in monasterio, in nomine Domini nostri Jesu Christi, omnibus placuit secundum apostolicam traditionem, unum sentire in Domino et communiter possidere. Sicut scriptum est : *Unum sentite in Domino* (*Sap.* I, 1). Et nemo quidem proprium sibi vindicet quidquam, sed fiat sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, *Habentes omnia communia*, nemo quidquam esse suum dicebat (*Act.* II, 44, *et* IV, 32). Quod a nobis scriptum est. In Domino ergo jure observationis nos teneamus, et in eo usque in finem permaneamus : quoniam in lege scriptum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui in unum esse videntur, non ignoret Evangelii dictum, quod dixit : *Vendat omnia sua, et eroget egenis et pauperibus* (*Id.* XIX, 21). Et iterum : *Abneget semetipsum, sibi tollat et crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23). Et ne tractet in corde suo de victu aut vestitu, et cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Evangelio et

dicente : *Nolite cogitare dicentes, quid edetis, aut quid vestiemini : hoc enim Gentes cogitant. Scit Pater vester quia horum omnium indigetis : quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus ; et hæc omnia apponentur vobis.* (*Matth.* VI, 31-33). Verumtamen antequam statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum atque exemplum, et ipse probetur in omni conversatione ab illo qui Prior est, et cæteris consentientibus, propter illud quod Scriptura docet et admonet, dicens : *Amicum noli cito comprobare.* Sed si contigerit ut aliquis ex qualibet causa necessitatis a monasterio fuerit abstractus, ne vel mente concipiat secum aliquid ferre de iis omnibus quæ in monasterio fuerunt, sive etiam quæ secum aliquando attulerat, sive ea quæ cum fratribus acquisierat : quia certum est, fratres nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum, aliquid offerre voluerit ; primo quidem Priori insinuetur, et sic suscipiatur, si ipse mandaverit : de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit, vel permiserit ; quoniam valde verendum est, ne sibi eveniat quod scriptum est : *Vir mutabilis in lingua incidit in mala* (*Prov.* XIII, 3). Et iterum, ut nullum omnino de fratribus secum provocet, ne magis destructor quam ædificator monasterii videatur : propter id quod scriptum est : *Qui non est mecum, contra me est ; et qui mecum non congregat, dispergit* (*Matth.* XII, 30). Et quicumque provocatus ab aliquo, de monasterio voluerit abscedere, aut redarguat provocantem, aut ante indicet Præposito [1], cui utique de iis, quæ in communi decrevimus nihil esse censeo subtrahendum, quia scriptum est : *Pacifici sint tibi multi, sed unus ex mille sit tibi consiliarius* (*Eccli.* VI, 6). Igitur hæc quæ scripta sunt, cum summa diligentia observanda sunt a Præposito usque ad omnes fratres. Et si quis ab aliquo doctrinam audierit, præter quam in monasterio consecutus est ab eo cui se credidit ; hanc autem suscipiat, et eam non subtrahat doctori : quia scriptum est : *Omne quod manifestatur, lux est* (*Ephes.* V, 13). Si enim bona fuerit, collaudanda est ; si vero prava, reprobanda. De iis autem fratribus qui in unitate consistunt, si quis subito adversus Præpositum altercatus fuerit ; non solum semel, sed secundo et tertio, ut Evangelium docet, licet exorare (*Matth.* XVIII, 15-17). Si autem noluerit se emendare, ille cui injuriam irrogatus est, post primam vel secundam correctionem, qui non revocaverit contumacem, denuntiet et illud Præposito, ne per taciturnitatem, et ille, et frater suus periclitentur, sicut Salomon ait, *Qui occultat inimicitiam, instruit dolum.* Si vero, ut fieri solet, incursio repentina supervenerit aut hostilitas, ut impossibile sit fratribus in unum fugam petere propter insecutionem inimicorum, et postmodum Deo favente evaserint, et potuerint pervenire ubi Præpositum esse cognoverint ; veluti filii ad patrem, festinare debebunt. Nec ullo modo poterunt separari, quos divina charitas sociavit, quia scriptum est, *Perfecta dilectio foras mittit timorem* (*1 Joan.* IV, 18). Si quis autem, quod superius diximus, causa necessitatis detinet id, quod a monasterio secum portavit ; necesse habebit, ubi Præpositus suus est, illud perferre : quia non poterit sibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, et Deo utique est consecratum. Sed si cogitaverit de his aliquid retinere, contra dictum Apostoli agere videtur, qui ait, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis vos* (*Rom.* XIII, 8). Omnia ergo quæ in isto libro continentur, omnes fratres observent ; atque subscribant, qui boni esse desiderant. Verum propter illos sunt cauta, id est scripta, qui in omnibus stabiles esse noscuntur.

[1] Holstenius, *Abbati.*

## ADMONITIO
## DE SEQUENTI OPUSCULO.

Contulimus istud opusculum ad exemplar Corbeiense ante mille annos, uti videtur, exaratum, quo in exemplari ab eo loco, Psalmi III, LXII, etc. (ubi Lucas Holstenius in codice Regularum, parte secunda cum editis Amerb. Eras. et Lov. satis concordat), variat hunc in modum : *Psalmi tres, sexagesimus secundus, quintus, et octogesimus nonus.* (Lacuna hic est exigua, deleto, uti videtur, verbo sex circiter litterarum, et mox sequitur :) *Ad tertiam psalmus ad respondendum dicatur : deinde antiphonæ duæ, lectio, et completorium. Simili modo sexta et nona. Ad lucernarium autem psalmus responsorius unus, antiphonæ quatuor, item psalmus unus responsorius, lectio, et completorium. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus legantur lectiones* (Hic erasum est unum verbum, et proxime sequitur :) *Post hæc autem consuetudinarii psalmi ante somnium dicantur, nocte autem orationes, mense novembri*, etc., ubi quod semel et iterum dicitur, *et completorium*, videtur sonare idem cum isthac formula a Patre nostro Benedicto Matutinorum officium ordinante, bis usurpata, *et completum est*, id est peractum sic erit officium, vel, addetur finalis oratio, qualis ea scilicet quæ in antiquis missalibus *Ad complendum* vocitatur. Porro in eodem codice opusculum absque titulo sic incipit : *Ante omnia*, etc. Sed ad hæc ultima verba, *de vestra salute. Amen*, continenter et in eodemmet versu subjicitur Regula S. Augustini viris aptata, uti jam observavimus, cum hisce verbis in fine : *Explicit Regula sancti Augustini episcopi.*

# REGULA SECUNDA.

1. Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde et proximus, quia ista præcepta principaliter nobis sunt data. Qualiter autem nos oportet orare vel psallere, describimus : id est, in matutinis dicantur Psalmi III, LXII, VI, et LXXXVIII, cum debitis antiphonis, versibus et responsoriis. Ad primam et tertiam dicantur sui psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam et nonam dicantur sui psalmi, cum debitis responsoriis et antiphonis. Hoc idem in vesperis et completoriis servetur. Ad lucernarium autem psalmus, responsorium unum, antiphonæ tres, lectiones tres. Et tempore opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus legantur lectiones. Nocturnæ autem orationes mense novembri, decembri, januario et februario, antiphonæ duodecim, psalmi sex, lectiones tres. Martio, aprili, septembri, octobri, antiphonæ decem, psalmi quinque, lectiones tres. Maio, junio, julio, et augusto, antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.

2. Operentur a mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam vacent lectioni, et ad nonam reddant codices. Et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicumque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarii. Nemo sibi aliquid vindicet proprium, sive in vestimento, sive in quacumque re. Apostolicam enim vitam optamus vivere (*Act.* XI, 43). Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili judicio murmuratorum pereat : fideliter obediant : patrem suum honorent post Deum : Præposito suo deferant sicut decet sanctos : sedentes ad mensam

taceant audientes lectionem : si autem aliquid opus fuerit, Præpositus eorum sit sollicitus. Sabbato et Dominica, sicut consuetudo est [1], qui volunt vinum accipiant. Si opus fuerit ad aliquam necessitatem monasterii mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet neque bibat; non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterii. Si opera monasterii mittantur fratres vendere, sollicite observent ne quid faciant contra præceptum, scientes quia Deum exacerbant in servis ipsius : sive aliquid emant ad necessitatem monasterii, sollicite et fideliter ut servi Dei agant. Otiosum verbum apud eos non sit. A mane ad opera sua sedeant : post orationem tertiæ eant similiter ad opera sua. Non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro utilitate animæ : sed sedentes ad opera taceant, nisi forte necessitas operis exegerit ut loquatur quis. Si quis autem non omni virtute, adjuvante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit; semel atque iterum commonitus, si non emendaverit, sciat se subjacere disciplinæ monasterii sicut oportet : si autem talis fuerit ætas ipsius, etiam vapulet. Hæc autem in nomine Christi fideliter et pie observantes, et vos proficietis, et nobis non parva erit lætitia de vestra salute. Amen. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti. Primo, etc.

[1] Ms. Corbeiensis, *constitutum est*.

## ADMONITIO DE SEQUENTI LIBRO.

Augustini non esse hunc librum cum ex aliis multis argumentis, tum ex eo liquet, quod B. Benedicti regula in 14, et 19 capite laudatur. Esse B. Aelredi Rhievallensis in Anglia abbatis, qui nimirum medio sæculo duodecimo scribebat, certo se scire ait Lucas Holstenius in codice Regularum, parte secunda. Et revera in indice operum S. Aelredi, centuria 2 Scriptorum Britanniæ, n. 99, recensetur sub hoc titulo : *De Institutione inclusarum lib.* 1. *Jam pluribus annis exigis a me.* Habes ejusdemmet libri partem circiter tertiam inter opera S. Anselmi nomine vulgata, scilicet Meditationes XV, XVI, et XVII.

# DE VITA EREMITICA,

## AD SOROREM LIBER.

PROLOGUS. — Jam pluribus annis exigis a me, soror, ut secundum modum vivendi quem arripuisti pro Christi certam tibi formulam tradam, ad quam et mores tuos sto, dirigere, et vitam religionis, et vitæ religiosæ possis exercitia ordinare. Utinam a sapientiore id peteres et impetrares, qui non conjectura qualibet, sed experientia didicisset, quod alios doceret. Ego certe qui carne et spiritu tibi frater sum, quoniam negare non possum, quidquid injungis; faciam quæ hortaris, et ex diversis Patrum institutis aliqua quæ tibi videntur necessaria excerpens, ad componendum exterioris hominis statum certam tibi regulam tradere curabo, pro loco et tempore quædam adjiciens; et spiritualia corporalibus, ubi utile visum fuerit, interserens.

CAPUT PRIMUM. — *Ut instituta est eremitica vita.*

Primum oportet te scire, qua causa, quave ratione vita hæc ab antiquis vel instituta sit vel usurpata. Sunt quidam quibus inter multos vivere perniciosum est. Sunt et alii quibus etsi perniciosum non est, tamen dispendiosum est. Sunt et nonnulli quibus et nihil horum timendum est; sed potius habitare magis æstimant fructuosum. Itaque antiqui vel ut vitarent periculum, vel ne paterentur dispendium, vel ut liberius ad Christi anhelarent et suspirarent amplexum, singulariter vivere elegerunt. Hinc est, quod plures in eremo soli sedebant vitam manuum suarum opere sustentantes. Illi vero qui nec hoc securum sibi inter solitudinis libertatem, et vagandi potestatem arbitrabantur, includi potius, et intra cellulam obstruso exitu contineri tutius æstimabant.

CAPUT II. — *Reclusio corporis solius nihil prodest.*

Quid tibi visum fuit, cum te huic institutioni voveres? Nam multi rationem hujus ordinis vel ignorantes, vel non curantes, membra tantum intra parietes cohibere satis putant esse : cum mens non solum per vagationem dissolvatur, curis et sollicitudinibus dissipetur, immundis etiam et illicitis desideriis agitetur; sed etiam lingua tota die per vicos et civitates, per foros et nundinas otiose discurrant.

CAPUT III. — *Reclusarum cum externis mulieribus confabulationes.*

Vix aliquam inclusarum hujus temporis solam invenies, ante cujus fenestram non anus garrula vel nugigerula mulier sedeat, quæ eam fabulis occupet, rumoribus aut detractionibus pascat, illius vel illius monachi vel clerici vel alterius cujuslibet ordinis viri formam, vultum moresque describat. Illecebrosa quoque interserat, puellarum lasciviam, viduarum, quibus licet quidquid libet, libertatem, conjugum in viris fallendis explendisque voluptatibus astutiam depingat. Os interea in risus cachinnosque dissolvitur, et venenum cum suavitate bibitum per viscera membraque diffunditur.

CAPUT IV. — *Ex confabulatione cum externis mulieribus quæ pernicies.*

Sic cum discedere ab invicem hora compulerit, inclusa voluptatibus, anus cibariis onerata recedet. Reddita quieti misera eas quas auditus induxerat, in corde versat imagines; et ignem præmissa confabulatione conceptum vehementius sua cogitatione succendit : quasi ebrius in psalmo titubat, in lectione cadit, fluctuat in oratione. Refusa mundi luce citantur mulierculæ addentes nova veteribus, non cessant, donec captivam liberius dæmonibus illudendam exponant. Nam manifestior sermo non jam de accendenda, sed potius de satianda voluptate procedens : ubi et quando et per quem possit explere quod cogitat, in commune exponunt. Cella vertitur in prostibulum, et delicato qualibet arte foramine, aut illa egreditur, aut adulter ingreditur. Infelicitas hæc, ut sæpe probatur, pluribus causa viris in hoc nostro sæculo communis est.

CAPUT V. — *Reclusarum quarumdam avaritia.*

Sunt aliæ quæ, licet turpia declinent, loquaces, tamen loquacibus assidue sociantur, nimium curiositati linguam et aures tota die otio rumoribusque dedentes. Aliæ non multum ista curantes (quod fere vitium per omnes hujus temporis serpit inclusas), pecuniæ congregandæ vel multiplicandis pecoribus inhiant : tantaque cum hac sollicitudine in his extenduntur, ut eas matres vel dominas familiarum existimes, non anachoretas. Quærunt aliquibus pascua, pastores, qui procurent, qui custodiant greges; fructus vel pretium vel pondus, vel numerum a custodibus expetunt. Sequitur emptio et venditio, ut nummus nummo cumulum exigat, et avaritiæ sitim accendat. Fallit enim tales spiritus nequam, pro impertiendis eleemosynis vel orphanis alendis, pro advenientium parentum vel amicorum charitate, et religiosarum feminarum susceptione, hoc utile esse ac necessarium suadentes. Non est hoc tuum, ad quam magis pertinet, ut pauper cum pauperibus stipem accipias, quam relictis omnibus tuis pro Christo aliena quærere, ut eroges. Magnæ infidelitatis signum est, si

inclusa de crastino sit sollicita, cum Dominus dicat : *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 33). Quapropter providendum est ut mens omni rerum temporalium cura exuatur, et exoneretur sollicitudine.

CAPUT VI. — *Reclusa ne pauperum aut hospitum prætextu facultates habere velit : utatur ancilla probata : non puellas doceat.*

Quod ut fiat, videat inclusa, ut si fieri potest, de labore manuum suarum vivat. Hoc enim perfectum est. Si autem aut infirmitas aut teneritudo non permittat; antequam includatur, certas personas quærat, a quibus singulis diebus quod uni diei sufficiat, humiliter recipiat, nec causa pauperum vel hospitum quidquam adjiciat. Non circa cellulam ejus pauperes clament, non orphani plorent, non vidua lamentetur. Sed quis, inquies, hoc poterit prohibere? Tu sede, tu tace, tu sustine. Mox ut scient te nihil habere, seque nihil recepturos, vel fatigati discedent. Inhumanum hoc clames. Cæterum si præter necessarium victum et vestitum aliquid habes, monacha non es. Quid ergo erogabis? præcipitur tamen inclusæ, ut quidquid de labore manuum suarum victui superfuit, mittat cuidam fideli, qui pauperibus eroget. Nolo ut insidiatrix pudicitiæ vetula mixta pauperibus accedat propius, deferat ab aliquo monachorum vel clericorum eulogias; non blanda verba in aure susurret, ne pro accepta eleemosyna osculans manum in aure insibilet. Cavendum præterea est, ut nec ob susceptionem religiosarum feminarum, quodlibet hospitalitatis onus inclusa suscipiat. Nam inter bonas plerumque etiam pessimæ veniunt, quæ ante inclusæ fenestram discumbentes præmissis valde paucis de religiosis sermonibus ad sæcularia devolvuntur, inde subtexere amatoria, et noctem fere totam insomnem ducere. Sane tu tale devita, ne cogaris audire, quod videre horreas. Forte enim videbuntur amara, cum audiuntur, vel cernuntur; quæ sequuntur, dulcia, cum cogitantur. Si scandalum times, eo quod nec pauperibus erogas, non suscipis hospites; cum omnes tuam nuditatem didicerint, non erit qui reprehendat. Si vero nec pro pauperibus, nec pro hospitibus te velim pecuniosam esse; multo utique minus occasione grandioris familiæ. Itaque eligatur tibi aliqua anus, non garrula, non vaga, non litigiosa, non nugigerula; sed quæ bonos mores excoluerit, et ab omnibus habuerit testimonium veritatis. Hæc ostium cellulæ custodiat, et quod debuerit, vel admittat, vel conservet. Habeat sub cura sua fortiorem ad onera sustinenda, puellam quæ aquam et ligna comportet, coquat fabas, aut olera; aut si hoc infirmitas exegerit, præparet potiora. Hæc sub virgæ disciplina custodiatur, ne forte ejus lascivia tuum sanctum habitaculum polluatur, propositum blasphemetur. Pueris et puellis nullum ad te concedas accessum. Sunt quædam inclusæ, quæ in docendis puellis occupantur, et cellam suam vertunt in scholam. Illa sedet ad fenestram, ista in porticu residet. Illa intuetur singulas, et inter puellares motus nunc irascitur, nunc ridet, nunc minatur, nunc percutit, nunc blanditur, nunc osculatur, nunc flentem vocat pro verbere propius, palpat faciem, stringit collum, et in amplexum ruens nunc filiam vocat, nunc amicam. Qualiter inter hæc memoria Dei, nisi sæcularia et carnalia, etsi non perficiantur, moventur tamen, et quasi sub oculis depinguntur? Tibi utique duæ illæ sufficiant ad colloquium et ad obsequium.

CAPUT VII. — *Studeat silentio, et raro modesteque loquatur.*

Silentii gravitatem inclusæ servandam præcipue suademus. Est enim in ea quies magna et fructus multus. Nam cultus justitiæ silentium. Sicut ait Jeremias, *Bonum est cum silentio exspectare salutare Dei.* Et iterum, *Bonum est viro cum portaverit jugum* (*Thren.* III, 26, 27) : ut sedeat solus et taceat. Unde scriptum est : *Audi, Israel, et tace.* Fac ergo quod ait propheta, *Dixi, custodiam vias : ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII, 1, 2). Sic inclusa timens casum linguæ, quam secundum apostolum Jacobum nemo hominum domare potest (*Jacobi* III, 8), ponat custodiam ori suo, sola sedeat, et taceat ore; spiritu loquatur : et credat se non esse solam, quando sola est. Tunc enim cum Christo est, qui non dignatur in turbis esse cum ea. Sedeat ergo sola, taceat Christum audiens, et cum Christo loquens, ponat custodiam ori suo. Primum, ut raro loquatur; deinde quid loquatur, quibus, et quomodo loquatur, attendat. Raro loquatur, id est certis et constitutis horis, de quibus postea dicemus. Quibus [1] loquatur, id est certis personis, et quales ei fuerint designatæ. Quomodo loquatur, id est, humiliter, moderate, non alta voce, nec dura, nec blanda, nec mixta risu. Nam si hoc ad quemlibet virum honestum non pertinet, quanto magis ad feminam? quanto magis ad virginem? quanto magis ad inclusam? Sede ergo, soror mea, et tace. Si compelleris loqui, parum loquere, humiliter et modeste : sive de corporalium rerum necessitate, sive de animæ salute sermo incubuerit.

CAPUT VIII. — *Quibuscum personis loqui decet reclusam.*

Jam nunc personas quibus loqui debet, designemus. Felix illa quæ nec maritum admisit, nullum virorum videre volens, nec alloqui. Sed quæ nunc reclusarum hoc sequitur exemplum? Sufficiunt illis quæ modo sunt, si hanc corporalem castitatem conservent, si non onusto ventre non extrahantur, si non fletus infamis partum ediderit. Quibus perpetuum, ne cum viris loquantur, indicere non possumus silentium, cum quibus honestius loqui possint, videamus. Ergo si fieri potest, provideatur in magno monasterio vel ecclesia presbyter aliquis senex, maturus moribus, cui raro, nisi de confessione et animæ ædificatione loquatur, a quo consilium accipiat in dubiis, in tribulationibus consolationem. Verum quia inclusum membris malum illud, quod timemus, plerumque suscitat, et emollit emortuam senectutem, nec ipsi manum suam tangendam præbeat vel palpandam. Nulla vobis de macie vultus, de exilitate brachiorum, de cutis asperitate sit cura.

CAPUT IX. — *Scribit vivendi formam reclusis rogatus a sorore.*

Hæc tibi, soror (gratias Deo), dicenda non fuerant : sed quia nec solum propter te, sed etiam propter adolescentiores, quæ similem vitam tuo consilio arripere gestiunt, hanc tibi formulam tradi voluisti, hæc interserenda putavi, si aliqua magni nominis vel bonæ æstimationis persona, abbas scilicet, vel prior cum inclusa loqui voluerit, aliquo præsente loquatur.

CAPUT X. — *De colloquio cum variis personis. Quid hac in re observandum a reclusa.*

Nullam certe personam te frequentius visitare vellem, nec cum aliqua te crebrius visitante, familiare vellem tecum habere secretum. Periclitatur enim fama virginis crebra certe alicujus personæ salutatione, periclitatur et conscientia. Nam quanto sæpius eumdem videris vultum, vel vocem audieris, tanto expressius ejus imago tuæ memoriæ imprimetur. Et ideo inclusa etiam facie velata loqui debet cum viro, et ejus cavere conspectum, cui cum timore solum debet præstare auditum. Nam eamdem viri vocem sæpe admittere, quibusdam periculosum esse non dubito. Adolescentium et suspectarum personarum devita colloquium; nec unquam tecum, nisi tu audientiam illius, qui tibi proprie loquatur : et hoc si certa necessitas poposcerit. Cum nullo itaque advenientium, præter episcopum, aut abbatem, vel magni nominis priorem, sine ipsius presbyteri licentia vel præcepto loquaris, ut difficultas loquendi tecum, tibi præstet quietem. Nunquam inter te et quemlibet virum quasi occasione exhibendæ charitatis, vel nutriendi affectus,

[1] Lov. uti PP. Benedictini ferunt, *Quid*. Hic est absque dubio lacuna; auctor enim omnes enumerationis prænuntiatæ partes, scilicet *quid*, *quibus* et *quomodo*, non explicatione complectitur, sed unam negligit, scilicet *quid*. M.

vel expetendæ familiaritatis aut amicitiæ spiritualis, discurrant nuntii : nec eorum munuscula litterasque suscipias, nec illis tua dirigas, prout moris est, puta zonas, marsupia, quæ diverso stamine et subtegmine variata sunt, et cætera quæ hujusmodi adolescentioribus monachi per clericos mittunt, quod fomentum est amoris illiciti, et magni materia mali.

CAPUT XI. — *Operetur manibus, ornetur verecundia.*

Operare proinde ea, quæ vel necessitas poscit, vel præscribit utilitas, et eorum pretium tuis usibus cedat, quibus si non egueris, aut necessaria ecclesiæ, aut pauperibus, sicut diximus, tribuas. Ornet etiam omnes motus, omnes sermones inclusæ, verecundia, quæ linguam compescat, iram mitiget, jurgia caveat. Quam enim pudere decet honeste honesta loqui; quantæ impudentiæ est, ut inhonesta, licet lacessita injuriis aut stimulata furore, loquatur ?

CAPUT XII. — *Reclusa verbis lacessita ut se gerere debet.*

Inclusa igitur litiganti non respondeat, detrahenti non improperet, lacessenti non contradicat : sed in omnibus quæ in publico, vel in occulto aut objiciuntur, aut susurrantur, ex conscientiæ serenioris arce contemnat, dicens cum Apostolo, *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer* (I *Cor.* IV, 3). Super omnia enim inclusa studere debet, ut tranquillitatem spiritus, et pacem cordis jugiter retinens, illum sui pectoris æternum habeat inhabitatorem, de quo scriptum est, *In pace factus est locus ejus* (*Psal.* LXXV, 3). Et alias Dominus per prophetam, *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et timentem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? Hunc sacratissimum mentis statum, non solum stultiloquia evertunt, sed et pervertunt. Nihil tam esse tibi censeo sectandum, quam silentium.

CAPUT XIII. — *De tempore loquendi et tacendi.*

Jam nunc tempus loquendi, ac tacendi tempus distinguamus. Igitur ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Quadragesimam, post completorium usque ad auroram silentium teneat : et tunc dicta prima, si aliud de diurna necessitate voluerit suggerere servienti, paucis hoc faciat verbis ; nihil cuiquam postea usque ad tertiam loquatur. Inter tertiam vero et nonam, his qui supervenerint, prius si admittendi sunt, competenter respondeat, et ministris, quod placuerit, injungat. Post nonam sumpto cibo omne colloquium et dissolutionis materiam caveat, ne impingatur ei illud, quod scriptum est : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Porro vespertina laude soluta, cum ministra usque ad tempus collationis de necessariis conferat. Tempore vero Quadragesimæ inclusa semper silentium tenere deberet : sed quia hoc durum impossibileque putatur, cum confessore suo et ministra, rarius quam aliis temporibus, loquatur; et cum nullo alio, nisi forte aliqua reverenda persona ex aliis provinciis supervenerit. Post Pascha vero usque ad tempus prædictum, a completorio usque ad solis ortum silentio custodito, cum horam primam in diurnis obsequiis celebraverit, cum ministris suis loquatur si oportuerit ; cum supervenientibus, inter nonam et vesperam. Finita hora vesperarum, disponat cum ministris quod opus fuerit usque ad collationem.

CAPUT XIV. — *Quibus exercitiis vacandum a calendis novemb. ad Quadragesimam.*

His inspectis, operi manuum, lectioni et orationi certa tempora deputentur. Otiositas quippe inimica est animæ, quam præ omnibus cavere debet inclusa. Est enim omnium malorum parens, libidinis artifex, pervagationum altrix, nutrix vitiorum, fomentum acediæ, tristitiæ incentivum. Ipsa pessimas cogitationes seminat, affectiones illicitas quærit, suscitat desideria. Ipsa quietis fastidium parit, horrorem incutit cellæ. Nunquam te improvidam, nunquam te spiritus inveniat otiosam. Sed quia mens nostra, quæ in hac vita subdita est vanitati, nunquam in eodem statu permanet; otiositas exercitiorum varietate fuganda est, et quies nostra quadam operum vicissitudine fulcienda. Itaque a calendis novembris usque ad Quadragesimam, secundum æstimationem suam, plus media nocte repauset : et sic surgens cum qua potest devotione, secundum formam Regulæ beati Benedicti, nocturnas vigilias celebret, quibus mox succedat oratio : secundum quod eam Spiritus sanctus adjuverit, aut protelare debet aut abbreviare. Caveat autem ne prolixior oratio fastidium pariat. Utilius est enim sæpius orare breviter, quam semel nimis prolixe : nisi forte orationi devotio inspirata ipso nesciente, qui orat, prolongaverit. Post orationem in honorem Virginis debitum solvat officium, sanctorum commemorationes adjiciens. Cave autem ne de numero Psalmorum, vel commemoratione, aliquam tibi legem imponas; sed quamdiu te Psalmi delectant, utere illis. Si tibi cœperint esse onerosi, transi ad lectionem : quæ si fastidium ingerit, surge ad orationem : sic ad opus manuum, his fatigata, pertransiens, ut salubri alternatione spiritum recrees, et pellas acediam. Finitis commemorationibus quarum numerum non propositioni, vel voci necessitas extorqueat, sed inspirans devotio dictat; tempus quod restat usque ad auroram, operi manuum cum psalmorum modulatione deserviat. Albescente aurora matutinas laudes cum horæ primæ orationum hymnis persolvat : et sic in alternatione lectionum, Psalmorum quoque prout ea devotio variaverit, tertiam exspectet, qua dicta in opere manuum usque ad horam nonam occupetur. Cibo autem sumpto et gratiarum actionibus Deo solutis, ad præscriptam mansuetudinem redeat spiritualibus exercitiis opus corporale intermittens usque ad vesperas. Facto autem parvo intervallo aliquam lectionem de Vitis Patrum vel institutis vel miraculis eorum sibi secretius legat : ut orta ex his aliqua compunctione, in quodam fervore spiritus completorium dicat; ut cum pleno pectore devotionis lectulo membra componat : illa sane quæ litteras non intelligit, operi manuum diligentius insistat. Ita ut cum paulatim fuerit fatigata, surgat et genua flectat, et breviter oret Dominum suum, et statim opus, quod intermiserat, resumat : et hoc faciat tempore scilicet utroque lectionis et laboris, Dominicam orationem crebrius inter opera eadem repetens : et si quos psalmos voluerit, interserens.

CAPUT XV. — *De exercitiis a Pascha ad calendas novembris.*

A Pascha vero usque ac prædictas calendas sic surgat ad vigilias, ut finitis nocturnis hymnis et orationibus, parvissimo intervallo præmisso, matutinas incipiat. Quibus expletis usque ad plenum solis ortum orationibus vacet et psalmis, et tunc dicta prima sacrificium diurni operis inchoet, usque ad horam tertiam : in lectione et oratione usque ad sextam spiritum occupet. Post sextam sumpto cibo, pauset in lectulo suo usque ad nonam : et sic usque ad vesperam manibus operetur. Post vesperam vero orationibus vacet et psalmis, horam collationis ita temperans, ut ante solis occasum lectulus membra recipiat. Cavendum enim est omni tempore ne totam diei lucem nox, antequam dormitum eat, suis obducat tenebris, et dormire cogatur cum vigilare debet.

CAPUT XVI. — *De quadragesimali jejunio.*

De tempore quadragesimali locuturi, primo excellentiam ejus credimus commendandam. Cum multa sunt Christianorum jejunia, omnibus excellit quadragesimale jejunium, quod divina auctoritate non singulis quibuscumque personis, non illius vel illius ordinis hominibus, sed omnibus indicitur Christianis. Habet autem testimonium excellentiæ a Lege, a Prophetis et ab Evangelio. Nam Moyses famulus Dei jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut legem Domini accipere mereretur. Helias autem propheta cum manducasset de pane subcinericio, aquamque bibisset, quam angelus ei ministraverat; jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tunc vocem Domini audire promeruit. Dominus et Salvator

noster cum jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, superavit tentatorem, et accesserunt Angeli et ministrabant ei.

CAPUT XVII. — *Persequitur de virtute jejunii.*

Est ergo jejunium contra omnia tentamenta et peccabilem statum. In omni tribulatione utile refugium, omnibus nostris irrefragabile fulcimentum. Quantæ autem virtutis sit jejunium ipse Christus non tacuit, cur dæmonem qui lunaticum invaserat, ejicere non potuerunt. *Hoc genus*, inquit, *dæmoniorum non potest ejici, nisi in oratione et jejunio* (*Marc.* IX, 28).

CAPUT XVIII. — *De significatione Quadragesimæ.*

Licet autem religionis comes semper debeat esse jejunium, sine quo castitas tuta esse non potest; hæc tamen quadragesimalis observatio magnum in se continet sacramentum. Primus locus habitationis nostræ paradisus fuit. Secundus mundus iste plenus ærumnis. Tertius in cœlo cum Angelis et Spiritibus. Significant autem isti quadraginta dies totum tempus, ex quo pulsus est Adam de paradiso usque ad ultimum diem, in quo plene liberabuntur ab hoc exsilio. Hic autem sumus in timore, in labore, in dolore, projecti a facie oculorum Dei, exclusi a gaudiis paradisi, jejuni ab alimento cœlesti : semper autem debemus hanc miseriam nostram considerare, et deplorare, et ostendere in operibus nostris quod sumus advenæ et peregrini in mundo. Sed quia hoc facile non potest humana fragilitas, constituit Spiritus sanctus tertium tempus, quo id faciamus, et quasdam observationes in Ecclesia fieri ordinavit, quibus ipsius temporis causam animadvertere valeamus. Nam ubi ostendit nos pulsos esse, adjectos morti propter verbum quod dixit Dominus ad Adam, cum eum expelleret de paradiso ; cum cinerum aspersione dicitur nobis, *Pulvis es, et in pulverem reverteris* (*Gen.* III, 19). Ut sciamus etiam, quod in hoc exsilio negatur nobis visio Dei, appenditur velum inter nos et sancta sanctorum. Verum ut reducamus ad memoriam, quod longe sumus ab eorum societate de quibus scriptum est ; *Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5) ; usitatum verbum laudis intermittimus. Quod vero nos ipso hoc altiori jejunio constringimur, recordari nos facit, quod in hac vita cœlesti pane non satiamur. In hoc ergo tempore omnis christianus aliquid addere dicitur solitis obsequiis, et diligentius atque frequentius circa cordis et oris custodiam occupari. Sed inclusa maxime institutionis temporis hujus rationem multo melius intelligit, quanto eam in propria vita sua expressius recognoscit. In his proinde sacris orationibus quibus Christo placere præcipue desideramus, totam se Deo voveat atque sanctificet. Omnes delicias respuat, omnes confabulationes abjuret ; et quasi dies nuptiarum hoc tempus existimans, ad amplexus Christi omni aviditate suspiret. Frequentius solito incumbat orationi, crebrius se pedibus Jesu prosternat, crebra nominis illius repetitione compunctionem excitet, lacrymas provocet, cor ab omni vagatione compescat. Finitis itaque sacris vigiliis intervallum, quod a nocturnis laudibus dividit matutinas, orationi et meditationi observiat. Dictaque post matutinas prima usque ad plenam tertiam psalmis ac lectionibus vacet. Tertiæ vero horæ laude completa, operi manuum usque ad horam nonam devota insistat, breves per intervalla orationes inserens : dicta post hoc vespera corpus reficiet, et sic tempus completorii psallens exspectet.

CAPUT XIX. — *De cibi et potus qualitate et quantitate.*

Jam de cibi et potus qualitate vel quantitate, ex abundanti quidem tibi legem imponere, soror, quæ ab ipsa infantia usque ad senectutem, quæ nunc tua membra debilitat, parcissimo cibo vix corpus sustentas : pro aliis cum quibus id utile futurum arbitrans, certam de his præscribere regulam tentabo. Beatus Benedictus libram panis et heminam potus concedit monacho : quod nos inclusis delicatioribus non negamus ; adolescentibus tamen in corpore robustis, ab omni quod inebriare potest, abstinere utilissimum est. Panem nitidum et cibos delicatos, quasi impudicitiæ venenum evitet. Sic necessitati consulat, ut et famem repellat, et appetitum non satiet. Itaque quæ ad perfectiorem abstinentiam progredi non valent, libra panis et hemina lautioris potus contentæ sint : sive bis comedant, sive semel. Unum habeant de oleribus vel leguminibus pulmentum, vel certe de farinaceis. Cui modicum olei, vel butyri vel lactis injiciens, hoc condimento fastidium repellat. Et hoc ei, si ea die cœnatura est, sufficiat. Ad cœnam vero parum lactis sibi vel piscis modicum, vel aliquid hujusmodi si præsto fuerit, apponat. Uno genere cibi contenta cum pomis et herbis crudis, si quas habuerit, hæc ipsa si semel comederit in die, prælibato pulmento possunt apponi. In vigiliis sanctorum tamen et Quatuor Temporum jejuniis, omnium etiam feriarum quarta et sexta, extra Quinquagesimam in cibo quadragesimali jejunet. In Quadragesima vero unum quotidie ei sufficiat pulmentum. Et nisi infirmitas impediat, feria sexta in pane et aqua jejunet. Ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Quadragesimam semel in die hora nona reficiat. In Quadragesima, dicta vespera, jejunium solvat. A Pascha usque ad Pentecosten ad sextam prandeat, et ad prandium silentium teneat : quod etiam tota æstate faciet, præter ferias quarta et sexta, et solemnibus jejuniis. Diebus autem quibus jejunat, liceat ei in æstate pro somno meridiano et inter matutinas et primam modicum quietis indulgere corpusculo.

CAPUT XX. — *De vestimentis et calceamentis.*

Porro talia ei vestimenta sufficiant quæ frigus repellant. Grossioribus pelliciis utatur, et pellibus propter hiemem ; propter æstatem autem unam habeat tunicam : utroque vero tempore duas de stupacio camisias vel staminas. Velamen capitis non sit de panno subtili vel pretioso, sed mediocri nigro : ne videatur colore vario affectare decorem. Calceamenta, pedilles, caligas, quantum satis fuerit habeat. Et paupertatis suæ custos sollicite consideret, ut etiam aliquantulum minus habeat quam indulgere sibi possit justa necessitas. Hæc, soror charissima, de exterioris hominis conversatione non pro antiquitatis fervore, sed pro hujus nostri temporis spatio te compellente conscripsi, infirmis temperatum quemdam modum vivendi proponens, fortioribus ad perfectiora progrediendi libertatem relinquens.

CAPUT XXI. — *Solitudo est hominum consortio præferenda propter conservationem virginitatis.*

Sed jam nunc audiat et intelligat verba mea, quæcumque abrenuntians mundo vitam hanc solitariam elegerit, abscondi desiderans, non videri, et quasi mortua sæculo in spelunca Christo consepeliri. Primum tibi solitudinem hominum debeas præferre consortio, diligenter attende. *Virgo*, inquit Apostolus, *cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore ac spiritu* (I *Cor.* VII, 34). Voluntarium hoc sacrificium est, oblatio spontanea, ad quam non lex impellit. Sed necessitas cogit, non urget præceptum. Unde Dominus in Evangelio : *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX, 12). Quis potest ? Ille certe cui Dominus hanc inspiraverit voluntatem et præstiterit facultatem. Primum igitur ut virgo, bonum propositum tuum ipsi qui inspiravit cum summa devotione cordis commenda, intentissima oratione deposcens, ut quod impossibile est per meritum, facile sentiat per gratiam. Cogita semper, quam pretiosum thesaurum in quam fragili vasculo portes, et quam mercedem, quam gloriam, quam coronam virginitas servata ministret. Quam insuper pœnam, quam confusionem, quam damnationem importet amissa, indesinenter animo revolve. Quid hoc pretiosius thesauro ? quo cœlum emitur, quo angelus delectatur, cujus ipse Christus cupidus est, quo illicitur ad amandum, et ad præstandum provocatur, quid ? audeo dicere, seipsum et omnia sua. Itaque nardus virginitatis tuæ etiam in cœlestibus dans odorem suum, facit ut concupiscat rex decorem

tuum, et ipse est Dominus Deus tuus. Vide qualem tibi sponsum elegeris, qualem tibi amicum attuleris. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum. Speciosior etiam sole et super omnem stellarum pulchritudinem. Spiritus ejus super mel dulcis, et hæreditas ejus super mel et favum. Longitudo in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Ipse te jam elegit in sponsam. Sed non coronabit nisi probatam. Et dicit Scriptura : *Qui non est tentatus, non est probatus* (*Eccli.* XXXIV, 9). Virginitas aurum est, cella fornax, conflator diabolus, ignis tentatio, caro virginis vas luteum in quo aurum reconditur, nec vas ulterius a quolibet artifice reparatur.

CAPUT XXII. — *Ut virginitatis propositum religiose custodiendum.*

Hæc virgo jugiter cogitans pretiosissimum virginitatis thesaurum, qui tam utiliter possidetur, tam irrecuperabiliter amittitur, summa diligentia, summo cum timore custodiat. Cogitet sine intermissione ad cujus ordinatur thalamum, ad cujus præparatur amplexum : proponat sibi agnum quem sequi habet, quocumque ierit. Contempletur beatissimam Mariam præcedentem choros virginum, et præcinentem dulce illud cum virginitatis tympano canticum, quod nemo potest canere nisi utriusque sexus virgines. De quibus scriptum est : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt* (*Apoc.* XIV, 4). Nec sic hoc dictum æstimes, quasi non vir sine muliere, aut mulier sine viro possit fœdari. Cum detestandum illud scelus, quo vir in virum, vel femina in feminam, omnibus flagitiis damnabilius judicetur. Sed et absque alienæ carnis consortio virginitas plerumque corrumpitur, castitas violatur. Si vehementior æstus carnem concutiens voluntatem sibi subdiderit, et rapuerit membra, cogitet virgo super omnia sua sanctificata Deo, incorrupta Christo, Spiritui sancto dedicata. Indignum judicet quod Christi est, tradere satanæ, et virginea ejus membra erubescat vel simplici motu maculari.

CAPUT XXIII. — *Castitatis dispendium in mensa timendum, et in colloquiis.*

Itaque proinde in virginitatis suæ custodiam totum animum tendat. Cogitationes expendat, ut virtutis hujus perfectionem esuriens, famem delicias putet, divitias paupertatem. In cibo, in potu, in somno, in sermone semper timeat dispendium castitatis, ne si plus debito carni reddiderit, vires præbeat adversario, et occulto nutriat hostem. Sedens igitur ad mensam decorem pudicitiæ mente revolvat, et ad ejus perfectionem suspirans cibos fastidiat, potum exhorreat, etiam quod sumendum necessitas judicaverit, aut ratio dictaverit, cum dolore aut pudore, aliquando cum lacrymis sumat. Si ei sermo fuerit cum aliquo, semper metuat aliquid audire, quod vel modicum serenitatem castitatis obnubilet; deserendam se a gratia non dubitet, si vel unum verbum contra honestatem proferat.

CAPUT XXIV. — *Ante somnum conscientia excutienda, et dolendum de peccatis.*

Prostrata lectulo pudicitiam tuam commenda Deo, et sic signo crucis armata revolve animo quomodo die illo vixisti, si verbo, si opere, si affectu Domini tui oculos offendisti; si levior, si otiosior, si negligentior debito fuisti; si plus cibo crudior, potu dissolutior metas necessitatis excessisti. Si subreptum tibi aliquid horum deprehendis, suspira, pectus tunde; et hoc sacrificio vespertino tuo reconciliatam sponso sponsus excipiat.

CAPUT XXV. — *In tentationibus impudicis recogitanda virginis Agnetis historia.*

Si vigilanti subito, aut quiete soporis, aut arte tentatoris calor corporis fuerit excitatus, et in somnum callidus hostis invexerit, diversisque cogitationibus quietem pudicitiæ infestaverit, proposueritque delicias, vitæ durioris horrorem incusserit; veniat tibi in mentem beatæ virginis, quæ in tenera ætate tam crebro reportavit de impiissimo hoste triumphum. Cogita Agnem beatissimam a qua aurum, argentum, vestes pretiosissimæ, lapides pretiosi et tota sæcularis gloriæ pompa quasi quædam stercora sunt reputata. Vocata ad tribunal non abfuit; blandiebatur judex, contempsit; minabatur, irrisit, magis metuens ne parceret quam ne puniret : fœdumque lupanar vertit in oratorium : quod cum virgine ingrediens angelus lucem infudit tenebris, et insectatorem pudicitiæ morte multabat. Si igitur et tu oraveris, et contra libidinis incentorem lacrymarum tuarum arma levaveris, non certe angelus tuo casto deerit cubiculo, qui prostibulo non defuit. Merito beatam Agnem ignis iste materialis nequivit adurere, cui carnis flamma tepuerat, quam ignis succenderat charitatis. Quotiescumque nequam spiritus illicita quæque suggesserit, vehementior incubuerit æstus; illum qui scrutatur corda et renes, scito esse præsentem, et sub ejus oculos esse quidquid agis vel cogitas. Habe proinde reverentiam Domino, quem tibi assistere non dubites, et deprædatori responde : Angelum habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Adjuvet conatum tuum in tali necessitate discreta abstinentia. Quia ubi multa carnis afflictio, aut nulla, aut parva aliqua potest esse delectatio.

CAPUT XXVI. — *Castitas in juvenili ætate sine magna cordis et corporis attritione non stat integra.*

Nemo se palpet, nemo blandiatur sibi, nemo se fallat. Nunquam ab adolescentibus sine magna cordis contritione et carnis afflictione castitas conquiritur, vel servatur, quæ plerumque ægris vel senibus periclitatur. Nam licet continentia donum Dei sit, et nemo possit esse continens, nisi Deus det, nec ullis nostris meritis donum hoc, sed ejus gratuitæ sit gratiæ ascribendum; illos tamen tanto dono indignos judicat, qui aliquid laboris pro eo subire detrectant, volentes inter delicias casti esse, inter epulas continentes; inter pueros et puellas conversari, et non tentari; in comessationibus et ebrietatibus fœdis distendi humoribus, et non coinquinari; ligare visum suum cum flammis, et non exuri. Difficile hoc utrum aut impossibile, tu videris.

CAPUT XXVII. — *De monacho stimulum carnis duris macerationibus vix comprimente, non penitus exstinguente.*

Novi ego monachum, qui cum initio suæ conversionis, tam naturalibus incentivis, tam violentia vitiosæ consuetudinis, tam suggestione callidi hostis tentaretur, ut pudicitiam suam periclitari timeret, erexit se contra se, et adversus suam carnem suavissimum concipiens odium nihil magis quam quod ad eam affectaret, expeteret. Itaque inedia macerabat corpus, et quæ ei de se debebantur subtrahens, etiam motus ejus simplices comprimebat. Sed cum iterum nimia debilitas sibi plus indulgere compelleret, ecce caro rursus caput erigens acquisitam, ut putabatur, infestabat quietem; plerisque se frigidis aquis injiciens, tremens aliquandiu psallebat et orabat. Sæpe etiam illicitos sentiens motus urticis fricabat corpus, et nudæ carni aperiens incendium incendio superabat. Et cum hæc omnia non sufficerent, nihilominus eum spiritus fornicationis urgeret; tunc quod solum superfuit, prostratus ante pedes Jesu orat, plorat, suspirat, rogat, adjurat, obtestatur, ut aut occidat, vel sanet; clamat crebro, Non abibo, non quiesco, nec te dimittam nisi benedixeris mihi : præstatur ad horam refrigerium, sed negatur securitas. Quiescentibus enim paululum carnis stimulis affectiones illicitæ pectus invadunt. Deus meus! quas cruces, quæ tormenta tunc pertulit miser ille, donec tanta infusa est ei dilectio castitatis, ut omnes quæ sentiri possunt, vel cogitari, quasvis injiceret voluptates; et tunc quoque recessit ab eo. Sed usque ad tempus et nunc senectuti morbus accessit, nec sic tamen se de securitate blanditur.

CAPUT XXVIII. — *Contra senes qui concubinarum consortio carere nolunt.*

Unde non parum pudet quorumdam impudicitiæ, qui cum in sordibus senuerunt, nec sic suspectarum

personarum volunt carere consortio; cumque, quod dictu nefas est, eodem lectulo cubantes inter amplexus et oscula de sua castitate se dicunt esse securos, quos frigescente corpore ad cœlos tepescentia membra deficiant. Infelices isti et præ cunctis mortalibus miseri, quibus cum desit sceleris perpetrandi facultas, adhuc manet in ipsa fœditate facultas. Non quiescit turpe desiderium, quamvis ei frigiditas neget effectum. Videat tamen utrum verum dicat, aut mentiatur iniquitas sibi, et dum nititur velare unum, duplex in se prodat flagitium : cum et fere decrepitos nocturnum aliquando plasma deludat, et emortuam senectutem intestinum hoc malum sæpius inquietet.

CAPUT XXIX. — *Virgo semper pavida se ipsa muniat verbi Dei meditatione.*

Te, soror, nunquam volo esse securam; sed timere, semperque tuam fragilitatem habere suspectam, ad instar pavidæ columbæ frequentare rivos aquarum, et quasi in speculo accipitris cernere supervolantis effigiem, et cavere. Rivi aquarum sententiæ sunt Scripturarum, quæ de limpidissimo sapientiæ fonte profluentes diabolicarum suggestionum produnt imaginem et sensum, quo caveantur, et eludant. Nihil enim magis cogitationes excludit inutiles vel compescit lascivias, quam meditatio verbi Dei, quod sic ad animum suum virgo debet assuescere, ut aliud nolens, non possit aliud meditari. Cogitanti de Scripturis somnus obrepat. Evigilanti primum aliquid de Scripturis occurrat. Dormientis somnia memoria aliqua de Scripturis sententia condiat.

CAPUT XXX. — *Contra eos qui rigorem abstinentiæ non amplectuntur, ne corporis languorem incurrant.*

Sed quidam a salutaribus exercitiis retrahuntur timore, ne videlicet propter nimiam abstinentiam vel vigilias immoderatas incidant in languorem, et ita efficiantur aliis oneri, sibi autem dolori : hæc excusatio nostra in peccatis nostris. Quam pauci sunt hodie quos talis fervor ignivit! Omnes sapientes sumus, omnes providi, omnes discreti : procul oderamus bellum, et sic morbum corporis antequam sentiatur, formidamus; ut languorem animæ quem præsentem sentimus, territi negligamus, quasi tolerabilius sit flammam libidinis, quam ventris tolerare rugitum; aut multo melius sit continuo languore carnis vitare lasciviam, quam sanum et incolumem in ejus redigi servitutem. Quid enim interest utrum abstinentia, an languore caro superbiens comprimatur, castitas conservetur? Sed remissio, inquit, cavenda est, ne forte occasione infirmitatis incurramus illecebras voluptatis. Certe si languet, si ægrotat, si torquentur viscera, si arescit stomachus, quælibet deliciæ oneri magis erunt quam delectationi.

CAPUT XXXI.—*De adolescente resipiscente et Christum hora mortis videnle.*

Vidi hominem, qui cum pœnitentia sua, vi consuetudinis oppressus, continere non posset; tandem in se reversus supra modum erubuit : et mox concaluit cor ejus intra eum, et in meditatione ejus exarsit ignis. Deinde salubriter irascens sibi, invectione gravissima irruit in se ipsum, et bellum indicens corpori, etiam ei quæ necessaria videbantur, ademit. Successit gravitas levitati, loquacitati silentium. Nemo eum postea vidit jocantem, ridentem nemo conspexit, nemo ex ore ejus otiosum sermonem audivit. Temporales consolationes, et quidquid carni suave putabatur, ita contempsit et exhorruit, ut nullam sibi requiem, nullam in cibo vel potu consolationem indulgere ei pateretur. Cogitationum suarum ita sollicitus et scrupulosus erat, ut in hoc solo nimius videretur. Ita demisso vultu oculisque dejectis stabat, sedebat, ut timens et tremens divinis tribunalibus videretur assistere. Talibus armis gloriosum retulit de tyranno triumphum. Nam gravissimum stomachi incurrens incommodum post diuturnum languorem, cum jam dormitionis ejus hora instaret; Sine, inquit, ecce Jesus venit.

CAPUT XXXII. — *Vera discretio, carni animam præponere.*

Hæc dico ut discretionem, quæ omnium virtutum et mater et nutrix est, detegam : sed vitiorum materias gulam comprimamus, requiem corporis, femina-rum et effeminatorum familiaritatem atque convictum intra metas necessarias cohibeamus; quia sæpe falso nomine discretionis pallianus negotium voluptatis. Vera enim discretio est animam carni præponere, et ubi periclitatur utraque, nec sine hujusmodi incommodo illi potest salus consistere, pro illius utilitate istam negligere. Hæc diximus ut quanta tibi debeat in consideranda pudicitia esse sollicitudo, adverteres. Quæ cum omnium virtutum flos sit et ornamentum, sine humilitate tamen aret atque marcescit.

CAPUT XXXIII. — *De superbia et ejus speciebus.*

Hoc est certum haud securum peccatorum omnium fundamentum, ex quo quidquid ædificas, ruinæ patet. Initium omnis peccati superbia, quæ angelum de cœlo, hominem de paradiso expulit. Hujus pessimæ cum multi sint rami; omnes tamen in duas species dividuntur, in carnalem scilicet et spiritualem. Carnalis superbia est de carnalibus, spiritualis est de spiritualibus superbire. Carnalis postea in duas subdividitur species : in jactantiam scilicet, et vanitatem. Vanitas est, si ancilla Christi intus in animo suo glorietur se nobilibus ortam natalibus; si se divitiis paupertatem prætulisse pro Christo delectetur; si se pauperioribus et ignobilioribus præferre conetur; si se contempsisse divitum nuptias, quasi aliquid magnum admiretur.

CAPUT XXXIV.—*De quadam specie vanitatis in cellulæ oratoriique ornamentis.*

Est etiam quædam species vanitatis in affectata aliqua pulchritudine, etiam intra cellulam delectari; parietes variis picturis et celaturis ornare; oratorium pannorum et imaginum varietate decorare. Hæc omnia quasi professioni tuæ contraria cave.

CAPUT XXXV. — *Rursus de quadam inani gloria.*

Qua enim fronte de divitiis vel natalibus gloriaris, quæ illius vis sponsa videri, qui pauper factus est, cum esset dives, pauperem matrem, pauperem familiam, domum etiam pauperculam et præsepii vilitatem elegit? Itane gloriandum tibi est, quod Dei Filium hominum filiis prætulisti, quod fœdam carnem pro virginitatis decore sprevisti, quod æternas cœli divitias atque delicias martyriis sanctorum commutasti?

CAPUT XXXVI. — *De ornamentis virtutum præferendis.*

Si gloriaris in Domino, servias ei cum timore. Sed illam te noli quasi sub specie devotionis sequi gloriam in picturis, vel sculpturis, in pennis avium, vel bestiarum aut diversorum florum imaginibus variatis. Sint hæc illorum, qui nihil intus, in quo glorientur, habentes, exterius sibi comparant, in quibus delectentur. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Si autem tu jam filia regis es, utpote filii regis sponsa, Patrisque vocem audisti, dicentis, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam* (*Psal.* XLIV, 14, 15, 11); sit tua omnis gloria ab intus, vide ut gloria tua sit testimonium conscientiæ tuæ. Ibi sit pulcherrima virtutum varietas. Ibi diversi colores sic conveniant, et sic jungantur sibi, ut alterius pulchritudinem alter augeat; et qui in sua natura minus lucet, alterius collatione lucidior appareat.

CAPUT XXXVII. — *Persequitur de virtutum ornamentis.*

Jungatur castitati humilitas, et nihil erit splendidius. Prudentiæ societur simplicitas, et nihil erit lucidius. Copuletur misericordia justitiæ, et nihil erit suavius. Adde fortitudini modestiam, et nihil erit utilius. In hac varietate tuæ mentis oculos occupa. Hanc in anima tua omni studio forma : cui si fimbrias aureas addas, vestem polymitam, in qua te sponsus cum summa dilectione conspiciat, texuisti : fimbria extrema pars, quasi finis est vestimenti; *Finis autem præcepti charitas est de corde puro, et conscientia bona,*

*et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5).

CAPUT XXXVIII. — *Ex lini, quo altare ornatur, consideratione quomodo mores instituendi.*

In his glorieris, in his delecteris; intus, non foris; in veris virtutibus, non in picturis et imaginibus. Panni linei candidi tuum adornent altare, qui castitatem suo candore commendent, et simplicitatem præmonstrent. Cogita quo labore, quibus tonsionibus terrenum, in quo crevit, linum colorem exuerit, et ad talem candorem pervenerit, ut ex eo ornetur altare, Christi corpus veletur. Cum terreno colore omnes nascimur : quoniam *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Primum igitur, charissima, linum aquis immergitur : nos in aquis Baptismatis Christo consepelimur; ibi deletur iniquitas, sed necdum sanatur infirmitas. Aliquid candoris recepimus in peccatorum remissione; sed necdum plene terreno colore exuimur pro naturæ, quæ restat, corruptione. Post aquas linum siccatur : quia necesse est, post aquas Baptismatis corpus per abstinentiam maceratum illicitis honoribus vacuetur. Deinde linum malleis tunditur, et caro nostra multis tentationibus fatigatur. Post hoc linum ferreis aculeis discerpitur, ut deponat superflua : et nos disciplinæ ungulis rasi vix necessaria retinemus. Adhibetur post hoc lino suavior stimulorum leviorque purgatio : et nos victis cum magno labore pessimis passionibus, a levioribus et quotidianis peccatis simplici confessione et satisfactione mundamur. Jam tunc a nentibus linum in longum producitur : et nos in anteriora longanimitate extendimur. Porro ut ei perfectior accedat perfectio et pulchritudo, ignis adhibetur et aqua : et nobis transeundum est per ignem tribulationis, et aquam compunctionis, ut perveniamus ad refrigerium castitatis. Hæc tibi oratorii tui ornamenta repræsentent, non oculos tuos varietatibus mentis pascant.

CAPUT XXXIX.— *Imago Crucifixi, et assistentis hinc inde Mariæ ac Joannis sat esse debet in sanctimonialium oratorio.*

Sufficiat tibi in altari tuo Salvatoris in cruce pendentis imago, quæ passionem suam tibi repræsentet, quam imiteris; expansis brachiis ad suos te invitet amplexus in quibus delecteris; nudatis uberibus lac suavitatis infundat, quo consoleris. Et si hoc placet, ad commendandam tibi virginitatis excellentiam, virgo mater in sua, et virgo discipulus in sua, juxta crucem curventur imagine; ut cogites quam grata sit Christo utriusque sexus virginitas, quam in matre et præ cæteris sibi dilecto discipulo consecravit. Unde eos pendens in cruce tanto fœdere copulavit, ut illam discipulo matrem, illum matri filium delegaret. O beatissimum hoc testimonio Joannem cui totius humani generis decus, opes mundi, gloria cœli, miserorum refugium, afflictorum solatium, pauperum consolatio, desperatorum erectio, peccatorum reconciliatio, postremo orbis domina, cœli regina, testamenti auctoritate committitur! Hæc tibi præbeant incentivum charitatis, non spectaculum vanitatis : his enim omnibus ad unum necesse est ut contendas; quoniam unum est necessarium. Illud est unum, quod non invenitur nisi in uno, apud unum, cum uno, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Qui adhæret ei, unus cum eo spiritus efficitur, transiens in illud unum, quod semper idem est, et cujus anni non deficiunt. Adhæsio ista charitatis quasi specialis est ornatus finis et fimbria.

CAPUT XL.— *De dilectione Dei et proximi, ac primum ut in proximum exercenda a sanctimonialibus.*

Vestis quippe nuptialis ex virtutum varietate contexta, oportet ut fimbriis aureis, id est charitatis splendoribus ambiatur, quæ omnes virtutes contineat, et constringat in unum, et suam singularem claritatem impertiens, de multis unum faciat, et cum multis uni adhæreat; ut jam omnia non sint multa, sed unum. Charitas autem in duo dividitur, in Dei videlicet dilectionem et proximi. Porro dilectio proximi in duo subdividitur, in innocentiam et beneficentiam, videlicet ut nulli noceas; benefacias quibus potueris : scriptum est quippe, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16) : et hæc innocentia. Et Dominus in Evangelio, *Omnia*, inquit, *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* VII 12) : hæc beneficentia. Quantum ad te duo ista pertineant, diligenter adverte. Primum ut nulli noceas; deinde ut nulli velis nocere. Primum illud facile tibi, cum nec id possis nisi forte lingua percusseris : secundum illud, non erit difficile, si propositum attendas tuum; si professam dilexeris nuditatem. Non enim tibi poterit erga aliquam esse malæ voluntatis materia, ubi cupiditas nulla, ubi nihil diligitur, quod possit auferri; nihil tollitur, quod debeat amari. Demum bene velis omnibus, prosis quibus possis. In quo, inquis; cum mihi non liceat vel modicum, quod egentibus tribuam, possidere?

CAPUT XLI.— *De exemplo Mariæ et Marthæ, deque vita activa et contemplativa.*

Agnosce conditionem tuam, charissima. Duæ sorores erant Martha et Maria : laborabat illa, vacabat ista; illa erogabat, ista petebat; illa præstabat obsequium, ista nutriebat affectum. Denique non ambulans, vel discurrens huc atque illuc, non de suscipiendis hospitibus sollicita, non cura rei familiaris distenta, non pauperum clamoribus intenta sedebat ad pedes Jesu, et audiebat verbum illius. Hæc pars tua, charissima, quæ sæculo mortua atque sepulta, surda debes esse ad omnia sæculi blandimenta audienda, ad loquendum muta : nec debes distendi, sed extendi; impleri, non exhauriri. Exsequatur partem suam Martha : quæ licet non negetur bona, Maria tamen melior prædicatur. Numquid invidit Marthæ Maria? illa potius isti. Ita etiam quæquæ optimæ videntur in sæculo, tuam vitam æmulentur, non illarum tu. Ad illos spectat eleemosynarum largitio, quorum est terrena possessio, vel quibus credita est rerum ecclesiasticarum dispensatio.

CAPUT XLII. — *De rerum ecclesiasticarum dispensatione.*

Quæ enim sacrosanctis ecclesiis a fidelibus collata sunt, episcopi, sacerdotes et clerici dispensanda suscipiunt, et non recondenda; non possidenda, sed eroganda. Quidquid habent, pauperum est, viduarum et orphanorum, et eorum qui altari deserviunt, ut de altari vivant. Sed ea quæ in usus servorum Christi monasteriis conferuntur, a certis personis dispensari oportet, ut quod necessitatibus superest fratrum, non includatur marsupiis; sed hospitibus, peregrinis atque pauperibus erogetur.

CAPUT XLIII. — *Claustrales non debent pauperum et hospitum cura distendi.*

Et hoc illorum interest, quibus pars est Marthæ commissa, non qui salutari otio vacant cum Maria. Ita claustralibus nulla debet esse pro pauperibus sollicitudo, nulla pro hospitibus suscipiendis distentio; quippe quibus nulla debet esse de crastino cura, nulla cibi vel potus providentia : nutriantur potius in croceis, spiritualibus pascantur. Altius autem hi qui contemptibiles sunt constituti ad judicandum, amplexantur stercora. Ipsi quippe sunt boves, quorum piger stercoribus lapidatur.

CAPUT XLIV. — *Administratio temporalium haud convenit cœnobitis, multoque minus virgini reclusæ.*

Sunt enim quidam, qui circa spiritualia desides et pigri instar populi peccatoris, super manna cœleste nauseant, videntesque alios circa temporalia occupatos, invident, detrahunt, murmurant, et pro stercoribus, quibus ipsi fœdantur, zeli et amaritudinum stimulos ferunt : de quibus si forte aliquam temporalium dispensationem fuerint adepti, convenienter dici potest : *Qui nutriti erant in croceis, amplexati sunt stercora* (*Thren.* IV, 5). Cum igitur nec illis, qui in cœnobiis sunt, quibus in Martha non parva communio est, circa plurima occupari conceditur; quanto minus tibi, quæ te totam de sæculo exuisti, cui non solum

possidere, sed nec videre, nec audire licet quæ sæculi sunt.

CAPUT XLV. — *Ut sanctimonialis debet si quid sibi superest, erogare.*

Si enim nihil tibi quisquam det ad erogandum, unde habebis quod eroges? si vero ex tuo aliquid habes labore, da non tua, sed alterius manu; si abunde tibi provenit victus. Unde tibi aliena distribuere, cum nihil tibi supra necessarium liceat usurpare? Quid ergo beneficii impendes proximo? Nihil ditius bona voluntate, ut ait quidam sanctus : hanc largire. Quid humanius pietate? hanc impende. Quid utilius oratione? hanc largire.

CAPUT XLVI. — *Quod eleemosynæ genus a monialibus impendi decet.*

Itaque totum mundum uno dilectionis sinu complectere, ubi simul omnes, qui boni sunt, considera, congratulare ; ubi mali, intuere et luge. Ibi occurrant animo miseria pauperum, orphanorum gemitus, viduarum desolatio, tristium mœstitudo, necessitates peregrinantium, pericula navigantium, vota virginum, tentationes monachorum, prælatorum sollicitudo, labor militantium. Omnibus pectus tuæ dilectionis aperias : his tuas impende lacrymas, pro his tuas preces fundas. Hæc eleemosyna Deo gratiosior, Christo acceptior, tuæ professioni aptior, his quibus impenditur fructuosior. Hujus munus beneficii tuum propositum adjuvat, non perturbat dilectionem proximi; auget, non minuit; mentis quietem servat, non impedit. Quod nihil est appetendum, ut habeatur ad largiendum; cum nihil habere sit perfectum. Quid his plura dicamus? Cum sancti, ut perfecte possent proximos diligere, studuerunt in hoc mundo nihil habere, nihil vel sine appetitu possidere. Agnoscis verba beati Gregorii. Vide quam contra multi sapiunt : ut enim charitatis impleant legem, quærunt ut habeant quod erogent; cum ejus perfectionem ipsis adscribat, qui nihil habendum, nihi vel sine appetitu possidendum arbitrantur.

CAPUT XLVII. — *De dilectione Dei concitanda in meditatione mysteriorum Christi.*

His de proximi dilectione præmissis, de dilectione Dei pauca subjungam (*a*). Nam licet utraque soror Deum proximumque dilexerit, specialiter tamen circa obsequium proximorum occupabatur Martha, ex divinæ vero lectionis fonte hauriebat Maria. Ad Dei vero dilectionem duo pertinent, affectus mentis, et effectus operis. Et opus hoc in virtutum exercitio; affectus vero mentis in spiritualis gustus dulcedine. Exercitium virtutum in certo vivendi modo, in jejuniis, in vigiliis, in opere, in dilectione, in oratione, in paupertate et cæteris hujusmodi commendatur; affectus salutari meditatione nutritur. Itaque ut ille dulcissimus amor Jesu in tuo crescat affectu, triplici meditatione opus habes : de præteritis scilicet, præsentibus et futuris, id est de præteritorum recordatione, de experientia præsentium, de consideratione futurorum. Cum igitur mens tua fuerit ab omni cogitationum sorde [1] virtutum exercitio purgata, jam oculos defæcatos ad posteriora retorque. Ac primum cum beata Maria ingressa cubiculum, libros quibus Virginis partus cum Christi prophetatur adventu, evolve. Ibi adventum Angeli præstolare, ut videas intrantem, audias salutantem : et sicut repleta stupore et ecstasi dulcissimam dominam tuam cum Angelo salutante salutes, clama dicens, *Ave gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I, 28). Hoc plenius repetens, quæ sit hæc gratiæ plenitudo, de qua totus mundus gratiam mutuavit, quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14), contemplare, et admirare Dominum, qui terram implet et cœlum, intra unius puellæ viscera claudi, quam Pater sanctificavit, Filius fecundavit, obumbravit Spiritus sanctus. O dulcis domina, quanta inebriabaris dulcedine, quo amoris igne succendebaris, cum sentires in mente et ventre tantæ majestatis præsentiam; cum de tua carne sibi carnem assumeret, et membra quibus corporaliter omnis plenitudo divinitatis habitaret, e tuis sibi membris aptaret! Hæc omnia propter te, virgo, ut Virginem, quam imitari proposuisti, diligas, et Virginis fructum [1], cui nupsisti. Jam nunc cum dulcissima domina tua in montana conscende, et sterilis et virginis suavem intuere complexum ; et salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco judicem, vox Verbum, intus anilia viscera conclusus in virginis utero clausum agnovit, et indicibili gaudio salutavit. Beati ventres in quibus totius mundi salus exoritur, pulsisque tenebris tristitiæ, sempiterna lætitia prophetatur. Quid agis, o virgo? Accurre, quæso, accurre, et tantis gaudiis admiscere, prosternere ad pedes utriusque, et in unius ventre sponsum tuum amplectere, amicum vero ejus in alterius utero venerare. Hunc euntem in Bethleem cum omni devotione prosequere, et in hospitium divertens, cum illa assiste, et obsequere parienti; locatoque in præsepio parvulo, erumpe in vocem exsultationis, clamans cum Isaia : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai.* IX, 6). Amplectere dulce illud præsepium. Vincat verecundiam amor, timorem depellat affectus, ut sacratissimis pedibus figas labia, et oscula gemines [2]. Exinde pastorum excubias mente pertracta, Angelorum exercitum admirare, cœlesti melodiæ tuas interpone partes, corde simul et ore decanta : *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II, 14).

CAPUT XLVIII. — *De Magorum adoratione, fuga Christi in Ægyptum, et de latrone ad Christi dextram crucifixo.*

Noli in tua meditatione Magorum munera præterire; nec fugientem in Ægyptum incomitatum relinque [3]. Opinare verum esse quod dicitur, eum a latronibus deprehensum in via, et adolescentuli cujusdam beneficio ereptum. Erat is, ut dicunt, principis latronum filius, qui præda potitus, cum parvulum in matris gremio comperisset, tanta ei in ejus speciosissimo vultu splendoris majestas apparuit, ut eum supra hominem esse non ambigens, incalescens amore amplexatus sit eum. Et, o, inquit, beatissime parvulorum! si aliquando se tempus obtulerit mihi miserendi, tunc memento mei, et hujus temporis noli oblivisci. Ferunt hunc esse latronem, qui ad Christi dexteram crucifixus, cum alterum blasphemantem corripuisset, dicens, *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juste ; nam digna damna factis recipimus : hic autem nihil mali fecit :* conversus ad Dominum eum in illa quæ in puerulo apparuerat, intuens majestate, pacti sui non immemor, *Memento*, inquit, *mei cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 40-42). Itaque ad incentivum amoris, non inutile arbitror hac uti opinione, remota omni affirmandi temeritate.

CAPUT XLIX. — *De contemplatione Christi pueri.*

Præterea nihilne tibi suavitatis æstimas accessurum, si eum apud Nazareth puerum inter pueros contempleris? si obsequentem matri, si operanti nutritio assistentem intuearis? Quid si duodennem cum parentibus Jerosolymam ascendentem, et illis redeuntibus et nescientibus in urbe remanentem per triduum cum matre quæsieris? O quanta copia fluent lacrymæ, cum audieris matrem dulci quadam increpatione filium verberantem, *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te* (*Id.* II, 48).

CAPUT L. — *De consideratione baptismi, jejunii et tentationis Christi.*

Si autem virginem [4] vis sequi quocumque ierit,

[1] Apud Anselm., *fuerit absque cogitationum tumultu.*

(*a*) Reliqua pars hujus libri est inter opera S. Anselmi Meditatio XV-XVII.

[1] Apud Anselm., *Virginis filium.*

[2] Apud Anselm., *et oscula genibus.* Ac paulo post, *tuas interpone preces.*

[3] Apud Anselm. sexdecim circiter lineæ hic loci interponuntur.

[4] Apud Anselm., *sponsum virginem.*

delectet altiora ejus et secretiora scrutari : ut in Jordanis flumine audias in voce Patrem, in carne Filium, in columba videas Spiritum sanctum. Ibi tu ad spirituales initiata [1] nuptias sponsum suscipis datum a Patre, purgationem a Filio, pignus amoris a Spiritu sancto. Exinde solitudinis tibi secreta ditavit, sanctificavit jejunium, ibi subeundum docens cum callido hoste conflictum. Hæc tibi facta, et pro te facta, et quomodo facta diligenter attendas. Dilige a quo facta sunt, et imitare quæ facta sunt.

CAPUT LI. — *De Muliere in adulterio deprehensa.*

Occurrit jam nunc memoriæ mulier illa deprehensa in adulterio, et Jesus rogatus sententiam, quid egerit, quidve dixerit recordare. Cum enim scribens in terra terrenos eos, non cœlestes, prodidisset ; *Qui sine peccato est*, inquit, *vestrum, primum lapidem in illam mittat.* Cum vero omnes sententia tenuisset [2] et expulisset de templo, imaginare quam pios oculos in illam levaverit, quam dulcem sua voce sententiam absolutionis ejus protulerit. Puta quod suspiraverit, quod lacrymatus sit, cum diceret, *Nemo te condemnavit, mulier ? Nec ego te condemnabo.* Felix, ut ita dicam, hæc, quæ in adulterio deprehensa mulier, quæ etiam de præteritis absolvitur, secura efficitur de futuris. Jesu bone, te dicente, *non condemnabo*, quis condemnabit? Deus qui justificat, quis est qui condemnet ? Audiatur de cætero vox tua : *Vade, et jam amplius noli peccare* (*Joan.* VIII, 7 ).

CAPUT LII. — *De muliere lacrymis pedes ejus rigante.*

Jam nunc domum ingredere Pharisæi, et recumbentem ibi Dominum tuum attende. Accede cum illa beatissima peccatrice ad pedes ejus ; lava lacrymis, terge capillis, demulce osculis, et fove unguentis. Nonne jam sacri illius liquoris odore perfunderis ? Si tibi adhuc suos negat pedes, insta, ora, et gravidos lacrymis oculos attolle, imisque suspiriis et inenarrabilibus extorque quod petis. Luctare cum Deo sicut Jacob, ut ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando, quod avertat oculos, quod aures claudat, quod desideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportune, importune ; clama, *Usquequo faciem tuam avertis a me ? Usquequo clamabo, et non exaudies* (*Psal.* XII, 1 ) ? Redde mihi, Jesu bone, lætitiam salutaris tui, quia tibi dixit cor meum : *Quæsivi faciem tuam, faciem tuam requiram* ( *Psal.* XXVI, 8 ). Certe non negabit pedes suos virgini, quos osculandos præbuit peccatrici.

CAPUT LIII. — *De paralytico per tegulas invecto et corporaliter spiritualiter que sanato.*

Sed et domum illam non præteribis, ubi per tegulas paralyticus ante pedes ejus submittitur, ubi pietas et potestas obviaverunt sibi. *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 2 ). O mira clementia ! o indicibilis misericordia ! Accepit felix remissionem peccatorum, quam non præcesserat confessio, non meruerat satisfactio, non exigebat contritio. Corporis salutem petebat, non animæ : et salutem recepit corporis et animæ. Vere, Domine, vita in voluntate tua. Si decreveris salvare nos, non est qui audeat dicere, Cur ita facis ? Pharisæe, a te quid murmuras ? an oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est ? Certe miseretur cui voluerit ; ploremus et oremus ut velit. Bonis etiam operibus pinguescat oratio, augeatur devotio, dilectio excitetur. Leventur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculavit, tactus illicitus non fœdavit, non exasperavit avaritia. Levetur et cor sine ira et disceptatione, quod tranquillitas sedavit, pax composuit, puritas conscientiæ animavit. Sed nihil horum paralyticus iste legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem peccatorum meruisse. Hæc est ineffabilis ejus misericordiæ virtus, cui sicut blasphemum est derogare, ita et hoc sibi præsumere stultissimum. Potest cuicumque vult hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit illi paralytico, *Dimittuntur tibi peccata tua.* Sed quicumque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam oratione sibi hoc dicendum exspectat ; nunquam ei remittentur peccata sua.

CAPUT LIV. — *De receptione Christi in domo Marthæ et Mariæ.*

Sed exeundum est hinc, et ad Bethaniam veniendum, ubi sacratissima fœdera amicitiæ auctoritate Domini consecrantur. Diligebat enim Jesus Martham et Mariam, et Lazarum, quod hospitalis amicitiæ, qua illi familiariori adhærebant affectu, detineri nemo qui ambigat [1]. Testes sunt lacrymæ illæ dulces, quibus lacrymatus est cum lacrymantibus, quas totus populus amoris interpretatur indicium. *Videte*, inquiunt, *quomodo amabat eum ; et ecce ponunt ei cœnam ibi, et Martha ministrabat. Lazarus autem erat unus ex discumbentibus. Maria autem sumpsit alabastrum unguenti, et fracto alabastro effudit super caput Jesu* ( *Joan.* XI, 36 ; XII, 2, 3 ). Gaude, quæso, huic interesse convivio, singulorum distingue officia. Martha ministrat, discumbit Lazarus, ungit Maria. Hoc ultimum tuum est. Frange igitur alabastrum cordis, et quidquid habes devotionis, quidquid amoris, quidquid desiderii, quidquid affectionis, totum effunde super sponsi tui caput, adorans in Deo hominem, et in homine Deum. Si fremit, si murmurat, si invidet, si proditor perditionem vocat devotionem, non sit tibi curæ. *Utquid*, ait, *perditio hæc ? Posset hoc unguentum venundari multo, et dari pauperibus* ! Pharisæus murmurat, invidens pœnitenti : murmurat Judas, invidens effusioni unguenti. Sed judex accusationem non recipit, accusatam absolvit. *Sinite*, inquit, *illam. Bonum enim opus operata est in me* ( *Marc.* XIV, 4-6 ). Laboret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esurienti cibum, vestem algenti. Ego solus Mariæ, et illa mihi : totum præstet, quod habet ; a me quidquid optat, exspectet. Quid enim ? Tune Mariæ consulis relinquendos pedes, quos tam dulciter osculatur ? avertendos oculos ab illa speciosissima facie quam contemplatur ? amovendum auditum ab ejus suavi sermone quo reficitur ?

CAPUT LV. — *De ingressu Christi in Jerusalem pueris acclamantibus*, HOSANNA, etc.

Sed jam surgentes eamus hinc. Quo, inquis ? Certe ut insidentem asello cœli terræque Dominum comiteris, tanta fieri pro te obstupescens, puerorum laudibus tuas inseras clamans et dicens : *Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 9). Jam nunc ascende cum eo in cœnaculum grande stratum, et salutaris cœnæ interesse deliciis gratulare.

CAPUT LVI. — *De cœna Domini et rebus in ea gestis.*

Vincat verecundiam amor, timorem excludat affectus : ut saltem de micis mensæ illius eleemosynam præbeat mendicanti. Vel a longe sta, et quasi pauper intendens in divitem, ut aliquid accipias extende manum, famem lacrymis prode. Cum jam surgens a cœna linteo se præcinxit, posuitque aquam in pelvim, cogita quæ majestas, quæ potestas hominum pedes abluit et extergit : quæ benignitas proditoris vestigia sacris manibus tangit. Specta et exspecta, et ultima omnium tuos ei præbe abluendos : quia quem ipse non lavit, non habebit partem cum eo. Quid modo festinas exire ? Sustine paululum. Videsne quisnam ille est, rogo te, qui supra pectus ejus recumbit, et in sinu ejus caput reclinat ? Felix quicumque ille est. O ecce video, Joannes est nomen ejus. O Joannes, quid ibi dulcedinis, quid gratiæ et suavitatis, quid luminis et devotionis ab illo hauriam fonte, dicito. Ibi certe omnes thesauri sapientiæ et scientiæ ; ibi fons misericordiæ, domicilium pietatis, et favus æternæ suavitatis. Unde tibi, o Joannes omnia ista ? Numquid tu sublimior Pe-

[1] Apud Anselm., *invitata.*

[2] Apud Anselm.: *O mira et inexstinguibilis Christi benignitas ! Quam condemnare juste potuit, adverte quam pie et quam caute liberavit. Cum enim omnes sententia trivisset.*

[1] Apud Anselm., *quod ad speciale amicitiæ privilegium quo illi.... dictum nemo est qui ambigat.*

tro, Andrea sanctior, cæteris omnibus Apostolis gratior? Speciale hoc virginitatis privilegium, quia virgo es electus a Domino, antequam ires cum matre dilectus [1]. Jam misericordiæ exsulta, virgo, accede propius, et aliquam tibi hujus dulcedinis portionem vindicare non differas. Si ad potiora non potes, dimitte Joanni pectus, ubi eum vinum lætitiæ in divinitatis cognitione inebriet : tu currens ad ubera humanitatis, lac exprime, quo nutriaris. Inter hæc sacratissima illa oratione discipulos commendans Patri dixerit, *Pater, serva eos in nomine tuo ;* inclina tuum caput, ut et tu merearis audire, *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 11, 24).

CAPUT LVII. — *De Christi agonia in monte Oliveti.*

Bonum est tibi hic esse. Sed exeundum est, præcedit ipse ad montem Oliveti, tu sequere. Et licet assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi ad secreta secesserit ; vel a longe intuere, quomodo in se nostram transtulit necessitatem. Vide quomodo ille, cujus sunt omnia, pavere incipit et tædere, *Tristis est anima mea*, inquiens, *usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Unde hoc, Deus meus ? Compateris mihi exhibens hominem, ut quodammodo videaris nescire quod Deus es : prostratus in faciem oras, *et factus est sudor* tuus, *sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII, 44). Quid stas ? accurre, et suavissimas illas guttas lambe, et pulverem pedum illius linge. Noli dormire cum Petro, ne merearis audire, *Sic non potuisti una hora vigilare mecum* (*Matth.* XXVI, 40) ?

CAPUT LVIII. — *De Christi traditione.*

Sed ecce jam proditorem præeuntem impiorum turba subsequitur, et osculum præbente Juda, manus injiciunt in Dominum tuum, tenent, ligant, et illas dulces manus vinculis astringunt. Quis ferat ? Scio, occupat nunc cor tuum pietas, omnia viscera tua zelus inflammat. Sine, rogo, patiatur qui pro te patitur. Quid optas gladium ? Quid irasceris ? Quid indignaris ? Si instar Petri cujuslibet aurem absciderіs, si ferro brachium tuleris, si pedem truncaveris, ipse restituet omnia ; qui etiam si quem occideris, absque dubio suscitabit.

CAPUT LIX. — *De injuriis Christo apud principem sacerdotum et apud Pilatum illatis.*

Sequere potius eum usque ad atrium principis sacerdotum, et speciosissimam ejus faciem, quam illi sputis illinunt, tu lacrymis lava. Intuere quam piis oculis, quam misericorditer, quam efficaciter tertio negantem respexit Petrum, quando ille conversus et in se reversus flevit amare. Utinam, bone Jesu, tuus me dulcis respiciat oculus, qui te toties ad vocem ancillæ procacis, carnis meæ pessimis operibus affectibusque negavi. Sed jam mane facto traditur Pilato. Ibi accusatur, et tacet : quoniam *tanquam ovis ad occisionem ducitur, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7; *Act.* VIII, 32). Vide, attende quomodo stat ante præsidem, inclinato capite, demissis oculis, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promptus etiam ad verbera. Scio, non potes ulterius sustinere, nec dulcissimum dorsum ejus flagellis atteri, nec faciem alapis cædi, nec venerandum illud caput spinis coronari, nec dexteram, quæ cœlum et terram continet, arundine dehonestari, tuis oculis aspicere poteris. Ecce educitur flagellatus, portans spineam coronam, et purpureum vestimentum. Et dicit Pilatus, *Ecce homo* (*Joan.* XIX, 5) : vere homo est, quis dubitet ? Testes sunt plagæ virgarum, livor ulcerum, fœditas sputorum. Jam nunc cognosco, Zabule, quia est homo. Vere homo est, inquis. Sed quid est, quod in tot injuriis non irascitur ut homo, non movetur ut homo, non suis tortoribus indignatur ut homo ? Ergo plus est quam homo. Sed quis cognoscit illum ? Cognoscitur certe homo impiorum judicia sustinens : sed cognoscetur Deus judicium faciens.

CAPUT LX. — *De passione Christi, et deceptione diaboli.*

Sero animadvertisti, Zabule. Quid tibi per mulierem visum est agere, ut dimittatur ? Tarde locutus es. Sedet pro tribunali judex : prolata est sententia : jam portat propriam crucem ; ducitur ad mortem. O spectaculum ! Videsne ? *Ecce principatus super humerum ejus* (*Isai.* IX, 6). Hæc est virga æquitatis, virga regni sui. Datur ei vinum felle mixtum. Exuitur vestimentis suis, et inter milites dividuntur. Tunica non scinditur : sed sorte transit ad unum. Dulces manus ejus et pedes clavis perforantur, et extensus in cruce inter latrones suspenditur.

CAPUT LXI. — *De Christo in cruce.*

Mediator Dei et hominum, inter cœlum et terram medius pendens, ima superis unit, et cœlestibus terrena conjungit. Stupet cœlum, et terra miratur ; quid tu ? Non mirum si sole contristato, tu contristaris ; si terra tremiscente, tu contremiscis ; si scissis saxis, cor tuum scinditur ; si flentibus juxta crucem mulieribus, tu collacrymaris.

CAPUT LXII. — *De mira Christi patientia in cruce.*

Verum in his omnibus considera illud dulcissimum pectus, quam tranquillitatem servaverit, quam habuerit pietatem. Non suam attendit injuriam, non pœnam reputat, non sentit contumelias. Sed illis potius a quibus patitur, ille compatitur ; a quibus vulneratur, ille medetur ; vitam procurat, a quibus occiditur. Cum qua mentis dulcedine, cum qua spiritus devotione, in qua charitatis plenitudine, clamat, *Pater, ignosce illis* (*Luc.* XXIII, 34) !

CAPUT LXIII. — *Virgo propior adstat cruci.*

Ecce ego, Domine, tuæ majestatis adorator, non tui corporis interfector ; tuæ mortis venerator, non tuæ passionis irrisor ; tuæ misericordiæ contemplator, non infirmitatis contemptor. Interpellet itaque pro me tua dulcis humanitas, commendet me Patri tua ineffabilis pietas. Dic ergo, dulcis Domine, *Pater, ignosce illi.* At tu, virgo, cui major est apud Virginis Filium confidentia quam mulieribus, quæ longe stant, cum matre virgine et discipulo virgine accede ad crucem, et perfusum pallore vultum cominus intuere. Quid ergo ? Tu sine lacrymis, amantissimæ dominæ lacrymas videbis ? Tu siccis oculis manes, et ejus animam pertransiit gladius doloris ? Tu sine singultu audies dicentem matri : *Mulier, ecce filius tuus ;* et Joanni : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 26, 27) ? Cum discipulo matrem committeret, latroni paradisum promitteret ; tunc *unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua* (*Ibid.* 34). Festina, ne tardaveris, comede favum cum melle tuo. Bibe vinum tuum cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum vertitur, ut inebrieris ; in lac aqua mutatur, ut nutriaris. Facta sunt tibi in petra flumina, in membris ejus vulnera, et in maceria corporis ejus caverna, in quibus instar columbæ latitas, et deoscularis singula. Ex sanguine ejus fiant sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.

CAPUT LXIV. — *De decurione.*

Sed adhuc exspecta donec nobilis ille decurio veniens, extractis clavis manus pedesque dissolvat. Vide quomodo felicissimis brachiis corpus complectitur, ac suo astringit pectori. Tunc dicere potuit vir ille sanctissimus : *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera commorabitur* (*Cant.* I, 12). Sequere tu pretiosissimum illum cœli terræque thesaurum, vel pedes porta ; vel manus brachiaque sustenta ; vel certe defluentes minutatim pretiosissimi sanguinis stillas curiosius collige, et pedum illius pulverem linge. Cerne præterea quod dulciter beatissimus Nicodemus sacratissima ejus vulnera tractavit digitis, fovit unguentis, et cum sancto Joseph involvit sindone, collocavit in sepulcro.

CAPUT LXV. — *De Magdalena sepulcrum visitante.*

Noli præterea Magdalenæ desercre comitatum : sed paratis aromatibus, cum ea Domini tui sepulcrum visitare memento. O si quod illa oculis, tu in spiritu cernere merearis, nunc super lapidem revolutum ab ostio monumenti angelum residentem, nunc intra monumentum unum ad caput, alium ad pedes resurrectionis gloriam prædicantes, nunc ipsum Jesum Mariam

[1] Apud Anselm., *atque inter cæteros magis dilectus,*

flentem, et tristem tam dulci respicientem oculo, tam suavi voce dicentem, *Maria*. Quid hac voce dulcius, quid suavius, quid jucundius, *Maria?* Rumpuntur ad hanc vocem omnes capitis cataractæ, ab ipsis medullis eliciuntur lacrymæ, singultus atque suspiria ab imis trahuntur visceribus. *Maria*. O beata! quid tibi pro meritis fuit, quid animi, cum ad hanc vocem te prosterneres, et reddens vocem salutanti inclamares, *Rabboni?* Quo, rogo, affectu, quo desiderio, mentisque ardore clamasti, *Rabboni?* Nam plura dicere lacrymæ prohibent, cum vocem occludat affectus, omnesque animæ corporisque sensus, nimius ardor absorbeat. Sed, o dulcis Jesu, cur a sacratissimis ac desideratissimis pedibus tuis sic arces amantem? O verbum durum! *Noli*, inquit, *me tangere* (*Joan.* xx, 16, 17). Utquid, Domine? Quare non tangam desiderata illa vestigia tua pro me perforata clavis, perfusa sanguine? Non tangam, non deosculabor? An inimicior es eo, quia gloriosior? Ecce, non dimittam te, non recedam a te, non parcam lacrymis, pectus singultibus suspiriisque rumpetur, nisi tangam. Et ille : *Noli me tangere*. Noli timere; non aufertur tibi bonum hoc, sed differtur : vade tamen, et nuntia fratribus meis quia surrexi. Currit cito volens redire. Redit cum aliis mulieribus. Quibus Jesus occurrens blanda salutatione, dejectas sic erigit, tristes consolatur. Adverte. Tunc est datum, quod ante fuit dilatum. Accesserunt enim et tenuerunt pedes ejus. Hic quamdiu potes, virgo, morare. Non has delicias tuas somnus interpolet, nullus exterior tumultus impediat.

CAPUT LXVI. — *De mundi et rerum præsentium contemptu.*

Verum quia in hac misera vita nihil stabile, nihil æternum est, nunquam in eodem statu permanet homo; necesse est, ut anima nostra, dum vivimus, quadam varietate pascatur. Unde a præteritorum recordatione ad experientiam præsentium transeamus, ut ex his quoque quantum a nobis sit Deus diligendus, omnes intelligere valeamus. Hæc omnia revolve animo, ut in eum totus tuus resolvatur affectus. Vilescat tibi mundus, omnis amor carnalis sordescat. Nescias te esse in hoc mundo, quæ ad illos, qui in cœlis sunt et Deo vivunt, tuum amorem transtulisti. Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Noli cum argenteis simulacris vili marsupio tuum includere animum, qui nunquam cum nummorum pondere poterit transvolare ad cœlum : puta te quotidie morituram, et de crastino non cogitabis. Non te futuri temporis sterilitas terreat, non futuræ famis timor tuam mentem dejiciat. Sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aves pascit et lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse apotheca, ipse marsupium, ipse divitiæ tuæ, ipse solus sit tibi omnia in omnibus. Et hæc interim de præsentibus satis sint.

CAPUT LXVII. — *Mors a sanctis desideratur.*

Qui autem tanta suis præstat in præsenti, quanta illis servat in futuro? Principium futurorum, et finis præsentium mors. Hanc cujus natura non horret? cujus non expavescit affectus? Nam bestiæ fuga, latibulis, et aliis mille modis mortem cavent, et vitam tenent. Jam nunc diligenter attende, quid tua tibi respondeat conscientia, quid præsumat fides tua, quid spes promittat, quid exspectet affectus. Si vita tua tibi oneri est, si mundus fastidio, si caro dolori; profecto desiderio mors est tibi, quæ jugum hujus oneris deponit, tollit fastidium, corporeos dolores absumit. Hoc unum dico omnibus mundi hujus præstare deliciis, honoribus atque divitiis, si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. Quod ille maxime poterit experiri, qui aliquo tempore sub hac servitute suspirans, in liberioris conscientiæ auras evasit. Hæc sunt futuræ beatitudinis tuæ primitiæ salutares, ut morte superveniente naturalem horrorem fides superet, spes temperet, conscientia secura repellat.

CAPUT LXVIII. — *Mors justo felicitatis principium est.*

Et vide quomodo mors beatitudinis principium est, laborum meta, peremptoria vitiorum. Sic enim scriptum est : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* xiv, 13). Unde propheta reproborum ab electorum morte discernens, *Omnes*, inquit, *reges dormient in gloria in domo sua : tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus* (*Isai.* xiv, 18, 19).

CAPUT LXIX. — *De animæ e corpore exeuntis requie vel supplicio.*

Dormiunt quippe in gloria quorum mortem bona commendat conscientia. Quoniam pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Dormit sane in gloria, cujus dormitioni assistunt Angeli, occurrunt sancti et concives, suum præbentes auxilium, et impertientes solatium, hostibus se opponunt, obsistentes repellunt, refellunt accusantes : et sic usque ad sinum Abrahæ sanctam animam comitantes in loco pacis collocant et quietis. Non sic impii, quos de corpore, quasi de fœtenti sepulcro, pessimi spiritus cum instrumentis infernalibus extrahentes pollutos libidine, obvolutos cupiditate, injiciunt ignibus exurendos, tradunt vermibus lacerandos, æternis fœtoribus deputant suffocandos. Vere *exspectatio justorum lætitia; spes autem impiorum peribit* (*Prov.* x, 28).

CAPUT LXX. — *De requie æterna et gloria sanctorum.*

Sane qualis sit illa requies, quæ pax illa, quæ jucunditas de sinu Abrahæ, quæ illic quiescentibus promittitur, et exspectatur, quia experientia non docuit, stilus explicare non poterit. Exspectant felices, donec impleatur numerus fratrum suorum; ut in die resurrectionis duplici stola induti, corporis pariter et animæ perpetua felicitate fruantur.

CAPUT LXXI. — *De extremi judicii die.*

Jam nunc intuere diei illius terrorem, quando virtutes cœlorum movebuntur, elementa ignis calore solventur, patebunt inferi, occulta omnia nudabuntur. Veniet desuper judex iratus, ardens furor ejus, et ut tempestas currus ejus, ut reddat in ira vindictam et vastationem in flamma ignis. Beatus qui paratus est occurrere illi. Quid tunc miseris animis erit? quam tunc miseri erunt, quos nunc luxuria fœdat, avaritia dissipat, extollit superbia! Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, istos a dextris, alios a sinistris statuentes. Cogita nunc te ante tribunal inter utramque hanc societatem assistere, et necdum in partem alteram separatam. Deflecte nunc oculos ad sinistram Judicis, et miseram illam multitudinem specta.

CAPUT LXXII. — *De confusione et pœna malorum.*

Qualis ibi horror? quis timor? quis fœtor? quis dolor? Stant miseri, et infelices stridentes dentibus, nudo latere palpitantes, aspectu horribiles, vultu deformes, dejecti præ pudore; præ corporis turpitudine et nuditate confusi latere volunt, et non datur; fugere tentant, et non permittuntur. Si levant oculos, desuper judicis imminet furor; si deponunt, infernalis putei eis ingeritur horror. Non suppetit criminum excusatio, nec de iniquo judicio aliqua poterit esse causatio : cum quidquid decretum fuerit, justum esse ipsam eorum conscientiam non latebit.

CAPUT LXXIII. — *Amor Deo rependendus pro prædestinationis gratia.*

Cerne nunc quam amandus sit, qui te ab hac damnata societate prædestinando discernit, vocando separavit, justificando purgavit. Retorque nunc ad dexteram oculos, et quibus te glorificando sit inserturus, adverte.

CAPUT LXXIV. — *De gloria bonorum.*

Quis ibi decor? quis honor? quæ felicitas? quæ securitas? Alii die judiciaria sede sublimes, alii martyrii corona splendentes, alii virginitatis flore candidi, alii eleemosynarum largitione fecundi, alii doctrina et eruditione præclari, uno charitatis fœdere copulantur. Lucet eis vultus Jesu Christi non terribilis, sed amabilis; non amarus, sed dulcis; non terrens, sed blandiens.

CAPUT LXXV. — *Ex sola Dei gratia salvandis accensemur.*

Sta nunc in medio, nesciens quibus te judicis sententia deputabit. O dura exspectatio! *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV, 6). Si me sinistris sociaverit, non causabor injustum: si dextris adscripserit, gratiæ ejus hoc, non meis meritis est imputandum. Vere, Domine, vita in voluntate tua. Vides ergo quantum in amore ejus tuus extendi debeat animus, qui cum juste posset in impios prolatam, in te quoque retorquere sententiam, justis te maluit ac salvandis inserere. Jam te puta sanctæ illi societati conjunctam vocis illius audire decretum: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Miseris audientibus verbum durum, plenum iræ et furoris: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum. Tunc ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 34, 41, 46). O dura separatio! o miserabilis conditio!

CAPUT LXXVI. — *De regno Dei post judicium.*

Sublatis vero impiis ne videant gloriam Dei, justis quoque singulis secundum gradum suum et meritum angelicis ordinibus insertis, fiet illa gloriosa processio, Christo præcedente capite nostro, omnibus membris suis sequentibus; et tradetur regnum Deo et Patri, ut ipse regnet in ipsis, et ipsi regnent cum eo, illud percipientes regnum, quod paratum est illis ab origine mundi.

CAPUT LXXVII. — *De regni Dei felicitate.*

Cujus regni status nec cogitari quidem potest a nobis, multo minus dici vel scribi. Hoc sciendum, quod omnino nihil aberit, quod velis adesse; nec quidquam aderit, quod velis abesse. Nullus igitur ibi luctus, fletus nullus, non timor, non dolor, non diffidentia, non invidia, non tribulatio, non tentatio, non aeris mutatio vel corruptio, non suspicio, non ambitio, non adulatio, non detractio, non ægritudo, non senectus, non mors, non paupertas, neque tenebræ, non edendi vel bibendi vel dormiendi ulla necessitas, nulla fatigatio, defectio nulla. Quid ergo boni ibi est, ubi nec luctus, nec fletus, nec dolor est, neque tristitia? Quid potest esse nisi perfecta lætitia, ubi nulla tribulatio, nulla tentatio, nulla temporum mutatio, vel aeris corruptio, æstus vehementior, nec hiems asperior? Quid potest esse nisi summa quædam rerum temperies, et mentis et carnis vera ac summa tranquillitas? Ubi nihil est, quod timeas, quid potest esse nisi summa securitas? ubi nulla discordia, nulla invidia, nulla suspicio, nulla ambitio, nulla adulatio, detractio nulla; quid potest esse nisi summa et vera dilectio? ubi nulla paupertas, nulla cupiditas; quid potest esse nisi bonorum omnium plenitudo? ubi nulla deformitas; quid potest esse nisi vera pulchritudo? ubi nullus labor vel defectio; quid erit, nisi requies summa et fortitudo? ubi nihil est, quod gravet vel oneret; quid est nisi summa facilitas? ubi nec senectus exspectatur, nec morbus timetur; quid potest esse nisi vera sanitas? ubi neque nox, neque tenebræ; quid erit nisi lux perfecta? ubi mors, et mortalitas omnis absorpta; quid erit nisi vita æterna? Quid est ultra quod quæramus? Certe quod his omnibus excellit, id est, visio, cognitio, et dilectio Creatoris. Videbitur in se, videbitur in creaturis suis, regens omnia sine sollicitudine, sustinens omnia sine labore, impertiens se, et quodam modo dispertiens singulis pro sua capacitate, sine sui diminutione vel divisione. Videbitur ille vultus amabilis et desiderabilis, in quem desiderant Angeli prospicere, de cujus plenitudine, de cujus lumine, de cujus suavitate quid dicetur. Videbitur Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in utroque. Videbitur non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem. Videbitur enim sicuti est, impleta illa promissione, qua dicit, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Ex hac visione, illa procedit cognitio, de qua ipse ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Id.* XVII, 3). Ex his tanta nascitur dilectio, tantus ardor paterni amoris[1], tanta dulcedo charitatis, tanta fervendi copia, tanta desiderii vehementia; ut nec satietas desiderium minuat, nec desiderium satietatem impediat. Quid est hoc? Certe quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.

CAPUT LXXVIII. — *Epilogus operis.*

Hæc tibi, soror, de beneficiorum præteritorum Christi memoria, de præsentium experientia, de exspectatione futurorum quædam meditationum spiritualium semina præseminare curavi, ex quibus divini amoris fructus uberior oriatur et crescat: ut meditatio affectum exerceat, affectus desiderium pariat, lacrymas desiderium excitet: ut sint lacrymæ tuæ panes die ac nocte, donec appareas in conspectu ejus, et suscipiaris ab amplexibus ejus, dicasque illud, quod in Canticis scriptum est: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant.* I, 12). Habes nunc, sicut petisti, corporales constitutiones, quibus inclusa exterioris hominis mores componas. Habes formam præscriptam, qua interiorem hominem, vel purges a vitiis, vel virtutibus ornes. Habes in triplici meditatione quomodo in te dilectionem excites, nutrias, et accendas.

*Versus notabiles.*

Dulcia sunt animæ solatia, quæ tibi mando.
Nam prosunt minime, nisi serves hæc operando.

Si quis igitur in hujus libelli locutione[2] profecerit, hanc labori meo vel studio vicem impendat, ut apud Salvatorem meum quem diligo, apud remuneratorem meum quem exspecto, apud judicem meum, quem timeo, pro peccatis meis intercedat.

[1] Apud Anselm., *pii amoris*: et mox, *tanta fruendi copia*.
[2] Sic in B. et Lov.; forte melius diceretur, *lectione*. M.

# INDEX RERUM

## QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.


EPISTOLA DEDICATORIA. 9-10
IN NOVISSIMAM S. AUGUSTINI OPERUM EDITIONEM PRÆFATIO GENERALIS. 13-14
IN APPENDICES AUGUSTINIANAS ET ALIA IN HOC VOLUMINE CONTENTA BREVIS PRÆFATIO. 27-28
VITA POSSIDII. 31-32
VITA S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, auctore Possidio Calamensi episcopo. 33-34
Præfatio. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Augustini ortus, conversio et baptismus. Ambrosii doctrina revocatur ab errore Manichæorum. 33-34
II. Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta. 35
III. Secessus Augustini. Quidam ab Augustino conversus. 36
IV. Capitur ad presbyterii gradum. *Ibid.*
V. Monasterium instituit. Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se prædicandi verbum Dei. 37
VI. Conflictus Augustini cum Fortunato Manichæo. 38
VII. Libri et tractatus Augustini contra fidei hostes ab

ipsis etiam hæreticis ingenti ardore excepti. 38
VIII. Designatur episcopus, vivo Valerio, et a Megalio primate ordinatur. 39
IX. Pugnat cum Donatistis. 40
X. Circumcellionum furor. 41
XI. Profectus Ecclesiæ per Augustinum. Monasteria per ejus alumnos instituta. 42
XII. Augustinus paratas sibi insidias errore ductoris devitat. Multa auraria hæreticis indicta. 43
XIII. Pax Ecclesiæ per Augustinum. 44
XIV. Emeritus episcopus Donatista superatus. *Ibid.*
XV. Digressione concionantis conversus negotiator, nomine Firmus. 45
XVI. Manichæorum exsecrandæ turpitudines detectæ. Felix Manichæus conversus. 46
XVII. Pascentius comes Arianus in collatione revincitur. Collatio cum Maximino episcopo Ariano. 47
XVIII. Pelagianistæ novi hæretici, expugnati et condemnati. Ecclesiæ catholicæ quantum profuerint labores Augustini. Hæretici et Pagani deficiunt. Augustini operum quam ingens copia. 48
XIX. In causis audiendis quomodo se gesserit Augustinus. Partes, facta opportunitate, docet quæ ad æternam vitam spectant. Merces operæ justitiæ. 49
XX. Pro reis quomodo intercesserit. 50
XXI. Conciliis quo animo interesse soleret. In ordinandis sacerdotibus major consensus et Ecclesiæ consuetudo inquirenda. 51
XXII. In vestitu et victu qualis fuerit Augustinus. *Ibid.*
XXIII. In usu redituum ecclesiasticorum qualis. 52
XXIV. In re domestica qualis. Donata et legata Ecclesiæ quænam suscipiebat aut recusabat. A rerum temporalium curis liberum semper animum habere volebat. 53
XXV. Disciplina domestica. Pœna jurantis. 54
XXVI. De convictu feminarum. 55
XXVII. Officium erga destitutos et ægrotantes. Ambrosii in extremis præclarum dictum. Altera episcopi morti propinquantis eximia sententia contra vitæ hic prolixioris cupiditatem. 56
XXVIII. Quæ proxime ante mortem ab Augustino edita. Retractationum libri. Barbarorum irruptio. Hipponis obsidio. 57
XXIX. Morbus extremus Augustini. 59
XXX. Consilium an hostibus adventantibus ex Ecclesiis episcopis recedendum sit. *Ibid.*
XXXI. Mors et sepultura Augustini. Psalmi pœnitentiales. Sacrificium pro mortuo oblatum. Bibliotheca. Monasteria. Epitaphium poetæ cujusdam. 65

VITA S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, ex ejus potissimum scriptis concinnata. 65-66

LIBER PRIMUS. — De primis viginti novem annis Augustini, ab ejus ortu ad profectionem ejusdem in Italiam. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. 1 Augustini patria. 2 Natalis dies. 3 Nomen. 4 Parentes et consanguinei. *Ibid.*
II. 1 Augustinus infans catechumenis adscribitur. 2 In pueritia morbo correptus Baptismum flagitat. 3 Deum puerulus invocat, ne in schola vapulet. 4 In scholas datus ut litteras discat, latinas amat. 5 Græcas odit. 6 Pueritiæ ipsius errata. 67
III. 1 Madauris domum remigrat, ibique per annum ab studiis feriatur. 2 Ex otio in luxuriam incidit. 3 Furti sese astringit. 70
IV. 1 Carthagine studens rhetoricæ, a perditis scholasticorum moribus abhorret. 2 Ibi impuro amore capitur. 3 Modum in eo quemdam tenet. 4 Adeodatum ex concubina suscipit. 5 Adeodati mirabile ingenium, morsque immatura. 71
V. 1 Augustinus patre orbatus alitur Carthagine sumptibus matris, et ope Romaniani. 2 Lecto Ciceronis Hortensio, sapientiæ studio incenditur. 3 Scripturas sacras ob demissiorem stilum fastidit. 4 Aristotelis categorias et omnes artes liberales suopte ingenio percipit.
VI. 1 In Manichæorum hæresim delabitur. 2 Complures ex familiaribus suis in eam pellicit. 3 In auditorum gradu sese apud Manichæos continet. 4 Novem annos totos, illos audit. 5 Filii sui casum deflet Monnica, et de ejus salute bene sperare divinitus jubetur.
VII. 1 Tagastæ grammaticam docet, ubi auditorem habet Alypium. 2 Amici morte incidit in maximum luctum, et Tagasta dolore premente excedit. 3 Regressus Carthaginem, ibi rhetoricam profitetur.
VIII. 1 Augustinus quam longe abhorret a magia. 2 De Albicerio hariolo stupendum quidpiam memorat. 3 Astrologiæ judiciariæ plus nimio tribuens, ab ea per Vindicianum et Nebridium avocari non potest. 4 Firminus eum hoc errore nesciens exsolvit. 5 Libri de Pulchro et Apto ad Hierium scripti. 82
IX. 1 Perditos Manichæorum mores deprehendit Augustinus. 2 Horum Auditor Constantius eos emendare frustra conatus, se in Ecclesiæ catholicæ sinum recipit. 3 Errores quoque illorum ab Augustino comperti. 4 Quis quantusve Faustus ille a Manichæis tantopere prædicatus. 5 Ejus inscitia ab Augustino deprehensa. 6 Manichæorum imbecillitatem audito Fausto intelligit. 87

LIBER SECUNDUS. — De Augustini profectione in Italiam, et de rebus ibi ab eo gestis usque ad suum in Africam reditum.

CAPUT PRIMUM. 1 Augustinus Romam proficiscitur. 2 Occulte ac invita matre. 3 Ibi in morbum incidit periculosum. 4 Inter Manichæos versatur, quænam eum in illorum adhuc secta distinebant. 5 Rhetoricam in Urbe docet. 93
II. 1 Ab Urbis præfecto mittitur Mediolanum ad docendam artem oratoriam. 2 Benigne suscipitur ab Ambrosio, ejusque auditis concionibus, a Manichæis discedere, atque in Ecclesia catholica catechumenus manere constituit, donec aliquid sibi certi eluceat. 98
III. 1 Monnica Mediolanum venit. 2 Augustino nulla copia datur sciscitandi quæ cupit, ab Ambrosio episcopo. 3 Conciones ejus ad populum audire perseverat, ex iisque magis in dies veram Ecclesiæ catholicæ doctrinam intelligit. 4 Fidei necessitatem et salubrem Scripturarum auctoritatem agnoscit. 5 Adhuc laborat in quæstione de mali origine. 6 Platonicorum lectione proficit in cognitione Dei, non autem Verbi incarnati. 7 Commiserationis sensu afficitur in eos qui Manichæorum errore sunt implicati. 100
IV. 1. Sic veritatem consectatur Augustinus, ut nihilominus terrenis adhuc inhiet. 2 Ex mendico jocante et lætante, miseriam ambitiosorum intelligit. 3 In eligendo vitæ genere fluctuat. 4 Concubina ab se, ut uxorem ducat, dimissa, aliam assumit. 5 De vitæ communitate ineunda consilium frustra cum amicis habitum. 6 Ejus amorem erga sapientiam augent Platonici. 7 Plurimum proficit ex Apostoli lectione. 105
V. 1 Rebus omnibus Dei causa renuntiare vult, nec valet. 2 Simplicianum consulit. 3. Antonii vitam narrante Pontitiano discit, simulque aulicorum duorum conversionem. 4 Conflictus in Augustini mente ac voluntate audito Pontitiano. 5 Pauli codicem insolitæ vocis monitu aperit, lectoque loco repente convertitur. 111
VI. 1 Quare magisterii sui onus non ante vindemiales ferias prope instantes abjiciat. 2 In Verecundi villam cum amicis secedit. 116
VII. 1 De anno, in quo conversio Augustini contigit, controversia unde potissimum exorta. 2 Anno trecentesimo octogesimo septimo illam adscribunt opiniones duæ, quibus alio atque alio detorquentur Possidii Augustinique hanc in rem dicta. 3 Nihil obstare, quominus hisce dictis in germano sensu acceptis, illum anno trecentesimo octogesimo sexto conversum, eumdemque anno trecentesimo octogesimo septimo baptizatum asseramus. 4 Huic sententiæ robur accedit ex quodam Augustini loco comparato cum tempore quo Ambrosius exagitabatur ab Justina. 5 Diluitur contraria argumentatio petita ab observatione temporis, quo Imperatori laudes recitavit. 6 Opinio quædam conversionem Augustini ponens anno trecentesimo octogesimo quinto minime probabilis. 118
VIII. 1 Quibus exercitiis ruri vacarit Augustinus. 2 Qua ratione duos ibi adolescentes instituerit. 3 Librum adversus Academicos primum conscribit. 4 Hinc aliis quibusdam opusculis manum admovet. 5 Redit ad Academicos, et librum de iisdem secundum ac tertium perficit. 6. De Romaniano, cui hos de Academicis libros dedicavit. 7 Liber de Beata Vita scriptus ad Theodorum. 8 Libri de Ordine duo. 9 Æmulationis et inanis jactantiæ motus in discipulis suis comprimit. 10 Opus de Ordine cur Zenobio dedicatum. 125
IX. 1 Laborat Augustinus ut magis ac magis in veritatis cognitione proficiat. 2 Ignei pietatis ejus affectus. 3 Inveterata jurandi consuetudine se Deo juvante liberat. 4 A dentium dolore divinitus sanatur. 5 De Soliloquiis, in quibus illius animæ status inspicitur. 6 Unde appellata Soliloquia, quodve eorumdem librorum argumentum. 133
X. 1 De Nebridio amico Augustini. 2 Hujus ad Nebridium epistolæ. 138

XI. 1 Mediolanum redit Augustinus daturus nomen inter Competentes. 2 Interea temporis de Immortalitate animæ librum unum, et aliquot alios de Liberalibus Disciplinis ibidem scribit. 3 Baptismum sacerdote Ambrosio ministrante suscipit. 4 Ecclesiæ ea de re gratulatio ac lætitia. 5 Qua occasione Mediolani institutus mos canendi hymnos et psalmos in ecclesia. 6 Augustinus omnibus abdicatis propositum serviendi Deo amplexus adjungit aliquos sibi socios ejusdem propositi, ac remeat cum illis in Africam. 140

XII. 1 Beata Monnica parentibus christianis nata, et apud ipsos pudice ac sobrie educata est. 2 Quam laudabiles ejus in conjugio mores. 3 Anno ætatis quadragesimo orbata viro, reliquam vitam omnem in piis operibus traduxit. 4 Quanto majore sollicitudine Augustinum parturivit spiritu, quam carne parturierat. 5 Interest philosophicis colloquiis Augustini, ubi inter alios eminet argutis et gravibus dictis. 144

XIII. 1 Monnicæ cum Augustino de æternæ vitæ felicitate collocutio. 2 Præclarum dictum sanctissimæ feminæ de abjicienda sepulcri sui cura : felix ejusdem obitus. 3 Monnicæ funus : Augustini dolor de illius obitu acerbissimus, fletus modicus. 152

XIV. 1 Dilato reditu ad patriam, Augustinus Romæ conscribit aliquot libros, scilicet de Moribus Ecclesiæ catholicæ. 2 De Moribus Manichæorum. 3 Inchoat opus de Libero Arbitrio, et quasdam Romanæ Ecclesiæ consuetudines discit. 155

LIBER TERTIUS. — De Augustini reditu in Africam ac de rebus ibi gestis ab ipso usque ad Episcopatum. 157-158

CAPUT PRIMUM. 1 Africam repetit, ubi se cum Mediolani ageret, Eulogio Carthagine decenti apparuisse in somnis, ex ipso comperit. 2 Interest miraculo curationis Innocentii. *Ibid.*

II. 1 Augustinus facultates suas pauperibus erogat. 2 Communis vitæ institutum sectatur cum sociis Deo servientibus, quorum ipse curam gerit. 3 Per litteras colloquitur cum Nebridio, et ejus quæstiones expendit. 160

III. 1 Libros de Genesi contra Manichæos conscribit. 2 Absolvit sex libros de Musica. 3 Dialogum de Magistro edit. 4 Deinde librum de Vera Religione. 5 Scribit ad Maximinum Madaurensem. 6 Ad Cœlestinum. 7 Ad Gaium. 8 Et ad Antoninum. 165

IV. 1 Presbyter Hipponensis anno Christi trecentesimo nonagesimo primo ordinatur. 2 De Hippone-Regio. 3 De Valerio illius urbis episcopo. 4 Ab eo postulat Augustinus aliquod tempus, quo sese in secessu ad presbyterii munia precibus et sacrarum Scripturarum studio comparet. 5 Quod concessum videtur a Valerio. 6 Ejus jussu Augustinus presbyter verbum Dei tractat ad plebem, etiam præsente ipso episcopo. 168

V. 1 Monasterium Hippone constituit. 2 De ejus discipulis. 3 Ex iis plures ad episcopatum assumpti. 4 Monastica vita Augustini studio per Africam propagata. 5 Monachorum quorumdam ex suorum numero lapsus quam graviter tulit. 6 Demonstrat effici non posse ut monastica professio nullos bonis malos mixtos habeat. 7 Infimæ sortis homines ad eam admitti jubet, neque divitibus admitti cupientibus haberi minores gratias, cum ubilibet egenis, quam cum monasterio suas dederint facultates. 8 De sanctimonialibus Hipponensibus communis vitæ institutum in monasterio per eum erecto professis. 174

VI. 1 Aurelius creatur episcopus Carthaginensis, ex quo ingentes in Ecclesias Africanas redundant utilitates. 2 Ad eum scribit Augustinus, quo ab ecclesiis comessationes et alias fœditates auferat. 3 Dolet contentionem et vanæ laudis appetitum in ipsis quoque clericis inveniri. 183

VII. 1 Librum de Utilitate credendi ad Honoratum Manichæis addictum scribit. 2 Tum librum de Duabus Animabus adversus eosdem Manichæos. 3 Fortunatum Manichæum presbyterum convincit in publica disputatione. 4 Adimantum Manichæi discipulum refellit. 185

VIII. 1 Generale concilium totius Africæ celebratur Hippone, in quo Augustinus fidei symbolum exponit. 2 Ad Hieronymum scribit. 3 Edit librum de Genesi ad Litteram imperfectum. 4 Libros postea de Sermone Domini in monte. 5 Scribit in Epistolam ad Romanos. 6 Necnon in Epistolam ad Galatas. 7 Opusculum de Mendacio. 189

IX. 1 Historiæ Donatistarum epitome. 2 Quantum ii multitudine pollebant in Africa, cum ad presbyterarum pervenit Augustinus, et qui eos ille continuo adortus est. 3 Congredi cum illo non audent Donatistæ. 4 Psalmum abecedarium in eos componit. 5 Epistolam Donati refellit. 6 Ad Maximinum Sinitensem Donatistarum episcopum scribit ob diaconum ab ipso, uti ferebatur, rebaptizatum. 192

X. 1 Augustinus ex lucubrationibus suis et Alypii relatione innotescit Paulino. 2 Hic ad Alypium et ad Augustinum singulas dat epistolas. 3 Licentius carmen ad Augustinum transmittit. 4 Augustinus respondet litteris Paulini. 5 Is non accepto Augustini responso, litteras ad illum secundas scribit. 199

XI. 1 Contra pessimam consuetudinem in ecclesia convivandi sermonem habet ad plebem Hipponensem. 2 Eamdem consuetudinem vehementius oppugnat altero die. 3 Sequenti die penitus tollit. 4 Operi de Libero Arbitrio supremam manum apponit. 5 Nonnulla in eo opere pro se facere jactarunt Pelagiani ac Semipelagiani. 203

LIBER QUARTUS. — In quo demonstratur quomodo in episcopatu vixerit Augustinus, et quæ ab ordinatione sua ad annum inde quintum ediderit. 209-210

CAPUT PRIMUM. Augustinus a Valerio collega deposcitur. 2 Megalius Numidiæ primas falsi criminis nomine ordinationi ejus intercedit, cujus rei mox eum pœnitet. 3 In suam ordinationem tandem aliquando consentit Augustinus, et cum Valerio sedet coepiscopus. 4 Ejus ordinatio facta anno Domini trecentesimo nonagesimo quinto exeunte. 5 Scribens ad Paulinum de sua eum ordinatione facit certiorem. 6. Hic de eadem ad Romanianum scribit, adjuncto carmine ad Licentium. *Ibid.*

II. 1 Quis animæ habitus erat, quive mores Augustini jam episcopi. 2 In solitudinem fugere prohibetur a Deo : ejus deliciæ sunt Scripturæ Dei et vacare Deo. 3 Qualis ei cultus corporis in vestibus et calceamentis acceptus fuerit. 4 Quæ ejus mensa. 5 Manibus quotidie aliquid operari vellet, si per valetudinem et per occupationes liceret. 6 Infirma valetudo ipsius et occupationes. 7 Clericorum monasterium in episcopii domo instituit. Ad Lætum istius forte monasterii alumnum epistola. 8 In eo monasterio regulariter et anguste cum suis clericis convivit. 9 Ut se gerebat erga feminas : nullam ne quidem ex consanguineis habitare in sua domo passus est. 215

III. 1 Augustinus semper animo liber in Ecclesiæ suæ bonis administrandis. 2 In iisdem data facultate augendis quantum alienus ab omni cupiditate. 3 Oblationes pias approbat et suscipit. 4 Ipsius et Alypii de Honorati presbyteri hæreditate quam discrepantes sententiæ. 5 Basilicas et xenodochium construi curat. 225

IV. 1 Sublevandis pauperibus intendit. 2 In gratiam Fascii ære alieno pressi scribit ad plebem Hipponensem. 3 In commendatione sua et intercessione apud Potestates aliis præstanda modeste se gerit. 4 In rusticanorum gratiam scribit ad Romulum. 230

V. 1 Augustini regula et prudentia in visitationibus vel in aliis præstandis officiis. 2 In Germanicianensis parœciæ gratiam scribit ad Pancharium. 3 Universæ Ecclesiæ pro sua parte ac facultate dat operam. 4 Causis dirimendis se occupari conqueritur. 233

VI. 1 In divini verbi prædicationem sedulo incumbit sanctus Episcopus. 2 Audito eo concionante Firmus Manichæus ad Christi fidem convertitur. 3 Quædam in ejus Sermonibus observatu digna. 4 Latine concionabatur apud Hipponem. 5 Consuetudo audiendi verbum Dei sedendo, quam quæ Africanarum Ecclesiarum erat, audiendi scilicet stando, magis illi probatur. 236

VII. 1 Invehitur in vitia. 2 Ejus in corripiendis peccantibus prudentia et charitas. 3 A flagitiosorum Christianorum magis quam ab Ethnicorum convictu sese abstinet. 4 Ob alicujus peccatum totam ejus familiam excommunicari non probat. 5 Mathematicum quemdam in pœnitentium numerum recipit. 6 Lampadium in quæstione de astrorum fato hærentem erudit. 241

VIII. 1 Christinum ad pietatem incendit. 2 Adversus scandala corroborat Sebastianum. 3 Et Restitutum. 4 Chrisinum a desperatione revocat. 5 Ecdiciæ piæ feminæ inconsultam agendi rationem arguit. 6 Obduratum Cornelii animum premit. 7 Florentinam per litteras docere non recusat. 8 Fabiolam monet, præsentiam sanctorum corpore tenus, parum expetendam esse. 9 Pupillæ curam gerit. 245

IX. 1 Madaurenses ad christianam religionem tradu-

cere studet. 2 Cum Longiniano quoque pagano sacerdote per litteras agit, ut eam amplectatur. 3 Maximam exortis in provincia sua erroribus perturbatam solatur et roborat. 4 Cum diversis hæreticis in certamen venit : contra quemdam e Novatianis scribit ad Seleucianam. 5 Tertullianistarum hæresis eo præsente deleta. 6 Abelonii quoque seu Abeloitæ in Hipponensi tractu ministerio et labore ipsius sublati. 249

X. 1 Cum Proculeiano episcopo Hipponensi Donatista colloqui tentat. 2 Hac de re scribit ad Eusebium. 3 Apud eumdem conqueritur, juvenem matris suæ percussorem a Proculeiano receptum, et in illius parte rebaptizatum. 4 De Primo quoque subdiacono Spaniensi, homine flagitioso, a Donatistis rebaptizato expostulat. 5 Valerii episcopi obitus. 6 Ad Casulanum de jejunio sabbati rescribit Augustinus. 253

XI. 1 De libris ad Simplicianum conscriptis, quo in labore prædestinationis veritas illi a Deo revelatur. 2 Quandonam editi sint iidem libri. 3 Epistolam Manichæi, quam vocabant Fundamenti, refellit Augustinus. 4 Librum edit de Agone Christiano. 258

XII. 1 Libri de Doctrina Christiana quatuor ab Augustino lucubrati. 2 Tum liber contra Partem Donati : et Confessionum libri tredecim. 3 Opus contra Faustum sub idem tempus vulgatum. 4 In tribuendo quibusdam opusculis suo loco, quid observare visum est. 5 Scribit Augustinus librum de Canticis ad altare. 6 Quæstiones Evangeliorum. 7 Adnotationes in Job. 8 Librum de Catechizandis Rudibus. 9 Ac de Trinitate libros quindecim. 262

XIII. 1 Possidii ordinatio in Calamensem episcopum. 2 Hieronymus scribens ad Augustinum, papæ ipsum titulo exornat. 3 Epistola ad Hieronymum data Paulo perferenda tardius illi redditur. 4 Epistolæ ad Paulinum Augustini rescripta postulantis duæ. 268

XIV. 1 Augustinus Cirtam se conferens cum Alypio ad ordinandum Fortunatum episcopum, venit in colloquium cum Fortunio Donatistarum Tuburci episcopo. 2 Quonam tempore habitum sit istud colloquium. 3 Litteræ ad Glorium aliosque Donatistas quosdam post colloquium scriptæ. 4 De alia quadam collocutione cum iisdem habita ante congressum cum Fortunio. 5 Cum Fortunato Donatistarum episcopo disputationem per litteras aggreditur. 6 De Cœlicolis. 270

XV. 1 Augustinus ad Eudoxium abbatem scribit. 2 Concionatur adversus Christianos qui Paganis in eorum solemnitatibus adjunguntur. 3 Simulacrum Herculis Carthagine cum dedecore tractatum. 4 Publicolæ quæstiones solvuntur. 276

XVI. 1 Pagana superstitio tunc ubique eversa, cum ex dæmonum oraculis instauranda erat. 2 In Oriente prohibetur ac deletur auctoritate Arcadii. 3 In Occidente quoque auctoritate Honorii. 4 Hujus legem ea de re latam exsequendam curant Jovius et Gaudentius. 5 Cœlestis deæ templum Carthagine Christo dedicatum ab Aurelio. 6 Nonnulla idololatriæ quibusdam locis relicta vestigia. 7 Suffectani martyres. Augustinus ad principes Coloniæ Suffectanæ scribit. 8 Rescriptum adulatoriis Donatistarum precibus a Juliano indultum jubetur publicis locis affigi. 280

LIBER QUINTUS. — De Augustini actis ab anno Christi quadringentesimo ad annum quadringentesimum quintum. 285-286

CAPUT PRIMUM. 1 Quatuor Evangelistarum concordiam demonstrat adversus infideles. 2 Respondet ad Januarii inquisitiones de Sacramentis et variis Ecclesiæ consuetudinibus. 3 Scribit de Opere monachorum, in eorum gratiam qui se suis manibus transigebant. *Ibid.*

II. 1 Crispinum Donatistarum episcopum Calamensem urget, ut scriptis inter se confectis tractetur quæstio de causa schismatis. 2 De eadem quæstione cum Clarentio per litteras ad Naucelionem agunt Alypius et Augustinus. 3 Hic Severinum consanguineum suum ab schismate eripere studet. 4 Ad Generosum scribit, ne illudi sibi patiatur a presbytero quodam Donatista. 289

III. 1 Petiliani e Donati parte episcopus quis fuerit. 2 De illius adversus catholicam Ecclesiam epistola. 3 Hujus primam partem refellit Augustinus. 4 Quonam tempore id aggressus est. 5 Parmeniani contra Tichonium epistolam in favorem schismatis conscriptam confutat. 6 Edit libros de Baptismo contra Donatistas. 7 De libro, Contra quod attulit Centurius a Donatistis. 8 De litteris ad Celerem. 292

IV. 1 Liber de Bono conjugii occasione Jovinianæ hæresis editus. 2 Liber quoque de Sancta Virginitate. 3 Commentationes de Genesi ad litteram. 298

V. 1 Concilium Carthagine habitum die decimo sexto junii decernit legandos episcopos ad transmarinas sedes, ut Donatistæ ad unitatem redeuntes cooptari possint in clerum; et quædam per eosdem legatos ab Imperatore petenda. 2 Alterum ejusdem anni Carthaginense concilium decimo tertio die septembris agit de revocandis ad Ecclesiam iisdem schismaticis, et statuit eorum clericos in suis honoribus recipiendos esse. 3 Ratio modusque admittendorum ab Ecclesia Donatistarum. 4 Quædam ex constitutionibus Carthaginensis concilii notantur. 300

VI. 1 Victorinus et Xantippus de primatu contendunt. 2 Colonos suos Donati partibus adhærentes ad Ecclesiam revocat Pammachius. 3 Augustini monasterium Donatus cum suo fratre deserit. 4 Quintiano presbytero causam apud Aurelium habenti rescribit. 5 Ejusdem ob susceptum in Augustini monasterio Privationem querimonia. 6 Abundantium diœcesis suæ presbyterum ab officio removet Augustinus. 7 Exeunte hoc anno quadringentesimo primo Crispinus rusticos Mappaliensis agri rebaptizat. 307

VII. 1 Controversia Augustinum inter ac Severum Milevitanum propter Timotheum exorta. 2 Hunc Severo, obstinate illum reposcenti, mittit Augustinus. 3 Ornatissima laudatio Augustino data a Severo. 4 Augustini responsio ad sibi datam ab amico laudationem. 5 Necessitudo quanta Augustino erat cum Severo, et capita quædam ex hujus historia. 313

VIII. 1 Conditus est anno Christi quadringentesimo secundo liber contra Petilianum secundus. 2 Hoc libro epistolam illius integram confutat Augustinus. 3 Scribit ad Catholicos epistolam, qui liber de Unitate Ecclesiæ non ab initio dicitur. 4 Petilianus pro responsione probra et maledicta ingerit in Augustinum. 5 Hujus ad Petiliani convicia et contumelias mira responsio. 6 Psalmum trigesimum sextum Carthaginensi plebi exponens Augustinus disputat contra Donatistas. 318

IX. 1 De statutis nonnullis concilii Milevitani primi. 2 Proprio Maximianus Bagaiensis propter Ecclesiæ pacem et commodum sponte cedit episcopatu : in quo ut fratri suo succedat, Castorius urgetur. 3 Augustinus ac Hieronymus sub hujus anni finem litteras ultro citroque scribunt ad invicem. 4 Alias quoque anno proxime subsequenti. 327

X. 1 Donatistæ prædicatione veritatis irritati multa per vim aggrediuntur. 2 Augustinus de errando in via eripitur ex periculo. 3 Ob toleratas ab istis violentias confessorum nomen adipiscuntur nonnulli. 4 Episcopi Catholici Donatistas Antistites ad habendum colloquium provocant publica interpellatione. 5 Id illi per arrogantiam recusant : ad eorum laicos scribit Augustinus. 330

XI. 1 Crispinus ad colloquium provocatus verbis respondet amaris et maledicis. 2 Donatistæ invadunt in Possidium. 3 Tum Ecclesiæ defensor mulctæ aurariæ hæreticis irrogatæ damnari Crispinum curat, quem et subinde Possidius probat hæreticum. 4 Illi tamen postea hujus pœnæ condonationem impetrant Catholici. 5 Concilii Carthaginensis legatio ad petendas ab Imperatore leges in schismaticos, sed moderatas. 6 Legatio hæc Theasio et Evasio demandatur. 7 Donatistarum in Maximianum immanitas. 8 In Servum quoque episcopum invadunt. 334

XII. 1 Scandalum Hippone propter Bonifacium presbyterum et Spem exortum. 2 Augustini hac de re ad confirmandos Hipponenses litteræ. 3 Felicem Manichæum convincit et ab errore revocat. 4 Librum de Natura boni scribit contra Manichæorum hæresim. 5 Hanc libro præsertim adversus Secundinum edito funditus evertit. 6 Exacerbatum Hieronymi animum humilitate sua mitigat. 7 Eorum epistolæ ultro citroque missæ. 342

LIBER SEXTUS. — In quo narrantur quæ Augustinus gessit a datis anno quadringentesimo quinto novis legibus in Donatistas, usque ad Collationem cum iisdem schismaticis Carthaginensem. 347-348

CAPUT PRIMUM. 1 Severa lex ab Honorio lata contra Donatistas. 2 Aliæ in eosdem leges. 3 Augustini ad Paulinum litteræ. 4 Fructum quam maximum ex Honorii legibus capit Ecclesia. 5 Concilium Carthagine post restitui cœptam ibi unitatem celebratur. *Ibid.*

II. 1 Hipponensium Donatistarum immanitas. 2 Cæciliani

præsidium implorat Augustinus. 3 Schismaticorum in reliqua Africa furor. 4 Sanguine illorum manibus fuso floret Ecclesia. 5 Legatos ad Imperatorem mittunt Donatistæ. 6 De illorum injuriis apud Januarium queruntur Hipponenses clerici. 353

III. 1 In Cresconium scribit Augustinus. 2 Paulum Cataquensem ad vivendi rationem episcopo dignam reducere frustra satagit. 3 Scribit ad Emeritum, dolens eum schismate implicitum. 4 Opuscula tunc forte edita contra Donatistas tria. 5 Liber de Divinatione dæmonum. 6 Sex quæstiones expositæ contra Paganos, ad presbyterum Deogratias. 7 Expositio Epistolæ Jacobi ad duodecim tribus. 8 Liber de unico baptismo, ad Constantinum. 359

IV. 1 Carthaginensis concilii anni quadringentesimi septimi placitum de episcopo plebibus ex schismate Donati conversis præficiendo. 2 Ejusdem ad Imperatorem legationi leges indultæ. 3 Rogatistarum schisma Cartennensi oppido et vicinioribus locis contentum. 4 Vincentii apud Rogatistas episcopi præcipui epistolam Augustinus refellit. 365

V. 1 Melania senior in Africam venit. 2 Augustinus scribit ad Paulinum, a quo vicissim litteras accipit. 3 Calamensium idololatrarum insolentia et ferocitas. 4 Augustinum Nectarius pro reis Calamensibus suis civibus deprecatur. 5 Eorum ob scelus in aulam se confert Possidius. 6 Paulino rescribit Augustinus. 7 Necnon Memori episcopo, cui sextum ex libris suis de Musica mittit. 368

VI. 1 In Stilichonis auctoritatem succedit Olympius. 2 Huic in Bonifacii Cataquensis episcopi negotio litteras mittit Augustinus. 3 Bonifacii episcopi quæstiones ab Augustino exponuntur. 4 Post Stilichonis necem tumultuantibus Ethnicis et Hæreticis perturbatur Ecclesia. 5 Novæ in eos leges ab Imperatore obtentæ. 6 Donatum rogat Augustinus, ut lenitatis christianæ memor, Donatistas sic data sibi potestate coerceat, ut non occidat. 7 Ad Italicam scribit. 374

VII. 1 Leges adversus Ethnicos et Hæreticos latas confirmat Honorius; rursumque Nectarius Augustinum pro Calamensibus rogat. 2 Libertas Hæreticis et Paganis ab Honorio indulta. 3 Ad Donatistas scribit Augustinus. 4 Necnon ad Festum. 5 Summopere contendit a Macrobio, ut ne Rusticianum subdiaconum apostatam rebaptizet. 6 Litteras ad varios scribit in Faventii gratiam. 7 Victorianum ob intolerabiles orbis calamitates animo fractum corroborat. 381

VIII. 1 Anno quadringentesimo decimo, expugnata Urbe, varios ea de re sermones habet ad plebem. 2 Hipponensibus absentiam suam excusat, utque de vestiendis pro suo more pauperibus cogitent, hortatur. 3 A morbo convalescens ruri respondet Dioscoro de quæstionibus ab eo missis. 4 Consentium animi simplicitate ac sine arrogantia errantem dedocet, imbuitque saniori doctrina. 5 Colendæ suæ cuique religionis libertatem datam tollit Honorius. 6 Idem jubet ut Catholici cum Donatistis in colloquium veniant. 7 Curando futuræ Collationis modo ac ordini præficitur Marcellinus. 389

IX. 1 Pinianus et Melania cum hujus matre Albina Tagastam adventant. 2 Hos illuc invisere Augustino non licet. 3 Hipponem venit Pinianus. 4 Eum sibi plebs Hipponensis in presbyterum poscit. 5 Ortum hinc tumultum compescit Pinianus, Hippone se mansurum adhibito jurejurando pollicitus. 6 Albinæ atque Alypii de iis quæ sibi sive Piniano evenerant querelæ. 7 Purgat se apud eos Augustinus. 8 Piniano postmodum abeundi quo vellet, haud dubie licentia ab Hipponensibus tributa. 9 Armentarium et Paulinam ad mundi contemptum et ad solvendum continentiæ votum hortatur Augustinus. 397

X. 1 De Collatione inter episcopos Catholicos et Donatistas habita Carthagine: illam indicit Marcellinus. 2 Apud Carthaginem Augustinus instante Collatione concionatur. 3 Insolens Donatistarum in eam urbem ingressus, et eorumdem numerus. 4 Omnem Collationis rationem edicto præscribit Marcellinus. 5 Collationis loco suos omnes qui venerunt interesse volunt, ac subscriptiones suas dare actis recusant Donatistæ. 6 His Catholici conditionem eam offerunt, ut si causam obtinuerit Ecclesia, vel episcopatum retineant illi redeuntes ad unitatem, vel eo se ipsi pariter cum illis exuant. 7 Augustini alius ante Collationem sermo de Pace. 8 Episcopos, qui cum schismaticis disputent, Catholici designant, quos et egregio mandato communiunt. 405

XI. 1 Collationis habitæ kalendis junii initia. 2 Donatistæ Catholicos omnes, ut de subscriptionibus mandati eorum certiores fiant, vocari volunt. 3 Oblatam consedendi facultatem non accipiunt Donatistæ: delectos autem pro se disputaturos renuntiant. 4 In subscriptionibus mandati disputatoribus suis dati aliquoties peccasse convincuntur. 5 Necnon in Quodvultdeo episcopo mendacium admisisse. 6 Ad Collationem secundam condicta die non veniunt ex Donatistis nisi septem episcopi disputatores, ex Catholicis vero adsunt octodecim delegati. 7 Donatistis conceditur dilatio. 411

XII. 1 Tertia Collatione sexto idus junias habita instant Donatistæ, ut discutiatur quinam pro petitoribus habendi sint, utque de petenda Collatione Catholicorum mandata expendantur. 2 Iidem catholicam Ecclesiam agnoscunt eam esse, quæ toto orbe propagata est. 3 Ut intelligatur, utri sint petitores, varia acta recitantur; sicque invitis Donatistis ad rei caput acceditur. 4 Donatistæ proferunt libellum de Ecclesiæ, ut loquuntur, puritate. 5 Hunc refutat Augustinus, ac de gravissimo illo capite controversiam expedit. 6 Acceditur ad quæstionem de Cæciliano et de schismate. 7 Maximianistarum historia perturbati ac oppressi Donatistæ, nec causam causæ, nec personam personæ præjudicare confitentur. 8 Controversiam de veritate Cirtensis concilii movent. 9 Locum Optati, quo ipsi revincuntur, inspici volunt. 10 Iidem prolatis documentis, quibus Cæciliani ac Felicis innocentia declarabatur, omnes difficultatum nodos secant. 11 Catholicis demum causam adjudicat Cognitor. 419

XIII. 1 Quantum eminuerit in Collatione Augustinus. 2 Donatistarum quot tricæ ac tergiversationes. 3 Quam prudenter sese gesserit Marcellinus. 4 Donatistæ ad Imperatorem provocant. 5 Collationis acta Marcellinus scripto in schismaticos edicto promulgat. 6 In compendium illa redigit Augustinus. 7 Post Collationem frequentes ad Ecclesiam se recipiunt Donatistæ. 8 In his nominatim Gabinus ac virgo Felicia. 432

Liber septimus. — Annos complectitur octo a quadringentesimo undecimo, ex quo anno rem habere cœpit Augustinus cum inimicis gratiæ Dei. 439-440

Caput primum. 1 Pelagius hæresim suam proferre incipit. 2 Discipulus ejus Cœlestius a Carthaginensi concilio condemnatur. 3 Pelagianos oppugnat Augustinus, ac libros ad Marcellinum duos de Baptismo parvulorum scribit. 4 Epistolam ad eumdem seu librum superioribus tertium contra Pelagianos adjungit. 5 Liber eidem Marcellino nuncupatus de Spiritu et Littera. 6 Carthagine contra Pelagianorum errorem sermonem habet ad populum. 7 Pelagio rescribit. 8 In epistola ad Anastasium gratiæ necessitatem ad legem implendam probat. 9 Honorato respondens disserit de gratia novi Testamenti. *Ibid.*

II. 1 Augustinus ad Donatistas laicos post Collationem scribit. 2 Imperatoris Honorii rescripto damnantur Donatistæ. 3 Eorum rabies. 4 Cæditur ab illis Restitutus. 5 Quam vehementer agit Augustinus, ne cædium rei capite puniantur. 6 Operam dat, ut schismaticorum in Hipponensi diœcesi et in reliqua Numidia violentiæ compescantur. 7 Varia scribit opuscula. 446

III. 1 Augustinus et Marcellinus Volusianum ab idolorum cultu ad christianam fidem traducere student. 2 Augustini ad Volusianum percelebris epistola. 3 Concilium Zertense. 4 Presbyteri et clerici quidam Donatistæ, ac cives quoque Cirtenses ad catholicam Ecclesiam redeunt. 5 Quo in loco ponat Augustinus, ponique ab amicis velit, suas lucubrationes. 453

IV. 1 Librum de Fide et Operibus edit Augustinus. 2 Ad Paulinam de videndo Deo scribit, necnon ad Fortunatianum, cujus ope in gratiam cum episcopo quodam, qui ejus adversus erroneam opinionem dicta non sine offensione acceperat, redire cupit. 3 Varias sibi mutuo epistolas mittunt Paulinus et Augustinus. 4 Hic ad scribendum suum opus de Civitate Dei appellit animum. 456

V. 1 Marinus Heracliani debellator partam existimationem amittit cæde Marcellini. 2 Hunc eumdem illum esse, de cujus nece in epistola ad Cæcilianum narratur. 3 Marcellinus cum suo fratre in custodia habetur Marini jussu. 4 Hic ut Ecclesiæ imponat, mittendos ad Imperatorem qui eis veniam postulent, persuadet. 5 Damnatur cum fratre Marcellinus, et gladio feritur. 6 Marinus Imperatoris gratia excidit: Marcellinus probitatis et innocentiæ fama martyriique laurea insignis. 7 Clanculum Carthagine discedit Augustinus, Marcellini necem graviter dolens. 461

VI. 1 Demetrias Urbe a Gothis capta in Africam una cum matre et avia transmittit. 2 Probam Demetriadis aviam per litteras instituit, eique de orando Deo præcepta tradit Augustinus. 3 Hujus suasu Demetrias virginalem sanctimoniam amplectitur. 4 Augustinus de relatione Demetriadis cum tota Ecclesia gaudet. 5 Librum de Bono viduitatis Julianæ ejus matri scribit. 6 Demetriadis virginis instituendæ obtentu Pelagius epistolam edit hæresis suæ veneno suffusam. 467

VII. 1 Honorii lex severior in Donatistas pertinaces. 2 Donatus Mutugennensis et alius pariter cum eo presbyter de parte Donati in custodiam dantur. 3 Augustinus Macedonio scribit de intercessionibus episcoporum pro reis. 4 In iis intercessionibus quam prudenter ac verecunde sese gereret Augustinus, teste Macedonio; cui ille de christiani magistratus officiis verisque virtutibus doctrinam tradit. 5 Contra Pelagianos ad Hilarii quæstiones a Sicilia missas respondet. 471

VIII. 1 Psalmi plures tum anno Christi quadringentesimo decimo quinto tum ante expositi. 2 Orosius presbyter ab extrema Hispania venit ad Augustinum. 3 Hic illius consultationi facturus satis librum contra Priscillianistas et Origenistas conscribit. 4 Orosium cum suis aliquot scriptionibus mittit ad Hieronymum, a quo edoceri de animæ præsertim origine cupit. 5 Timasium et Jacobum revocat ab errore Pelagii, contra quem opusculum edit de Natura et Gratia. 6 Ad quæsita quædam Evodii, eaque præcipua, respondet per aliquot epistolas. 7 Librum de Perfectione justitiæ hominis componit. 475

IX. 1 Pelagii hæresis in Palæstina impugnatur ab Hieronymo, eademque in Jerosolymitano conventu discutitur. 2 Pelagius ab Herote et Lazaro accusatus perducitur ad episcopale judicium habitum Diospoli, ubi hæresis Pelagii ipso absoluto Pelagio condemnatur. 3 Pelagianorum in Hieronymum et virginem Eustochium post illius synodi judicium violenter facta. 4 Post eamdem Diospolitanam synodum varias scriptiones vulgat Pelagius. 480

X. 1 Litteræ Hieronymi simulque aliæ Herotis et Lazari per Orosium afferuntur in Africam. 2 Concilium Carthaginense, hujusque exemplo Milevitanum, Innocentio papæ scribunt contra Pelagium. 3 Idem præstant quinque conjunctim episcopi Africani. 4 Africana decreta contra Pelagianos errores nota facit Augustinus Hilario Narbonensi. 5 De iisdem erroribus in Pelagio deprehensis ad Joannem Jerosolymitanum scribit. 6 Epistola ad Oceanum ab eo missa. 7 Doctrinam Ecclesiæ in Scripturis penitius rimandi provincia datur Augustino a duobus conciliis. 485

XI. 1 Augustini impulsu historiam suam scribit Orosius. 2 Innocentius papa ad Africanos rescribens, Pelagium et Cœlestium, damnata utriusque doctrina, anathemate mulctat. 3 De Gestis Palæstinæ synodi librum in vulgus edit Augustinus. 4 Bonifacii comitis præclaræ dotes atque ad se uni Deo, rebus omnibus abdicatis, mancipandum propensus animus. 5 Liber ad ipsum de Correctione Donatistarum scriptus ab Augustino. 6 Liber ejusdem ad Dardanum de Præsentia Dei. 7 Epistolam ad Paulinum Augustinus suo et Alypii nomine scribit contra Pelagianos. 486-487

XII. 1 Romam venit Cœlestius: hunc Zosimus mitissime tractat, proque illo scribit ad episcopos Africanos. 2 Pelagii ad Innocentium epistola redditur Zosimo, qui hujus quoque ambiguis verbis deluditur, atque ejus gratia in Africam scribit. 3 Zosimo Carthaginense concilium ducentorum quatuordecim episcoporum respondet, ac Innocentii sententiam in memoratos hæreticos dictam tuetur. 4 Zosimus ad Africanos rescribit, nihil se post acceptas ipsorum litteras immutasse. Plenarium concilium Africæ canones octo vel novem edit contra Pelagianos. 5 Ab eodem concilio sancita quædam de rebus spectantibus ad Donatistas. 6 Pelagiani cum a Zosimo papa, tum ab Honorio imperatore damnati. 7 Eorum damnationem subscriptionibus suis firmant omnes episcopi, præter octodecim, qui provocant ad plenariam synodum. 8 Pelagiani non sine multo Augustini labore ab Ecclesia victi sunt. 9 Is libros ad Pinianum duos contra Pelagium scribit. 492

XIII. 1 Augustinus Cæsaream ob Ecclesiæ negotia proficiscitur. 2 In eam urbem disputatum cum eo venit Emeritus, quo præsente ac obmutescente concionatur Augustinus. 3 Altera die Emerito intra ecclesiam constituto et perseverante in silentio suo, id commode ad causæ suæ utilitatem vertit sanctus episcopus. 4 Hic pravam consuetudinem civium Cæsareensium habito ad plebem sermone abolet. 5 Ad Optatum rescribit super quæstione de animæ origine. 6 Idem respondet Mercatori. 7 Cœlestino quoque ac Sixto: 8 Adversus Aptum de cavendo Judaismo scribit ad Asellicum. 497-498

XIV. 1 Anno quadringentesimo decimo nono Honorius mandatum Aurelio, necnon Augustino mittit, quo episcopi quilibet subscriptiones contra Pelagianam hæresim suas dare teneantur. 2 Prodigia Jerosolymæ alibique nuper visa narrat Augustinus in concione apud Carthaginem. 3 Hieronymus Augustini amore incensus, præsertim ob jugulatam ipsius ope Cœlestianam hæresim. 4 Augustinus ad Hesychium Salonensem de fine sæculi scribit. 5 Edit librum de Nuptiis et Concupiscentia primum. 6 Quæstiones et Locutiones in Heptateuchum. 7 Vincentius Victor libris de Origine animæ redarguitur ab Augustino. 8 Pollentio libri de Conjugiis adulteriniis duo scribuntur. 9 Refellitur adversarius Legis et Prophetarum. 504-505

LIBER OCTAVUS. — De reliquiis Augustini actis ab Christi anno quadringentesimo vigesimo, ad annum quadringentesimum trigesimum. 511-512

CAPUT PRIMUM. 1. Donatistæ proprio furore exagitati se interimunt et comburunt. 2 Dulcitius tribunus et notarius Gaudentium ex Donati parte episcopum a consilio cremandi revocare studet, atque ab ipso epistolas duas accipit. 3 Dulcitii rogatu Gaudentio respondet Augustinus. 4 Librum Consentio scribit contra mendacium, quod eo nec ad investigandos Priscillianistas uti liceat Catholicis. 5 Ejusdem Consentii quæstiones explicat, in primis utrum nunc corpus Domini ossa et sanguinem habeat, et reliqua carnis lineamenta. 6 Ad Ceretium scribit contra Priscillianistas. *Ibid.*

II. 1 Julianus libros adversus Augustinum quatuor et aliquot pro Pelagianis epistolas scribit. 2 Augustinus excerptas ex primo librorum Juliani sententias refellit, edito ad Valerium libro secundo; necnon contra duas Pelagianorum Epistolas, libris quatuor ad Bonifacium scriptis. 3 Hos omnes Augustini libros in Italiam defert Alypius. 4 Alios sex libros in Julianum Augustinus edit. 5 Rescriptum ab Constantio imperatore promulgatur contra Pelagianos; et Cœlestis deæ templum solo æquatur. 518

III. 1 Nonnulli Manichæorum detecti Carthagine. 2 Victorinum Manichæum ejicit Augustinus. 3 Enchiridion in gratiam Laurentii componit. 4 Paulino eum consulenti scribit librum de Cura pro mortuis gerenda. 5 Ad octo quæstiones Dulcitii respondet. 523

IV. 1 Curat Augustinus, ut episcopus Fussalæ ordinetur Antonius. 2 Ejusdem Ecclesiæ administrationem adimere illi cogitur. 3 Antonius Numidiæ primati et Bonifacio papæ fucum facit, ut in integrum restituatur. 4 Cœlestinum obsecrat Augustinus, ut sententiam in illum latam vigere sinat, ac secum pro Fussalensis Ecclesiæ pace collaboret. 5 Alioquin sanctus Vir, quod illius ordinationi per imprudentiam suffragatus sit, propriam dignitatem exuere cogitat. 528

V. 1 Stephani martyris reliquiæ sub annum Christi quadringentesimum vigesimum quartum habentur Hipponæ. 2 Januarius Hipponensis presbyter pecuniis, quas contra communis vitæ propositum retinuerat, Ecclesiæ legatis moritur. 3 Sermonem de hac re ad populum habet Augustinus; hæreditatem Januarii respuit, et filiis ipsius relinquit, ac declarat se clericis, qui proprium aliquid habere velint, indulgere ut extra domum episcopalem habitantes gradus sui honorem servent. 4 Altero postea sermone testatur suos omnes clericos in vitæ communis proposito permanere velle, atque a proprio abhorrere, eosque de clericorum tabula delendos, qui aliquid sibi retinerent; tum etiam eos, qui divites pecuniosique audiebant, apud eumdem populum purgat. 5 Decem liberorum, quibus mater imprecata fuerat, horribilis pœna. 6 Ex illis decem Paulus divinitus sanatur apud Hipponem. 7 Alia post die sanatur ibidem Palladia. 8 Gallam et Simpliciolam Quintiliano commendat Augustinus. 552

VI. 1 Severi Milevitani episcopi obitus. 2 De Heraclio presbytero. 3 In eum sibi successorem designatum Augustinus rerum administrationem transfert. 4 Contentiones inter Adrumetinos monachos super quæstione de gratia et libero arbitrio. 5 Liberi arbitrii contra gratiam defensores adeunt ad Augustinum, a quo docentur, et accipiunt cum binis epistolis librum de Gratia et Libero Arbitrio, ad Valentinum

et cum illo monachos. 6 Alium ad eosdem librum de Correptione et Gratia mittit sanctus Doctor.
VII. 1 Contra Pelagiani erroris reliquias in Vitali deprehensas Augustinus pugnat, et sententias de gratia duodecim profert. 2 Palatinum monet, petendum a Deo gratiæ adjutorium ad perseverandum in bono. 3 Leporii contra fidem Incarnationis et gratiæ errores in Galliis damnantur. 4 Ad sanam fidem revocatur Leporius opera Augustini. 5 Hic recensendis suis opusculis incumbit. 6 Speculum ex universæ Scripturæ locis ad conformandos vel emendandos mores idoneis instituit.
VIII. 1 Bonifacius secundam uxorem ducit, et magnis postea calamitatibus conflictatur. 2 Bellum ei hosti Imperii declarato infertur, misso Mavortio aliisque in eum ducibus. 3 Augustinus Bonifacium per litteras ut in officium redeat adhortatur. 4 Segisvultus cœpti in Bonifacium belli curam suscipit. 5 Effundunt se Vandali in Africam Dei nutu, ut puniantur alii, alii coronentur. 6 Africæ per Vandalos ferox et horrenda depopulatio. 7 An episcopis liceat in istiusmodi calamitatibus fuga sibi consulere.
IX. 1 Ultimum opus in Julianum sanctus Doctor aggreditur. 2 In colloquium venit cum Maximino Arianorum episcopo, quem et editis libris confutat. 3 Maximum ab Ariana hæresi conversum adhortatur, ut suos aliosque eodem errore implicatos ad catholicam fidem adducere studeat. 4 Refellit Sermonem Arianorum. 5 Colloquium cum Pascentio eidem Arianæ hæresi addicto scriptis ad eumdem litteris evulgat. 6 Elpidio in fide Trinitatis erranti rescribit.
X. 1 In prædestinationis et gratiæ doctrinam superioribus libris ab Augustino explicatam insurgunt Massilienses et alii quidam in Galliis haud in totum a Pelagianis abhorrentes. 2 Catholicam fidem contra eos defendit Augustinus scriptis Prosperi et Hilarii impulsu libris de Prædestinatione sanctorum. 3 Quodvultdeus rogat sanctum Doctorem, ut de hæresibus scribat. 4 Urgente Quodvultdeo Augustinus aggreditur opus de Hæresibus, quod imperfectum relinquere cogitur. 5 Dioscori conversionem miraculi plenam narrat per litteras Alypio seni.
XI. 1 Bonifacius cum Placidia in gratiam redit; idque, præter alios, agente, ut videtur, Dario comite; cujus amicitiam quærit Augustinus. 2 Victus a Vandalis Bonifacius Hipponem-Regium se recipit: eo Vandali ad eum obsidendum admovent: interea morbo corripitur Augustinus. 3 Sanitates divinitus factæ ad Augustini preces: animo toto se lacrymis et pœnitentiæ dedit, ut ad exitum se comparet: moritur; ac oblato pro commendanda ejus depositione sacrificio, sepelitur. 4 Annus obitus Augustini: hoc ipso anno ad Ephesinam synodum a Theodosio vocabatur. 5 Hippone-Regio urbe aliquanto post tempore incendio vastata, conservantur nihilominus ibidem ipsius scripta: quorum indiculum Possidius Vitæ ejusdem a se litteris commendatæ adjunxit. 572-573
In primum tomum præfatio. 579-580
Admonitio de duobus retractationum libris. 581-582
S. Aurelii Augustini, Hipponensis Episcopi Retractationum libri duo. 583-584
Prologus. *Ibid.*
Liber primus, in quo retractantur libri quos scripsit nondum episcopus. 585-586
Caput primum. Contra Academicos, libri tres. *Ibid.*
II. De beata Vita, liber unus. 588
III. De Ordine, libri duo. *Ibid.*
IV. Soliloquiorum, libri duo. *Ibid.*
V. De Immortalitate animæ, liber unus. 590
VI. Disciplinarum libri. 591
VII. De Moribus Ecclesiæ catholicæ, et de Moribus Manichæorum, libri duo. *Ibid.*
VIII. De animæ Quantitate, liber unus. 594
IX. De libero Arbitrio, libri tres. 595
X. De Genesi adversus Manichæos, libri duo. 599
XI. De Musica, libri sex. 600
XII. De Magistro, liber unus. 602
XIII. De vera Religione, liber unus. *Ibid.*
XIV. De Utilitate credendi, ad Honoratum, liber unus. 605
XV. Contra Manichæos, de duabus Animabus, liber unus. 608
XVI. Acta contra Fortunatum Manichæum, liber unus. 612
XVII. De Fide et Symbolo, liber unus. *Ibid.*
XVIII. De Genesi ad litteram imperfectus liber unus. 613
XIX. De Sermone Domini in monte, libri duo. 614
XX. Psalmus contra partem Donati. 617
XXI. Contra Epistolam Donati hæretici, liber unus. *Ibid.*
XXII. Contra Adimantum Manichæi discipulum, liber unus. 618
XXIII. Expositio quarumdam propositionum ex Epistola Apostoli ad Romanos. 620
XXIV. Expositio Epistolæ ad Galatas, liber unus. 622
XXV. Epistolæ ad Romanos inchoata Expositio, liber unus. 623
XXVI. De Diversis Quæstionibus octoginta tribus, liber unus. 624
XXVII. De Mendacio, liber unus. 650
Liber secundus, in quo retractantur libri quos scripsit episcopus. 629-650
Caput primum. Ad Simplicianum, libri duo. *Ibid.*
II. Contra Epistolam quam vocant Fundamenti, liber unus. 651
III. De Agone christiano, liber unus. *Ibid.*
IV. De Doctrina christiana, libri quatuor. *Ibid.*
V. Contra partem Donati, libri duo. 652
VI. Confessionum, libri tredecim. *Ibid.*
VII. Contra Faustum Manichæum, libri triginta tres. *Ibid.*
VIII. Contra Felicem Manichæum, libri duo. 653
IX. De Natura Boni, liber unus. 654
X. Contra Secundinum Manichæum, liber unus. *Ibid.*
XI. Contra Hilarum, liber unus. *Ibid.*
XII. Quæstiones Evangeliorum, libri duo. *Ibid.*
XIII. Annotationes in Job, liber unus. 655
XIV. De Catechizandis rudibus, liber unus. *Ibid.*
XV. De Trinitate, libri quindecim. *Ibid.*
XVI. De Consensu Evangelistarum, libri quatuor. 656
XVII. Contra Epistolam Parmeniani, libri tres. 657
XVIII. De Baptismo, libri septem. *Ibid.*
XIX. Contra quod attulit Centurius a Donatistis, liber unus. 658
XX. Ad inquisitiones Januarii, libri duo. *Ibid.*
XXI. De Opere Monachorum, liber unus. *Ibid.*
XXII. De Bono conjugali, liber unus. 659
XXIII. De Sancta Virginitate, liber unus. 640
XXIV. De Genesi ad litteram, libri duodecim. *Ibid.*
XXV. Contra Litteras Petiliani, libri tres. *Ibid.*
XXVI. Ad Cresconium grammaticum partis Donati, libri quatuor. 641
XXVII. Probationum et testimoniorum contra Donatistas, liber unus. *Ibid.*
XXVIII. Contra Donatistam nescio quem, liber unus. 642
XXIX. Admonitio Donatistarum de Maximianistis, liber unus. *Ibid.*
XXX. De Divinatione dæmonum, liber unus. 643
XXXI. Quæstiones expositæ contra Paganos, numero sex. *Ibid.*
XXXII. Expositio Epistolæ Jacobi ad duodecim tribus. *Ibid.*
XXXIII. De peccatorum Meritis et Remissione, et de Baptismo parvulorum, ad Marcellinum, libri tres. 644
XXXIV. De unico Baptismo contra Petilianum, ad Constantinum, liber unus. *Ibid.*
XXXV. De Maximianistis contra Donatistas, liber unus. 645
XXXVI. De Gratia Novi Testamenti, ad Honoratum, liber unus. *Ibid.*
XXXVII. De Spiritu et Littera, ad Marcellinum, liber unus. *Ibid.*
XXXVIII. De Fide et Operibus, liber unus. 646
XXXIX. Breviculus Collationis cum Donatistis, libri tres. *Ibid.*
XL. Post Collationem contra Donatistas, liber unus. *Ibid.*
XLI. De Videndo Deo, liber unus. 647
XLII. De Natura et Gratia, liber unus. *Ibid.*
XLIII. De Civitate Dei, libri viginti duo. *Ibid.*
XLIV. Ad Orosium, contra Priscillianistas et Origenistas, liber unus. 648
XLV. Ad Hieronymum presbyterum, libri duo: unus de Origine animæ, et alius de Sententia Jacobi. 649
XLVI. Ad Emeritum Donatistarum episcopum, post Collationem, liber unus. *Ibid.*
XLVII. De Gestis Pelagii, liber unus. *Ibid.*
XLVIII. De Correctione Donatistarum, liber unus. 650
XLIX. De Præsentia Dei, ad Dardanum, liber unus. *Ibid.*
L. Contra Pelagium et Cœlestium, de Gratia Christi et de Peccato Originali, ad Albinam, Pinianum et Melaniam, libri duo. *Ibid.*
LI. Gesta cum Emerito Donatista, liber unus. *Ibid.*
LII. Contra sermonem Arianorum, liber unus. *Ibid.*
LIII. De Nuptiis et Concupiscentia, ad Valerium comitem, libri duo. 651
LIV. Locutionum libri septem. *Ibid.*
LV. Quæstionum libri septem. *Ibid.*
LVI. De Anima et ejus Origine, libri quatuor. 653
LVII. Ad Pollentium, de adulterinis Conjugiis, libri duo. *Ibid.*
LVIII. Contra Adversarium Legis et Prophetarum, libri duo. 654

LIX. Contra Gaudentium, Donatistarum episcopum, libri duo. 654
LX. Contra Mendacium, liber unus. *Ibid.*
LXI. Contra duas Epistolas Pelagianorum, libri quatuor. 655
LXII. Contra Julianum, libri sex. *Ibid.*
LXIII. Ad Laurentium de Fide, Spe et Charitate, liber unus. *Ibid.*
LXIV. De Cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum episcopum, liber unus. *Ibid.*
LXV. De octo Dulcitii Quæstionibus, liber unus. 656
LXVI. Ad Valentinum et cum illo monachos, de Gratia et libero Arbitrio, liber unus. *Ibid.*
LXVII. Ad quos supra, de Correptione et Gratia, liber unus. *Ibid.*
ADMONITIO DE CONFESSIONUM LIBRIS. 657-658
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONFESSIONUM LIBRI TREDECIM. 659-660
LIBER PRIMUS. — Præmissa Dei invocatione, recolit vitæ suæ primordia ad annum decimum quintum. Infantiæ peccata agnoscit et pueritiæ; atque hac ætate in lusum et puerilia quæque oblectamenta, quam in litterarum studia procliviorem se fuisse confitetur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Deum vult laudare ab ipso excitatus. *Ibid.*
II. Deum quem invocat in ipso esse, ipsumque in Deo. 661
III. Deus sic ubique totus, ut res nulla ipsum totum capiat. 662
IV. Dei majestas et perfectiones inexplicabiles. *Ibid.*
V. Petit amorem Dei, et delictorum veniam. 663
VI. Infantiam suam describit, laudat Dei providentiam et æternitatem. *Ibid.*
VII. Infantia quoque peccatis obnoxia. 665
VIII. Unde puer loqui didicerit. 666
IX. Odium litterarum, amor lusus, et vapulandi timor in pueris. 667
X. Amore lusus et spectaculorum avocatur a litterarum studio. 668
XI. Morbo pressus baptismum flagitat, quem mater certo consilio differt. *Ibid.*
XII. Ad litteras cogebatur, quo tamen Deus utebatur bene. 669
XIII. Quibus studiis potissimum sit delectatus. 670
XIV. Litteras græcas oderat. 671
XV. Precatio ad Deum. *Ibid.*
XVI. Improbat modum juventutis erudiendæ. 672
XVII. Prosequitur contra modum exercendæ juventutis in re litteraria. 673
XVIII. Quod homines curant servare leges grammaticorum, et non divinorum præceptorum. *Ibid.*
XIX. Pueritiæ vitia quæ in majores ætates transeunt 674
XX. Pro bonis sibi in pueritia collatis Deo gratias agit. 675
LIBER SECUNDUS. — Ad ætatem aliam progreditur, primumque adolescentiæ suæ, id est, sextum decimum vitæ annum, quem in paterna domo studiis intermissis consumpserat genio ac libidinibus indulgens, ad mentem revocat, cum gravi dolore, severus admodum in dijudicando furto a se tunc temporis cum sodalibus perpetrato. 675-676
CAPUT PRIMUM. Adolescentiæ ætatem et vitia recolit. *Ibid.*
II. Annum ætatis suæ decimum sextum in ardore libidinoso consumptum. *Ibid.*
III. De peregrinatione studiorum causa, et de parentum proposito. 677
IV. Furtum cum sodalibus perpetratum. 678
V. Neminem peccare sine causa. 679
VI. Omnia quæ boni specie ad vitia invitant, in solo Deo esse vera et perfecta. 680
VII. Gratias agit Deo pro remissione peccatorum, quodque a multis servatus sit. 681
VIII. Amavit in furto consortium simul peccantium. *Ibid.*
IX. Contagiosa res sodales mali. 682
LIBER TERTIUS. — De annis ætatis illius decimo septimo, decimo octavo et decimo nono transactis Carthagine, ubi dum litterarii studii curriculum absolveret, se libidinosi amoris laqueo irretitum, necnon in Manichæorum hæresim prolapsum fuisse meminit. Adversus horum errores et ineptias disserit luculenter. Maternas pro se lacrymas et responsum de sua resipiscentia divinitus acceptum refert. 683-684
CAPUT PRIMUM. Amore quem venabatur capitur. *Ibid.*
II. Amavit spectacula tragica. *Ibid.*
III. In schola rhetoris ab 'Eversorum factis abhorrebat. 685
IV. Hortensius Ciceronis excitavit illum ad ardorem philosophiæ, *Ibid.*
V. Fastidiit sacras litteras propter simplicitatem stili. 668
VI. A Manichæis quomodo captus. 686
VII. Doctrina Manichæorum absurda cui suffragabatur. 688
VIII. Contra Manichæos dicit quæ vitia semper detestanda, quæ facinora. 689
IX. Discrimen inter peccata, et inter Dei judicium et hominum. 690
X. Nugæ Manichæorum de terræ fructibus. 691
XI. Planctus et somnium matris de filio. *Ibid.*
XII. Quale responsum mater Augustini accepit a quodam episcopo de ipsius conversione. 692
LIBER QUARTUS. — Pudet Augustinum se Manichæorum sectæ addictum fuisse per novennium, atque alios secum in eumdem errorem pertraxisse; tum etiam consuluisse mathematicos; et amicum sibi interea morte præreptum, acerbiori quam æquum esset animi dolore fuisse prosecutum; cujus occasione, de vana et de solida amicitia non pauca dicit. Mentionem facit librorum de Pulchro et Apto, a se anno ætatis vigesimo septimo conscriptorum; necnon quam facili negotio liberalium artium libros atque Aristotelis Categorias, anno ætatis ferme vigesimo, per sese intellexerit. 693-694
CAPUT PRIMUM. Quamdiu et quomodo alios seduxerit. *Ibid.*
II. Rhetoricam docet, concubinam fovet, et aruspicem qui victoriam promittebat, contemnit. *Ibid.*
III. Ab astrologia, cui deditus erat, per senem medicinæ et rerum peritum revocatur. *Ibid.*
IV. Morbum et baptismum amici narrat, quem etiam suis erroribus involverat; eoque morte sublato, dolet gravissime. Mirabilis efficacia sacramenti Baptismi. 696
V. Cur fletus dulcis miseris. 697
VI. Quantus ex amici morte dolor. *Ibid.*
VII. Impatientia doloris mutat locum. 698
VIII. Tempus et amicorum colloquia dolori medentur. *Ibid.*
IX. De humana amicitia. Beatus qui amat in Deo. 699
X. Labiles creaturæ, nec in eis potest anima requiescere. *Ibid.*
XI. Omnia creata sunt instabilia. Solus Deus stabilis. 700
XII. Amor non improbatur, modo in his quæ placent amemus Deum. *Ibid.*
XIII. Amor unde proveniat. 701
XIV. Libri de Apto et Pulchro Hierio nuncupati. Unde hunc amaverat. 702
XV. Quod corporalibus imaginibus contenebratus, non potuit capere spiritualia. 703
XVI. Categorias Aristotelis et liberalium artium libros per se intellexit. 704
LIBER QUINTUS. — Annum ætatis suæ exhibet vigesimum nonum, quo scilicet, comperta Fausti Manichæi imperitia, propositum in illa secta proficiendi abjecit; quo etiam Roma, ubi tunc rhetoricam profitebatur, missus Mediolanum ut eamdem artem doceret, cœpit audito Ambrosio resipiscere, et de Manichæismo abdicando, necnon de repetendo catechumenatu decernere. 705-706
CAPUT PRIMUM. Excitat mentem ad Deum laudandum. *Ibid.*
II. Dei præsentiam iniquos non effugere; itaque ad eum debere converti. *Ibid.*
III. De Fausto Manichæo, et de philosophorum cæcitate qui per creaturas Creatorem non cognoverunt. 707
IV. Sola Dei cognitio beat. 708
V. Manichæi de astris imperitia indignum eum fide in cæteris faciebat. 709
VI. Faustus eloquens, sed liberalium disciplinarum expers. 710
VII. Alienatur a secta Manichæorum. 711
VIII. Proficiscitur Romam contra matris voluntatem. 712
IX. Febri correptus periculose laborat. 713
X. Errores ante susceptam Evangelii doctrinam. 714
XI. Qualiter Augustinus contulerit cum Catholicis. 716
XII. Fraus discipulorum Romæ in præceptores. *Ibid.*
XIII. Docturus rhetoricam mittitur Mediolanum; ab Ambrosio suscipitur. 717
XIV. Audito Ambrosio paulatim ab erroribus resipiscit. *Ibid.*
LIBER SEXTUS. — Cum jam Monnica ipsius mater Mediolanum advenisset, ipseque annum ætatis ageret trigesimum, Ambrosii concionibus admonitus, catholicæ doctrinæ veritatem, quam Manichæi falso insimulabant, magis magisque intelligebat. Alypii amici sui mores prosequitur. In diversa rapiebatur, dum de vita melius instituenda deliberaret, mortis quoque ac judicii metu perculsus, ad vitæ conversionem in dies accendebatur. 717-718
CAPUT PRIMUM. Augustinus nec manichæus nec catholicus. *Ibid.*
II. Epulæ et synaxis apud sepulcra martyrum. 719

III. Occupationes et studia Ambrosii. 720
IV. Doctrinam Ecclesiæ Ambrosio concionante intelligit. 721
V. De sacrorum Librorum auctoritate et necessario usu. 722
VI. De miseria ambitiosorum, adducto exemplo mendici lætantis. 725
VII. Alypium a Circensium insania convertit. 724
VIII. Alypius capitur insania ludorum gladiatoriorum, a quibus antea abhorruerat. 726
IX. Alypius ut fur apprehenditur. *Ibid.*
X. De integritate Alypii et adventu Nebridii. 727
XI. Anxius Augustinus de instituenda vita deliberat. 728
XII. Contentio inter Alypium et Augustinum de matrimonio et cælibatu. 730
XIII. Uxor quæritur Augustino. *Ibid.*
XIV. De vita communi agenda cum amicis deliberat. 731
XV. In locum discedentis concubinæ alia succedit. *Ibid.*
XVI. Mortis et judicii metum nunquam deposuit. 732

LIBER SEPTIMUS. — Exordium suæ juventutis, id est, annum ætatis trigesimum primum, ob mentis oculos reducit. Narrat se illa ætate densioribus adhuc ignorantiæ tenebris involutum, atque errantem circa Dei naturam, necnon circa originem mali, in cujus inquisitione se mirum in modum angebat, pervenisse tandem ad cognitionem Dei sinceram, quamvis nondum digne de Domino Christo sentiret. 733-734

CAPUT PRIMUM. Deum cogitat tanquam aliquid corporeum per infinita spatia diffusum. *Ibid.*
II. Momentum quo Nebridius confutarat Manichæos. *Ibid.*
III. Liberum arbitrium causa peccati. 735
IV. Deum incorruptibilem esse oportet. *Ibid.*
V. Quærit iterum unde malum, et quæ radix ejus. 736
VI. Mathematicorum divinationes rejicit. 737
VII. Misere torquetur *inquirens* unde sit malum. 739
VIII. Quomodo divina misericordia subvenerit Augustino. 740
IX. In Platonicorum libris Verbi æterni divinitatem, non incarnati humilitatem invenit. *Ibid.*
X. Clarius innotescunt jam Augustino divina. 742
XI. Quomodo creaturæ sunt et non sunt. *Ibid.*
XII. Omnia bona, quæcumque sunt. 743
XIII. Omnia condita laudant Deum. *Ibid.*
XIV. Sanæ mentis homini nihil displicet inter creaturas Dei. 744
XV. Quomodo veritas et falsitas in creaturis. *Ibid.*
XVI. Omnia bona, licet quibusdam non apta. *Ibid.*
XVII. Quæ retardent a cognitione divinorum. *Ibid.*
XVIII. Solus Christus via ad salutem. 745
XIX. Quid senserit de Christi Incarnatione. 746
XX. Ex Platonicis libris peritior, sed inflatior evaserat. *Ibid.*
XXI. Quid in sacris Libris invenerit, non inventum in Platonicis. 747

LIBER OCTAVUS. — Vitæ ipsius partem attingit celeberrimam, annum ætatis trigesimum secundum, quo nempe cum Simplicianum consuluisset, ab eoque didicisset Victorini conversionem, cum Antonii Ægyptii monachi vitam ex Pontitiani relatione cognovisset, post vehementem luctam carnem inter et animum, codicem Apostoli cœlesti admonitus oraculo inspexit; moxque ex illius lectione ad meliorem frugem toto animo immutatus fuit, pleneque ad Deum conversus. 747-748

CAPUT PRIMUM. Studio vitæ melius instituendæ ad Simplicianum ire statuit. *Ibid.*
II. De Victorino rhetore ad fidem converso. 749
III. Quod Deus et angeli magis gaudent in peccatorum conversione. 751
IV. Quare plus lætandum sit in conversione nobilium. 752
V. Quæ remorabantur eum a conversione. 755
VI. Pontitianus narrat Antonii vitam. 754
VII. Rodebatur intus audito Pontitiano. 756
VIII. In hortum secedit, quid ibi egerit. 757
IX. Unde fit ut animus imperet sibi et resistatur. 758
X. Adversus Manichæos qui ex duabus contrariis voluntatibus duas contrarias naturas asseverant. 759
XI. Lucta spiritus et carnis in Augustino. 760
XII. Vocis admonitu quomodo totus conversus. 761

LIBER NONUS. — Dicit de capto a se consilio rhetoricæ professionem abjiciendi, non tamen antequam vindemialium feriarum, quod proxime instabat, tempus advenisset. Tum de suo in Verecundi amici villam secessu, de suo baptismate ac de Monnicæ matris virtutibus atque obitu, qui, baptizato ipso incidit in eumdem huncce annum, ætatis videlicet Augustini trigesimum tertium. 763-764

CAPUT PRIMUM. Laudat Dei bonitatem, agnoscens suam miseriam. 763-764
II. Deserere rhetorices professionem differt usque ad vindemiales ferias. *Ibid.*
III. Verecundus concedit illi rus suum. 765
IV. Libri apud Cassiciacum scripti. Epistolæ ad Nebridium. De ablato repente dolore dentium acerrimo, dum psalmos pie evolvit. 766
V. Ambrosium consulit quid legendum. 769
VI. Mediolani baptizatur cum Alypio et Adeodato. *Ibid.*
VII. Ecclesiastici cantus institutio Mediolani. Inventio corporis SS. Protasii et Gervasii. 770
VIII. Evodii conversio. Matris obitus, ejusque a teneris educatio. *Ibid.*
IX. Laudabiles matris suæ mores prosequitur. 772
X. Colloquium cum matre de regno cœlorum. 773
XI. De ecstasi et morte matris. 773
XII. Quomodo luxerit mortem matris. Sacrificium pro defunctis. 776
XIII. Orat pro matre defuncta. 778

LIBER DECIMUS. — Scrutatur deinceps ac palam contestatur, non qualis antea esset, sed qualis nunc. Deum quem diligit studet indicare; dumque per singula ducit rerum genera, multis explicat memoriæ vim plane stupendam, et quod sua in memoria locum Deus habeat gratulatur. Inquirit in actus, in sensus et affectus suos ex triplici tentatione voluptatis, curiositatis ac superbiæ. Dominum Christum unum mediatorem Dei et hominum confitetur, ejusque ope animi sui languores omnes sanandos esse confidit. 779-780

CAPUT PRIMUM. In Deo solo spes et gaudium. *Ibid.*
II. Cum Deo nota sint arcana, quid est confiteri illi. *Ibid.*
III. Quo fructu confitebitur deinceps quis sit, non quis fuerit. *Ibid.*
IV. Quod magni sint fructus hujusmodi confessionis. 781
V. Homo sese totum non novit. 782
VI. Quid amat cum Deum amat; et quomodo ex creaturis Deus cognoscitur. *Ibid.*
VII. Corporea aut sensitiva virtute Deus non invenitur. 784
VIII. Memoriæ vis. *Ibid.*
IX. Memoria disciplinarum. 786
X. Disciplinæ in memoriam non introducuntur per sensus, sed ex ejus abditiore sinu eruuntur. *Ibid.*
XI. Quid sit discere. 787
XII. Rerum mathematicarum memoria. *Ibid.*
XIII. Memoria meminisse nos meminimus. *Ibid.*
XIV. Quomodo memoria continet affectus animi. Læta non læti quomodo recordamur 788
XV. Etiam quæ absunt meminimus. 789
XVI. Et oblivionis memoria est. *Ibid.*
XVII. Magna memoriæ vis, sed ultra progrediendum ut attingatur Deus. 790
XVIII. Non inveniretur ea res quæ excidit, nisi memoria teneretur. 791
XIX. Quid sit reminisci. *Ibid.*
XX. Ut beatitudinem omnes appetant, oportet eam noverint. *Ibid.*
XXI. Quomodo memoria beatam vitam continet. 792
XXII. Beata vita quæ, et ubi. 793
XXIII. Item prosequitur quæ sit beata vita, et ubi. *Ibid.*
XXIV. Gratulatur quod sua in memoria Deus locum habeat. 794
XXV. In quo memoriæ gradu reperiatur Deus. *Ibid.*
XXVI. Ubi invenitur Deus. 795
XXVII. Quomodo hominem rapiat Dei pulchritudo. *Ibid.*
XXVIII. Miseriæ hujus vitæ. *Ibid.*
XXIX. In Deo spes tota. 796
XXX. Confitetur ut se habet ad tentationes carnalis libidinis. *Ibid.*
XXXI. Ut se gerit ad tentationes gulæ. 797
XXXII. Ut se gerit ad odorum illecebras. 799
XXXIII. Ut se gerit ad voluptates aurium. *Ibid.*
XXXIV. Ut se gerit ad oculorum illecebras. 800
XXXV. Ut se habet ad secundum tentationis genus, quod est curiositatis. 802
XXXVI. Ut se habet ad tertium tentationis genus, quod est superbiæ. 803
XXXVII. Ut movetur laudibus humanis. 804
XXXVIII. Et virtuti periculum a vana gloria. 806
XXXIX. Amoris proprii vis et natura. *Ibid.*
XL. Quod in se et cæteris rebus Deum investigavit. *Ibid.*
XLI. Triplex cupiditas. 807
XLII. Nonnulli ad dæmones tanquam redeundi ad Deum mediatores infeliciter recurrerunt. *Ibid.*
XLIII. Christus verus Mediator. 808

LIBER UNDECIMUS. — Laudaturus Deum deinceps professione suæ ipsius in Scripturis sanctis sive imperitiæ sive etiam peritiæ, aut ejus quo in eas ex munere divino flagrabat, studii, explicandum sumit exordium libri Geneseos; atque hic primum illustrat isthæc verba: *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Occurrit obtrectantibus, quid faceret Deus antequam cœlum et terram conderet, et unde ei in mentem venerit tandem aliquando ea facere, cum antea non fecisset. Dum vero iis refellendis insistit, copiosam de Tempore conscribit disputationem 809-810

CAPUT PRIMUM. Cur confitemur Deo scienti. *Ibid.*

II. Petit a Deo Scripturarum sanctarum intelligentiam. *Ibid.*

III. Quæ scripsit Moyses de creatione cœli et terræ intelligere non potest nisi donante Deo. 811

IV. Creatura clamat creatorem Deum. *Ibid.*

V. Ex nihilo conditus mundus. *Ibid.*

VI. Quomodo Deus dixit ut fieret mundus. 812

VII. Verbum Dei coæternum Deo. *Ibid.*

VIII. Verbum Dei ipsum est principium quo docemur omnem veritatem. 813

IX. Quomodo Verbum Dei loquatur cordi. *Ibid.*

X. Obtrectantes quid faceret Deus antequam cœlum et terram conderet. 814

XI. Objectioni respondet quod æternitas Dei nescit tempora. *ibid.*

XII. Quid Deus fecerit ante mundi creationem. 815

XIII. Quod ante tempora a Deo creata nullum tempus fuerit. *Ibid.*

XIV. Temporis differentiæ tres. *Ibid.*

XV. Mensura temporis in quo. 816

XVI. Quale tempus metiri liceat, et quale non. 817

XVII. Ubi tempus præteritum et futurum. *Ibid.*

XVIII. Quomodo præterita et futura tempora sint præsentia. 818

XIX. Non capit modum quo Deus docet futura. 819

XX. Differentiæ temporis quomodo nominandæ. *Ibid.*

XXI. Quomodo tempus liceat metiri. *Ibid.*

XXII. Petit ænigmatis istius solutionem a Deo. 820

XXIII. Quid sit tempus. *Ibid.*

XXIV. Tempus est quo metimur motum corporis. 821

XXV. Rursus Deum interpellat. 822

XXVI. Quomodo tempus metimur. *Ibid.*

XXVII. Quomodo metimur tempus permanens in animo. *Ibid.*

XXVIII. Animo metimur tempora. 824

XXIX. Se in temporalia distentum cupit in Deum colligi. 825

XXX. Coarguit rursum obtrectantes quid fecerit Deus ante mundi creationem. *Ibid.*

XXXI. Quomodo cognoscit Deus, quomodo creatura. 826

LIBER DUODECIMUS. — Prosequitur interpretationem hujusce versiculi: *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Illic nomine *cœli* significatam putat spiritualem vel intellectualem illam creaturam, quæ semper faciem Dei contemplatur; *terræ* autem vocabulo informem materiam ex qua rerum corporearum species fuerunt posthac formatæ. Verum alias interpretandi rationes haudquaquam improbandas esse; imo ex Scripturæ divinæ profunditate multiplicem posse erui sensum confitetur. 825-826

CAPUT PRIMUM. Difficilis inquisitio veri. *Ibid.*

II. De duplici cœlo et terra. *Ibid.*

III. Quid tenebræ super faciem abyssi. 827

IV. Quid terra invisibilis et in composita. *Ibid.*

V. Cur sic appellata videtur materia informis. *Ibid.*

VI. Quid olim cum Manichæis senserit de materia informi, quid modo. *Ibid.*

VII. Deus fecit de nihilo cœlum, id est, angelos, et terram, id est, informem materiam. 828

VIII. Materia informis ex nihilo; ex hac omnia invisibilia. 829

IX. Cur absque dierum mentione scriptum est Deum fecisse in principio cœlum et terram. *Ibid.*

X. A Deo cupit edoceri. 830

XI. Quid a Deo didicerit. *Ibid.*

XII. Creatura duplex carens tempore. 831

XIII. Cur sine dierum commemoratione dicit Scriptura quod in principio fecit Deus cœlum et terram. *Ibid.*

XIV. Scripturæ profunditas. 832

XV. Quæ de Deo deque angelis et informi materia sentit Augustinus, non possunt oblocut res negare. *Ibid.*

XVI. Rem habere non vult cum iis qui contradicunt veritati divinæ. 834

XVII. Ut cœli et terræ nominibus aliud et aliud intelligi potest. *Ibid.*

XVIII. Quis error innoxius in Scripturis. 835

XIX. Quæ liquido vera. 836

XX. *In principio creavit*, etc., varie intellectum. 837

XXI. *Terra erat invisibilis*, etc., varie intellectum. 837

XXII. Aliquid esse a Deo conditum, de quo sileat liber Genesis, nihil repugnat. *Ibid.*

XXIII. Duo dissensionum genera in Scripturis interpretandis. 838

XXIV. Ex multis veris non debet fidenter asseri aut hoc aut illud sensisse Moysen. 839

XXV. Adversus eos qui aliorum interpretandi rationem temere rejiciunt. *Ibid.*

XXVI. Qui sermo deceat Scripturam. 840

XXVII. Scripturam decet humile simplexque verborum genus. 841

XXVIII. Ut varie intelligitur ab eruditis Scriptura. *Ibid.*

XXIX. Quot modis dicitur aliquid prius. 842

XXX. Tractatores Scripturæ diversa sentientes concordent invicem charitate et studio veritatis. 843

XXXI. Sensisse putandus est Moyses quidquid veri potest in ipsius verbis inveniri. 844

XXXII. Veri Scripturæ sensus a Spiritu sancto revelantur. *Ibid.*

LIBER DECIMUS TERTIUS. — Dei veritatem in rerum productione ac perfectione relucere; tum etiam Deum trinitatem, ipsiusque proprietatem Spiritus sancti primis Geneseos verbis insinuari ostendit. Postmodum vero totam conditi mundi historiam allegorica interpretatione transfert ad ea quæ Deus in Ecclesia ad hominum sanctitatem et gloriam operatur. 845-846

CAPUT PRIMUM. Invocat Deum, cujus bonitate se præventum agnoscit. *Ibid.*

II. Creaturæ ex Dei bonitate subsistunt et perficiuntur. *Ibid.*

III. Ex Dei gratia omnia. *Ibid.*

IV. Deus non eget rebus conditis. *Ibid.*

V. Trinitas qui Deus est ex primis verbis Geneseos intelligitur. 847

VI. Cur dictus est Spiritus superferri super aquas. *Ibid.*

VII. Effectus Spiritus sancti. *Ibid.*

VIII. Intellectuali creaturæ ad beatam requiem non sufficit quidquid Deo minus est. 848

IX. Cur solus Spiritus sanctus superferebatur super aquas. *Ibid.*

X. Ex dono Dei omnia. 849

XI. Symbola Trinitatis in homine. *Ibid.*

XII. Mundi creatio formationem Ecclesiæ præfigurat. 850

XIII. Renovatio hominis dum hic vivit nondum perfecta. *Ibid.*

XIV. Fide et spe corroboramur. 851

XV. *Fiat firmamentum*, etc., Gen. 1, 6. Quid firmamentum, quid superiores aquæ. *Ibid.*

XVI. Solus Deus se scit omnino sicuti est. 853

XVII. *Congregentur aquæ*, etc., Gen. 1, 9. Quid mare, quid arida. Explicatur ℣ 11: *Germinet terra*, etc. *Ibid.*

XVIII. *Fiant luminaria*, etc., Gen. 1, 14. Quæ luminaria dividentia inter diem et noctem. 854

XIX. Tractat eumdem versiculum, *Fiant luminaria*, etc. 855

XX. *Producant aquæ*, etc., Gen. 1, 20. Quæ reptilia, quæ volatilia. 856

XXI. *Producat terra animam vivam*, etc., Gen. 1, 24. *Ibid.*

XXII. *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., Gen. 1, 26. Renovatio mentis. 858

XXIII. *Et præsit piscibus maris*, etc., ibid. De quibus christianus judicet. 859

XXIV. *Et benedixit eos Deus dicens, Crescite*, etc., Gen. 1, 28. 860

XXV. *Ecce dedi vobis omnem herbam... in escam*, etc., Gen. 1, 29. 861

XXVI. Voluptas et utilitas ex beneficio in proximum collato. 862

XXVII. Quid per pisces et cetos significetur. 863

XXVIII. *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*, etc. 864

XXIX. Quomodo intelligendum quod Deus octies vidit bona esse opera sua. *Ibid.*

XXX. Manichæorum deliria. *Ibid.*

XXXI. Piis idem probatur quod Deo placuit. 865

XXXII. Compendio enarrat opera Dei. *Ibid.*

XXXIII. Omnia de nihilo sive de concreata materia. 866

XXXIV. Totius creationis mundi allegorica expositio. *Ibid.*

XXXV. Optat pacem. 867

XXXVI. Diem septimum vespera quare non sequatur. *Ibid.*

XXXVII. Deus in nobis quando quiescet. 868

XXXVIII. Aliter Deus, aliter homo videt creata. *Ibid.*

ADMONITIO DE DUOBUS SOLILOQUIORUM LIBRIS. 867-868

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, SOLILOQUIORUM LIBRI DUO. 869-870

LIBER PRIMUS. — Instituit se ipse Augustinus ad capessendam Dei et animæ scientiam; ac primum divinam opem implorat, tum agnita illius, quam concu-

piscit, scientiæ præcellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplandum Deum tuto demum assurgat. Ad extremum libri colligit, ea quæ vere sunt, immortalia esse. 869-870
CAPUT PRIMUM. Precatio ad Deum. *Ibid.*
II. Quid amandum. 872
III. Cognitio Dei. 873
IV. Certa scientia quæ. 874
V. Dissimilium eadem aut par scientia. 875
VI. Sensus animæ in quibus percipit Deum. *Ibid.*
VII. Fides, spes, charitas, quousque necessariæ. 876
VIII. Quæ ad cognoscendum Deum necessaria. 877
IX. Amor nostri. *Ibid.*
X. Amor rerum corporis et externarum. 878
XI. Externa commoda non propter se, sed propter alia vera bona possunt admitti verius quam expeti. 879
XII. Nihil expetendum nisi quatenus conducit ad summum bonum, nihil horrendum nisi quatenus avocat. 880
XIII. Quomodo et quibus gradibus perspiciatur sapientia. Amor verus. 881
XIV. Ipsa sapientia medetur oculis ut videri possit. 882
XV. Anima quomodo cognoscitur. Fiducia erga Deum. 883
LIBER SECUNDUS. — In eo secum Augustinus de vero et falso copiose disputat, ut demum veritatis perspicuitate bene perspecta, animam ipsam hominis, quæ veritatis sedes est, immortalem esse concludat. 885-886
CAPUT PRIMUM. De immortalitate hominis. *Ibid.*
II. Veritas perpetua. *Ibid.*
III. Si falsitas semper erit, et sine sensu esse non poterit, sequitur animam aliquam semper exstituram. *Ibid.*
IV. Ex falsitatis seu veritatis perpetuitate possitne colligi animæ immortalitas. 887
V. Verum quid sit. 888
VI. Unde falsitas, et ubi. 889
VII. De vero et simili. Soliloquia cur dicta. 890
VIII. Unde verum aut falsum. 891
IX. Quid falsum, quid fallax et quid mendax. 892
X. Quædam eo vera, quo falsa. 893
XI. Disciplinarum veritas. Fabula quid. Quid sit grammatica. *Ibid.*
XII. Quot modis quædam sint in alio. 895
XIII. Immortalitas animæ colligitur. 896
XIV. Excutitur superior syllogismus. 897
XV. Veri et falsi natura. 898
XVI. An meliora deteriorum nominibus vocari possint. 899
XVII. Num aliquid ex omni parte falsum sit aut verum. 900
XVIII. An vere sit corpus. *Ibid.*
XIX. Veritas immortalis arguit animæ immortalitatem. 901
XX. Quædam vera credimus, quædam recordamur; quædam nec sensu, nec phantasia, sed tantum ratione deprehenduntur. 902
ADMONITIO DE TRIBUS CONTRA ACADEMICOS LIBRIS. 903-904
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA ACADEMICOS LIBRI TRES. 905-906
LIBER PRIMUS. — Romanianus ad philosophiam incitatur procemio libri hujus, in quo ejus filius Licentius cum Trygetio per tres disputationes congreditur. Ille pro Academicis beatam vitam ipsa inquisitione veri, hic contra nonnisi veri comprehensione constare propugnat. Venit in contentionem definitio erroris, necnon definitio sapientiæ, quæ luculenter explicatur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Romanianum ad veram philosophiam cohortatur. *Ibid.*
II. An ad beatam vitam necessaria sit veri comprehensio, an sola ejus inquisitio. 908
III. Beatitatem in investigatione veri sitam esse pro Academicis propugnatur. 909
IV. Quid sit error. 911
V. Quidnam sit sapientia. 913
VI. Sapientiæ definitio datur et impugnatur. Albicerii divinationes. 914
VII. Vindicatur data sapientiæ definitio. 915
VIII. Hariolus an sapiens, et quid sit sapiens. Sapientiæ descriptio tuendæ Academicorum opinioni accommodata. 916
IX. Epilogus. *Ibid.*
LIBER SECUNDUS. — Romanianum Mæcenatem suum ad amplectendam philosophiam rursus cum grati animi significatione hortatur, tresque illi describit Collationes, in quarum prima explicantur placita Academicorum. In secunda novæ ac veteris Academiæ discrimina referuntur; et exploditur sententia horum philosophorum, qui cum verum haud posse deprehendi putarent, veri tamen simile se sequi profiterentur. In tertia dicitur quid illi verisimile seu probabile appellarent. 919-920
CAPUT PRIMUM. Contra Academicorum rationes Dei auxilio opus est. *Ibid.*
II. Romaniano grati animi obsequium exhibet, eumque ad philosophiam hortatur. *Ibid.*
III. Philocalia et philosophia. Romanianum rursus ad philosophiam accendit. 922
IV. Repetuntur in priore libro disputata. 923
V. Academicorum placita. 924
VI. Academiæ novæ et veteris discidium 926
VII. Adversus Academicos. *Ibid.*
VIII. Academicorum cavillatio. 928
IX. De Academicorum sententia serio deinceps disputandum. 929
X. Verborum controversia non est quæ habetur cum Academicis, sed rerum. 930
XI. Probabile quid sit. 931
XII. Rursum de probabili, et verisimili. 932
XIII. An Academici dissimularint se scire verum. 933
LIBER TERTIUS. — Exhibet disputationes duas, quarum initio statuitur fortunam nihil sive adjumento sive impedimento esse sapienti. Mox Augustinus, repugnante pro susceptis partibus Alypio, probat nonnihil sciri a sapiente, utpote qui saltem sapientiam noverit. Deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redarguit Academicorum placita: *Nihil percipi posse*; et: *Nulli rei debere assentiri.* Dicit demum videri sibi Academicos non ita sensisse uti vulgo existimantur. 933-934
CAPUT PRIMUM. Magnopere quærenda veritas, unde pendet vita beata. *Ibid.*
II. An fortuna sapienti necessaria. *Ibid.*
III. Differunt sapiens et studiosus. Sapientem nonnihil scire, quia saltem scit sapientiam. 936
IV. Rursus quod sapiens non est qui nihil scit. 937
V. Academicorum inane suffugium præcluditur. 939
VI. Veritatem nisi divina ope non percipi. 940
VII. Augustinus Alypii hortatu habet deinceps orationem contra Academicos. Lepidus quidam locus Ciceronis refertur. 941
VIII. Redarguitur locus e Cicerone allatus. 942
IX. Zenonis definitio discutitur. 943
X. Duo Academicorum effata. 945
XI. Ex sensuum imbecillitate non effici ut nihil veri percipiatur. Neque ex somno et furore. 946
XII. Urget Academicos causare frustra sensuum vel somni et furoris deceptiones. 948
XIII. Multa percipi in dialectica. 949
XIV. Sapientem oportet sapientiæ saltem assentiri. *Ibid.*
XV. An qui sequitur in agendo probabile citra assensum, vitet errorem. 951
XVI. Facere quod videtur probabile etiam citra assensum, nefarium est. 952
XVII. Academici quare dissimularint suam sententiam. 954
XVIII. Quomodo probabile inductum ab Academicis. 955
XIX. Multiplex philosophiæ genus. 956
XX. Conclusio operis. 957
ADMONITIO DE LIBRO DE BEATA VITA. 957-958
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BEATA VITA LIBER UNUS, triduanas complectens disputationes Theodoro nuncupatas; quibus eo demum res abit, ut beatam vitam non nisi in perfecta Dei cognitione consistere definiatur. 959-960
CAPUT PRIMUM. Præfatio. Dicat Librum Theodoro, eique aperit quibus veluti ventis ad christianæ philosophiæ portum impulsus sit. Occasio disputationis. *Ibid.*
II. Disputatio primæ diei. Ex anima et corpore constamus. Cibus corpori necessarius. Animæ quoque suus est cibus. Beatus non est qui quod vult non habet. Nec tamen omnis qui quod vult habet beatus est. Quid sibi homo comparare debet ut sit beatus. Quis Deum habeat. Academicus beatus esse non potest, ergo nec sapiens. 963
III. Disputatio secundæ diei. Quis Deum habeat eo modo ut beatus sit. Spiritus immundus duobus modis appellari solet. 968
IV. Disputatio tertiæ diei. De quæstione pridie proposita dicendum. Miser est omnis qui eget. Sapiens porro aliquo non eget. An omnis qui miser est, egeat. Animi egestas. Animi plenitudo. Quis demum sit beatus. 970
ADMONITIO DE DUOBUS LIBRIS DE ORDINE. 977-978
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE OR-

DINE LIBRI DUO. 977-978
LIBER PRIMUS. — Disputationes duas exhibet, quarum prima docet omnia prorsus et bona et mala ordine divinæ providentiæ contineri. Secunda de ordinis præstantia et notione nonnihil tangit; atque hic data occasione incompositos animi motus et pueriles gloriolæ obtentu rixas alumnorum suorum graviter carpit Augustinus; tumque Monnicam dicit ob sexum a philosophica disputatione minime arcendam esse. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Omnia divina providentia regi. *Ibid.*
II. Dedicat hoc opus Zenobio. 979
III. Occasio disputationis. 981
IV. Nihil omnino sine causa fieri. 982
V. Ordine cuncta Deus administrat. 984
VI. Ordo omnina complectitur. 985
VII. Deus non diligit mala, licet ad ordinem pertineant. *Ibid.*
VIII. Licentius philosophiæ amore succensus. Reprehensus a Monnica quod psalmi versiculum ad requisita naturæ egressus cantitaret. Liberalium disciplinarum utilitas. 987
IX. Ordo dux ad Deum. 990
X. Ordo quid. Ut coercendi æmulationis et inanis jactantiæ motus in adolescentibus qui dant operam litteris. *Ibid.*
XI. Monnica ob sexum non arcenda a philosophica disputatione. 992
LIBER SECUNDUS. — Disputationes hoc libro duæ continentur, quibus dum ordinis definitionem expendunt colloquentes, incidunt in varias quæstiones, scilicet: Quomodo sapiens cum Deo maneat immotus; an etiam ea quæ perperam ab hominibus fiunt, ex Dei ordine agantur; utrum Deus justus esset ante originem mali; utrum ex Dei ordine malum exortum sit. Agitur demum fusius de recto studendi ordine, qui postulat ut informatis rite moribus, et comparatis humanis disciplinis, promoveatur animus ad altiora et divina percipienda. 993-994
CAPUT PRIMUM. Ordinis definitio expenditur. *Ibid.*
II. Cum Deo esse quid sit. Quomodo sapiens cum Deo manet immotus. 995
III. Stultitia an cum Deo sit. 997
IV. Quæ homo perperam agit, an ordine agat. Mala in ordinem redacta faciunt ad decorem universi. 999
V. Quomodo medendum errori credentium res nullo ordine geri. 1001
VI. Mens sapientis immobilis. 1002
VII. Quomodo ordo fuerit cum malum non esset. 1005
VIII. Traduntur primum adolescentibus præcepta vitæ, tum ordo eruditionis. 1006
IX. Ad discendum auctoritate ducimur et ratione. 1007
X. Vitæ præcepta pauci assequuntur. 1008
XI. Ratio quid, et hujus in sensibilibus vestigia. Ut differunt rationale et rationabile. 1009
XII. Disciplinarum omnium excogitatrix ratio. Occasio vocabulorum. Occasio litterarum. Occasio numerorum. Occasio discretionis litterarum, syllabarum et verborum. Occasio historiæ. 1011
XIII. Dialectices et rhetorices inventio. 1013
XIV. Musica et poetica. Triplex sonus. Versus unde. Rhythmus. *Ibid.*
XV. Geometria et astronomia. 1014
XVI. Disciplinæ liberales efferunt intellectum ad divina. 1015
XVII. Arduas quæstiones non attingant non instructi disciplinis. *Ibid.*
XVIII. Quo ordine anima provehitur ad cognitionem sui et ipsius unitatis. Omnia in unum tendunt. 1017
XIX. Homo unde brutis præstantior, quomodo possit videre Deum. 1018
XX. Epilogus hortans ad bonam vitam. 1019
ADMONITIO DE LIBRO DE IMMORTALITATE ANIMÆ. 1019-1020
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE IMMORTALITATE ANIMÆ LIBER UNUS, complectens congeriem rationum pro animæ immortalitate, necnon incurrentium difficultatum solutionem. 1021-1022
CAPUT PRIMUM. Prima ratio, quod anima sit immortalis, quia subjectum est disciplinæ quæ semper est. *Ibid.*
II. Alia ratio, quia subjectum est rationis quæ non mutatur. *Ibid.*
III. Viva substantia et immutabilis animus, nec, si aliquo modo mutabilis, propterea mortalis fit. *Ibid.*
IV. Ars et ratio numerorum immutabilis, quæ animo non sine vita inhærent. 1023
V. Animus non mutatur ut desinat esse animus. 1024
VI. Ratio quæ incommutabilis est, sive in animo sive cum animo sit, sive animus in ea, ab ipso eodem animo separari nequit. 1025
VII. Nec, si per substantiam ad defectum tendit animus, ob id interit. 1027
VIII. Ut corpori non potest auferri quo corpus est, ita nec animo quo animus est. *Ibid.*
IX. Animus vita est, sic vita carere non potest. 1029
X. Animus non est temperatio corporis. *Ibid.*
XI. Animus nec per falsitatem perit veritati contrariam, etsi animi est causa veritas. 1030
XII. Veritati a qua est animus quod est, quatenus ipsa est, nihil contrarium. 1031
XIII. Animus nec in corpus convertitur. *Ibid.*
XIV. Nec somno, nec hujusmodi corporis affectione animæ vim minui. 1032
XV. Rursum animam non posse in corpus mutari. 1033
ADMONITIO DE LIBRO DE QUANTITATE ANIMÆ. 1033-1034
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE QUANTITATE ANIMÆ LIBER UNUS, seu dialogus in quo sex de anima quæstiones a collocutore proponuntur Augustino; quarum tertiam, scilicet, quanta sit anima, penitius tractaturus distinguit imprimis duplex quantitatis genus, unum a mole et loci spatio, alterum a potentia et virtute dictum: illud quidem corporis proprium ab anima, quæ prorsus incorporea sit, excludi; hoc autem reperiri in illa docet. Deinde magnitudinis istius gradus septem assignat, ad quos revocat quidquid anima humana sive in corpore, sive in seipsa, sive denique apud Deum valet. 1035-1036
CAPUT PRIMUM. Sex de anima quæstiones proponit Evodius. Unde sit anima. Animæ patria Deus. Animæ substantia propria et simplex. *Ibid.*
II. Anima qualis sit. 1037
III. Anima quanta sit. *Ibid.*
IV. Animam nonnihil esse, tametsi nec longa nec lata sit. 1038
V. Infinita animæ vis. 1039
VI. Longitudo mera et simplex. 1041
VII. Compendiosior et multitudini tutior ad veritatis perceptionem via per auctoritatem quam per rationem. *Ibid.*
VIII. De figuris mathematicis. Quot lineis figura fiat. Quomodo tribus lineis figura possit fieri. 1042
IX. Quæ figura præstantior. In triangulo quid angulo contrarietur. 1043
X. Summa æqualitas in figuris. 1044
XI. Figurarum præstantia. Quid signum sit, quid punctum. 1045
XII. Puncti potentia. 1046
XIII. Animus incorporeus cernit incorporea. 1047
XIV. Animus incorporeus quantum valeat. 1048
XV. Objicitur animam ætate crescere. 1049
XVI. Respondetur objectioni, et ostenditur animam sine corporeo incremento proficere. 1050
XVII. Anima spatio temporis crescere dicitur metaphorice. 1051
XVIII. Loquendi facultas, quam puer paulatim assequitur, non tribuenda incrementis animæ. 1052
XIX. Anima quomodo crescere minuive dicitur. 1054
XX. Anima num quid ex se sciat. *Ibid.*
XXI. Vires in majori ætate majores non sunt argumentum crescentis animæ. 1055
XXII. Unde vires corporis majores. 1056
XXIII. Anima tametsi per totum corpus sentit, non idcirco est cum corpore extensa. Quid sensus, et quomodo fit visio. 1058
XXIV. Expenditur definitio sensus. 1060
XXV. Definitio quomodo examinanda. 1062
XXVI. Scientia et ratio num in bestiis. 1065
XXVII. Ratio et ratiocinatio. 1065
XXVIII. Bestiæ vim sentiendi habent, non scientiam. 1066
XXIX. Scientia et sensus quid differant. 1067
XXX. Anima quæ ubique sentiat in corpore, non idcirco est per totum corpus diffusa. 1068
XXXI. Vermiculi secti partes moventur. An argumentum sit animæ per totum corpus extensæ. 1069
XXXII. Dissecto corpore anima non secatur. Frusta dissecti corporis vivere possunt, cum anima secta non sit. Deinceps de animæ quantitate, ratione virtutis ac potentiæ. 1071
XXXIII. Vis animæ in corpore, in seipsa, et apud Deum, septem ejus magnitudinis gradus constituit. 1075
XXXIV. Anima solus Deus melior, adeoque solus ei colendus est. 1077
XXXV. Actus animæ juxta septem præfatos gradus varie appellantur. 1079
XXXVI. Attinguntur reliquæ de anima quæstiones. Quæ sit religio vera. *Ibid.*
ADMONITIO DE SEX LIBRIS DE MUSICA. 1079-1080
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MU-

SICA LIBRI SEX. 1081-1082
LIBER PRIMUS. — Traditur musicæ definitio; et quæ ad hujusce disciplinæ considerationem pertinent, motuum numerosorum species ac proportio explicantur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Sonorum certas dimensiones observare non ad grammaticam spectat, sed ad musicam. *Ibid.*
II. Musica quid sit. Modulari quid sit. 1083
III. Bene modulari quid sit, et cur in definitione musicæ positum. 1085
IV. Scientia cur in musicæ definitione ponitur. *Ibid.*
V. Sensus musices an insit a natura. 1089
VI. Cantores theatricos nescire musicam. *Ibid.*
VII. Diu et non diu in motu. 1090
VIII. Propositio in motu diuturno et non diuturno. 1091
IX. Motus rationabiles et irrationabiles connumerati et dinumerati. 1092
X. Motus complicati et sesquati. 1093
XI. Motus et numerus in infinitum progrediens ut ad certam formam coercetur. 1094
XII. Cur ab uno ad decem progressus, et inde ad unum reditus in numerando fiat. 1095
XIII. De proportionatorum motuum decore quatenus sensibus judicatur. 1098
LIBER SECUNDUS, in quo de syllabis et pedibus metricis disputatur. 1099-1100
CAPUT PRIMUM. Syllabarum spatia aliunde grammaticus, aliunde musicus attendit. *Ibid.*
II. De versu judicat grammaticus ex auctoritate, musicus ex ratione et sensu. *Ibid.*
III. Syllabarum tempora. 1101
IV. Pedes dissyllabi. 1102
V. Pedes trisyllabi. 1103
VI. Pedes tetrasyllabi. 1105
VII. Versus certo pedum, ut pes syllabarum numero constat. 1107
VIII. Varia pedum nomina. 1108
IX. De pedum structura. 1109
X. Amphibrachus nec per se nec aliis mixtus versum conficit. De levatione et positione. 1110
XI. Pedum rationabilis mixtura. 1111
XII. Pedes sex temporum. 1112
XIII. Ordo pedum quomodo mutetur concinne. 1113
XIV. Qui pedes quibus misceantur. 1114
LIBER TERTIUS, in quo exponitur quid intersit discriminis inter rhythmum, metrum et versum; tum agitur seorsim de rhythmo, ac deinde tractatio de metro inchoatur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Rhythmus ac metrum quid. *Ibid.*
II. Quid intersit inter versum et metrum. *Ibid.*
III. Rhythmi ex pyrrhichiis. 1118
IV. Rhythmus continuus. 1119
V. An sint pedes supra syllabas quatuor. 1121
VI. Pedes quatuor syllabis longiores rhythmum suo nomine facere nequeunt. 1123
VII. De metro quibus et quot minimum constituatur pedibus. 1124
VIII. Silentia in metris quanta adhiberi oportet. Metrum quod dicatur. 1125
IX. Quot ad summum temporibus ac pedibus metrum constare possit. 1126
LIBER QUARTUS. — Continuatur tractatio de metro. 1127-1128
CAPUT PRIMUM. Ultima syllaba quare indifferens in metro. *Ibid.*
II. Quot syllabis minimum constituatur pyrrhichium metrum; quamdiu quoque silendum. *Ibid.*
III. Pyrrhichiorum metrorum ordo et numerus. 1130
IV. De metro iambico. 1131
V. De metro trochaicho. *Ibid.*
VI. De metro spondiaco. 1132
VII. Tribachi metra quot sint. *Ibid.*
VIII. De dactylo. 1133
IX. De bacchio. *Ibid.*
X. Pleno pedi quid addatur ante silentium. 1134
XI. Iambus post dichorium male ponitur. 1135
XII. Summa omnium metrorum. 1136
XIII. Ratio metiendi metra et silentia interponendi. 1138
XIV. Persequitur rationem adhibendi silentia in metiendis metris. 1139
XV. Item de silentio in metris interponendo. 1141
XVI. De pedum commixtione, et de metrorum copulatione. 1143
XVII. Sequitur de metrorum copulatione. 1145
LIBER QUINTUS, in quo de versu disseritur. 1147-1148
CAPUT PRIMUM. Quomodo differant rhythmus, metrum et versus. *Ibid.*
II. Metra in duas partes divisibilia cæteris præstant. *Ibid.*
III. Versus unde dictus. 1147-1148
IV. Terminus versuum varius. 1149
V. Heroici finis. 1151
VI. Rursus de fine versus. 1152
VII. Quomodo semipedum imparilitas in versuum membris ad parilitatem referatur. Conciliantur membra semipedum quatuor et trium. Membra semipedum quinque et trium. 1153
VIII. Membra semipedum quinque et septem. 1155
IX. Membra semipedum sex et septem. Membra semipedum novem et septem. 1156
X. De senariorum versuum excellentia; eos decentissimos non esse, nisi vel heroici sint vel iambici. 1157
XI. Senarii quomodo commodius metiendi. 1158
XII. Senarii versus cur aliis præstantiores. 1159
XIII. Epilogus. 1161
LIBER SEXTUS, in quo ex mutabilium numerorum in inferioribus rebus consideratione evehitur animus ad immutabiles numeros, qui in ipsâ sunt immutabili veritate. 1161-1162
CAPUT PRIMUM. Superiores libri quibus scripti sint, quove consilio. *Ibid.*
II. Sonorum numeri quotuplicis generis, et an quodque eorum genus sine alio esse possit. Primum genus numerorum in ipso sono. Secundum genus in ipso sensu audientis. 1163
III. Tertium genus numerorum in ipso actu pronuntiantis. Quartum genus numerorum in ipsa memoria. 1164
IV. Quintum genus numerorum in ipso naturali judicio sentiendi. Ex quinque recensitis numerorum generibus quodnam antecellat. 1165
V. Anima an a corpore patiatur, et quomodo sentiat. 1167
VI. Inter genera numerorum ordo, et eorum nomina. 1171
VII. Numeri judiciales an sint immortales. 1172
VIII. Numeri cæteri judicialium examini subjiciuntur. 1173
IX. Numeri alii in anima illis judicialibus præcellentes. 1176
X. Rationis vis in perspiciendis quæ ad musicam pertinent, ubi nihil aliud quam æqualitas delectat. 1177
XI. Inferioribus non offendi, solis superioribus numeris delectari convenit. Differentia phantasiæ et phantasmatis. 1179
XII. De numeris spiritualibus et æternis. 1181
XIII. Animus unde fit ut a veritate incommutabili avertatur. 1183
XIV. Ad Dei amorem provocatur anima ex numerorum et ordinis ratione quam in rebus diligit. 1186
XV. Corporales numeros post resurrectionem aget anima quiete. Virtutes quatuor quibus hic anima perficitur. 1183
XVI. De quatuor virtutibus an et quomodo sint in beatis. 1189
XVII. Quod peccatrix anima numeros agat et numeris agatur. Conclusio operis. 1191
ADMONITIO DE LIBRO DE MAGISTRO. 1193-1194
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MAGISTRO LIBER UNUS, in quo de verborum vi atque officio disputatur copiose, quo demum non verbis quæ foris homo personat, sed æterna veritate intus docente scientiam rerum obtineri evincatur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Locutio ad quid instituta. *Ibid.*
II. Verborum significatus nonnisi verbis ab homine ostenditur. 1196
III. An res aliqua monstrari absque signo possit. 1197
IV. An signa signis monstrentur. 1198
V. Signa mutua. 1201
VI. Signa sui significativa. 1204
VII. Epilogus præcedentium capitum. 1205
VIII. Non frustra hæc disputari. Item signis auditis animum, ut interroganti respondeatur, ad res significatas esse referendum. 1207
IX. An res quæque vel ejus cognitio pluris habenda sit quam ipsius signa. 1209
X. An quædam doceri sine signis queant. Res non discuntur per ipsa verba. 1212
XI. Discimus non verbis foris sonantibus, sed docente intus veritate. 1215
XII. Christus veritas intus docet. 1216
XIII. Verborum vi ne quidem animus loquentis aperitur. 1218
ADMONITIO DE TRIBUS LIBRIS DE LIBERO ARBITRIO. 1219-1220
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE LIBERO ARBITRIO LIBRI TRES. 1221-1222
LIBER PRIMUS, in quo mota quæstione unde malum, explicatur quid sit male agere; tumque mala hominum facta ex libero voluntatis arbitrio proficisci ostenditur; quippe cum libidini, quæ in omni facto malo regnat, servire mens a nullo cogatur. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Deus an alicujus mali auctor. *Ibid.*
II. Malum unde priusquam disquiratur, quid de Deo

credendum. 1224
III. Mali natura ex libidine. *Ibid.*
IV. Objectio de homicidio patrato ex metu. Cupiditas culpabilis quid sit. 1225
V. Objectio altera de occisione hominis vim afferentis per humanas leges licita. 1227
VI. Lex æterna moderatrix humanarum. Æternæ legis notio. 1228
VII. Homo ex æterna lege quomodo ordinatissimus ad disquirendum, eaque fine ostenditur scire melius esse quam vivere. 1229
VIII. Ratio qua præcellit homo bestiis debet in ipso dominari. 1231
IX. Stulti et sapientis discrimen ex dominatu aut servitute mentis. *Ibid.*
X. Mens a nullo cogitur servire libidini. 1232
XI. Mens ex libera voluntate libidini serviens punitur juste. 1233
XII. Mortalis vitæ pœnas qui libidini serviunt, merito patiuntur, etiamsi sapientes nunquam fuerint. 1234
XIII. Voluntate vitam beatam, voluntate miseram degimus. 1235
XIV. Cur ergo pauci evadant beati, cum omnes esse velint. 1237
XV. Lex æterna, lex temporalis, in quos et quantum valeant. *Ibid.*
XVI. Epilogus tractatæ quæstionis. 1239

LIBER SECUNDUS, in quo, difficultate ex eo quod libertas, qua peccatur, a Deo data sit, emergente, tria hæc disquiruntur : Qua ratione Deum esse manifestum sit ; an ab ipso sint bona quæcumque ; utrum in bonis censenda sit libera voluntas. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. Libertas qua peccatur cur a Deo data. *Ibid.*
II. Objectio : Liberum arbitrium, si ad bonum datum est, quomodo ad malum flexile. 1241
III. Deum esse ut manifestum evadat, disquiritur quid sit in homine præstantissimum. 1243
IV. Sensus interior sentit ipsum sentire ; an et se discernat. 1246
V. Sensus interior præstat æternis sensibus, quorum est moderator et judex. *Ibid.*
VI. Ratio cæteris in homine præstat ; qua si quid præstantius, Deus est. 1248
VII. Quomodo idem sentiatur a multis, quidve totum, quid non totum et simul a singulis. 1249
VIII. Numerorum ratio nullo corporis sensu percipitur, a quovis intelligente percepta una est et incommutabilis. 1251
IX. Quid sapientia, sine qua nemo beatus ; an una sit in omnibus sapientibus. 1253
X. Una est sapientiæ lux omnibus sapientibus communis. 1256
XI. Sapientia et numerus an idem, an alterum ab altero vel in altero existat. 1257
XII. Una et incommutabilis in omnibus intelligentibus veritas, eaque nostra mente superior. 1259
XIII. Exhortatio ad amplexum veritatis, quæ una beatos facit. 1260
XIV. Veritas possidetur cum securitate. 1261
XV. Deum esse ex ratione fuse explicata jam certo cognoscitur. 1262
XVI. Sapientia studiosis sui inquisitoribus sese in via ostendit, numeris videlicet cuique rei impressis. 1263
XVII. Bonum et perfectio quæcumque ex Deo est. 1265
XVIII. Libera voluntas tametsi ad malum usum converti possit, in bonis numeranda est. 1266
XIX. Bona magna, minima et media. In mediis censetur libertas. 1267
XX. Ex Deo non est motus ille, quo voluntas ab incommutabili bono avertitur. 1269

LIBER TERTIUS, in quo quæritur unde ille motus existat, quo voluntas ab incommutabili bono deflectit ; an secum invicem pugnent Dei præscientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum, quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat ; et prorsus de creaturæ, quæ peccato obnoxia sit, productione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitia perducta disputatione declaratur quemadmodum ea haud injuste in Adæ posteros demanent ; utque propter hæc ipsa immerito peccantes excusationem obtendant ; deinceps vero difficultates nonnullæ huc pertinentes enodantur. 1269-1270

CAPUT PRIMUM. Unde sit motus ille quo voluntas deflectit ab incommutabili bono. *Ibid.*
De præscientia quomodo liberam voluntatem peccantibus non auferat, quæstio plurimos torquens. 1272
III. Dei præscientia non efficit ut non libera voluntate peccemus. 1273
IV. Deus prænoscens non cogit ad peccandum, atque adeo peccata juste punit. 1275
V. Deus de creaturæ, etiam quæ peccato miseriæque obnoxia est, productione laudandus. 1276
VI. Nemo vere dixerit se malle non esse quam miserum esse. 1279
VII. Esse diligitur et a miseris, quia ab illo sunt qui summe est. *Ibid.*
VIII. Non esse a nemine eligitur, ne quidem ab illis qui sibi necem consciscunt. 1281
IX. Peccantium animarum miseria confert ad perfectionem universi. 1282
X. Quo jure diabolus possederit hominem, et quo jure Deus hunc liberarit. 1285
XI. Creatura sive in justitia permansura, sive lapsura, ad ornatum universi confert. 1287
XII. Gubernatio universi non turbaretur, etiamsi angelica omnis creatura peccaret. 1288
XIII. Ex creaturæ corruptione et ex vitii ejus vituperatione bonitas ipsius ostenditur. 1289
XIV. Non omnis corruptio vituperatione digna est. 1290
XV. Defectus creaturæ haud semper est culpabilis. 1291
XVI. Peccata nostra in Deum refundi nequeunt. 1293
XVII. Voluntas est prima causa peccandi. 1294
XVIII. An aliquis peccet in eo quod caveri non potest. 1295
XIX. Peccantes ignorantiam et difficultatem transfusa in se ex Adæ peccato vitia ne excusent. 1296
XX. Pœnales defectus in Adæ posteros haud injuste demanasse, quæcumque demum vera sit de animarum origine sententia. 1297
XXI. Error qua in re perniciosus. 1299
XXII. Ignorantia et difficultas si naturalis est homini, non propterea deest unde laudetur Creator. 1302
XXIII. De parvulorum morte et cruciatibus corporis quibus affliguntur, iniqua est imperitorum querela. Dolor quid sit. 1303
XXIV. Primus homo non insipiens creatus est, sed sapientiæ capax. Stultitia quid. 1305
XXV. Quibus visis tangitur rationalis natura, cum intentionem ad malum convertit. 1307

ADMONITIO DE DUOBUS LIBRIS DE MORIBUS ECCLESIÆ ET DE MORIBUS MANICHÆORUM. 1309-1310

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MORIBUS ECCLESIÆ CATHOLICÆ ET DE MORIBUS MANICHÆORUM. *Ibid.*

LIBER PRIMUS. — Principio constituit Augustinus mores illos quibus in Ecclesia sancte vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est Deum, referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis charitatis erga proximum, ac refert demum exempla continentiæ et morum vere christianorum, quæ in Ecclesiæ catholicæ alumnis eluxerunt. *Ibid.*

CAPUT PRIMUM. Quomodo detecturus sit fucos Manichæorum. Duo quibus fallunt Manichæi. *Ibid.*
II. Rationibus prius agit, obsequens vitiosæ Manichæorum consuetudini. 1311
III. Beatus qui eo fruitur quod hominis optimum est. Hominis optimum quid. Duæ conditiones summi boni : prima ut nihil eo melius sit ; secunda ut tale sit quod non amittat invitus. 1312
IV. Homo quid. 1313
V. Hominis optimum non quod solius corporis, sed quod animæ optimum est. *Ibid.*
VI. Virtus animam optimam efficit ; virtutem anima comparat sequendo Deum ; Dei autem consecutio vita beata. 1314
VII. Deus auctoritate Scripturarum vestigandus. OEconomiæ divinæ erga nostram salutem ratio et præcipua mysteria. Summa fidei. 1315
VIII. Deus summum bonum, quo summo amore tendere jubemur. 1316
IX. Concentus Veteris et Novi Testamenti de præceptis charitatis. *Ibid.*
X. De Deo quid doceat Ecclesia. Duo dii Manichæorum. 1317
XI. Deus unice diligendus, ideoque summum hominis bonum. Deo nil melius ; Deum nemo amittit invitus ; quæ sunt duæ conditiones summi boni, supradictæ, cap. 3. 1319
XII. Charitate Deo connectimur, dum illi subjicimur. 1320
XIII. Per Christum et ejus spiritum jungimur inseparabiliter Deo. *Ibid.*

XIV. Trinitati summo bono dilectione hæremus. 1321
XV. Quatuor virtutes definit christiane. 1322
XVI. Testamenti Veteris et Novi concentus. *Ibid.*
XVII. Apostrophe ad Manichæos, ut resipiscant. 1324
XVIII. In Catholica sola perfecta veritas ex utriusque Testamenti consensu. 1325
XIX. Temperantiæ officia ex sacris Litteris describit. 1326
XX. Sensibilia omnia contemnere, et solum Deum amare jubemur. 1327
XXI. Gloria popularis et curiositas sacris Litteris damnata. *Ibid.*
XXII. Fortitudinem præstat amor Dei. 1328
XXIII. Fortitudinis monita et exempla ex Scripturis. 1329
XXIV. De justitia et prudentia. 1330
XXV. Officia quatuor virtutum circa Dei amorem, cujus amoris præmium est æterna vita et cognitio veritatis. *Ibid.*
XXVI. Dilectio sui et proximi. 1331
XXVII. Beneficentia in corpus proximi. 1332
XXVIII. Beneficentia in animam proximi. Disciplinæ partes duæ; coercitio et instructio. Per bonos mores nobis provenit agnitio veritatis. 1333
XXIX. De Scripturarum auctoritate. 1335
XXX. Apostrophe ad Ecclesiam totius sapientiæ magistram. Doctrina catholicæ Ecclesiæ. 1336
XXXI. Manichæorum continentiæ opponit anachoretarum et cœnobitarum vitam. 1337
XXXII. Clericorum laus. 1339
XXXIII. Aliud genus in civitate simul viventium. Jejunia triduana. *Ibid.*
XXXIV. Ex malorum christianorum moribus non vituperandam Ecclesiam. Sepulcrorum et picturarum adoratores. 1341
XXXV. Conjugium et possessiones baptizatis etiam concessa per Apostolum. 1342
LIBER SECUNDUS, in quo refutata diligenter Manichæorum doctrina de origine et natura mali, excutiuntur tria illa oris, manuum et sinus, quæ ipsi in impiis suis moribus prædicabant signacula, et superstitiosa eorum abstinentia mysteriaque nefanda suggillantur. Nonnulla in iis deprehensa flagitia referuntur. 1345-1346
CAPUT PRIMUM. Summum bonum est id cui competit summe esse. *Ibid.*
II. Malum quid sit. Malum esse id quod est contra naturam dicunt verissime Manichæi, sed hinc subvertitur eorum hæresis. *Ibid.*
III. Malum si definitur id esse quod nocet, ex hoc rursus Manichæi revincuntur. *Ibid.*
IV. Boni per se et participatione differentia. 1347
V. Malum si definitur esse corruptio, inde etiam funditus evertitur illorum hæresis. *Ibid.*
VI. Corruptio quam rem afficiat, et quid sit. 1348
VII. Dei bonitas non sinit rem ullam corruptione eo perduci ut non sit. Creare et condere quo differant. 1349
VIII. Malum est, non substantia ulla, sed substantiæ inimica inconvenientia. *Ibid.*
IX. Ne consistere quidem Manichæorum fabulas de bonis et malis. 1351
X. Tria signacula morum a Manichæis perperam excogitata. 1353
XI. Signaculum oris quale apud Manichæos, qui blasphemiæ in Deum rei esse convincuntur. 1354
XII. Excludit Manichæorum suffugia. 1355
XIII. Non ex rebus, sed ex intentione facta æstimantur; hinc de Manichæorum abstinentia ferendum judicium. 1356
XIV. Tribus causis abstinetur laudabiliter a certis ciborum generibus. 1358
XV. Esum carnium cur interdicant Manichæi. 1360
XVI. Aperit portentosa Manichæorum mysteria 1361
XVII. Manuum signaculum apud Manichæos quale sit aperitur. 1368
XVIII. De signaculo sinus et nefandis mysteriis Manichæorum. 1372
XIX. Flagitia Manichæorum. 1373
XX. Flagitia eorumdem Romæ deprehensa. 1376
ADMONITIO DE REGULA S. AUGUSTINI AD SERVOS DEI. 1377-1378
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, REGULA AD SERVOS DEI. *Ibid.*
De charitate Dei et proximi, unione cordium et communitate rerum. *Ibid.*
De humilitate. 1379
De oratione et divino officio. *Ibid.*
De jejunio et refectione. *Ibid.*
De indulgentia erga infirmos. 1380
De habitu et exterioris hominis compositione. *Ibid.*
De fraterna correctione. 1381
De vitio propriam aliquam rem sibi vindicantium. 1382
De vestium lotione, de balneis, deque aliis curandis fratrum necessitatibus. 1384
APPENDIX TOMI PRIMI OPERUM S. AUGUSTINI, complectens quædam olim ipsi perperam adscripta. 1385-1386
ADMONITIO DE LIBRO DE GRAMMATICA ET TRIBUS ALIIS OPUSCULIS. *Ibid.*
DE GRAMMATICA LIBER. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Terminationes nominum. *Ibid.*
II. De nominibus quæ terminantur in semivocales, et eorum generibus. 1387
III. De iis quæ terminantur in mutas. *Ibid.*
IV. De terminatione et declinatione nominum neutrius generis. *Ibid.*
V. De terminatione et declinatione nominum communis generis. 1390
VI. De terminatione et declinatione nominum omnis generis. 1392
VII. De nominibus generis epicœni, et differentia ejusdem generis a communi. 1393
VIII. De nominibus aut singularis aut pluralis numeri tantum. 1394
IX. De pronomine. *Ibid.*
X. De declinatione pronominum primæ, secundæ et tertiæ personæ. 1395
XI. De declinatione infinitorum. *Ibid.*
XII. Pronomina qualitatis. 1396
XIII. De verbo. *Ibid.*
XIV. De prima conjugatione. 1398
XV. De secunda conjugatione. *Ibid.*
XVI. De tertia et quarta conjugatione. 1399
XVII. De verbo communi unde dicatur, et de conjugatione ejusdem. *Ibid.*
XVIII. De verbo deponenti. 1400
XIX. De neutro passivis et impersonalibus. 1401
XX. De inchoativis, frequentativis, et desideralivis verbis. 1402
XXI. De adverbio. *Ibid.*
XXII. Item iterum de adverbio. 1403
XXIII. Adverbia a nominibus tracta sex habent terminationes. Regula communis. 1404
XXIV. De participiis. Regula communis. 1405
XXV. De conjunctione *Ibid.*
XXVI. De præpositione. Præpositiones accusativæ, ablativæ et utriusque. 1406
XXVII. Duplex genus præpositionum quæ dicuntur utriusque. 1407
XXVIII. De interjectione. 1408
XXIX. Epilogus. Et de nominibus numerorum. *Ibid.*
PRINCIPIA DIALECTICÆ. 1409-1410
CAPUT PRIMUM. De simplicibus verbis. *Ibid.*
II. Verba conjuncta. *Ibid.*
III. Quæ simplices sententiæ, quæ conjunctæ. *Ibid.*
IV. Conjunctas sententias subdivisit. *Ibid.*
V. Quomodo de rebus, verbis, dicibilibus, dictionibus tractetur in logica. Differunt dicibile et dictio. *Ibid.*
VI. De origine verbi. Verbum unde dictum. Stoicorum de origine verbi opinio. 1411
VII. De vi verbi. 1413
VIII. Obscurum et ambiguum. Differentiæ obscuri et ambigui. Tria genera obscurorum. 1414
IX. Ambiguitatum genera duo. 1415
X. Ambiguitas ex æquivocis varia. 1416
ADMONITIO DE CATEGORIIS DECEM. 1419-1420
CATEGORIÆ DECEM, EX ARISTOTELE DECERPTÆ. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. De oratione, et quam late pateat significatio *ousiæ*. *Ibid.*
II. De æquivocis et multivocis. 1421
III. Quid Aristoteles agat in categoriis. 1422
IV. De denominativis. Differunt paronyma ab homonymis. *Ibid.*
V. Substantia et accidens. 1423
VI. Quæ dicuntur de subjecto, quæ in subjecto. *Ibid.*
VII. Quid genus, quid species. 1424
VIII. De prædicamentis in generali. 1425
IX. De *usia* sive substantia. *Usia* proprie. Secundæ *usiæ* quæ dicantur. 1426
X. De quantitate. Quanto nihil est contrarium. Contraria quæ dicantur. 1427
XI. Ad aliquid. Ad aliquid quando dicitur. Opposita. 1430
XII. De qualitate. Species qualitatis quatuor. Habitus. Affectio. Potentia naturalis. Passivæ qualitates. 1432
XIII. De facere et pati. 1435
XIV. De jacere sive situ. 1436
XV. De ubi et quando. *Ibid.*
XVI. De habere. *Ibid.*
XVII. De postprædicamentis. 1437

XVIII. De priori. 1438
XIX. De simul. 1439
XX. De motu. *Ibid.*
XXI. Conclusio operis. 1440
PRINCIPIA RHETORICES. 1439-1440
CAPUT PRIMUM. Oratoris officium. *Ibid.*
II. Quis sit finis oratoris. *Ibid.*
III. De civilibus quæstionibus, et differentia generalium et specialium. 1441
IV. Quæ sint circumstantiæ controversiam facientes. 1442
V. Quæstiones rationales fiunt quatuor modis. 1443
VI. De quatuor quæstionibus legalibus. 1444
VII. Quibus quæstio articulis nectatur. *Ibid.*
VIII. Modi controversiarum. 1445
IX. De figuris controversiarum. 1446
ADMONITIO DE FRAGMENTO REGULÆ CLERIS TRADITÆ. 1447-1448
REGULÆ CLERIS TRADITÆ FRAGMENTUM. *Ibid.*
ADMONITIO DE REGULA SECUNDA. 1449-1450
REGULA SECUNDA. *Ibid.*
ADMONITIO DE LIBRO DE VITA EREMITICA AD SOROREM. 1451-1452
DE VITA EREMITICA AD SOROREM LIBER. *Ibid.*
CAPUT PRIMUM. Ut instituta est eremitica vita. *Ibid.*
II. Reclusio corporis solius nihil prodest. *Ibid.*
III. Reclusarum cum externis mulieribus confabulationes. *Ibid.*
IV. Ex confabulatione cum externis mulieribus quæ pernicies. *Ibid.*
V. Reclusarum quarumdam avaritia. *Ibid.*
VI. Reclusa ne pauperum aut hospitum prætextu facultates habere velit; utatur ancilla probata; non puellas doceat. 1453
VII. Studeat silentio, et raro modesteque loquatur. *Ibid.*
VIII. Quibuscum personis loqui decet reclusam. 1454
IX. Scribit vivendi formam reclusis rogatus a sorore. *Ibid.*
X. De colloquio cum variis personis. Quid hac in re observandum a reclusa. *Ibid.*
XI. Operetur manibus, ornetur verecundia. 1455
XII. Reclusa verbis lacessita ut se gerere debet. *Ibid.*
XIII. De tempore loquendi et tacendi. *Ibid.*
XIV. Quibus exercitiis vacandum a calendis novemb. ad Quadragesimam. *Ibid.*
XV. De exercitiis a Pascha ad calendas novembris. 1456
XVI. De quadragesimali jejunio. *Ibid.*
XVII. Persequitur de virtute jejunii. 1457
XVIII. De significatione Quadragesimæ. *Ibid.*
XIX. De cibi et potus qualitate et quantitate. *Ibid.*
XX. De vestimentis et calceamentis. 1458
XXI. Solitudo est hominum consortio præferenda propter conservationem virginitatis. *Ibid.*
XXII. Ut virginitatis propositum religiose custodiendum. 1459
XXIII. Castitatis dispendium in mensa timendum et in colloquiis. *Ibid.*
XXIV. Ante somnum conscientia excutienda, et dolendum de peccatis. *Ibid.*
XXV. In tentationibus impudicis recogitanda virginis Agnetis historia. *Ibid.*
XXVI. Castitas in juvenili ætate sine magna cordis et corporis attritione non stat integra. 1460
XXVII. De monacho stimulum carnis duris macerationibus vix comprimente, non penitus exstinguente. *Ibid.*
XXVIII. Contra senes qui concubinarum consortio carere nolunt. *Ibid.*
XXIX. Virgo semper pavida, seipsa muniat verbi Dei meditatione. 1461
XXX. Contra eos qui rigorem abstinentiæ non amplectuntur, ne corporis languorem incurrant. *Ibid.*
XXXI. De adolescente resipiscente et Christum hora mortis vidente. 1461
XXXII. Vera discretio, carni animam præponere. 1462
XXXIII. De superbia et ejus speciebus. *Ibid.*
XXXIV. De quadam specie vanitatis in cellulæ oratoriique ornamentis. *Ibid.*
XXXV. Rursus de quadam inani gloria. *Ibid.*
XXXVI. De ornamentis virtutum præferendis. *Ibid.*
XXXVII. Persequitur de virtutum ornamentis. *Ibid.*
XXXVIII. Ex lini, quo altare ornatur, consideratione quomodo mores instituendi. 1463
XXXIX. Imago Crucifixi et assistentis hinc inde Mariæ ac Joannis sat esse debet in sanctimonialium oratorio. *Ibid.*
XL. De dilectione Dei et proximi. Ac primum ut in proximum exercenda a sanctimonialibus. *Ibid.*
XLI. De exemplo Mariæ et Marthæ, deque vita activa et contemplativa. 1464
XLII. De rerum ecclesiasticarum dispensatione. *Ibid.*
XLIII. Claustrales non debent pauperum et hospitum cura distendi. *Ibid.*
XLIV. Administratio temporalium haud convenit cœnobitis, multoque minus virgini reclusæ. *Ibid.*
XLV. Ut sanctimonialis debet si quid superest, erogare. 1465
XLVI. Quod eleemosynæ genus a monialibus impendi decet. *Ibid.*
XLVII. De dilectione Dei concitanda in meditatione mysteriorum Christi. *Ibid.*
XLVIII. De Magorum adoratione, fuga Christi in Ægyptum, et de latrone ad Christi dextram crucifixo. 1466
XLIX. De contemplatione Christi pueri. *Ibid.*
L. De consideratione baptismi, jejunii et tentationis Christi. *Ibid.*
LI. De muliere in adulterio deprehensa. 1467
LII. De muliere lacrymis pedes ejus rigante. *Ibid.*
LIII. De paralytico per tegulas invecto, et corporaliter spiritualiterque sanato. *Ibid.*
LIV. De receptione Christi in domo Marthæ et Mariæ. 1468
LV. De ingressu Christi in Jerusalem, pueris acclamantibus, *Hosanna*, etc. *Ibid.*
LVI. De cœna Domini et rebus in ea gestis. *Ibid.*
LVII. De Christi agonia in monte Oliveti. 1469
LVIII. De Christi traditione. *Ibid.*
LIX. De injuriis Christo apud principem sacerdotum et apud Pilatum illatis. *Ibid.*
LX. De passione Christi et deceptione diaboli. *Ibid.*
LXI. De Christo in cruce. 1470
LXII. De mira Christi patientia in cruce. *Ibid.*
LXIII. Virgo propior adstat cruci. *Ibid.*
LXIV. De decurione. *Ibid.*
LXV. De Magdalena sepulcrum visitante. *Ibid.*
LXVI. De mundi et rerum præsentium contemptu. 1471
LXVII. Mors a sanctis desideratur. *Ibid.*
LXVIII. Mors justo felicitatis principium est. *Ibid.*
LXIX. De animæ a corpore exeuntis requie vel supplicio. 1472
LXX. De requie æterna et gloria sanctorum. *Ibid.*
LXXI. De extremi judicii die. *Ibid.*
LXXII. De confusione et pœna malorum. *Ibid.*
LXXIII. Amor Deo rependendus pro prædestinationis gratia. *Ibid.*
LXXIV. De gloria bonorum. *Ibid.*
LXXV. Ex sola Dei gratia salvandis accensemur. 1473
LXXVI. De regno Dei post judicium. *Ibid.*
LXXVII. De regni Dei felicitate. *Ibid.*
LXXVIII. Epilogus operis. 1474

FINIS TOMI PRIMI.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC TOMO PRIMO CONTINENTUR.
Vita S. Aurel. Augustini, Hipponensis Episcopi, auctore Possidio.
Vita S. Aurel. Augustini, Hipponensis Episcopi, ex ejus potissimum scriptis concinnata.
Retractationum libri II.
Confessionum libri XIII.
Soliloquiorum libri II.
Contra Academicos libri III.
De Beata Vita liber unus.
De Ordine libri II.
De Immortalitate animae liber [...] unus.
De Quantitate animae liber unus.
De Musica libri VI.
De Magistro liber unus.
De libero Arbitrio libri III.
De Moribus Ecclesiae catholicae, et de Moribus Manichaeorum libri II.
Regula ad servos Dei.
CONTENTA IN APPENDICE.
De Grammatica liber.
Principia dialecticae.
Categoriae decem.
Principia rhetorices.
Regulae cleris traditae fragmentum.
Regula secunda.
De Vita eremitica ad sororem.
INDEX RERUM QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.
EPISTOLA DEDICATORIA.
IN NOVISSIMAM S. AUGUSTINI OPERUM EDITIONEM PRAEFATIO GENERALIS.
IN APPENDICES AUGUSTINIANAS ET ALIA IN HOC VOLUMINE CONTENTA BREVIS PRAEFATIO.
VITA POSSIDII.
VITA S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, auctore P [...] sidio Calamensi episcopo.
Praefatio.
CAPUT PRIMUM. Augustini ortus, conversio et baptismus. Ambrosii doctrina revocatur ab errore Manichaeorum.
II. Relictis omnibus suscipit propositum serviendi Deo, jam annis major triginta.
III. Secessus Augustini. Quidam ab Augustino conversus.
IV. Capitur ad presbyterii gradum.
V. Monasterium instituit. Valerius episcopus Augustino presbytero dat potestatem coram se praedicandi verbum Dei.
VI. Conflictus Augustini cum Fortunato Manichaeo.
VII. Libri et tractatus Augustini contra fidei hostes ab ipsis etiam haereticis ingenti ardore excepti.
VIII. Designatur episcopus, vivo Valerio, et à Megalio primate ordinatur.
IX. Pugnat cum Donatistis.
X. Circumcellionum furor.
XI. Profectus Ecclesiae per Augustinum. Monasteria per ejus alumnos instituta.
XII. Augustinus paratas sibi insidas errore ductoris devitat. Multa auraria haereticis indicta.
XIII. Pax Ecclesiae per Augustinum.
XIV. Emeritus episcopus Donatista superatus.
XV. Digressione concionantis conversus negotiator, nomine Firmus.
XVI. Manichaeorum exsecrandae turpitudines detectae. Felix Manichaeus conversus.
XVII. Pascentius comes Arianus in collatione revincitur. Collatio cum Maximino episcopo Ariano.
XVIII. Pelagianistae novi haeretici, expugnati et condemnati. Ecclesiae catholicae quantum profuerint labores Augustini. Haeretici et Pagani deficiunt. Augustini operum quam ingens copia.
XIX. In causis audiendis quomodo se gesserit Augustinus. Partes, facta opportunitate, docet quae ad aeternam vitam spectant. Merces operae justitiae.
XX. Pro reis quomodo intercesserit.
XXI. Conciliis quo animo interesse soleret. In ordinandis sacerdotibus major consensus et Ecclesiae consuetudo inquirenda.
XXII. In vestitu et victu qualis fuerit Augustinus.
XXIII. In usu redituum ecclesiasticorum qualis.
XXIV. In re domestica qualis. Donata et legata Ecclesiae quaenam suscipiebat aut recusabat. A rerum temporalium curis liberum semper animum habere volebat.
XXV. Disciplina domestica. Poena jurantis.
XXVI. De convictu feminarum.
XXVII. Officium erga destitutos et aegrotantes. Ambrosii in extremis praeclarum dictum. Altera episcopi morti propinquantis eximia sententia contra vitae hic prolixioris cupiditatem.
XXVIII. Quae proxime ante mortem ab Augustino edita. Retractationum libri. Barbarorum irruptio. Hipponis obsidio.
XXIX. Morbus extremus Augustini.
XXX. Consilium an hostibus adventantibus ex Ecclesiis episcopis recedendum sit.
XXXI. Mors et sepultura Augustini. Psalmi poenitentiales. Sacrificium pro mortuo oblatum. Bibliotheca. Monasteria. Epitaphium poetae cujusdam.
VITA S. AURELLI AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, ex ejus potissimum scriptis concinnata.
LIBER PRIMUS. - De primis viginti novem annis Augustini, ab ejus ortu ad profectionem ejusdem in Italiam.
CAPUT PRIMUM. 1 Augustini patria. 2 Natalis dies. 3 Nomen. 4 Parentes et consanguinei.
II. 1 Augustinus infans catechumenis adscribitur. 2 In pueritia morbo correptus Baptismum flagitat. 3 Deum puerulus invocat, ne in schola vapulet. 4 In scholas datus ut litteras discat, latinas amat. 5 Graecas odit. 6 Pueritiae ipsius errata.
III. 1 Madauris domum remigrat, ibique per annum ab studiis feriatur. 2 Ex otio in luxuriam incidit. 3 Furti sese astringit.
IV. 1 Carthagine studens rhetoricae, a perditis scholasticorum moribus abhorret. 2 Ibi impuro amore capitur. 3 Modum in eo quemdam tenet. 4 Adeodatum ex concubina suscipit. 5 Adeodati mirabile ingenium, morsque immatura.
V. 1 Augustinus patre orbatus alitur Carthagine sumptibus matris, et ope Romaniani. 2 Lecto Ciceronis Hortensio, sapientiae studio incenditur. 3 Scripturas sacras ob demissiorem stilum fastidit. 4 Aristotelis categorias et omnes artes liberales suopte ingenio percipit.
VI. 1 In Manichaeorum haeresim delabitur. 2 Complures ex familiaribus suis in eam pellicit. 3 In auditorum gradu sese apud Manichaeos continet. 4 Novem annos totos, illos audit. 5 Filii sui casum deflet Monnica, et de ejus salute bene sperare divinitus jubetur.
VII. 1 Tagastae grammaticam docet, ubi auditorem habet Alypium. 2 Amici morte incidit in maximum luctum, et Tagasta dolore premente excedit. 3 Regressus Carthaginem, ibi rhetoricam profitetur.
VIII. 1 Augustinus quam longe abhorret a magia. 2 De Albicerio hariolo stupendum quidpiam memorat. 3 Astrologiae judiciariae plus nimio tribuens, ab ca per Vindicianum et Nebridium avocari non potest. 4 Firminus eum hoc errore nesciens exsolvit. 5 Libri de Pulchro et Apto ad Hierium scripti.
IX. 1 Perditos Manichaeorum mores deprehendit Augustinus. 2 Horum Auditor Constantius eos emendare frustra conatus, se in Ecclesiae catholicae sinum recipit. 3 Errores quoque illorum ab Augustino comperti. 4 Quis quantusve Faustus ille a Manichaeis tantopere praedicatus. 5 Ejus inscitia ab Augustino deprehensa. 6 Manichaeorum imbecillitatem audito Fausto intelligit.
LIBER SECUNDUS. - De Augustini profectione in Italiam, et de rebus ibi ab eo gestis usque ad suum in Africam reditum.
CAPUT PRIMUM. 1 Augustinus Romam proficiscitur. 2 Occulte ac invita matre. 3 Ibi in morbum incidit periculosum. 4 Inter Manichaeos versatur, quaenam eum in illorum adhuc secta distinebant. 5 Rhetoricam in Urbe docet.
II. 1 Ab Urbis praefecto mittitur Mediolanum ad docendam artem oratoriam. 2 Benigne suscipitur ab Ambrosio, ejusque auditis concionibus, a Manichaeis discedere, atque in Ecclesia catholica catechumenus manere constituit, donec aliquid sibi certi eluceat.
III. 1 Monnica Mediolanum venit. 2 Augustino nulla copia datur sciscitandi quae cupit, ab Ambrosio episcopo. 3 Conciones ejus ad populum audire perseverat, ex iisque magis in dies veram Ecclesiae catholicae doctrinam intelligit. 4 Fidei necessitatem et salubrem Scripturarum auctoritatem agnoscit. 5 Adhuc laborat in quaestione de mali origine. 6 Platonicorum lectione proficit in cognitione Dei, non autem verbi incarnati. 7 Commiserationis sensu afficicitur in eos qui Manichaeorum errore sunt implicati.

IV. 1. Sic veritatem consectatur Augustinus, ut nihilominus terrenis adhuc inhiet. 2 Ex mendico jocante et laetante, miseriam ambitiosorum intelligit. 3 In cligendo vitae genere fluctuat. 4 Concubina ab se, ut uxorem ducat, dimissa, aliam assumit. 5 De vitae communitate ineunda consilium frustra cum amicis habitum. 6 Ejus amorem erga sapientiam augent Platonici. 7 Plurimum proficit ex Apostoli lectione.

V. 1 Rebus omnibus Dei causa renuntiare vult, nec valet. 2 Simplicianum consulit. 3. Antonii vitam narrante Pontitiano discit, simulque aulicorum duorum conversionem. 4 Conflictus in Augustini mente ac voluntate audito Pontitiano. 5 Pauli codicem insolitae vocis monitu aperit, lectoque loco repente convertitur.

VI. 1 Quare magisterii sui onus non ante vindemiales ferias prope instantes abjiciat. 2 In Verecundi viilam cum amicis secedit.

VII. 1 De anno, in quo conversio Augustini contigit, controversia unde potissimum exorta. 2 Anno trecentesimo octogesimo septimo illam adscribunt opiniones duae, quibus alio atque alio detorquentur Possidii Augustinique hanc in rem dicta. 5 Nihil obstare, quominus hisce dictis in germano sensu acceptis, illum anno trecentesimo octogesimo sexte conversum, eumdemque anno trecentesimo octogesimo septimo baptizatum asseramus. 4 Huic sententiae robur accedit ex quodam Augustini loco comparato cum tempore quo Ambrosius exagitabatur ab Justina. 5 Diluitur contraria argumentatio petita ab observatione temporis, quo Imperatori laudes recitavit. 6 Opinio quaedam conversionem Augustini ponens anno trecentesimo octogesimo quinto minime probabilis.

VIII. 1 Quibus exercitiis ruri vacarit Augustinus. 2 Qua ratione duos ibi adolescentes instituerit. 3 Librum adversus Academicos primum conscribit. 4 Hinc aliis quibusdam opusculis manum admovet. 5 Redit ad Academicos, et librum de iisdem secundum ac tertium perficit. 6. De Romaniano, cui hos de Academicis libros dedicavit. 7 Liber de Beata Vita scriptus ad Theodorum. 8 Libri de Ordine duo. 9 AEmulationis et inanis jactantiae motus in discipulis suis comprimit. 10 Opus de Ordine cur Zenchio dedicatum.

IX. 1 Laborat Augustinus ut magis ac magis in veritatis cognitione proficiat. 2 Ignei pietatis ejus affectus. 3 Inveterata jurandi consuetudine se Deo juvante liberat. 4 A dentium dolore divinitus sanatur. 5 De Soliloquiis, in quibus illius animae status inspicitur. 6 Unde appellata Soliloquia, quodve corumdem librorum argumentum.

X. 1 De Nebridio amico Augustini. 2 Hujus ad Nebridium epistolae.

XI. 1 Mediolanum redit Augustinus daturus nomen inter Competentes. 2 Interea temporis de Immortalitate animae librum unum, et aliquot alios de Liberalibus Disciplinis ibidem scribit. 3 Baptismum sacerdote Ambrosio ministrante suscipit. 4 Ecclesiae ea de re gratulatio ae laetitia. 5 Qua occasione Mediolani institutus mos canendi hymnos et psalmos in ecclesia. 6 Augustinus omnibus abdicatis propositum serviendi Deo amplexus adjungit aliquos sibi socios ejusdem propositi, ac remeat cum illis in Africam.

XII. 1 Beata Monnica parentibus christianis nata, et apud ipsos pudice ac sobrie educata est. 2 Quam laudabiles ejus in conjugio mores. 3 Anno aetatis quadragesimo orbata viro, reliquam vitam omnem in piis operibus traduxit. 4 Quanto majore sollicitudine Augustinum parturivit spiritu, quam carne parturierat. 5 Interest philosophicis colloquiis Augustini, ubi inter alios eminet argutis et gravibus dictis.

XIII. 1 Monnicae cum Augustino de aeternae vitae felicitate collocutio. 2 Praeclarum dictum sanctissimae feminae de abjicienda sepuleri sui cura: felix ejusdem obitus. 3 Monnicae funus: Augustini dolor de illius obitu acerbissimus, fletus modicus.

XIV. 1 Dilato reditu ad patriam, Augustinus Romae conscribit aliquot libros, scilicet de Moribus Ecclesiae catholicae. 2 De Moribus Manichaeorum. 3 Inchoat opus de Libero Arbitrio, et quasdam Romanae Ecclesiae consuetudines discit.

LIBER TERTIUS. - De Augustini reditu in Africam ac de rebus ibi gestis ab ipso usque ad Episcopatum.

CAPUT PRIMUM. 1 Africam repetit, ubi se cum Mediolani ageret, Eulogio Carthagine decenti apparuisse in somnis, ex ipso comperit. 2 Interest miraculo curationis Innocentii.

II. 1 Augustinus facultates suas pauperibus erogat. 2 Communis vitae institutum sectatur cum sociis Deo servientibus, quorum ipse curam gerit. 3 Per litteras colloquitur cum Nebridio, et ejus quaestiones expendit.

III. 1 Libros de Genesi contra Manichaees conscribit. 2 Absolvit sex libros de Musica. 3 Dialogum de Magistro edit. 4 Deinde librum de Vera Religione. 5 Scribit ad Maximinum Madaurensem. 6 Ad Coelestinum. 7 Ad Gaium. 8 Et ad Antoninum.

IV. 4 Presbyter Hipponensis anno Christi trecentesimo nonagesimo primo ordinatur. 2 De Hippone-Regio. 3 De Valerio illius urbis episcopo. 4 Ab eo postulat Augustinus aliquod tempus, quo sese in secessu ad presbyterii munia precibus et sacrarum Scripturarum studio comparet. 5 Quod concessum videtur a Valerio. 6 Ejus jussu Augustinus presbyter verbum Dei tractat ad plebem, etiam praesente ipso episcopo.

V. 1 Monasterium Hippone constituit. 2 De ejus discipulis. 3 Ex iis plures ad episcopatum assumpti. 4 Monastica vita Augustini studio per Africam propagata. 5 Monachorum quorumdam ex suorum numero lapsus quam graviter tulit. 6 Demonstrat effici non posse ut monastica professio nullos bonis malos mixtos habeat. 7 Infimae sortis homines ad eam admitti jubet, neque divitibus admitti cupientibus haberi minores gratias, cum ubilibet egenis, quam cum monasterio suas dederint facultates. 8 De sanctimonialibus Hipponensibus communis vitae institutum in monasterio per eum erecto professis.

VI. 1 Aurelius creatur episcopus Carthaginensis, ex quo ingentes in Ecclesias Africanas redundant utilitates. 2 Ad eum scribit Augustinus, quo ab ecclesiis comessationes et alias foeditates auferat. 3 Dolet contentionem et vanae laudis appetitum in ipsis quoque clericis inveniri.

VII. 1 Librum de Utilitate credendi ad Honoratum Manichaeis addictum scribit. 2 Tum librum de Duabus Animabus adversus eosdem Manichaeos. 3 Fortunatum Manichaeum presbyterum convincit in publica disputatione. 4 Adimantum Manichaei discipulum refellit.

VIII. 1 Generale concilium totius Africae celebratur Hippone, in quo Augustinus fidei symbolum exponit. 2 Ad Hieronymum scribit. 3 Edit librum de Genesi ad Litteram imperfectum. 4 Libros postea de Sermone Domini in monte. 5 Scribit in Epistolam ad Romanos. 6 Necnon in Epistolam ad Galatas. 7 Opusculum de Mendacio.

IX. 1 Historiae Donatistarum epitome. 2 Quantum ii multitudine pollebant in Africa, cum ad presbyteratum pervenit Augustinus, et qui eos ille continuo adortus est. 3 Congredi cum illo non audent Donatistae. 4 Psalmum abecedarium in eos componit. 5 Epistolam Donati refellit. 6 Ad Maximinum Sinitensem Donatistarum episcopum scribit ob diaconum ab ipso, uti ferebatur, rebaptizatum.

X. 1 Augustinus ex lucubrationibus suis et Alypii relatione innotescit Paulino. 2 Hic ad Alypium et ad Augustinum singulas dat epistolas. 3 Licentius carmen ad Augustinum transmittit. 4 Augustinus respondet litteris Paulini. 5 is non accepto Augustini responso, litteras ad illum secundas scribit.

XI. 1 Contra pessimam consuetudinem in ecclesia convivandi sermonem habet ad plebem Hipponensem. 2 Eamdem consuetudinem vehementius oppugnat altero die. 5 Sequenti die penitus tollit. 4 Operi de Libero Arbitrio supremam manum apponit. 5 Nonnulla in eo opere pro se facere jactarunt Pelagiani ac Semipelagiani.

LIBER QUARTUS. - In quo demonstratur quomodo in episcopatu vixerit Augustinus, et quae ab ordinatione sua ad annum inde quintum ediderit.

CAPUT FRIMUM. Augustinus a Valerio collega deposcitur. 2 Megalius Numidae primas falsi criminis nomine ordinationi ejus intercedit, cujus rei mox eum poenitet. 3 In suam ordinationem tandem aliquando consentit Augustinus, et cum Valerio sedet coepiscopus. 4 Ejus ordinatio facta anno Domini trecentesimo nonagesimo quinto exeunte. 5 Scribens ad Paulinum de sua eum ordinatione facit certiorem. 6. Hic de eadem ad Romanianum scribit, adjuncto carmine ad Licentium.

II. 1 Quis animae habitus erat, quive mores Augustini jam episcopi. 2 In solitudinem fugere prohibetur a Deo: ejus deliciae sunt Scripturae Dei et vacare Deo. 3 Qualis ei cultus corporis in vestibus et calceamentis acceptus fuerit. 4 Quae ejus mensa. 5 Manibus quotidie aliquid operari vellet, si per valetudinem et per occupationes liceret. 6 Infirma valetudo ipsius et occupationes. 7 Clericorum monasterium in episcopii domo instituit. Ad Laetum istius forte monasterii alumnum epistola. 8 In eo monasterio regulariter et anguste cum suis clericis convivit. 9 Ut se gerebat erga feminas: nullam ne quidem ex consanguineis habitare in sua domo passus est.

III. 1 Augustinus, semper animo liber in Ecclesiae suae bonis administrandis. 2 In iisdem data facultate augendis quantum alienus ab omni cupiditate. 3 Oblationes pias approbat et suscipit. 4 Ipsius et Alypii de Honorati presbyteri haereditate quam discrepantes sententiae. 5 Basilicas et xenodochium construicurat.

IV. 1 Sublevandis pauperibus intendit. 2 In gratiam Fascii aere alieno pressi scribit ad plebem Hipponensem. 3 In commendatione sua et intercessione apud Potestates aliis praestanda modeste se gerit. 4 In rusticanorum gratiam scribit ad Romulum.

V. 1 Augustini regula et prudentia in visitationibus vel in aliis praestandis officiis. 2 In Germanicianensis paroeciae gratiam scribit ad Pancharium. 3 Universae Ecclesiae pro sua parte ac facultate dat operam. 4 Causis dirimendis se occupari conqueritur.

VI. 1 In divini verbi praedicationem sedulo incumbit sanctus Episcopus. 2 Audito eo concionante Firmus Manichaeus ad Christi fidem convertitur. 3 Quaedam in ejus Sermonibus observatu digna. 4 Latine concionabatur apud Hipponem. 5 Consuetudo audiendi verbum Dei sedendo, quam quae Africanarum Ecclesiarum erat, audiendi scilicet stando, magis illi probatur.

VII. 1 Invehitur in vitia. 2 Ejus in corripiendis peccantibus prudentia et charitas. 3 A flagitiosorum christianorum magis quam ab Ethnicorum convictu sese abstinet. 4 Ob alicujus peccatum totam ejus familiam excommunicari non probat. 5 Mathematicum quemdam in poenitentium numerum recipit. 6 Lampadium in quaestione de astrorum fato haerentem crudit.

VIII. 1 Christinum ad pietatem incendit. 2 Adversus scandala corroborat Sebastianum. 3 Et Restitutum. 4 Chrisimum a desperatione revocat. 5 Ecdiciae piae feminae inconsultam agendi rationem arguit. 6 Obduratum Cornelii animum premit. 7 Florentinam per litteras docere non recusat. 8 Fabiolam monet, praesentiam sanctorum corpore tenus, parum expetendam esse. 9 Pupillae curam gerit.

IX. 1 Madaurenses ad christianam religionem traducere studet. 2 Cum Longiniano quoque pagano sacerdote per litteras agit, ut eam amplectatur. 3 Maximam exortis in provincia sua erroribus perturbatam solatur et roborat. 4 Cum diversis haereticis in certamen venit: contra quemdam e Novatianis scribit ad Seleucianam. 5 Tertullianistarum haeresis eo praesente deleta. 6 Abelonii quoque seu Abeloitae in Hipponensi tractu ministerio et labore ipsius sublati.

X. 1 Cum Proculeiano episcopo Hipponensi Donatista colloqui tentat. 2 Hac de re scribit ad Eusebium. 3 Apud eumdem conqueritur, juvenem matris suae percussorem a Proculeiano receptum, et in illius parte rebaptizatum. 4 De Primo quoque subdiacono Spaniensi, homine flagitioso, a Donatistis rebaptizato expostulat. 5 Valerii episcopi obitus. 6 Ad Casulanum de jejunio sabbati rescribit Augustinus.

XI. 1 De libris ad Simplicianum conscriptis, quo in labore praedestinationis veritas illi a Deo revelatur. 2 QuaNdonam editi sint iidem libri. 3 Epistolam Manichaei, quam vocabant Fundamenti, refellit Augustinus. 4 Librum edit de Agone Christiano.

XII. 1 Libri de Doctrina Christiana quatuor ab Augustino lucubrati. 2 Tum liber contra Partem Donati: et Confessionum libri tredecim. 3 Opus contra Faustum sub idem tempus vulgatum. 4 In tribuendo quibusdam opusculis suo loco, quid observare visum est. 5 Scribit Augustinus librum de Canticis ad altare. 6 Quaestiones Evangeliorum. 7 Adnotationes in Job. 8 Librum de Catechizandis Rudibus. 9 Ac de Trinitate libros quindecim.

XIII. 1 Possidii ordinatio in Calamensem episcopum. 2 Hieronymus scribens ad Augustinum, papae ipsum titulo exornat. 3 Epistola ad Hieronymum data Paulo perferenda tardius illi redditur. 4 Epistolae ad Paulinum Augustini rescripta postulantis duae.

XIV. 1 Augustinus Cirtam se conferens cum Alypio ad ordinandum Fortunatum episcopum, venit in colloquium cum Fortunio Donatistarum Tuburci episcopo. 2 Quonam tempore habitum sit istud colloquium. 3 Litterae ad Glorium aliosque Donatistas quosdam post colloquium scriptae. 4 De alia quadam collocutione cum iisdem habita ante congressum cum Fortunio. 5 Cum Fortunato Donatistarum episcopo disputationem per litteras aggreditur. 6 De Coelicolis.
XV. 1 Augustinus ad Eudoxium abbatem scribit. 2 Concionatur adversus Christianos qui Paganis in eorum solemnitatibus adjunguntur. 3 Simulacrum Herculis Carthagine cum dedecore tractatum. 4 Publicolae quaestiones solvuntur.
XVI. 1 Pagana superstitio tunc ubique eversa, cum ex daemonum oraculis instauranda erat. 2 In Oriente prohibetur ac deletur auctoritate Arcadii. 3 In Occidente quoque auctoritate Honorii. 4 Hujus legem eade re latam exsequendam curant Jovius et Gaudentius. 5 Coelestis deae templum Carthagine Christo dedicatum ab Aurelio. 6 Nonnulla idololatriae quibusdam locis relicta vestigia. 7 Suffectani martyres. Augustinus ad principes Coloniae Suffectanae scribit. 8 Rescriptum adulatoriis Donatistarum precibus a Juliano indultum jubetur publicis locis affigi.
LIBER QUINTUS. - De Augustini actis ab anno Christi quadringentesimo ad annum quadringentesimum quintum.
CAPUT PRIMUM. 1 Quatuor Evangelistarum concordiam demonstrat adversus infideles. 2 Respondet ad Januarii inquisitiones de Sacramentis et variis Ecclesiae consuetudinibus. 3 Scribit de Opere monachorum, in eorum gratiam qui se suis manibus transigebant.
II. 1 Crispinum Donatistarum episcopum Calamensem urget, ut scriptis inter se confectis tractetur quaestio de causa schismatis. 2 De eadem quaestione cum clarentio per litteras ad Naucelionem agunt Alypius et Augustinus. 3 Hie Severinum consanguineum suum ab schismate eripere studet. 4 Ad Generosum scribit, ne illudi sibi patiatur a presbytero quodam Donatista.
III. 1 Petiliani e Donati parte episcopus quis fuerit. 2 De illius adversus catholicam Ecclesiam epistola. 3 Hujus primam partem refellit Augustinus. 4 Quonam tempore id aggressus est. 5 Parmeniani contra Tichonium epistolam in favorem schismatis conscriptam confutat. 6 Edit libros de Baptismo contra Donatistas. 7 De libro, Contra quod attulit Centurius a Donatistis. 8 De litteris ad Celerem.
IV. 1 Liber de Bono conjugii Occasione Jovinianae haeresis editus. 2 Liber quoque de Sancta Virginitate. 3 Commentationes de Genesi ad litteram.
V. 1 Concilium Carthagine habitum die decimo sexto junii decernit legandos episcopos ad transmarinas sedes, ut Donatistae ad unitatem redeuntes cooptari possint in clerum; et quaedam per eosdem legatos ab Imperatore petenda. 2 Alterum ejusdem anni Carthaginense concilium decimo tertio die septembris agit de revocandis ad Ecclesiam iisdem schismaticis, et statuit eorum clericos in suis honoribus recipiendos esse. 3 Ratio modusque admittendorum ab Ecclesia Donatistarum. 4 Quaedam ex constitutionibus Carthaginensis concilii notantur.
VI. 1 Victorinus et Xantippus de primatu contendunt. 2 Colonos suos Donati partibus adhaerentes ad Ecclesiam revocat Pammachius. 3 Augustini monasterium Donatus cum suo fratre deserit. 4 Quintiano presbytero causam apud Aurelium habenti rescribit. 5 Ejusdem ob susceptum in Augustini monasterio Privationem querimonia. 6 Abundantium diocesis suae presbyterum ab officio removet Augustinus. 7 Exeunte hoc anno quadringentesimo primo Crispinus rusticos Mappaliensis agri rebaptizat.
VII. 1 Controversia Augustinum inter ac Severum Milevitanum propter Timotheum exorta. 2 Hunc Severo, obstinate illum reposcenti, mittit Augustinus. 3 Ornatissima laudatio Augustino data a Severo. 4 Augustini responsio ad sibi datam ab amico laudationem. 5 Necessitudo quanta Augustino erat cum Severo, et capita quaedam ex hujus historia.
VIII. 1 Conditus est anno Christi quadringentesimo secundo liber contra Petilianum secundus. 2 Hoc libro epistolam illius integram confutat Augustinus. 3 Scribit ad Catholicos epistolam, qui liber de Unitate Ecclesiae non ab initio dicitur. 4 Petilianus proresponsione probra et malédicta ingerit in Augustinum. 5 Hujus ad Petiliani convicia et contumelias mira responsio. 6 Psalmum trigesimum sextum Carthaginensi plebi exponens Augustinus disputat contra Donatistas.
IX. 1 De statutius nonnullis concilii Milevitani primi. 2 Proprio Maximianus Bagaiensis propter Ecclesiae pacem et commodum sponte cedit episcopatu: in quo ut fratri suo succedat, Castorius urgetur. 3 Augustinus ac Hieronymus sub hujus anni finem litteras ultro citroque scribunt ad invicem. 4 Alias quoque anno proxime subsequenti.
X. I Donatistae praedicatione veritatis irritati multa pervimaggrediuntur. 2 Augustinus deerrando in via eripitur ex periculo. 3 Ob toleratas ab istis violentias confessorum nomen adipiscuntur nonnulli. 4 Episcopi Catholici Donatistas Antistites ad habendum colloquium provocant publica interpellatione. 5 Id illi per arrogantiam recusant: ad eorum laicos scribit Augustinus.
XI. 1 Crispinus ad colloquium provocatus verbis respondet amaris et maledicis. 2 Donatistae invadunt in Possidium. 3 Tum Ecclesiae defensor mulctae aurariae haereticis irrogatae damnari Crispinum curat, quem et subinde Possidius probat haereticum. 4 Illitamen postea hujus poenae condonationem impetrant Catholici. 5 Concilii Carthaginensis legatio ad petendas ab Imperatore leges in schismaticos, sed moderatas. 6 Legatio haec Theasio et Evasio demandatur. 7 Donatistarum in Maximianum immanitas. 8 In Servum quoque episcopum invadunt.
XII. 1 Scandalum Hippone propter Bonifacium presbyterum et Spem exortum. 2 Augustini hac dere ad confirmandos Hipponenses litterae. 3 Felicem Manichaeum convincit et ab errore revocat. 4 Librum de Natura boni scribit contra Manichaeorum haeresim. 5 Hanc libro praesertim adversus Secundinum edito funditus evertit. 6 Exacerbatum Hieronymi animum humilitate sua mitigat. 7 Eorum epistolae ultro citroque missae.
LIBER SEXTUS. - In quo narrantur quae Augustinus gessit a datis anno quadringentesimo quinto novis legibus in Donatistas, usque ad Collationem cum iisdem schismaticis Carthaginensem.
CAPUT PRIMUM. 1 Severa lex ab Honorio lata contra Donatistas. 2 Aliae in eosdem leges. 3 Augustini ad Paulinum litterae. 4 Fructum quam maximum ex Honorii legibus capit Ecclesia. 5 Concilium Carthagine post restitui coeptam ibi unitatem celebratur.
II. 1 Hipponensium Donatistarum immanitas. 2 Caeciliani praesidium implorat Augustinus. 3 Schismaticorum in reliqua Africa furor. 4 Sanguine illorum manibus fuso floret Ecclesia. 5 Legatos ad Imperatorem mittunt Donatistae. 6 De illorum injuriis apud Januarium queruntur Hipponenses clerici.
III. 1 In Cresconium scribit Augustinus. 2 Paulum Cataquensem ad vivendi rationem episcopo dignam reducere frustra satagit. 3 Scribit ad Emeritum, dolens eum schismate implicitum. 4 Opuscula tune forte edita contra Donatistas tria. 5 Liber de Divinatione daemonum. 6 Sex quaestiones expositae contra Paganos, ad presbyterum Deogratias. 7 Expositio Epistolae Jacobi ad duodecim tribus. 8 Liber de unico baptismo, ad Constantinum.
IV. 1 Carthaginensis concilii anni quadringentesimi septimi placitum de episcopo plebibus ex schismate Donati conversis praeficiendo. 2 Ejusdem ad Imperatorem legationi leges indultae. 3 Rogatistarum schisma Cartennensi oppido et vicinioribus locis contentum. 4 Vincentii apud Rogatistas episcopi praecipui epistolam Augustinus refellit.
V. 1 Melania senior in Africam venit. 2 Augustinus scribit ad Paulinum, a quo vicissim litteras accipit. 3 Calamensium idololatrarum insolentia et ferocitas. 4 Augustinum Nectarius pro reis Calamensibus suis civibus deprecatur. 5 Eorum ob scelus in aulam se confert Possidius. 6 Paulino rescribit Augustinus. 7 Necnon Memori episcopo, cui sextum ex libris suis de Musica mittit.
VI. 1 In Stilichonis auctoritatem succedit Olympius. 2 Huic in Bonifacii Cataquensis episcopi negotio litteras mittit Augustinus. 3 Bonifacii episcopi quaestiones ab Augustino exponuntur. 4 Post Stilichonis necem tumultuantibus Ethnicis et Haereticis perturbatur Ecclesia. 5 Novae in eos leges ab Imperatore obtentae. 6 Donatum rogat Augustinus, ut lenitatis christianae memor, Donatistas sic data sibi potestate coerceat, ut non occidat. 7 Ad Italicam scribit.
VII. 1 Leges adversus Ethnicos et Haereticos Iatas confirmat Honorius; rursumque Nectarius Augustinum pro Calamensibus rogat. 2 Libertas Haereticis et Paganis ab Honorio indulta. 3 Ad Donatistas scribit Augustinus. 4 Necnon ad Festum. 5 Summopere contendit a Macrobio, ut ne Rusticianum subdiaconum apostatam rebaptizet. 6 Litteras ad varios scribit in Faventii gratiam. 7 Victorianum ob intolerabiles orbis calamitates animo fractum corroborat.
VIII. 1 Anno quadringentesimo decimo, expugnata Urbe, varios ea de re sermones habet ad plebem. 2 Hipponensibus absentiam suam excusat, utque de vestiendis pro suo more pauperibus cogitent, hortatur. 3 A morbo convalescens ruri respondet Dioscoro de quaestionibus ab eo missis. 4 Consentium animi simplicitate ac sine arrogantia errantem dedocet, imbuitque saniori doctrina. 5 Colendae suae cuique religionis libertatem datam tollit Honorius. 6 Idem jubet ut Catholici cum Donatistis in colloquium veniant. 7 Curando futurae Collationis modo ac ordini praeficitur Marcellinus.
IX. 1 Pinianus et Melania cum hujus matre Albina Tagastam adventant. 2 Hos illuc invisere Augustino non licet. 3 Hipponem venit Pinianus. 4 Eum sibi plebs Hipponensis in presbyterum poscit. 5 Ortum hinc tumultum compescit Pinianus, Hippone se mansurum adhibito jurejurando pollicitus. 6 Albinae atque Alypii de iis quae sibi sive Piniano evenerant querelae. 7 Purgat se apud eos Augustinus. 8 Piniano postmodum abeundi quo vellet, haud dubie licentia ab Hipponensibus tributa. 9 Armentarium et Paulinam ad mundi contemptum et ad solvendum continentiae votum hortatur Augustinus.
X. 1 De Collatione inter episcopos Catholicos et Donatistas habita Carthagine: illam indicit Marcellinus. 2 Apud Carthaginem Augustinus instante Collatione concionatur. 3 Insolens Donatistarum in eam urbem ingressus, et eorumdem numerus. 4 Omnem Collationis rationem edicto praescribit Marcellinus. 5 Collationis loco suos omnes qui venerunt interesse volunt, ac subscriptiones suas dare actis recusant Donatistae. 6 His Catholici conditionem eam offerunt, ut si causam obtinuerit Ecclesia, vel episcopatum retineant illi redeuntes ad unitatem, vel eo se ipsi pariter cum illis exuant. 7 Augustini alius ante Collationem sermo de Pace. 8 Episcopos, qui cum schismaticis disputent, Catholici designant, quos et egregio mandato communiunt.
XI. 1 Collationis habitae kalendis juniis initia. 2 Donatistae Catholicos omnes, ut de subscriptionibus mandati eorum certiores fiant, vocari volunt. 3 Oblatam consedendi facultatem non accipiunt Donatistae: delectos autem pro se disputaturos renuntiant. 4 In subscriptionibus mandati disputatoribus suis dati aliquoties peccasse convincuntur. 5 Necnon in Quodvultdeo episcopo mendacium admisisse. 6 Ad Collationem secundam condicta die non veniunt ex Donatistis nisi septem episcopi disputatores, ex Catholicis vero adsunt octodecim delegati. 7 Donatistis conceditur dilatio.

XII. 1 Tertia Collatione sexto idus junias habita instant Donatistae, ut discutiatur quinam pro petitoribus habendi sint, utque de petenda Collatione Catholicorum mandata expendantur. 2 Iidem catholicam Ecclesiam agnoscunt eam esse, quae toto orbe propagata est. 3 Ut intelligatur, utri sint petitores, varia acta recitantur; sicque invitis Donatistis ad rei caput acceditur. 4 Donatistae proferunt libellum de Ecclesiae, ut loquuntur, puritate. 5 Hunc refutat Augustinus, ac de gravissimo illo capite controversiam expedit. 6 Acceditur ad quaestionem de Caeciliano et de schismate. 7 Maximianistarum historia perturbati ac oppressi Donatistae, nec causam causae, nec personam personae praejudicare confitentur. 8 Controversiam de veritate Cirtensis concilii movent. 9 Locum Optati, quo ipsi revincuntur, inspici volunt. 10 Iidem prolatis documentis, quibus Caeciliani ac Felicis innocentia declarabatur, omnes difficultatum nodos secant. 11 Catholicis demum causam adjudicat Cognitor.
XIII. 1 Quantum eminuerit in Collatione Augustinus. 2 Donatistarum quot tricae ac tergiversationes. 3 Quam prudenter sese gesserit Marcellinus. 4 Donatistae ad Imperatorem provocant. 5 Collationis acta Marcellinus scripto in schismaticos edicto promulgat. 6 In compendium illa redigit Augustinus. 7 Post Collationem frequentes ad Ecclesiam se recipiunt Donatistae. 8 In his nominatim Gabinus ac virgo Felicia.

LIBER SEPTIMUS. - Annos complectitur octo a quadringentesimo undecimo, ex quo anno rem habere coepit Augustinus cum inimicis gratiae Dei.

CAPUT PRIMUM. 1 Pelagius haeresim suam proferre incipit. 2 Discipulus ejus Coelestius a Carthaginensi concilio condemnatur. 3 Pelagianos oppugnat Augustinus, ac libros ad Marcellinum duos de Baptismo parvulorum scribit. 4 Epistolam ad eumdem seu librum superioribus tertium contra Pelagianos adjungit. 5 Liber eidem Marcellino nuncupatus de Spiritu et Littera. 6 Carthagine contra Pelagianorum errorem sermonem habet ad populum. 7 Pelagio rescribit. 8 In epistola ad Anastasium gratiae necessitatem ad legem implendam probat. 9 Honorato respondens disserit de gratia novi Testamenti.

II. 1 Augustinus ad Donatistas laicos post Collationem scribit. 2 Imperatoris Honorii rescripto damnantur Donatistae. 3 Eorum rabies. 4 Caeditur ab illis Restitutus. 5 Quam vehementer agit Augustinus, ne caedium rei capite puniantur. 6 Operam dat, ut schismaticorum in Hipponensi dioecesi et in reliqua Numidia violentiae compenscantur. 7 Varia scribit opuscula.

III. 1 Augustinus et Marcellinus Volusianum ab idolorum cultu ad christianam fidem traducere student. 2 Augustini ad Volusianum percelebris epistola. 3 Concilium Zertense. 4 Presbyteri et clerici quidam Donatistae, ac cives quoque Cirtenses ad catholicam Ecclesiam redeunt. 5 Quo in loco ponat Augustinus, ponique ab amicis velit, suas lucubrationes.

IV. 1 Librum de Fide et Operibus edit Augustinus. 2 Ad Paulinam de videndo Deo scribit, necnon ad Fortunatianum, cujus ope in gratiam cum episcopo quodam, qui ejus adversus erroneam opinionem dicta non sine offensione acceperat, redire cupit. 3 Varias sibi mutuo epistolas mittunt Paulinus et Augustinus. 4 Hic ad scribendum suum opus de Civitate Dei appellit animum.

V. 1 Marinus Heracliani debellator partam existimationem amittit caede Marcellini. 2 Hunc eumdem illum esse, de cujus nece in epistola ad Caecilianum narratur. 3 Marcellinus cum suo fratre in custodia habetur Marini jussu. 4 Hic ut Ecclesiae imponat, mittendos ad Imperatorem qui eis veniam postulent, persuadet. 5 Damnatur cum fratre Marcellinus, et gladio feritur. 6 Marinus Imperatoris gratia excidit: Marcellinus probitatis et innocentiae fama martyriique laurea insignis. 7 Clanculum Carthagine discedit Augustinus, Marcellini necem graviter dolens.

VI. 1 Demetrias Urbe a Gothis capta in Africam una cum matre et avia transmittit. 2 Probam Demetriadis aviam per litteras instituit, eique de orando Deo praecepta tradit Augustinus. 3 Hujus suasu Demetrias virginalem sanctimoniam amplectitur. 4 Augustinus de velatione Demetriadis cum tota Ecclesia gaudet. 5 Librum de Bono viduitatis Julianae ejus matri scribit. 6 Demetriadis virginis instituendae obtentu Pelagius epistolam edit haeresis suae veneno suffusam.

VII..1 Honorii lex severior in Donatistas pertinaces. 2 Donatus Mutugennensis et alius pariter cum eo presbyter de parte Donati in custodiam dantur. 3 Augustinus Macedonio scribit de intercessionibus episcoporum pro reis. 4 In iis intercessionibus quam prudenter ac verecunde sese gereret Augustinus, teste Macedohio; cui ille de christiani magistratus officiis verisque virtutibus doctrinam tradit. 5 Contra Pelagianos ad Hilarii quaestiones a Sicilia missas respondet.

VIII. 1 Psalmi plures tum anno Christi quadringentesimo decimo quinto tum ante expositi. 2 Orosius presbyter ab extrema Hispania venit ad Augustimum. 3 Hic illius consultationi facturus satis librum contra Priscillianistas et Origenistas conscribit. 4 Orosium cum suis aliquot scriptionibus mittit ad Hieronymum, a quo edoceri de animae praesertim origine cupit. 5 Timasium et Jacobum revocat ab errore Pelagii, contra quem opusculum edit de Natura et Gratia. 6 Ad quaesita quaedam Evodii, caque praecipua, respondet per aliquot epistolas. 7 Librum de Perfectione justitiae hominis componit.

IX. 1 Pelagii haeresis in Palaestina impugnatur ab Hieronymo, eademque in Jerosolymitano conventu discutitur. 2 Pelagius ab Herote et Lazaro accusatus perducitur ad episcopale judicium habitum Diospoli, ubi haeresis Pelagii ipso absoluto Pelagio condemnatur. 3 Pelagianorum in Hieronymum et virginem Eustochium postillius synodijudicium violenter facta. 4 Post camdem Diospolitanam synodum varias scriptiones vulgat Pelagius.

X. 1 Litterae Hieronymi simulque aliae Herotis et Lazari per. Orosium afferuntur in Africam. 2 Concilium Carthaginense, hujusque exemplo Milevitanum, Innocentio papae scribunt contra Pelagium. 3 Idem praestant quinque conjunctim episcopi Africani. 4 Africana decreta contra Pelagianos errores nota facit Augustinus Hilario Narbonensi. 5 De iisdem erroribus in Pelagio deprehensis ad Joannem Jerosolymitanum scribit. 6 Epistola ad Oceanum ab eo missa. 7 Doctrinam Ecclesiae in Scripturis penitius rimandi provincia datur Augustino a duobus conciliis.

XI. 1 Augustini impulsu historiam suam scribit Orosius. 2 Innocentius papa ad Africanos rescribens, Pelagium et Coelestium, damnata utriusque doctrina, anathemate mulctat. 3 De Gestis Palaestinae synodi librum in vulgus edit Augustinus. 4 Boni acii comitis praeclarae dotes atque ad se uni Deo, rebus omnibus abdicatis, mancipandum propensus animus. 5 Liber ad ipsum de Correctione Donatistarum scriptus ab Augustino. 6 Liber ejusdem ad Dardanum de Praesentia Dei. 7 Epistolam ad Paulinum Augustinus suo et Alypii nomine scribit contra Pelagianos.

XII. 1 Romam venit Coelestius: hunc Zosimus mitissime tractat, proque illo scribit ad episcopos Africanos. 2 Pelagii ad Innocentium epistola redditur Zosimo, qui hujus quoque ambiguis verbis deluditur, atque ejus gratia in Africam scribit. 3 Zosimo Carthaginense concilium ducentorum quatuordecim episcoporum respondet, ac Innocentii sententiam in memoratos haereticos dictam tuetur. 4 Zosimus ad Africanos rescribit, nihil se post acceptas ipsorum litteras immutasse. Plenarium concilium Africae canones octo vel novem edit contra Pelagianos. 5 Ab eodem concilio sancita quaedam de rebus spectantibus ad Donatistas. 6 Pelagiani cum a Zosimo papa, tum ab Honorio imperatore damnati. 7 Eorum damnationem subscriptionibus suis firmant omnes episcopi, praeter octodecim, qui provocant ad plenariam synodum. 8 Pelagiani non sine multo Augustini labore ab Ecclesia victi sunt. 9 Is libros ad Pinianum duos contra Pelagium scribit.

XIII. 1 Augustinus Caesaream ob Ecclesiae negotia proficiscitur. 2 In eam urbem disputatum cum eo venit Emeritus, quo praesente ac obmulescente concionatur Augustinus. 3 Altera die Emerito intra ecclesiam constituto et perseverante in silentio suo, id commode ad causae suae utilitatem vertit sanctus episcopus. 4 Hic pravam consuetudinem civium Caesarcensium habito ad plebem sermone abolet. 5 Ad Optatum rescribit super quaestione de animae origine. 6 Idem respondet Mercatori. 7 Coelestino quoque ac Sixto. 8 Adversus Aptum de cavendo Judaismo scribit ad Asellicum.

XIV. 1 Anno quadringentesimo decimo nono Honorius mandatum Aurelio, necnon Augustino mittit, quo episcopi quilibet subscriptiones contra Pelagianam haeresim snas dare teneantur. 2 Prodigia Jerosolymae alibique nuper visa narrat Augustinus in concione apud Carthaginem. 3 Hieronymus Augustini amore incensus, praesertim ob jugulatam ipsius ope Coelestianam haeresim. 4 Augustinus ad Hesychium Salonensem de fine saeculi scribit. 5 Edit librum de Nuptiis et Concupiscentia primum. 6 Quaestiones et Locutiones in Heptateuchum. 7 Vincentius Victor libris de Origine animae redarguitur ab Augustino. 8 Pollentio libri de Conjugiis adulterinis duo scribuntur. 9 Refellitur adversarius Legis et Prophetarum.

LIBER OCTAVUS. - De reliquiis Augustini actis ab Christi anno quadringentesimo vigesimo, adannum quadringentesimum trigesimum.

CAPUT PRIMUM. 1. Donatistae proprio furore exagitati se interimunt et comburunt. 2 Dulcitius tribunus et notarius Gaudentium ex Donati parte episcopum a consilio cremandi revocare studet, atque ab ipso epistolas duas accipit. 3 Dulcitti rogatu Gaudentio respondet Augustinus. 4 Librum Consentio scribit contra mendacium, quod eo nec ad investigandos Priscillianistas uti liceat Catholicis. 5 Ejusdem Consentii quaestiones explicat, in primis utrum nunc corpus Domini ossa et sanguinem habeat, et reliqua carnis lineamenta. 6 Ad Ceretium scribit contra Priscillianistas.

II. 1 Julianus libros adversus Augustinum quatuor et aliquot pro Pelagianis epistolas scribit. 2 Augustinus excerptas ex primo librorum Juliani sententias refellit, edito ad Valerium libro secundo; necnon contra duas Pelagianorum Epistolas, libris quatuor ad Bonifacium scriptis. 3 Hos omnes Augustini libros in Italiam defert Alypius. 4 Alios sex libros in Julianum Augustinus edit. 5 Rescriptum ab Constantio imperatore promulgatur contra Pelagianos; et Coelestis deae templum solo aequatur.

III. 1 Nonnulli Manichaeorum detecti Carthagine. 2 Victorinum Manichaeum ejicit Augustinus. 3 Enchiridion in gratiam Laurentii componit. 4 Paulino eum consulenti scribit librum de Cura pro mortuis gerenda. 5 Ad octo quaestiones Dulcitii respondet.

IV. 1 Curat Augustinus, ut episcopus Fussalae ordinetur Antonius. 2 Ejusdem Ecclesiae administrationem adimere illi cogitur. 3 Antonius Numidiae primati et Bonifacio papae fucum facit, ut in integrum restituatur. 4 Coelestinum obsecrat Augustinus, ut sententiam in illum latam vigere sinat, ac secum pro Fussalensis Ecclesiae pace collaboret. 5 Alioquin sanctus Vir, quod illius ordinationi per imprudentiam suffragatus sit, propriam dignitatem exuere cogitat.

V. 1 Stephani martyris reliquiae sub annum Christi quadringentesimum vigesimum quartum habentur Hippone. 2 Januarius Hipponensis presbyter pecuniis, quas contra communis vitae propositum retinuerat, Ecclesiae legatis moritur. 3 Sermonem de hac re ad populum habet Augustinus; haereditatem Januarii respuit, et filiis ipsius relinquit, ac declarat se clericis, qui proprium aliquid habere velint; indulgere ut extra domum episcopalem habitantes gradus sui honorem servent. 4 Altero postea sermone testatur suos omnes clericos in vitae communis proposito permanere velle, atque a proprio abhorrere, eosque de clericorum tabula delendos, qui aliquid sibi retinerent; tum etiam eos, qui divites pecuniosique audiebant, apud eumdem populum purgat. 5 Decem liberorum, quibus mater imprecata fuerat, horribilis poena. 6 Ex illis decem Paulus divinitus sanatur apud Hipponem. 7 Alia post die sanatur ibidem Palladia. 8 Gallam et Simpliciolam Quintiliano commendat Augustinus.

VI. 1 Severi Milevitani episcopi obitus. 2 De Heraclio presbytero. 3 In eum sibi successorem designatum Augustinus rerum administrationem transfert. 4 Contentiones inter Adrumetinos monachos super, quaestione de gratia et libero arbitrio. 5 Liberi arbitrii contra gratiam defensores adeunt ad Augustinum, a quo docentur, et accipiunt cum binis epistolis librum de Gratia et Libero Arbitrio, ad Valentinum et cum illo monachos. 6 Alium ad eosdem librum de Correptione et Gratia mittit sanctus Doctor.

VII. 1 Contra Pelagiani erroris reliquias in Vitali deprehensas Augustinus pugnat, et sententias de gratia duodecim profert. 2 Palatinum monet, petendum a Deo gratiae adjutorium ad perseverandum in bono. 3 Leporii contra fidem Incarnationis et gratiae errores in Galliis damnantur. 4 Ad sanam fidem revocatur Leporius opera Augustini. 5 Hic recensendis suis opusculis incumbit. 6 Speculum ex universae Scripturae locis ad conformandos vel emendandos mores idoneis instituit.

VIII. 1 Bonifacius secundam uxorem ducit, et magnis postea calamitatibus conflictatur. 2 Bellum ei hosti Imperii declarato infertur, misso Mavortio aliisque in eum ducibus. 3 Augustinus Bonifacium per litteras ut in officium redeat adhortatur. 4 Segisvultus coepti in Bonifacium belli curam suscipit. 5 Effundunt se Vandali in Africam Dei nutu, ut puniantur alii, alii coronentur. 6 Africae per Vandalos ferox et horrenda depopulatio. 7 An episcopis liceat in istiusmodi calamitatibus fuga sibi consulere.

IX. 1 Ultimum opus in Julianum sanctus Doctor aggreditur. 2 In colloquium venit cum Maximino Arianorum episcopo, quem et editis libris confutat. 3 Maximum ab Ariana haeresi conversum adhortatur, ut suos aliosque eodem errore implicatos ad catholicam fidem adducere studeat. 4 Refellit Sermonem Arianorum. 5 Colloquium cum Pascentio eidem Arianae haeresi addicto scriptis ad eumdem litteris evulgat. 6 Elpidio in fide Trinitatis erranti rescribit.

X. 1 In praedestinationis et gratiae doctrinam superioribus libris ab Augustino explicatam insurgunt Massilienses et alii quidam in Galliis haud in totum a Pelagianis abhorrentes. 2 Catholicam fidem contra eos defendit Augustinus scriptis Prosperi et Hilarii impulsu libris de Praedestinatione sanctorum. 3 Quodvultdeus rogat sanctum Doctorem, ut de haeresibus scribat. 4 Urgente Quodvultdeo Augustinus aggreditur opus de Haeresibus, quod imperfectum relinquere cogitur. 5 Dioscori conversionem miraculi plenam narrat per litteras Alypio seni.

XI. 1 Bonifacius cum Placidia in gratiam redit; idque, praeter alios, agente, ut videtur, Dario comite; cujus amicitiam quaerit Augustinus. 2 Victus a Vandalis Bonifacius Hipponem-Regium se recipit: eo Vandali ad eum obsidendum admovent: interea morbo corripitur Augustinus. 3 Sanitates divinitus factae ad Augustini preces: animo toto

se lacrymis et poenitentiae dedit, ut ad exitum se comparet: moritur; ac oblato pro commendanda ejus depositione sacrificio, sepelitur. 4 Annus obitus Augustini: hoc ipso anno ad Ephesinam synodum a Theodosio vocabatur. 5 Hippone-Regio urbe aliquanto post tempore incendio vastata, conservantur nihilominus ibidem ipsius scripta: quorum indiculum Possidius Vitae ejusdem a se litteris commendatae adjunxit.

IN PRIMUM TOMUM PRAEFATIO.

ADMONITIO DE DUOBUS RETRACTATIONUM LIBRIS.

S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI RETRACTATIONUM LIBRI DUO.

PROLOGUS.

LIBER PRIMUS, in quo retractantur libri quos scripsit nondum episcopus.

CAPUT PRIMUM. Contra Academicos, libri tres.

II. De beata Vita, liber unus.

III. De Ordine, libri duo.

IV. Soliloquiorum, libri duo.

V. De Immortalitate animae, liber unus.

VI. Disciplinarum libri.

VII. De Moribus Ecclesiae catholicae, et de Moribus Manichaeorum, libri duo.

VIII. De animae Quantitate, liber unus.

IX. De libero Arbitrio, libri tres.

X. De Genesi adversus Manichaeos, libri duo.

XI. De Musica, libri sex.

XII. De Magistro, liber unus.

XIII. De vera Religione, liber unus.

XIV. De Utilitate credendi, ad Honoratum, liber unus.

XV. Contra Manichaeos, de duabus Animabus, liber unus.

XVI. Acta contra Fortunatum Manichaeum, liber unus.

XVII. De Fide et Symbolo, liber unus.

XVIII. De Genesi ad litteram imperfectus liber unus.

XIX. De Sermone Domini in monte, libri duo.

XX. Psalmus contra partem Donati.

XXI. Contra Epistolam Donati haeretici, liber unus.

XXII. Contra Adimantum Manichaei discipulum, liber unus.

XXIII. Expositio quarumdam propositionum ex Epistola Apostoli ad Romanos.

XXIV. Expositio Epistolae ad Galatas, liber unus.

XXV. Epistolae ad Romanos inchoata Expositio, liber unus.

XXVI. De Diversis Quaestionibus octoginta tribus, liber unus.

XXVII. De Mendacio, liber unus.

LIBER SECUNDUS, in quo retractantur libri quos scripsit episcopus.

CAPUT PRIMUM. Ad Simplicianum, libri duo.

II. Contra Epistolam quam vocant Fundamenti, liber unus.

III. De Agone christiano, liber unus.

IV. De Doctrina christiana, libri quatuor.

V. Contra partem Donati, libri duo.

VI. Confessionum, libri tredecim.

VII. Contra Faustum Manichaeum, libri triginta tres.

VIII. Contra Felicem Manichaeum, libri duo.

IX. De Natura Boni, liber unus.

X. Contra Secundinum Manichaeum, liber unus.

XI. Contra Hilarum, liber unus.

XII. Quaestiones Evangeliorum, libri duo.

XIII. Annotationes in Job, liber unus.

XIV. De Catechizandis rudibus, liber unus.

XV. De Trinitate, libri quindecim.

XVI. De Consensu Evangelistarum, libri quatuor.

XVII. Contra Epistolam Parmeniani, libri tres.

XVIII. De Baptismo, libri septem.

XIX. Contra quod attulit Centurius a Donatistis, liber unus.

XX. Ad inquisitiones Januarii, libri duo.

XXI. De Opere Monachorum, liber unus.

XXII. De Bono conjugali, liber unus.

XXIII. De Sancta Virginitate, liber unus.

XXIV. De Genesi ad litteram, libri duodecim.

XXV. Contra Litteras Petiliani, libri tres.

XXVI. Ad Cresconium grammaticum partis Donati, libri quatuor.

XXVII. Probationum et testimoniorum contra Donatistas, liber unus.

XXVIII. Contra Donatistam nescio quem, liber unus.

XXIX. Admonitio Donatistarum de Maximianistis, liber unus.

XXX. De Divinatione daemonum, liber unus.

XXXI. Quaestiones expositae contra Paganos, numero sex.

XXXII. Expositio Epistolae Jacobi ad duodecim tribus.

XXXIII. De peccatorum Meritis et Remissione, et de Baptismo parvulorum, ad Marcellinum, libri tres.

XXXIV. De unico Baptismo contra Petilianum, ad Constantinum, liber unus.

XXXV. De Maximianistis contra Donatistas, liber unus.

XXXVI. De Gratia Novi Testamenti, ad Honoratum, liber unus.

XXXVII. De Spiritu et Littera, ad Marcellinum, liber unus.

XXXVIII. De Fide et Operibus, liber unus.

XXXIX. Breviculus Collationis cum Donatistis, libri tres.

XL. Post Collationem contra Donatistas, liber unus.

XLI. De Videndo Deo, liber unus.

XLII. De Natura et Gratia, liber unus.

XLIII. De Civitate Dei, libri viginti duo.

XLIV. Ad Orosium, contra Priscillianistas et Origenistas, liber unus.

XLV. Ad Hieronymum presbyterum, libri duo: unus de Origine animae, et alius de Sententia Jacobi.

XLVI. Ad Emeritum Donatistarum episcopum, post Collationem, liber unus.

XLVII. De Gestis Pelagii, liber unus.

XLVIII. De Correctione Donatistarum, liber unus.

XLIX. De Praesentia Dei, ad Dardanum, liber unus.

L. Contra Pelagium et Coelestium, de Gratia Christi et de Peccato Originali, ad Albinam, Pinianum et Melaniam, libri duo.

LI. Gesta cum Emerito Donatista, liber unus.

LII. Contra sermonem Arianorum, liber unus.

LIII. De Nuptiis et Concupiscentia, ad Valerium comitem, libri duo.

LIV. Locutionum libri septem.

LV. Quaestionum libri septem.
LVI. De Anima et ejus Origine, libri quatuor.
LVII. Ad Pollentium, de adulterinis Conjugiis, libri duo.
LVIII. Contra Adversarium Legis et Prophetarum, libri duo.
LIX. Contra Gaudentium, Donatistarum episcopum, libri duo.
LX. Contra Mendacium, liber unus.
LXI. Contra duas Epistolas Pelagianorum, libri quatuor.
LXII. Contra Julianum, libri sex.
LXIII. Ad Laurentium de Fide, Spe et Charitate, liber unus.
LXIV. De Cura pro mortuis gerenda, ad Paulinum episcopum, liber unus.
LXV. De octo Dulcitii Quaestionibus, liber unus.
LXVI. Ad Valentinum et cum illo monachos, de Gratia et libero Arbitrio, liber unus.
LXVII. Ad quos supra, de Correptione et Gratia, liber unus.
ADMONITIO DE CONFESSIONUM LIBRIS.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONFESSIONUM LIBRI TREDECIM.
LIBER PRIMUS. - Praemissa Dei invocatione, recolit vitae suae primordia ad annum decimum quintum. Infantiae peccata agnoscit et pueritiae; atque hac aetate in lusum et puerilia quaeque oblectamenta, quam in litterarum studia procliviorem se fuisse confitetur.
CAPUT PRIMUM. Deum vult laudare ab ipso excitatus.
II. Deum quem invocat in ipso esse, ipsumque in Deo.
III. Deus sic ubique totus, ut res nulla ipsum totum capiat.
IV. Dei majestas et perfectiones inexplicabiles.
V. Petit amorem Dei, et delictorum veniam.
VI. Infantiam suam describit, laudat Dei providentiam et aeternitatem.
VII. Infantia quoque peccatis obnoxia.
VIII. Unde puer loqui didicerit.
IX. Odium litterarum, amor lusus, et vapulandi timor in pueris.
X. Amore lusus et spectaculorum avocatur a litterarum studio.
XI. Morbo pressus baptismum flagitat, quem mater certo consilio differt.
XII. Ad litteras cogebatur, quo tamen Deus utebatur bene.
XIII. Quibus studiis potissimum sit delectatus.
XIV. Litteras graecas oderat.
XV. Precatio ad Deum.
XVI. Improbat modum juventutis erudiendae.
XVII. Prosequitur contra modum exercendae juventutis in re litteraria.
XVIII. Quod homines curant servare leges grammaticorum, et non divinorum praeceptorum.
XIX. Pueritiae vitia quae in majores aetates transeunt
XX. Pro bonis sibi in pueritia collatis Deo gratias agit.
LIBER SECUNDUS. - Ad aetatem aliam progreditur, primumque adolescentiae suae, id est, sextum decimum vitae annum, quem in paterna domo studiis intermissis consumpserat genio ac libidinibus indulgens, ad mentem revocat, cum gravi dolore, severus admodum in dijudicando furto a se tunc temporis cum sodalibus perpetrato.
CAPUT PRIMUM. Adolescentiae aetatem et vitia recolit.
II. Annum aetatis suae decimum sextum in ardore libidinoso consumptum.
III. De peregrinatione studiorum causa, et de parentum proposito.
IV. Furtum cum sodalibus perpetratum.
V. Neminem peccare sine causa.
VI. Omnia quae boni specie ad vitia invitant, in solo Deo esse vera et perfecta.
VII. Gratias agit Deo pro remissione peccatorum, quodque a multis servatus sit.
VIII. Amavit in furto consortium simul peccantium.
IX. Contagiosa res sodales mali.
LIBER TERTIUS. - De annis aetatis illius decimo septimo, decimo octavo et decimo nono transactis Carthagine, ubi dum litterarii studii curriculum absolveret, se libidinosi amoris laqueo irretitum, necnon in Manichaeorum haeresim prolapsum fuisse meminit. Adversus horum errores et ineptias disserit luculenter. Maternas prose lacrymas et responsum de sua resipiscentia divinitus acceptum refert.
CAPUT PRIMUM. Amore quem venabatur capitur.
II. Amavit spectacula tragica.
III. In schola rhetoris ab Eversorum factis abhorrebat.
IV. Hortensius Ciceronis excitavit illum ad ardorem philosophiae,
V. Fastidiit sacras litteras propter simplicitatem stili.
VI. A Manichaeis quomodo captus.
VII. Doctrina Manichaeorum absurda cui suffragabatur.
VIII. Contra Manichaeos dicit quae vitia semper detestanda, quae facinora.
IX. Discrimen inter peccata, et inter Dei judicium et hominum.
X. Nugae Manichaeorum de terrae fructibus.
XI. Planctus et somnium matris de filio.
XII. Quale responsum mater Augustini accepita quodam episcopo de ipsius conversione.
LIBER QUARTUS. - Pudet Augustinum se Manichaeorum sectae addictum fuisse per novennium, atque alios secum in eumdem errorem pertraxisse; tum etiam consuluisse mathematicos; et amicum sibi interea morte praereptum, acerbiori quam aequum esset animi dolore fuisse prosecutum; cujus occasione, de vana et de solida amicitia non pauca dicit. Mentionem facit librorum de Pulchro et Apto, a se anno aetatis vigesimo septimo conscriptorum; necnon quam facili negotio liberalium artium libros atque Aristotelis Categorias, anno aetatis ferme vigesimo, per sese intellexerit.
CAPUT PRIMUM. Quamdiu et quomodo alios seduxerit.
II. Rhetoricam docet, concubinam fovet, et aruspicem qui victoriam promittebat, contemnit.
III. Ab astrologia, cui deditus erat, per senem medicinae et rerum peritum revocatur.
IV. Morbum et baptismum amici narrat, quem etiam suis erroribus involverat; eoque morte sublato, dolet gravissime. Mirabilis efficacia sacramenti Baptismi.
V. Cur fletus dulcis miseris.
VI. Quantus ex amici morte dolor.
VII. Impatientia doloris mutat locum.
VIII. Tempus et amicorum colloquia dolori medentur.
IX. De humana amicitia. Beatus qui amat in Deo.
X. Labiles creaturae, nec in eis potest anima requiescere.
XI. Omnia creata sunt instabilia. Solus Deus stabilis.
XII. Amor non improbatur, modo in his quae placent amemus Deum.
XIII. Amor unde proveniat.
XIV. Libri de Apto et Pulchro Hierio nuncupati. Unde hunc amaverat.
XV. Quod corporalibus imaginibus contenebratus, non potuit capere spiritualia.
XVI. Categorias Aristotelis et liberalium artium libros per se intellexit.
LIBER QUINTUS. - Annum aetatis suae exhibet vigesimum nonum, quo scilicet, comperta Fausti Manichaei imperitia, propositum in illa secta proficiendi abjecit; quo etiam Roma, ubi tunc rhetoricam profitebatur, missus Mediolanum ut eamdem artem doceret, coepit audito Ambrosio resipiscere, et de Manichaeismo abdicando, necnon de repetendo catechumenatu decernere.
CAPUT PRIMUM. Excitat mentem ad Deum laudandum.
II. Dei praesentiam iniquos non effugere; itaque ad eum debere converti.
III. De Fausto Manichaeo, et de philosophorum caecitate qui per creaturas Creatorem non cognoverunt.
IV. Sola Dei cognitio beat.

V. Manichaei de astris imperitia indignum eum fide in caeteris faciebat.
VI. Faustus eloquens, sed liberalium disciplinarum expers.
VII. Alienatur a secta Manichaeorum.
VIII. Proficiscitur Romam contra matris voluntatem.
IX. Febri correptus periculose laborat.
X. Errores ante susceptam Evangelii doctrinam.
XI. Qualiter Augustinus contulerit cum Catholicis.
XII. Fraus discipulorum Romae in praeceptores.
XIII. Docturus rhetoricam mittitur Mediolanum; ab Ambrosio suscipitur.
XIV. Audito Ambrosio paulatim ab erroribus resipiscit.
LIBER SEXTUS. - Cum jam Monnica ipsius mater Mediolanum advenisset, ipseque annum aetatis ageret trigesimum, Ambrosii concionibus admonitus, catholicae doctrinae veritatem, quam Manichaei falso insimulabant, magis magisque intelligebat. Alypii amici sui mores prosequitur. In diversa rapiebatur, dum de vita melius instituenda deliberaret, mortis quoque ac judicii metu perculsus, ad vitae conversionem in dies accendebatur.
CAPUT PRIMUM. Augustinus nec manichaeus nec catholicus.
II. Epulae et synaxis apud sepulcra martyrum.
III. Occupationes et studia Ambrosii.
IV. Doctrinam Ecclesiae Ambrosio concionante intelligit.
V. De sacrorum Librorum auctoritate et necessario usu.
VI. De miseria ambitiosorum, adducto exemplo mendici laetantis.
VII. Alypium a circensium insania convertit.
VIII. Alypius capitur insania ludorum gladiatoriorum, a quibus antea abhorruerat.
IX. Alypius ut fur apprehenditur.
X. De integritate Alypii et adventu Nebridii.
XI. Anxius Augustinus de instituenda vita deliberat.
XII. Contentio inter Alypium et Augustinum de matrimonio et caelibatu.
XIII. Uxor quaeritur Augustino.
XIV. De vita communi agenda cum amicis deliberat.
XV. In locum discedentis concuhinae alia succedit.
XVI. Mortis et judicii metum nunquam deposuit.
LIBER SEPTIMUS. - Exordium suae juventutis, id est, annum aetatis trigesimum primum, ob mentis oculos reducit. Narrat se illa aetate densioribus adhuc ignorantiae tenebris involutum, atque errantem circa Dei naturam, necnon circa originem mali, in cujus inquisitione se mirum in modum angebat, pervenisse tandem ad cognitionem Dei sinceram, quamvis nondum digne de Domino Christo sentiret.
CAPUT PRIMUM. Deum cogitat tanquam aliquid corporeum per infinita spatia diffusum.
II. Momentum quo Netridius confutarat Manichaeos.
III. Liberum arbitrium causa peccati.
IV. Deum incorruptibilem esse oportet.
V. Quaerit iterum unde malum, et quae radix ejus.
VI. Mathematicorum divinationes rejicit.
VII. Misere torquetur inquirens unde sit malum.
VIII. Quomodo divina misericordia subvenerit Augustino.
IX. In Platonicorum libris Verbi aeterni divinitatem, non incarnati humilitatem invenit.
X. Clarius innotescunt jam Augustino divina.
XI. Quomodo creaturae sunt et non sunt.
XII. Omnia bona, quaecumque sunt.
XIII. Omnia condita laudant Deum.
XIV. Sanae mentis homini nihil displicet inter creaturas Dei.
XV. Quomodo veritas et falsitas in creaturis.
XVI. Omnia bona, licet quibusdam non apta.
XVII. Quae retardent a cognitione divinorum.
XVIII. Solus Christus via ad salutem.
XIX. Quid senserit de Christi Incarnatione.
XX. Ex Platonicis libris peritior, sed inflatior evaserat.
XXI. Quid in sacris Libris invenerit, non inventum in Platonicis.
LIBER OCTAVUS. - Vitae ipsius partem attingit celeberrimam, annum aetatis trigesimum secundum, quonempe cum Simplicianum consuluisset, ab eoque didicisset Victorini conversionem, cum Antonii Aegyptii monachi vitam ex Pontitiani relatione cognovisset, post vehementem luctam carnem inter et animum, codicem Apostoli coelesti admonitus oraculo inspexit; moxque ex illius lectione ad meliorem frugem toto animo immutatus fuit, pleneque ad Deum conversus.
CAPUT PRIMUM. Studio vitae melius instituendae ad Simplicianum ire statuit.
II. De Victorino rhetore ad fidem converso.
III. Quod Deus et angeli magis gaudent in peccatorum conversione.
IV. Quare plus laetandum sit in conversione nobilium.
V. Quae remorabantur euma conversione.
VI. Pontitianus narrat Antonii vitam.
VII. Rodebatur intus audito Pontitiano.
VIII. In hortum secedit, quid ibi egerit.
IX. Unde fit ut animus imperet sibi et resistatur.
X. Adversus Manichaeos qui ex duabus contrariis voluntatibus duas contrarias naturas asseverant.
XI. Lucta spiritus et carnis in Augustino.
XII. Vocis admonitu quomodo totus conversus.
LIBER NONUS. - Dicit de capto a se consilio rhetoricae professionem abjiciendi, non tamen antequam vindemialium feriarum, quod proxime instabat, tempus advenisset. Tum de suo in Verecundi amici villam secessu, de suo baptismate ac de Monnicae matris virtutibus atque obitu, qui, baptizato ipso incidit in eumdem huncce annum, aetatis videlicet Augustini trigesimum tertium.
CAPUT PRIMUM. Laudat Dei bonitatem, agnoscens suam miseriam.
II. Deserere rhetorices professionem differt usque ad vindemiales-ferias.
III. Verecundus concedit illi rus suum.
IV. Libri apud Cassiciacum scripti. Epistolae ad Nebridium. De ablato repente dolore dentium acerrimo, dum psalmos pie evolvit.
V. Ambrosium consulit quid legendum.
VI. Mediolani baptizatur cum Alypio et Adeodato.
VII. Ecclesiastici cantus institutio Mediolani. Inventio corporis SS. Protasii et Gervasii.
VIII. Evodii conversio. Matris obitus, ejusque a teneris educatio.
IX. Laudabiles matris suae mores prosequitur.
X. Colloquium cum matre de regno coelorum.
XI. De ecstasi et morte matris.
XII. Quomodo luxerit mortem matris. Sacrificium prodefunctis.
XIII. Orat pro matre defuncta.
LIBER DECIMUS. - Scrutatur deinceps ac palam contestatur, non qualis antea esset, sed qualis nunc. Deum quem diligit studet indicare; dumque per singula ducit rerum genera, multis explicat memoriae vim plane stupendam, et quod sua in memoria locum Deus habeat gratulatur. Inquirit in actus, in sensus et affectus suos ex triplici tentatione volu, tatis, curiositatis ac superbiae. Dominum christum unum mediatorem Dei et hominum confitetur, ejusque ope animi sui languores omnes sanandos esse confidit.
CAPUT PRIMUM. In Deo solo spes et gaudium.
II. Cum Deo nota sint arcana, quid est confiteri illi.

III. Quo fructu confitebitur deinceps quis sit, non quis fuerit.
IV. Quod magni sint fructus hujusmodi confessionis.
V. Homo sese totum non novit.
VI. Quid amat cum Deum amat; et quomodo ex creaturis Deus cognoscitur.
VII. Corporea aut sensitiva virtute Deus non invenitur.
VIII. Memoriae vis.
IX. Memoria disciplinarum.
X. Disciplinae in memoriam non introducuntur per sensus, sed ex ejus abditiore sinu eruuntur.
XI. Quid sit discere.
XII. Rerum mathematicarum memoria.
XIII. Memoria meminisse nos meminimus.
XIV. Quomodo memoria continet affectus animi. Laeta non laeti quomodo recordamur
XV. Etiam quae absunt meminimus.
XVI. Et oblivionis memoria est.
XVII. Magna memoriae vis, sed ultra progrediendum ut attingatur Deus.
XVIII. Non inveniretur ea res quae excidit, nisi memoria teneretur.
XIX. Quid sit reminisci.
XX. Ut beatitudinem omnes appetant, oportet eam noverint.
XXI. Quomodo memoria beatam vitam continet.
XXII. Beata vita quae, et ubi.
XXIII. Item prosequitur quae sit beata vita, et ubi.
XXIV. Gratulatur quod sua in memoria Deus locum habeat.
XXV. In quo memoriae gradu reperiatur Deus.
XXVI. Ubi invenitur Deus.
XXVII. Quomodo hominem rapiat Dei pulchritudo.
XXVIII. Miseriae hujus vitae.
XXIX. In Deo spes tota.
XXX. Confitetur ut se habet ad tentationes carnalis libidinis.
XXXI. Ut se gerit ad tentationes gulae.
XXXII. Ut se gerit ad odorum illecebras.
XXXIII. Ut se gerit ad voluptates aurium.
XXXIV. Ut se gerit ad oculorum illecebras.
XXXV. Ut se habet ad secundum tentationis genus, quod est curiositatis.
XXXVI. Ut se habet ad tertium tentationis genus, quod est superbiae.
XXXVII. Ut movetur laudibus humanis.
XXXVIII. Et virtuti periculum a vana gloria.
XXXIX. Amoris proprii vis et natura.
XL. Quod in se et caeteris rebus Deum investigavit.
XLI. Triples capiditas.
XLII. Nonnulli ad daemones tanquam redeundi ad Deum mediatores infeliciter recurrerunt.
XLIII. Christus verus Mediator.
LIBER UNDECIMUS. - Laudaturus Deumdeinceps professione suae ipsius in Scripturis sanctis sive imperitiae sive etiam peritiae, aut ejus quo in eas ex munere divino flagrabat, studii, explicandum sumis exordium libri Geneseos; atque hic primum illustrat isthaec Verba: *In principio fecit Deus coelum et terram.* Occurrit obtrectantibus, quid faceret Deus antequam coelum et terram conderet, et unde ei in mentem venerit tandem aliquando ea facere, cum antea non fecisset. Dum vero iis refellendis insistit, copiosam de Tempore conscribit disputationem
CAPUT PRIMUM. Cur confitemur Deo scienti.
II. Petit a Deo Scripturarum sanctarum intelligentiam.
III. Quae scripsit Moyses de creatione coeli et terrae intelligere non potest nisi donante Deo.
IV. Creatura clamat creatorem Deum.
V. Ex nihilo conditus mundus.
VI. Quomodo Deus dixit ut fieret mundus.
VII. Verbum Dei coaeternum Deo.
VIII. Verbum Dei ipsum est principium quo docemur omnem veritatem.
IX. Quomodo Verbum Dei loquatur cordi.
X. Obtrectantes quid faceret Deus antequam coelum et terram conderet.
XI. Objectioni respondet quod aeternitas Dei nescit tempora.
XII. Quid Deus fecerit ante mundi creationem.
XIII. Quod ante tempora a Deo creata nullum tempus fuerit.
XIV. Temporis differentiae tres.
XV. Mensura temporis in quo.
XVI. Quale tempus metiri liceat, et quale non.
XVII. Ubi tempus praeteritum et futurum.
XVIII. Quomodo praeterita et futura tempora sint praesentia.
XIX. Non capit modum quo Deus docet futura.
XX. Differentiae temporis quomodo nominandae.
XXI. Quomodo tempus liceat metiri.
XXII. Petit aenigmatis istius solutionem a Deo.
XXIII. Quid sit tempus.
XXIV. Tempus est quo metimur motum corporis.
XXV. Rursus Deum interpellat.
XXVI. Quomodo tempus metimur.
XXVII. Quomodo metimur tempus permanens in animo.
XXVIII. Animo metimur tempora.
XXIX. Se in temporalia distentum cupit in Deum colligi.
XXX. Coarguit rursum obtrectantes quid fecerit Deus ante mundi creationem.
XXXI. Quomodo cognoscit Deus, quomodo creatura.
LIBER DUODECIMUS. - Prosequitur interpretationem hujusce versiculi: *In, principio fecit Deus coelum et terram.* Illic nomine coeli significatam putat spiritualem velintellectualem illam creaturam, quae semper faciem Dei contemplatur; *terroe* autem vocabulo informem materiam ex qua rerum corporearum species fuerunt posthac formatae. Verum alias interpretandi rationes haudquaquam improbandas esse; imo ex Scripturae divinae profunditate multiplicem posse erui sensum confitetur.
CAPUT PRIMUM. Difficilis inquisitio veri.
II. De duplici coelo et terra.
III. Quid tenebrae super faciem abyssi.
IV. Quid terra invisibilis et in composita.
V. Cur sic appellata videtur materia informis.
VI. Quid olim cum Manichaeis senserit de materia informi, quid modo.
VII. Deus fecit de nihilo coelum, id est, angelos, et terram, id est, informem materiam.
VIII. Materia informis ex nihilo; ex hac omnia invisibilia.
IX. Cur absque dierum mentione scriptum est Deum fecisse in principio coelum et terram.
X. A Deo cupit edoceri.
XI. Quid a Deo didicerit.

XII. Creatura duplex carens tempore.
XIII. Cur sine dierum commemoratione dicit Scriptura quod in principio fecit Deus coelum et terram.
XIV. Scripturae profunditas.
XV. Quae de Deo deque angelis et informi materia sentit Augustinus, non possunt oblocut res negare.
XVI. Rem habere non vult cum iis qui contradicunt veritati divinae.
XVII. Ut coeli et terrae nominibus aliud et aliud intelligi potest.
XVIII. Quis error innoxius in Scripturis.
XIX. Quae liquido vera.
XX. *In principio creavit,* etc., varie intellectum.
XXI. *Terra erat invisibilis,* etc., varie intellectum.
XXII. Aliquid esse a Deo conditum, de quo sileat liber Genesis, nihil repugnat.
XXIII. Duo dissensionum genera in Scripturis interpretandis.
XXIV. Ex multis veris non debet fidenter asseri aut hoc aut illud sensisse Moysen.
XXV. Adversus eos qui aliorum interpretandi rationem temere rejiciunt.
XXVI. Qui sermo deceat Scripturam.
XXVII. Scripturam decet humile simplexque verborum genus.
XXVIII. Ut varie intelligitur ab eruditis Scriptura.
XXIX. Quot modis dicitur aliquid prius.
XXX. Tractatores Scripturae diversa sentientes concordent invicem charitate et studio veritatis.
XXXI. Sensisse putandus est Moyses quidquid veri potest in ipsius verbis inveniri.
XXXII. Veri Scripturae sensus a Spiritu sancto revelantur.
LIBER DECIMUS TERTIUS. - Dei veritatem in rerum productione ac perfectione relucere; tum etiam Deum trinitatem, ipsiusque proprietatem Spiritus sancti primis Geneseos verbis insinuari ostendit. Postmodum vero totam conditi mundi historiam allegorica interpretatione transfert ad ea quae Deus in Ecclesia ad hominum sanctitatem et gloriam operatur.
CAPUT PRIMUM. Invocat Deum, cujus bonitate se praeventum agnoscit.
II. Creaturae ex Dei bonitate subsistunt et perficiuntur.
III. Ex Dei gratia omnia.
IV. Deus non eget rebus conditis.
V. Trinitas qui Deus est ex primis verbis Geneseos intelligitur.
VI. Cur dictus est Spiritus superferri super aquas.
VII. Effectus Spiritus sancti.
VIII. Intellectuali creaturae ad beatam requiem non sufficit quidquid Deo minus est.
IX. Cur solus Spiritus sanctus superferebatur super aquas.
X. Ex dono Dei omnia.
XI. Symbola Trinitatis in homine.
XII. Mundi creatio formationem Ecclesiae praefigurat.
XIII. Renovatio hominis dum hic vivit nondum perfecta.
XIV. Fide et spe corroboramur.
XV. *Fiat firmamentum,* etc., Gen. 1, 6. Quid firmamentum, quid superiores aquae.
XVI. Solus Deus se scit omnino sicuti est.
XVII. *Congregentur aquoe,* etc., Gen. 1, 9. Quid mare, quid arida. Explicatur y 11: *Germinet terra,* etc.
XVIII. *Fiant luminaria,* etc., Gen. 1, 14. Quae luminaria dividentia inter diem et noctem.
XIX. Tractat eumdem versiculum, *Fiant luminaria,* etc.
XX. *Producant aquoe,* etc., Gen. 1, 20. Quae reptilia, quae volatilia.
XXI. *Producat terra animam vivam,* etc., Gen. 1, 24.
XXII. *Faciamus hominem ad imaginem,* etc., Gen. 1, 26. Renovatio mentis.
XXIII. *Et proesit piscibus maris,* etc., ibid. De quibus christianus judicet.
XXIV. *Et benedixit eos Deus dicens, crescite,* etc., Gen. 1, 28.
XXV. *Ecce dedi vobis omnemherbam... in escam,* etc., Gen. 1, 29.
XXVI. Voluptas et utilitas ex beneficio in proximum collato.
XXVII. Quid per pisces et cetos significetur.
XXVIII. *Et vidit Deus omnia quoe fecit, et ecce bonavalde,* etc.
XXIX. Quomodo intelligendum quod Deus octies vidit bona esse opera sua.
XXX. Manichaeorum deliria.
XXXI. Piis idem probatur quod Deo placuit.
XXXII. Compendio enarrat opera Dei.
XXXIII. Omnia de nihilo sive de concreata materia.
XXXIV. Totius creationis mundi allegorica expositio.
XXXV. Optat pacem.
XXXVI. Diem septimum vespera quare non sequatur.
XXXVII. Deus in nobis quando quiescet.
XXXVIII. Aliter Deus, aliter homo videt creata.
ADMONITIO DE DUOBUS SOLILOQUIORUM LIBRIS.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, SOLILOQUIORUM LIBRI DUO.
LIBER PRIMUS. - Instituit se ipse Augustinus ad capessendam Dei et animae scientiam; ac primum divinam opem implorat, tum agnita illius, quam concupiscit, scientiae praecellentia, colloquitur secum de animi sui sanitate promovenda, ut ad contemplandum Deum tuto demum assurgat. Ad extremum libri colligit, ea quae vere sunt, immortalia esse.
CAPUT PRIMUM. Precatio ad Deum.
II. Quid amandum.
III. Cognitio Dei.
IV. Certa scientia quae.
V. Dissimilium eadem aut par scientia.
VI. Sensus animae in quibus percipit Deum.
VII. Fides, spes, charitas, quousque necessariae.
VIII. Quae ad cognoscendum Deum necessaria.
IX. Amor nostri.
X. Amor rerum corporis et externarum.
XI. Externa commoda non propter se, sed propter alia vera bona possunt admitti verius quam expeti.
XII. Nihil expetendum nisi quatenus conducit ad summum bonum, nihil horrendum nisi quatenus avocat.
XIII. Quomodo et quibus gradibus perspiciatur sapientia. Amor verus.
XIV. Ipsa sapientia medetur oculis ut videri possit.
XV. Anima quomodo cognoscitur. Fiducia erga Deum.
LIBER SECUNDUS. - In eo secum Augustinus de vero et falso copiose disputat, ut demum veritatis perspicuitate bene perspecta, animam ipsam hominis, quae veritatis sedes est, immortalem esse concludat.
CAPUT PRIMUM. De immortalitate hominis.
II. Veritas perpetua.
III. Si falsitas semper erit, et sine sensu esse non poterit, sequitur animam aliquam semper exstituram.
IV. Ex falsitatis seu veritatis perpetuitate possitne colligi animae immortalitas.
V. verum quid sit.
VI. Unde falsitas, et ubi.

VII. De vero et simili. Soliloquia cur dicta.
VIII. Unde verum aut falsum.
IX. Quid falsum, quid fallax et quid mendax.
X. Quaedam eo vera, quo falsa.
XI. Disciplinarum veritas. Fabula quid. Quid sit grammatica.
XII. Quot modis quaedam sint in alio.
XIII. Immortalitas animae colligitur.
XIV. Excutitur superior syllogismus.
XV. Veri et falsi natura.
XVI. An meliora deteriorum nominibus vocari possint.
XVII. Num aliquid ex omni parte falsum sit aut verum.
XVIII. An vere sit corpus.
XIX. Veritas immortalis arguit animae immortalitatem.
XX. Quaedam vera credimus, quaedam recordamur; quaedam nec sensu, nec phantasia, sed tantum ratione deprehenduntur.
ADMONITIO DE TRIBUS CONTRA ACADEMICOS LIBRIS.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA ACADEMICOS LIBRI TRES.
LIBER PRIMUS. - Romanianus ad philosophiam incitatur prooemio libri hujus, in quo ejus filius Licentius cum Trygetio per tres disputationes congreditur. Ille pro Academicis beatam vitam ipsa inquisitione veri, hic contra nonnisi veri comprehensione constare propugnat. Venit in contentionem definitio erroris, necnon definitio sapientiae, quae luculenter explicatur.
CAPUT PRIMUM. Romanianum ad veram philosophiam cohortatur.
II. An ad beatam vitam necessaria sit veri comprehensio, an sola ejus inquisitio.
III. Beatitatem in investigatione veri sitam esse proAcademicis propugnatur.
IV. Quid sit error.
V. Quidnam sit sapientia.
VI. Sapientiae definitio datur et impugnatur. Albicerii divinationes.
VII. Vindicatur data sapientiae definitio.
VIII. Hariolus an sapiens, et quid sit sapiens. Sapientiae descriptio tuendae Academicorum opinioni accommodata.
IX. Epilogus.
LIBER SECUNDUS. - Romanianum Maecenatem suum ad amplectendam philosophiam rursus cum grati animisignificatione hortatur, tresque illi describit Collationes, in quarum prima explicantur placita Academicorum. In secunda novae ac veteris Academiae discrimina referuntur; et exploditur sententia horum philosophorum, qui cum verum haud posse deprehendi putarent, veri tamen simile se sequi profiterentur. In tertia dicitur quid illi verisimile seuprobabile appellarent.
CAPUT PRIMUM. Contra Academicorum rationes Dei auxilio opus est.
II. Romaniano grati animi obsequium exhibet, eumque ad philosophiam hortatur.
III. Philocalia et philosophia. Romanianum rursus ad philosophiam accendit.
IV. Repetuntur in priore libro disputata.
V. Academicorum placita.
VI. Academiae novae et veteris discidium
VII. Adversus Academicos.
VIII. Academicorum cavillatio.
IX. De Academicorum sententia serio deinceps disputandum.
X. Verborum controversia non est quae habetur cum Academicis, sed rerum.
XI. Probabile quid sit.
XII. Rursum de probabili, et verisimili.
XIII. An Academici dissimularint se scire verum.
LIBER TERTIUS. - Exhibet disputationes duas, quarum initio statuitur fortunam nihil sive adjumento sive impedimento esse sapienti. Mox Augustinus, repugnante pro susceptis partibus Alypio, probat nonnihil sciri a sapiente, utpote qui saltem sapientiam noverit. Deinde Zenonis definitionem discutit, et duo illa redarguit Academicorum placita: *Nihil percipi posse;* et: *Nulli rei debere assentiri.* Dicit demum videri sibi Academicos non ita sensisse uti vulgo existimantur.
CAPUT PRIMUM. Magnopere quaerenda veritas, unde pendet vita beata.
II. An fortuna sapienti necessaria.
III. Differunt sapiens et studiosus. Sapientem nonnihil scire, quia saltem scit sapientiam.
IV. Rursus quod sapiens non est qui nihil scit.
V. Academicorum inane suffugium praecluditur.
VI. Veritatem nisi divina ope non percipi.
VII. Augustinus Alypii hortatu habet deinceps orationem contra Academicos. Lepidus quidam locus Ciceronis refertur.
VIII. Redarguitur locus e Cicerone allatus.
IX. Zenonis definitio discutitur.
X. Duo Academicorum effata.
XI. Ex sensuum imbecillitate non effici ut nihil veri percipiatur. Neque ex somno et furore.
XII. Urget Academicos causare frustra sensuum vel somni et furoris deceptiones.
XIII. Multa percipi in dialectica.
XIV. Sapientem oportet sapientiae saltem assentiri.
XV. An qui sequitur in agendo probabile citra assensum, vitet errorem.
XVI. Facere quod videtur probabile etiam citra assensum, nefarium est.
XVII. Academici quare dissimularint suam sententiam.
XVIII. Quomodo probabile inductum ab Academicis.
XIX. Multiplex philosophiae genus.
XX. Conclusio operis.
ADMONITIO DE LIBRO DE BEATA VITA.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DEBEATA VITA LIBER UNUS, triduanas complectens disputationes Theodoro nuncupatas; quibus eo demum res abit, ut beatam vitam non nisi in perfecta Dei cognitione consistere definiatur.
CAPUT PRIMUM. Praefatio. Dicat Librum Theodoro, eique aperit quibus veluti ventis ad christianae philosophiae portum impulsus sit. Occasio disputationis.
II. Disputatio primae diei. Ex anima et corpore constamus. Cibus corpori necessarius. Animae quoque suus est cibus. Beatus non est qui quod yult non habet. Nec tamen omnis qui quod vult habet beatus est. Quid sibi homo comparare debet ut sit beatus. Quis Deum habeat. Academicus beatus esse non potest, ergo nec sapiens.
III. Disputatio secundae diei. Quis Deum habeat eo modo ut beatus sit. Spiritus immundus duobus modis appellari solet.
IV. Disputatio tertiae diei. De quaestione pridie proposita dicendum. Miser est omnis qui eget. Sapiens porro aliquo non eget. An omnis qui miser est, egeat. Animi egestas. Animi plenitudo. Quis demum sit beatus.
ADMONITIO DE DUOBUS LIBRIS DE ORDINE.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ORDINE LIBRI DUO.
LIBER PRIMUS. - Disputationes duas exhibet, quarum prima docet omnia prorsus et bona et mala ordine divinae providentiae contineri. Secunda de ordinis praestantia et notione nonnihil tangit; atque hic data occasione incompositos animi motus et pueriles gloriolae obtentu rixas alumnorum suorum graviter carpit Augustinus; tumque Monnicam dicit ob sexum a philosophica disputatione minime arcendam esse.
CAPUT PRIMUM. Omnia divina providentia regi.
II. Dedicat hoc opus Zenobio.
III. Occasio disputationis.
IV. Nihil omnino sine causa fieri.
V. Ordine cuncta Deus administrat.
VI. Ordo omnina complectitur.
VII. Deus non diligit mala, licet ad ordinem pertineant.
VIII. Licentius philosophiae amore succensus. Reprehensus a Monnica quod psalmi versiculum ad requisita naturae egressus cantitaret. Liberalium disciplinarum utilitas.
IX. Ordo dux ad Deum.

X. Ordo quid. Ut coercendi aemulationis et inanis jactantiae motus in adolescentibus qui dant operam litteris.
XI. Monnica ob sexum non arcenda a philosophica disputatione.
LIBER SECUNDUS. - Disputationes hoc libre duae continentur, quibus dum ordinis definitionem expendunt colloquentes, incidunt in varias quaestiones, scilicet: Quomodo sapiens cum Deo maneat immotus, an etiam ea quae perperam ab hominibus fiunt, ex Dei ordine agantur; utrum Deus justus esset ante originem mali; utrum ex Dei ordine malum exortum sit. Agitur demum fusius de recto studendi ordine, qui postulat ut informatis rite moribus, et comparatis humanis disciplinis, promoveatur animus ad altiora et divina percipienda.
CAPUT PRIMUM. Ordinis definitio expenditur.
II. Cum Deo esse quid sit. Quomodo sapiens cum Deo manet immotus.
III. Stultitia an cum Deo sit.
IV. Quae homo perperam agit, an ordine agat. Mala in ordinem redacta faciunt ad decorem universi.
V. Quomodo medendum errori credentium res nullo ordine geri.
VI. Mens sapientis immobilis.
VII. Quomodo ordo fuerit cum malum non esset.
VIII. Traduntur primum adolescentibus praecepta vitae, tum ordo eruditionis.
IX. Ad discendum auctoritate ducimur et ratione.
X. Vitae praecepta pauci assequuntur.
XI. Ratio quid, et hujus in sensibilibus vestigia. Ut differunt rationale et rationabile.
XII. Disciplinarum omnium excogitatrix ratio. Occasio vocabulorum. Occasio litterarum. Occasio numerorum. Occasio discretionis litterarum, syllabarum et verborum. Occasio historiae.
XIII. Dialectices et rhetorices inventio.
XIV. Musica et poetica. Triplex sonus. Versus unde. Rhythmus.
XV. Geometria et astronomia.
XVI. Disciplinae liberales efferunt intellectum ad divina.
XVII. Arduas quaestiones non attingant non instructi disciplinis.
XVIII. Quo ordine anima provehitur ad cognitionem sui et ipsius unitatis. Omnia in unum tendunt.
XIX. Homo unde brutis praestantior, quomodo possit videre Deum.
XX. Epilogus hortans ad bonam vitam.
ADMONITIO DE LIBRO DE IMMORTALITATE ANIMAE.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE IMMORTALITATE ANIMAE LIBER UNUS, complectens congeriem rationum pro animae immortalitate, necnon incurrentium difficultatum solutionem.
CAPUT PRIMUM. Prima ratio, quod anima sit immortalis, quia subjectum est disciplinae quae semper est.
II. Alia ratio, quia subjectum est rationis quae non mutatur.
III. Viva substantia et immutabilis animus, nec, si aliquo modo mutabilis, propterea mortalis fit.
IV. Ars et ratio numerorum immutabilis, quae animo non sine vita inhaerent.
V. Animus non mutatur ut desinat esse animus.
VI. Ratio quae incommutabilis est, sive in animo sive cum animo sit, sive animus in ea, ab ipso eodem animo separari nequit.
VII. Nec, si per substantiam ad defectum tendit animus, ob id interit.
VIII. Ut corpori non potest auferri quo corpus est, ita nec animo quo animus est.
IX. Animus vita est, sic vita carere non potest.
X. Animus non est temperatio corporis.
XI. Animus nec per falsitatem perit veritati contrariam, etsi animi est causa veritas.
XII. Veritati a qua est ammus quod est, quatenus ipsa est, nihil contrarium.
XIII. Animus nec in corpus convertitur.
XIV. Nec somno, nec hujusmodi corporis affectione animae vim minui.
XV. Rursum animam non posse in corpus mutari.
ADMONITIO DE LIBRO DE QUANTITATE ANIMAE.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE QUANTITATE ANIMAE LIBER UNUS, seu dialogus in quo sex de anima quaestiones a collocutore proponuntur Augustino; quarum tertiam, scilicet, quanta sit anima, penitius tractaturus distinguit imprimis duplex quantitatis genus. unum a mole et loci spatio, alterum a potentia et virtute dictum: illud quidem corporis proprium ab anima, quae prorsus incorporea sit, excludi; hoc autem reperiri in illa docet. Deinde magnitudinis istius gradus septem assignat, ad quos revocat quidquid anima humana sive in corpore, sive in seipsa, sive denique apud Deum valet.
CAPUT PRIMUM. Sex de anima quaestiones proponit Evodius. Unde sit anima. Animae patria Deus. Animae substantia propria et simplex.
II. Anima qualis sit.
III. Anima quanta sit.
IV. Animam nonnihil esse, tametsi nec longa nec lata sit.
V. Infinita animae vis.
VI. Longitudo mera et simplex.
VII. Compendiosior et multitudini tutior ad veritatis perceptionem via per auctoritatem quam per rationem.
VIII. De figuris mathematicis. Quot lineis figura fiat. Quomodo tribus lineis figura possit fieri.
IX. Quae figura praestantior. In triangulo quid angulo contrarietur.
X. Summa aequalitas in figuris.
XI. Figurarum praestantia. Quid signum sit, quid punctum.
XII. Puncti potentia.
XIII. Animus incorporeus cernit incorporea.
XIV. Animus incorporeus quantum valeat.
XV. Objicitur animam aetate crescere.
XVI. Respondetur objectioni, et ostenditur animam sine corporeo incremento proficere.
XVII. Anima spatio temporis crescere dicitur metaphorice.
XVIII. Loquendi facultas, quam puer paulatim assequitur, non tribuenda incrementis animae.
XIX. Anima quomodo crescere minuive dicitur.
XX. Anima num quid ex se sciat.
XXI. Vires in majori aetate majores non sunt argumentum crescentis animae.
XXII. Unde vires corporis majores.
XXIII. Anima tametsi per totum corpus sentit, non idcirco est cum corpore extensa. Quid sensus, et quomodo fit visio.
XXIV. Expenditur definitio sensus.
XXV. Definitio quomodo examinanda.
XXVI. Scientia et ratio num in bestiis.
XXVII. Ratio et ratiocinatio.
XXVIII. Bestiae vim sentiendi habent, non scientiam.
XXIX. Scientia et sensus quid differant.
XXX. Anima quae ubique sentiat in corpore, non idcirco est per totum corpus diffusa.
XXXI. Vermiculi secti partes moventur. An argumentum sit animae per totum corpus extensae.
XXXII. Dissecto corpore anima non secatur. Frusta dissecti corporis vivere possunt, cum anima secta non sit. Deinceps de animae quantitate, ratione virtutis ac potentiae.
XXXIII. Vis animae in corpore, in seipsa, et apud Deum, septem ejus magnitudinis gradus constituit.
XXXIV. Anima solus Deus meiior, adeoque solus ei colendus est.
XXXV. Actus animae juxta septem praefatos gradus varie appellantur.
XXXVI. Attinguntur reliquae de anima quaestiones. Quae sit religio vera.
ADMONITIO DE SEX LIBRIS DE MUSICA.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MUSICA LIBRI SEX.
LIBER PRIMUS. - Traditur musicae definitio; et quae ad Lujusce disciplinae considerationem pertinent, motuum numerosorum species ac proportio explicantur.
CAPUT PRIMUM. Sonorum certas dimensiones observare non ad grammaticam spectat, sed ad musicam.

II. Musica quid sit. Modulari quid sit.
III. Bene modulari quid sit, et cur in definitione musicae positum.
IV. Scientia cur in musicae definitione ponitur.
V. Sensus musices an insit a natura.
VI. Cantores theatricos nescire musicam.
VII. Diu et non diu in motu.
VIII. Propositio in motu diuturno et non diuturno.
IX. Motus rationabiles et irrationabiles connumerati et dinumerati.
X. Motus complicati et sesquati.
XI. Motus et numerus in infinitum progrediens ut ad certam formam coercetur.
XII. Cur ab uno ad decem progressus, et inde ad unum reditus in numerando fiat.
XIII. De proportionatorum motuum decore quatenus sensibus udicatur.
LIBER SECUNDUS, in quo de syllabis et pedibus metricis disputatur.
CAPUT PRIMUM. Syllabarumspatia aliunde grammaticus, aliunde musicus attendit.
II. De versu judicat grammaticus ex auctoritate, musicus ex ratione et sensu.
III. Syllabarum tempora.
IV. Pedes dissyllabi.
V. Pedes trisyllabi.
VI. Pedes tetrasyllabi.
VII. Versus certo pedum, ut pes syllabarum numero constat.
VIII. Varia pedum nomina.
IX. De pedum structura.
X. Amphibrachus nec per se nec aliis mixtus versum conficit. De levatione et positione.
XI. Pedum rationabilis mixtura.
XII. Pedes sex temporum.
XIII. Ordo pedum quomodo mutetur concinne.
XIV. Qui pedes quibus misceantur.
LIBER TERTIUS, in quo exponitur quid intersit discriminis inter rhythmum, metrum et versum; tum agitur seorsim de rhythmo, ac deinde tractatio de metro inchoatur.
CAPUT PRIMUM. Rhythmus ac metrum quid.
II. Quid intersit inter versum et metrum.
III. Rhythmi ex pyrrhichiis.
IV. Rhythmus continuus.
V. An sint pedes supra syllabas quatuor.
VI. Pedes quatuor syllabis longiores rhythmum suo nomine facere nequeunt.
VII. De metro quibus et quot minimum constituatur pedibus.
VIII. Silentia in metris quanta adhiberi oportet. Metrum quod dicatur.
IX. Quot ad summum temporibus ac pedibus metrum constare possit.
LIBER QUARTUS. - Continuatur tractatio de metro.
CAPUT PRIMUM. Ultima syllaba quare indifferens in metro.
II. Quot syllabis minimum constituatur pyrrhichium metrum; quamdiu quoque silendum.
III. Pyrrhichiorum metrorum ordo et numerus.
IV. De metro iambico.
V. De metro trochaicho.
VI. De metro spondiaco.
VII. Tribachi metra quot sint.
VIII. De dactylo.
IX. De bacchio.
X. Pleno pedi quid addatur ante silentium.
XI. Iambus post dichorium male ponitur.
XII. Summa omnium metrorum.
XIII. Ration metiendi metra et silentia interponendi.
XIV. Persequitur rationem adhibendi silentia in metiendis metris.
XV. Item de silentio in metris interponendo.
XVI. De pedum commixtione, et de metrorum copulatione.
XVII. Sequitur de metrorum copulatione.
LIBER QUINTUS, in quo de versu disseritur.
CAPUT PRIMUM. Quomodo differant rhythmus, metrum et versus.
II. Metra in duas partes divisibilia caeteris praestant.
III. Versus unde dictus.
IV. Terminus versuum varius.
V. Heroici finis.
VI. Rursus de fine versus.
VII. Quomodo semipedum imparilitas in versuum membris ad parilitatem referatur. Conciliantur membra semipedum quatuor et trium. Membra semipedum quinque et trium.
VIII. Membra semipedum quinque et septem.
IX. Membra semipedum sex et septem. Membra semipedum novem et septem.
X. De senariorum versuum excellentia; eos decentissimos non esse, nisi vel hercici sint vel iambici.
XI. Senarii quomodo commodius metiendi.
XII. Senarii versus cur aliis praestantiores.
XIII. Epilogus.
LIBER SEXTUS, in quo ex mutabilium numerorum in inferioribus rebus consideratione evehitur animus ad immutabiles numeros, qui in ipsa sunt immutabiliveritate.
CAPUT PRIMUM. Superiores libri quibus scripti sint, quove consilio.
II. Sonorum numeri quotuplicis generis, et an quodque eorum genus sine alio esse possit. Primum genus numerorum in ipso sono. Secundum genus in ipso sensu audientis.
III. Tertium genus numerorum in ipso actu pronuntiantis. Quartum genus numerorum in ipsa memoria.
IV. Quintum genus numerorum in ipso naturalijudicio sentiendi. Ex quinque recensitis numerorum generibus quodnam antecellat.
V. Anima an a corpore patiatur, et quomodo sentiat.
VI. Inter genera numerorum ordo, et eorum nomina.
VII. Numeri judiciales an sint immortales.
VIII. Numeri caeteri judicialium examini subjiciuntur.
IX. Numeri alii in anima illis judicialibus praecellentes.
X. Rationis vis in perspiciendis quae ad musicam pertinent, ubi nihil aliud quam aequalitas delectat.
XI. Inferioribus non offendi, solis superioribus numeris delectari convenit. Differentia phantasiae et phantasmatis.
XII. De numeris spiritualibus et aeternis.
XIII. Animus unde fit ut a veritate incommutabili avertatur.
XIV. Ad Dei amorem provocatur anima ex numero rum et ordinis ratione quam in rebus diligit.
XV. Corporales numeros post resurrectionem aget anima quiete. Virtutes quatuor quibus hic anima perficitur.
XVI. De quatuor virtutibus an et quomodo sint in beatis.
XVII. Quod peccatrix anima numeros agat et numeris agatur. Conclusio operis.
ADMONITIO DE LIBRO DE MAGISTRO.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MAGISTRO LIBER UNUS, in quo de verborum vi atque officio disputatur copiose, quo demum non verbis quae foris homo personat, sed aeterna veritate intus docente scientiam rerum obtineri evincatur.

CAPUT PRIMUM. Locutio ad quid instituta.
II. Verborum significatus nonnisi verbis ab homine ostenditur.
III. An res aliqua monstrari absque signo possit.
IV. An signa signis monstrentur.
V. Signa mutua.
VI. Signa sui significativa.
VII. Epilogus praecedentium capitum.
VIII. Non trustra haec disputari. Item signis auditis animum, ut interroganti respondeatur, ad res significatas esse referendum.
IX. An res quaeque vel ejus cognitio pluris habenda sit quam ipsius signa.
X. An quaedam doceri sine signis queant. Res non discuntur per ipsa verba.
XI. Discimus non verbis foris sonantibus, sed docente intus veritate.
XII. Christus veritas intus docet.
XIII. Verborum vine quidem animus loquentis aperitur.
ADMONITIO DE TRIBUS LIBRIS DE LIBERO ARBITRIO.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE LIBERO ARBITRIO LIBRI TRES.
LIBER PRIMUS, in quo mota quaestione unde malum, explicatur quid sit male agere; tumque mala hominum acta ex libero voluntatis arbitrio proficisci ostenditur; quippe cum libidini, quae in omni facto malo regnat, servire mens a nullo cogatur.
CAPUT PRIMUM. Deus an alicujus mali auctor.
H. Malum unde priusquam disquiratur, quid de Deo credendum.
III. Mali natura ex libidine.
IV. Objectio de homicidio patrato ex metu. Cupiditas culpabilis quid sit.
V. Objetio altera de occisione hominis vim afferentis per humanas leges licita.
VI. Lex aeterna moderatrix humanarum. AEternae legis notio.
VII. Homo ex aeterna lege quomodo ordinatissimus ad disquirendum, eaque fine ostenditur scire melius esse quam vivere.
VIII. Ration qua praecellit homo bestiis debet in ipso dominari.
IX. Stulti et sapientis discrimen ex dominatu aut servitute mentis.
X. Mens a nullo cogitur servire libidini.
XI. Mens ex libera voluntate libidini serviens punitur juste.
XII. Mortalis vitae poenas qui libidini serviunt, merito patiuntur, etiamsi sapientes nunquam fuerint.
XIII. Voluntate vitam beatam, voluntate miseram degimus.
XIV. Cur ergo pauci evadant beati, cum omnes esse velint.
XV. Lex aeterna, lex temporalis, in quos et quantum valeant.
XVI. Epilogus tractatae quaestionis.
LIBER SECUNDUS, in quo, difficultate ex eo quod libertas, qua peccatur, a Deo data Sit, emergente, tria haec disquiruntur: Qua ratione Deum esse manifestum sit; an ab ipso sint bona quaecumque; utrum in bonis censenda sit libera voluntas.
CAPUT PRIMUM. Libertas qua peccatur cur a Deo data.
II. Objectio: Liberum arbitrium, si ad honum datum est, quomodo ad malum flexile.
III. Deum esse ut manifestum evadat, disquiritur quid sit in homine praestantissimum.
IV. Sensus interior sentit ipsum sentire; an et se discernat.
V. Sensus interior praestat aeternis sensibus, quorum est moderator et judex.
VI. Ration caeteris in homine praestat; qua si quid praestantius, Deus est.
VII. Quomodo idem sentiatur a multis, quidve totum, quid non totum et simul a singulis.
VIII. Numerorum ratio nullo corporis sensu percipitur, a quovis intelligente percepta una est et incommutabilis.
IX. Quid sapientia, sine qua nemo beatus; an una sit in omnibus sapientibus.
X. Una est sapientiae lux omnibus sapientibus communis.
XI. Sapientia et numerus an idem, an alterum ab altero vel in altero existat.
XII. Una et incommutabilis in omnibus intelligentibus veritas, eaque nostra mente superior.
XIII. Exhortatio ad amplexum veritatis, quae una beatos facit.
XIV. Veritas possidetur cum securitate.
XV. Deum esse ex ratione fuse explicata jam certo cognoscitur.
XVI. Sapientia studiosis sui inquisitoribus sese in via ostendit, numeris videlicet cuique rei impressis.
XVII. Bonum et perfectio quaecumque ex Deo est.
XVIII. Libera voluntas tametsi ad malum usum converti possit, in bonis numeranda est.
XIX. Bona magna, minima et media. In mediis censetur libertas.
XX. Ex Deo non est motus ille, quo voluntas ab incommutabili bono avertitur.
LIBER TERTIUS, in quo quaeritur unde ille motus existat, quo voluntas ab incommutabili bono deflectit; an secum invicem pugnent Dei praescientia de hominum peccatis, et hominum ipsorum in peccando libertas. Mox ostenditur nequaquam id Creatori deputandum, quod in creatura ita fieri necesse est, ut voluntate peccantium fiat; et prorsus de creaturae, quae peccato obnoxia sit, productione ac supplicio laudandum esse Deum. Hinc ad originis vitia perducta disputatione declaratur quemadmodum ea haud injuste in Adae posteros demanent; utque propter haec ipsa immerito peccantes excusationem obtendant; deinceps vero difficultates nonnullae huc pertinentes enodantur.
CAPUT PRIMUM. Unde sit motus ille quo voluntas deflectit ab incommutabili bono.
De praescientia quomodo liberam voluntatem peccantibus non auferat, quaestio plurimos torquens.
III. Dei praescientia non efficit ut non libera voluntate peccemus.
IV. Deus praenoscens non cogit ad peccandum, atque adeo peccata juste punit.
V. Deus de creaturae, etiam quae peccato miseriaeque obnoxia est, productione laudandus.
VI. Nemo vere dixcrit se malle non esse quam miserum esse.
VII. Esse diligitur et a miseris, quia ab illo sunt qui summe est.
VIII. Non esse a nemme eligitur, ne quidem ab illis qui sibi necem conciscunt.
IX. Peccantium animarum miseria confert ad perfectionem universi.
X. Quo jure diabolus possederit hominem, et que jure Deus hune liberarit.
XI. Creatura sive in justitia pormansura, sive lapsura, ad ornatum universi confert.
XII. Gubernatio universi non turbaretur, etiamsi angelica omnis creatura peccaret.
XIII. Ex creaturae corruptione et ex vitii ejus vituperatione bonitas ipsius ostenditur.
XIV. Non omnis corruptio vituperatione digna est.
XV. Defectus creaturae haud semper est culpabilis.
XVI. Peccata nostra in Deum refundi nequeunt.
XVII. Voluntas est prima causa peccandi.
XVIII. An aliquis peccet in eo quod caveri non potest.
XIX. Peccantes ignorantiam et difficultatem transfusa in se ex Adae peccato vitia ne excusent.
XX. Poenales defectus in Adae posteros haud injuste demanasse, quaecumque demum vera sit de animarum origine sententia.
XXI. Error qua in re perniciosus.
XXII. Ignorantia et difficultas si naturalis est homini, non propterea deest unde laudetur Creator.
XXIII. De parvulorum morte et cruciatibus corporis quibus affliguntur, iniqua est imperitorum querela. Dolor quid sit.
XXIV. Primus homo non insipiens creatus est, sed sapientiae capax. Stultitia quid.
XXV. Quibus visis tangitur rationalis natura, cum intentionem ad malum convertit.
ADMONITIO DE DUOBUS LIBRIS DE MORIBUS ECCLESLE ET DE MORIBUS MANICHAEORUM.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE MORIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE ET DE MORIBUS MANICHAEORUM.
LIBER PRIMUS. - Principio constituit Augustinus mores illos quibus in Ecclesia sancte vivitur, ad summum hominis bonum, hoc est Deum, referri oportere. Tum summo in eum amore contendendum, idque dogma esse in catholica Ecclesia utriusque Testamenti auctoritate confirmatum. Quatuor virtutes ex vario quodam amoris Dei affectu dictas ostendit. Agit de officiis charitatis erga proximum, ac refert demum exempla continentiae et morum vere christianorum, quae in Ecclesiae catholicae alumnis eluxerunt.

CAPUT PRIMUM. Quomodo detecturus sit fucos Manichaeorum. Duo quibus fallunt Manichaei.
II. Rationibus prius agit, obsequens vitiosae Manichaeorum consuetudini.
III. Beatus qui eo fruitur quod hominis optimum est. Hominis optimum quid. Duae conditiones summi boni: prima ut nihil eo melius sit; secuada ut tale sit quod non amittat invitus.
IV. Homo quid.
V. Hominis optimum non quod solius corporis, sed quod animae optimum est.
VI. Virtus animam optimam efficit; virtutem anima comparat sequendo Deum; Dei autem consecutio vita beata.
VII. Deus auctoritate Scripturarum vestigandus. OEconomiae divinae erga nostram salutem ratio et praecipua mysteria. Summa fidei.
VIII. Deus summum bonum, quo summo amore tendere jubemur.
IX. Concentus Veteris et Novi Testamenti de praeceptis charitatis.
X. De Deo quid doceat Ecclesia. Duo dii Manichaeorum.
XI. Deus unice diligendus, ideoque summum hominis bonum. Deo nil melius; Deum nemo amittit invitus; quae sunt duae conditiones summi boni, supradictae, cap. 3.
XII. Charitate Deo connectimur, dum illi subjicimur.
XIII. Per Christum et ejus spiritum jungimur inseparabiliter Deo.
XIV. Trinitati summo bono dilectione haeremus.
XV. Quatuor virtutes definit christiane.
XVI. Testamenti Veteris et Novi concentus.
XVII. Apostrophe ad Manichaeos, ut resipiscant.
XVIII. In Catholica sola perfecta veritas ex utriusque Testamenti consensu.
XIX. Temperantiae officia ex sacris Litteris describit.
XX. Sensibilia omnia contemnere, et solum Deum amare jubemur.
XXI. Gloria popularis et curiositas sacris Litteris damnata.
XXII. Fortitudinem praestat amor Dei.
XXIII. Fortitudinis monita et exempla ex Scripturis.
XXIV. De justitia et prudentia.
XXV. Officia quatuor virtutum circa Dei amorem, cujus amoris praemium est aeterna vita et cognitio veritatis.
XXVI. Dilectio sui et proximi.
XXVII. Beneficentia in corpüs proximi.
XXVIII. Beneficentia in animam proximi. Disciplinae partes duae; coercitio et instructio. Per bonos mores nobis provenit agnitio veritatis.
XXIX. De Scripturarum auctoritate.
XXX. Apostrophe ad Ecclesiam totius sapientiae magistram. Doctrina catholicae Ecclesiae.
XXXI. Manichaeorum continentiae opponit anachoretarum et coenobitarum vitam.
XXXII. Clericorum laus.
XXXIII. Aliud genus in civitate simul viventium. Jejunia triduana.
XXXIV. Ex malorum christianorum moribus non vituperandam Ecclesiam. Sepulcrorum et picturarum adoratores.
XXXV. Conjugium et possessiones baptizatis etiam concessa per Apostolum.
LIBER SECUNDUS, in quo refutata diligenter Manichaeorum doctrina de origine et natura mali, excutiuntur tria illa oris, manuum et sinus, quae ipsi in impiis suis moribus praedicabant signacula, et superstitiosa eorum abstinentia mysteriaque nefanda suggillantur. Nonnulla in iis deprehensa flagitia referuntur.
CAPUT PRIMUM. Summum bonum est id cui competit summe esse.
II. Malum quid sit. Malum esse id quod est contra naturam dicunt verissime Manichaei, sed hinc subvertitur eorum haeresis.
III. Malum si definitur id esse quod nocet, ex hoc rursus Manichaei revincuntur.
IV. Boni per se et participatione differentia.
V. Malum si definitur esse corruptio, inde etiam funditus evertitur illorum haeresis.
VI. Corruptio quam rem afficiat, et quid sit.
VII. Dei bonitas non sinit rem ullam corruptione eo perduci ut non sit. Creare et condere quo differant.
VIII. Malum est, non substantia ulla, sed substantiae inimica inconvenientia.
IX. Ne consistere quidem Manichaeorum fabulas de bonis et malis.
X. Tria signacula morum a Manichaeis perperam excogitata.
XI. Signaculum oris quale apud Manichaeos, qui blasphemiae in Deum rei esse convincuntur.
XII. Excludit Manichaeorum suffugia.
XIII. Non ex rebus, sed ex intentione facta aestimantur; hinc de Manichaeorum abstinentia ferendum judicium.
XIV. Tribus causis abstinetur laudabiliter a certis ciborum generibus.
XV. Esum carnium cur interdicant Manichaei.
XVI. Aperit portentosa Manichaeorum mysteria
XVII. Manuum signaculum apud Manichaeos quale sit aperitur.
XVIII. De signaculo sinus et nefandis mysteriis Manichaeorum.
XIX. Flagitia Manichaeorum.
XX. Flagitia eorumdem Romae deprehensa.
ADMONITIO DE REGULA S. AUGUSTINI AD SERVOS DEI.
S. AURELII AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, REGULA AD SERVOS DEI.
De charitate Dei et proximi, unione cordium et communitate rerum.
De humilitate.
De oratione et divino officio.
De jejunio et refectione.
De indulgentia erga infirmos.
De habitu et exterioris hominis compositione.
De fraterna correctione.
De vitio propriam aliquam rem sibi vindicantium.
De vestium lotione, de balneis, deque aliis curandis fratrum necessitatibus.
APPENDIX TOMI PRIMI OPERUM S. AUGUSTINI, complectens quaedam olim ipsi perperam adscripta.
ADMONITIO DE LIBRO DE GRAMMATICA ET TRIBUS ALIIS OPUSCULIS.
DE GRAMMATICA LIBER.
CAPUT PRIMUM. Terminationes nominum.
II. De nominibus quae terminantur in semivocales, et eorum generibus.
III. De iis quae terminantur in mutas.
IV. De terminatione et declinatione nominum neutrius generis.
V. De terminatione et declinatione nominum communis generis.
VI. De terminatione et declinatione nominum omnis generis.
VII. De nominibus generis epicoeni, et differentia ejusdem generis a communi.
VIII. De nominibus aut singularis aut pluralis numeri tantum.
IX. De pronomine.
X. De declinatione pronominum primae, secundae et tertiae personae.
XI. De declinatione infinitorum.
XII. Pronomina qualitatis.
XIII. De verbo.
XIV. De prima conjugatione.
XV. De secunda conjugatione.
XVI. De tertia et quarta conjugatione.
XVII. De verbo communi unde dicatur, et de conjugatione ejusdem.
XVIII. De verbo deponenti.

XIX. De neutro passivis et impersonalibus.
XX. De inchoativis, frequentativis, et desiderativis verbis.
XXI. De adverbio.
XXII. Item iterum de adverbio.
XXIII. Adverbia a nominibus tracta sex habent terminationes. Regula communis.
XXIV. De participiis. Regula communis.
XXV. De conjunctione
XXVI. De praepositione. Praepositiones accusativae, ablativae et utriusque.
XXVII. Duplex genus praepositionum quae dicuntur utriusque.
XXVIII. De interjectione.
XXIX. Epilogus. Et de nominibus numerorum.
PRINCIPIA DIALECTICAE.
CAPUT PRIMUM. De simplicibus verbis.
II. Verba conjuncta.
III. Quae simplices sententiae, quae conjunctae.
IV. Conjunctas sententias subdivisit.
V. Quomodo de rebus, verbis, dicibilibus, dictionibus tractetur in logica. Differunt dicibile et dictro.
VI. De origine verbi. Verbum unde dictum. Stoicorum de origine verbi opinio.
VII. De vi verbi.
VIII. Obscurum et ambiguum. Differentiae obscuri et ambigui. Tria genera obscurorum.
IX. Ambiguitatum genera duo.
X. Ambiguitas ex aequivocis varia.
ADMONITIO DE CATEGORIS DECEM.
CATEGORIAE DECEM, EX ARISTOTELE DECERPTAE.
CAPUT PRIMUM. De oratione, et quam late pateat significatio *ousius.*
II. De aequivocis et multivocis.
III. Quid Aristoteles agat in categoriis.
IV. De denominativis. Differunt paronyma ab homonymis.
V. Substantia et accidens.
VI. Quae dicuntur de subjecto, quae in subjecto.
VII. Quid genus, quid species.
VIII. De praedicamentis in generali.
IX. De *usia* sive substantia. *Usia* proprie. Secundae *usioe* quae dicantur.
X. De quantitate. Quanto nihil est contrarium. Contraria quae dicantur.
XI. Ad aliquid. Ad aliquid quando dicitur. Opposita.
XII. De qualitate. Species qualitatis quatuor. Habitus. Affectio. Potentia naturalis. Passivae qualitates.
XIII. De facere et pati.
XIV. De jacere sive situ.
XV. De ubi et quando.
XVI. De habere.
XVII. De postpraedicamentis.
XVIII. De priori.
XIX. De simul.
XX. De motu.
XXI. Conclusio operis.
PRINCIPIA RHETORICES.
CAPUT PRIMUM. Oratoris officium.
II. Quis sit finis oratoris.
III. De civilibus quaestionibus, et differentia generalium et specialium.
IV. Quae sint circumstantiae controversiam facientes.
V. Quaestiones rationales fiunt quatuor modis.
VI. De quatuor quaestionibus legalibus.
VII. Quibus quaestio articulis nectatur.
VIII. Modi controversiarum.
IX. De figuris controversiarum.
ADMONITIO DE FRAGMENTO REGULAE CLERIS TRADITAE.
REGULAE CLERIS TRADITAE FRAGMENTUM.
ADMONITIO DE REGULA SECUNDA.
REGULA SECUNDA.
ADMONITIO DE LIBRO DE VITA EREMITICA AD SOROREM.
DE VITA EREMITICA AD SOROREM LIBER.
CAPUT PRIMUM. Ut instituta est eremitica vita.
II. Reclusio corporis solius nihil rodest.
III. Reclusarum cum externis mulieribus confabulationes.
IV. Ex confabulatione cum externis mulieribus quae pernicies.
V. Reclusarum quarumdam avaritia.
VI. Reclusa ne pauperum aut hos, itum praetextu facultates habere velit; utatur ancilla probata; non puellas doceat.
VII. Studeat silentio, et raro modesteque loquatur.
VIII. Quibuscum personis loqui decet reclusam.
IX. Scribit vivendi formam reclusis rogatus a sorore.
X. De colloquio cum variis personis. Quid hac in reobservandum a reclusa.
XI. Operetur manibus, ornetur verecundia.
XII. Reclusa verbis lacessita ut se gerere debet.
XIII. De tempore loquendi et tacendi.
XIV. Quibus exercitiis vacandum a calendis novemb. ad Quadragesimam.
XV. De exercitiis a Pascha ad calendas novembris.
XVI. De quadragesimali jejunio.
XVII. Persequitur de virtute jejunii.
XVIII. De significatione Quadragesimae.
XIX. De cibi et potus qualitate et quantitate.
XX. De vestimentis et calccamentis.
XXI. Solitudo est hominum consortio praeferenda propter conservationem virginitatis.
XXII. Ut virginitatis propositum religiose custodiendum.
XXIII. Castitatis dispendium in mensa timendum et in colloquiis.
XXIV. Ante somnum conscientia excutienda, et dolendum de peccatis.
XXV. In tentationibus impudicis recogitanda virginis Agnetis historia.
XXVI. Castitas in juvenili aetate sine magna cordis et corporis attritione non stat integra.
XXVII. De monacho stimulum carnis duris macerationibus vix comprimente, non penitus exstinguente.
XXVIII. Contra senes qui concubinarum consortio carere nolunt.
XXIX. Virgo semper pavida, seipsa muniat verbi Dei meditatione.

XXX. Contra eos qui rigorem abstinentiae non amplectuntur, ne corporis languorem incurrant.
XXXI. De adolescente resipiscente et Christum hora mortis vidente.
XXXII. Vera discretio, carni animam praeponere.
XXXIII. De superbia et ejus speciebus.
XXXIV. De quadam specie vanitatis in cellulae oratoriique ornamentis.
XXXV. Rursus de quadam inani gloria.
XXXVI. De ornamentis virtutum praeferendis.
XXXVII. Persequitur de virtutum ornamentis.
XXXVIII. Ex lini, quo altare ornatur, consideratione quomodo mores instituendi.
XXXIX. Imago Crucifixi et assistentis hinc inde Mariae ac Joannis sat esse debet in sanctimonialium oratorio.
XL. De dilectione Dei et proximi. Ac primum ut in proximum exercenda a sanctimonialibus.
XLI. De exemplo Mariae et Marthae, deque vita activa et contemplativa.
XLII. De rerum ecclesiasticarum dispensatione.
XLIII. Claustrales non debent pauperum et hospitum cura distendi.
XLIV. Administratio temporalium haud convenit coenobitis, multoque minus virgini reclusae.
XLV. Ut sanctimonialis debet si quid superest, erogare.
XLVI. Quod eleemosynae genus a monialibus impendi decet.
XLVII. De dilectione Dei concitanda in meditatione mysteriorum Christi.
XLVIII. De Magorum adoratione, fuga Christi in AEgyptum, et de latrone ad Christi dextram crucifixo.
XLIX. De contemplatione Christi pueri.
L. De consideratione baptismi, jejunii et tentationis Christi.
LI. De muliere in adulterio deprehensa.
LII. De muliere lacrymis pedes ejus rigante.
LIII. De paralytico per tegulas invecto, et corporaliter spiritualiterque sanato.
LIV. De receptione Christi in domo Marthae et Mariae.
LV. De ingressu Christi in Jerusalem, pueris acclamantibus, *Hosanna,* etc.
LVI. De coena Domini et rebus in ea gestis.
LVII. De Christi agonia in monte Oliveti.
LVIII. De Christi traditione.
LIX. De injuriis Christo apud principem sacerdotum et apud Pilatum illatis.
LX. De passione Christi et deceptione diaboli
LXI. De Christo in cruce.
LXII. De mira Christi patientia in cruce.
LXIII. Virgo propior adstat cruci.
LXIV. De decurione.
LXV. De Magdalena sepulcrum visitante.
LXVI. De mundi et rerum praesentium contemptu.
LXVII. Mors a sanctis desideratur.
LXVIII. Mors justo felicitatis principium est.
LXIX. De animae a corpore exeuntis requie vel supplicio.
LXX. De requie aeterna et gloria sanctorum.
LXXI. De extremi judicii die.
LXXII. De confusione et poena malorum.
LXXIII. Amor Deo rependendus pro praedestinationis gratia.
LXXIV. De gloria bonorum.
LXXV. Ex sola Dei gratia salvandis accensemur.
LXXVI. De regno Dei post judicium.
LXXVII. De regni Dei felicitate.
LXXVIII. Epilogus operis.
FINIS TOMI PRIMI.